DE REBVS EVCHARISTIÆ CONTROVERSIS, REPETITIONES SEU LIBRI DECEM, quorum indicem ſequens pagina dabit.

Per Fr. Claud. DE SAINCTES *Epiſcopum Ebroicenſem in Normaniæ Prouincia.*

PARISIIS,
Ex officina P. l'Huillier, via Iacobea ſub ſigno Oliuæ.

1575.

Cum Priuilegio Regis.

SVMMA LIBRORVM.

LIBRI SEX DE INSTITVTIONE EVCHARIstiæ, & existentia corporis ac sanguinis Domini, eorumdémque manducatione reali & spiritali in illa.

LIBRI DVO DE TRANSSVBSTANTIALITATE panis & vini in carnem & sanguinem Domini.

LIBER VNVS DE EVCHARISTIAE Adoratione.

LIBER VNVS DE COMMVNIONE SVB Altera specie.

SEQVETVR SVO TEMPORE TOMVS ALTER de Missæ sacrificio atque eius ritibus.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr lettres patentes du Roy nostre Sire donnees à Paris le quatriesme de May 1575. Il est permis à Pierre l'Huillier, Marchant Libraire Iuré en L'vniuersité de Paris, d'Imprimer ou faire Imprimer par qui bon luy semblera, vn liure intitulé *De Rebus Eucharistiæ Controuersis. Authore F. Claudio de Sainctes Theologo Parisiensi & Episcopo Ebroicensi.* auec deffenses à tous autres d'imprimer ou faire Imprimer ny exposer en vente ledict liure iusques à neuf ans prochainement venans sans le congé dudict l'Huilier. A peine de confiscation & autres peines indictes & portees par lesdictes lettres.

Signé

GVILLAVDET.

FRANCORVM ET POLONORVM CHRISTIANISSIMO REGI HENRICO TERTIO, SALVS ET VICTORIA.

FVIT INGENS GALLORVM gloria, Christianissime Rex, non prius tamen nec potius vnquam in armis, quàm in religione posita: ad cuius accuratiorem obseruationem quandiu conspirarunt, atque eius zelo exarserunt, res præclarè domi ac foris ab ipsis gestas legimus, quibus non solū altissima pace suos fines bearunt & firmarunt, sed terrorem Gallicū longè latéque nationibus exteris immiserũt. Quoties verò vel in religione dissensionē, vel contemptum, vel sacrilegā direptionē irrepere & valere permiserũt, atq; ab illo colendi numinis feruore defecerunt, ipsis planè idē „quod Iudæis in lege cōminabatur Deus, accidisse testãtur historiæ. Venient (inquit „Moses) super te omnes maledictiones, & persequētes apprehēdent te, donec inter„eas, quia non audisti vocē Domini Dei tui, nec seruasti mandata eius, & ceremonias „quas præcepit tibi. Et erunt in te signa & prodigia, & in semine tuo vsque in sempi„ternū, eò quòd non seruieris Domino Deo tuo in gaudio cordísque lætitia, propter „rerū abundantiā. Serui es inimico tuo, quē emittet tibi Dominus in fame, & siti, & „nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicē tuam, donec te „conterat. Adducet Dominus super te gentem de lōginquo, & de extremis terræ fi„nibus, in similitudinē aquilæ volãtis cum impetu, cuius linguã intelligere nō possis, „gentē procacissimã, quæ nō deferat seni, nec misereatur paruuli. Et coteret in cūctis „vrbibus tuis, & destruentur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fidu„ciam in omni terra. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit „tibi Dominus tuus. Nihil loquor de Gallorū religione & fortuna, antequã Christo „dedissent nomen. At postquam populo degenti in tenebris lux vera illuxit, summū „certamen Tyrannorum in expugnatione fidei Gallicanæ erga Christum erat, tantúmque constantia perfecit ac patientia, vt Constãtinum, legitimum Ducem Christianum tandem nacti, de tyrannis persecutoribus, & populis idolorum cultoribus ferè toto orbe terrarū victoriã & triumphum reportarint, Christianámque primã Monarchiã constituerint. Hanc cùm iterum diabolus per varias hęreses scindere ac frangere aggrederetur, non tamen statim potuit ipsas inter Gallos serere: ita vt Hie„ronymus prædicet, solam Galliã hæreseon mōstra nec peperisse, nec aluisse: & Hila„rius inter hæreses ad Gallos scribat: O beatos vos in Domino, & gloriosos, qui per„fectã atq; Apostolicã fidē conscientia & professione Dei retinentes, cōscriptas fides „hucusque nescitis. Nō enim eguistis litera, qui spiritu abundatis: neq; officiū manus „ad scribendū desiderastis, qui quod corde à vobis credebatur, ore ad salutē profite„bamini. Adeò verò detestati sũt hæreses, vt primi ferè capitale suppliciū in hęreticos

Fundamētum virtutis & fœlicitatis, ac Monarchiæ Gallorum fuit religio Catholica.

Deut. 28.

Euseb. lib. 5. cap. 2. & 3. Euseb. lib. 1. de vita Constãtini, & aliis.

Hieron. contra Vigilant.

Hilar. de synod. contra Arrianos.

ã

Seuer. Sulpit. lib. 2. hist.

decreuisse,& de Priscillianistis sumpsisse: nec alia re ad arma & rebellionem contra Constantium & iuniorem Valentinum Christianos imperatores, Ecclesiæ Catholicæ desertores vel hostes, concitati leguntur, quã fidei Catholicæ simulatione & professione, cuius defensionem Iulianus Apostata,& Maximus tyrannus prætexebant,& cuius causa nihil non ausi Galli, non priùs à tumultibus quieuerunt, quàm imperiũ ad Theodosiũ Catholicũ imperatorẽ redactũ audierũt. Ab eius morte Gothi barbari & Arriani à Stilicone atque aliis exciti, in Italiã & Galliã irruperũt. Tum nostri iam cœperãt à sua sinceritate atque integritate plurimũ deficere,& ab illo ardore in religionẽ refrigescere: ideóque omnis iniquitas apud ipsos abũdauit, habitáque est potius ludibrio quàm venerationi religio. Nam cum Paganismi in Christianismũ mutatione nihil de reip. forma decessisset, tribúsque ordinibus, vt antea, cõstaret, nobilitate, sacerdotio,& populo, sicut Druidũ tẽporẽ cõstabat, à maximo vsque ad minimũ omnis caro corruperat viã suam. Nobilitas prædæ ac rapinę inhiabat,& prodigiosis libidinibus seruiebat: populus potentiorũ æmulabatur vel superabat insaniã: vtriq; verò sacrorũ ac sacerdotũ egregij contẽptores atque oppressores, nec isti ab hoc sæculo incõtaminati, Gothorũ & Arrianorũ captabãt & ambibãt gratiã atq; opẽ, qua viuerẽt à suorũ ciuiũ iniuria liberi & tuti. Interea lẽto gradu ad sui vindictã diuina processit ira, plagísque & barbarorũ incursionibus ad emendationẽ & pœnitentiã Gallos prouocabat: sed cũ efficerẽtur in dies suis calamitatibus deteriores Deus tandẽ Gallorũ remp. & regionẽ alienigenis Gothis, Alanis, Hũnis, Vandalis, Saxonibus,& Francis tradidit diripiendã, deuastandam & occupandam expleuítque cõminationes illas, quas Iudæis suæ legis transgressoribus denuntiarat, & priùs inflixerat. De huius excidij causis & historia Saluianus Episcopus Massiliensis, qui illo sæculo vixit, eleganter scripsit libros octo, quos de Dei iudicio & prouidentia nominauit: in hísque licet velut in speculo contemplari, quæ de nostris moribus, nisi prouideatur huic regno, impẽdeant mala. Ex barbarorũ colluuie, quę in Gallias exũdarat,& incolas omnes adobruerat, Frãci posteriores irruerũt, nõ tam viribus, quàm Gallorũ continuis cladibus potentes. Sed nec alios barbaros sedibus pellere, nec vllã ditionẽ sibi stabilire priùs potuerunt, quàm eiurato Paganismo se mãciparũt Christo duce ac rege Clodoueo, qui desperatis in rebus ad Catholicã religionẽ cõfugit,& præsentissimũ auxiliũ ab illa sẽsit, per eámq;, publicè instauratã, restitutã, ac sanctæ obseruatã, Deo propitio tantũ apud Frãcos & Gallorũ reliquias, quæ cladibus superẽrat, profecit, vt recepta veteri fortitudine, barbaros omnes & hæreticos Galliarũ possessione deiicerent, ac Francorũ in Galliis Monarchiã fundarẽt, vníque Clodoueo parere cogerẽt: cui sicut ob insignes victorias,& imperij amplitudinẽ Romanorũ imperatorũ, quorũ in Occidẽte videbatur intercidisse nomẽ, insignia & ornamẽta fuerũt delata & accõmodata: ita propter singularẽ religionẽ, in eáque afferẽda animi magnitudinẽ & constantiã, Christianissimi regis cognomentũ ab illis Romanis imperatoribus ad ipsũ creditur translatũ. Scribit enim ad Gratianũ imperatorẽ Ambrosi⁹, nullũ quã Christianissimi titulũ, Imperatorẽ magis ornare. Fuit iterũ ingẽs tũ Gallorũ gloria ex religione Catholica instaurata. Sicut autem inter populos Galli claruerũt illius religionis professione & defẽsione, cuius quo tenaciores se præbuerũt, eo fortiores facti sunt in bello, ac fœliciùs res gesserunt: ita inter Gallos ipsi reges nemini subditorũ in illa pietate cesserunt, vt ipsis iure debeatur Christianissimorũ nomẽ, ac quo se suósque fasces illi ampli⁹ submiserũt, eo subditos obsequẽtiores habuerunt,& latiùs fines imperij prorogarunt. A Clodoueo ad vestrã maiestatẽ numerãtur reges quinquaginta octo, quorũ null⁹ à fidei Catholicę recta sentẽtia deflexit, ac ne quidẽ suspicionẽ de se reliquit. Nõ fecit De⁹ taliter vlli nationi. Fuit apud Iudæos magna regũ & principũ sacrosãcta propter Christũ inde

Resp. Gallorũ semper triplici statu cõstabat. Cæsar. lib. 6. Commẽtar. de bello Gall.

Saluianus passim in lib. De Dei iudicio.

Mutatio status in Gallia propter vitia & peccata, et natio tradita Gothis, &c.

Saluianus vixit anno 480.

De Francis in Gallia.

Monarchia Gallicana fundatur in religione Catholica.

Gregor. Turonens. & alij Annales.

Christianissimi titulus cum insignibus imperij ad Gallos transijt ob religionem Catholicam & fortitudinem cõtra hæreticos & infideles.

Ambrosius epist. 25.

Secũda instauratio virtutis Gallicanæ & gloriæ ob fidẽ Catholicam.

Excelluerunt inter Gallos ipsi reges pietate, nec vllus à fide Catholica defecit.

nasciturū successio, non tamen in vna & eadem religione continua, sed frequentiùs interrupta. Fuit apud Iudæos: sicut erit apud Christianos, summorum Pontificum etiam vsque ad cōsummationem sęculi series duratura. Attamen inter ipsos aut aliqui defecerunt palam ab auita religione, aut non caruerūt defectionis suspicione. Hispania, Anglia, Italia, Germania, atque alię nationes, reges seu principes Christianos tulerunt, sicut Gallia: nulla tamen tot regum in vna & eadem religione perseuerantium catalogum recensere, vel edere potest: nec ob id fortassè apud illas vlla dominatio & reip. forma tot annos, sicut apud nos, in eodem statu permansit. Ecclesię Catholicæ fides, Christianissime Rex, vestrę Monarchiæ fundamenta iecit, & quo maiores progressiones in Gallia fecit, ac radices altius fixit, secum vestræ Monarchię magnas accessiones attulit ac stabiliuit, nec vnquam fides illa detrimentum in Gallia cepit, quin vestrę quoque Monarchię immineret periculū, nec nostro tempore fides illa prius est, aut alia de causa labefactata, quā vt vnà conuelleretur vestra Monarchia. Ac quēadmodum ex antecedentibus ad nos vsque sęculis coniicere licet, non priùs fidē illā & Ecclesiam in Galliis penitùs interituram esse, quin secum vestram Monarchiam in eūdem prorsus interitum pertrahat: ita circumspectis hominibus nulla spes affulget vestrę Monarchiæ in pristinū splendorem reparādę, nisi priùs pacata, & in integrum restituta fide & Ecclesia Catholica. Liceat, supplex oro, Christianissime Rex, te affari iisdem verbis, quibus Melito Sardianus Episcopus olim Antoninum Imperatorem

Nostro tēpore religio oppugnata, vt Monarchia mutaretur.

" pro Christianis affatus est. Diuina, quam nos excolimus religio, antea inter barbaros
" insigniter viguit: quæ cùm apud gentes tuas præclaro & eximio Augusti (sic ait Me-
" lito, nos dicamus Clodouei) regno floreret, ipsi imperio, quo tu potiris, cumprimis
" fausto ac fœlici pręsidio fuit. Nam ex eo tempore Romani (vt ait Melito: nos adiicia-
" mus eius loco) Gallici imperij fines magna cum amplitudine & splendore dilatati
" sunt, cui tu nō modò iam successor fortunatus es, sed etiam cum posteris futurus es,
" modò diuinam illam religionem tueatis, quę simul (dicamus, cum Clodouei regno)
" apud vos cùm incœpta, tum vnà cum imperio enutrita, quam planè maiores tui ma-
" gnoperè coluerunt.

Euseb. lib. 4. cap. 27.

In Remigij Archiepiscopi Remensis testamēto legitur, monitū Clodoueum, cùm sacro baptismo tingeretur, videret ne vnquā ipse aut successores latum vnguē à suscepta Catholica religione discederēt. Tamdiu enim coronā regum capitibus hæsurā, quādiu Catholicæ fidei & Ecclesiæ adhęrerēt. Quod oraculū Clodouei visceribus ac successorū sic impressum fuit, vt nullū præsidium aut tormētum bellicū existimarint valētius vel penetrabilius, siue ad tuendos fines, siue ad dilatandos, quam diligentiorem & exactiorem religionis huius curam, atque hæresēō profligationem. Prima ferè Clodouei post susceptum baptismū cogitatio & expeditio cōtra Arrianos suscepta est, quasi aliter nullos progressus facere posset ad imperium promouēdum, nisi à defensione & promotione fidei & Ecclesiæ Catholicæ caperet

Reges Gallorū regni fundamentum existimarunt in Catholica religione: ideò ab huius mutatione semper cauerunt.

" exordiū. Eius hęc fuit militaris ad suos oratio: Valde molestè fero, quòd hi Arriani
" partē teneāt Galliarum. Eamus cū Dei adiutorio, & superatis redigamus terram in di-
" tionē nostram.

Gregor. Turon. lib. 2. hist. cap. 37. Vixit Gregorius Turon. anno 600.

Nec sanè posteri plura vel grauiora bella postea gesserunt, quàm cōtra infideles Sarracenos, Turcas, vel hæreticos, vel Ecclesiæ Romanæ infestos hostes, quę plerunque propriis cōmodis & necessitatibus anteposuerunt. Qua pietate Gallorum nomē toto orbe terrarū celebrius ac formidabilius euasit, gloria verò & ditio amplius quā aliis quibuscunq; armis adaucta est: ita vt Agathias inter Gręcos Christianus & vetus author, Iustiniani, ac ferè Clodouei ętate, ominari non dubitet, Frā-
" corū rēp. & Monarchiā maximā fore, stabilem, atq; adeò diu mansurā: quoniā rectis-
" simę inter omnes Christianos essent opinionis, hoc est, præ aliis omnibus Catholici,
" quorū principes pietatē ac iustitiā obnixè, atq; per eas pacem & charitatē inter se fir-

Agathias lib. 1. De reb. Gott.

marent, ſicque ſeipſos ac proximos quoſque peruincerent. quoniam autem religionis exercitiũ in ſacris, ſacerdotibus, & miniſtris verſatur potiſſimùm, inter Francorũ reges pia quoque interceſſit quaſi contentio de monaſteriis, aliíſq; Deo ſacratis locis cõſtruendis atque exornãdis: in eámq; curã maximè incubuerunt, vt ſumma cum pietate, veneratione, quotidianũ Miſſæ celebraretur & offerretur ſacrificiũ, atque alia ſacra munia perficerẽtur, in quibus fieret pro ipſis oratio cõtinua ab Eccleſia. Ac ſicut ante Chriſtianiſmũ in Galliis admiſſum de tribus reip. ordinibus, Druidarũ ſacerdotiũ nõ ſolùm ſacris diſponẽdis & obeũdis, ſed cõſiliis & belli ac pacis negotiis publicis præerat, atq; ante regũ Monarchiã introductã, cùm ab imperatoribus Romanis, ſeu eorum præfectis Gallia regeretur, poſt Paganiſmũ eum Chriſtianiſmo commutatũ, ſacerdotio inter Chriſtianos Gallos ſuꝰ ſtatus & dignitas mãſit, quemadmodũ ex Seuero Sulpicio in hiſtoria Maximi tyrãni, Saluiano Maſſilienſi, & Gregorio Turonẽſi atque aliis perſpicitur: Multo certè magis cõſtituta Frãcorum Monarchia de ſacerdotũ & Epiſcoporum authoritate & gradu nihil deceſſit, ſed potius multũ acceſſit. Nam præter primas, quas tenuerunt in rep. quo quiſque regum fuit bello clarior, fortunatior & glorioſior, eo magis curam geſſit, vt pro Dei dignitate & ſanctitate, ſancti ac digni ſeligerentur ſacrorum miniſtri, quibus nec ipſi grauarentur ſua capita & faſces ſubmittere, & quorum auſpiciis, ſeu potius oraculis, publica omnia gubernarentur. Quantum honoris, obſequij, atque officij reges maximi Deo & Eccleſiæ præſtabant, tantum à ſubditis referebant, omniáque Deus liberaliſſimis ac piiſſimis principibus reddebat cũ fœnore. Nulli ſanè ad nos vſque inter Galliæ Monarchas à Catholica fide & doctrina deſciuiſſe deprehendũtur: ſed non defuerũt tamen, qui Catholicã pietatẽ & vitã improbis moribus, ac ſacrilegis actionibus contaminarũt, quíque ſe ac regnum abiecto Dei metu & pietatis cultu miſerè afflixerunt. Clodouei ſucceſſores non diu in paterna deuotione perſtiterũt, ſed inhiarũt iam rũ opũ Eccleſiaſticarũ prædę, nec à ſpoliis tẽplorum manus cõtinuerunt, nec ſacerdotia dignis & ſacris hominibus permiſerũt: ſed arrogato ſibi iure ſeligẽdi, laïcis nobilibus ac quibuſcunq; vænalia expoſuerũt. Nec diutius inultũ fuit. Nã paucis annis defecerũt ignaui, effœminati, ſubditis propter libidines & ſacrilegia odioſi, quorũ cauſa imperio pellẽdos prænuntiabãt pleriq;, & nõnulli ex ipſiſmet præſentiebant. Narrat Gregorius Turonẽſis Clotarium regẽ indixiſſe, vt omnes Eccleſię regni ſui tertiã partẽ fructuum fiſco diſſoluerent: quod licet inuiti tum omnes Epiſcopi cõſenſiſſent, atq; ſubſcripſiſſent, viriliter hoc beatus Iniurioſus Turonum Epiſcopus reſpuẽs, ſubſcribere dedignatus eſt, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum vt pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea compleantur. Et iratus contra regem, nec vale dicens abſceſſit. Tunc commotus rex, timens etiam virtutem beati Martini, miſit poſt eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat, damnans. Ab eodem Gregorio Turonenſi commemorantur calamitates publicæ & cauſę, per quas Clodoueorum progenies contabeſcebat & deficiebat. Omnium iniuriis, ſacrilegiis & maleficiis Gallia patebat, nec vlli vires ſuppetebant ad reſiſtendum. Gunthramnum regem (inquit) amaritudo cordis obſedit. Ad baſilicam Symphoriani Martyris Duces & Epiſcopos congregauit, atq; hunc ſermonem habuit: Qualiter hoc tempore victoriam obtinere poſſumus, cùm ea quæ patres noſtri conſecrarunt, non cuſtodimus? Illi verò Eccleſias ędificantes, in Deum ſpem omnem ponentes, Martyres honorantes, ſacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentéſque aduerſas diuino opitulante adiutorio inenſe & parma ſæpiùs ſubdiderunt. Nos verò non ſolùm Deum non metuimus, verùm etiam ſacra eius vaſtamus, miniſtros interficimus, ipſa quoque ſanctorum pignora

Sacerdotum ſemper primas tenuit in rep. apud Gallos. Cæſar lib. 6. Comm. de bell. Gall. Seuer. li. 2. hiſt.

Galli reges nũquam declinarunt ad hæreſin, ſed ſæpè ad maxima vitia & peccata, quorum cauſa accidit mutatio in Monarchia. Vitia regum degenerãtium à pietate.

Gregor. Turo. lib. 4. cap. 2.

Gregor. Turo. lib. 8. cap. 30.

gnora in ridiculo discerpimus ac vastamus. Non enim potest obtineri victoria, vbi talia perpetrantur. Ideo manus nostræ sunt inualidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos, vt erat solitus, defendit ac protegit. Ergo si hoc meæ culpæ ascribitur, iam id Deus capiti meo restituat. Certè si regalia iussa contemnitis, & ea quæ præcipio, implere differtis, iam debet securis capiti vestro submergi. Erit enim documentum omni exercitui, cùm vnus de prioribus fuerit interfectus. Verumtamen iam experiri debemus quid agi oporteat. Si quis iustitiam sequi destinat, iam sequatur. Si quis contemnit, iam vltio publica ceruici eius immineat. Satius est enim vt pauci contumaces pereant, quàm ira Dei super omnem regionem dependat innoxiam. Hęc rege dicente responderunt duces: Bonitatis tuę magnanimitas, Rex optime, enarrari facile non potest: qui timor tibi in Deum sit, qui amor in Ecclesias, quę reuerentia in sacerdotes, quę pietas in pauperes, quęve dispensatio in egenos. Sed quia omnia, quę gloria vestra profert, recta veraque esse censentur, quid faciemus, quòd populus omnis in vitium est dilapsus, omnémque hominem agere quę sunt iniqua delectat, nullus regem metuit, nullus ducem, nullus Comitem reueretur: & si fortassis alicui ista displicent, & ea pro longęuitate vitę vestræ emendare conatur, statim seditio in populo, statim tumultus exoritur, & in tantum vnusquisque contra seniorem sęua intentione grassatur, vt vix se credat euadere, si tandem silere nequiuerit? Ad hęc Rex ait: Si quis sequitur iustitiam, viuat: si quis legem, mandatúmque nostrum respuit, iam pereat, ne nos diutius hoc blasphemium prosequatur. Magnus Gregorius Papa, qui illo sęculo viuebat, Gallorum regum & populorum valde commendat religionem Catholicam: sed non obscurè in vtrisque requirit eiusdem religionis actionem, & imprimis perstringit simoniam, atque in laicos beneficiorum collationem, quamuis qui afficerētur Ecclesiastico beneficio, ilicò se manciparent cleri officio ac statui, nec veretur ob id regni mutationem prędicere. Primùm hęc scribit ad Childebertum regem: Quanto cęteros homines regia dignitas antecellit, tanto cęterarum gentium regna regni vestri profectò culmē excellit. Esse autem regem, quia sunt & alij, non mirum est: sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splēdor in tetræ noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarū gentiū obscuram perfidiā rutilat ac coruscat. Quicquid autē reges se cæteri gloriātur habere, habetis. Vt ergo sicut fide, ita & actione vincantur: benignā se excellētia vestra suis subiectis semper exhibeat. Deinde Brunichildē reginā hortatur, vt sicut filium in pura fide Gallorū educarat, ita bene viuere ac bene agere doceret. In quo proculdubiò accusat morū in veritate fidei corruptionē. Verba sunt: Excellētiæ vestræ prædicandā ac Deo placitā bonitatē, & gubernacula regni testantur, & educatio filij manifestar. Cui nō solùm incolumē retū temporaliū gloriā prouida sollicitudine cōseruastis, verùetiam æternæ vitæ præmia prouidistis, dum mentē ipsius in radicē veræ fidei materna, vt decuit, & laudabili institutione plantastis. Vnde non immeritò contigit, vt cuncta gentium regna pręcelleret: quippè qui earumdem gentium creatorē & purè colit, & veraciter confitetur. Sed vt laudabilis in eo fides cū operibus enitescat, adhortationis vestræ eū verba succēdant, quaten[9] sicut sublimē illū inter homines potētia regalis ostēdit, ita ante Deū magnū faciat pietas actionis. De indigna verò Episcoporū electione & promotione, ad eundē Childebertū epistola sic cōqueritur. Quia aliqua ad nos perlata sūt, quę & omnipotentē Deū nimis offendūt, & quāplurimū sacerdotij honorē reuerentiāq; cōfūdūt, quęsum[9], vt potestatis vestrę annuēte cēsura modis omnib[9] emendētur, ne dū laudādę deuotioni vestrę res temerarię ac peruersę repugnāt, aliorū (quod absit) culpa aut regnum

S. Gregorius Papa fidē Catholicam Gallis regibus & populis cōmendat, sed mores notat.

Greg. lib. 5. Registr. ep. 6.

Greg. lib. 5. Reg. ep. 5. Commēdatur Brunichildis quòd liberos educarit in vera religione sed notatur, quod in bonis moribus negligentius se gesserit.

Greg. lib. 4. Reg. epist. 33. Clodouei reges damnantur de mala electione laicorum ad beneficia, & ob id regnum amisisse.

vestrum grauetur, aut anima. Peruenit autem ad nos, obeuntibus Episcopis quosdã ex laicis tõsurari, atque ad episcopatum præcipiti saltu cõscendere: & qui discipulus nõ fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniã quod possit docere, nõ didicit, sacerdotiũ tantum gerit in nomine. Nam laicus in sermone pristino perseuerat & opere. quomodo ergo pro aliorũ peccatis intercessurus est, qui sua primitùs non defleuit? Talis enim pastor nõ munit gregẽ, sed decipit: quia dũ cõtradicere verecũdia nõ potest aliis hoc, quod ipse non fecit, persuadere, quid est aliud, nisi vt plebs Dominica prędonibus populãda remaneat, & inde sumat interitũ, vnde salutiferæ protectionis magnũ debuit habere subsidiũ. Quod quã prauũ sit, quàm peruersũ, ex sua quoque ordinatione excellentiæ vestræ celsitudo perpẽdat. Certũ namque est, nõ vos antè exercitui ducẽ præponere, nisi eũ anteactę vitæ virtus & sollicitudo aptũ esse mõstrauerit. Simul autẽ & illud valde execrandũ nobis est nuntiatũ, quod sacri ordines per simoniacã hæresin, id est, accepto pretio, cõferantur. Et quia pestiferũ nimis est, & sacræ Ecclesiæ vniuersali contrariũ, in sacrũ quempiã ordinẽ nõ meritis, sed pretio collocari, hortamur, vt tã detestabile facinus excellẽtia vestra prohiberi præcipiat. Nam ipse se ad hoc officiũ ostendit prorsus indignũ, qui donũ Dei pecunia mercari nõ metuit, & commodis præsumit appetere, quod habere per gratiã non meretur. Alia tum designabantur multa flagitia, quæ nostri Annales cõmemorant, quibus iratus Dominus, bellis ciuilibus inter reges fratres, atque extetis per Sarracenos & Gothos hæreticos Gallias totas ferè depopulatus est, & à Clodoueorũ sanguine & genere Monarchiã ad Pipinos & Carolinos traduxit, quã studuerunt sibi retinere ac confirmare his artibus, quibus initio eam quæsicrat ac fundarat Clodoueus, & quæ essent cõtrariæ vitiis, quibus Clodouei illã amiserãt. Ante omnia religioni & Ecclesiæ Catholicæ tuẽdæ ac sarciendæ studuerũt, ad earúmque defensionem nulla bella contra Sarracenos, Arrianos, & alios quoscunque renuerunt, sed intrepidè aggressi sunt, ac confecerunt, atque inde Deum sibi propitium inuenerũt. Parta verò pace omnia studia & consilia ad pietatem ac diuini numinis cultum instaurandum, Christianam disciplinam efformandam, morésque componendos cõtulerunt, séque duces ad id aliis præbuerunt. Non solũ Ecclesiis per aliorũ rapacitatẽ & prodigalitatẽ erepta restituerũt, sed insuper easdẽ multis donis collocupletarũt, multísque ac magnificis structuris amplificarunt: vt pietatis, ita iustitiæ regidissimi exactores sua singulis ordinibus & hominibus redhiberi curarũt. Ex qua causa ab antecessoribus suis libertatem Ecclesiatum oppressam, & Episcoporũ dignitatẽ pessundatam, in pristinum splendorem repararũt. Renuntiatum quoque est ab ipsis iuri nominationũ, & electiones clero attributæ. Experientia siquidẽ docuerat, quã parũ fœliciter principibus & reip. cessisset vsurpata potestas miscẽdi sacra profanis, & præficiendi ad aulicorum gratiã & importunitatem quoslibet cathedris & prælaturis. Ita constituta religione & Ecclesia Gallicana, fuit tertiò ingens Gallorum gloria. Nã armis ex Italia Lõgobardos, atque alios Arrianos: ex Gallia & Hispania Sarracenos: ex Saxonia atq; aliis Germaniæ populis idola exegerũt: atque Occidentale imperium lõgè florentissimũ & potentissimũ reliquerunt: ídque Carolus Magnus cum liberis religioni potius quàm bellicæ virtuti præ se tulit acceptum. Quin etiam in quadam epistola prædicat, plures à se victorias reportatas in monasteriis pernoctando, quàm pugnãdo, tametsi nullus imperatorũ toties manus cum hostibus cõseruerit. Quandiu posteri vestigiis eius institerunt, tandiu pacato regno & imperio Francorũ potiti sunt, quamuis interdũ diuiso, atque inter se partito. At postquã degenerarũt, & retẽta religionis veritate, vltimorũ Clodoueorũ vitia maluerũt, quàm patrum suorũ pietatem & virtutes ęmulari atque imitari, eũdem exitum cum Clodoueis

Causa hæreseõ ex mala electione.

Simonia in sacris ordinibus & beneficiis.

Pipini & Carolini vt Monarchiam Clodoueis ereptã sibi assererent, cœperunt à reparanda religione.

Dist. 63. can. ego Ludouicus Carolini renuntiarũt nominationibus ad beneficia.

Constituta religione per Carolinos tertiò fuit ingẽs Gallorum gloria.

Carolini quãdo à pietate maiorum defecerunt, Monarchia cœpit ab ipsis desinere.

doueis nacti sunt, & iisdē calamitatibus regnū & Monarchiā afflictā perdiderūt. Horrendis & prodigiosis libidinibus omnia fœdabant: sibi quasi quodā iure arrogabāt, nihil sacri habere, Episcopos conculcare, omni iniuria afficere, res Ecclesiæ diripere, quibus liberet donare, nobilibus laïcis non solùm opes monasteriorū assignare, sed nomina tribuere, ita vt Abbates salutarētur equites armati, & monachis præficeretur, qui eorū vices gereret, nō Abbatis saltē relicto titulo, sed decani. Inde iusto Dei iudicio ignaui, fracti, inepti, iuuenes vt fœmina cōpti illi principes, omniū in se concitarunt odiū, & à suis bello lacessiti, ac tandē circūuenti, meritas pœnas scelerū & sacrilegiorū luerunt: atq; ita Carolinorū posteritas Monarchiæ hæreditate priuata est. Sicut ex principū corruptela deprauatio serpit in populos, ira & vltio diuina cōtra principes in Galliam totā inuoluit. Bella plus quàm ciuilia passim internecionē & vastitatē inferebant, nec defuerunt externa à Normannis idololatris, nec cessarūt aliæ publicæ calamitates. Eudo quidem, seu Odo, cognomento Magnus Abbas ob multitudinem occupatorum Monasteriorum, illo sæculo Monarchiam inuasit, quam testamento hæredi legitimo voluit reddi. Sed eandem iterum Carolinorum familiæ Hugo Capetus, Parisiensis Comes, vir strenuus ac nobilis præripuit. Nō tamen ipse, quāuis Normannos atque alios hostes repulerit & debellarit, potuit, aut posteri eius, priùs illam sibi asserere & vendicare, quàm primam curam de religione & Ecclesia Gallicana gererent: quòd à Roberto cœptū, Philippus Augustus ac sanctus Ludouicus fœliciter perfecerūt. Nam antea nec bella ciuilia quiescebant, nec externa à Normannis deficiebāt, & noua ac periculosiora ab Albigeis ingrauescebant, nec Monarchia in Capetorū sanguine firma cōsistebat. Robertus ablata Ecclesiis retribuit, Dei cultū promouit, ac pietati præ omnibus inuigilauit. Philipp⁹ August⁹ Iudæos Christi hostes regno expulit, & quoscunque hæreticos & Ecclesiæ oppressores coërcuit, clerū quibuscunq; potuit rebus fouit, & auxit: sacrorū præsulibus & Episcopis primas in rep. nobiliū factione adeptas detulit, seu potius reddidit. Pastores creādi atq; instituēdi cùm facta fuisset S. Ludouico ob pietatē à Romano Pontifice potestas, ad „ idq; retulisset diploma pontificiū Roma rediēs Legatus, respōdit ille: Quod mea Ro- „ mæ negotia strenuè obieris, laudo: quòd mihi à Pōtifice munus hoc retuleris, nō ap- „ probo. Intelligo enim quāto cū periculo animæ meæ & regni suscipere. Ac protinus diploma côiecit in ignē. Fuerat quidē ab infantia inter Monachos enutritus: ideóque tota vita Monachū in paludamēto militari & regia purpura egit: sed nihilomin⁹ fortissimū & inuictissimū militē se in bello præstitit, in vnicū Dei obsequiū vsus militia. Omnibus ad Dei & religionis Catholicæ præscriptū cōpositis & administratis, fuit quarto ingēs Francorū gloria, ab eadē, à qua priùs, religionis & Christianæ disciplinæ instauratione petita & parta. Ex Hispania Albigeorū colluuiem in Gallias exūdantem parua manu profligarunt, & eorundē reliquias tandē deleuerunt: postea verò regno hæreticis & rebellibus purgato, bellū sacrū religionis ergo, & terrorē Gallicum Sarracenis, totóque in Oriente & Meridie, terrestri ac nauali expeditione intulerunt, & Francorum trophæa ad fines vsque orbis terrarum statuerunt, ac de manibus infidelium terram sanctam & ciuitatem Hierusalem receperunt, inque Francorum potentissimum regnum redegerunt. In Capetorum posteris viguit ac flagrauit religio & pietas longè vehementiùs, ac diutiùs, quàm in antecessorum successoribus: ob eámque causam fortasse iam plures annos Monarchia sine vicissitudine ac translatione perseuerat, quàm in aliorum genere mansit. Quoties tamen vel legibus diuinis, vel Ecclesiæ minus fuerunt audientes & declinarunt longiùs à recta pietatis & iustitiæ via, toties per Normannos, Anglos, atque alios exteros, interdum etiam bellis ciuilibus, quibus nihil est miserius, quasi filios

Fronardus Episcopus illo tēpore scripsit ista. Extat in aliquibus bibliothecis, vt apud S. Dionys.

Capeti successores, vt sibi cōfirmarent Monarchiā, à religione cōstituēda cœperunt.

S. Ludouicus recusauit ius nominandi ad beneficia et cum. Brosmardus S. Ludou. Cācellarius, in eius vita.

Instaurata religione quartò fuit ingēs Gallorū gloria.

Deus castigauit: sed misericordiam suam omninò non subtraxit ab eis: quoniã cùm percuteret eos, clamauerũt ad ipsum, & suos errores vel ipsi, vel eorum liberi agnouerunt, atque emendarunt. Hîc libenter, Christianissime Rex, scribendi finem facerem quoniam ad ætatem nostram veniendum est, quam cum pessimis superiorum temporum collatam cogor ferream nominare, atque omnium quę præcesserunt perditissimam. Vereor tamen, ne si vitia & peccata publica vel saltem attigero, quibus ad Monarchiæ vestræ euersionem potius quàm ad translationem Deum inuitum impellimus, & Galliarum habitatoribus supremum excidium accersimus, ne quos non debeo, offendam, & ne videat in illos scribere qui possunt proscribere. Vtinam verò tam parata haberentur remedia, quàm sunt in promptu causæ. Heretici quidem fundi Gallici calamitatem fidei Catholicę de Eucharistia, eiúsque adorationi & oblationi quasi idololatriæ præcipuè imputant. Catholici contra malorum publicorum causas ad hæreticorum blasphemias, sacrilegia, & Eucharistiæ factas iniurias atque contumelias referunt: vtrique interea obliuiscuntur abominãdorum scelerum, quibus quotidie demerentur grauiora supplicia quàm infligantur à Deo. Nõ dubium sanè, quin Eucharistię violatio, vel sola indigna attrectatio & susceptio publicæ calamitatis causam afferat, teste Apostolo, qui propter indignam illius celebrationem vel participationem ait ortam inter Corinthios mortalitatem publicam. Quoties contra fidei, quam de illa tenemus, suscepta est defensio, vel erga ipsam debita valuit ac creuit deuotio, toties ferè Gallorum benè habuit, atque incrementa cepit Monarchia. Id perspicitur ex Clodouei, Caroli Magni, Philippi Augusti, & S. Ludouici tempore atque imperio. Nam tum vel ab Arrianis, vel à Sarracenis, Gręcis hęreticis, vel ab Albigeis impugnabatur de Eucharistia aliqua in parte nostra fides & ipsa conculcabatur, cùm ab illis contrà in summa veneratione, honore ac defensione haberetur, & per eiusdem dignam perceptionem bellica Gallorum virtus exuscitaretur & acueretur, ac Monarchia dilataretur: sicut in eadem maxima fiducia ad res prǽclarè gerendas à Constantino Magno reponebatur, à quo milites non emittebãtur de castris in aciem, nisi ante armatos ipsa sacrosancta Eucharistia nostro ritu in Ecclesia portatili consecrata. Nec quidem nostra ætate quamuis omnibus flagitiis sordescat, Deus circa illam sine testimonio reliquit semetipsum. Dimicatum opinor pro Eucharistię causa vicies & amplius iusto exercitu, sine leuioribus prælijs propè infinitis, siue apud Heluetios, siue in Germania, siue in Belgio, siue Gallia Celtica siue Aquitanica, & semper illa de hostibus nullo amisso prœlio triũphauit, quamuis eius propugnatores vel impares essent viribus, vel numero, vel animorum concordia atque ardore, & à proditoribus periclitarentur omni hora: hostes verò nullum insidiarum, nullum militarium artificiorum ac molitionum genus prętermiserint. Sed quis huius veritatis, Christianissime Rex, tua maiestate locupletior testis esse potest? Cùm nondum tibi per ętatem, sicut nec Dauidi, arma ferre concederetur, eodem tamen spiritu quo ille incitatus, nequiuisti perferre Goliat Gallicum insultantem, ac bellum inferentem Eucharistię, quin te ducem contrà dares. Per octo ferè annos adolescentia tua sudauit, & alsit, atque expertus es, quantis proditionibus & insidiis ac periculis fueris expositus, ac tantum non interceptus. Aliquoties standum fuit in acie & confligendum, sed non nisi cùm de victoria certissimã spem concepissent hostes, siue de locorum opportunitate, siue de equitum ac peditũ multitudine, furore ac robore. Quo securiores de victoria te sunt aggressi, maiorẽ cladẽ & ignominiã retulerũt. Te vnũ præ omnibus ad necẽ designarũt: sed quo te ferire cupidius & propius conari sunt, eo ceciderunt indignius & turpius: ita vt de te verè canere liceat ex Dauide: qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli cõmorabi-

Hæretici malè Eucharistiæ cultui publicas calamitates imputãt, cùm potius eiusdem violationi sint attribuenda.

1. Cor. 11.

Defensoribus & cultoribus Eucharistiæ ferè semper benè cessit.

Eusebius in vita Const.

Henricus tertius Gallorum & Pollonorũ Rex Eucharistiæ ab ineunte ætate vindex cum Dauide in multis cõuenit.

Psalm 90.

tur. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appro-
ximabunt. Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum vi- *Pugna & victoria Henrici tertij ad Iarnacum.*
debis. In priori conflictu princeps ipse dignus melioribus armis cùm in tuum ag-
men & signum irruisset ferocius, parum gloriosè occubuit: ad cuius mortui spe-
ctaculum ingemuisti & illachrymasti, Deum ac cœlum sublatis oculis contestatus,
tantorum malorum te minimè authorem esse, in hoc Dauidis quoque bonitatem
imitatus. Stuardus, insignis Barrabas, latro, seditiosus & homicida, atque adeò confi-
dens, vt intra medios & confertos hostes auderet duces ipsos exercituum sibi deli-
gere trucidãdos, cùm tantũ facinus moliretur aduersum te, capitur, nec pecunia redi-
mi vel celari potuit, quin viuus ac supplex ante pedes tuos iacuerit, & in potestatem
Memoransianorum venerit, quorum patrem Catholici & regij exercitus ducem in
campis Dionysianis nefariè mactauerat. Equitum alæ nobilium, qui Principis signũ
sequebantur: totę propemodum cęsę & captę fuerunt: Admiralius fuga euasit. In al- *Pugna & victoria Henrici tertij ad Moguntourcium.*
tero prælio ad Moguntourcium inito, tam Galli rebelles, quàm Germani rebellium
auxiliarij, in spem, fiduciam ac signum certissimę victorię, quo seipsos internosce-
rent, & nullum nostrorum sinerent elabi, omnes armis & thoracibus suis albam ca-
misiam imposuerant: quod ipsis fraudi fuit. Nam in quo signo salutem sibi consti-
tuebant, & nostris comminabantur internecionẽ, hanc sibi inde pepererunt, nostris
verò omnibus salutis tesseram ostẽderunt. In vtrisque castris Galli vna & eadem lin-
gua vtebãtur, & Germani eadem, ob idque perfacilè victi victoribus se permiscuis-
sent: sed obfuit alba nota, quę hostes effecit lupos occisionis, vt à nostris insultaba-
tur. Equitatu & peditatu longè nobis erant superiores, nec ignorabant multorum
ignauiam & perfidiam. Equites sclopetarij magno agmine in tuum agmen ac signũ
bis impetum fecerunt. Inclinabatur acies tua, nec sustinere impetum poterat: pleriq;
etiam periculo se subducebant à tuis signis dilapsi: iámque hostes efferebantur ani-
mis, quasi ilicò te viuo vel mortuo essent potituri, cùm repentè nostri, Deo impel-
lente, ac te protegente, illos à lateribus aggressi, animos, virtutem, ac ferocitatem eo-
rumdem ita contuderunt, vt pro triumpho, quem ante victoriam canebant, statim
in fugam effusi, peditatum omnem deseruerint nostrorum primo furori, non tam
vincendum, quàm puniendum pro sacrilegiis & blasphemiis, quibus affluebant cõ-
tra sacrosanctam Eucharistiam. Nam ex quatuordecim tormentis bellicis, quę tra-
hebant, maximum in Missę ludibrium Missapultam nominabant: circumfere-
bant verò singuli Caluinistarum catechismum cum cãtionibus in Missam & Eu-
charistiam contumeliosis. Diuina verò vltio apparuit vel in eo maximè, quòd
milites hostium nec pedem referre, nec manus conserere, nec sclopeta displaudere
potuerint, sed eo loco & ordine, quo stabant in acie, ceciderint vix semihoræ spatio:
nec tot hominum milia ligatis manibus ac pedibus fuisset in nostrorum potestate
iugulare tam breui temporis spatio, nisi potestas alia desuper accessisset, quę nostro-
rum manus ita agebat, vt nulli⁹ rogatu vel imperio à sacrilegorũ hæreticorum ma-
ctatione mitigarentur, vel persuaderentur cuiquam candidatorum parcere. Tanta
verò strages in momento edita est, vt numerus cadauerum sexdecim milium exces-
serit, sicut recensuerunt in humandis cadaueribus præfecti. Si qui de postrema acie
nitebantur effugere, passim ab insequẽtibus iugulabantur. Cũ spoliarẽtur cadauera,
inuẽti catechismi pudẽdis seu podici impositi, tormẽtario puluere immisso ambu-
rebãtur, neq; iussu cuiusquã, sed occulto quodã diuino impulsu, vt blasphemię in
blasphemorũ redundarent ignominiam, & turpitudinẽ. Hæreticorum exercituum
ductor Admirali⁹, nisi Deus illi inuidisset gloriosam mortem, ac digno flagitiis sup-
plicio ipsum seruasset, fortasse cùm tuum caput toties redintegrato prælio peteret,

occubuisset. Non tamen audaciam impunè tulit. Nam percussus in maxilla, vix periculo & prælio se eripuit: suis verò trepidationem, ac fugæ causam dedit, cùm repetè vulnere perturbatus disparuisset, & prior fugã cepisset. Ab illo proximi duces exercitus capti sunt. De nostris vix quadraginta tormentorum bellicorum multiplici fulmine ante exercituum congressum obierunt, in conflictu pauciores, paulò plures glandibus vulnerati postea decesserunt, vel conualuerunt. Non tuas cano victorias, Christianissime Rex: politioribus ac nobilioribus ingeniis ista laus debetur, non mihi. Tantum Eucharistię causam & veritatem commendo, quæ sicut tuis stat victoriis, ita tibi victorias à Deo impetrauit, etiam tua ac totius exercitus contestatione ac professione. Quamuis enim magna pars illius exercitus tui constaret ex perditissimis hominibus, quibus nihil curæ esset religio, & qui Missam tam malè odissent quàm aduersarij: tã repentina tamẽ atque insperata visa victoria omnes passim acclamabãt, Dominus est Deus, Missa Cœnã profligauit. Pridie cõflictus de manu mea pro more te sacrosancta Eucharistia munieras. Interea quos poteras, hortabar benè sperare, ac forti esse animo. Deũ nõ defuturũ causæ suę addebã. Sed pleriq; respõdebant à me verba securè ac facilè fundi, cũ aliis de vita & capite esset decertandũ ac periclitandũ: quibus subiiciebã aliis arma suppetere, quibus pugnarẽt, ac se tuerẽtur, nec deesse equos, quib⁹ fugerẽt: me autẽ inermẽ cũ illis in eadẽ acie stare, nec equo fugaci vehi, ob idque maiori in discrimine q̃ alios versari. Ab acie cum D. Nicolao Fumeo, nũc Bellouacensi Episcopo, atque aliis non procul digressus, spectator pugnæ factus, de incerto euentu trepidabam: ne tamen nihil agerem, precibus & lachrymis tecum
Psal.73. pugnabam, atq; inclamabam sæpè: Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto „ improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die, Ne obliuiscaris vo- „ ces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Dicebam „ Christo: Respice in testamentum tuum. Quoniam inter Turonos & Pictauos committebatur prælium, huc & illuc conuersus Gallorum patronos Martinum & Hilarium appellabam, atque orabam suorum bustorum fieri vltores, quorum reliquias hæretici concremassent. Ante lucem pugnę ineundę inter sacra cùm te atque belli exitum Deo commendares, rogaueram, vt piorum & antiquorum principum more, Deo voueres aliquid, si victor redires: cùm quæsisses quid cẽserem à te vouendum, dixi conscientiæ tuę ac spiritui sancto id à me esse relinquendum. Ego quidem inter alia voui, si saluus euaderes, me reliquum vitę Dei cultui potius & obsequio, quàm aulicæ seruituti, cuius me tum admodum tædebat, impensurũ, & omnia studia collaturũ in Eucharistiæ veritatẽ elucidandam, cuius causa tu Dominus meus à prima adolescentia libenter vitam discrimini obtulisses. Cæsis & fugatis hostibus, cùm inter cadauera sequeremur victorem exercitum illachrymans ad tantæ stragis spectaculum toties repetebam, Domine, quid est homo? Sub vesperam verò cùm iussisses cani receptui, fidei & gratitudinis erga Deum plenus, quamuis puluere ac sudore obsitus ac fessus vix posses in equo consistere, non priùs tamẽ arma tibi exui sustinuisti, quàm flexis genibus diu preces ad Deũ fuderis. Prima luce cùm duces omnes gratulabundi in tuum conspectum ruerent, ad primum occursum statim mihi suggessisti, Tuæ partes sunt ad gratiarum actionem Missam facere, & concionem habere, qua Deo victoriam tribuas, non mihi. Ex quo præscripto cùm ex Dauide
Psal.113. tractassem, Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua & veritate tua, ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum: Deus autẽ „ noster in cœlo omnia quęcũque voluit fecit: tota in hoc versabatur oratio, vt coram „ Deo testarer cum toto exercitu nos indignos tanta victoria, maximè si spectarentur acta nostra & merita: sed misericordiam à nobis stetisse, veritatem verò Eucharistiæ

&

& fidei Catholicæ hostibus obstitisse, contra quam tanquam contra stimulum semper durum fuerit calcitrare, nequando dicant gentes, Vbi est Deus eorum. Attamen cùm post Deum tuæ ac multorũ principum & ducum fidei atque virtuti gratias & laudem deberi prædicarem, ex sacris literis peroraui, non solas victorias fidei tuæ (præsertim si perseueraret vsque in finem) reponi, sed regna parari à Deo: quòd fœlix augurium obsignaui Abigail probæ mulieris oraculo, quo Dauidi bella sacra ab ineunte adolescentia gerenti, amplissimam & nobilissimam familiam fore prænuntiauit. Faciés (inquit) faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi, tu præliaris. Malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitę tuæ. Deus autem, qui fidelis est in omnibus sermonibus suis, non diu distulit fidei tuæ præmium cumulare. Paulò pòst enim duobus potentissimis orbis Christiani regnis Francorum & Polonorum intra annum adauctus es: atque vt diuinitùs cognosceres ea tibi obuenisse, cùm minimè sperarentur, cõtigerunt: ac ne quidem eodem iure, sed vnum electione, alterum successione, & vtrumque anno interposito, ipso Pentecostes die, qui sacer est spiritui sancto: quo duce nõ solùm regnorum iura, sed possessionem adiisti, præter omnium hominum opinionem & spem, cùm tantis spatiis dissiderent, & iter esset faciendum per multorum hominum, non dicam diuersos mores & vrbes, sed religionis hæreses, & factiones nomini tuo & fidei inimicissimas. Ista omnia cõmemoro, Christianissime Rex, vt ex te comprobem Eucharistiam suis cultoribus & defensoribus non nocumento, sed potius adiumento atque ornamento esse. Quod si quid eius oppugnatoribus contrà venerit in Gallia, placet memoria repetere: de ipsis Deus exempla plusquàm tragica edidit, ac vix de vllo possumus excipere. Non meum est mortuis & surdis maledicere: si tamẽ fas est etiam iustis lætari, cùm viderint vindictam de inimicis Dei & impiis, saltem fas sit diuinæ vltionis modum in Eucharistiæ aduersariis suspicere & pertimescere. Equidem Deus ferè omnes bello & pace tum infimè deiecit, dum summoperè eleuarentur. Singuli verò quò ferocius se habuerunt erga Missam & Eucharistiã, eo iusto Dei iudicio turpiùs & miseriùs mortem oppetierunt, siue morbis, siue suppliciis extraordinariis correpti. Quî fit ergo, rogitant multi, vt post tot victorias Eucharistia à pluribus pessundetur, quàm anteà: & altissima pace, imò rerũ omnium fœlicitate abundent eius oppressores: & Rex Christianissimus, qui tantam Eucharistiæ seruandæ nauauit operam, duplici ac potẽtissimo regno munitus, iam non videatur illis par bello gerendo: sed in eas redigatur angustias, vt autcedere, aut pacem quibuscunque conditionibus mercari cogatur? Equidem nihil hac in re perpetitur Eucharistia, quin ex iisdem causis prius pertulerit apud Israëlitas Arca testamenti, & Christus ipse in Euangelio, atque Ecclesia eius, omnísque scripturæ veritas. Arca toties de hostibus triumpharat: propter scelera & impuritatem sacerdotum venit randem in hostium potestatem, qui eius captiuitate impiam suam religionem extollebant, ipsíque insolescebant & efferebantur contra Dei veritatem & populum: sed sacra præda cessit illis in ruinam & perniciem, ac falsæ religionis euersionem. Christus antequàm se permitteret Iudæis, suæ virtutis ad resistendum multa documenta dedit. Bis enim armatos inermis prostrauit: sed nihilo mitiores vel obsequentiores facti de perspecta eius fortitudine & victoria, violentiores manus iniecerunt in eum, & cupidiùs captiuum abduxerunt, omníque contumelia, ignominia & tormento affecerunt. Sed (ait scriptura) postquàm fecerunt in ipsum quæcunque voluerunt, & illud Consummatum est, absoluerunt, armatus est totus orbis, omniáque elementa cõtra insensatos, nec remansit lapis super lapidem. Antea Samson Christi typus toties

Fœlicitas Henrici tertij ex defensione Eucharistiæ pronunciata.

1. Reg. 25.

Duo potentissima regna eodem anno diuinitùs Henrico tertio accesserunt.

Eucharistiæ hostibus tandẽ misere cessit.

Cur Eucharistiæ hostes ad tempus videãtur felicius agere.

Reg. lib. 1.

Ioan. 18.

Philistæos debellarat: proditione ac scelere vxoris illis deditus, custodem domum, in qua asseruabatur, vnà cum illudentibus sibi hostibus funditùs euertit. Sic Monarchia Assyriorum atque aliæ tum ferè finem acceperunt, cùm seruitutis iugum imposuerunt populo Dei Iudaïco. Ita ferè, qui volet, obseruauerit veritatem omnem Euangelij per ipsas nationes & prouincias, principes & populos reluctantes deuicisse: nihilominus siue peccatis Christianorum ita merentibus, siue vt Deus ostenderet gloriam suam & potentiam, recidisse in hostium & oppugnantium potestatem, quibus postremò exitio fuit. De Trinitate fides & doctrina Catholica mundum possederat, & de Arrio in Concilio Niceno, ac postea sub multis imperatoribus de Arrij sectatoribus, sæpè numero triumphum egerat: attamen malorum proditione & factione Arrianorum iugum toto orbe terrarum à Gothis, Vandalis, atque aliis subiit: sed quo lætiùs & securius illi sibi visi fuerunt dominari, eo citiùs & miseriùs contabuerunt & euanuerunt. Verum est quod cecinit Dauid de

Psal.128. vniuersis veritatis & Ecclesiæ oppressoribus: Confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquàm euellatur, exaruit, de quo non impleuit manum suam qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget. Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini. Et vidi impium exaltatum sicut cedros Libani: transiui, & ecce non erat. Aliæ quidem hæreses cum Arrianismo in Oriente sibi etiam videbantur regna & imperia occupasse: sed Alcorani & Turcarum durissimam ac plusquam barbaram seruitutem pro pace & tranquillitate nactæ sunt. Sursum ac deorsum misceant omnia aduersarij: arces, oppida, ciuitates, regna etiam atque imperia inuadant, ac firmissimo præsidio muniant, atque efficiant vt nulla spes restet fidei Catholicæ & Missæ restituendæ, eò sanè sibi magis timere, & grauiorem sibi interitum propiùs imminere, siue ex antiquis hæreseon historiis, siue de his quæ oculi nostri perspexerunt, debent iudicare. Si qua verò regna vel ditiones quiescunt tantisper à tumultibus bellicis abolita Missa & Eucharistia: tamen nec iis viribus, nec ea potentia & rerum copia, nec ea quiete & fœlicitate perfruuntur, qua pollebant, cùm apud ipsos floreret religio Catholica. Si de futuris licet per præterita coniicere & vaticinari, falluntur opinionis errore Galli nostri, si per defectionem ab Ecclesia Catholica, & Eucharistiæ violationem sperant sibi nomen & principatum quærere. Gallia id beneficij sortita est à Deo, vt diutius nequeat monstra contra fidem Catholicam alere, nec Iudæos, nec Gothos, nec Sarracenos, nec Berengarianos, nec Albigeos, quibuscunque niterentur exterorum viribus & auxiliis, ac sibi crederent sedem firmasse, pluribus seculis perferre potuit. Proculdubio ad bonorum probationem, & malorum vltionem, hæreticis, sicut omnibus populi sui & Ecclesiæ flagellis, solet Deus ad tempus rerum prosperum successum elargiri & immittere: vix autem hæreditatem populi sui ipsis relinquere, sed illam potius ad alienigenas ac planè impios transferre, quemadmodum in libris Regum de decem tribubus & tota historia populi Israëlitici cernitur. Ad pœnitentiam quoque perditissimi quique & hæretici inuitantur per patientiam & longanimitatem diuinam, sed diuitiis bonitatis eius & prosperitate ad duritiam abutuntur: thesaurizántque sibi & accumulât grauitatem supplicij in die iræ & iusti iudicij Dei. Nos magis attonitos reddit, Christianissime Rex, quòd te Deus quasi Saulem à tam præclaris initiis, quibus iuuentutem tuam illustrauit, appareat repulisse, ac te sacrosanctæ Eucharistiæ vindicem omni ope atque auxilio repentè destituisse, quasi denique omnium tuorum contumeliis & opprobriis exposuisse. Verùm quoties animum referimus ad eam quæ

Gallia hæreticorum principatũ & iugũ nunquam potuit ferre.

Cur Henrico tertio Eucharistiæ vindici res

quæ in te relucet, ac quotidie inflammatũr fidei Catholicæ constantiam, pietatis & deuotionis feruorem, cogimur aliunde quàm in te diuinæ iracundię & animaduersionis in nós causas inuestigare. Equidęm quantum Galli inter omnes nationes religionis Catholicæ laude & defensione præcęlluerunt, & inter Gallos ipsi reges palmã tulerunt: sic inter reges fortasse nemini secundus meritò profiteri soles, nulli antecessorũ fidei & religionis tenacitatę velle te cedere: ad cuius vel solam dissimulationẽ, blanditiis, minis, periculis vllis ipsi tui aduersarij fatentur te nũquam potuisse flecti, nec à Missa audiẽda vllo die deterreri vel auocari, cùm per hæreticas nationes in Poloniam iter faceres, vel indę redires. De tuis moribus multas calumnias sparserũt homines maleuoli, quas redarguit quotidianæ vitę tuę innocẽtia & integritas quę cùm ętate magis ac magis in te adolescunt & accrescunt ad multorum stuporem, qui tuas actiones explorant. Quî fit igitur, vt minus ex votis & sententia succedant omnia, & Deus res tuas minus secundet, nec iam exeat in virtutibus tuis, sicut scriptura loquitur? Qui dé virtute syderum scribunt, docent, non per vnum solem fieri, vt nunc serenum sit, nunc nubilum, nunc ęstus, sed minorum etiam stellarum vim accedere, quarum aliæ nubes inducunt & pluuias, aliæ serenum faciunt & siccum, aliæ ventos & tempestates excitant, alię eadem sedant atque cõponunt. Ad eundem planè modum in hominibus habet. In his enim totius quidem moderationis, gubernationisque summa est penes regem imperatorem, cum quo veluti sole, stellarum omnium principe, tametsi multi principes & fideles Ecclesiæ præsules, tanquam prospera & auspicata sydera, serenum suum aspectum cõiungere, & pluuias ac tempestates enitantur auertere, maximi tamen interim, grauissimíque motus excitantur ab aliis minoribus syderibus, ab hominibus alioqui obscuris & imbellibus, quibus sedandis & componendis ipsorum etiam regum & imperatorum ac principum potẽtia vix interdum sufficiat. Deinde sępè fit, vt clarissima mũdi lumina eclipsin ac defectionem patiantur, non suo ingenio vel vitio, sed per interpositionem Lunæ vel terrę, vel aliarum quarundam vmbrarum & nubium, quibus intercipiuntur & retũduntur illorum radij, vt mundo huic non possit redire clara serenitas. Nonnunquã verò peccatur ab ipsis luminibus, si vel desinunt quasi quodam rigore & stupore radios suos exerere ad discutiendas tenebras, vel occulta quadam vi seu manifesta, caliginem de terra excitant, ac tenebras magis diligunt quàm lucem. Ex his quid officiat tuis luminibus, tuum atque aliorum sit iudicium. Incidisti in seculum & regnũ corruptissimum. Omnes à minimo vsque ad maximum, nec solum hæretici, sed qui se dicunt Catholicos esse, student veræ pietati & religionis cultui nebulas & tenebras offundere. Nec melioribus verbis, nec paucioribus possem nostros mores describere, (quibus nisi prospiciatur, chaos antiquum, vel saltem maxima labes Francorũ Monarchię impendet) quàm quibus Saluianus pro causis mutati status in Gallia per Gothos & alios barbaros, sui temporis vitia perstringit, nisi quòd longè plurą ac deteriora nostra sunt quàm illa. Non hac solùm iniuria (inquit) contemnimus Deum, qua contemni à seruis suis Curiales solent: quia seruorum hic contemptus est maximus, si non faciant quod iubetur. Porrò autem nos omni studio, omni nisu, non solùm iussa non facimus, sed contrà facimus quod iubemur. Iubet enim Deus, vt omnes nobis inuicem chari simus. Omnes autem nos mutua infestatione laceramus. Iubet Deus vt cuncti egentibus sua tribuant: cuncti admodum aliena peruadunt. Iubet Deus, vt omnis qui Christianus est, etiã oculos castos habeat: quotusquísque est qui non se luto fornicationis inuoluat? Et quid plura? Graue & luctuosum est quod dictur' sum. Ipsa Dei Ecclesia, quę in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud quàm exacerbatrix Dei: aut pręter paucissimos quosdã qui mala fugiunt,

minus feliciter videantur succedere.

Summa pietas & constantia Henrici tertij in religionem Catholicam

Vnde fiat vt sub bonis principibus malè agatur.

Saluianus Episc. Masiss li. 3. de Dei iudicio.

Vitia publica, quibus laboramus, & imminet regno exitium.

quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum? Quotum enim quemque inuenies in Ecclesia non aut ebriosum, aut helluonem, aut adulterũ, aut fornicatorem, aut raptorem, aut Ganeonem, aut latronem, aut homicidam, & quod his omnibus peius est, propè hæc cuncta sine fine. Interrogo enim Christianorum conscientiam. Ex his vel flagitiis, vel sceleribus, quæ nunc diximus, quotus quisque hominum non aliquid est eorum, aut quotus quisque non totum? Faciliùs quippè inuenias qui totum sit, quàm qui nihil: & quod diximus nihil, minus forsitan grauis videatur esse censuræ. Plus multo dicam. Faciliùs inuenias reos malorum omniũ quàm nõ omniũ: faciliùs maiorũ criminũ quàm minorũ: id est, faciliùs qui & maiora crimina cũ minoribus, quàm qui minora tantùm sine maioribus perpetrarint. In hâc probrositate morum propè omnis Ecclesię plebs redacta est, vt in cuncto populo Christiano gen⁹ quodámodo sanctitatis sit minùs esse vitiosum. Itaq; vel Ecclesias, vel potius tẽpla atq; altaria Dei minori reuerentiæ quidã habẽnt, quàm cuiuslibet minimi ac municipalis domum. Si quidem in ianuas nõ modò illustriũ potestatũ, sed etiã præsidũ & prępositorum non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut iudex vocauerit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprij dignitas introire permiserit: ita vt si quispiam ingressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua existimationis suæ labe multetur. In templa autem, vel potius in altaria, atque in sacraria Dei passim omnes sordidi ac flagitiosi sine vlla penitus reuerẽtia sacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deũ currere debeant, sed quia qui ingreditur ad placandum, nõ debet egredi ad exacerbandum: neque eiusdem officij est indulgentiam poscere, & iracundiam prouocare. Nouum siquidem monstri genus est, eadem penè omnes iugiter faciunt, quę fecisse se plangunt: & qui intrant Ecclesiasticam domum, vt mala antiqua defleant, in ipsis hæc penè orationibus suis ac supplicationibus moliuntur. Aliud quippè ora hominum, aliud corda agunt, & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur: ac sic oratio eorum rixa est magis criminum, quàm exoratrix, vt verè illa in eis scripturæ maledictio compleatur, vt de oratione ipsa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique si vult quispiam scire, quid in tẽplo huiusmodi homines cogitauerint, videat quid sequatur: si quidem consummatis solennibus sacris statim ad consuetudinaria omnium studia discurrunt: alij scilicet vt furentur, alij vt inebrientur, alij vt fornicentur, alij vt latrocinentur: vt euidenter appareat hoc eos esse meditatos, dũ intra tẽplum sunt, quod postquàm egressi fuerint, exequuntur. Sed videlicet hæc cuncta mala, & omnium vitiorum probrositatem, ad seruos fortassè & abiectissimos quosque homines referendã quidã putant, cæterùm nomẽ ingenuũ hac flagitiorũ labe nõ pollui. Quid autẽ est aliud cunctorũ negotiantiũ vita, quàm fraus atq; periuriũ? quid aliud est curialiũ quã iniquitas? quid aliud officialiũ quàm calũnia? quid aliud militantiũ quàm rapina? Quàuis quæ hîc narrantur, sufficiant ad cuiusque gentis florentissimæ excidium, si tamen conferantur cum his, quæ publicè in hoc regno designantur & committuntur, ludũ iocũmque quis appellare poterit potius quàm scelus & flagitium. Quid enim sacri apud nos, siue in religionis veritate, siue in Dei nomine, siue in sacrificio, siue in sacerdotio, siue in templo, siue in Ecclesiæ patrimonio, siue in iudicio: quid deniq; bonitatis & sinceritatis in moribus, quod tantũ impunè, sed quasi quodam iure ac publica authoritate non violetur? Hę atq; aliæ iniquitates, Christianissime Rex, sunt nebulæ, quibus fidei & integritatis tuæ radius ebetatur, & claritas Gallorum obscuratur ac virtus eneruatur. Sciunt boni omnes talia adeò tibi semper displicuisse, vt de Gallia in Poloniam decedens, Christianissimo regi & charissimo fratri Carolo nono, Episcoporum cœtui, &

Iam nihil apud Gallos habetur sacrum & inuiolabile.

iudicũ

iudicum Senatui testatum reliqueris, nõ prius pacem & quietem recuperandam in regno, quàm medicina tantis malis adhiberetur. Non ignorant etiã te vim pati ad hæreses & impietates ac scelera publica quamplurima perferenda. Nihilominus nisi quæ ipse improbaueris, quantum potes correxeris, verétur ne (quod Deus auertat) densitate tenebrarũ extinguatur in ipso quoque meridie lumẽ tuum, & Monarchia ac regnum tanto iustiùs à vobis quàm ab aliis auferatur, quanto plures & grauiores causæ inter nos quàm olim cernũtur. Iam videmus securim ad radicem arboris positam, ipsámque in dies labascere, nisi per emẽdationem causarum auertamus manum Domini. Multa sunt, Domine mi Rex, quæ nos iubẽt bene de te sperare, & quę tibi obseruamus cum illis viris cõmunia, per quos Deus qui potens est, magna fecit in Israël & populo Christiano, religionẽ verò collapsam & oppressam in libertatẽ & pristinam integritatem asseruit.

Causa bene sperandi de Henrici tertij regno.

A cunabulis licet multis in corruptissima aula renitentibus, cordi tuo Deus ipse pietatem in dies penitiùs impressit. Adolescentiam tuam, quasi aurum in fornace, per assidua pericula & rerum discrimina exercuit, & probauit, ac de omnibus quasi quodam miraculo liberauit. Tibi præter ætatem & expectationem victorias & amplissima, à seque inuicem remotissima regna, singulari & extraordinaria beneficentia cõtulit. Interea multis difficultatibus & anxietatibus experitur, quid animi erga ipsum habeas, vt agnoscas, & cogaris fateri, nõ tua fortitudine aut viribus, quæ tibi fuerunt donata, acquisiuisse, cùm in regni limine impegeris, & vt corde perfecto ac toto seruias, à quo omnes fortunas tuas pendere ipsa te docet experientia. Ad oraculum, quæso, Abigail honestæ matronæ animum applica. Faciens faciet Dominus Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini præliaris: Malitia ergo nõ inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Conditionẽ apposuit, cui si defueris, non mireris, si tuis votis non respondeat euentus. Dauid rex à Deo selectus, post antecessoris mortẽ non potuit ante septimũ annum diuinitus dato toto regno gaudere propter paucorum rebellionẽ. Interea plus orationi & cultui diuino vacabat, quàm bello: rebelles autem mutuis vulneribus conciderunt: & perspecta Dauidis pietate atque integritate vltrò populus eius se subdidit imperio. Augent spem de te orationes, quas noctu & interdiu publicè & priuatim fundis ad Deum: auget eleemosynarũ clancularia largitio: auget frequens ac saltẽ per quemque mensem præcepta Eucharistiæ cõmunio. Fateor, non inueni tantam fidem in vllo Christiano erga illam, quantam in te comperi. Numquam passus es, cùm in castris ageres, armis te indui, nisi priùs illa armareris, per quam crederes, & sensu quodam animaduerteres Deum & Christum habitare tecũ, & pugnare. Propterea memini intra dies quindecim, aut pauciores, ter ipsam à me repetiuisse, ac ferè semper ante lucẽ, ne quis animi attentionẽ & feruorem interturbaret. Quamuis antea nonnulla de Eucharistiæ controuersiis essem commentatus, ac scripta apud me premerem: tua tamen pietate ac fide adeò sum incitatus ad perficiẽda quæ inchoaueram, vt ad id me voto astrinxerim, nec priùs quieuerim, quàm animo meo & voto satisfecissem. His autem non existimabam me satisfacturum, nisi quæ scripta essent, nomini tuo ac fidei dicarem, & in Poloniam vsque vel deferrem ipse, vel transmitterẽ. Quoniam tamen leuamur hoc labore, quibus Deus reddidit singulari beneficio, quem lugebamus absentem principem Christianissimum & Dominum clementissimum, officio & voto nõdum mihi videor satisfecisse, nisi ad genua maiestatis vestræ prouolutus, ipsam obtester mederi quibus poterit modis, tot contra religionẽ & Dei honorem impietatibus, blasphemiis, sacrilegiis, profanationibus, atque abusibus, vitiis ac flagitiis, quæ Eucharistiæ, & totius religionis Catholicæ, Monarchię, nationísque Gallicanæ paci, tranquillitati, virtuti & fœlicitati officiunt. Non finas

tuo ſplendori caliginem obtendi ab his, qui omnia ſacra ſubſannant, totíque in id incumbunt, vt nihil ſacrum ducas, modò eorum cupiditatem expleas, ſiue in collocandis ſacerdotiis, ſiue in diripiendis Eccleſiis, earúmque bonis dilapidandis & prodigendis, parũ de tua & populi ſalute ac proſperitate ſolliciti, modo rem ſuam augeant. Habes certiora maiorum tuorum in vtramque partem exempla, quę imiteris, & quæ tibi in conſilium adhibeas, ſiue ad res in integrum reſtituendas, ſiue ad ruinam impellendas. Cùm oritur ſol, ſuus cuique rei color redit, & in hoc apparebit lumen tuum, ſi cuique homini ſtationem, ordinem, & modum præſcripſeris, atque aliquando obtinueris, quod tantoperè à te deſiderari memini, cùm in caſtris verſaremur. Nam cùm ſæpè importuniùs tecum expoſtularemus de Eccleſiarũ pollutione, in quibus noſtri equos atque ſordidiora exercitus impedimenta ſolerent nullo religionis delectu collocare: tandem vel rei indignitate motus, vel noſtræ importunitatis pertæſus, altero die poſt victoriam in agro Moguntourciano partam, dignam Christianiſſimo principe vocem hanc emiſiſti: Heu, numquámne perficiã vt Eccleſia ſit Eccleſia, & forum ſit forum? Ad id ſupplex oro neruos omnes intende, & fiet rurſum ingens Gallorum gloria. Fac quæ Dei ſunt Deo reddi, & quæ Cæſaris ſunt, Deus curabit tibi Cæſari reſtitui. Vt Deus opem ſuam tibi ad hoc conferat, te ac fortunas tuas omnibus meis oblationibus frequentabo, vt cum Ambroſio loquar, & Eccleſiarum noſtrarum orationibus aſſiduè commendabo: non ſolùm quia bonum ſit & acceptũ coram Deo & Chriſto ſaluatore noſtro fieri preces, poſtulationes, & gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, & maximè pro regibus, & his qui in dignitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & integritate: ſed quoniam (vt quod idem Ambroſius de Theodoſio dixit, fas ſit mihi dicere) dilexi virum, cuius primæ adoleſcẽtiæ periculis & victoriis in his quæ ſunt ad Deum ſeruiui: & ab eo voluit Deus in regni auſpicio me primum Epiſcopum nominari, ac ſedi Apoſtolicæ commendari, ſicut vltimum à Chriſtianiſſimo rege CAROLO nono paucis ante mortem diebus: quaſi meus Epiſcopatus duorum fratrum ac duorum regnorum fieret quidam nexus & lapis angularis, méque præ aliis obligarer ad mortui colendam memoriam, & requiem ac pacem animæ eius à Deo poſtulandam: tibi verò viuenti optanda fauſta omnia & ſalutaria conſilia, necnon ſubditorum obſequia. Luteciæ Pariſior. Calendis Maij. 1575.

Chriſtianiſſimæ Maieſtatis veſtræ ſaluti & dignitati addictiſſimus
Cl. de Sainctes, Epiſc. Ebroicenſis.

BEATISSIMO PAPAE, PONTIFICI MAXIMO, GREGORIO DECIMOTERTIO, POST HVMILLIMA PEDVM OSCVLA.

BEATISSIME PATER, cùm multi ſecederent perturbati nouitate verborum, quibus carnis ſuæ eſum, ac ſanguinis potum pollicebatur Chriſtus, ad diſcipulos cõuerſus dixit, Numquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei viui. Nihil moratus aliorum ſcandalum Dominus & magiſter omnium, ſua dicta nõ grauatur Apoſtolorum cenſuræ ſubiicere, & Petri Apoſtolorum Principis approbationem & ſuffragium loco omnium ducere & habere. Petrus verò fundamentum Eccleſiæ interrogatus, ea reſpondit, quibus fundari & ſuperſtrui poteſt omnis vera de ſacroſancta Euchariſtia doctrina, & falſa deſtrui atque redargui. Quiſquis enim animo conceperit verba, quibus innitimur, & corpus quod manducamus, eſſe filij Dei, ſtatim in vtriſque omnipotentiam, & alteram ſupra noſtra verba & corpora virtutem facilè apprehenderit, atque inde omnes aduerſatiorũ nodos ſoluerit. Multi pſeudoprophetę contra ipſius Euchariſtię veritatẽ exierunt in mundũ, multi ſeceſſionẽ faciunt, ac ſectas diſſectas per orbem Chriſtianum introducunt & propagant, ita vt ſi fieri poſſit, in errorem inducantur electi. Si quis Chriſtum ducem ſequitur, nihil deſertorum multitudine, nihil verborum ſcandalis, quibus diffluunt, mouebitur: ſed habet quò confugiat, Apoſtolorum ſedem Romanam, & Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, cuius vocem audiat: ad cuius regulam, fidem ſuam, dicta, ac ſcripta quaſi ad Lydium lapidem expendat: vt eam veram eſſe doctrinam de Euchariſtia credat, quam confitetur ſedes Apoſtolica: falſam verò, quæ ab illa damnatur & reſpuitur. Hieronymus in alia cum Arrianis controuerſia & diſcordia ad Damaſum ſcribebat. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, chatedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt. Præſidiis mundi fulta Arriana rabies fremit; & in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Ego interim clamito: Si quis cathedrę Petri iungitur, meus eſt. Quantò verius Chriſtianos idem vociferari decet in Euchariſtię diſſenſione, & in eo quo nunc videmus orbem terrarum ardere incendio, cum Chri-

Ioann. 6.

A Chriſto ſedes Apoſtolica Romana conſtituitur, quæ iudicet de Euchariſtia controuerſiis.

Hiero. in duabus epiſtolis ad Damaſ.

stus in ipso Iudæorum de Eucharistia dissidio, Petrum quasi causæ cognitorem & iudicem constituent, eiúsque sententiam ratam habuerit, etiamsi alij omnes à se electi cum Iuda diaboli fierent, atque à verbis ipsius de Eucharistia deficerent. Quocirca cùm primùm animum ad scribendum de ipsa appuli, id mihi negotij à Deo dari putaui, non si populo, doctis vel indoctis placerent quæ scriberem, sed si beatitudinis vestræ ac sanctissimi Collegij vestri fidei consentanea proferrem. Ante annos tres opportunè accidit, vt in comitatu illustrissimi Domini mei Cardinalis Lotharingi Romam secundò proficiscerer ad comitia noui Pontificatus. Ibi nō Babylonem offendimus, sed potius alteram ciuitatem nouam Hierusalem, Cardinalium atque aliorum piorum & doctorum hominum magna frequentia, quasi monilibus ac lapidibus pretiosis ornatissimam. Siue enim venerandæ caniciei: siue adhuc integræ ætatis viros quis desideraret, pietate singulari, rara omnium artium ac literarum, sed præcipuè sacrarum peritia: siue in negotiis reipublic. & legationibus strenuè obeundis insignes & præstantes: siue qui omnia ista ad Ecclesiæ ædificationem coniunxerint: in sacratissimo vestræ sanctitatis collegio licebat vno aspectu videre, Moronos, Osios, Farnesios, Ferrarienses, Tridentinos, Granuellanos, Borromeos, Placentinos, Augustanos, Madruccios, Paleotos, Sirleros, Comenses, Caraffas, Alciatos, Coloneos, Vrsinos, Sauellios, Aldobrandinos, Iustinianos, atque alios pares in rebus agendis exercitatissimos, ad miraculum vsque probos & sanctos, & ad prodigium doctos. Id quod vel maximè in sanctitatis vestræ electione apparuit. Sicut enim ferè fit, vt similis similem sibi quęrat: & eum sibi pręesse quisque cupiat, qui moribus congruat: ita omnes isti cōgregati, quales viri essent, ostenderunt, cùm in maxima concordiæ desperatione, summa votorū cōsensione te vnū pontificē intra paucas horas poposcerunt, & renūtiauerunt, hominē ætate ac moribus grauē, plurimarū rerū experientia ac memoria præditū, & qui ab infimis per omnes gradus virtutū, scientiarū atq; honorū fastigiū cōscenderit: dignū denique, qui optimorū, literatissimorū, ac prudentissimorū chorū duceret. His si de nostris pręcipuos absentes Borbonios & Guisianos fidei Catholicę zelo, cōstantia, ac defensione, necnō bonitate tam principes quàm genere: si quibuscū paulò post vestrā electionē Romā peruenimus, Lotharenos & Peleueos Gallicanæ Ecclesiæ luminaria adiunxerimus, talē cœtū verè vniuersalis Ecclesiæ quoddā compendiū, & religionis cardines ac columnas nominauerimus, atque esse affirmauerimus. Perlustret qui volet nationes, & in ipsis de religione factiones, ac deligat quorum iudicio de veritate fidei inter tot dissidentes acquiescat: non inueniet quos cum his viris sine impudentia comparare possit, siue hominum non vulgarem, sed eximiam quandam nobilitatem, eruditionem, multarum ac magnarū rerum vsum, prudentiā & sanctitatem quærat. Scriptum est à quibusdam, doctrinā Lutheri ac mores Romanos perdidisse Ecclesiā. Doctrina Lutheri profecit in peius, mores Romani quotidiè efformātur vestrę sanctitatis vigilantia in melius: quod vtrumque certissimam spem affert, futurum vt oues dispersæ iterum reducantur in vnum. Lutheranorum atque aliorum semen & insipientia ex fructu manifesta erūt.

Ad Tit. 2. & 1. Petri 2. In omnibus autem Romana Ecclesia seipsam præbens exemplum bonorum operū, & in doctrina integritatē, grauitatē, verbum sanū & irreprehensibile, obmutescere faciet imprudentium hominū ignorantiam, & is qui ex aduerso est verebitur, nihil mali habens dicere contra ipsam. Non solùm itaque de Eucharistia iudicium ad illam referri debet propter facta ac sermones Christi, sed quia perspiciunt cordatiores nullis magis idoneis iudicibus vsquam terrarum committi posse. Taceo de

omni regione quæ ſub cœlo eſt & lingua, Ieſuitarum, atque aliorum in omni ſcientia & religione præcellentium virorum frequentiſſima ibi collegia & ſodalitia, ita vt ſecuriùs & iuſtiùs fuerit ibi cum tot luminibus cæcutire & errare, quàm cum aliis quibuſcunque repugnantibus benè ſentire. Iſta me cogitatio, beatiſſime pater, libentius ſecundò Romam pellexit, vt audirem, legerem, diſcerem, ac memorię mandarem, ſi quid de Euchariſtia tot viris doctis ac piis Dominus reuelaſſet, vel lectio ſuppeditaſſet. Eò etiam Aduerſaria mea & commentaria iam inchoata cõportaui, vt de quibuſdam illos cõſulerẽ, ad eorúmque incudẽ multa elimarẽ. Fateor illic à multorum colloquio me ſemper rediiſſe meliorem & doctiorũ, ſed maximè ab illuſtriſſimi Cardinalis Oſij ſanctiſſima & eruditiſſima familia & cõſuetudine, ad quã me ſæpiùs vocabat per ſummam humanitatem, qua erga omnes ſacrorum profeſſores abundat: cuius cùm ex libris tantum fructus tuliſſem, quantum ex aliis quibuſcunque, tamen viua vox eius, & ſuauiſſima ac planè Neſtoriana oratio magis afficiebat. Interim meum inceptum de Euchariſtia ferè naufragium fecit in portu. Remigio Centúcellas appuleramus, atque indè ſarcinæ depoſitæ aduerſo Tyberi Romam vectę fuerunt. Inter illas ſcrinium habebam, quod quaſi ſagena miſſa in mare & ex omni genere piſcium cõgregans, oppletum erat libris tam bonis quàm malis, quibuſcum permiſcebantur mea collectanea de Euchariſtia, ad quorum confectionem ſolebam circumferre ac legere cum bonis damnatos libros de veſtræ ſedis expreſſa licentia, non vt perfuga, ſed tanquam hæreticorum explorator. Portitores ſtatim vt audierunt librorum ſarcinam in vrbem inferri, iſta mercimonia Inquiſitoribus exponenda reſponderunt, nec permiſerunt cum aliis exportari. Id mihi cùm nũtiatum fuit, actum putabam de meo ſtudio ac labore circa Euchariſtiam, quem non dubitabam igni tradendum promiſcuè cum hæreticorum librorum inuenta paucitate: quinetiam ſi non vitę meę, ſaltem illuſtriſſimi Domini Cardinalis Lothareni nomini timebam, quaſi apud ſeueriſſimos cenſores non careret hæreſeos nota, vel aliqua ſuſpicione, quòd in comitatu duceret, qui peſtilentię libris auderent ſanctam ciuitatem inficere. Eiuſdẽ illuſtriſſimi Cardinalis indicio cùm veſtra ſanctitas reſciuiſſet quod acciderat, vetuit ſcrinium à quoquam reſignari & aperiri: ſed quoniam illuſtriſſimi Cardinalis ſatis eſſet ſpectata & cõprobata religio, atque etiam mea, iuſſit ſaluum & intactum reddi. Qua de cauſa ſi quid noſter hic labor emolumenti Eccleſiæ contulerit, id totum iure ſanctitati veſtrę debebitur, cuius gratia & fauor ipſum ab incendio vindicarunt. Nec verò ſolum opus, ſed ipſum authorem meritò beatitudo veſtra, ac ſacroſanctus veſter Senatus ſibi poteſt totum aſſerere & vendicare, cùm poſt Deum non alia ope quàm veſtra ac Cardinalium quicquid eſt, ac ſi quid poteſt in ſacris literis & Eccleſia, acquiſierit. Per annos ferè ſexdecim à comitatu Illuſtriſſimi principis ac maximi Cardinalis Caroli Lotharingi niſi alicuius officij publici cauſa non receſſi, nec ille me ſtudiorum tantùm, ſed ad exteros omnium profectionum, colloquiorum, & negotiorum multorum, quæ difficillimis Galliæ temporibus ipſi contra Hæreticos inciderunt, me participem fecit, vt tentationum & paſſionum, quibus per tot annos quotidie moriebatur, & omni hora de vita periclitabatur: cui quoties nuntiabatur paratas eſſe inſidias, tam parum timidus, quàm nimium eſſe putabatur, ſolebat ad me conuerſus dicere: Sequeris ſacerdotem Leuita: aliquando verò, Eamus, & moriamur cum illo. Cùm deſereretur ab intimis, addebat: Socij paſſionum, erunt & conſolationis. Poſt multa tandem experimenta de me facta, cogitauit de mea promotione ad Epiſcopatũ eò cupidiùs, quod animaduertebat nõ deeſſe, qui mihi for-

tunas omnes post assiduos cum illo pro Ecclesia labores inuiderenr. Episcopatus nonnulli sese obtulerunt cum prioratu,quo me ad eum vsum donauerat permutádi: sed quoniam longius à Remorum Archiepiscopatu cui preerat,aberant, nō illi placebant. At postquàm Ebroicensis ea conditione qua alij sese offerebant,mihi contigit,tam diligenter cauit ne mihi excideret,quàm negligenter sinebat alios effluere. Ante omnia me vt fugitiuum seruum increpauit, quem non ignoraret captasse remotiores Episcopatus,vt me in libertatem à seruitute aulica atque eius comitatu assererem: sed Deum mihi prouidisse de Episcopatu,quo nullus esset accommodatior ad ipsius senecturi & Ecclesiæ Gallicanę per mea studia seruiēdum. Quoniam Christianissimi Regis CAROLI mors intercessit,ne qua factione vel gratia mutaretur, quod semel Principi placuerat,quibus potuit precibus apud Reginā matrem, nouū Regem,Regisque fratrem optimos maximos principes,& sanctitatem vestram, ac fratrum Cardinaliū classem egit,vt is mihi maneret Episcopatus: nec priùs quieuit, quàm accepit promotionis meæ diploma ad se perferri: quod accidit illis diebus, quibus Auenione non annis, sed curis Ecclesiæ ac Resp. confectus agebat animam, quasi moriens hanc mihi cum Episcopatu traderet & commendaret. Quod sanè de obitu ipsius mihi luctum & mœrorem conduplicauit, adeóque Episcopatum sum detestatus, tanquam me incomparabili Domino orbasset, vt nec sanctitati vestræ, nec Christianissimo Regi,nec Reginæ,nec aliis,quas debeo,gratias agere potuerim. De vestræ sanctitatis gremio alij quoque Cardinales mea studia fouerūt, & me plurimū sibi deuinxerunt: sed imprimis clarissimus Peleueus Senonēsis Archiepiscopus, & Saucerius Abbas Clarauallensis,inter optimos,prudentissimos,& recondita quadam,seria,ac solida doctrina mirabiles apud nos,sicut & apud vos, semper habiti. Vterque me illustrissimo Lotharingo tradidit,atque assiduè commendauit. Vterq; dubiis in rebus ac perplexitatibus vbiq; mihi præsidio fuit & refugio. Vterque mihi author, ne omitterem ad studia & scriptionem, quoties vacaret,receptum. Peleueū verò semper habui paterno animo studiorum ac laborum exactorem vt homo est indefessi laboris,& ex quo ab eo Roma discessi, non destitit per literas vrgere opus quod emitto,nec priùs ad sanctitatis vestræ Senatum de Ebroicensi Episcopatu referre voluit,quàm de librorum editione fidem fecissem, duobus prioribus in arrabonem missis: quorum testimonio cum Christianissimi Regis nostri nominatione de me & commendatione tantum perfecit,vt non solùm consentientibus sacrosancti Collegij suffragiis Epicopus à sanctitate vestra declararer,sed in summa sacri ærarij contra Turcas necessitate & inopia gratuito id beneficij cōsequerer. Scripsit Aristoteles,in ciuitatum medio consuetum templa τῆς εὐχαριστίας excitari & cōstrui quibus monerentur homines ingratitudinem odisse,& gratitudinis, tanquam cuiusdā numinis quo seruarentur ciuitates, meminisse ac curam gerere. Nec Christus ipse aliam reddit causam institutæ,& quasi ædificatę Eucharistię in medio populi sui,& Ecclesię,quàm vt memoriam gratitudinis Deo & Christo debitæ pro acceptis summis beneficiis cōsecraret, & ad mutam beneficentiam ac gratiarum actionem omnes excitaret & animaret. Qua de causa scripturus de Eucharistia, meritò accusarer, tanquam imperitè atque ineptè scriberem,si post tot accepta beneficia, Eucharistia atque omni gratiarum actione erga sanctitatem vestram atque illustrissimum Cardinalium consortium,quibus possem modis, non defungeret, ac nisi libros de Eucharistia,ac denique Episcopatum & meipsum nominibus vestris & seruitio vouerem & consecrarem,atque ad pedes sanctitatis vestræ prosternerem, quorū ductu, auspiciis & fauoribus eò prouectus sum in studiis sacrarum literarum,& Ecclesię di-

Aristoteles in Rhetor.

gnitate, quò minimè ſperabam me peruenturum. Quoniam itaque par referenda gratia nullo pacto eſſe poſſum, habebo & agam, quandiu vixero: gratum verò me ac memorem libri, quamdiu extabunt, teſtabuntur, quocumque locorum deferentur: ac ſi quid in his profecerint, obteſtabor pios omnes, vt poſt Deũ id ſanctitati veſtræ atque Apoſtolicæ ſedis Collegio referant acceptũ, omnibúſque in eo ſuperſtitibus, ſicut aliis iam vita functis, & potiſſimum illuſtriſſimo Principi Cardinali Lotharingo, Domino meo chariſſimo, benè precentur, vt per multos Deo & hominibus gratiæ agantur pro nobis. Dabo inſuper operam, Deo mihi propitio, ne beneficium & Epiſcopatum malè locaſſe veſtra beatitudo videatur. Quòd ſi his in libris occurrerit quod aliquem offendat, ſicut non defuturum facilè credo, per eam quæ per Euchariſtiam tantùm nobis commẽdatur, charitatem ſupplex oro, mihi vt homini rudiori ac minimè peruicaci condonari, qui Apoſtolicæ ſedis veſtræ cenſoribus mecum omnia mea ſubmitto ſicuti debeo, paratus quæ perperàm exciderint emẽdare, vt ſi primas ſcientiæ non potuerim aſſequi, ſaltem in ſecundis modeſtię conſiſtam. Deus Eccleſię ſuæ tuendæ, ſarciẽdę, & augendæ ad multos annos ſanctitatem veſtram incolumem conſeruet. Lutetiæ Pariſior. Idibus Maij. 1575.

Ad humillima beatiſſimorum pedum veſtrorum oſcula. Fr. Claudius De Sainctes, Epiſcop. Ebroicenſis.

CHRISTIANO LECTORI.

DVOBVS hominũ generibus, Christiane lector, audio meũ institutũ nõ omnino probari. Sunt quibus nõ placet quicquã in hæreticos scribi, quorũ doctrina sceptro potius quàm stilo sit confutanda, & silentio atque obliuione abolenda quàm ad posteros propaganda vlla memoria. Sunt quibus dolet scribendi de Eucharistia nullum finem inueniri, & ad nauseam ac fastidium iam scriptum fuisse, nec quicquam dici posse, quin dictum fuerit prius. Quin etiam optandum addunt vt parcius, & à paucioribus sacrosancta illa mysteria tractarentur & taciturnitate atque imperita fide adorarentur magis, quàm in vulgus promiscua editione profanarentur. Ego sanè libenter optarem aliquid amplius vt numquam in repub. vllum bellum, in corporibus vllus morbus, in animis hominum vllus error, in eorum societate vlla dissensio & discordia, in religione vlla hæresis & cõtentio enascerentur, quo trãquillam & quietã vitam ageremus in omni pietate & castitate. Ad hoc spectant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus. Sed quoniã aliter Deo visũ est melius aliquid prouidenti, & aliud merentur peccata nostra, oportet hæreses esse, atque alia omnia vitæ humanæ incommoda, vt saltem qui probati sunt, manifesti fiãt. Nõ igitur solùm spectãdum quid optabilius, sed quid potius necessariũ, & quid magis expediat. (1.Timot.2.) Querit Theodoretus, an cõueniat cũ hæreticis disserere, vel in eos scribere: an ex abruptis deorsũ præcipitantes eos despicere, & valere iubere. (Theod.dial.2. polym.) Respõdet inhumanũ eos qui laborant despicere, cũ sit cõuenientius eorum misereri, & pro viribus mederi. Basilius verò præfatur. Si omnes super quos Dei ac Saluatoris nostri Iesu Christi nomẽ inuocatũ est, nihil præter Euangelicã veritatẽ conari vellẽt: sed Apostolorũ traditione ac fidei simplicitate satis haberẽt, nulla profectò in præsentiarũ esset opus oratione sed quã ab adolescentia semper amauimus taciturnitatẽ etiam nũc præferremus. (Basil.lib.1.in Eunomium.) Verũ quoniã inimicus veritatis Diabolus, qui additionibus sẽper mala multiplicat, instrumenta nũc quoque inueniat, imbecillitatis nostræ obliti, secundum cognitionis mensurã, quæ nobis à Domino præbita est, & veritati adesse & falsitatẽ refutare recepimus. Putauimus enim è tribus bonis vnũ omnino cõsecuturos: aut enim præoccupatis hominibus quasi remediũ morbi refutationẽ hãc dabimus: aut sanioribus quo se conseruare possint afferemus: aut omnino ipsi quod optimè fratribus consuluimus, præmia cõsequemur. Ac profectò sicut apud Esdram templum instaurantes, vna manu ædificabant, altera pugnabant: ita in pastore requiritur vt potens sit exhortari in doctrina sana, siue verbo, siue scripto id faciat, & vt possit contradicentes reuincere tam verbo quàm stilo. Idcirco post Christũ Apostoli ipsi, atque eorũ successores qui in Ecclesia excelluerunt nullos libros ferè reliquerunt, nisi contra suo tempore exortos hæreticos, atque in his sicut

sanam doctrinam confirmant, ita falsam refellunt. Euangelium suum Ioannes scripsit in Ebionę & Cerinthum: Paulus atque alij epistolas posteritati tradiderunt in falsos Apostolos qui Christi Euangelium inuertebant. Nec sanè leges alia occasione primos Christianos adductos ad scribendum, quàm vt hæresibus mederentur: nec vlla ferè extant eorum opera, nisi contra hæreticos aut fidei hostes exarata: nec tum satis erat Catholicis audire publicas hæreseon cõfutationes, sed eas literis mandari postulabant. Qua de re apud Eusebium pręclara inuenitur epistola Apollinarij Hierapolitani Episcopi quæ sic habet, Quamquam longo iam & valde prolixo temporis spatio, Auirci Marcelle charissime, à te vt aliquid cõtra Cataphrygum hæresin scriberem incitatus sum, tamen hactenus me ab illo instituto continui, non tam quod dubitarem falsa eorum commenta me posse conuincere, & firmis testimoniis veritatem corroborare, quàm quod tum metuerem, tum sedulò præcauerem, ne Euangelico noui testamenti verbo quibusdam viderer meo quasi marte aliquid vel addere, vel statuere, quod non in eo comprehensum sit. Verùm cùm nuper essem Ancyræ Galatiæ vrbe, & Ecclesiam quæ est in Ponto contentionum procellis ab ista noua & inusitata non prophetia, sed potius pseudoprophetia concitatis iactatam offenderem, quantum poteram de his ipsis erroribus, qui iam passim vagantur, & de his quæ ab illis proponebantur multis diebus assiduè in Ecclesia disceptabam, adeo vt ea non solùm permagna efferretur letitia, sed ad veritatem vehementer roboraretur, & qui contrarias partes tuebantur eodem temporis momento à me refutati animos deiicerent, & omnes veritatis aduersarij summo dolore angerentur. Ac cum presbyteri qui in eo loco erant, præsente Zotico Otreno postularent, vt de his quæ fuissent contra veritatis hostes eo sermone disputata, commentarium aliquem relinqueremus, quod ibi minimè præstitimus, sed constanter illis sumus polliciti nos illum scriptis hoc loco mandaturos, & absque cunctatione missuros. Quinetiam cùm hæreses in dies multitudine crescerent, solebant pij illi Christiani lingua sua & patrio sermone tela contra illas suggerere, sicut Eusebius de Bardesane recitat, qui cùm in omni doctrinæ genere exquisitissimus, tum in lingua Siriaca disertissimus, sub imperio Antonini non modo contra eos, qui erãt Marcionis æmuli ac imitatores, verumetiam contra alios quosdam, qui varias errorum sectas defensitabant, dialogos composuit, quos lingua sua vernacula diuulgauit. Cur autem non sufficiat viua voce hæreticos comprimere, sed sit satius in eos stilum stringere ex Basilio Gregorius Nanziãzenus affert rationẽ, quòd viua vox solos præsentes atque ad tẽpus ædificet: scriptura verò omnibus hominibus, omnib⁹ orbis partibus, & omnibus seculis pręsidio sit, atque adiumẽto. At quãuis omnis hæresis sicut omnis plantatio quã nõ plantauerit pater cœlestis eradicetur nec Ecclesiam vllam, nec successionem, nec de multitudine librorum, quibus quasi foliis infructuosis luxuriare solet, vix vllum queat posteritati ad aliquot secula relinquere, vel vllum suæ memoriæ vestigium altius imprimere, tamẽ ad veritatis suæ & potẽtiæ testimonium ac commendationem voluit Deus in Ecclesia de quaque hæresi extare monimentum aliquod, ne posteri similia audeant, & si ausi fuerit vt sit quo redarguantur, & de veritatis victoria, laus, & gratiarũ actio ipsi reddatur. Sic gladium Goliat vnà cum manna in templo & arca asseruari præcepit: Sic Holofernis atque aliorum hostium arma & spolia ibidem appendi. Sic thuribula falsi incensi à scismaticis Dathan & Core contra veram Ecclesiam oblati iussit in laminas ductiles conflari, & altari compingi, vt esset memoriale, ait scriptura, filiis Israël, ne accedat quisquam alienigena, qui non est in semine Aaron, imponere incensum ante Dominum, vt non sit sicut Core. Propterea scriptura & Ecclesiastica historia

Euseb. lib. 5. ca. 15.

Euseb. lib. 4. cap. vlt.

Gregor. Naz. or. in laudem Basil.

Num. 16.

tam

tam ſunt diligẽtes in notandis etiam leuioribus hęreſibus, quàm in commemorãdis ſummis Dei beneficiis. Quemadmodum autem Chriſtus ipſe non prius miſit compellere cõuiuas ad ingreſſum nuptiarũ, ſed vocare, & antequam rebelles ſuos, qui noluerint ipſum regnare ſuper ſe, imperet interfici, mandauit doceri: ita Apoſtoli ipſi atque eorum ſucceſſores ſemper cenſuerunt prius ſtilo ſeu verbo ſanæ doctrinæ aduerſarios conuincẽdos, quàm ſceptro, ſeu naturali, ſeu ſupernaturali percutiẽdos. Nec viciſſim Deus, nec Apoſtoli, nec Eccleſia prima Chriſtiana ſolo verbo contradicentes reuicerunt & expugnauerunt: ſed plagas adhibuerunt vt vexatio daret intellectum. De quo duas epiſtolas elegantes & vehementes Auguſtinus ſcripſit. Quocirca philoſophicum eſt ſeu potius imaginarium leges diuinas & humanas tueri ſola ratione & ſtilo ſine vlla coercione & ſceptro. Mahumetanum contra fuerit ſeu potius tyrannicũ ſolo ſceptro & ſupplicio ad id quod velis cogere. Si quãdo enim Mahumetes rogabatur ſui Apoſtolatus dare ſignum exerto gladio minabundus iactabat: Vę vobis homines Ego ſum Apoſtolus Dei. Diuinum verò, Chriſtianum, naturale, humanum & politicum iudicatur hominibus rationis capacibus primũ perſuadere ratione, ſeu alio iure, atque æquitate quod ipſis ſtatueris ad credendũ vel agendum proponere, ſed ex inſania ſeu malitia ac proteruia reluctantes compeſcere, & ad obedientiam pertrahere. Difficilior eſt quæſtio de ratione ſcribendi in hæreticos. A pleriſque non laudatur citari & produci verba & firmamenta quibus innituntur: ne id ſit potius hæreſes inter catholicos ſerere quã auellere, & propagare quàm amputare. Verum ſicut glorioſior vbique eſt victoria cùm hoſtis proprio iugulatur gladio: ita ſcriptura quoties figurat & committit Eccleſiã atque ipſius hoſtẽ, vix aliunde telum quo cõficiatur, peti oſtendit, quã ab ipſo. Moſes à filia Pharaonis alitur & eruditur: Iſraëlitæ ab Ægyptiis armãtur & ditãtur. Dauid Goliat proprio gladio obtruncat, vt Iudich Holofernem: & Heſter Aman in malã crucem ſuſtulit, quem Mardocheo parauerat. Nec Chriſtiani maius compendiũ deprehenderunt ad viam obſtruendã hæreſibus ne latiùs ſerperent, quàm ſi propriis authorũ dictis intricarent, atque ita ſectatores pudefacerent, & Catholicorũ ab eorũ perſua„ſione deterrerẽt ex productorũ abſurditate. Delectatio eorũ hec eſt ait Ireneus ſiue „aduerſus eos victoria, ſentẽtiæ eorũ manifeſtatio. Idcirco fuit neceſſariũ manifeſtè „arguere, & in mediũ afferre dogmata ipſorum, ſi qui forte ex ipſis pœnitentiã agãt, „reliqui verò non iam abſtrahantur à praua quaſi veriſimili ſuaſione eorum putãtes maius & aliquid altius ab iis ſciturus ſe myſteriũ. Vnde idem Ireneus nõ ſolos Valẽtinianos, ſed Marcionẽ è Marcionis ſcriptis ſe pollicebatur refutaturũ. Sic Miltiades olim in Montanum, Tertullianus in Marcionẽ & alios, Baſilius in Eunomium, Epiphanius in omnes, Auguſtinus in Manicheos, Pelagianos, & Donatiſtas obſeruatur egiſſe. Sic agendum Origenes ſuadet, & Gregorius Nanzianzenus maximam diſputationis & ingenij virtutẽ elucere ait, ſi propriis vocibus conſtringantur aduerſarij. Sed quod eſt in omni vita apprimè vtile, hic potiſſimum valere debet. Ne quid nimis. Nec paſſim, nec ab omnibus id fieri debet. Sunt enim qui dum bonã cauſam malè agunt, veritatem produnt aduerſariis, & riſui ac ludibrio exponũt potius quã patrocinium præſtẽt: & hæreticorum erroribus ſuffragantur magis quàm refragentur. Nihil mihi præ aliis arrogo, nec vllius conatum reprehendo. Inficias tamen ire non poſſumus, dum ſcribunt Docti, indoctíque poëmata paſſim, & pleroſque male vexat ſcripturiendi in hæreticos cacoëthes, minus nociturã Eccleſiæ fuiſſe multorũ taciturnitatẽ quàm imperitam loquacitatẽ. Fateor numerum ſcriptorũ, & librorũ de Euchariſtia excreuiſſe propè in infinitũ, atque effectum crebris altercationibus ne myſteria iam vlli ſint myſteria & arcana: non tamen improbare & damnare

Matth. 22. Luc. 19.

Aug. ep. 48. et hom.

Euthym. in panop. Tit. vlt. ex Enodio monach.

Iren. lib. 1.

Euſeb. lib. 5. ca. 8. & ca. 16.

Orig. ho. 9. in num.

Gregor. Naz. or. in laudem Baſil.

eorum studium docet, qui refellendis & repellendis hæreticis incubuerunt. Cùm de Trinitate olim contenderetur, eadẽ erat pioru querimonia. Hilarius respõdet. Cõpellimur hæreticorum & blasphemantium vitiis illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, incõcessa præsumere. Et cũ sola fide expleri quæ præcepta sunt oporteret, cogimur sermonis nostri humilitatẽ ad ea quę inenarrabilia sũt extẽdere, & inuitiũ vitio coarctamur alieno, vt quæ cõtineri religione mentiũ oportuisset, nũc in periculũ humani eloquij proferãtur. Sed nec vllum omnino vituperare possum qui tantillũ aquæ comportauit, & cõtulit ad Eucharistiæ restinguẽdum incendiũ, quin potius id pietati & officio deputo, quamuis in plerisque defuerit sciẽtia & prudẽtia. Etenim (idẽ Hilarius addit) pij viri infirmitatis trepidatione vitã cuperent silentio transigere: sed nescio quo pacto fit, vt æstu fidei incitati, & hæreticorum furore cõmoti, & periculo ignorantiũ perturbati, qui loqui nõ audebãt, silere nõ possunt, ne destitutæ veritatis rea in ipsis arguatur taciturnitas. Nisi Hebionẽ & Cerintum prima ecclesia tulisset, Ioannes quæ supra hominẽ sunt nõ detonasset. Sicut autẽ homo homini præstat, stulto intelligẽs, ita liber libro: ac sicut vnus omnia nec scire potest nec suppeditare, ita nullus est adeo imperitus, à quo non aliquid florũ queas decerpere. Quãdoque enim etiam holitor est opportuna locutus. Quemadmodũ itaque in quaque disputatione præstantissimos adhibui quos imitarer: ita nullius lectionẽ sum aspernatus. Nec me profiteor quicquam allaturum quod nõ fuerit dictũ prius: sed quoniam non omnibus datur, nec vacat legere prope infinitos qui de Eucharistiæ cõtrouersiis nostro tempore tã inter Lutheranos, Cinglianos, Caluinistas, quã inter Catholicos scripserunt, atque inter se conferre: studui Christianos hoc onere leuare & labore quantum potui assequi, & collegi dictorũ hactenus si nõ omnium saltem plurimorũ fragmenta ne perirent, quæ si mẽsuram panum quos alij fregerũt excesserint, id tribuẽdum diuinæ bonitati & largitioni. In labores aliorum introiui, & post messores spicilegiũ exercui, inque manipulũ congessi quẽ Deo & Ecclesiæ offerrẽ. Ac ne viderer maluisse deprehendi in furto, quã ingenue profiteri, per quos profecerim, ipsa inscriptio Repetitionum ingenuitatis meæ faciet indicium, & authorum catalogus quem huic admonitioni subiiciam. Quod si quem fortasse non legerim, aut à me lectum prætermiserim, cuius aliqua dicta de Eucharistia comperiantur in his libris, sciat prior fateri me nõ omnia legisse, posterior verò credat nomẽ suũ potius mihi excidisse, quã voluerim ipsum sua laude defraudare. Sin extiterint adeo sui ac suorũ amantes, vt mihi inuideant tã multa aliquãdo paucis verbis immutatis ex se desumpta, & me repetundarum accersiuerint, fortasse eiusdẽ criminis reos erga alios peragere potero, atque ostendam nihil etiam ab ipsis dici quod nõ dictũ sit prius. Si non defuerint qui detractis omnium plumis tanquam corniculam me risui exposuerint, nihil moror ludibria, modo annũtietur Christus, & veritas vincat atque obtineat. Attamen si perlegerint & expenderint omnia, fortasse iudicabunt ridendi nullam sibi occasionẽ dari. Nec librorũ magnitudinem quisquã miretur vel detestetur: sed si librorum ab aliis ea de re editorum copiam & controuersiarum multitudinẽ considerarit, attendat quot & quantos aliorum libros plerunque caput vnum de nostris cõplectatur. Cùm aliò me vocet episcopatus, doleo non mihi superesse otiũ perficiendi & emittendi quod nostro instituto deest De Missæ sacrificio atque eius ritibus, id quod est grauissimũ ac difficillimum: sed Deo mihi propitio ac per vestras orationes opitulante & mea studia iuuãte exibit in lucẽ quã citissimè potero, sat cito tamen fuerit si satis bene. Vale lector & animæ meæ ac studiis meis bene precare. Lutetiæ Parisiorum. Octauo Calen. Iunij 1575.

Claudius de Sainctes Episc. Ebroic.

Hilar. lib. 2. de Trinit.

Hilar. lib. 1. de Trinit.

CATALOGVS AVTHORVM CATHOLICORVM DE QVIBVS ALIQVID ALLEGATVR VEL SVMITVR.

APollinarius Hierapolitæ episc.
Ammonij harmonia
Athanasius
Anastasius Antiochenus
Ambrosius
Arnobius
Amphilochius
Agathias
Adonis Martyrologium
AEneas Gazeus
Anselmus
Algerus
Alexander Halesius
Adrianus sextus Papa
Albigeorum historia
Arnoldus Abbas
Aethiopica missa
Alexand. Magnus
S. Thomas de Aquino
A Soto
Emondus Augerius Iesuita
Albanus Anglus.
Basilius Cappadociæ episcop.
Basilius Seleuciæ episcop.
Theodorus Balsamo
Beda
Bernardus Abbas Clarаualens.
Broïmardus S. Ludouici Cancella.
Brucardus
Bernardus Lutzemburgus
Berno
Billij Prunei annot. in Nanzenum
Baius Louaniensis.
Constitutiones Apostolicæ
Canones Apostolici
Clemens Papa
Clemens Alexandrinus
Cyprianus
Cyrillus Hierosolymitanus
Chrysostomus
Cyrillus Alexandrinus
Cesarius Gregorij Nanz. frater
Cosmas Hierosolymitanus
Chromatius
Cassiodorus
Christodulus Græcus
Carolus Magnus
Ioannes cantacusenus Græcus
Caldęus Paraphrastes
Concilium Nicenum primum & secundum
Coucilium Alexandrinum & Ephesinum
Concilium Calcedonense
Concilium quintum generale & sextum in Trullo
Concilium Lateranense
Concilium Viennense & Lugdunense
Concilium constantiense
Concilium Basiliense
Concilium Florentinum
Concilium Tridentinum
Concilia Prouincialia
Laodicenum
Carthaginense
Affricanum
Toletana plura
Arausicanum

Iosephus
Innocentius primus.
Innocentius tertius
Iunilius Affricanus
Iuuencus poeta
Ioannes Diaconus
Ioannes Parisiensis
Iuo Carnotensis
Iesuitarum theses Ingolstadij factæ
Leontius Cyprius
Lactantius
Leo Papa primus
Leo nonus
Petrus Lombardus
Lanfrancus
Liranus
Iacobus & Bartholom. Latomi.
Lindanus Episcopus Ruremon.
Ienlenius Episcopus
Melito Sardianus Episcopus
Magnetes vetus in Gręcia author
S. Maximus
Miltiades Episcopus
Methodius
Simeon Metaphrastes
Mediolanensis historia
Nilus Chrisostomi discipulus
Nicephorus
Nonnus paraphr. in Ioannem
Nicetas Coniates
Nicolaus Cabasilas
Nicolaus Methonensis Episcopus
*Naucleru*s
Federicus Nausea
Origenes
Optatus Mileuitanus
Oecumenius
D. Osius Cardinalis
Onuphrius
Paulinus
Philotheus Constantinopolitanus
Procopius Gazeus
Prosper Aquitanicus
Proclus
Palladius
Primasius
Petrus Rauennas dictus Chrisologus
Pachimeras in Dio,
Petrus Venerabilis
Pascasius Corbiensis
Platina
Peresius Aiala
Paulus Natalis
Protasius Franciscanus
Pammelij Liturgiæ & in Cyprian.
Rabbini multi Hebreorum
Remigij Remensis & Altissiodor.
Ruffinus
Rodolfus Abbas S. Trudonis
Tiletæ Rauestin Louaniensis
Septuaginta interpretes
Socrates
Sozomenus
Saluianus Massiliensis episcopus
Sophronius episcopus Hierosolimitan.
Strabus
Seuerus Sulpitius
Suidas
Simon à Cassia
Sanctes panignus
Augustinus Steuchus Eugub. episcop.
Staphilus
Sereus de Eucharistia
Sonnius Louaniensis
Sanderus Anglus
Smyteus Anglus
Aeneas Syluius
Sedulius poeta
Tertullianus
Theophilus Alexandrinus
Theodorus
Theophylactus
Theodoretus
Trithemius Abbas
Franciscus Turrianus
Ruardus Tapper
Tonstallus Anglus
Marius Victorinus
Victor Vticensis
Vigilius episcopus Tridentinus
Vualafridus
Thomas Vualdensis
Villagagno
Vuicelius
Alfonsus viruesius
Zonaras

CATALOGVS

AVTHORES ÆTHNICI ET HÆRETICI DAMNATI qui citantur in his controuersiis.

Aristoteles
Auerroes
Auicebron
Aratus
Apuleius
Augustana confessio
Apologia Augustanæ confessio.
Anglicana confessio
Antuerpiensium confessio
Anabaptistæ
Ioannes Alasco
Amsdorffius Lutheranus.
Berengarius
Brentius
Bucerus
Bulingerus
Theodorus Beza
Boguinus
Cicero
Carolstadius
Cinglius
Caluinus
Caluinianorum in Gallia confessiones.
Martinus Cemnicius
Antonius Coruinus
Campanus
Ioachimus Camerarius
Castalio
Colloquium Vvirtembergense
Colloquium Mulbrunense.
Eustathius Homeri commentator
Erasmus Rotherodamus
Erasmus Eberus
Valentinus Erythreus.
Andreas Friccius
Galenus medicus
Gallus
Gualterus
Guilielmus Slerbicius
Tielmanus Heshussius
Helueticarum Ecclesiarum confessio.
Heildebergensiũ cõformitas cum Augustana confessione.
Ioannes Hus.
Hussitæ Bohemi
Hermanus Hammelmanus de traditionibus.
Ioannes Hokerius
Iustus Ionas
Matthias Illiricus.
Martinus Lutherus
Lossius
Lasaterus.
Phillippus Melantho
Musculi duo
Petrus Martyr
Magdeburgensium historia
Misnensium confessio
Marloratus
Carolus molineus
Ioann. Matthaus Smalcadensis.
Oecolampadius
Osiander
Bernardus Onychinus
Plato
Plinius de naturali historia
Plinius iunior
Philostratus
Phauorinus grammaticus
Pomeranus Lutheran.
Pelicanus
Abdras Pretorius.
Ratisbonense colloquium
Rosaceus minister Ecebolius.
Sleidanus
Sophocles
Stancarus
Saxonica confessio
Suenkfeldius
Silesiorum confessio
Langus Silesius
Skecius
Andreas Smidelinus
Sturmius
Ioannes Spangembergius
Petrus Viretus
Vvestphalus
Vvirtembergensis confessio
Eiusdem defensio seu pericope Brentij
Vvicleph
Valeranus Episcopus
Vrbanus Regius
Vnicordius
Ioachimus Vadianus.
Xenophon.
Hieronimus Zancus.

TABVLA CAPITVM CONTENTORVM IN singulis libris.

REPETITIO PRIMA.

REPETITIO SECVNDA.

REPETITIO TERTIA.

REPETITIO QVARTA.

REPETITIO QVINTA.

REPETITIO SEXTA.

REPETITIO SEPTIMA.

REPETITIO OCTAVA.

REPETITIO NONA.

REPETITIO DECIMA.

COMPENDIVM CONTROVERSIARVM ET SECTARVM CIRCA VERITATEM CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI IN EVCHARISTIA.

CAPVT PRIMVM.

VT TOTA lis de veritate Eucharistiæ redigatur in cō-
pendium, de tribus quæritur. Imprimis controuertitur
de verborum significatione, quibus eam Christus in- *Tres præcipuæ quæstiones.*
stituit. Deinde de existentia corporis & sanguinis Do-
mini sub specie panis & vini contenditur. Tertiò ambi-
gitur de eiusdem corporis & sanguinis esu atque potu,
an statui debeāt spiritales duntaxat, vt per fidem solam
fiant, an reales & substantiales, ita vt ipso facto corpo-
ris & sanguinis natura recipiatur à nobis, & immissa
corpori, nos totos alat ad vitam immortalem. Ecclesia *Fides Catholica de veritate Eucharistia.*
Catholica per vniuersum orbem diffusa, hactenus credidit & asseruit, sensum
institutionis de Eucharistia, quem litera gignit mordicùs retinendum esse, & ex
eo statuendum panem & vinum transire in corpus & sanguinem Domini, in il-
lorúmque locum ista succedere, atque inde re vera sumi. Perpessa est autem his
nostris calamitosissimis temporibus sibi aduersarios, & tanquam capitaliores
hostes Lutheranos, Cinglianos, Buceranos, Caluinistas, & Brentianos, vt ipsorū
propè innumerabiles fœtus & dissectiones taceam. Conueniunt omnes in op- *Insigniores secta contra veritatem Eucharistiæ.*
primendo Christi de institutione Eucharistiæ verbo, quod in aliquam figuram
singuli detorquent: Discrepant verò, quòd Lutherani videantur nobiscum con-
fiteri corpus & sanguinem in sacramento præsentia, & ex eo verè etiam ore cor- *Opinio Lutheranorum.*
poris percipi: sed existimant panem & vinum à propria natura nihil immutari,
ne transsubstantiationem admittant. Bucerani in eadem sunt sententia, sed præ- *Opinio Buceranorum.*
sentiam corporis & sanguinis non nisi in vsu & sumptione sacramenti inesse cō-
cedūt, in eámque opinionem Lutherum & eiusdem omnes sectatores pertraxe-
runt. Cingliani & Caluiniani hoc corpus & sanguinem cœlo concludunt, vt tam *Opinio Cinglianorum.*
longè remota sint à sacramento, quàm cœlum à terra: neque iudicāt aliter perci-
pi quàm pura fide, neque quicquam ex ipsis ad nos peruenire, quàm gratiā, aut
nescio quid aliud spiritale. Caluiniani tamē vt inescarēt Lutheranos, & Cinglia-
nos, speciosis verbis inter vtrósque claudicāt, & modò ad hos, modò ad illos vi- *Opinio Caluinistarum.*
dentur propendere: sed omni fuco detracto nouum modū præsentiæ excogita-
rūt, vt dicant panē & vinum efficacia signa corporis & sanguinis Domini esse, &
ita efficacia, vt non solùm per fidem, sed re ipsa, corporis Christi substantia vnà
cum pane, & tamen extra panem manducetur, & sanguis bibatur à spiritu no-
stro, quoties cum fide panem illum edimus, & vinum bibimus: adeo vt etiam

indignè manducantibus offeratur corpus Chriſti vnà cum pane, tametſi extra ipſa, licétque ab illis non manducetur. Itaque hæc Domini verba, hoc eſt corpus meum, interpretantur, hic panis eſt ſignum efficax corporis mei: neque interea corpus & ſanguinem propius nobis quàm cœlum terræ admouent, ſed ſpiritu, ſeu potius ſtultitia, cœlum peti iubent, vbi Chriſti caro defixa reſideat. Brentiani contraria via incedunt: ac tantum abeſt vt vno cœli loco corpus & humanitatem Chriſti coërceant, vt eam toto cœlo & terra, ac quocunque loco ſpargi & diffundi, ſiue corporali, ſiue neſcio quo ſubſtantiali ac ſpiritali modo audeant affirmare, eíque æqualem diuinitati omnipræſentiam & vbiquitatem tribuere, cùm interim de eius in ſacramento ſuſceptione ineptiant. Quoniam prior orbem terrarū poſſedit fides Catholica, ante omnia veritas eius proponi debet & explanari, vt ea muniri faciliùs obſiſtamus hæreſibus. Docendum verò eſt de ſermonis dominici intelligentia, quo Euchariſtia conſtituitur, & de exiſtentia corporis & ſanguinis Domini in ipſo oculis ſubiecto ſacramento, eorúmque perceptione, quid Chriſtus, quid Apoſtoli, quid Patres & ſcriptores purioris Eccleſiæ tradiderint. Poſtea de ſingulis controuerſiis cum aduerſariis erit colloquendum.

Opinio Brentianorum.

Breuis propoſitio horum librorum de veritate Euchariſtia.

EX QVIBVS SCRIPTVRIS SIT PETENDA VEritas Sacramentorum, & maximè Euchariſtiæ. CAP. 2.

NON diſpar ſanè noſtra cum aduerſariis de veritate corporis & ſanguinis dominici in Euchariſtia cōtentio illi diſputationi eſt, quam cum Phariſæis habuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus de matrimonio: in qua ſumus ab illo edocti de ſacramentis ex eorum inſtitutione iudicium ferre, minimè verò ex incertis & conquiſitis argutiis eludere aut peruertere illorum de quibus quæritur originem. Phariſæi ad eneruandam matrimonij inſtitutionem, malè intellectam ex Moſe de repudio ſcripturam vrgebant. Chriſtus contrà ex matrimonij ortu & principio, de matrimonio ſimpliciter & fidenter pronunciat. Non legiſtis, ait, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed caro vna. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Deinde ex perſpecta veritate de matrimonio, per inſtitutionem eius, cauſam aperit, cur videatur Moſes matrimonij limites exceſſiſſe. Ad duritiam, inquit, veſtram Moſes permiſit libellum repudij: ſed ab initio non fuit ſic. Phariſæos imitati Sacramentarij, poſtquam extra inſtitutionem Euchariſtiæ neſcio quas ex ſcripturis, aut ex hominum ſenſibus malè conſarcinarunt rationes, Catholicis inſultant, & ab inſtitutionis verbis quàm longiſſimè poſſunt, abducunt. Nos autem ſi Chriſtum præceptorem & magiſtrum audimus ac ſequimur ad omnes aduerſariorum obiectiones infracti & inuicti reſpondeamus: Non legiſtis, quia qui Euchariſtiam inſtituit, ille dixit, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Poſtea verò, quantum ſpiritus Domini, aut lectio ſuggeſſerit, explicemus & expediamus nodos, quibus noſtras conſcientias illaqueare tentant hæretici. Illa eſt ſanè aptiſſima methodus, quam de ſacramentis iudicandis accepimus à Chriſto. Sic Paulus ad inſtitutionem Euchariſtiæ prouocat, vt exortas inter Corinthios rixas componat. Ego accepi, inquit, à Domino, quod & tradidi vobis. Sic Cyprianus & alij Patres ad illam confugiunt, quoties incidit de Euchariſtia diſputatio. Videas aduerſarios noſtros contrà omni ſtudio id

De ſacramentis maximè eſt ex eorum inſtitutione iudicandum.

Matth. 19.

Quid maximè debeamus obycere aduerſariis circa Euchariſtiam.

1. ad Corinth. 2

Cyprian. lib. 2. ep. 3.

dio id conari, vt verba institutionis examini hominum paulatim eripiant, quibus alia substituunt etiam nusquam in scripturis audita. Cur verò edoceamur à Christo de sacramentis veritatem ex institutione elicere, hæ ferè sunt causę. Alia est ratio sacramentorũ quàm reliquorum dogmatum. Nam ista ferè sunt perpetua, tanquam hominum naturæ & rationi insita, & cum aliis articulis fidei coniuncta. Ideò ab omnium temporum sacris scriptoribus aut attinguntur, aut tractantur: possunt etiam ex sese mutuò illustrari. At sacramenta tantùm certo tempore & loco, ac scripturæ certis & conceptis verbis instituuntur. Quare non possunt nec debent perinde ex aliis scripturæ locis explicari, sicut alij articuli & materiæ, sed tantùm ex propriis suis sedibus, in quibus non tantùm describuntur, sed etiam quasi formantur. Ingens etiam discrimen est inter sacramenta & alias res, quòd, hæ, siue dogmata sint, siue præcepta, magna ex parte quiddam prę se ferunt naturale, perpetuum, & per se existens: At sacramenta important tantùm quiddam arbitrarium, non per se existens, aut rationem perpetuã includens, sed solummodò ex liberrima Dei voluntate & institutione pendent. Nam circuncisio antequam institueretur, nihil fuit, & postquàm desiit institutionis præscriptum tempus, nihil est. Sic baptismus, & nostra Eucharistia tempore Abrahę nihil fuerunt. Sunt igitur perinde arbitraria, & subitanea ac temporaria, sicut cùm Deo libuit per virgam Mosis aperire petram, scindere mare, vertere aquas Ægypti in sanguinem. Quare sacramenta, quod ad suam essentiam attinet, nequaquam ex aliis rebus & dogmatibus, locísque scripturæ alienis iudicãda sunt: sicut stultissimum censeretur ex creaturarum efficacia & medicina iudicare de luto aut sputo, quo liniuit Christus oculos cæci, aut de aqua piscinę, in quam qui descenderat, sanus euadebat ab omni infirmitate. Est denique lata differentia inter ipsa verba institutionis, & alia dicta extra eam de ipsis sacramentis. Verba enim institutionis propriè sacramentorum describunt essentiam. At alia dicta de ipsis, vel eò alludunt tantùm, vel aliquam eorum circunstãtiam aut abusum perstringunt. Vt igitur turpissimè erraret, si quis de circuncisione, nõ ex eiusdem institutione statuere vellet, sed ex scriptis Pauli, cùm circuncisionem pro nihilo habet, aut etiam inter signa maledictionis cum præputio deputat: ita hallucinatur quisquis de nostris sacramentis, non ex eorum institutione, sed ex Apostoli capite decimo ad Corinthios decidere studet. Inde enim posset colligere, nos spiritu baptisari debere, non aqua: in Cœna nos potari spiritu, non vino aut sanguine. Eo pacto falluntur, qui de veteri Testamento corradunt, Agnus est phase, & similia, & qui de nouo alia congerunt, quibus aliquam Cœnæ dominicę circunstantiam, aut fructum, aut allegoriam, ad opprimenda institutionis verba proponunt.

Quare veritas sacramentorũ ab institutione peti debeat.

Ioan. 5. & 9.

A QVATVOR, QVAE IN IPSA COENA INstituit Christus, probatur verborum eius proprietas retinenda. CAP. 3.

CONSIDERANDVM igitur est in Cœnę dominicę historia contineri institutionem noui articuli de fide, noui dogmatis & pręcepti Euangelici, noui fœderis, quod postremum percussit Deus cum hominibus liberandis à peccato, & testamenti quod moriturus filius Dei fecit. In his autem labi aut decipi, adeò periculosum esse Apostolus ostendit, vt iudicium & damnationem comminetur omnibus, qui a veritate & digna sumptione Eucharistiæ aberrarint,

Quanti sit momenti articulus de veritate Eucharistia.

proptertot rerum in paucis verbis conclusum pondus & momentum. Quamobrem duo sunt, quę statim exigunt in Cœnæ narratione sermonis perspicuitatem & proprietatem, nullo figurarum velamento inuolutam: ipsa tantarum rerum institutio, & earúdem natura ac prærogatiua. Nam cùm de omni re, saltem de sacramentis, iuxta Christi doctrinam ex institutione peti & expendi argumenta debeant, necesse est institutionis orationem certissimam esse, & propriam, ac minimè figuratam. Sunt enim pugnantia, sermonem tropis & figuris transferri, & certam atque indubitatam præ se ferre sententiam & significationem: quandoquidem vnam habeat naturalem & propriam oportet, & alteram, aut etiam plures translatas; & à vocum proprietate alienas: à qua cùm recesseris, cuique licebit, quem volet, sensum figuris & tropis affingere, neque postea datur euidens, certum, ac necessarium argumentum ex huiusmodi verbis, quæ varios intellectus pariunt, ducere. Proinde rectè magnus ille Dionysius symbolicam theologiam negat ad ratiocinandum & reuincendum idoneam: & Augustinus Donatistas monet, ne colligant & commemorent, quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt: Quæ quisque (inquit) sicut voluerit, interpretatur secundum „ sensum suum, & talia rectè intelligi exponíque non possunt, nisi prius ea quæ „ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur. Quis non impudentissimè (ad Vin- „ centium idem scribit) nitatur aliquid in allegoria positum, pro se interpretari, „ nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura? Ex „ quo iterum dico Sacramentarios manifestè loqui pugnantia, si Christo assentiuntur de sacramentis veritatem & fidem ex institutionis sermone inuestigandam esse. Repugnat enim, institutionem esse fundamentum veritatis, & ipsam figuratam esse: quia in figurata locutione nulla veritas fundari potest, neque inde vlla ratiocinatio firma, aut etiam vlla certa intelligentia consistere. Hoc nostrorum aduersariorum deprehenditur experientia. Postquàm enim à literali sensu declinarunt tam multi, doctíque eorum scriptores, nec tam longo tempore, nec in tanta diligentia, támque laboriosis scriptionibus suis hactenus valuerunt conuenire, qua in voce paucorum verborum Christi tropus congrueret: nec vllam certam ac immotam figurā constanter inter se statuere, aut nominare, nec vllam denique inuariabilem expositionem testamenti dominici concludere: sed oberrant sursum ac deorsum per illas paucas Christi voces, per varios tropos & interpretationes, diuinando modò hanc, modò illam præferendam esse: Postquàm (inquam) à literæ genuina proprietate defecerunt, eiusdem esse summam obscuritatem vel ea ratione testantur inuiti, quòd nolint ex ea rem Cœnæ indagari, sed ex aliis scripturarum fontibus hauriri, nihil ad eius institutionem pertinentibus. Eò etiam impietatis & vecordiæ adiguntur, vt institutionis verba subsannent, & ea sibi obiici molestè ferant. Ista ex vltimo huius libri capite, & aliundè patebunt. Quòd si rerum natura, quæ in ipsa Eucharistia instituuntur, attendatur, quantam postulet illustrationem & sermonis proprietatem, facillimum fuerit iudicare. Sunt enim ex his ea, quæ ad fidem & salutem, aut ad damnationem spectant, siue Sacramentum inspicias, siue nouum præceptum Euangelicum, quæ decet clarissimè promulgari, ne incerta pro certis, & pro salutaribus ac veris falsa & perniciosa, homo pius accedens ad Deum, in animum inducat, & ne excusabilis reddatur religionis Christianæ desertor, aut malignus oppugnator. Qua de causa præclare scribitur à Tertulliano & Augustino, illa imprimis in sacris literis apertè esse posita, quæ fidem moresque viuendi continent, à quorum numero nemo iure Eucharistiam reiecerit. Non dubium

Repugnat, verba esse figurata, & tamen ipsis aliquem articulum fidei, aut sacramentum instituti aut probari posse.

Dionys. Epist. ad Timo.

Ireneus lib. 2. cap. 46.

August. contra Petilian. cap. 5. & 16.

August. epist. 48.

Ex figurata locutione etiam ipsi aduersarij non possunt quicquam certi statuere.

Repugnat Eucharistiam esse præceptum Domini, & testamentum atque articulum fidei & verbis figuratis institui.

Tertull. De re-

dubium est etiam, quin in Cœna Christus moriturus testamentum ediderit, & *surrect. carnis.*
quin viri boni studeant, quantum possunt, familiariter & euidenter testamenti *August. lib. 2. De doctr. Chri-*
sui tabulas scribere, atque hæredibus relinquere. Non dubium, quin in eadem *stiana. cap. 9.*
Cœna nouum fœdus inter Deum & homines, à Christo saltem inchoatum & latum sit: & quin fœderum & contractuum formulæ debeant, & consueuerint, esse inter bonos propriæ & perspicuæ, ac nequaquam tales, quæ mille modis huc & illuc torqueri, flecti & reflecti possint. Si enim impropriæ, ambiguæ, & inconstantes fœderum ac contractuum phrases admitterentur, non coniunctio & consociatio inde sumeretur, aut in eis exprimeretur, sed interminabilis contentio pro pace & concordia nasceretur: vt ex aduersariis itidem experimur, qui ex ea, quam fingunt, verborum ambiguitate in pacto noui Testamenti, quod in Cœna fecit Christus, diuersissimas diuinationes, tristissimáque bella excitant. Præterea verum & naturale est Rhetorum præceptum, καινὰ κοινῶς, & κοινὰ καινῶς, id est, noua communiter, & communia nouo genere locutionis, efferenda esse. Nam aliàs verba rebus, aliàs contrà res verbis lumen intelligentiámque subministrare oportet, vt percipiatur oratio. Cùm res sunt notæ & vsitatæ, sermo potest & solet admitti tropicus, vt nouitas & peregrinitas verborum aliquid gratiæ rebus nimiùm vsitatis, & quasi tædium fastidiúmque parientibus, addat: nec est ibi periculũ, ne animus peregrinitate sermonis decipiatur, cùm res ipsæ iam alioqui notissimæ sunt. Contrà, quando sunt res peregrinæ, nouæ & insolitæ, quales sunt, cùm instituuntur aut proponuntur, quæ supra hominum captum ad fidem ac fidei mysteria pertinent: tum planè conuenit proprio manifestóque sermone vti, vt res ignotæ ipsa sermonis perspicuitate illustrentur. Quòd si rebus nouis, ignotis, aut obscuris, peregrinum, tropicum, atque improprium sermonem adhibeas, quis tandem Oedipus te intelliget? cùm nec res verbis, nec verba rebus, lucem inferant, nec alterutrum alterius adiumento intelligatur. Quin verò Cœnæ historia rerum antea incognitarum & insolitarum cõstitutionem & euulgationem complectatur, nemo, opinor, dubitarit. Quamobrem necessarium fuit Christum effari dilucidè quid vellet, cùm hoc rerum ipsarum natura & nouitas requireret. At (inquit Petrus Martyr) multa Euangelij præcepta metaphoras & allegorias recipiunt. Non igitur, quia de Eucharistia institutio præceptum gerit, figuræ repelli debent ab ipsa. Sed ex dictis facilè respondetur, aut præcepti sententiam proponi claris & simplicibus verbis, quam postea figuratis augeri aut imminui, nihil absurditatis parit: aut eas figuras admisceri, quæ prima fronte sensum suum, ipsúmque certissimum, ex adiunctis aperiunt: aut præceptum de rebus aliàs notis & perspectis tradi, quòd parum interest quibus verbis describatur. Eucharistia verò nec ante institutionem erat trita & peruia, nec ea sibi habet apposita, quibus statim genus figuratæ locutionis pateat, nec alias vsquam magis ingenua & liberali oratione extra suæ institutionis septa euulgatur. Qua de causa Petrus Martyr, non corrector Christianarum scripturarum, sed improbus & impudens corruptor, à se proposita aliena cumulet, quantum volet, nullum præceptum Euangelicum in sua integritate & simplicitate relinquet, aut quod est de Eucharistia, manebit potissimùm illæsum, & figuris literæ proprietatem vitiantibus solutum.

A CIRCONSTANTIA EVANGELISTARVM, *qui Eucharistiæ institutionem, & perspicuitate sermonis, qua ipsam descripserunt.* CAP. 4.

SED quoniam conuenit inter nos, sacrarum literarum proprietatem aut translationem ex circunstantiis inspici & deprehendi maximè, ordine Cœnæ dominicæ circunstantias & verba persequamur. Hîc statim anticipatione gaudent hæretici, & vt annotetur sacramentum confici pro prima circunstantia rogant, vt inde regulam sacramentalium locutionum, quam dilatant plus æquo, habere locum suadeant. Nos negamus istam circunstantiam ex textu Cœnæ erui, in quo de sacramento, aut sacramenti confectione nulla fit mentio: multò verò minus de sacramentali regula, per quam panem appellari corpus Domini, quia sit eius symbolum aut signum, contendunt. Non inficiamur tamen Eucharistiam re vera sacramentum esse: imò ex sacramentorum natura iam exorsi sumus literæ proprietati patrocinari: sed indignum iudicamus ex sacramenti nomine & re ante omnia plano textui præscribere & officere, cùm nullum verbum de sacramento faciat. Nos cõtrà circa institutionem Eucharistiæ duo imprimis obseruemus, morem eorum à quibus descripta est, & descriptionis supra omnes alios articulos fidei proprietatem & simplicitatem, vt aut tenaciùs hæreamus verbis huius institutionis, quàm vllis aliis de fidei articulis scripturis: aut labascere ac ruere omnem scripturarũ auctoritatem intelligamus, si de huius institutionis puritate quicquam imminui aut detrahi permiserimus. Consueuerunt sanè Euangelistæ mutuas operas tradere, vt quod ab aliò obscuriùs aut figuratè est traditũ, id alius magis propriè & pleniùs enarret. Alij ab aliis omissa supplent, aut dicta breuiùs explanant. Ioseph, Christi pater non semel scribitur, ne falleremur dictionis ambiguitate, ac ne obreperet Heluidij error, Lucas (vt putabatur) addidit. Ioannes Baptista, Helias à Matthæo nuncupatur: sed vt, quis sit sensus, distinguatur, In virtute & spiritu Heliæ, à Luca subiungitur. Quod vicissim à Luca dictum est, eiectum dæmonium in digito Dei, à Matthæo, in Dei spiritu, exponitur. Quod vnus figuratè protulit, Cauete à fermento Pharisæorum, alius, Quod est hypocrisis, ad elucidationem adiunxit. Quod subobscurè Matthæus ait, Peccatum in Spiritum sanctum non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro, Marcus planè nũquàm remitti asseruit. Ioannes Euangelista alios quasi spicilegius sequitur, vt quod alij omiserint prorsus, vel in quo significatu accipiendum sit, non satis expresserint, narret & expoliat. Matthæus & Marcus accusatum Christum memorant, quia dixisset, Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud: sed de quo templo sensisset, relinquunt incertum, quod minimè reticendum D. Ioannes ratus, de templo corporis sui istud dictum nobis palàm fecit. Tres ante D. Paulũ de institutione Eucharistiæ scripserunt, Matthæus, Marcus & Lucas, diuersis temporibus, ne deesset elucidandi tempus & occasio, si qua elucidatione opus haberet ipsa institutio. Euangelistis quidem valde est familiare interserere voculas & breues particulas, ad maiorem & certam, vbi subest aliqua ambiguitas, explicationem. An non illis tam facilè fuisset, quàm nunc est Sacramentariis, voculas elucidatorias admiscere, expositionis causa, promulgationi de Eucharistia, vt inter illos saltem vnus scriberet, hoc significat corpus meum, vel, hoc est corpus meum in mysterio, seu sacramentaliter, seu, hoc est corpus meum fide percipiendum, aut, hoc est sacramentum seu signum corporis mei, aut aliud simile? Quid si contrà addiderunt, Corpus quod pro vobis datur, quod pro vobis frangitur, Poculum quod pro vobis funditur, vt consultò aditum obstruerent Sacramentariorum futelis & commẽtis: &

Mos Euangelistarum in scribendo.

Luc. 3.

Luc. 1.

Matth. 12.

Luc. 12.

Matth. 12.

Marc. 3.

Matthei 26.

Ioan. 2.

quo aliquis ex ipsis posteriùs scripsit, eò magis nonnulla addidit, quæ proprietatem verborum confirmarent, & Sacramentariorum nebulas discuterent, quemadmodum inferiùs docebitur? Neque verò vsquam reperias adeò consentientes Euangelistas, aut adeò verbis iisdem addictos, in enarranda de Christo historia, vt sunt in Eucharistiæ describenda institutione. Cùm igitur potissima illa verba, hoc est corpus meum quod pro vobis datur, toties sine vlla mutatione, aut aliarum locutionum interpositione, repetiuerint: cùm ea apposuerint, quæ sensum literalem adiuuant, & à figurato auocant, vt ne vnus quidem præbeat tropi alicuius indicium, sicuti legenti & singula attentiùs consideranti apparebit: cùm D. Ioannes illis perlectis, aut nullum verbum de ipsa Eucharistia fecerit, aut propter Capernaïtarum propositum scandalum facilè potuerit verba aliorum Euangelistarum inuertere & emollire, contrà tamen ad corroborandam institutionis proprietatem addiderit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: cùm D. Paulus oblatam haberet occasionem à Corinthiis dissidentibus, institutionis quoque tenorem & sermonem inflectere, & suæ genuinę veritati restituere, si ab ea verborum sonus abfuisset, tamen non sit ausus, edoctus à Domino, ipsam aliqua dictiuncula violare, aut aliò detorquere: tot Apostolorum certè eadem præcipuorum verborum repetitio, veritatis est, vt affirmat Apostolus, impressio & inculcatio. Eadem, inquit, vobis scribere, mihi non molestum, vobis autem ἀσφαλὲς securum scilicet ac necessarium. Nam quia scripturæ prophetia seu intelligentia propria non fit interpretatione: omnium certissima, tutissima, ac firmissima est regula, quòd ideò eadem doctrina & sententia in diuersis scripturæ locis repetitur, vt ipsius Spiritus sancti interpretatio ex illa collatione locorum inquiri & deprehendi possit. Præuidit sine dubio Spiritus, hæc horrẽda dissidia in Ecclesia aliquando suboritura. An nõ consuluisset anxiis conscientiis (vti facere assueuit) dilucida aliqua explicatione, si noluisset verba institutę Eucharistiæ in propria significatione accipi? *Ad Philipp. 3*

Quòd autem veritas & proprietas verborum in institutione Eucharistiæ longè certior ac constantior appareat, quàm in aliis articulis fidei, constat ex hoc, quòd alij ferè omnes articuli aut in scripturis nonnullas videãtur præ se ferre contrarietates, aut non vno ac plano genere dicendi comprehendi, sed aliquando in sensum oppositum verbis, quibus enuntiantur, per alios scripturæ locos distrahi. Legebant Arriani, Ego & pater vnum sumus: &, hic est filius meus dilectus. Non defuerunt tamen illis etiam in Euangelio ad literam ea de re posita testimonia, quę eorum hæresi putabantur admodũ patrocinari, vt, Pater maior me est, aut, Qui cùm in figura Dei esset, aut, Cùm sit figura substãtiæ eius: atque alia, quæ magno numero contra Catholicos allegabant. Valentiniani, Marsionistę, atque alij incarnationis filij Dei hostes, legebant, Verbum caro factum est, &, habitauit in nobis, atque omnia Euangelistarum de natiuitate Christi ex Maria virgine testimonia: occurrebant tamen ipsis ex eisdem scripturis eadem quoque de re in speciem multa repugnantia, sicut, In similitudinem hominum factus, &, habitu inuentus vt homo. De singulis fidei articulis licet cuique per scripturas decurrere, & contra ipsos hæreticorum fundamenta animaduertere, quę ferè cõperiet de ipsis scripturis ad verbum & literam expressa & desumpta. At in eisdem nullus textus de Eucharistia locutus, aduersatur naturali & literali institutionis intelligentiæ: nullo loco traditur non dari corpus Domini in Eucharistia, aut ibi esse formam solam seu figuram corporis, aut ibi inueniri tantùm

Proprietas verborum in Eucharistiæ institutione certior quàm in vllo fidei articulo.

Ioan. 10.
Matth. 3. & 17
Ioan. 14. ad Philip. 2. et ad Hebr. 1.
Ioan. 1.
Ad Philip. 2.

similitudinem corporis, aut habitum, aut sacramentum, aut signum, vt ex illis spiritaliter interpretandam vrgeant Sacramentarij ipsam institutionem: quemadmodũ ex similibus Arriani & Marcionistæ contendebãt rectas ac planas de Trinitate ac diuinitate, atque incarnatione filij Dei scripturas, in spiritalẽ & figuratiuum intellectum deprauare. Passim occlamant aduersarij, Verba quę locutus sum, spiritus & vita sunt. Sed ne quidem ipsi inter se consentiunt ibi agi de Eucharistia: multò verò minus liquet de ipsius institutione dici, quæ nondum facta fuerat. Attamen vt vtrique applicari posse annuamus, ita vtriusque veritatem, & in verbis proprietatem, inde vel maximè confirmari suo loco parebit: neque, si verba spiritalia vocarit Christus, sequi propterea non esse ad literam accipienda, postea docebimus. Porrò si alicubi scriptura efferret, Christum se exhibuisse discipulis comedendum in similitudine corporis, vel habitu, aut in figura corporis, ne quidem tum liceret institutionis sermonem, & alia planè dicta de veritate corporis dominici in Eucharistia, à sua proprietate detorquere: quemadmodum Arrianis & Marcionistis non fuit concessum, absolutis & perspicuis de diuinitate & humanitate filij Dei scripturis, ex illis locutionibus obscuriùs positis, præscribere & officere, tametsi eniterentur has esse proprias & manifestas ostendere, illas autem pro tenebricosis & tropicis haberi. Quamobrem cùm sua institutioni manere debeat authoritas, etiamsi nonnulla quasi repugnantia in scripturis inuenirentur expressa & aperta, quantò magis eam valere & obtinere par est, cùm nihil in vniuersis Euangelicis & Apostolicis literis occurrat, quod de Eucharistia scriptum sit, in quo ad literam institutionis eius proprietas labefactari possit, quod de nullo altero fidei articulo contigit. Qua de causa meritò veteres Christiani ex Eucharistiæ veritate & eius institutione, tanquam ex totius Christianitatis munitissima arce, impetierunt omnes hæreticos, qui fidei articulos in dubium vocarunt, & de singulis fidem nostram ex Eucharistia, tanquam ex certiori ac magis indubitato principio, propugnarunt. Meritò quoque veteres hæretici, quotquot ferè aliquem de fidei articulis oppugnarunt, tandem ipsam Eucharistiam aliqua ex parte aggressi sunt, quasi ipsa stante vix pateret accessus ad fundamenta religionis Christianę conuellenda: meritò etiam Sacramentarij nostri, vna proculcata Eucharistia, quasi de fundamẽto deiecti, de omnium ferè articulorum fide & sana doctrina deciderunt: quæ omnia suis locis sumus demonstraturi. Sed quid totos allego articulos, cùm deprauata verborum, quibus Eucharistia instituitur, propria intelligentia, vix cuiquam sacrosanctę in scripturis dictioni, & tota Christiana religione, suam proprietatem reseruẽt? nec carnem, nec sanguinem, nec substantiam, nec edere, nec bibere, nec altare, nec sacrificium, nec sacerdotium, nec spiritum in baptismo, quem pro aqua interpretantur, nec patrem, nec filium, quem ab altero capere substãtiam negant, nec alia infinita ac præcipua fidei vocabula in naturali significatione vsurpant, sed in ignotas & translatas trahunt?

Ioan. 6.

A CIRCONSTANTIA CHRISTI INSTITVENTIS Eucharistiam. CAP. 5.

ORDO circunstantiarum postulat, vt de instituente & authore sacrosanctę Eucharistiæ dicamus, & attingamus causas, propter quas propriè fuisse elocutum credimus. Quominus certè alicuius verbis fidem adhibeamus, tria possunt nos remorari. Aut enim qui loquitur, aliquid maius de se prędicat, quàm valeat prędstare: aut consueuit verba da-

Propter tria possumus du-

re, fallere, atque aliud habere in lingua promptum, aliud in pectore recondi- *bitare, aliquē propriè loqui.* tum: aut singularis est aliqua ratio, quæ cogat loquentem aliud ipsis verbis enunciare, aliud tamen per ea intelligere. Cùm Iesum Christum, filium Dei, & Deum esse, nullatenus dubitemus, de ipso duos articulos oportet nos profiteri, quos omnis barbarus & infidelis de Deo credit & amplectitur, si modò mentem eius etiam mediocris de diuinitatis natura occupauerit opinio. Vnus est, Deum omnipotentia præditum, cui nihil sit impossibile, aut difficile. Alter conuincit Deum veracem esse, qui nec mentiri possit, nec velit, nec soleat. Ideò extra controuersiam esse debet homini Christiano, Chistum posse efficere, quod in Eucharistię institutione suo sermone contestatur, nec solitum hominibus imponere & verbis illudere, sed potius explanare quæ à se vel à Prophetis essent non satis manifestè declarata. Profectò Tertullianus ex eo, quòd Deus & Christus *Tertull. lib. De resurr. Carnis: & lib. 3. in Marcionem.* eius omnia possunt quæ loquuntur, in hoc vno tantùm impotentes, quòd nequeant mentiri: mauult omnia credi, & admitti absurda, quæ cogitationi humanæ occurrunt, quàm à Christiano accipi scripturas de Christi incarnatione & carnis resurrectione prolatas aliter quàm sonent, ne Deus & Christus eius blasphementur de impotentia, aut de mendacio, quasi aliquid tradiderint cre- *Nefas in articulis fidei accusare Christum de impotentia aut de mendacio.* dendum, quod eorum vires superet, aut quod contra verborum proprietatem intellexerint. Agebatur autem tū, sicuti nunc, de corporis, carnis & sanguinis dictionibus & affirmationibus, quas Marcionistæ, vt nunc faciunt Sacramentarij, figuratè efferri & spiritaliter, minimè verò ad literam, contendebant, quos grauissimè redarguit Tertullianus libris de resurrectione carnis, & contra Marcionem tertio.

Restat videndum, an aliqua particularis causa impulerit Christum in pro- *Multas causas Christus habuit instituendi Eucharistiā proprio sermone.* mulganda Eucharistia obscurius & incertiùs eloqui, quàm soleret communiter: Tantum abest, vt aliquam fuisse suspicemur, quòd ei adfuisse grauissimas colligamus planiùs, certiùs, ac dilucidiùs, quàm solcret de aliis rebus, de Eucharistia pronunciandi. Quomodo enim non moueretur ad apertiùs ac simpliciùs loquendum de tam graui ac periculoso dogmate, præcepto, & noui fœderis ac testamenti articulo, quod ad sempiternam sui memoriam tantoperè posteris commendauit? Rogamus bona fide produci, si quid vnquam de fœderibus & sacramētis decreuerint aut imperauerint Deus & Christus eius, vt credendum, aut cum salutis periculo agendum, etiam in veteri Testamento tropis & figuris obnoxio, quod aliter sonet quàm ad verbum sit intelligendum, aut è vestigio non sit explicatum, si quid in his obscuriùs interseritur. Clarè enim, propriisque verbis, in Paschalis agni institutione dicitur, tum quid sit sumēdum, nem- *Exod. 12* pè talis agnus, tum quid, & quomodo cum eo agendum: tum etiam quæ causa eius sit: tum denique quis vsus illius institutionis: nec ibi vsquam est sacramentalis phrasis, quam fingunt aduersarij. Sic circuncisio propriis verbis instituitur. Sic antiquum fœdus & sacramentum sine omni troporum obscuritate promulgatur, & à Paulo eius promulgatio repetitur. Baptismi nota est institutio: quæ cùm esset ab hac verborū figura inchoata, Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest intrare in regnū Dei, & ad hanc Nicodemus hæreret, omnia ad sensum referens, clarè Christus insonuit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu *Ioan. 3.* sancto, non potest intrare in regnum Dei. An in institutione tanti articuli de Cœna, tanti dogmatis, tanti præcepti & sacramenti, Christū repentè sui moris oblitum suspicabimur, aut patiemur nobis persuaderi, vt si qua essent verborum inuolucra, eodem in textu non explicarit? Instituebat (aiunt Caluinus &

Beza) ſacramentum: ideò dicendi genus ſacramentis proprium ſequebatur. Cur ergo ſaltem, ne erraremus, non admonuit ſe ſacramentum inſtituere, aut ſacramentali dicendi genere vti, cùm nuſquam antea tali genere víum oſtendi poſſit, tametſi prius baptiſmi ſacramentum inſtituerit? cùm denique nullum ſcripturarum locum de ſimili dicendi modo proferant aduerſarij, vbi ilicò non appareat ex adiunctis ſacramentalis (vt vocant) figura. Hoc poſtea latiùs diſſeretur. Non Chriſto defuit opportuna occaſio tradendi & explanandi huiuſmodi inſtitutionem apertiùs, ſi aliorſum eſſet, quàm formula ſua concipitur, interpretanda. An non eadem de re natum ſcandalum in ſexto capite Ioannis, illum ſatis admonuiſſet ſermonem in inſtitutione temperare, & ad eum ſenſum accõmodare, qui nec ſuos falleret, nec offenderet, ſi aliter res haberet quàm promiſit, & in ipſa inſtitutione ac promiſſi exolutione pronuntiauit? An ad patris dexteram elatus, interroganti Apoſtolo propter Corinthiorum diſſidia, de inſtitutionis veritate tacuiſſet, ſi qua laterent in verbis ſacramentalia aut metaphorica ænigmata? Confirmationem (tacitè ait Paulus) inſtitutionis de Euchariſtia, nullo verbo immutato, ne ſenſum immutetis, accepi à Domino: idcircò deſinite inter vos rixari, ſed credite, ſicut iuxta verbum Domini tradidi vobis. Deinde nihilne noctis, in qua tradebatur, circunſtantia mouebit, vt credamus ſimpliciter & ingenuè Dominum noſtrum verba feciſſe de Euchariſtia? In ea fatentur Apoſtoli palàm ipſum effari, ac nullum prouerbium, quod non declararet, ab illo dici: in qua ſe cum Apoſtolis, non vt cum turbis & ſeruis, quos aliquid celaret, ſed cum intimis amicis colloqui profeſſus eſſet: Quia ſeruus, inquit, neſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. In ea conteſtatur ſe deſideraſſe vltimum Paſcha edere, & lucem nocti ac figurarum tenebris inferre: & interea docebimur à Sacramentariis, obſcuriori ſermone ab illo nobis traditum nouum Paſcha & nouum teſtamentum, quàm vetus Paſcha & teſtamentum ſanxierit. Minima quæque non ſinebant elabi Apoſtoli, quæ non interrogarent, ſi viderentur obſcuriora. Ediſſere nobis (aiunt) Zizaniorum parabolam: Ediſſere nobis de cibis parabolam: Ad nos dicis parabolam hanc, an ad omnes? Petrus confidenter in ipſa paſſionis nocte petit cauſam, quare tum ſequi Chriſtum non poſſet: In eadem Philippus poſtulauit ſibi oſtendi patrem: Thomas faſſus eſt ignorantiam ſuam: Omnes liberè in eadem quoque nocte conqueruntur ad hæc pauca verba, Modicùm, & non videbitis me: & iterum modicùm, & videbitis me. Neſcimus (ſubiiciunt) quid loquatur: & rem apertiùs eloqui compulerunt. In re tanti momenti, in verbis ſi à literali ſenſu receditur adeò implicatis, atque alibi inuſitatis, mutit nemo, nemo percontatur quicquam. At (inquiũt Caluinus & Beza) tacuerunt Apoſtoli, quoniam ſciebant ſacramentalem eſſe locutionem, quam niſi animaduertiſſent, obſtupuiſſent proculdubiò ad Chriſti affirmationem. Sed quærimus vnde potuerint ſuſpicari tam repentè, ſacramentalem eſſe locutionem, cùm priùs non eſſent admoniti à Chriſto ſacramentum inſtitui, nec vnquam antea Chriſtus ſua ſacramenta ſimili formula condidiſſet, nec tum eſſent ita ſubtiles in ſcripturis Apoſtoli, & exercitati, vt tectas & ſimplices orationes poſſent à ſacramentalibus & figuratis ſecernere. Meliùs reſpondent Patres, ideò nec obſtupuiſſe Apoſtolos, nec obmurmuraſſe ad tantum prodigium, quoniam antea corripi viderant, qui ad eius promiſſionem obſtupuiſſent, & rem priùs meminerant ſibi promiſſam ac confirmatam, quæ tum exhibebatur: ita vt de exhibitione lætandum ſibi magis intelligerent, quàm de veritate dubitandum. Sic poſt reſurrectionem non interrogauerunt Chriſtum

A circunſtantia noctis, in qua eſt Euchariſtia inſtituta.

Ioan. 15.

Matth. 13. et 15.

Ioan. 13. et 14

Ioan. 16.

Chryſo. ho. 83. in Matth. & Cyr. lib. 4. in Ioan. cap. 14.

Christum quis esset, quia sciebant Dominum esse: ac ne præ horrore iussum Domini de manducanda carne detrectarent, ait Chrysost. priorem Christum ad suos confirmandos corpus suum delibasse, & cepisse quod aliis porrigeret.

A circunstantia testamenti et vltimæ voluntatis.

Postremò, quam causam reperiemus, cur in testamenti & extremæ voluntatis suæ testimonio, contra omnium gentium morem, minus puro sermone & sincero, quàm solebat in vita anteacta, Apostolis mentem & intentionem Christus prodiderit & exprompserit? An verbis illis caruit, quibus modò abundant, qui aliam, quàm verba sonant, substituunt intelligentiam? An futuras indè contentiones, omnium præscius, non antè prospexit? An illas consultò serere inter nos hæredes per variam testamenti interpretationem studuit? An illis occurrere vna aut altera immutata vocula non potuit, aut noluit? an verò potuit obuiàm ire, quàm fecit, manifestiùs? Nam si de cœlo aduocetur & statuatur arbiter inter litigantes Christianos de isto testamenti articulo, & iterùm vellet, damnatis omnibus sectis, pro nobis Catholicis sententiam ferre, an posset clariori & certiori stilo eam dictare, quàm iste sit, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hic est sanguis meus, qui effunditur in remissionem peccatorum? Congregentur omnia tribunalia, omnia conferant inter se consilia, quam concipient iudicij & arresti pro Catholicis formulam illa breuiorem, planiorem, & calumniis minus obnoxiam? Preclarè Arrianos Athanasius sic increpat: Quis, cùm Deo suo fidem habeat, loquenti ad eum modum non credat, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui? At nos longè æquiùs Sacramentarios omnes increpamus: Quis, cùm Christo suo fidem habeat, morienti & testamētum suum conficienti, ac loquenti ad eum modum non credat, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur? Hic est filius, ait Tertullianus: sistit, & repræsentat eum, quem Deus antea per Prophetas promisit. Hoc est corpus meum, similiter verba sunt, quæ sistunt & repræsentant carnem, de qua antea dixerat, Et panis quem ego dabo, caro mea est. Cur ergo nos dubitemus credere, ac dicere, quod Christus non dubitauit asserere? An verò qui verbum est, verborum significationes ignorauit? qui veritas est, loqui vera nesciuit? qui sapientia est, in stultiloquio errauit? qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quæ vellet? Præterea Deus ipse Zelotes, tot modis, tot præceptionibus, tot earum explanationibus, & repetitionibus, in lege veteri cauit, ne populus imprudens idololatriam pro diuino ac legitimo cultu capesseret. An factus caro, vt nos ab idololatria repurgaret, moriturus nobis idololatriæ occasionem maximam præbere voluit, cùm paucis verbis immutatis, nos ab ea potuerit in Eucharistia liberare? Nemo sanè ambigit, quin sermo Christi de præsentia corporis sui in altaris sacramento, tam simpliciter & populariter conscriptus, optimos quosque ad ipsum ibi adorandum prouocet & inuitet: à qua impietate (si verum est quod exprobrant aduersarij) poterat nos retrahere, si orationem ad aliquam figuram tantillùm inflexisset: Tot modis in Christi diuinitatem offendunt, qui sermonem eius de Eucharistia in controuersiam & dubitationem adducunt. Tria peccata insuper contra eundem, vt hominem ac virum bonum, committunt. Hanc ei notam inurunt, vt contra bonorum patrumfamiliàs prudentiam, testamentum non simplicioribus, quàm potuit, verbis condiderit. Bonus ille Patriarcha Iacob, quanuis figuras pro statu prophetiæ testamento admiscuerit, tamen de re, de qua in testamento vaticinabatur, dilucidiùs dixit, & clariorem quàm vnquam antea, sermonem habuit. Peccant in alio quòd verba testatoris pro libito corrūpunt, transferunt, inuertūt, & interpolāt,

Athanas. or. 3. in Arria.

Tertull. lib. 4. in Marcionem.

Si verba non sunt propria, Christus in testamento nos exposuit periculo idololatriæ.

cōtra ius omne etiam à Diuo Paulo comprobatum. Fratres (ait) ſecūdum hominem loquor: tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Inde Apoſtolus teſtamentorum vult ſingulas ſyllabas numerari: ideóque ait ſcriptum eſſe, Semini eius, & non, Seminibus. Quàm audacter verò & impiè etiam ipſa verba teſtamenti Dominici deprauent, ſuis locis annotabitur. In ciuili foro quis patienter audiret, teſtamenta communi & aſſueto ſermone condita & conſcripta, in ſpiritalem ſenſum, ad fraudandos legatis ſuis hæredes, à cauillatoribus conuerti? Quis, inquam, litigatorem ferret in iudicio flagitantem, vt hæres, ſepoſito patris teſtamento, aliunde probet, quid aut quomodo ſibi pater legauerit? Teſtamētum enim ad hoc ipſum clariſſimè à ſanæ mentis teſtatore diſponitur, vt inde tum hæredes, tum alij, ipſius vltimam voluntatem liquidò diſcere, ac certò cognoſcere poſſint. Nihilominus in Eccleſia, domo Dei, & veritatis aſylo, ferunt Chriſtiani Chriſti ſui teſtamentum, planiſſimis verbis comprehenſum: quibus etiam demonſtratur, non tantùm enarratur, quid ab illo nobis legatum ſit, in ſenſum ſpiritalem figuratum, imò in varios & pugnantes tropicos intellectus rapi & peruerti, atque aliundè comminiſci, quid pater cœleſtis nobis teſtamento reliquerit. Tertiò, piaculum non leue puto, ſentire, nihil noui Eccleſiæ legatum à Chriſto, & teſtamento derelictum, quàm panis aridi fruſtulum & vini pauxillum in ſui memoriam. Etenim quodcunque ſpiritale, quod per Cœnam nos aſſequi iactant Sacramentarij, per alia iam donata à Chriſto, & Deo, nos & patres noſtri etiam ſub lege aſſequebamur, & quotidie ſine Cœna, per Euangelij auditionem, & mentis ac fidei eleuationem in Deum, aſſequimur, quemadmodum docent ipſi aduerſarij, & inculcant. Natura fert, & ratio imperat, vt chariſſimis noſtris liberis aliquid nouum, & quod habemus pretioſiſſimum, in noſtra poteſtate ſitum, gaudeamus teſtamēto ad ſempiternam noſtri recordationem tradere. Ob id Chriſtus poſtremum iſtud myſterium euulgauit, quod certiſſimum faceret indicium, & memoriam obſignaret ſummæ ſuæ potentiæ, ac ſummæ erga nos dilectionis: de quo nos Dauid admonuit, cùm cecinit, Memoriam fecit omnium mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe. Et Chryſoſtomus ſæpè amplificat & commendat incomparabilem Chriſti charitatem erga nos in hoc ſacramento oſtenſam, quo nos paſcit carne ac proprio ſanguine, & ita amorem matrum in liberos, & paſtorum in gregem antecellit. Vnde ſapiēter Auguſtinus obſeruat, Dominum Ieſum, quò vehemētiùs commendaret myſterij iſtius altitudinem, vltimum hoc voluiſſe infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Ab eodem, quanta debeatur teſtamenti verbis reuerentia, ita ſcribitur. Quid hoc eſt (inquit) rogo, cùm verba nouiſſima hominis morientis audiuntur, ituri ad inferos, nemo dicit eum eſſe mentitum, & impius iudicatur hæres, qui fortè illa contempſerit: Quomodo ergo effugiemus iram Dei, ſi vel non credentes, vel contemnentes, repulerimus verba nouiſſima & vnici filij Dei, & Domini ac ſaluatoris, & ituri in cœlum, & inde proſſpecturi quis ea negligat, quis obſeruet, & inde venturi vt de omnibus iudicet? Habeo manifeſtiſſimam vocem paſtoris mei commendantis mihi, & ſine vllis ambagibus exprimentis Eccleſiam, Mihi imputabo, ſi ab eius grege, quod eſt ipſa Eccleſia, per verba hominum ſeduci atque aberrare voluero, cùm me præſertim admonuerit, dicens, Quæ ſunt oues meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Ecce vox eius clara, & aperta, & audita. Qui eum non ſequitur, quomodo ſe ouem eius dicere audebit?

Ad Galat.3. — Pſal.110. — Augu.ep.118. — Augu.de vnita.eccleſia.cap.10.

A CIRCVNSTANTIA FINIS INSTITVTAE *Eucharistiæ.* CAP. 6.

POSTREMÒ Augustinus monet spectandum finem scripturæ de qua dubitatur, an propria, an figurata sit. Nam si fidem ædificat, & Ecclesiam exhilarat, in spem diuinæ dilectionis, & hæreditatis æternæ, eius proprietas retinenda prorsus est & amplectenda. At historia & descriptio Cœnæ, finem institutionis, ne coniecturis agamus, innuit esse commendationem charitatis, qua Christus toto vitæ cursu, & in morte dilexit nos: memoriam mirabilium operum eius, & beneficiorum, quibus affecit genus humanum: remissionem peccatorum, quam in rerum oblatarū perceptione proponit & promittit: intimam denique cum Christo & Deo nostri coniunctionem. An plura, an potiora excogitari possunt ad confirmandam aliquam in sua proprietate scripturam? Qui semetipsum donat per proprium corpus in mysterio, quomodo non omnia nobis donabit? Quid pretiosius, quid dignius habuit Christus, quod suis daret, quàm seipsum? Totum enim quod de nobis sumpsit, totum nobis contulit, non modò in pretium per crucem, sed in cibum per mysterium, vt vnum efficeremur cum ipso. Quo honore, qua maiore dignitate Christus nos potuit honestare, quàm vt profiteretur nobiscum se semper velle manere? Non negamus multum frugis & solaminis, Christi in cruce passi memoriam nobis afferre, scimúsque quòd consessio eius ad dexteram patris, vbi pro nobis orat & regnat, vniuersam defendit Ecclesiam. At cùm certa fide credimus Christum adsistere sacramento, quod sumimus, mirum in modum flamma diuinæ dilectionis cor nostrum accendit, & Christi passi memoriam dulciùs recolimus, & illic in cœlis apud patrem regnantem adoramus, & istic in terris apud nos manere non ambigimus, gloriamúrque nullam esse tam grandem nationem, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Cur negamus quod Christi verba clamant? An nescimus, quod Ioannes in Cœna præfatur, quia pater omnia dedit illi in manus, vt nihil illi sit impossibile? An ita osores eius sumus, vt corpoream eius præsentiam abhorreamus & fugiamus? Hoc quidem ingenium cuilibet animanti à natura traditum est, vt si rem, quam diligit, præsentem habeat, maiori affectu feratur in eam, quàm si absens fuerit: atque cùm ea fruitur præsente eius discessu animus angitur & perturbatur. Sermonis Christi corruptores vel non diligunt Christum, aut in ipsis sic natura deprauatur, vt absentem Christum magis diligant, quàm præsentem. Tantò alacriùs spem remissionis in peccatis concipimus, tantóque fortiùs contra diabolum ac mundum pugnamus, & de auxilio magis confidimus, quantò præsentiorem Christum nobis adesse senserimus, & eius præsentia magis firmamur. Nam sicuti milites huius seculi aduersus hostes, præsente duce, constantiùs pugnant, ita vt non tantùm natura vires præbeat, sed oculus etiam ducis vim conferat: sic præliantur animosiùs Christiani, si præsentem ducem suum Christum habuerint, secúmque esse vsque ad consummationem sæculi credideriat, non solùm spiritali præsentia, qua Deus est, sed etiam corporea, qua homo ipsis in sacramento præstò est. Nihil sublimius, nihil excellentius Ecclesia hoc Sacramento potuit à Deo suscipere, non solùm propter substantiæ mutationem, quæ in eo fit, & alia dona ac bona quæ inde capit, sed quòd in vnum corpus cum suo pastore & Christo redigitur, non tantùm spiritu, quod recta fides & charitas sincera consequitur, sed vt simus membra corporis eius ex carne

August. de doctr. christ.

& ossibus eius, quemadmodum vetustissimi Patres locum Apostoli interpretantur, & postea sumus tractaturi. Stupendum sanè est hoc mysterium, & omnem admirationem superat. Sed licet humana mens ad tantæ cognitionis altitudinem attingere nequeat, vt rationem tantæ diuinæ dignationis comprehendat: absit tamen vt negare præsumat, quod scriptura affirmat, & tot modis fidem, spem, & charitatem accendit & ædificat. Pudeat verò aduersarios suæ temeritatis, qui ne sua bona norint, Christi gloriam obscurant, eiúsque verbis vim faciunt, nihilque eius sacramento relinquunt, quod deceat circunstantias illas ab Euangelistis adeò diligenter descriptas, & quod inanes legis figuras excedat. Excipiunt aduersum nos aduersarij ex eodem Augustino, quasi dictum Christi figuratum sit, quia flagitium sapiat. Hoc quidem verum est, si textus nullo spectato fine acciperetur, ait ipse Augustinus: verùm si res ipsa instituta consideretur, vt communicetur Christi passionibus, flagitium non est. Sed de hoc, tertiæ repetitionis primo capite, & aliàs copiosiùs de institutionis fine.

EXCVTITVR INSTITVTIONIS TEXTVS: ET *primùm à figura veteris Paschæ, & Agni.* CAP. 7.

Tria instituta à Christo in Cœna, quæ probant corporis & sanguinis præsentiam.

CVM IN enarrandis gestis Christi polleant Euangelistæ mira verborum breuitate, & rerum ac mysteriorum copia, tùm maximè ipsorum hæc diuina planè industria in descriptione Cœnæ dominicæ elucet: Sunt enim admodum diligentes in dictorum & factorum à Christo circunstantiis designandis & exprimendis, quibus veritas & dignitas rei oblatę in Cœna demonstretur. In summa, tria tum instituta & inchoata à Christo declarant, nouum Pascha, nouum Testamentum, & nouum Euangelij regnum, quorum vnumquodque figurarum nebulas depellit, ne in eorum institutione figuras figuris substitutas somniemus. Exordiuntur à statuenda Christi potentia, quæ valeret efficere, quòd effectum verba significarent: finem & intentionem annotant, atque temporis opportunitatem, vt indè aliquid augustius ac diuinius solito ab illo præstitum statim coniiciamus.

Ioan. 13.

Ante diem festum Paschæ (ait D. Ioannes) sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad patrem: cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos: sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à Cœna, ac ponit vestimenta sua. Hîc Euangelista causam institutionis subindicat fuisse vehementissimam Christi erga nos charitatem, qua nec vitæ suæ pepercit, quin eam pro nobis profunderet, nec carni, quin ipsam ad pedes nostros, & in nostrum esum demitteret: potentiam præterea amplificat, qua coæqualis esset patri. Temporis verò cum aliis Euangelistis idem Ioannes triplicem circunstantiam attingit: veteris Cœnæ ac Paschalis adimpletionem, instantem Christi mortem, & vesperam quæ inchoaret nouum diem, & suarum tenebrarum exposceret illustrationem. Addamus cœnaculi amplioris, ac loci superioris benè compositi atque ornati, à Christo factam selectionem, quo sursum corda habere, & animum, corpus, ac locum, ad tanti mysterij doctrinam, celebrationem, & susceptionem apparare seu disponere monemur & iubemur. Tantæ venerationi fuit primis Christianis locus hic, vt ipsum appellarint superiorem Apostolorum Ecclesiam: & in ea prædicarint Apostolos Liturgiam celebrasse, ex eáque Virginem matrem mortuam in Gethsemani asportatam fuisse. Non prætereamus pedum lauacrum, quod ante Euchristiæ confectionem

Hieron. et Remi. in Matth. Hysich. lib. 6. in Leuit. ca. 22. Ioannes atque alij Euangelistæ circunstantias attingunt, quæ nos de veritate moneãt. Nanziã. in or. pasch. Cyril. Hierosol. catec. 16. Proclus in Tradit. Liturgiæ. Dio. mag. lib. de diuinis nom. ca. 3.

nem adhibitum à Christo D. Ioannes innuit, & testantur antiquissimi scriptores Tatianus & Ammonius, vt Sedulium & Euthymium atque alios omittam, quo doceremur ad illam illota conscientia non accedere. Postremò Euangelistæ non obscurè tradunt, & cum Caluino, Beza, atque alij ferè omnes aduersarij consentiũt, Christum ordine triplicem Cœnam peregisse: typicam seu figuratiuam ex Agno paschali, quem stando & calceis non detractis festinanter, iuxta legis præscriptum, manducauit cum Apostolis: alteram communem, cùm mensæ accubuisset, quam longiùs & ad multam noctem, interpositis variis sermonibus de proditore & aliis rebus protraxit, & in qua poculum libatorium propinauit, suísque exhibuit: à qua surrexit, & pedes Apostolorum abluit, ad mensámque rediit, vt tertiam Cœnam mysticam, siue sacramentum sacrosanctæ Eucharistiæ instrueret, vtique à duabus antecedentibus differentem & alienam. Qua de causa enim eandem, aut alteri parem iteraret? Antequàm verò progrediamur, cogor duabus pugnantibus opinionibus de Christi facto occurrere. Vni videtur ab ipso Pascha Iudaïcum non fuisse celebratum, quòd seriùs ac tardiùs, quàm posset agnus ab ipso immolari & apparari, de eo fuerit cum Apostolis collocutus, & ciuitatem Hierusalem ingressus. Caluino contrà & Bezæ placet, Christum vno die anteuertisse Iudæos, qui eo anno non decimaquarta luna iuxta legem comederunt Pascha, sed in quintam decimam procrastinarunt, quoniam coincideret Sabbatum magnum, & ex traditione habebant, vt duo festa in vnum diem conferrent, quoties vnum alteri succederet. Scio Nicephorum, Munsterum, Osiandrum, atque alios non indoctos eam sequi sententiam. Veráne sit, an falsa, non pugno: tantùm nego ex Euangelio liquere, quòd vno die Iudæos Christus anteuerterit. Sed antea priorem opinionem excutiamus. Imprimis nihil exactius præcipiebatur Iudæis, quàm legitima Paschalis solemnitas. Qua de causa qui Iudæos affligere, aut eorum Rempublicam diuexare & perturbare nitebantur, Paschales ceremonias corrumpebant: nihil verò prius aut potius curabant, quàm legitimos ritus feriendi Paschatis, qui collapsum Reipub. Iudaicæ statum restituebant in integrum, tanquam ab hoc festo potissima pars religionis Iudaïcæ penderet: quemadmodum legitur in historia Ezechiæ, Iosiæ, Esdræ, & Macabæorum: neque Ezechiel vaticinatus de reparatione status Iudaïci Pascha silentio præteriit. Ex qua cura & diligentia datur nobis documentum, quantum intersit Reipublicæ, vt verum Pascha, & Eucharistia sarta tecta seruetur, ac ritè administretur. An verò credibile est, à Christo legis hoc præcipuum caput fuisse neglectum, cùm leuia quæque obiret ad scandalum euitandum? Deinde ex Euangeliorum lectione planum fit, Apostolos apparasse Pascha, & Christum de ipso epulatum fuisse. Scriptum est enim, Prima die azymorum quando Pascha sacrificabant, dicunt ei discipuli, Quò vis eamus, & paremus tibi manducare Pascha? Et abierunt discipuli, & parauerunt Pascha. Item, Venit dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens, Euntes parate nobis Pascha vt manducemus. At non de agno volunt hîc intelligi Pascha, sed de pane azymo, atque aliis ad Paschalem solemnitatem requisitis. Sed textus repugnat: bis enim dicitur, Quando Pascha sacrificabant, &, Venit dies in qua necesse erat immolari Pascha. Quod vtique interpretari de azymis non possumus, sed de agno capi debet. At (inquiunt) quando misit Christus Apostolos, tardius erat, quàm vt apparari agnus posset, & fieret Pascha: nam oportebat ipsum decima luna segregari & asseruari, & decima quarta inter duas vesperas immolari à patrefamiliâs, & de eius sanguine postes illiniri, carnes assari, & lactucas agre-

Tatian. & Ammo. in Harmonia.

De triplici Cœna, quam Christus in eadem nocte fecit.

Duæ falsæ opiniones de Christo circa esum paschalem: vna Villagagnonis, & altera Caluini & Bezæ.

Quantum intersit reip. Eucharistiam verè peragi.

Paralip. lib. 2. cap 30. & cap. 35. Esdr. lib. 1. cap. 6. Ezech. cap. 45.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

ſtes conquiri, quæ omnia paucis horis Apoſtoli nequiuerunt præſtare. Adiungunt, duodecim Apoſtolorum numerum minorem fuiſſe, quàm ſufficeret ad edendum agnum, ſiue hœdum anniculum in Paleſtina alitum, vbi dupla quantitate noſtros excedere dicuntur. Verùm apparet ex Ioſepho ciues Hieroſolimitanos exteris aduenientibus ad celebrandum Paſcha, & cubicula, & agnos, & omnia neceſſaria ſolitos præparare, & pretio accepto ſubminiſtrare. Qua de cauſa in Euangelio ſcribitur, Ite ad quendam, & ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate. Cœnaculum vtique iam in eum vſum inſtructum, quod pretio vel precariò conduxerunt Apoſtoli de more: atque ita fiebat de agnis: adeò vt quiſque ciuis tot agnos decima die ſepararet, quot opus haberent exterorum familiæ, quarum capaces haberet ædes, & ſub vno ciue plures agni à pluribus iuſtis familiis per cubicula & manſiones earumdem ædium partitis, manducari poſſent. Iuſta autem familia, viceni aut deni homines cenſebantur, ſicut idem Ioſephus author eſt. Si quid verò reliquiarum ſupereſſet de agno, quem hominum numerus non excediſſet, igne conſumebatur. Apoſtoli itaque ſtatim ad manum Paſchalem agnum inuenerunt, quem Chriſto aduenienti immolandum ſeruauerunt, aut eius ædium Dominus, aut ipſimet ad ſacerdotem de more ſacrificandum detulerunt, ſicut in vſu fuiſſe Ioſephus oſtendit. Sed de his ampliùs, cùm ad ſacrificium Miſſæ ventum fuerit.

De more Iudaicarum familiarum ad parandum agnum Paſchalem.

Ioſeph de bello Iudaico, lib. 5. cap. 45.

Porrò non eſt quod miremur, Caluinum & Bezam de ſacroſancta Euchariſtia, re difficillima, & paucis verbis comprehenſa, varia, pugnantia, & abſurda multa arroganter & impudenter effutire, cùm de Paſchate Iudaico à Chriſto peracto, multa inepta, imperita & contraria comminiſcantur. Pugnant inter ſe, Chriſtum Paſcha Iudaicum cum patrefamiliàs egiſſe, & vno die anticipaſſe Paſchatis apud Iudæos celebritatem. Si enim eo die ex traditione nefas fuit Iudæis Paſchalem agnum delibare, quis credet patremfamiliàs, contra morem gentis traditionibus addictiſſimæ, Chriſto acquieuiſſe? Pugnant, Chriſtum defunctum fuiſſe agni Paſchalis officio, ſtando antequàm cœnaculum conſcenderet: & tamen de eodem agno dici, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha edere vobiſcum, antequàm patiar. quod dictum ab illo fuit, poſtquàm diſcubuiſſet in cœnaculo. Mirum eſt Caluinum & Bezam agnoſcere Iudæorum traditiones, contra toties repetitum legis præceptum de luna quartadecima, & nullas Chriſtianorum etiam ſcripturis concordes, aut non aduerſas admittere. Pugnant, à Chriſto Paſcha Iudaicum cum patrefamiliàs fuiſſe perfectum decimaquarta luna, priuſquàm in cœnaculum ad opus ſui miniſterij ſecederet: & eundem Chriſtum iam profunda nocte cum ſolis ſuis duodecim accumbentem, inter duas veſperas Iudæorum Paſcha feciſſe. quod vtrunque Caluinus docet, & perinde eſt, ac ſi diceret, Chriſtum bis agno Paſchali operam dediſſe. Ineptum eſt & imperitum, quod Caluinus duas veſperas decimæquartæ lunæ definiuit, à ſolis occaſu eiuſdem diei vſque ad primam lucem conſequentis: quaſi prior veſpera à ſolis occaſu eiuſdem diei vſque ad obſcuram noctem produceretur, & poſterior cum ſolis ſubſequente ortu coniungeretur, vt inter duas veſperas probet Chriſtum vacaſſe agno immolando, & manducando. Sed quid ſtultius fingi poteſt, quàm veſperas decimiquarti diei, quas occaſus ſolis excludit, nocti decimiquinti diei attribuere? Puduit quidem Bezam huius erroris, & ſpatium temporis, quod occaſum ſolis inſequebatur, decimiquinti diei initio tribuit, quoniam hora duodecima Hebræis diem finiat: ſed non vidit eo pacto ſe in repugnantiam incidere. ſcribit enim Chriſtum decimaquarta peregiſſe Paſcha, & vno die Iudæos præueniſſe: & interim ea nocte, quam aſſignat decimæquintæ

Pugnantia loquuntur Caluinus & Beza de agno Paſchali.

Calu. in Harmon. & Beza in Annotat. in nouū Teſtam.

lunæ, id factum à Christo contendit. Nihil verò tot argutiis opus est, cùm actio Christi cum lege prorsus conueniat. Immolabatur agnus quartadecima luna primi mensis ad vesperam, ita vt tempus immolandi complecteretur totum diẽ vsque ad vesperã, quæ ingruebat nocti decimæquintæ, qua tota nocte licebat edere agnum, Ita enim scriptura iubebat, Edent carnes nocte illa assas igne, nec remanebit quicquam ex eo vsque manè: ita vt celebritas agni Paschalis diem quartumdecimum, & noctem decimiquinti occuparet, sed illum ad immolationem, hanc verò ad esum. Quòd si tantùm licuisset immolare vesperi, potius ascribi deberet agni Paschalis totus ritus decimæquintæ lunæ, quàm antecedẽti: quoniam vespera nocti coniuncta pertinet potiùs ad diem nocti proximum, quàm ad alterũ superiorem, iuxta scripturæ phrasin, quæ ait, vesperè & manè diem vnum componi. Non nego tamen, quin immolatio facta in illa vespera, vt fortassè à Christo facta est, referretur ad quartumdecimum diem: quoniam familiare est scripturis, eandem vesperam antecedenti & insequenti diei indifferenter attribuere, eo quòd vtrunque annectit. Ob id permittebatur opus agere in vespera præcedente sabbatum, & in vespera ipsum finiente: quoniam vtraque vt sabbato, ita etiam aliis diebus sabbatum circunstantibus imputabatur. Sic Ioseph ab Arimathia in vespera magnum sabbatum præueniẽte vnxit & sepeliuit Iesum, eo quòd, sicut notat scriptura, vespera illa erat de ratione parasceues, quemadmodum & sabbati: Et piæ mulieres in vespera idem sabbatum concludente, emerunt aromata: quia, inquam, eadem vespera vt ad sabbatum, ita ad diẽ insequentem pertinebat, quo fas erat operari. Non sum nescius, quid docti homines afferant cum Rabinis & Iosepho de duplici vespera festorum, quarum priorem à meridie, aut pomeridiana tertia hora ad sextam producunt, & alteram ad noctem vsque intempestam: sed vix scriptura eas patitur aut agnoscit subtilitates, nec mihi verisimile videtur, tribus horis in templo ad trecenta milia agnorum immolata fuisse, & viscera separatim intra hoc tempus adoleri potuisse, quot ferè in festiuitatibus Paschæ solita mactari narrat Iosephus. Non tanti est, vt putemus Christum ante Iudæos comedisse de agno, quòd scribatur hos non intrasse prætorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Nouimus azymos panes solemniorum vsui destinatos, & dies festos septem, atque inter eos primum, per antonomasiam nomine Paschæ contineri. Ita enim Lucas explicat: Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. & D. Ioannes ait, Parasceue autem Paschæ hora quasi sexta. Qua in significatione sanctioris festi accipitur, quando Christus dixit, Scitis quia post biduum Pascha fiet: adeò vt non necesse fuerit Bezæ etiam textum ipsum deprauare, & vertere, Scitis intra duos dies Pascha fore, & non solùm Ecclesiæ, sed etiam magistro Caluino repugnare, qui lectionem communem hoc loco sequitur. Quamobrem ne reuocemus in dubium, de quo, vt opinor, nemo antiquorum Patrum dubitauit, An Christus Iudaicum Pascha cum suis discipulis, tanquam paterfamiliàs, fecerit tempore & ritu legitimo, cui post expletas de more epulas cõmunium ciborum, sacrosanctæ Eucharistiæ institutionẽ subiecit, & suffecit. Quàm verò viuam atque expressam Christi agnus hic, atque eius esus, imaginem & figuram gerat, D.D. Ioannes & Paulus aperuerunt, quorum alter ait, Os non comminuetis ex eo: alter verò dixit, Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis. Quin etiam Caluinus contra Magdeburgenses contendit, ex Paschali agno esse de sacra Cœna iudicandum ac statuendum: porrò agnus non merebatur dici Pascha ex eo tantùm, quod decima quarta luna primi mensis mactaretur. Etenim lex in mactatione non quiescit, sed de ipsius esu longè magis est sollicita, quàm de nece: Ideò

Ioseph lib. 5. cap. 45. de bell. Iud.

Ioan cap. 18.

Ioan. cap. 19.

1. Cor. 5.

Ex esu reali agni Paschalis et morte, probatur esus realis corporis Christi, vt eius mors.

laborat diligentius in tradendis ritibus de ipsa manducatione, quàm de iugulatione. Et certè si eodem die agnos sexcentos occidisset populus, quos vel omnino non degustasset, vel saltem non instituto ritu manducasset, nemo eos agnos Paschales nuncupasset. Igitur Christum oportuit, non tantùm pati, & occidi ad agni Paschalis exoluendam figuram, sed comedi, cùm lex in agno & verbis & suis ceremoniis exactius commonefaciat de esu Christi, quàm de morte, vt sit Pascha nostrum. Cur enim Christus per solam mortem erit Pascha, cùm agnus per solam necem hoc non reportaret cognomentum, sed ex esu? Quod si ad agni Paschalis implendam figuram, non satis fuit Christo occumbere spiritaliter, sed corporaliter vitam debuit profundere, quomodo satis erit ipsum mandi spiritaliter, vt perficiatur quod in agno Christi figura, tanquam præcipuum, lex commendat? Christus agnus occisus est ab origine mundi, sed fide tenùs & spiritu: nec ea occisio potuit agni Iudaici explere veritatem, nisi re ipsa & verè agnus verus ille conficeretur & necaretur. Itidem manducatus fuit ab origine mundi, sed fide tenùs ac spiritu: & multo minus talis manducatio potuit exhibere veritatem agni Iudaici, & Paschatis adimpletionem, quàm spiritalis occisio: quandoquidem ratio Paschatis, & agni Paschalis, non propriè in mactatione agni constitit, sed in esu quadam ceremonia præscripto. Christus ipse Pascha in esu versari, verbis his pronuntiat, desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Apostolus etiam Christum appellari nostrum Pascha ex ipsa manducatione satis innuit, cùm inquit, Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque ἑορτάζωμεν id, est, solemni ritu epulemur in azymis sinceritatis & veritatis. Sed quid esset edendum, significauit, cùm Christum Pascha nostrum immolatum prædixit. Quod si spiritalis, inquam, manducatio sufficeret ad perficiendam Iudaici Paschatis significationem, multo magis spiritalis Christi occisio suffecisset, cùm ratio Paschalis non constituatur propriè, & maximè in occisione, sed in ipsa ceremoniali & externa manducatione ac vera. Facessunt nobis negotium aliqui de tempore institutæ Cœnæ: quasi Christus non potuerit apponere corpus suum loco agni Paschalis, nisi post mactationem & passionem. Respondemus in agno figura, antecessisse mortem, quoniam edi communis caro, nisi mortua, nequiuit ab homine: sed carnem Christi viuam & viuificatricem credimus ex eius singulari potentia & prærogatiua nos edere, cui mors tantùm est dominata, quando & quandiu voluit. Respondemus Christum quasi mortuum habitum fuisse, & sepultum, ideóque à Magdalena perunctum: atque alia nonnulla per anticipationem dicta factáque, cùm dici & fieri ratio postularet, & Christi natura non repugnaret: alioqui si edi nisi mortuus non posset, vel non deberet, neque ederetur post resurrectionem, nisi iterum moreretur. Respondemus agnum oportuisse edi ante transitum Angeli, & egressum de terra Ægypti, eóque pacto decuisse Christum, antequàm transiret de hoc mundo ad patrem, comedi, & qua hora vetus Pascha finē capiebat, eadem nouum inchoari fuisse æquissimum, atque ita rationi consentaneum, vt passioni Christi Cœna anteiret. Tāta verò est conuenientia inter Cœnam dominicam, & esum agni Paschalis, vt Caluinus in Exodum statuat, agni sacramentum esse Cœnæ nostræ analogum, eiusdémque prorsus & rationis & finis. Certè vtraque fuit quædam sacra Cœna & mystica: & ex contextu Euangelistarum cognoscitur, Eucharistiam institui, partim per allusionem quandam, partim per oppositionem ad Cœnam agni typici & Paschalis, nec non ad veteris Testamenti promulgationem, vt ex collatione rerum, verborum, ac rituum veritas ipsa magis eliciatur & eruatur. Certè vtraque fuit quædam sacra Cœna, ac

Luc. 22.

Paul. 1. ad Cor. 5.

Vide ex Hesychio & aliis. lib. 2. de sacrificio. cap. De figura agni.

Quanta sit conuenientia inter Cœnam agni Paschalis, & Eucharistiam. et ex dissimilitudine

vesperi peracta: vtrobique fœdus inter Deum & homines sancitur: vtrobique significatur redemptio populi ex seruitute: vtrobique agnus, sed illic pecudis, apud nos agnus Dei offertur Deo sacrificium, & hominibus in esum, ad certi fœderis confirmationem. In vtraque Cœna sunt quatuor pignora, externóque modo adhibita, quibus celebratur fœdus & testamentum. Illic fuit panis azymus, corpus agni Paschalis, vini haustus, quo Cœnam Paschalem conclusam à Christo Lucas ostendit. Adfuit quoque sanguis sacramentalis, sed postibus illinitus, quia nefas erat Iudæis sanguinem sumere. Hîc in nostra Cœna similiter, non tantùm panis, sed & corpus Christi agni exhiberi debuit, & cum illo vinum & sanguis. Vtraque Cœna non tantùm vnius cuiusdam memorabilis facti commonitorium habet, sed etiam præsentis beneficij ex ea victima progredientis applicationem continet. Vtraque requirit celebrationem eius facti, in cuius memoriã est instituta, & quasi quandam solemnem recitationem verborum: verba quoque ipsa vtriusque sacramenti sibi inuicem corresponderunt. Mandauerat enim Deus, vt peragendo ac comedendo illã victimam, patresfamiliàs differerent de ea, docerétque liberos suos, qualis ille panis azymus ac potus esset: cuius victimæ illæ carnes ad comedendum propositæ: cuius ille sanguis, qui postibus illiniretur, quísve finis aut vsus illius sacræ Cœnæ esset. Sic proculdubiò Christus de more exhibens illam Cœnam typicam, dixit Apostolis, hoc est corpus agni Paschalis, & hic est sanguis testaméti in illo agno. At ea Cœna perfecta, & eo sacramento antiquato, cùm nouum substituit, per antithesim dixit, Iam nõ est corpus illius agni, sed corpus meum, quod pro vobis datur. Iam non est sanguis postibus illiniendus, sed est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effunditur. Conformitas rituum in vtroque Paschate & fœdere, ac vicissim differentia & dissonantia rerum, quæ verbis exprimitur, satis arguunt, corpus & sanguinem cum panis & vini speciebus populo tradi, vt nouum Pascha & nouum Testamentum verè ac propriè intelligantur institui, & veteribus longè præstantiora surrogari. Quòd si spiritaliter tantùm, & per fidẽ Christus perciperetur in Eucharistiæ Cœna, quemadmodum placet aduersariis, si ne quidem locutio, qua instituitur Eucharistia, alia est quàm sacramentalis, & eadem qua dicitur agnus esse Pascha, quid aliud Christus egit in Eucharistia instituenda, quàm operam perdidit? Si sic est, nec rerum nec verborum figuræ desierunt, nec noui Testaméti, nec noui regni Christus in Cœna initiũ fecit. Quid enim Eucharistia affert, aut præ se fert, quo Cœnã typicã & figuratiuã agni excellat, siue quoad rẽ, siue quoad sermonem? Certè Christus atque eius passio significantiùs & expressiùs per agnũ assum, eiúsque sanguinẽ postibus illinitum repræsentabantur, quàm per aridum panem, aut vinum purum: & Christi caro spiritaliter pro mensura fidei tam participabatur in mãducatione agni, quàm pro eadem mẽsura participatur spiritaliter in Eucharistia: & sermo Christi in sua Cœna danda, ab aduersariis non alius esse defenditur, quàm quo agni Iudaici mãducatio & Cœna comprehenditur, quoniam in vtraque aiunt esse parem locutionem sacramentalem. Quorsum ergo spectauit enumeratus antea apparatus? quorsum Paschalis agni quasi perfunctoriè præmansus cibus? An ementiemur Christum imitatum Calcidẽsem hospitem, qui cœnam dubiam & opiparam, multis in speciem ferculis instructam, cùm exhibuisset Alexandro, interrogatus vnde illa deliciarum copia ingenuè confessus est ex suilla carne constare omnia, quæ ingeniosa coquorum ars ita variarat? An nihil aliud interesse putabimus inter Cœnam paschalem & Eucharistiam, quàm veruecinæ carnis & panis varium ac diuersum condimentum? Quorsum ab imo Christi pectore prodiens ista Christi contestatio, desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequàm patiar? Numquámne Paschalem Cœnam a-

Veritas corporis Christi in hac elucet.

gni cum discipulis ceperat, aut quam ob causam hæc postrema maiori desiderio erat expetenda, si alterius longè augustioris & dignioris non fuit præparatoria? Quòd si de vero Paschate hanc sententiam interpretamur, istud in figura tantùm manducare quis tam ardenter desiderarit? Desiderauit (inquit Emissenus) manducare hoc Pascha: id est, nouum mysterium noui Testamenti, quod tradebat discipulis, quódque plures ante eum Prophetæ & iusti cupiuerant edere, quomodo cupierunt videre quæ non viderunt. Erant illis in promptu figuræ carnis dominicæ: has nec videre, nec mãducare desiderabant, sed ipsum Christi corpus, & Christum ipsum. Non ad vmbram, sed ad ipsam lucem contendebant. Quomodo ergo Christus typicum agnum concupisceret, & non ipsius veritatem? Neque verò tanti fuit veruecina Iudaica (ait Tertullianus) vt delectare, & magno desiderio Christum afficere potuerit: sed professus est (inquit) se concupiscentia concupiuisse edere Pascha suum, & acceptum panem, ac distributum discipulis, corpus suum effecit. Itaque veteris Paschatis complementum, & translatio in nouum, & huius substitutio, eiusdem cum veteri opposita & facta à Christo collatio ac descriptio, ad ipsumque præmissa singularis quædam dispositio, satis arguunt, vtrunque Pascha re & sermone rem declarante differre ac discrepare, & nouo Paschati Christum aliter inesse, atque sumi, quàm in veteri adesset, & sumeretur. De nouo Testamento proximum caput disputabit, & de nouo regno dicetur libro secundo de transsubstantialitate, vbi Christi clausulam de genimine vitis excutimus. Hîc etiam sunt accommodanda, quæ de natura sacramentorum veteris legis & nouæ suo loco conferemus.

Euseb. Emiss. citante Thoma in Catena Hieron. in cap. 26. Matth. Tertull. lib. 4. in Marcion. Chrysost. hom. 83. in Matth. Origen. in Matth. 26. Hysich. lib. 2. in Leuit. ca. 22.

EX VERBIS CHRISTI, QVIBVS EVCHARISTIA instituitur: & ex inchoatione ac proprietate noui testamenti. CAP. 8.

HOc loco repeti debent capita de benedictione, & de significatione huius orationis, Hoc est corpus meum, quæ libro primo de transsubstantialitate tractabimus. Historia verò constitutæ sacrosanctæ Eucharistiæ sic habet: Cœnãtibus illis accepit Iesus panem, & benedixit, siue gratias egit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: siue, Hic calix nouum est Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur. Ante omnia ausi sunt aduersarij textum ipsum multis modis corrumpere Ex verbis transitiuis εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν, reddunt verba absoluta. Impudenter tanquam notum & confessum ponunt, à Christo dici, panis hic est corpum meus, & ita ipsius verba sonare: & in ea ad scripturam facta additione fundamentum iaciunt omnium fallaciarum, quibus Cœnam dominicam per sacramentales regulas & locutiones, quas confingunt, violentiùs opprimunt, & Lutheranorum oculos quasi cornicum configunt. Sed nec textus ita habet, nec patiuntur scripturæ, ex quibus translatus est, vt ita habere possit, quemadmodum in transsubstantialitatis disputatione probabimus. Alij multis modis contorquent pronomen hoc, de quibus videbitur etiam libro de transsubstãtialitate. Deinde Beza τοῦτο τὸ αἷμά μου latinè reddit, Hoc est sanguis meus noui testamenri: quasi τοῦτο indicet vinum aut poculum, & non sanguinem ipsum: atque ad eam versionem, nouam quidem, & hactenus inauditam, se impelli ait Lu-

Quot modis corrumpant textum aduersarij.

Caluin. in cap. 11. 1. ad Corint. Heidelbergenses in Protocol. di...nt. Mulbrunensis: & plerique Lutherani.

Varijs modis pauca Christi verba corrupit Beza in annot. in nouum testam.

cæ

cæ textu, qui fert, τοῦτο τὸ ποτήριον. id est, hoc poculum. Egregia ſanè, & Theodoro Beza digna argutia, ſed quæ in authorem retorqueatur facillimè. Si enim apud Lucam τοῦτο demonſtrat ποτήριον, ſiue poculum, cui affigitur, quare non demonſtrabit αἷμα, ſiue ſanguinem, cui ſimili phraſi annectitur? Deinde cùm eadem locutione dixerit Moyſes, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, quod Beza latinè ait, Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandauit vobis Deus, quare non tranſtulit, Hoc eſt ſanguis Teſtamenti: cùm ſanguis hyſſopo contineretur ſicuti vaſculo? Aut ſi Moyſes hoc genere dicendi nihil aliud voluit oſtendere, quàm ſanguinem ipſum, cur eodem prorſus ſtilo Chriſtus exiſtimabitur vaſculum, aut neſcio quid aliud præter ſanguinem indicaſſe? Tertiò, poculum pro vaſe, aut vini potione, non poteſt eſſe nouum Teſtamentum, neque teſſera noui Teſtamenti, quod exigit ſanguinem filij Dei. Ideò non aliud quàm ipſemet ſanguis deſignatur per poculum, vt paulò pòſt oſtendetur. Beza rurſum audet violentas manus textui Euangelico afferre, & de ſolœciſmo Lucam Euangeliſtam inſimulare, quia ſcripſerit, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id eſt, hoc poculum nouum teſtamentum in meo ſanguine, quod pro vobis effunditur. Audet, inquam, Beza Lucam accuſare, quia retulerit, quod pro vobis effunditur, ad poculum, & non ad ſanguinem: cùm vaſculum, inquit Beza, aut vinum contentum, non fuerit pro nobis effuſum, ſed ipſe ſanguis. Atque adeò non veretur textum ipſum contra fidem & conſenſum omnium exemplarium, ſicut fatetur, interuertere, atque articulum relatiuum τὸ cũ participio ἐκχυνόμενον, à nominandi caſu in iſtum datiuum τῷ ἐκχυνομένῳ immutare, ac dicere, In ſanguine meo pro vobis effuſo, ſiue qui pro vobis funditur. Priùs Cinglius in epiſtola quadam deprauarat idem relatiuum, & expoſuerat, Quatenus pro vobis effundetur: quaſi articulus τὸ, qui ſubſtantiam dicit, ſignificaret modum. Quo cõceſſo, non tamen tolli poſſet ſubſtantia, cùm ille modus, ſubſtantiæ eſum requirat, vt hoc capite diſſeretur. Nec ſolùm audet Beza contra fidem omnium exemplarium textum vitiare: ſed cùm ſcribat ſibi cauſam non videri, cur Lucas vſurparet ſolœcophanes, nihilominùs audet Lucam emendare, & eius textum vertere, ac ſi vſus eſſet ſolœciſmo. At rectè Lucam elocutum fuiſſe, conueniunt omnia Euangeliorum exemplaria, quæ ita habere agnoſcit Beza. Euthymius quoque ita legendum profitetur, docétque eadem phraſis ab eodem Euangeliſta adhibita in iſta formula corporis, Hoc eſt corpus meũ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, quod pro vobis datur: vbi relatiuum τὸ reflectitur ad demonſtratiuum τοῦτο σῶμα, ſicuti fit in locutione poculi: & id certè Euangeliſta conſultò fecit. Quemadmodum enim Paulus ait, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur, κλώμενον, vbi aliquid de proprietate panis, vtpotè frangi, corpori Domini attribuit: ita contra Lucas aliquid de proprietate ſanguinis potioni aſcribit, nempè pro nobis effundi: vt panẽ & poculum poſt conſecrationem ea facta eſſe oſtendat, quorum proprietates induunt, & quibus ſuas viciſſim impartiunt. Quod verò ſcribit Beza, cõtra æquum audere ſe omnia exemplaria corrigere ex vnius Baſilij loco, fallitur, aut impudentiſſimè fallit. Non enim Baſilius aſſerit ita legi in Euangeliſta, vt placet Bezæ, aut citat eam lectionem tanquam ex Euangelio, ſed explanat ſenſum textus Euangelici, in quo poculum effuſum pro nobis, denotat ſanguinem qui in poculo pro nobis etiam effunditur. Ridiculum eſt τὸ ποτήριον à Caluino & Beza pro vaſculo capi, vt ex verbis Chriſti metonymiæ ſuæ inducendæ rimam aliquam inueniant, eámque efficiant probabiliorem, & tranſſubſtantialitatem magis ineptam: quaſi vaſculum aſſeramus in Chriſti ſanguinem conuerti. Sed quis neſcit, τὸ ποτήριον græcè, & poculum latinè, tam potum complecti, quàm vaſculum? Lucas & Paulus, ne erraremus

Exod. 24. ad Heb. 9.

Beza in anno. ad cap. 22. Luc.

ad potionis,& non ad vasculi significatum pertinere, suo modo per articulum relatiuum elucidant,hoc poculum quod pro vobis effunditur.Lucas in eadem nocte Christum Petro dixisse narrat, Calicem quem dedit mihi pater,non vis vt bibam illum?De cratere,τὸ ποτήριον,ne quidem Caluinus aut Beza isto in textu auderent interpretari. Sed quid aliundè subsidia quærimus?Apostolus Paulus in ipso Euchari-

1.ad Cor.ca.10. stiæ negotio hanc litem dirimit, cùm ait, τὸ ποτήριον ὃ εὐλογοῦμεν Calix cui benedicimus,nonne cõmunicatio sanguinis Christi est?An intellexit vasculum benedici,vt fiat corpus Christi, ac non potiùs potum ipsum?Poculum itaque potionem enuntiat,siue vini ante benedictionem,siue post illã, sanguinis dominici. qua in significatione Lucas & Paulus se accepisse declarant,cùm illud effundi pro nobis addunt. Postremò Beza præter morem suum abstinet ab exprimendis articulis, toties corpori & sanguini Domini affixis, ne cogatur fateri, quòd ex emphasi & excellentia denotatũ verum Christi corpus & sanguis demonstrêtur.sed statim de hoc amplior disputatio habebitur.Hactenus de corruptelis illatis Euangelistarum textui & literæ:nunc de verborum significatione ac de re pergamus cognoscere. Christus dixit,

Variæ rationes quæ probant textum in sua proprietate capi. Accipite,& comedite: quæ verba sunt aliquid exhibentis & largientis. Quid ergo detur, videndum est. Si sensus externi rogentur, non poterunt aliud respondere, quàm dedisse Christum suis panem & vinum. Et si muta quadam actione totam rem peregisset,non immeritò diuinationi daretur locus,& materia disputãdi,quidnam esset supra panem & vinum. At cùm disertis verbis mentem suam in ista munificentia & largitione declarauerit, quæso quis mortalium neglectis Christi verbis audiri debet? Accipite, edite, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Audi doni declarationem.Hanc si in alienum sensum & verbis contrarium detorseris, vt neges verum Christi corpus ab illo donatum,quod se donare asseruit,ex verborum

Galenus de placitis Plat. et Hippocratis. sono & textu nihil certò colliges edendum aut accipiendum, quàm à Galeno celebratum prouerbium,Cape nihil,& serua benè:siue, Accipite quod non est,& edite.Deinde ab oratione Christi expũgamus primùm verba, quæ Catholicam fidem adiuuant & tuentur, cuiusmodi deputo, Benedixit, &, quod pro vobis datur, &, Sanguis noui Testamenti qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Relinquantur verò ista omnia, Accepit Iesus panem, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus: Dispunctis aliis, adhuc credibilior longè maneret Catholicorum sententia, plano & simplici verborum sono comprehensa, præsertim nullis aliis scripturæ locis refutata: imò potiùs communi hominum de verborum significatione iudicio, & scripturarum communi loquendi vsu, ac Christi apud Ioannem de præbenda carne sua in esum facto promisso comprobata: sicque abundè ad profligandos Sacramentarios sufficeret,à quibus inusitata scripturis omnibus corporis dominici si-

Calui.lib.4.institu.cap.17. gnificatio fabricatur.Non placet Caluino, figuram puram corporis tantùm à Christo nobis dari in Cœna: quoniam(inquit)non dicitur,Hæc est figura corporis mei, sed,hoc est corpus meum. Verùm nec dicitur,hæc est efficacia sola,aut fructus, aut quid aliud corporis mei,vt valeat opinio Caluini,aut alterius,fingentis aliud ex verbis Christi præterquam corpus ipsum. At reponantur suis locis quæ fuerint ablata, nihilne lucis,nihil explanationis afferent ad demonstrandam & confirmandam Catholicam religionem? Prima inter nos versatur controuersia, Quodnam corpus suum Christus à se tradi intellexerit, & in qua re nobis ipsum porrexerit. Nos Catholici credimus, in specie panis idem corpus manibus Christi exhibitum fuisse, quod cruci est affixum. Imprimis, vt in specie panis donatum corpus euincamus,benedictionis,siue gratiarum actionis verbis, aliisque firmamentis nitimur,&

per-

persuademur, quæ in libris De transsubstātialitate à nobis ponuntur, & in isto sparguntur: sed maximè hîc agitur de corporis propria intelligentia, eiusdémque præsenti demonstratione in panis specie, atque exhibitione. Inter nos conuenit, variè in scripturis corpus Christi legi, & inueniri. Primùm enim significat corpus natum de Maria virgine. Deinde, corpus mysticum, & cœtum fidelium renatorum in Christo. Tertiò, veritatem Euangelij figuris & antiquis vmbris respondentem: vt ad Colossenses scribitur, Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, at corpus est Christi. Adde quartum, si placet, pro qualitate & proprietate corporis dominici, aut gratia & merito ab eodem corpore effluente: quæ tametsi significatio naturalis corporis acceptione includatur, attamen per me liceat cuiuis distinguere. Eo sensu Apostolus negat iam cognosci Christum secundum carnem: eodem plerisque videtur apud Ioannem commendari cibus & esus carnis dominicæ. Ad resistendum verbo Dei expresso, & funditùs abolendam Eucharistiam, Sacramentarij in duobus peccant. Nam cùm in Cœna aiunt edere corpus Domini, nihil aliud esse quàm vniri Christo per fidem, & fieri per eandem membrum corporis eius: tum corpus capiant oportet pro mystico, & non naturali, quemadmodum vberius dicetur, quando ventum fuerit ad realem & corporalem manducationem carnis dominicæ, & sermo habebitur de esu spiritali per fidem. Rursùm cùm verba Christi de Cœna explicant, nouum significatum nusquam in scripturis repertum imponunt corpori Christi, & suadent pro figura, siue pro sacramento ac signo naturalis corporis accipi: & hunc significatum in institutione Cœnæ omnibus aliis præferendum vi & violentia exigunt. Astutiores Caluinistæ, & Petrus Martyr, simulant aliquando se non ita interpretari Christi corpus, sed nobiscum pro naturali à se intelligi. Verùm omnem fucum detrahit fundamentum, cui superstruunt doctrinam suam. Clamant omnes, & scribunt, ex communi ratione sacramentorum oportere nomen rei signatæ attribui signo, aut contrà: atque ideò panem vocari corpus Christi, id est, corporis signum, & sacramentum, ob eámque causam corpus in oratione Cœnæ dici pro corporis symbolo: atque ad eum significatum pertinent exempla, quæ passim occinunt, Agnus est phase, Circuncisio est fœdus: eóque tendunt omnes authoritates Patrum, quibus abutuntur, & quibus nituntur interpretari, Hoc est corpus meum, pro, Figura corporis mei. Et certè in ista oratione, Panis est corpus meum, quam à Christo prolatam & intellectam Lutherani & omnes Cingliani atque Caluiniani cōtendunt, oportet corpus sumi in naturali significatione, aut symbolica & figurata. Ne concedant panem esse corpus Christi naturale, aut tale inesse pani, abhorrent Cingliani & Caluinistæ à naturalis corporis intelligentia: ideóque symbolicam corporis significationem amplectantur necesse est. sed de his copiosè disseruimus in nostra responsione contra Apologiam Bezæ, in qua profitetur ingenuè Christi sermonem sic enucleandum, hoc est symbolum corporis mei, quod quidem corpus pro vobis traditur, ita vt ipsi corpus à Christo pronuntiatum symbolum corporis indicet: neque profectò salua hæresi Caluiniana aliter exponi potest, siue ad fallendum enuntietur, hoc est symbolicè, aut metonymicè, aut mysticè corpus meum verum, siue aliter quod in idem recidat. Nos autem indignum facinus designari ab illis docemus, quòd nouum, & nusquam in scripturis lectum & expressum sensum corpori Christi affingant, & pro naturali efferri in institutione Eucharistiæ ex certa scripturarum methodo probamus. Iterum dicimus, nusquam in scripturis occurrere, corpus Christi absolutè positum, nisi pro substantiali & naturali. Sæpè quidem in sacris literis panem inuenias pro

Variæ significationes corporis Christi.

Ad Coloss. 2.

2. ad Cor. 5.

Ioan. 6.

Hierem.11. Christi corpore: vt apud Hieremiam scribitur, Mittamus panem in lignum eius: & sæpiùs in eo sensu apud D. Ioannem, sed nunquam legitur corpus Christi pro pane. Præterea hanc imbiberunt Apostoli à Domini spiritu scribendi facilitatem, vt ferè, quoties vocabulum aliquod multiplex, aut sententia ambigua inciderit, breuè aliqua explanatione ad proprium sensum alligent & accommodent. Aliquot exempla antea produximus potissimùm ex Luca, qui consultò aliis cautior videtur & exactior. In institutione Cœnæ, propter corporis Christi multiplicitatem, ne imprudentes multas significationes permisceremus, aut vnam pro alia arriperemus, apparent Euangelistæ voluisse vnam & certam per adiuncta designare, in qua iuberemur acquiescere: omnes enim exprimunt, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Mirari soleo D. Pauli in secernendis illis corporis Christi diuersis acceptionibus diligentiam. Si sermo habetur de corpore naturali, ita depingit, vt falli nemo possit. Ad Gal. 4. et ad Rom. 1. Misit Deus (ait) filium suum factum sub lege, natum de muliere: &, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Si de corpore Christi mystico facienda sit mentio, nominatim ne labamur, indicat. Ad Colos. 1. Adimpleo (inquit) ea quæ desunt passionibus Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia. Hoc ad elucidandum quo in sensu caperet, corpus Christi apposuit, ne quis opinetur dimidiatum fuisse Christi in corpore naturali supplicium, quod expleret in suo Apostolus. In Eucharistiæ tractatione, quoniam corporis nomen facilè trãsferri poterat, & fortasse iam tum de propria sua significatione trãsferebatur à Corinthiis, ea cum Luca adiicit, quæ non sinunt aliud quàm corpus naturale intelligi. Narrat à Christo pronunciatum, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: atque alia addit, quæ sequenti capite persequemur. Certè si tantum sacramentum voluisset Christus in Cœna tradere, non erat designanda eius aliqua singularis significatio: quoniam Cœna sacramentum & signum est efficax corporis Christi, non tantùm naturalis, sed mystici, & effectualis, vt sic loquar. Sed vt occurreret aduersariis, & non nudum aut efficax duntaxat sacramentum tradi conuinceret, sed ipsum verum corpus naturale, addidit ea, quibus corpus hoc à tantùm sacramentali corpore secernitur. Hîc obsecro paulisper consistamus. Quis patienter audiret aut ferret, si quis de naturali Christi corpore interpretari vellet locum illum allatum ex epistola ad Colossens. vbi Paulus ascripsit, Quod est Ecclesia, vt significaret se de mystico, & non de naturali corpore loqui? Quis vicissim æquiore animo ferret, ad mysticum corpus & figuratiuum rapi in Cœnæ constitutione, vbi Lucas & Paulus adiunxerunt ea, quibus naturale ac proprium corpus Christi describitur: Insuper ea vis est articulorum, vt insignient dictionis significatum, cui apponũtur, & ab aliis tanquam excellentiorem eximant & distinguant: Túne es ille Æneas: Ioannes non erat illa lux: Ecce ille agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Vbi Beza hæc annotat, ὁ ἀμνὸς, id est, ille agnus. cui articulus adiunctus, vt ex Chrysosto. & Theophilacto Erasmus obseruauit, emphasim habet, non modò dignitatis, vt à typico agno & cæteris victimis legalibus secernatur, sed etiam relationis: reuocat enim mentem in Prophetias Esaiæ & aliorum. Ad istam verò locutionem similem Christi sermoni de Eucharistia, Hic est filius meus ille dilectus, ait idem Beza, articulum expressi, cuius hîc videtur esse emphasis maxima, tum ad distinctionem ab aliis filiis, tum ad dignitatis eius commendationem. Rectissimè duplex articuli officium recensuit. At cùm non semel, sed quater apud Euangelistas & Paulum inueniatur, τοῦτο τὸ σῶμά μου, Hoc est illud corpus meum: & bis legatur, τοῦτο τὸ αἷμά μου, Hic est ille sanguis meus: cur temerè articulus aut frustrà toties repeti & inculcari existimabitur? Præteriri non debet vnum iota, aut vnus apex à lege. Beza tamen articulorum

rum obseruantissimus, toties inquam repetitum τὸ articulum silentio tegit, quoniã tãtilla particula adulterinam eius de corpore interpretationem iugulat. Ab inuito tamen, aut imprudente veritas erupit. Nam apud Lucam & Paulum articulum ita exprimit, Hoc poculum est nouum illud testamentum in meo sanguine: quia fortassè in testamento non adeò officeret hæresi, atque in corpore & sanguine. Vire-
„ tus magis ingenuè fassus est horum articulorum efficaciam. Quò clariùs (inquit)
„ omnia liquescant, ad ipsa Christi verba redeamus, eorúmque vim ac pondus pau-
„ lò diligentiùs excutiamus. Clarè enuntiat Christus, non solùm, Hoc est corpus
„ meum, sed addit τὸ σῶμα, quod perinde valet ac si dicat, hoc est illud ipsum corpus
„ meum quod pro vobis traditur. Hanc enim vim habent Græci articuli. Consequitur igitur, aut verum Christi corpus pro nobis traditum, & sanguinem qui effusus est, verè in speciebus panis & vini adesse, aut si quid aliud demonstrabat Christus, esse illius ipsum corpus verum & sanguinem, ac pro nobis tradi & effundi in remissionem peccatorum. Hoc posterius quàm sit absurdum, vel cogitare nemo non nouit. Quapropter articulus nusquam omissus, quoties demonstratur corpus & sanguis in Eucharistia, de duobus nos admonet: Primùm, vt eorum significata separemus à mystico & typico, siue quocunque aliò corpore & sanguine, & excludamus ab ipsis quascunque figuras & vmbras, quas comminiscuntur aduersarij, vt augustissimum sacramentum re excellentissima priuent. Deinde, vt cogitemus illius corporis & sanguinis dignitatem & eminentiam, neque cogamus ea in ordinem cum aliis corporibus & sanguinibus, ex horúmque lege ac proprietate de illis omninò iudicium feramus, sed aliquid eximium reseruemus, quod aliis minimè sit commune. Pro tertio articulorum officio docent linguæ græcæ periti, quòd subiuncti pronominibus demonstratiuis, affigantur rei quam ipso pronomine ostendere volumus, & quòd verè se præstent articulos, id est, quòd arctius connectent & alligent tum præcedentia, tum sequentia, cum voce cui attribuuntur. Hoc sanè cernitur in exemplis à Beza commendatis: Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi complacui: &, Ecce ille agnus Dei qui tollit peccata mundi. Inde verò duplex error Bezæ reuincitur: vnus, quo vertit, Hoc est sanguis noui Testamenti: quasi τοῦτο aliud demonstret quàm sanguinem, cui articulus quasi referens demonstratiuum coniungitur: & alius, quo corpus nominatum in enuntiatione Christi, pro symbolo corporis vult collocari: cùm sequẽs relatiuus articulus τὸ, siue, quod pro vobis traditur, non tantùm antecedens corporis nomẽ, sed eius demonstratiuum & articulum respiciat ac referat, & cum sequentibus ex officio articuli constringat. qua de causa oportet corporis vocem articulo insignitam, verum & naturale Christi corpus designare, & à pronomine demonstratiuo ostendi, cùm non aliud quàm ipsius verum & naturale corpus referatur pro nobis fuisse traditum. Beza omissionem articulorum iure à se factam esse deffendit, quoniam satis ex circunscriptione subiuncta, Quod pro vobis traditur, innotesceret quodnam esset corpus, & quale. Contrà verò Matthias Illyricus obiicit emphaticas illa circumlocutiones non solere subiici, nisi post antecedentes articulos, vt in ipsis quoque exemplis à Beza annotatis perspicitur: Ecce ille agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ideóque ait corpori postpositam descriptionem exigere potius expressionem articuli, atque ita ex articulis & ex adiunctis verissimum ac naturale corpus à Christo fuisse demonstratum & exporrectum: vt mirum sit inueniri, qui audeant, aut etiam possint, eius verba aliò contorquere. Adhæc appositio ista, Quod pro vobis datur, excludit locutiones, quas aduersarij proferunt tanquam similes cum ista,

Beza contra Matthiam Illyric.

Hoc est corpus meum: in quibus numerant, Hæc est victima transitus, Petra erat Christus. Nam quemadmodum textui Mosis & Apostoli inserta vocabula, indicium faciunt has locutiones figuratiuas esse, ita additamentum, Quod pro vobis datur, innuit orationem istam, Hoc est corpus meum, propriam esse, ac minimè translatitiam: siquidem figura, aut sacramentum, aut sola efficacia, seu fructus corporis dominici non fuit pro nobis traditus. Hoc est argumentum, quo Tertullianus Marcionem confutat, qui figuram corporis, seu nescio quod corpus panaceum ex verbis Christi, vti faciunt Sacramentarij & Lutherani, quos quasi nunc viueret vetus ille author, ita ferit: Si corpus sibi finxit panem, ergo panem debuit tradere pro nobis: faciebat ad veritatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens figuras corporis præteriisse? Quinetiam allusit Christus ad veteres hostias, quæ re vera ad edendum tradebantur, sicuti re vera offerebantur. Quamobrem significatur tam verè exhiberi corpus Christi ad esum, quàm verè pro nobis esset oblatum. Quinetiam, Quod pro vobis traditur, confirmat planissimè idem corpus præberi tam verè à Christo in edulium, quàm esset sacrificatum in cruce: quoniam in mensa sacrificiorum eadem caro apponebatur re vera in esum, quæ offerebatur in sacrificium, vt latius circa finem huius capitis repetemus. Insuper orationem Christi instituentis Eucharistiam, in sua simplici & propria significatione sermonis retinendam esse confirmatur ex eo, quòd mutata vna vocula in tropum, siue ea sit verbum (est) siue corpus, siue tota locutio, necesse est totum propè textum Cœnæ inuertere. Nam vbi aduersarij, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, in tropicum sensum de absente corpore & sanguine transtulerint, necessariò coguntur etiam transformare ista verba, Accipite, comedite, bibite, in Credite, aut spiritaliter percipite, & in alias peregrinas atque violentas metaphoras & interpretationes, vt sunt, Incorporemini, vniamini, fide in cœlum euolate: succum & defluuium, aut nescio quid abstractum de substantia carnis meæ haurite, & apprehendite fide. Sin omnia ferè vocabula contenta in Cœnæ historia, propriè, & de externis actionibus etiam ab aduersariis capiuntur, vt Panis, vinum, accepit, fregit, dixit, accipite, cōmedite, bibite: cur ergo quæ sunt potissima, vt est demonstratio corporis pro nobis traditi, à suo genuino & proprio significatu trāsferetur? præsertim cùm alia illa omnia, verba, & etiam panis nomen, ab aduersariis in Ioannis sexto capite æstimentur pro impropriis & translatis: carnis verò & sanguinis voces in naturali sensu explicentur? Egregiè Beza contra Heshussium comminiscitur, Accipite, comedite, bibite, si ad panem referantur, propriè accipi, sed si ad corpus & sanguinem Christi applicentur, figuratè dici, pro communicare, & fide coniungi corpori & sanguini Domini. Aliquando in solutionibus contra Matthiam Illyricum ait, se non venire ad sacram Cœnam manducationis causa, sed vt eam dudum factam obsignet: ita vt illi, Accipere, manducare & bibere, idem significet quod obsignare dudum acceptam incorporationem, & communicationem corporis dominici. Quis verò dedit illi ius sic eadem verba sacrosancti Testamenti, semel & vno modo tantùm in textu posita, triplici diuersissimáque significatione torquendi? quis non videat indistinctè & indifferenter ipsa à Christo ad id totum quod ostendebat & declarabat, esse relata? quis non rideat Accipiendi verbum, si ad panem referatur, pertinere ad os: sin autem ad corpus aut sanguinem applicetur, spectare ad aurem: cùm ista nequeant secundum aduersarios accipi à nobis, nisi per fidem, quæ acquiritur & mouetur ex auditu? Certè accipiendi mandatum refertur ad modū dantis, vt eo scilicet modo capiatur corpus & sanguis,

Tertul. lib. 4. in Marcion.

quo

quo datur. Atqui nihil hic dari significatur, nisi de manibus Christi. Totum igitur quod accipiebatur, de illius manibus prodibat. Si ergo corpus verum in ipsa Cœna sumebatur, de manibus eius erat accipiendum, & edendum o[illegible]e & corde. Non enim quia dabatur manibus, ideo non dabatur spiritaliter: imò qu[illegible] res quæ dabatur, caro erat spiritalis, ideò de manibus Christi erat corporaliter & spiritaliter suscipienda atque edenda. Propterea caro illa erat, atque est, quoties rite fit Cœna, in panis ac vini forma, & in manibus sacerdotum atque accipientium. Al[illegible]a multa restant, quibus nuda & absoluta ac propria verborum Domini intelligētia comprobatur: sed ea peti debent ex Apostolo Paulo, de quo hoc libro disseremu[illegible]s, & ex capitibus nostrarum responsionum, quas suo loco subiiciemus ad figurarum figmenta, quæ verbis Domini conantur assuere aduersarij. Quando premuntur & percelluntur nonnulli callidiores ex ipsis, horum verborum Christi fulgore, perb[illegible]ellè simulant minimè à se vocari in controuersiam illorum significationem, aut ve[illegible]ti corporis dominici demonstrationem: sed de modo contendere, quo corpus attribuatur pani, & quo accipiatur atque edatur, quem internum spiritalem, & per solā fidem fieri opinatur. Nos autem modos illos ab eisdem verbis Christi pendere credimus. Rem sanè externam, panem nimirum & vinum, Christus manibus prehēdit, & aliquit operatus est sua benedictione, quod rebus prehensis accessit, siue per harum mutationem, siue alio quouis modo. Quid verò esset, quod de re prehensa effecisset, aut ei addidisset, dilucidè elocutus est, Hoc est corpus meū, Hic est sanguis meus. Non dixit, Hoc est cœlum empyreū, vnde petatis corpus meum: aut, do vobis corpus meum, vbicunque fuerit: sed ipsum præsentissimum ante donationē designat, & ex eo quod porrigeret accipiendum, tam expressè prædicat, quàm potest omninò exprimi. Præterea iussit accipi & comedi, quod manibus ipse præbebat: sed quid esset, nō reliquit cuique per coniecturas aut somnia definiendū, cùm ipsemet omnem sustulerit dubitationē, & dubitandi occasionem, asseuerando, Hoc est corpus meum. Tam euidenter ergo modus manducandi corpus Christi, externo ritu & actione, in panis susceptione & esu declaratus est, quàm hoc esse corpus verissimū Christi, quod ipse externa administratione exhibebat. Ac ne quid de eo ambigeremus, non fuit contentus profiteri, Hoc est corpus meū, ne aliud verbis ostendi, & aliud Apostolis præberi putaremus: sed addidit, Quod pro vobis datur, siue distribuitur & exhibetur in panis specie. id enim significat διδόμενον, quod Apostolus reddidit per frangitur, siue κλώμενον qui locus sanè difficilis est, sed proximo capite elucidabitur, & innuere quod hîc attigimus, probabitur. Adhæc Caluinus atque alij concedunt, nobis præcipi in Cœna manducationem corporis dominici: quoniam non tantùm dictum sit, Hoc est corpus meum, sed, Accipite & manducate, corpus meum, aut, Do vobis corpus meum. Verùm antea, quidnam sit, & vbi sit, demonstratur, Hoc est corpus meum: vt sicut ex illis verbis præceptum de manducando amplectimur, ita ex istis præsentiam eius in re consecrata & tradita reuereamur, neque aliundè quæramus, vt præcepto in Cœna facto pareamus, quod non contrahitur ad internam manducationem per fidem, sed per verba Domini ad externam in panis specie extenditur. Solam insuper manducationem internam, & per fidem non [illegible]tui, aut imperari, satis indè liquet, quòd nemo hactenus potuerit id affirmare, [illegible]in coactus sit verbis Domini aliquam vim inferre, ipsáque repugnantia à proprio & naturali intellectu per figuras additamenta & glossemata plerunque incepta & [illegible]surda abstrahere. Textum vero dum violant & peruertunt, faciunt vt int[illegible]do nihil intelligant, & sumendo nihil sumant præter aridum panem. Nam cùm nequeant sibi amplius polliceri quàm verbis con-

Etiam m[illegible] edendi realit[illegible] & sub pani[s] specie, verbis Christi continetur.

tineatur, si ipsa tantùm metaphoricum aut metonymicum Christi corpus, siue veri & naturalis sacramentum & signum enunciant, nihil aliud ex Cœna reportabitur: quandoquidem Cœna ipsa non plus erogat, quàm constituentis verba contestentur. Porrò duo illa, nempè verborum Christi proprietas, & externa ac realis corporis dominici administratio, maximè & clarissimè deprehenditur ex noui Testamenti institutione, quam sermo Cœnæ de sanguine apud Lucam & Apostolum Paulum comprehendit, cùm scribitur, Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine, quod pro vobis funditur. Sciamus autem, quid Testamenti dictio enunciet, quo ministro, quo pignore, & qua verborum formula sanciri soleat: Quid sit nouum Testamentum, & quando latum fuerit, ex veteris cum nouo fœdere collatione elucidemus. Testamenti nomine à Prophetis & Apostolis intelligitur fœdus & pactum contractum à Deo cum hominibus, vt ille promissa faciat, hi verò debitam præstent mandatis eius obedientiam. Omnia (inquiunt Israelitæ) quæcunque dixerit Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Intelligitur etiam supremæ voluntatis ante mortem decretum & placitum. In vtraque significatione editum fuit à Christo in Cœna testamentum. sed de argumentis quæ ad posteriorem sensum spectant, antea egimus. Vt autem de priore ratiocinemur, meminerimus ex scripturis, pignore & tessera veri sanguinis interueniente, fœdera & testamenta fieri atque iniri: vnde (inquit D. Paulus) ne primum quidem sine sanguine dedicatum est: ita vt ex Apostolo inferatur, tanquam absurdissimum, vetus testamentum requisiuisse verum sanguinem, & ad noui confectionem nullum sanguinem intercedere. Quamobrē si in Cœna conditum est aliquod fœdus & testamentum, necesse fuit in Cœna verum sanguinem & præsentem adhibere. Sed quò manifestiùs eniteat veritas, sciri oportet in fœderibus percutiendis, tam in sacris literis, quàm in gētilium profanis, eam fuisse obseruatam formulam, vt interponeretur præsens victima, quasi tessera, de qua contrahentibus fœdus æqualiter offerebatur, vt æqualiter se obligari ad mutuum promissum cōtestarentur. Sic in Genesi, Deus Abrahamo præcipit animalia quædam diuidi ad fœdus cum ipso percutiendum: sic Isaac & Abimelech fœdus ferientes, de eadem victima conuiuantur. Sic Iliados tertio, pilos & carnes agni fœderalis, Græci & Troiani partiuntur. Sic cum antiquum Testamentum sanciretur à Mose, de victima portio veri sanguinis oblata fuit Deo, & altera portio in populū sparsa. Sic agnus Paschalis, typus Cœnæ expressissimus, primò immolabatur & offerebatur: deinde populo pars sanguinis tradebatur ædium postibus applicanda, & agnus totus post oblationem edendus exhibebatur. Sic decuit in nouo Testamento victimam fœderalem, qui Christus est, partim offerri Deo, & partim populo ad pacti vinculum colligandum, vt mutua fiat promissio, obsignatio, & obligatio. Idcirco ad hunc effectum necesse fuit sanguinem Christi verè, realiter ac substantialiter per externum ritum crucis exhiberi Deo: Necesse erit itaque per externū quoque ritum Cœnæ, in qua confici nouum Testamentum à Christo pronuntiatur, eiusdem sanguinem tam verè populo præberi, quàm fuit oblatus Deo. Ob id in Matthæo iubētur Apostoli bibere, & causalis dictio γὰρ inseritur, ac scribitur, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης: quasi reddat rationem, cur iubeat eos bibere: quia per potum & perceptionem sanguinis ex parte hominum esset complendum nouum fœdus & testamentum: & statim in eadem clausula significatur idem sanguis mox offerendus alteri parti contrahentium, nimirum Deo. Ob id pollicetur apud Ioannem eandem carnem se traditurum in cibum, quam esse daturus pro mundi vita. Ob id Cœnam cum sua passione coniunxit, vt ita vnà, eodémque tempore, fœderalis suæ victimæ sanguinē & carnē vtrique

Natura & proprietas noui Testamenti requerit præsentem sanguinem in externa actione.

Exod. 24.

Duplex Testamenti significatio.

Ad Hebr. 9.

Ritus contrahendi fœderis & testamenti.

Genes. 15. et 26.

Exod. 24.

Exod. 12.

Ioann. 6.

vtrique parti administraret & exhiberet. Victi hoc argumento aduersariorum plerique negant, nouum Testamentum conflatum in Cœna, sed in ipso crucis patibulo, cùm sine sanguinis effusione non potuerit ex Apostolo coalescere, quæ non facta est in Cœna. Caluinus verò in Harmonia fatetur quidem sanguine Christi vero erga nos confirmari Testamentú, sed spiritaliter, & per fidem hausto. Nos verò non inficiamur, quin ex parte Testamentum Christus in cruce confecerit, vbi sanguinis effusione maduit, & morte Testamentum cõfirmauit, patrique pro tessera fœderis & Testamenti, sanguine & cruento modo litauit: sed nec Euãgelistis refragari possumus, qui magno consensu Testamentum in Cœna fieri & condi meminerunt, & sanguinis effusionem pro tessera Testamenti expresserunt, sed alio modo quàm in cruce. siquidem hîc incruento modo, & in haustũ & potum sine mactatione effunditur & datur. Qua de causa scripsit Tertullianus, Testamentum nouum in Cœna Christi sanguine obsignatum fuisse. Ex quo profitemur, nouum Testamẽtum partim in Cœna, partim in cruce fuisse compactum, confirmatum, ac promulgatũ, vti ceremonia fœderum à nobis proposita exigebat. Quòd si litigare placet, respõdemus à Paulo magis Testamentum ascribi cruci quàm Cœnæ, quòd illic planè fuerit confirmatũ morte intercedente, hîc verò institutum duntaxat. Etenim ipsemet, nõ extra portam, sed in ipsa ciuitate Hierusalem, nouum Testamentum editum palam ostendit, sicut vetus in monte Syna. Adhæc quis eò progredietur audaciæ, vt vetus Testamentũ neget hoc in textu legis iniri & publicari, quo Moses dixit, Hic sanguis testamẽti quod mandauit ad vos Deus? Cur verò negare non audebit, nisi quia textus ita prędicat & enarrat? Ita cùm Christus eodem omninò cum Mose, aut expressiori dicendi genere vsus, dicat, Hic est sanguis noui testamẽti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, quis nouum Testamentum hîc sanciri inficiabitur, vt plus fidei Mosis quàm Christi verbis habeat? Quis à Christo, figurarum illustratore, sanguinem positum cogitabit pro sanguinis figura in compositione noui Testamenti, quod figuratum nebulas discutit & depellit, cùm à Mose figurarũ parente, in promulgatione veteris Testamẽti, sanguis propriè nominatus sit, idque in eadem loquendi formula, quam Christus est secutus? Mirũ est, quòd aduersarij tam longè à præsenti materia locutiones petant ex veteri Testamento, quales sunt, Circuncisio est fœdus, Agnus est phase, vt verbis Christi tenebras offundant, & locutionem Mosis conuenientem cum Christi sermone nolint attẽdere. Fallitur autem Caluinus, cùm putat haustum sanguinis internum & spiritalem sufficere ad noui Testamenti pactionem. Nam si fœdera & sacramenta ad confirmandas promissiones oculis subijciuntur, non internis & spiritalibus beneficiis, quæ illorum sunt effectus, sed externis notis, ritibus, ac rebus ob oculos positis celebrari oportet, & quasi sigillis constabiliri: alioqui si spiritali actione perficerentur, nemo indignus vnquam fuisset circuncisus, nemo baptisatus, & tamen in illis & externis actionibus fœdus inibatur & constituebatur: non autem internis propriè, cùm tales nullæ fuerint in paruulis, nec fuerint vnquam necessariæ nisi in adultis ad fœderis finem & fructum adipiscendum. Itaque in Cœna cùm sanguis sit, qui testetur in terra coram hominibus de fœdere filij Dei, sicut aqua in baptismo, & sanguis sit inquam tessera, qua contrahatur fœdus, oportet ipsum exterius adhiberi, & conferri in terra coram hominibus, vt priùs contingatur, & per ipsum fœdus confirmetur, quàm fructus fœderis spiritaliter percipiatur. Itaque Caluinus, quod postremo loco aduenit post confirmatũ fœdus, ineptè primo loco affert ad constituendum fœdus. Neque potest negari verba ista, Accepit, fregit, ac dedit, dicens, Hoc est corpus meum, de externa actione intelligi. Necessario igitur etiam mox sequentia, ac inde dependen-

Tertull. lib. 4. in Marcion.

Ad Gala. 4.

Exod. 24. Hebr. 9.

tia verba, Accipite, comedite, bibite, de externa acceptione ac potatione dati intelligenda sunt. Sicut enim externè Dominus accepit, & dedit, ita etiam externè accipi, edi ac bibi voluit & præcepit. Sunt enim ista reciproca, vt quale fit dare, tale fit etiam accipere. Præterea cùm eadem forma efferatur à Mose & à Christo, Hic est sanguis testamenti, quare de externo vero sanguine tessera fœderis antiqui apud Mosem constabit & significabit, & eadem non similiter externum verum Christi sanguinem postulabit ad eundem noui fœderis ineundi finem? Et si populo, secundum Caluinum, sufficit spiritaliter sanguinem Christi applicari, igitur satis fuisset quoque ipsum spiritaliter offerri Deo, & non externo ritu, etiam in cruce, ad noui Testamenti confectionem: oportet enim inter paciscentes mutuam esse pacti tesseram ac ceremoniam. Ista quidem dicta sint ex fœderum ac testamentorum generali & communi regula & formula. Nunc noui circunstantia addatur, & quid argumenti affetat, explicetur. Proculdubiò nouum Testamentum in vna promissione continetur, quam ex Hieremia D. Paulus allegat: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda, testamentum nouum. Et hoc est Testamentum quod disponam domui Israël post dies istos, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Noua ergo illa promissio de peccatorum venia, bonorum operum gratia, & vita æterna, qualia non præstabat vetus Testamentum, noui nomine comprehenditur. At remissio peccatorum non fit sine sanguinis effusione, ait Apostolus: idcircò nouum fœdus cùm peccatorum condonationem conferat, veri sanguinis effusionem secum importet necesse est. Quapropter Euangelistæ cum Paulo, quando noui Testamenti institutionem recitant, exprimunt in Cœna poculum sanguinis effundi in remissionem peccatorũ: sed effusio ad imitationem Mosis pro aspersione populi, seu sanguinis intinctione & participatione, in Cœna locatur: & ita effusionem etiam ipsemet Paulus ad Hæbreos interpretatur. Porrò impossibile est sanguine hircorum aut taurorum expiari peccata, & eorum pœnas exolui, quas diuina iustitia reposcit: sed vnius & singularis agni immaculati sanguis tanti pretij fuit. Ideò cùm ad noui Testamenti inchoationem sanguis Christi commemoretur in Cœna effundi, idque ad peccatorum exolutionem, non potest capi, nisi de vero, naturali, ac substantiali Christi sanguine. Non enim testamentum sanciri potest, nisi intermedio vero sanguine: nec nouum peccatorum veniam donabit, nisi proprio Christi sanguine collocupletetur. Nec tacendum est, Euangelistas in vnica noui Testamenti appellatione, figurarum nebulas omnes discutere, & emphasim in sanguine noui Testamenti latere, vt opponatur sanguini veteris Testamenti, qui figuratiuus, verus tamen sanguis extiterit: qui verò est noui, & vetus, & sine figura alterius, & solius Christi esse potuit. Quamobrem siue ex pignore fœderum & testamentorum, siue ex eorum formula externa, qua feriebantur, siue ex eorum proprietate, siue ex effectu noui Testamenti & virtute, textum de sanguine consideres, ipsum non licebit exponere, nisi de vero ac proprio Iesu Christi sanguine, qui ad constitutionem noui Testamenti præstò fuerit in Cœna, & exteriori actione, tam Deo quàm hominibus oblatus. Omitto quòd ad figurarum complementum Christus partim suũ sanguinem in calicẽ miserit, partim in cruce profuderit. Nam sanguinem hircorum & vitulorum Moses partim in crateras instillabat, partim in altari effluere sinebat, vt delinearetur duplex in Christo futura sanguinis effusio.

Ex proprietate noui testamẽti. Hierem. 31.

Quid sit nouũ testamentum.

ad Hebr. 10.

De textu Lucæ Hoc poculum est nouum testamentum.

Hoc loco aduersarij ex ista oratione Lucæ & Pauli, Hoc poculum nouum est testamentum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur, variam struũt & adornant calumniã, & ex ipsis posterioribus scriptoribus, interpretandos censent priores illos

Matthæum & Marcum. Iam Bezæ satisfecimus corrumpenti textum istum, Hic est sanguis, cuius loco substituit, Hoc est sanguis: quoniam à Luca dicatur, Hoc poculum. Ex eo quod idem Lucas ait, Hoc poculum nouum est Testamentum in meo sanguine, volunt apud Matthæum ita expoliri, siue potius interpolari dictum Christi de corpore, Hic panis nouum est Testamentum in meo corpore. Tertiò contẽdunt, apud eundem Matthæum eo modo panem affirmari esse corpus Christi, & poculum sanguinem, quo apud Lucam affirmatur poculum esse nouum Testamentum, nempè tanquam signum & symbolum. Ne permisceamus & confundamus Euangelistarum oracula, attendamus tria ab ipsis paucis verbis perstringi: Quid sit quod detur nobis à Christo in cibum & potum, nempè corpus & sanguis ipsius: Quid eo corpore & sanguine agatur, nempè quod sanciatur nouum Testamentum & fœdus inter Deum & genus humanum. Tertiò, quomodo illo corpore & sanguine nouum istud Testamentum percutiatur, nempè ipsa distribuendo in esum & potum. Ita fit in promulgatione fœderis antiqui à Mose, qui ait, Hic est sanguis testamenti quod mandauit vobis Dominus: vbi ostendit se proferre sanguinem victimarum, se nomine ac mandato Dei fœdus icere, idque fieri consperssione illius sanguinis in populũ. Quid sit quod exhibeatur in cibum & potum, prima oratione Christus apud omnes Euangelistas planissimè profitetur, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Matthæus quidem & Marcus etiam in hac posteriore clausula, Hic est sanguis noui Testamenti qui pro vobis effunditur, clariùs & expressiùs docent, quid donetur: sed in quem vsum, id subobscuriùs indicant. Appellarunt sanguinem noui testamenti, & ipsum coram sisti & epotari admonẽt: sed non satis declararunt, an esset signum duntaxat, an causa & instrumentum, neque etiam quando, & vbi iniretur nouum testamentum. Lucas & Paulus vtrunque magis illustrant, & aperiunt, sanguine illo condi nouum fœdus, ipsúmque præsenti potione fieri. Hoc poculum (aiunt) est nouum testamẽtum in sanguine meo: quod ex proprietate Hebraicæ linguæ, per sanguinem, tanquam per causam & instrumentum fœderis, explicari debet: & potionis ceremonia ac ritu nouum illud testamentum toties promissum, per sanguinem Christi verum institui pronuntiant. Tradunt itaque mutuas operas Euangelistæ. Ex Lucæ recitatione non satis liquet, vbi sit ille sanguis Christi, in quo aut per quem nouum testamentum fit, aut quomodo istud illo sanguine percutiatur. quod vtrumque Lucas videtur prætermisisse, quoniam Matthæus & Marcus manifestè tradiderant in Cœnæ ritu coràm adesse sanguinem, cùm scripserunt, Hic est sanguis meus noui testamenti: eiúsque vsum in potione consistere subiunxerunt, Bibite ex eo omnes: quod cõsultò Lucas quoque omisit. Vicissim quæ duo paulo antè commemorata Matthæus & Marcus omiserant, ea diligentiùs Lucas excutit & supplet. Nec mirari quenquam decet hanc Euangelistarum diuersitatem, cùm in hac ipsa sacræ Cœnæ narratione ab aliis aliæ particulæ ascribantur, quæ ab aliis prorsus omittuntur: atque ita alius aliam particulam vel annotat, vel clariùs explanat, quemadmodum à Paulo elucidatur pleniùs, Hoc facite in meam commemorationem. Tantum verò abest, vt ista quodammodò discors concordia officiat veritati, vt maximum adiumentum afferat: quoniam si aliter fuissent intelligenda, quæ omnes Euangelistæ retinent immutata, Lucas & Paulus in illo studio variandi derexissent latentem obscuritatem aut tropum, atque aliis verbis in rectum sensum redegissent tam libenter, quàm nonnulla alia ad elucidationem non dubitauerunt adiicere. Quamobrem iniquè faciunt aduersarij, cùm Matthæum & Marcum student deprauare ex sententia Lucæ de sanguine, cùm sint diuersissimæ locutiones, eadémque de re diuersissimi sensus.

Nam Matthæi & Marci verba commonstrant, quid detur:Lucas verò, non tam quid ibi distribuatur,explicat,quàm quid distribuendo agatur:& proinde nō tam sanguinem ostentare,quàm testamentum vrgere voluit.Deinde si cōferendæ sunt sententiæ,vtra alteri debeat cedere, iniquum est verba Christi,vt ita loquar, formalia aliis posterioribus ipsorum Euangelistarum verbis postponere.In ipsis enim sacrosanctis mysteriis prior ratio haberi debet authoris, & sermonis quo ipsa effatur & instituit, ipsisque virtutem indit: posterior verò esse debet expositionis. At Christum elocutum ea formula verborum, qua vtuntur Matthæus & Marcus,certum est: quia omnes Euangelistæ affirmant de re data in cibum,dixisse, Hoc est corpus meum: vt de illa parte dubitari non possit, eam sic fuisse à Domino prolatam. Eadem autem cùm prorsus sit ratio de corpore & sanguine, valde verisimile est eandem formulam sermonis etiam à Christo vsurpatam fuisse de sanguine,vt sicut ibi dixerat,Hoc est corpus meum, ita diceret, Hic est sanguis meus. Præterea cùm Christus alluserit ad promulgationem veteris testamenti, non dubium quin etiam formulam testamentariam potiùs ex antiquitate repetiuerit, quàm nouam ediderit. Istam antiquam Moses proclamauit, Hic sanguis testamenti quod mandauit vobis Deus. Adhæc est in cōfesso,Lucam & Paulū post alios scripsisse,neque est minus credibile Christum semel tantùm, & non diuersis modis orationem de sanguine prolocutum esse, cùm priorem de corpore tantùm semel enuntiauerit, ita vt planè impossibile putetur, Matthæum & Marcum, Lucam & Paulum in formula sanguinis discrepantes, eadem ipsa verba Domini retinuisse. Ex quo sequitur,priores duos verba ipsa Christi,& alteros posteriores ampliorem, quæ tunc etiam fortasse desiderabatur,verbis Christi explanationem attexuisse.Qua de causa Lucas & Paulus magnam partem verborum pretermittunt, quæ habent Matthæus & Marcus: vt appareat illos non decreuisse ipsamet verba Christi exactissimè numerare,sed explanare quid sibi vellet sanguis noui testamenti, siue relatus ad nouū testamentum.Postremo demus,quod postulant aduersarij,secus Lucam eloqui de sanguine, quàm Matthæus & Marcus, aut etiam obscurius quàm illi sanguinem statuere:concedamus in ipsius sermone etiam figuras delitescere:attamen nihil indè reportabunt aduersarij, quàm hæreticorum malitiam & notam, qui semper sunt adnixi,ex posterioribus,& paucioribus, & obscurioribus scripturis, planis & manifestis & pluribus præscribere, quemadmodum Irenæus & Tertullianus contra hæreticorum morem declamant. Oportet autem (ait Tertullianus) secundum plura intelligi pauciora, & posteriora secundum priora, incerta de certis, obscura de manifestis præiudicari. Non decet igitur, quoad priorem sermonem Christi de suo corpore, quatuor Euangelistas consentientes, per duos posteriores & obscuriores emendare,aut corrigere,sed duos per quatuor ad consentientem intelligentiam reducere. Propter has tres causas iniquè faciunt aduersarij,quando, Hoc est corpus meum,idem valere volunt,ac si diceretur,Hic cibus est testamentum in corpore meo. quæ sanè locutio significat vsum corporis, non ipsius præsentiam quam demonstrat,Hoc est corpus meum. Quòd si quæritur,An non corpore sanciatur nouum testamentū,sicuti & sanguine: vtique sanciri nō negamus,& admittimus,Hic cibus est testamentum in corpore meo, perinde dici posse atque, Hoc poculum est testamentum, in sanguine meo. Cur vero talem illustrationem Lucas & Paulus non ascripserint de corpore, sicut ascripserunt ad locutionem de sanguine,ea est ratio, quod vsitatius fuit sanguine fœdera contrahi & feriri, & quòd sanguine vetus testamentum initum fuerit.Ideò Apostolus tanquam axioma ponit, Testamentum siue fœdus non fieri sine sanguinis effusione. Propterea Matthæus quo-

quoque & Marcus aiunt, Hic eſt ſanguis noui teſtamenti: non autem, Hoc eſt corpus noui teſtamenti. Neque iuſtiùs faciunt aduerſarij, quando vrgent poculum ſeu potionem dici ſanguinem ea ratione, qua eſſe nouum teſtamentum in ſanguine prædicatur. Huius quidem potionis actio, fœdus & teſtamentum contrahit atque exhibet, & ob id ipſum teſtamentum meritò nuncupatur, quia (inquam) in ipſa actione teſtamentum conſiſtit & fit. At in potione non conſtituunt aduerſarij ſanguinem Chriſti, ſed tantùm eius ſignificationem, ſiue ſymbolum. Non eſt igitur phraſis eadem dicendi, aut intelligentia: neque certè ob eandem cauſam dicitur illa potio ſanguis, ob quam teſtamentum. Sunt enim duæ diuerſiſſimæ proprietates illius potionis, quarum vna quid ipſa ſit, & altera qualis ſit, explicat. Matthæus & Marcus, quid potio ſit, enarrant: Lucas verò & Paulus, qualis ſit, oſtendunt, ſiue cui ſeruiat eius vſus. Quapropter ſedulò cauendum eſt, ne eas proprietates confundamus, aut ne priorem euertamus, dum poſteriorem amplectimur. Neque verò Lucas aut Paulus per potionem vinum intellexerunt, aut alium liquorem diſtinctum à ſanguine Chriſti, neque huius præſentiam & exhibitionem minus efficaciter quàm alij expreſſerunt. Matthæus quidem & Marcus ter inculcant ſanguinis externam præſentiam: Primùm, quando clariſſimè dicunt, quod daretur in potum, eſſe Chriſti ſanguinem: Deinde, cùm recitant iuſſos Apoſtolos omnes ex eo bibere, quod vt fiat, præſentem adeſſe neceſſe eſt: Tertiò, cùm ſanguinem eſſe noui teſtamenti teſtificantur, quod eius præſentiam importat, quia fœdera præſenti ſanguine deceat confirmari. Ter quoque à Luca & Paulo eiuſdem ſanguinis externa exiſtentia indicatur. Primò, quando potionem aſſerunt eſſe nouum teſtamentum: quoniam nulla alia quàm ſanguinis aliqua effuſione, vti potio eſt, fœdus poteſt conciliari: ac magis vſi ſunt potionis appellatione, quàm ſanguinis, quoniam non huius in ſe ſubſtantia, ſed vſus facit ad fœderis pactionem, & in quo verſaretur ſanguinis vſus ad fœdus percutiendum, voluerunt indicare, nimirum in potãdo. Præterea cùm ſubiungunt eſſe teſtamentum in ſanguine Chriſti, ſiue per eius ſanguinem, hunc etiam exigi præſentem ſatis innuunt: quoniam ſanguis requiſitus ad fœderum confectionem, exteriùs inter paciſcentes offeratur oportet. Tertiò, quando potionem illam effundi pro nobis in remiſſionem peccatorum concludunt, declarant apertiſſimè potionem illam externam nihil aliud eſſe, aut cenſeri debere, quàm veriſſimum Chriſti ſanguinem. Poſtremò vti Matthæus & Marcus ſuis locutionibus formulam fœderalem Moſis ſunt æmulati, Hic eſt ſanguis teſtamenti: ita Lucas & Paulus aliam ſunt imitati de ſcripturis phraſin fœderalem. Vt enim circuncitionis actio vocatur teſtamentum, ita potionem appellarunt eodem nomine propter eandem cauſam: quia nimirum eſſet cauſa & teſſera teſtamenti. Tantum verò abeſt, vt ex Luca & Paulo figuras, Matthæo & Marco liceat aſſuere, vt potius indè facile ſit ſubmouere. Quominus enim in Matthæo & Marco poſſis ſanguinem pro figura capere, Lucas & Paulus obſunt, cùm aiunt, Teſtamentum in ſanguine, vbi ſanguinem non permittitur de alio quàm de vero Chriſti ſumere, vt in eo ſignificatu in aliis accipias. Viciſſim ne teſtamentum in Luca & Paulo interpreteris pro figura teſtamenti, impediunt Matthæus & Marcus, qui aiunt, Sanguinem teſtamenti: vbi nequeas pro figura teſtamenti capere. Atque ita cùm in propria ſignificatione cogaris teſtamentum retinere, cogeris etiam poculum, nec pro vaſculo, nec pro vino, ſed pro veri ſanguinis potione, in Luca & Paulo explicare: vt habeas quomodo potio re vera ſit nouum teſtamentum in Chriſti ſanguine, ſeu cauſa & teſſera teſtamenti noui propter Chriſti ſanguinem, quo conſtat potio.

Hactenus de verbis Chriſti, quibus ſacram Euchariſtiam inſtituit, & de externa

corporis eius ac ſanguinis ſub ſpeciebus panis & vini exhibitione & exiſtentia, actum diſputatúmque ſit: nunc conſideremus eiuſdem verba, quibus præcedentibus conantur aduerſarij præiudicium facere. Iſta verò ſunt, Hoc facite in meam commemorationem: quaſi in Cœna nihil aliud quàm memoria paſſionis ſit animo recolenda. Verùm non aduertunt, mortis commemorationem, quæ fit per ſacrum epulum, non poſſe legitimè fieri, præterquam ſi eadem ipſa caro ab his qui comedunt hoſtias, & participes fiunt altaris, ore corporis manducetur. Sacra enim menſa, quæ ad alicuius ſacrificij memoriam refertur, eandem ſubſtantiam quæ in altari fuit oblata, neceſſariò continet: alioqui non eſt eius altaris aut ſacrificij menſa & participatio. Hoc conſtat ex menſa dæmoniorum & Iſraëlitarum, de quibus Apoſtolus diſſerit, & quibuſcum menſam Domini confert. Hoc conſtat ex agno Paſchali, quo oblato eiuſdem ſolius agni caro in memoriam tranſilientis olim Angeli comedebatur. Oportet igitur edere verum Chriſti corpus in Cœna exteriori, non ſolum quia ita mandauit, ſed quia ſacrificium quo carnem illam in cruce exterius obtulit, in menſa Cœnæ annuntiandum & commemorandum eſt eiuſdem carnis quæ oblata fuit, eſu externo. Hic verò aduerſarij ſurſum ac deorſum miſcent omnia. Manducationem non aliam in Cœna ſtatuunt quàm ſpiritalem, & his poſterioribus verbis Chriſti ſubindicatam, eámque tenitentibus literis & ſyllabis adaptare conantur ſermoni Chriſti, Hoc eſt corpus meum, atque inde realem & externam manducationem excludere, huiúſque ſermonis ſenſum deprauare: quaſi Chriſtus præbuerit exteriùs ſymbola tantùm ac ſigna corporis ſui, quæ internam fidem & recordationem bonorum nobis collatorum ab ipſo exuſcitarent, quia concludat, Hoc facite in meam commemorationem, quod ſacramentorum finem & effectum ſignorum indicat. Sed abſit, vt præcedentia per hæc poſtrema, Hoc facite in meam commemorationem, à naturali ſenſu dimoueantur: quin potiùs in eo plurimùm confirmantur. Etenim cùm duo ſint præcepta, quæ ſuum ac peculiarem habent ſenſum, Comedite, Hoc eſt corpus meum, &, Hoc facite in meam commemorationem: etiam ſanè duas res diuerſas enuntiant. Ex duplici effectu oſtendit ſe duo tradere, aut vnum ex duobus conflatum, corpus ſuum verum, & ſanguinem: cuius effectum, qui eſt in remiſſionem peccatorum, apponit: & ſignum exterius ac viſibile, quod eſt ſacramentum & monimentum, exhibens ipſummet corpus cum ſuo effectu, & de vtroque nos commonefaciens. Deinde aliud eſt, accipere beneficium, & aliud, beneficij memorē eſſe: Aliud eſt Cœna, nempè ſumptio corporis & ſanguinis, aliud modus ac finis capiendi Cœnam illam, qui fit per apprehenſionem ex fide, & recordationem paſſionis Dominicæ. Propterea non dixit, Hæc eſt commemoratio mea, aut, Hunc facite commemorationem: ſed, Hoc facite in meam commemorationem: vt aliud fieri quam pura recordatio intelligatur, cui tamen actioni ſit admiſcenda memoria. Eo pacto in lege proponitur naturalis agni manducatio vera: poſtea ſcribitur huiuſmodi manducationem ac ritum colendum ſempiterna memoria liberationis de Ægypto. quæ recordatio non excludebat antecedentem agni Paſchalis manducationem, ſed in quem vſum inſtitueretur, oſtendebat. Ita commemoratio paſſionis dominicæ in Cœna non tollit veritatem præſentis corporis, & eius realem, atque externam mãducationem, cùm præferatur in textu, ſicut agni Paſchalis manducatio: ſed in quem finem præcipiatur Cœna ipſa traditur. Ac ne abuteremur commemorationis nomine, quaſi ſolo interno motu animi contineatur, aut per fidem ſpiritaliter tantum celebranda ſit, Apoſtolus Paulus canit. & in externo ritu etiam conſiſtere recordationem paſſionis dominicæ oſtendit. Quotienſcunque (ait) manducabitis panem hunc, & calicem

De hoc facite in meam commemoratione.

Prior. ad Cor. 11.

cem Domini bibetis, mortem Domini καταγγέλλετε, id est annuntiatis, donec veniat. Ex Apostolo annuntiatur mors Domini, & celebratur memoria Christi in Cœna, non verbis nudis, non animo, aut spiritu solo, sed externo ritu & manducatione corporis dati pro nobis, & potu sanguinis effusi. Nam ipsa Cœnæ ceremonia, quasi quædam est repræsentatio passionis Dominicæ, siue carnis immolatæ, ac sanguinis effusi in remissionem peccatorum. At si Christus panem & vinum nudum exteriùs instituisset, & præbuisset, longè inferiùs & obscuriùs antiquis sacrificiis passionem Domini repræsentaremus in Cœna: imò periret ratio sacramentorum, & analogia siue conuenientia inter signum, & signatum. Quæ enim congruitas est inter passionem Domini, & inter panem & vinum, & quomodo ista exteriùs & ad oculum exhibent illius passionis memoriam, nisi vnà cum istis adsit corpus quasi diuulsum à sanguine, qui in passione effusus est, quíque eam repræsentat efficacissimè? Proinde rectè censent, qui Hoc facite in meam commemorationem, interpretantur, ac si dictum fuisset, Hoc facite, vt testificetur de me ac de mea passione, sicut Ioannes Apostolus videtur intellexisse, cùm scripsit, Tria sunt quæ testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis: in quibus duo comprehendit sacramenta *Ioan.1.ep.ca.5.* ex sententia Caluini & Oecolampadij, Baptismum scilicet, & Cœnam: ita vt in baptismo aqua cum spiritu contestetur de filio Dei coram oculis hominum in terra, & sanguis in Cœna ferat testimonium de eodem in terra. Vnde fit, vt sanguinem in Cœna existere prius necesse sit, quàm testimonium edat, & filij Dei præsentaneam memoriam offerat. Exhibetur igitur caro & sanguis Domini externè ori, & animo per fidem internè, & dupliciter pari modo excolitur & exercetur memoria passionis dominicæ, ritu externo Cœnæ, & fidei apprehensione interna, quemadmodum in Cœna Iudaica & Paschali agnus dabatur dupliciter Israëlitis, & dupliciter liberationis ab Ægypto monimentum referebat. Primùm, externo modo tradebatur caro ad edendum, & sanguis ad tingendos postes. Deinde illud totum sacrificium cum suo merito valore & expiatione donabatur eis per fidem, interno spiritalíque modo, ita vt ipsis cederet in bonum, & propter signatũ ab illo agnum Dei fide comprehensum, Deus fieret populo propitius, ac parceret transiliente Angelo percussore. Memoria verò transitus & liberationis colebatur externo ritu illiniendi postes, atque aliis obseruationibus ad edendum agnum illum requisitis: & insuper recordatione interna talis beneficij à Deo accepti fide concipiebatur, & credebatur, atque ad futuram per Christum redemptionem referebatur. Idem accidebat in omnibus sacrificiis. Carnes victimarum modo externo distribuebantur, & tota ipsa victima, eiúsque apud Deum pretium & propitiatio propter delineatum Christum illi populo per fidem conferebatur, & memoria venturi Christi dupliciter in ipsis frequentabatur, in descriptione nimirum, & formulis ceremoniarum externarum, & in animi atque fidei agitatione. Ad illarum figurarum allusionem Christus veritatem expressit, & esum veri agni duplicem constituit, & dupliciter memoria repeti voluit collatum ab illo beneficium. Arbitror ex litera, & ex adiunctis circunstantiis constitutæ Eucharistiæ, comprobari Christum propriè, & simpliciter fuisse prolocutum, corpúsque ac sanguinem ipsius panis & vini speciebus inesse, & indè re vera sumi, & comedi. Tria verò Dypnosophistarum, siue sacram Cœnam cauponantium, opposita & aduersaria axiomata, testimonio scripturæ de institutione Eucharistiæ prorsus carere video: quorum primum affirmat, datum panem à Christo intellectum fuisse pro figura aut symbolo corporis sui: alterum comminiscitur, corpus Christi verum non propiùs accedere ad panem, quàm cœlũ ad terram: & tertium vomit ampullas & sesquipedalia ver-

ba de canalibus, de defluuio, de abstractione substantiæ, siue carnis dominicæ de cœlo: aut ex aduerso de ascensu mentis atque fidei in cœlum blaterat, vt ibi apprehendatur corpus affixum, & sola fide spiritaliter edatur. Horum & similium, quæ vtramque paginam librorum ab aduersariis editorum occupant & complent, nihil est in scripturis expressum, aut apparenter ex ipsarum textu elicitum.

EX APOSTOLI PAVLI CAPITIBVS DECIMO ET vndecimo prioris ad Corinthios argumenta, pro verborum Christi de Eucharistia proprietate, & in illa carnis & sanguinis dominici existentia. CAP. 9.

APOSTOLO sanè aderant iustæ causæ, quæ ipsum etiam nolentem impulissent alio sermone institutionem Eucharistiæ tradere, si verborum sensum quibus illa continetur, alium esse didicisset à Domino: Nam ipsum angebant ea de re hæreses inter Corinthios natæ, & ob id populum Dei vltrio vexabat. Satis indicat ad componendas contentiones diu multúmque de Eucharistiæ veritate se animo agitasse, & tandem Dominum consuluisse, sed nihil noui ab illo retulisse. Nonnulli aiunt non reprehendi ab Apostolo Corinthiorum de Cœna Domini hæreses, sed indecentem actionem siue celebrationem eius: quoniam tantùm arguat vnumquemque cœnam suam præsumere ad manducandum. Verùm non tãtùm hoc agit, sed addit, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Domini est: & non diiudicans esse corpus Domini. Apparet profectò Corinthios iam tum lapsos in hæresin, ac nõ pluris æstimasse panem Eucharistiæ, quàm alium communem, aut saltem quàm alium cibum Deo aut idolis sacratum. Ideò ipsos Apostolus redarguit, tanquam iam Cœnam Dominicam non ederent, nec se ad eam qua deceret veneratione præpararent, nec iudicarent id quod in ea sumerent, esse corpus Christi. Totus autem incumbit, vt ostendat tantum interesse inter panem Cœnæ, & alium quemlibet cibum, seu profanum, seu idolis aut Deo sacrum, quantum inter corpus Christi traditum pro nobis, & aliam quamcunque rem. Recidit itaque tota Apostoli disputatio, quòd verba Christi ad literam velit capi, & sub panis & vini specie corpus & sanguinem Domini consistere, & ibi sumi doceat, vt Corinthios auocet à sensibus, quibus decepti, nihil augustius iudicabant de pane & vino Eucharistico, quàm de vulgaribus aliis panibus, aut alioqui sanctificatis. Duo verò ad constituendum discrimen ponit: nimirùm vt iudicent semetipsos, & id quod edunt sub specie panis & vini, discernãt esse corpus & sanguinem Domini. Præterea adeò prudenter Apostolus suis in scriptis incedit, vt etiam leuioribus in causis figuras nisi antea enucleatas non soleat in argumentum ducere, ac ne quidem mores ex illis efformare. An verò repentè ex figurata locutione putabitur fundamentum iecisse doctrinæ, quam diuinitùs acceptam profitetur sufficere ad auferendam de fide Eucharistiæ omnem dubitationem? Solet etiam particulas quasdam aptissimè interiicere, vt magnis difficultatibus viam intercludat: veluti, Sacramentum (ait) hoc magnum est, dico in Christo & Ecclesia, quoniam tum scripturam longiùs quàm verba ferrent, extendebat. Cur non simili stilo ad veritatem constituendam, & ad præsentia ac futura placanda dissidia, non interposuit post verba Domini, Sacramentum hoc magnum est, dico in pane & corpore Domini: præsertim cùm ad explicationem sacramẽtalium locutionum, quas conuenire volunt aduersarij cum Eucharistia, postquàm dixisset, Petra erat Christus, addiderit, Omnia in figura contingebant illis? Cur non eodem modo Eucharistiæ sub-

Corinthij sacramentariorũ laborabant hæresi.

Apostolus refellit Cor. Sacramentarios ex proprietate litera.

Ad Ephes. 5.

Prior. ad Cor. 10.

ſubiunxit, Iſtud in figura corporis ſui Dominus tradidit, ſi, Hoc eſt corpus meum, eſt Sacramentalis locutio, ſimilis huic, Petra erat Chriſtus: præſertim (inquam) cùm laboraret inter Corinthios de intelligentia huius Sacramentalis propoſitionis, Hoc eſt corpus meum? Inſuper non deſtituebatur verbis, quibus diſtingueret abeſſe Chriſtum corporaliter, præſentem tamen ſpiritu, aut neſcio cuius ſubſtantiæ influxu, ſi eam, quam ruentur aduerſarij opinionem verbis ineſſe iudicaſſet. Etenim in minori negocio de ſeipſo talem non veretur adhibere diſtinctionem, preſens ſpiritu, abſens corpore: Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum. Non temerè etiam vnam aut alteram dictionem explanationis cauſa permutauit, vt intelligantur ab illo relicta, ne quidem ampliorem explicationem deſiderare. Pro eo quod Lucas ait, Corpus quod pro vobis datur, Paulus ſubiecit, Frangitur. Hoc verò facite in meam commemorationem, iſta paraphraſi ad recordationem dominicæ paſſionis referri oſtendit. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini καταγγέλλετε, id eſt, annunciatis donec veniat. Scio Latinos magna ex parte legere nõ frangitur, ſed Tradetur: Verùm Græcorum exemplarium, & veterum in Græcia Theologorum conſenſus κλώμενον agnoſcit, & quomodo frangatur exponit, etiamſi varij interpretentur vario modo. Omnes ferè aduerſarij Fractum interpretantur pro nobis corpus Chriſti in paſſione, quia ipſe pro peccatis noſtris attritus ſit: vt ita Pauli cum Luca magis conueniat oratio, præſertim cùm in Cœna non putent Chriſtum pro nobis frangi, ſed ſolum panem. Caluinus etiam, Quod pro vobis frangitur, deprauat, quaſi ex Hebraïcæ linguæ proprietate præſens tempus in futurum commutandum ſit, neque frangitur dicendum, ſed frangetur, quod pro Immolari accipit. Sed niſi aliundè neceſſitas accidat, lingua Hebraïca non compellit temporum ſignificationes permutare: & quàm bellè Caluinus Frangi, pro immolari in cruce, vſurpet, ex his quæ ſtatim ſubiiciemus, iudicet qui volet. Petrus Martyr fractionem ad Chriſti corpus in paſſione pertinere exiſtimat, & ipſum tum fractum fuiſſe ait, cùm animæ diſſolutio accidit. Sed κλώμενον, an conueniat vllo modo, etiam decernant ipſi Grammatici. Nuſquam ſanè in ſcripturis legas Frangi, pro Occidi aut immolari: vt memoriæ mandes nouum ſignificatum & ſcripturis incognitum à Caluino, non tantùm corpori Chriſti, vt præcedenti capite diximus, ſed etiam fractionis verbo confingi. Alij ex fractionis appellatione cenſent, non niſi ſymbolum corporis, & panem à Chriſto demonſtrari ac tradi, quoniam certiſſimum ſit κλᾶσθαι, ſiue frangi, idem verbum eſſe, quo vtuntur Euangeliſtæ, cùm Chriſtum narrant accepiſſe panem, & fregiſſe: quod propriè ſignificat in fragmenta ſecare & diuidere: id quod ſanè omnibus modis à Chriſti corpore in paſſione fuit alienum, cuius etſi dinumerata fuerint omnia oſſa, & caro contuſa, os tamen eius nullum fractum, diſlocatum, aut comminutum fuit ex eo. Hi rurſum diſſident inter ſe. Sunt enim quibus Frangere idem ſignificet quod diſtribuere & exhibere, iuxta Eſaiæ dictum, Frange eſurienti panem tuum. Alij aiunt apud Eſaiam verbum poni commune ad diſtributionem & ad fractionem, ſed hoc loco verbum particulare inſeri, quo ſola partitio & diſſecatio denotetur: ob eámque cauſam exigunt in Cœna non tantùm porrigi & præberi panem, ſed frangi & rumpi, cùm datur: alioqui non exiſtimant ritè obſeruari inſtitutionem Cœnę dominicæ. Iſti quidem omnes rectè iudicant κλώμενον ad panem pertinere, ipſique propriũ eſſe in Cœna: ſed hallucinantur, quando inde non aliud oſtendi & dari credũt, quàm panem, cùm addatur alia proprietas, quę in panẽ non

Margin notes: 1.Corinth.5. — Quid ſit quod pro vobis frangitur. — Eſaia.cap.58.

potest cadere, vt pro nobis detur, siue frangatur. Nobis sanè dari & frangi aptè dicitur, sed pro nobis, & in remissionem peccatorum, minimè. Qua de causa Catholicorum præstat fides & sententia, qui credunt in Cœna, non tantùm nobis, sed etiam ὑπὲρ ἡμῶν id est, pro nobis ac pro peccatis nostris, Christi corpus frāgi & dispensari: idque conatum Apostolum vno verbo significare accuratius, vt Lucæ dictum, Quod pro vobis datur, explicaret, nō ad solum crucis patibulum attinere, sed etiam ad Cœnæ mysterium: vt inde etiam tum apud Corinthios exortos sacramentarios pungeret quàm Lucas acriùs, qui percipi sub pane non credebant, aut non animaduertebant Christi corpus, sed ab Euangelistis nominatum corpus à pane seiungebant, vt nostro tempore faciunt aduersarij, quos vt Apostolus vehementiùs reuincat, etiam sub pane, & mediante fractione panis, corpus ab Euangelistis descriptum suo modo frangi: & realiter sub pane percipi asseuerat. Iam constat ex dictis, Frangi, ad corpus in cruce, referri non posse. In Cœna verò, quoniam in vno & eodem sacramento panis species, & corpus Christi, quasi conflantur, siue coagmentantur, vt vna quædam copulatio fiat, & quasi coadunatio ex specie panis & corporis Christi præsentia, ita vt ab Apostolo & antiquis Patribus, quod vni, quādiu est in composito, congruit, affirmetur saltem aliquatenus de altero, ad demonstrandam vtriusque coniunctionem: necnon etiam, vt probetur Christi corpus re vera existere cum speciebus: Ita dicitur ab Apostolo, Panis quem frāgimus, communicatio corporis Christi est, vt vnum quasi prædicetur in suis proprietatibus de altero. Ita dicitur ab eodem, corpus Christi frangi & secari in frusta. Ita à Luca dicitur, poculum pro nobis effundi: ita à Patribus, corpus Christi dentibus atteri: cum tamen hæ sint specierum proprietates, quas ad corpus Christi transferimus, ad obsignandam illarum cum corporis Christi præsentia in eodem sacramento consociationem. Non potuit itaque D. Paulus melius insculpere corporis Christi naturalis existentiam & præsentiam, quàm ipsum afficiendo proprietatibus panis, qualis est fractio, & interea ipsi retinendo proprietates suas, nempe, quod datur morti & manducationi pro nobis ac pro peccatis nostris: ne ex solius panis proprietatibus quisquam deneget sub pane ipsum corpus Christi naturale, quod pro nobis datur, consistere. Indè refellitur bellissima Theodori Bezæ verborum Domini interpretatio, qua, Hoc est corpus meū quod pro vobis datur, vertit, in symbolum corporis, quod quidem corpus (inquit) pro vobis datur. Atqui verissimum Christi corpus, non tantùm datum scribit Paulus pro nobis in mortem, sed frangi: quod ei in morte non accidit, cùm κλᾶσθαι, sit proprietas panis, & non corporis: & quamuis symbolum corporis frangi videatur, non tamen pro nobis, sine in remissionem peccatorum nostrorum, frangi potest, vt nec vinum, siue symbolum sanguinis, effundi, cùm ea sit prærogatiua corporis & sanguinis dominici. Quamobrem verba Christi stare nequeunt pro corporis symbolo fracto pro nobis, nec pro symbolo corporis fracti pro nobis: quoniam, inquam, fractio corpori in se cōpetere nequit, nec ista particula, Pro nobis, pani, aut symbolo corporis conuenire: sed rectè cōgruunt omnia, si hoc esse corpus Christi dixerimus, quod in Cœna pro nobis sub speciebus panis frāgitur. Obiter admoneo hic etiam fundari sacrificium corporis & sanguinis Domini in ipsa Eucharistia, cùm dicatur corpus in ipsa dari, frāgi & exhiberi pro nobis, & poculū sanguinis effundi pro nobis. Sed vlteriùs ista aliàs. Porrò recitata institutione Eucharistiæ, Diuus Paulus ex ipsa, tanquam ex quodam irrefragabili principio, hanc conclusionem ponit: Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Certè per, Itaque, aliquid ex præcedentibus inferre molitur

&

& intēdit. Quomodo verò contra naturę & suum morē, si figuris & tropis scatet institutio, ex figurato sermone, quem antea proprio sensui non reddiderit, aliud probabit? Ratio præterea postulat, vt in eodem significatu dictiones perseuerent, ne fallaciam præ se ferat cōsecutio, si aliter in antecedente, nulla præmissa distinctione, aliter in cōsequente, voces sonent. Necesse est igitur corpus in institutione eiusdem significationis deputare, cuius est in hac illatione, Reus erit corporis & sanguinis Domini. Sed hoc posteriore omnes ferè aduersarij cum antiquis patribus concedunt corpus Christi naturale & substantiale designari, cùm pertinere & referri aiūt contumeliam sacramenti & signi quod indignè editur, in ipsum corpus verum & sanguinem, sicut in Imperatorem ipsum redundat, si purpura conspuitur, siue contaminatur. Eò recidunt Caluinistæ, cùm reos corporis & sanguinis veri peragunt, qui indignè communicāt, eò quòd oblatum sibi corpus & sanguinem verum sua indignitate respuant, & contumelia afficiant. Petrus Martyr, omnium qui vnquam vixerunt, Eucharistiæ teterrimus hostis, in ista illatione corpus in sua proprietate relinquit, & ab indignis sumi assentitur, sed indignorum genus multiplex constituit. Coguntur igitur omnes isti etiam in sermone Christi corpus appellatum, pro naturali & substantiali positum fateri, ne per eos Apostolus sophistam agat, qui intra paucas lineas, & in eodem argumento sine distinctione corpus Christi, sophistarum more, in varios significatus distraxerit. Hoc constituto, considerādum duo ab Apostolo contra aduersarios concludi. Manducationem nimirum solummodò spiritalem, per fidem in sumptione Cœnæ dominicæ fieri negat, & realem manducationem ac præsentiam corporis & sanguinis Domini sub speciebus panis & vini asserit. Nam si tātùm spiritaliter in Cœna ederetur per fidē, nec probationē animi, nec diiudicationē, nec indignā manducationem, nec ex ea reatū, nec damnationē, nec tēporale supplicium Paulus in medium produceret: nam probatio, si ritè fiat, spiritalem illā manducationem importat: siquidē nemo se satis probauerit, nisi fide Christū amplectatur, & animo quantum potest repurgato, in ipsum feratur, quod prorsus est spiritaliter edere. Sed Apostolus in illa probatione non consistit, verùm eam tāquam præparationem & dispositionē ad alium esum, quē in Cœna Christus instituerit, requirit. Aliam ergo expressiorem & veriorem mādu cationem corporis dominici Apostolus tradit in Cœna fieri, quàm spiritalē duntaxat. Breuiter realis & externa sumptio carnis Christi, vt prosit, postulat probationē fidei & animi antecedentē, spiritalis verò minimè: imò est ipsamet probatio fidei & animi, neque pręcedētem exigit. Ex Paulo itaque infertur, realem & substantialē perceptionē carnis Christi in Cœna decretā esse, nō autem purè spiritalem. Præterea cùm spiritalis māducatio nō stet sine fide Christi, qua apprehendatur cū meritis & donis suis, quid in tali esu opus fuerit diiudicatione, cùm posita tali fide, edi temerè & incōsideratè nō possit caro Christi? nam fides eā spectat, apprehēdit, & iudicat qualis sit: alioqui non diceremur eā spiritaliter edere. At Paulus in Cœna ita comedi corpus Christi censet, vt in tali esu ne cogitetur quidem esse corpus Christi. Alius ergo sit esus in Cœna, quàm simpliciter spiritalis, oportet. Quæ insuper inuenietur indigna māducatio in esu spiritali? & quis reatus corporis & sanguinis Domini? Vbi enim fides Christum amplectitur & retinetur, quæ indignitas, quę culpa interuenire potest? Quòd si fides defuerit, aut non obierit vices suas, iam non spiritaliter Christus editur, & ita non indigna est manducatio, sed nulla. At Apostolus aliquam fieri māducationem indignam corporis dominici ostendit, cuius causa indignè edentes, reatum incurrunt corporis & sanguinis Domini. Cogimur igitur aliam perceptionem in Cœna agnoscere quàm spiritalem, quæ tantum dignè fit, aut omninò nulla est. Aduersarij

Apostolus tollit puram manducationē spiritalem & corporalem statuit.

destituti iustis latebris & effugiis, sese proripiunt quò possunt. Alij reatum corporis contrahi aiunt ex violatione signi, & indigna susceptione eius, quasi redundet in ipsum corpus Christi: quia peccetur in Deum, aut alium, dupliciter, absolutè & relatiuè, Qui maledicit Principi, aut manus infert, ipsum offendit in se & directè: qui vestem aut imaginem eius conspurcat, relatiuè. Caluinus cum suis sæpè in omissione culpam cõstituit, quæ sibi oblatum verum Christi corpus non excipit fide, sicuti deberet. Alij ac ferè omnes, indignorum multiplex genus faciunt, quorum nonnulli omninò fide careant, & hos nullo modo participes fieri corporis Domini iudicant: nonnulli verò fide quidem præditi sunt, eámque afferunt ad Cœnã, sed non tantam, nec cum tanta pietate & puritate atque reuerentia coniunctam, quantã desiderat dignitas corporis Domini: & istos credunt ex Paulo percipere carnem Domini spiritaliter per fidem, sed indignè, propter non satis iustam præparationem ad tantæ rei perceptionem. Ob id tales in vltionem indignitatis, temporariis pœnis à Deo affligi, non autem sempiternis, cùm sint in fide Christi. Alij opinantur non de indignis hominibus & personis ab Apostolo agi, sed de indigna accessione ad Cœnam, & manducatione, quæ piis & fidelibus atque impiis & infidelibus sit communis: quoniam non scribat Apostolus, Quicunque indignus manducauerit panem hunc, & biberit calicẽ, sed, Quicũque indignè siue ἀναξίως, manducauerit panẽ hũc: & quoniam Corinthij non omnes erant indigni, omnes tamen dicuntur indignè mãducasse, cùm vnusquisque tã bonus quàm malus suã cœnã præsumeret ad manducandũ. Ideò putant de mãducatione sacramentali, siue signi, tãtum loqui, nõ autem corporis in veritate: & propterea Apostolũ nominatim dixisse, Qui manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini, eúmque tẽporarias pœnas duntaxat cõminari existimant. Vt ordine quatuor istas opiniones alienas esse à D. Paulo probemus, ipse quinque nobis planissima argumẽta suppeditat, quibus primam profligemus, ac minimè interpretemur de manducatione signi, & inflicta signo iniuria, quod ille scripsit de mãducatione corporis, & illata ei cõtumelia. Ex cõmixtis corporis & signi proprietatibus iam liquet, nusquam ab ipso separari signũ à corpore, nec cõtrà, quoties de Eucharistia disseritur. Deinde probatio, & sui exploratio, quã ita diligentẽ exigit ante esum, id confirmat. Tertiò cõparat reatum ex indigno esu, cum Iudæis qui Christum cruci affixerunt. Quartò in eo tantùm crimen collocat, quòd cibus qui editur, non diiudicetur esse corpus Domini. Postremò iudicium & condemnationẽ acciri & acquiri ex defectione diiudicationis & indigni esus concludit. Principiò igitur si nihil aliud quàm corporis & sanguinis symbolũ proponeret Paulus ad edendum, nõ tam anxiè de præparatione animi verba fecisset: & in similibus symbolis scriptura eandem præscriberet probationẽ & dispositionẽ. Amplificantur autem ab aduersariis, tanquã æquè efficacia signa corporis & sanguinis Domini, quàm est ipsa iuxta illos Eucharistia, agnus Paschalis, Panes propositionis, Manna, & potus aquæ de petra. Sit ita, vt externa quædam mundities & ceremonia singularis posceretur ad dignam quorundam ex ipsis manducationem, vt ad agni Paschalis, & panis propositionis esum: sed ne ista quidem desiderabatur ad Mannæ capiendam escam, & potum aquę de petra, quæ etiam iumentis profluebat. Multo verò minus ad dignam horum sumptionem habebatur necessaria propriæ conscientiæ examinatio, fidei impetus in Christum, & perfecta atque interna mentis sinceritas. Nihil enim de his scriptura præcipit: & quoties bibissent aut comedissent Israëlitæ in deserto, tantam oportuisset eos adhibere probationem, meditationem & præparationem, quanta nobis est ad Eucharistiam dignè percipiendã, cùm non vterentur alio cibo quàm Manna, nec alio potu per aliquod tempus quam aqua

Cinglius, Caluinus in Vuestphal. & Heshus. & alibi. Petrus Martyr 3. parte De Eucharist. Heildeberg. in conformit. Cœnæ.

Ioan. Matthæus Schmalcadesis de Eucharist.

Apostolus refellit omnes falsas interpretationes ad effugiendam veram corporis manducationẽ.

aqua de petra. Nec paruulis ritè baptiſmus irrogaretur, ſicuti nec Euchariſtia, cùm examinatio ſui, quam infantes nequeunt præſtare, tam ante illum, quàm ante hanc neceſſaria ſit, ſi nihil hæc præ baptiſmo de corpore & ſanguine Domini plus contineat. Præterea ſit ita, vt aliqua culpa teneretur quiſquis prophanus, aut indignus ad ſacra illa ſigna temerè acceſſiſſet, tamen nemo vnquam dixit, immeditata Mannæ manducatione, aut panum propoſitionis, corpus Chriſti violari, aut interfecti Chriſti crimen cum Iudæis admitti, & damnationem certiſſimam inde ſequi. Sit ita, vt qui purpuram Regis aut imaginem indignè attigerit, ſiue attrectarit, reus alicuius culpæ agatur, quæ referatur in Regem, non tamen ei fuerit æquandus, qui in ipſum Regem violentas manus iniecerit, aut alioqui maieſtatem ipſammet læſerit, nec parem meretur cum iſto pœnam. Non enim æqualia & paria ſunt peccata, quæ relatiuè committuntur in Deum, aut alium, & quę proximè cõtra ipſos perpetrantur, nec etiam paria ipſis debentur ſupplicia. An ſi Iudæi nudam figuram ac ſignum corporis Domini in crucem ſuſtuliſſent, tot pœnarum agerentur rei, quot nunc aguntur, ex eo quòd verum ac ſubſtantiale Chriſti corpus indignis modis excruciarunt? An Sacramentarij ipſi tam reos ſe fatebũtur corporis Domini & Sanctorum, ex eo quòd crucem Chriſti, & aquam ſacro vſui baptiſmi deputatam, & ob id definitionem ſacramenti, ſiue ſacri ſigni, quæ à Caluiniſtis traditur, retinentem, & quòd alia ſacramenta impiè & turpiter fœdarint: quódque imagines atque ſanctorum ſigna confregerint: quàm ſi Chriſti corpus & ſanguinem, ac ſanctos ipſos manibus ſuis diſcerperent, & pedibus conculcarent: quia, vt ipſis placet, illata imagini iniuria, tam reflectitur in Imperatorem & prototypum, quàm ſi fieret eidẽ? Hoc loco ſanè plus deferũt imaginibus aduerſarij, quàm nos ipſi, cùm interea illarũ ſint improbiſſimi effractores & hoſtes. Nos autẽ non dicimus vacare omni culpa, neque extra omne periculum damnationis ponimus eum, qui aliquod Chriſti ſacramentum ſcelere inſigni polluerit, aut non ſatis decenter ſuſceperit: nõ tamen poſſumus huius peccatum ſtatim morti æternæ obnoxium pronuntiare, nec illorũ peccato aut damnationi æquare, qui Chriſtum vitæ & ſacramentorum authorem nefariè trucidarint, aut contumelia, atque irreuerẽtia affecerint. Iſta duo cùm penitùs imputet Apoſtolus indignè veſcẽtibus Euchariſtia, eam diſtinguit apertiſſimè à puris ſignis & ſymbolis corporis & ſanguinis Domini. Ac ne litigãdi anſam dediſſe videretur, quia nominarit panẽ & calicem, omnẽ dubitationem tollit, quãdo exprimit peccari in eo, ſi aliud eſſe putetur aut credatur, quàm ipſum corpus Domini, ne quis intra ſignũ huius corporis cõſiſtat: & ſe intelligere de veriſſimo Chriſti corpore poſtea confirmat ab effectu, cùm ſubiungit, iudiciũ comedi ex indigna eius manducatione, ſicuti vita ex eiuſdẽ pio & puro eſu: quoniam eadem res, Chriſtus ipſe, & corpus eius, aliis cedunt in vitam, aliis in mortem, aliis in ruinam, aliis in reſurrectionem, propter imparem manducantium diſpoſitionem. Sicuti ergo non ſignum carnis & ſanguinis, ſed caro ipſa & ſanguis conferunt vitam, ita nõ ſignum ipſum indignè ſumptum parit mortem, ſed caro ipſa & ſanguis. Hoc veteres omnes Chriſtiani multis ſimilitudinibus illuſtrarunt, & eam eſſe mentem Apoſtoli fusè latéque diſputarunt: ſed hæc omnia ſuo loco narrabuntur. Si Apoſtolum itaque interroges, quid ſit in cauſa, cur indigni edendo panem, & potando vinum Euchariſtiæ, in reatum corporis & ſanguinis Domini incidant, ac iudicium ſibi aſciſcant: vnum reſpondet, & in vno conquieſcit: Quia, inquit, quod editur & potatur, non æſtimatur tanti, quanti faciendum eſt corpus Domini, neque ipſum, vt corpus Domini, ab aliis communibus cibis diſcernitur. Nam διακρίνειν, quo vtitur Apoſtolus, eſt ex collatione duarum rerum vnam ab alia ſecernere, & vnam alteri

Repetition. 5. cap. De manducatione indignorum.

præferre ex perspecta eius qualitate aut substantia. Sic Paulus hominem supra alios
Prior. ad Cor. 4. insolescentem deprimit, atque in ordinem cogit, τίς σε διακρίνει, id est, quis te discernit? quis te eximit ex promiscua multitudine, & quasi conspicuum illustriori loco
Actor. 15. ponit? Sic Lucas in Actis Apostolicis scripsit, Nihil discreuit inter nos & illos. Panis igitur in Eucharistia ita discerni, distingui, & anteferri omni pani debet, vt credatur & iudicetur verum Christi corpus esse. Antequàm certè discernatur panis hic esse corpus Domini, oportet vt verè sit ita: aloqui falsò discerneretur. Quamobrem antequàm comedatur, credi debet panis esse corpus Domini: neque per fidem redditur præsens hoc corpus, neque solummodò fide comeditur: sed quia panis qui mãducatur, ex verbo Christi effectum est corpus eius, antequàm sumatur, siue fides accedat, siue desit: ideò secernendus est tanquam corpus Domini ab omni alio cibo. Potuit verò Apostolus tam facilè dicere, Non diiudicans esse mysterium seu sacramentum corporis Domini, atque dixit, Corpus Domini, si tantùm haberi pro sacramento & symbolo corporis voluisset: sed omne reprehendit iudicium, & omnem damnat opinionem, quæ omnino aliud, aut aliquid minus esse existimat, quàm corpus Domini naturale, quod non tantùm ab omni pane cõmuni, sed ab omni re quæ editur, segregandum est, etiamsi res illa esset eiusdem corporis signum, vt erat Manna. Etenim tantùm duo statuit Apostolus, de quibus sit faciendus delectus, Corpus Christi, &, omne aliud à corpore Christi. Quicquid crediderimus inesse sacramento, quod edamus, si corpus Christi exclusierimus, aut indignè ipsum manducauerimus, damnamur, & manet nos æternum supplicium. Breuiter quæritur, vnde nascatur propriè indignitas illa. Certè ait, ex manducatione panis, & vini potu, in quibus non diiudicetur quid edatur & bibatur, siue quæ sit res illa quæ edatur & bibatur. Deinde in eo versatur indignitas, quòd ad esum huius panis, & vini potum, non ita reuerenter accedamus, vt accedendum est ad rem, quæ verè ibi est, si quænam sit illa, benè atque attentè diiudicaretur & animaduerteretur. Ne hæreas anxius de re illa, corpus esse Domini pronuntiat. Itaque non alibi, quàm in panis specie, sumi corpus Domini ostendit. Non enim ait, interea dum capitur panis, corpus ipsum extra panem capi: sed exprimit esse corpus Domini, cuius esus sub specie panis sit eximendus & discernendus ab esu alterius cuiuscunque rei quæ extra panem sit. Victus hac perspicuitate textus Caluinus, cùm corpus quod diiudicari Apostolus iubet, non posset transferre probabiliter in signum & symbolum corporis, coactus fuit nouum commentum excogitare de oblatione huius veri corporis, quod presentari ait dignis & indignis de cœlo extra panem, interim dum manducatur panis, sed excipi oblatum à dignis tãtùm per fidem, ab indignis verò respui, quos ita iudicium sibi comparare somniat. Verùm Apostolus, quicquid committitur & peccatur, ipso esu panis indigno admitti clamat, non corporis separati à pane reiectione aut repulsione, sed indigna inquam panis & vini perceptione. Probet (inquit) seipsum homo, & sic de pane illò edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ne corpus, aut aliud, seorsum à pane diuidamus, quod nos condamnet, exactè peccari demonstrat: quia panis non existimetur corpus Domini, sed aliquid aliud ab ipso corpore censeatur. In-
Matth. 8. super non grauiùs peccatur repellendo Christum, quàm intra se indignè recipiendo, imò multo minùs. Centurio certè non offendit, renuendo Christum sese offe-
Matthei. 10. rentem, ex eo quod agnosceret indignitatem suam. Contrà verò quisquis admissum hospitem Christum indignè exceperit, multatur, & dignus censetur, in quem excutiatur pedum puluis. Qua de causa æquius est, vt grauitas peccati statuatur in

indigna receptione & actione, quàm in repulsione aut omissione. Deinde Caluinus est author, sacramentum fieri ex pane & corpore Domini seiunctis, quantum cœlum à terra, per fidem & intentionem sumentis, non autem verbis Christi prolatis. Non igitur infideli vllo modo offeretur corpus Christi, aut sacramẽtum Cœnæ: quia fide qua efficiatur, & corpus offeratur, careat. Prædicant quoque Caluinistæ absentia effici præsentia per fidem, & ob id per eandem nobis reddi præsentissimum Christi corpus toto cœlo à nobis dissitum. Infideles igitur, cùm huiusmodi destituantur fide, non habebunt quo offeratur illis corpus Christi. Porrò Apostolus etiam repellit eos, qui ex duplici genere indignorum conantur euadere, atque inficiari ab infidelibus capi corpus & sanguinem Christi. Nam infideles indignorum nomine maximè comprehendit per id quod ait, Non diiudicans esse corpus Domini. Hoc enim ad eos potissimùm pertinet, quia fide imbuti agnoscunt quidem & discernunt esse corpus Domini, sed per indiligentiam aut temeritatem, indignè fruuntur ipso. Atque vtrumque genus indignorum verè sumentium carnem Domini inter Corinthios extitisse Paulus innuit, cùm modò eos tãquam incredulos ita increpet, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? modò admoneat, tanquam indifferenter atque imparati irruerent in Cœnam Domini, sine praua probatione & repurgatione conscientiæ. Falsum autem est ab eodem Apostolo tantùm minas pœnæ temporariæ indignis quibuscunque intentari. Non enim reos corporis & sanguinis Domini momentaneo supplicio subiicit: nec cùm ait iudicium manducare & bibere, qui corpus Domini non diiudicant, pro leui damno & calamitate intelligit: sed sicuti duo genera indignorum commiscuit, ita duo genera pœnarum interponit. Laudandi interea sunt in eo aduersarij, quòd cum Catholicis hoc loco quædam esse peccata fateantur, quæ plectuntur à Deo, non æternis tormentis, sed transituris in isto seculo, siue in futuro, vt Apostolus ait à Corinthiis in hac vita illa perferri, ne cogerentur in alio seculo eadem luere. Denique Apostolus ne quidem subtilitatem illorum intactam præterit, qui arbitrantur nihil eum de indignis hominibus cogitasse, sed solam indignam manducationem, siue à bonis fiat, siue à malis, redarguere. Vt enim sacra omnia violantur, si aut profanus accedat, aut sacer homo illotis manibus attrectare audeat: ita duobus modis circa carnem & sanguinem indignitas admittitur: vno, si peccatis pollutus ad sanctum & immaculatum cibum proruperit: & altero, si post peccatorum expiationem, nihilominùs infideliter, aut minus prudenter, siue minus pie ac religiosè corpus & sanguinem Domini sumpserit & degustarit. Propterea Apostolus contra infideles aut flagitiosos ait, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: & contra indignam perceptionem subiungit, Qui manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Quamobrem qui de præparatione ad Eucharistiam populum commonefacient, de hac duplici meminerint oportet.

Restat locus Apostoli, ad quem magno studio prouocant Caluinistæ, vt nos ab institutione Eucharistiæ, tanquam ab arce, depellant. Sic autem habet: Vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quæ dico. Calix benedictionis quem benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frãgimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Iubet Theodorus Beza, vt relicta institutione Eucharistiæ, attentè audiamus Apostolum, verborum Christi interpretem, tanquam planè loquentem, corpus Christi non censeri in pane, sed panis fractionem symbolum esse participati corporis Christi: ita rem geri in Cœ-

Prior. ad Cor. 10.

Lib. 2. De re sacr.

na, vt quando pane vescimur, extra ipsum tamen, corpus Christi percipiamus. Nos autem tria initio respondemus: Non esse æquum ex loco, in quo testatur Paulus se obscuriùs loqui, tanquam prudentibus etiam intelligentibus mysterium Christianis, vt tenebræ offundantur institutionis verbis, per quæ locus hic tenebricosior elucidari debet, & non contrà, iuxta doctrinam Christi & Apostoli, quam antea tradidimus. Deinde aduersarios ostendemus, ne quidem dictionum sensum assequi, sed variis modis peruertere: & tertiò, nec in huius textus sententia & intelligentia ipsos conuenire inter se, nec cum veritate. Imprimis ergo audent ipsa verba corrumpere, & citare, ac si Apostolus scriberet, panem esse corporis dominici communicationem, vt euincant signum efferri nomine signati, & panem appellationem corporis sortiri. sed falsitas ilicò apparet. Propterea alij cum Beza concedunt, non panem simpliciter legi, neque omninò conuenire orationem Apostoli cum institutione Christi, sed panem in actione ab Apostolo reponi, id est, in fractione, siue distributione, aut perceptione: ac tum quoque metonymiam redolere Caluinus in Concordiæ formula existimat. Vtrique verò aberrant in eo, quòd panem pro materiali & naturali pronuntiatum à Paulo volunt: quasi nihil immutationis ei accesserit, antequàm dici queat corporis dominici participatio. Atqui tantam intercedere credimus, vt panis esse naturalis desinat, tametsi nomen & aliquam eius proprietatem retineat, ac propriè panis nomine cibum in genere significet, non panis materialis substantiam aut naturam in specie. Ad hoc credendum adducimur ex eodem Apostolo, qui potionem in genere apponit, & ei interuenire benedictionem distinguit, antequàm æstimetur esse communicatio sanguinis Christi, nec eam nomine vini in specie designat. Deinde audimus eũdem Apostolum profiteri, Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus: quod de materiali pane & calice non datur intelligi, cùm omnes Christiani de vno & eodem materiali pane participes nequeant effici: ob ídque de vno Christo ac corpore eius interpretari cogimur, atque agnoscere talem panem siue cibum in genere, sub proprietatibus panis materialis in sacramento esse ipsummet Christi corpus, & eius perceptionem esse veri dominici corporis participationem. Dissident quoque aduersarij in expositione huius locutionis Apostolicæ, cùm alij sentiant panis fractionem esse signum participati corporis, alij instrumentum, alij tesseram, obsignationem, & confirmationem corporis, inquam, participati: alij conuentionis tantùm & fœderis cum corpore. Pergamus textum istum excutere. Principiò, corpus Christi hîc accipi pro naturali fatentur omnes aduersarij, quorum nullus negat nos reddi participes veri corporis Christi: sed in modo discrepant. Itaque consequitur & in ipsa institutione Eucharistiæ corpus Christi ab Apostolo pro naturali scribi & agnosci, cùm hîc habeatur sermo eadem de re, quam declarauit institutio, ad quam Christianos, vt mysteriorum conscios & peritos remittit, cùm ait, Vt prudentibus & intelligentibus loquor. Profectò si corpus & sanguis Domini hîc per figuram pro signo corporis & sanguinis caperentur, insulsissima nasceretur sententia, nempè fractionem panis, qui significat corpus Christi, esse signum eiusdem corporis: quasi nihil aliud diceretur, quàm signum esse signum, & sacramentum corporis esse sacramentum corporis: quæ sane seipsam confutat absurditas, ac proinde in sua naturali proprietate corpus Domini interpretandum docet. Videndum prætereà, quid ab Apostolo vocetur communicatio corporis & sanguinis Domini. Nam κοινωνία multiplicem sensum sortitur in scriptura. Aliquãdo pro quadam societate, & rei alicuius cum alio cõmuni fruitione legitur. Quod vidimus (inquit D. Ioannes) & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos societatem

Caluin. in concord. Formul. & alibi. Beza in Hesbus. & in annot. in 1. ad Cor. Heildeberg. in Conformit. & in Protocollo disputat. Mulbrun.

1. Ioan. 1. Ad philipp. 1.

tem habeatis nobiſcum, & κοινωνία ἡμετέρα ſiue ſocietas noſtra, ſit cum patre & filio eius Ieſu Chriſto. Ad Philippenſ. quoque ſcribitur, Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti, à prima die vſque nunc. Ab eodem κοινωνία paſſionum Chriſti nominatur: qua in ſignificatione Apoſtolus loquitur, cùm nos participes Chriſti, & dæmoniorum vocat quaſi ſocios & confœderatos: ſed ipſe non conſiſtit in eo, ſed pergit explicare, quo medio ineamus illam ſocietatem cum Chriſto, nempè carnis & ſanguinis perceptione. Ideò τῆς κοινωνίας alij quærendi ſunt magis proprij ſignificatus, quàm ſolius ſocietatis & fœderis. Nam aliquando pro diſtributione, & impartitione inuenitur. Sic enim vulgo à Paulo, erogatio in pauperes appellatur, quaſi quodam ſocietatis iure ipſis deberetur. Probauerunt, inquit, Macedonia & Achaia aliquam κοινωνίας id eſt, collationem in pauperes ſanctos, qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi debitores eorum facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis. Inſuper vt ex parte dantium diſtributionem propriè κοινωνία denotat, ita ex parte accipientium perceptionem ſiue participationem declarat. Hoc in textu Apoſtoli, quem tractamus, κοινωνία τῦ σώματος, omnibus modis poteſt per ſe intelligi, & pro noſtra conſociatione cum corpore Chriſti, quam inimus per eiuſdem corporis dignam ſumptionem, & pro traditione ſiue exhibitione corporis, quæ fit per panis & calicis diſtributionem, & pro perceptione ſiue participatione eiuſdem corporis, qua donamur per panis ſuſceptionem. Lutherus in libello viſitationis vertit, Panis quem frangimus, eſt diſtributum corpus, ſeu corporis diſtributio. Melanchtho in Reſponſione ad articulos VVormatienſes & Ratiſbonenſes, eodem modo tranſtulit. Caluinus exponit, quòd fractio aut ſumptio panis, ſit participatio corporis Chriſti: ita vt panis non ratione ſubſtantiæ, ſed quatenus diſtribuitur, inferat diſtributionem, & perceptionem corporis dominici. Inſuper Caluinus pro participatione ab Apoſtolo collocari κοινωνίας fatetur: ad quem proculdubiò ſignificatum videtur Paulus ſpectaſſe, à quo concluditur, Vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice μετέχομεν id eſt, participamus. Porrò tantum abeſt, vt hic textus aduerſariis ſuffragetur, quòd potiſſima eorum capita contra fidem catholicam de Euchariſtia confutat & euertit. Primò aſſerunt indignos arceri à corporis dominici participatione. Deinde putant nos fide tantùm delibare corpus illud, eidémque vniri. Tertiò, non panis ſacramento, tanquam quodam vaſculo, opinantur ad nos deferri & deportari tale corpus, ſed aliunde per fidem ſumi. Poſtremò ſacrificio & oblationi eiuſdem quoque corporis, quod fit in Euchariſtia, mirè ſunt infeſti: cui patrocinatur admodum locus iſte Apoſtoli, aliàs in eum finem repetendus. Ante omnia verò Apoſtolus demonſtrat, ſe ad indignos Corinthios ſermonem habere. Multi enim ex ipſis iam Chriſtianam fidem profeſſi, Euchariſtia veſcebantur, nec interea à ſacrificiis idolorum abhorrebant, quia putabant quiddam eſſe indifferens, & claudicabant in Chriſti & idolorum cultum, nec pluris æſtimabant Euchariſtiam quàm idolothytum: quaſi nihil eſſet illa, quàm alimentum panis Deo dicati, & oblati, vt cætera obſoniorum genera, quæ ante eſum immolabantur idolis. Ad eripiendam ex eorum animis hanc infidelitatem & impietatem, proponit Apoſtolus veritatem Euchariſtiæ. Calix, inquit, cui benedicimus, nónne participatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Proponit effectum, Quoniam vnus, & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Videte Iſraël ſecundum carnem, nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Proponit periculum, An æmulamur Dominum?

Ad Rom. 15.

lib. 4. Inſtitut. cap. 17. nu. 10. 2. lib. de Conſenſione.

Nunquid fortiores illo sumus? Ex veritate ostendit discrimen inter Eucharistiam, & idolothytum: quòd Eucharistici panis perceptio, etiam à Corinthiis indignis & infidelibus, quos alloquebatur, sit corporis dominici sumptio: idolothytum verò nihil sit, sicuti nec idolum, nec quicquam secum ferat, quàm habitum quendam & relationem ad dæmones, quibus immolatum fuerit. Itaque ex mente Pauli, etiam indigni & infideles, capiendo panem Cœnæ, percipiunt carnem Domini: sumendo verò idolothytum, nihil sumunt præter naturalem cibum, & dæmoniorum symbolum, siue sacrum signum. Hanc enim statuit differentiam inter vtrumque cibum acceptum ab eisdem indignis & infidelibus. Peccant verò Sacramentarij, qui pani Eucharistico non plus rei & substantiæ alienæ tribuunt, quàm idolothyto, quod dicitur à Paulo nihil esse: quia non eam substantiam, cuius sacrum signum est, habere in se possit, cùm nulla sit, vt in se habet Eucharistia corporis dominici substantiã, cuius causa illam esse ait corporis dominici cõmunicationem. Porrò ex effectu docet Apostolus, nos nõ solo spiritali vinculo coadunari cũ Christo, sed reali & corporali, & hoc proficisci ex esu panis dominici. Eos enim, inquam, indignos affabatur, qui nihil spiritale propter incredulitatẽ ex Eucharistia reportabant: & tamen vnũ corpus effici cũ Christo pronuntiat, ex eo quod de Eucharistia sumerent: Cur verò assereret eiusdẽ panis cibo omnes conflari in vnum corpus, profert: quia nimirum panis huius fractio sit participatio corporis dominici, ex qua omnes digni & indigni in vnum illud corpus perceptum coalescerent, sicut Israëlitę, inquit, secundum carnem cum altari acquirunt consortium per externarum hostiarum esum. Alioqui nisi panis eiusmodi, esset corpus Domini, & diceretur, nunquam digni & indigni de vno & eodem singulari pane comederẽt, nec vnquam in vnum corpus & in vnum panem euaderent: imò ne quidem digni ipsi inter se de vno pane propriè ederent: quandoquidem nec quotquot sunt digni siue indigni, possunt vno sacramentali pane ali, sed pluribus opus habent, nec indigni aliundè corpus Christi apprehenderent, quoniam fide destitui intelliguntur. Ideo ex Eucharistia non magis copularentur in vnum corpus, & in vnum panem, quàm ex quouis alimento promiscuo. Digni verò omnes Christiani non coagmentarentur in vnam quasi massam ex eodem pane sacramentali, cum vnus panis & singularis sacramẽti omnibus Christianis dignis, quotquot fuerunt ac futuri sunt, satis esse nequeat, nisi sit ipsummet corpus Christi, panis verus, omnibus satisfaciens & superabundans. Quòd si abeunt in vnum corpus & in vnum panem per fidem solam mentitur Apostolus, qui fieri id affirmet per esum vnius panis, nec magis id ex Cœna obtinerent, quàm extra ipsam, quoties fide abundarent. Præclarè igitur ab effectis colligit Apostolus, panis distributionem esse corporis dominici exhibitionẽ. Neque verò mihi quisquam facessat negotium, si cum Apostolo indignos cum dignis vnum corpus cum Christo effici scribo. Efficiuntur quidem re vera per naturarum contactum vnum corpus cum Christo, sed non spiritaliter neque salubriter, sed ad iudicium & condamnationem, sicuti pari damno dicuntur corpus Domini excipere. Non efficiuntur perfectum corpus cum Christo sed tantum ex parte vt capite de Indignis dicemus. Eam obrem. D. Paulus Corinthios admonet, cùm transierint per mensæ dominicæ vsum in vnum corpus Christi cum aliis, iam non esse ipsis liberũ aut licitum diuertere ad consortium & ad mensam dæmoniorum, aut eos prouocaturos esse Deum ad vltionem. Postremò cum Apostolus enuntiet panis fractionem esse corporis dominici communicationem, non est arduum iudicare ab eo statui, non aliundè quam ex pane corpus illud exhiberi. Nam si participatio illa non inesset panis manducationi, sed seiungi posset, malè Apostolus

ſtolus ex panis ſacri fractione,& manducatione, re vera participari corpus colligeret: ſi quidem mandi & conſumi facilè poſſet panis ſacramentum ſine perceptione corporis Chriſti, ſi abeſſet à ſacramenti pane. Ineptiſſima deinde tota coargueretur Apoſtoli connexio & illatio iſta, quam expreſſis literis & ſyllabis ponit, Omnes de vno pane deguſtamus: ergo omnes de vno corpore participamus,& cum illo copulamur, vt vnum corpus euadamus. Etenim facilè negabitur iſta conſecutio, ac dicentur panis & corpus Chriſti longiſſimè ac toto cœlo diſſita, neque penetrari ad corpus per panis inſtrumentum, ſed per fidem ac ſpiritum: vt fractio panis non ſit re vera communicatio corporis Chriſti, imò nullo modo corpus attingat, aut exhibeat: quæ quidem eſt Sacramentariorum doctrina, & cum Apoſtoli verbis ac concluſionibus omninò pugnat. Inſuper indignos, vt præfati ſumus, alloquitur hoc in textu, qui nihil ſpiritale referrent ex Euchariſtia: ipſis tamen ait panis fractionem eſſe corporis dominici communicationem ſeu perceptionem, quam vtique oportet externam intelligi,& realem: quia mali, inquam,& indigni ſpiritaliter non ſumunt, neque edunt. Et certè ſi non omnes, quotquot pane Euchariſtico fruuntur, fierent corporis Chriſti participes, non panis ipſius eſus, vt placet Apoſtolo, ſed fides vel ſpiritus eſſet res & inſtrumentum, quo ſocietas contraheretur cum corpore Chriſti naturali: neque fierent omnes vnus panis, ſed vna fides, vnus ſpiritus,& ex fide & ex ſpiritu, non autem ex panis manducatione efficerentur vnum corpus, ſicut affirmat Apoſtolus,& ab exemplo Iſraëlitarum veſcentium de exterioribus hoſtiis probat, quarum eſu, non autem fide, participes fiebant altaris. Quo etiam exemplo manifeſtè confirmat, nos referre communicationem corporis dominici ex panis exteriore fractione, ſicut Iſraëlitę conſociationem cum altari inibant ex hoſtiis externè acceptis & manducatis, neque quicquam mutuabantur ex altari, quod prius non ineſſet hoſtiis illis,& quod non in ipſarum fruitione obtinerent. Quòd ſi tam remotum eſſet corpus, & communicatio eius, à pane & panis diſtributione, quàm cœlum à terra, non probabiliùs enuntiaretur corpus exhiberi per exhibitionem panis, quàm ſi diceretur cœlum in rem præſentem ſiſti, cùm terræ gleba contingitur. Non docent aduerſarij per ſcripturam certam, Deum pepigiſſe cum hominibus, quod ad panis fractionem, fidei noſtræ præſto eſſet corporis dominici communicatio:& licet id aliunde docerent, non euincerent tamen id exprimi per iſtam locutionem, Panis fractio eſt corporis Domini communicatio. Iſta enim vi ſua & genuina ſignificatione commōſtrat harum duarum rerum copulam intimam,& non toto cœlo & terra illarum diſtantiam, quam iactant aduerſarij.

MVLTIPLEX ADVERSARIORVM, ET IN EXponendis verbis Chriſti abſurditas, & diſcordia: atque octoginta & amplius interpretationes ſatis confirmant eorum proprietatem retinendam eſſe. CAP. 10.

SEx ſunt, quæ in aduerſariis contra proprietatem verborum, quibus Euchariſtia inſtituitur, admiramur & inſectamur. Principiò negant, in ſcripturis ſpectandam aut exigendam literæ proprietatem. *Aduerſariorū abſurditates ex omiſſa literæ proprietate.* Alij cenſent non magnoperè curanda verba illa Cœnæ concepta. Alij parùm referre putant, quo quiſque modo illa accipiat aut exponat. Omnes ferè non ſolùm ab aliis in ipſorum interpretatione, ſed à ſemetipſis diſſident & diſcordant. Omnes etiam ſuum ſenſum & explicationem, non aliundè quàm ab ipſo Spiritu ſancto acceptam & afflatam gloriau-

tur,cùm non ſit diſſenſionis ſpiritus, ſed pacis, & cùm plerique ex ipſis ſe à malo genio agitari fateantur, aut fuerint deprehenſi. Poſtremo ex ea, quam ſibi omnes arrogant,de inſtitutione Euchariſtię commentandi licentia,& à verborum naturali ſignificatione recedendi audacia, accidit, vt de Cœna Domini iam nulla inter illos fixa ſit ſententia,nec vlla omninò conſiſtere poſſit, cùm numerus opinionum in infinitum propè excreuerit.

Lib.4.Inſtit. cap. 17.nu.23. De primo Caluinus ita dictat. Vetát boni magiſtri,vt literati appareant,vel tantillùm à litera diſcedere. Ego contrà, vbi ſcriptura Deum nominat virum bellicoſum,quia ſine tranſlatione nimis aſperam locutionem fore video,non dubito ſumptam eſſe ab hominibus comparationem. Et ſanè non alio prætextu moleſti olim fuerunt orthodoxis Patribus Anthropomorphytæ, niſi quòd vocibus illis mordicus arreptis, Oculi Dei vident, Aſcendit ad eius aures, Manus eius extenta, Terra ſcabellum pedum eius, clamitabant eripi Deo corpus ſuum, quod ei ſcriptura aſſignat.Hac lege recepta, immanis barbaries totam fidei lucē obruet. Quæ enim abſurditatum monſtra fanaticis hominibus elicere non licebit,ſi illis permittitur ſingulos apices ſtabiliendis ſuis placitis obiicere? *Petr.Mart.3. parte Volum. de Euchariſt.* Petrus Martyr idem ſic ſuadet: Perſpicuitas verborum non eſt tantoperè obiicienda. Omnes enim ferè hæretici collegerunt opiniones ex eo ſenſu, quem verba perſpicuè pr̨ ſe ferebant. Quare oportet ex aliis ſcripturarum locis & circunſtantiis benè circūſpicere,quid in eis agatur. Non valet (adiicit Ioannes Matthæus Smalcadenſis) conſequentia à non ſic dictum eſſe ad non ſic intelligi.Nos cōtrà profitemur religionis Chriſtianę potiſſimum fundamentum in plana & ſimplici Prophetarum atque Apoſtolorum *Fundamentū Chriſtianæ religionis eſt in ſcriptura proprietate.* ſcriptura verſari:quæ ſi hominum ingeniis ſubiicitur, vt ipſorum iudicio tropis & figuris inflectatur, protinus ipſa cum tota religione Chriſtiana ad hominum deſiderium & arbitrium in fabulas & mendacia transformabitur:nec credetur, nec agetur,nec præcipietur etiam à Deo quicquam tam neceſſarium ad ſalutem,aut manifeſtum, quod hominum ſubtilitate & troporum artificio non eludatur. Surſum ac deorſum ferentur omnia, ac permiſcebuntur, ſi nihil certi ex verbis decernitur. Nihil firmum aut inuiolabile ſupererit ad vitandas aut refellendas errorum præſtigias, ad tuendam Euangelij puritatem,ſi verbis Spiritus ſancti non inhæremus: ſi ipſis non tantùm verba peregrina, ſed noſtra ſomnia & placita addimus:vel ſi nō verba, aut ſyllabas, ſed ſenſum verbis ipſis & ſyllabis detrahimus. Non immoror recēſendis hæreſibus, quæ inde ortæ ſunt,cùm nullam ferè exoriri potuiſſe videam niſi aliquam ſcripturam à proprio ſignificatu in alium ſubtilitate quadam pertraxerit.Anthropomorphytas ipſos oportuit Chriſti dictum,Spiritus eſt Deus,& huius generis alia, à ſuo ſenſu in alienum conuertere. Oportuit Hymeneum & Philetum multis figuris affluere, vt pro corporali ſpiritalem ſupponerent reſurrectionem.Oportuit Cerinthum,Hebionem,Marcionem,Valentinum, Arrium, Origenem,Neſtorium, & omnes alias Eccleſiæ peſtes, infinitis tropis & figuris ſacras literas contaminare & corrumpere. Neque verò tam tenaciter hærendū literę ſuademus,quin ab ea recedatur aliquando:ſed hominū inuentioni nuſquam adeò deferri debet, vt ſuum ſenſum ſacrorum verborū proprietati anteponant. Non ſatis eſt humano iudicio concinnam videri explicationem, ſed eam diuina niti authoritate decet: quoniam fides & religio noſtra non conſiſtit in hominum ſapientia, ſed ex Dei noſtri reſponſis & traditis oraculis emanat.Scrutemur ergo imprimis inſtitutionem rei de qua quæritur, aut eas ſcripturas, quæ poſt inſtitutionem aut promulgationem planius & accuratiùs eadem de re definiant:tum ſenſum literæ deſerere, qui clarioribus aliis locis improbatur,peccatum non habebitur, maximè ſi

Eccle-

Ecclesiæ iudicium expectatur: Sed scripturę proprietatē, sine exactiori alia scriptura, quę de re ipsa ex professo decidat, per figuras & humanas cogitationes opprimere, vel in subsidium imaginationis suæ scripturas alienas à re, de qua disputatur, rapere, breuissimum esse compendium credimus ad perdendum Christi Euāgelium per humanam astutiā: quoniam nihil tam certum aut manifestū in eo fuerit, quod suis argutiis non perstringant homines maleuoli, & quod non eò quò libuerit detorqueant. Ante omnia cum aduersariis expostulamus, quòd à significatione literę, quæ Eucharistiæ institutionem complectitur, lōgiùs euagentur, & ad alias scripturas prouocent, quæ nō expressioribus verbis sensum designant quē cupiunt, quàm institutionis verba illū significant, qui creditus est ab Ecclesia. Profectò nullos textus de Eucharistia enucleatiùs cōscriptos proferent, quàm quos in medium adduximus, in quibus ne syllaba quidem ad literā apertè, ac ne obscurè quidē, suffragatur opinioni, quæ corpus Christi verum à pane Eucharistiæ ablegat. De 6. cap. Ioannis, ad quod confugiunt, seorsum agemus, ad quod recurrere cōtra institutionis verba, est, lumen soli ex tenebris inferre velle: cùm aut illud nō intelligatur de Eucharistia, sicut omnibus ferè neotericis placet, aut de ipsa nobiscum caput illud cōsentiat, quemadmodum veteri Ecclesiæ visum est, & ab ea nobis traditum. Expostulamus præterea cum aduersariis, quòd è scripturis, quæ nihil ad Eucharistiā pertinent, voculas quasdam emendicent ad excusandum potius quàm ad firmandum sensum, quem suo cerebro confingunt. Coaceruent quantū volent huiusmodi locos, Agnus est transitus, Circuncisio est fœdus, Colūba est spiritus, Petra erat Christus, vt quod affirmatur à Christo sub panis specie corpus suum esse, tantum ipsum significare demonstrent: quid quæso ista ad destruendam Eucharistiam amplius, aut fortiùs, quàm ad alios fidei articulos infirmandos conducunt, cùm nihil magis ad Eucharistiam, quàm ad alios fidei articulos pertineant? Valeant quidem tales flosculi ad illustrandum sensum, quem antea indubitatis scripturis euiceris, non ad eum introducendum, quem aliquo animi morbo somniaris. Probent prius expressis literis & syllabis scripturæ, Hoc est corpus meum, tantùm significare corpus Christi, & postea ad eum sensum exemplis elucidandum libros suos illis allegationibus infarciant. Dolemus per aduersarios pridem sepultas hæreses excitari: dolemus ad quæcunque hominum commenta viam publicam muniri. Habet Seruetus Arrianus in Caluinistas, vnde clauum clauo trudat: Deus erat verbum: Hic est filius meus dilectus: Ego & pater vnum sumus. Ista poterit ad significandi vim & figuram redigere. Habet Marcion, habet Manichæus, habent alij pestilentiæ contra incarnationem Christi successores, vnde, Verbum caro factum est, ad suam intelligentiam, similitudinem & significationem inuertant. Nam cur ad applicandū illis scripturis significandi & repræsentandi modū non sufficient ista, Agnus est transitus, Petra erat Christus, cùm eadem sint ex scripturis aduersariorum firmamenta, vt dissoluatur in figuram, Hoc est corpus meum? Non defuerunt Arrio nonnulla de filio Dei ad literam in Euangelio dicta, quæ eius hæresi videbātur admodum patrocinari. Non defuerūt Marcioni & Manichęo, ad deprauandū, Verbum caro factum est, etiā aliqua in scripturis posita, quibus prima facie eorum falsa iuuaretur opinio. Nam de incarnatione Christi scriptū legitur, In similitudinē hominum factus, habitu inuētus vt homo, figurā serui accepit, quibus illi, Verbum caro factū est, interpretabātur, & oppugnabant. Ne dictiuncula quidem in vniuersis Euāgelicis & Apostolicis literis occurrit, quę de Eucharistia sine cōtrouersia scripta sit, & quę ad literā pręsens Christi corpus naturale inficietur esse in Eucharistia. Si reperiretur scriptum, Christū se exhibuisse discipulis in Cœna in similitudinem

Status controuersiæ inter nos & aduersariis circa scripturam.

corporis, vel habitu corporis, vel in figura corporis, quantis clamoribus suam causam agerent aduersarij? quãto classico orbem terrarum ad arma vocarent, donec ad internecionem vsque è mũdo & vita nos omnes amandassent? Attamẽ ne tum quidem à verborum proprietate, quibus est instituta Eucharistia, abduceremur, nec talibus assertiunculis institutioni dilucidæ & planæ tenebras offundi pateremur, vt nec passi sunt patres nostri, ex illo dicẽdi genere peruerti, Verbum caro factum est.

Vvesphal. lib. De Verb. Cœnæ et in Apolog.

Aduersarij plerique ne quidem sunt veriti verba Christi à sua cœna tollere, et fere omnes illa insectantur. Card. Osius lib. 2. in Brent.

De secundo capite vt agamus, eò amentiæ atque audaciæ nonnulli sunt progressi, vt etiam Christi verba in consecratione Cœnæ dominicæ mutare, próque eo quod ille dixit, Hoc est corpus meum, non fuerint veriti dicere, Hic est panis meus. Alij verò prorsus omittere verba consecrationis non dubitarunt. Etenim Erasmus Alberus & Sleidanus recitant, Anabaptistas Monasterienses, omisisse in sua Cœna verba Christi, Hoc est corpus meum, eorúmque loco dixisse, Accipe, ede, memẽto Domini. Alij verò enunciant, Accipite, comedite, hoc facite in meam commemorationem: queãdmodum à Ioachimo Vvesphalo, & Euhardo Schneppio legimus annotatum. Superstite Luthero quendam exortum fuisse terræ filiũ scribit Iulius Pflug in quadam ad Erasmum epistola, qui negaret necessaria esse ad Eucharistiam verba Christi, quibus ea consecretur, sed nec speciem panis aut vini necessariam esse: sed sufficere, si motu interiori cordis Eucharistia capiatur. Suenckfeldius clarè solitus est scribere, quòd qui vellet veram fidem & sententiam de Cœna Domini cognoscere, debeat seponere ex oculis verba Christi, & alia quædam quę ipse proponeret expendere, ac sequi. Oecolampadius exprobrabat Lutheranis tria sibi verba, tanquam Helenam, obiici, séque ex verbis Christi ad asininam simplicitatem redigi. Caluinus ipse per ironiam ac ludibrium pauca verba institutionis appellitat Aiacis clypeum, & vnicum Papistarum asylum: ita sacrilegi & athei vocem filij Dei subsannant, ab eáque auditum auertunt, vt ad fabulas suorum figmentorum conuertantur ipsi, & alios conuertant. Heildebergæ excussum est iudicium Melanchthonis de Cœna Domini, ad illustrissimum Principem Electorem Rheni: vbi ait, suam de Cœna Domini fidem in publicè editis lucubrationibus suis nunquam antea profiteri voluisse, attamen familiaribus, itémque dominis & amiculis suis priuatim non reticuisse, se hac in re Lutherum damnare, & Cinglio astipulari: Hac tamen castigatione adhibita, quòd vbi Cinglius habet, Hoc significat corpus meum, ipse substituat, Hoc est communicatio vel participatio corporis mei: ac breuiter fatetur apertissimè sibi sententiam arridere eorum, qui nouã Academiam in Christianismum de Eucharistia introducunt: consulítque, ne de verborum Christi proprietate, tãquam de fidei articulo, simus solliciti vel contentiosi, sed omissis illis, aliam verborum formam proponamus populo, in eámque iuremus, ac toti occupemur in declamationibus & amplificationibus de fructu huius sacramenti: de veritate verò verborum Christi relinquamus cuique liberam expositionem & disputationem Academicam, modò ne publica sit & contentiosa. Eò ventum est ergo, vt aduersariis iam putere verba Domini cœperint: quid de ipsis spei sit reliquum, facilè licet coniicere. Quanti verò facienda sint illa verba, & quam mordicus fuerit insistendum ipsorum proprietati, primis tractatibus copiosè disseruimus.

Vvesphal. de verbis cœnæ et Apol. in Caluin.

Aduersarij liberas esse quisque volunt interpretationes verborum Christi de cœna.

Quod ad tertium caput attinet, etiam aduersarij eò vecordiæ prouehuntur, vt sibi velint licere vel innumeras diuersissimásque Testamenti filij Dei interpretationes confingere, & non vereantur absurdissimas violentissimásque eius peruersiones cum ipso viuentis Dei oraculo pugnantes excusare. Auditum est, qua prudentia Philippus Melanchtho cuique permittat liberè de ipso nugari. Caluinus postquã in secunda

„ secunda defensione contra Vvestphalum, Ioannis Alasco & aliorum propugnauit „ falsas & ineptas expositiones verborum Domini, pro infinitis aliis quas Vvestphalus in Farragine congesserat, subiicit, Breuis & expedita est solutio, diuersis loquēdi formis sine vlla repugnantia describi, in quem finem panis vocetur corpus Christi. Etsi enim in hisce verbis nonnulla est diuersitas, Panis est signum corporis, vel figura, vel symbolum: vel, Panis significat corpus: vel metaphorica, vel metonymica, vel synecdochica est appellatio: de summa tamen rei optimè cōuenit, vt putidè nugentur Vvestphalus & Heshussius, nodum in scirpo quærētes. Bullingerum intolerabilem illam dissonantiā opinionum edito libello, ne puduit quidem defendere, aut omninò pugnātes, quasi conciliari possent, mitigare. Caluino respondet Matthias Illiricus: Nō ita sese res habet, nec putidè nugātur, aut nodum in scirpo quærunt, cùm vos ea in re accusant. Non enim de eo præcipuè Ecclesia Dei sollicita est, in qua summa aut scopo aliqui homunciones conueniāt, aut si veluti omnes impij in eo bellè cōueniunt, quod sint aduersarij Christi: sed de eo quæritur, quænam vera sit voluntas ac mens Dei, quæ sit genuina sententia Testamenti aut fœderis cum Deo per eius dilectum filium nobiscum sanciti, cuius verum salutarémque sensum sequi, & falsum ac pernitiosum deuitare possit. Neque verò propius inter eos conuenit de summa rei, quàm inter cœlum & terram, aut inter affirmationem, & eiusdem negationē. Conueniunt quidē prædones in capiēda præda, sed in diuidenda & potiunda sæpius digladiātur implacabili discordia. Consentiunt omnes hæretici in opprimendo Dei verbo, sed in asserēda sibi victoria & veritate nusquā congruunt. Porrò quanta varietate interpretationū pauca Dñi verba discerpserint, earū catalogus, quē huic capiti subiecimus, indicabit. At quàm in varias sententias de re Cœnæ dominicæ distrahātur aduersarij inter se, & secum dissentiāt, alio loco enarrabitur.

In fideli admoni.

Vt autem de postremo articulo loquamur, quo quisque furiosiùs & imperitiùs, aut impudentiùs Testamentum filij Dei deprauauit, eò confidentiùs sibi afflatum Spiritus sancti arrogauit, ad eúmque sua deliria retulit. Lutherus huius auspicator fabulę, has efflat glorias. Sim ego qualiscūque, sed ego fideliter intēdo, & vestrum, & totius Germanię bonū, in quod destinauit me Deus, ídque charitati vestrę liberè ac confidēter dixerim. Quisquis obedierit mihi, is proculdubiò nō mihi, sed Christo obedit: & qui mihi non obedierit, is non me, sed Christum contēnit. Ego enim scio vtique, & certus sum, quid, & quorsum ego loquor, & doceo. Neque vos impedire debet, quod aliqui gloriātur de spiritu, & scripturas parui faciūt: sed bone amice, spiritus huc, spiritus illuc: ego quoque fui in spiritu, atque etiā vidi spiritū (si fortè de propriis gloriandū est) fortè plusquā illi ipsi adhuc intra annū videbunt, quātumcunque etiam glorientur. Et spiritus meus etiā in aliquo se ostendit, cùm tamen spiritus eorū in angulo sit tacitus. Carolstadius non aliundè quàm è cœlo opinionē suam delapsam iactabat, ac sibi reuelatam prędicabat à spiritu Domini. Bucerus nō ambigebat sibi diuinitùs reuelatum, quòd corpus & sanguis Christi non sint verè & realiter in sacra Eucharistia: & se certùm esse dicebat, quòd id à Deo didicerat. Huic respondit in colloquio Vvittebergensi Lutherus: Quis sanę mentis dubitare possit, reuelationē quam iactat Bucerus, à Satana esse suggestam? Nouimus enim, docente Apostolo, quod ipse Satanas sæ frequenter transfiguret in Angelum lucis. Non est ergo mirum, ait idem Apostolus, si ministri eius transfigurentur in ministros iustitiæ. Cinglius etiam sibi nouam à spiritu afflatam opinionem iactabat, Didicerat in cuiusdam Bataui scriptis, Est, in Significat, commutare: sed exemplum ex sacris literis non suppetebat, nisi spiritus subministrasset. Restabat (inquit) adhuc non minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quæ nul-

Singuli aduersariorum sibi arrogant inspirationem particularē ad deprauāda Christi verba.

Lutherus pro Scholis erigendis: & lib. cōtra Regē Angliæ.

Carolstal. in Dialog. de Eucharist.

In Actis colloquij Vvittēbergensis.

Lib. De subsid. Eucharistiæ.

la cum parabolla coniuncta forent. Cepimus omnia cogitare, attamen aliud nihil exemplorum occurrebat. Vera narro, adeóque vera, vt celare volentē conſcientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, nō ignorans quantis me cōtumeliis riſibúſque exponam. Cùm tredecima Aprilis lux adpeteret, viſus ſum mihi in ſomno, multo cū tædio denuò contendere cum aduerſario ſcriba. Ibi tanquā è machina viſus eſt monitor adeſſe (ater fuerit an albus, nihil memini: ſomniū enim narro) qui diceret: Quin ignauè reſpōdes ei, quod in Exodo ſcribitur, Eſt enim phaſe, hoc eſt, tranſitus Domini. Protinus vt hoc phaſma viſum eſt, ſimul expergeſio, & è lecto exilio. Anabaptiſtæ gloriabantur ſecum congredi & colloqui Gabrielē archangelū, & gladiū de cœlo detuliſſe, omnéſque ſuas cogitationes à ſpiritu immitti ferebant. Oecolampadius vt ſuum ſomnium etiam Spiritui ſancto tribueret, ſcribit ad Billicanum, ſe ſpiritui in ſe loquenti, ac nouā de Euchariſtia opinionem ſuggerenti, cōtradixiſſe ſæpè. Vuittebergæ cùm Lutherus Marco Anabaptiſtarum miniſtro exprobraret dogmata, quæ ſpargeret, nihil aliud eſſe, quàm fallacis & fraudulēti ſpiritus deliras & pernicioſas ſubiectiones, ille reſpondit: Vt ſcias, Luthere, me ſpiritu Dei præditum eſſe, ego quid in animo tuo conceperis, ſum indicaturus: ídque eſt, te incipere inclinari ad hæc, vt meam doctrinam veram eſſe credas. Cùm Lutherus, vt ipſe poſtea dixit, iſtam dedita opera ſententiam cogitando fuiſſet cōplexus, ait, Increpet te Deus, Satana. Caluinus ne aliis haberetur inferior, de ſe ſcribit: Si oſtendero me non aliter loqui, quàm Spiritus ſanctus nos docuit, vlterius me vrgeri iniquum foret. Caluinum Beza prædicat, tanquam intimum Spiritus ſancti organum, qui præ aliis poſt vnicum Chriſtum (vt ne quidem Apoſtolos excipiat) ſit aſſecutus genuinam Cœnæ dominicæ intelligentiam. Sed quid mirum tantum tribui Caluino à Beza, cùm Caluiniſtæ omnes, quaſi Deo pleni, profiteātur veritatem ſe in ſcripturis omnibus ex particulari inſpiratione perſpicere & agnoſcere, ſéque de ea ab ſpiritu interius admoneri & imbui? Verū ne credamus omni ſpiritui, prohibemur, iubemúrque experiri, an ex Deo ſit. Certè malus genius, qui aduerſarios noſtros miſerè diuexat, tribus aut quatuor modis, ſe in ipſis prodidit, ac manifeſtū fecit. Ex verſatili opinione ac multiplici ſe declarauit vertiginis eſſe ſpiritū; quem futurum in falſis Prophetis prænuntiant ſcripturæ. Ex fructibus quoque, quos per ſuos miniſtros edidit, indicium de ſe fecit. Ille erat mendax ab initio, & homicida, & vt lupus atque fur ouile Chriſti non ingreditur, niſi vt furetur, mactet, & perdat. Quantas clades, damna & ruinas intulerit, quò noua iſta de Cœna doctrina peruenit, lapides loquuntur, & publica orbis Chriſtiani calamitas conteſtatur. Seipſum quoque exeruit in furiis atque agitationibus animi, quibus diu noctúque inquieti, & tanquam abreptitij torquentur aduerſarij ipſi, nécnon in mortibus violentis ac repentinis, quibus pleroſque ex illis ſuſtulit, vt Cinglium, Lutherum, Carolſtadium, Empſerum, Oecolampadium, atque alios. Per ſpectra etiam & viſa, qualis eſſet, talis ſpiritus aliquando internoſci voluit: atque hoc Dei iuſſu ac nutu contigit, ne diù liceret Angelo Satanæ ſe ementiri pro Dei ſpiritu. Lutherus libro de miſſa angulari, inducit diabolum ſecum colloquentem de Miſſæ ſacrificio, & valentiora proferentem argumenta, quàm ipſi ſatiſfacere potuerit. Eius vocem inibi deſcribit tam grauem & robuſtam, támque terribiliter inſonantem, vt vſu quandoque eueniat, quòd poſt collationem nocturnam cum dæmone, homines poſtridiè manè mortui reperiantur, quia ſpiritus ipſis à Satana præcluduntur: atque ita ſe credere extinctos Empſerum & Oecolampadium. Addamus & nos credere ita quoque extinctum Lutherum: qui cùm veſperi egregriè potus lecto decubuiſſet, manè nigricans inuentus eſt occubuiſſe, lingua exerta, hominis ſtrangulati inſtar: & ipſe

Ioach. Camerar. in vita Melanchthon. — *Calu.* — *Beza in vita Caluini.* — *Quomodo deprehendatur in aduerſariis Satanæ ſpiritum.* — *Luther de Miſſa angul.* — *Sleidanus & Cocleus in vita Lutheri. Idem lib. De Miſſa angul.*

ipſe teſtatur plerunque ſe nocturnam intẽperiem à Dæmone pati ſolitum. Eraſmus Alberus recitat Carolſtadio concionanti dęmonem viri ſpecie,ſed ſolitò lõgioris, apparuiſſe, domúmque eius adiiſſe,déque ipſo nominatim filium domi repertum percunctatum fuiſſe,atque iuſſiſſe patri dicere, ſe poſt triduum reuerſurum: cuius quaſi citatione poſt triduum ſubitò exanimatus diris terroribus,& malæ conſcientiæ ſuæ aculeis, dãnatus ad nigra tartara abreptus eſt. Cinglij anxietas nocturna de atro ſiue albo dæmone,ſatis arguit & cõfirmat,agnita Lutheri cum Satana nocturna colloquia. Caluinus ſibi cõſcius,cogitur maledicentiam qua pollet,tribuere genio ſuo,& non naturæ ſiue ingenio. Itaque non immeritò Apoſtolus vocat omnes hæreſes,doctrinas dęmoniorum,quarum ipſi ſint authores,& miniſtrorum duces, quos captiuant & obſident ad ſua deſideria. Sacramẽtariorum hæreſiarcha Berengarius,aſſiſtẽtem circunferebat Dæmonẽ.Nam cùm in extremis poſitum Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas cateruas oculo longè conſpicatus Beręgarium, niſu quo valuit expellendum cenſuit, proteſtatus immanem Dæmonem prope ipſum conſiſtere,multóſque ad eum ſequendum, blandiente manu,& illice anhelitu corrumpere. Propterea rectè monet Vueſtphalus aduerſarios his verbis: „Fruſtrà Sacramentarij ſimulant ſe magna religione myſterium ſacræ Cœnæ celebrare, quandiu eam infinitis contumelijs afficiunt, atque ex ea eximunt pretioſiſſimum theſaurũ pręſentis carnis,& ſanguinis Domini. Glorientur mẽtes ſuas rapi in cœlũ. Viderint autem,quo ſpiritu rapiantur, qui rapiunt præſtantiſſima dona ex Euchariſtia. Viderint,inquam,ne rapti ſint ab eodem ſpiritu,quo ſe rapi Thomas Monetarius,Carolſtadius, Rex Anabaptiſtarum monaſterienſis, multique Enthuſiaſtæ ſomniabant,ne eluſi Satanæ præſtigiis, dum putant ſe rapi in cœlum,ad ima tartara abripiantur.

Lindan. in Ruardum.

Caluin. epi. ad Bucerum.

Ex Guillel. Bibliotheca lib. 3. De geſt. Angl.

Vveſt. de locis collect. ex August.

Reſtat vt tanquam in tabella ſpectandas proponamus ſectas diſſectas circa paucorũ verborũ Domini explicationẽ. Lutherus ipſe enumerat octo diuerſas & pugnãtes inter ſe illorum verborum enarrationes:& in alio libello cõqueritur nouos Vvicleuiſtas ſacramẽtarios, in decem foramina atque effugia ſcripturam laceraſſe. Vveſtphalus librum inſcripſit De farragine variarum opinionum:& Philippus Melanchtho ipſos Lutheranos in ſex aut ſeptem ſectiones diuidit. Eraſmus verò Alberus recitat duodecim modis ab vno Ioãne Alaſco verba Cœnę detorqueri. Ego ex variis ſcriptoribus,quas interpretationes annotare potui,in iſtũ catalogũ digeſſi: neque profiteor me omnes obſeruaſſe,cùm innumerabiles exiſtimẽ,& quotidie aliquid noui monſtri hæreſis pariat: vt verè dixerit Georgius Saxonum Dux probè ſe tenere quid illo anno doceret Lutherus, ſed prorſus ignorare quid ſequenti eſſet crediturus, cùm frequenter fidem & doctrinam mutaret. Iſta verò opinionum diuerſitas duo demonſtrat & conuincit, earum authores nec diuino ſpiritu agi, nec veram fidem aſſequi. Vnus enim Deus,vnus ſpiritus,vna fides, vnum baptiſma, & vna Euchariſtia. Plures fides, & tam paucorum verborum plures & diſſentientes „expoſitiones,cõfuſiones afferunt potius quã veras cõfeſſiones. Ibi enim eſt (ſcribit Athanaſius) veræ diſciplinæ & magiſterij argumentum, vbi eadem profitẽtur omnes,nec à ſe inuicem aut à maioribus diſſentiunt. Qui autem hoc animo non ſunt, improbi potius quàm veri Doctores appellari debent. Quamobrem, quos tangit proprię ſalutis cura,caueant ab iſta confuſanea turba opinionum,ne circumferantur omni vento doctrinæ per verſutiam hominum: cohibeant tantiſper ſaltẽ animum,ne errori aſſentiãtur, quoad ſectæ omnes,quæ deſciuerunt ab Eccleſia, proponãt vnam aliquam certam ſentẽtiam congruẽtem verborũ Chriſti proprietati.

Interpretationes plures quã octoginta paucorum verborum Chriſti.

Quid illa diuerſitas opinionum doceat.

Athanaſ. de Nicena ſynod.

DISSIDENTES ADVERSARIORUM DE PAUCIS verbis Christi ad octoginta quatuor interpretationes.

Hoc est corpus meum, id est,

1. *Hic est corpus meum.* quia Hebræi careant neutro genere.
Luther. in Capt. & Bremenses notantur à Caluino in vltima admon. contra Vvestph. & in Epito. colloq. Mulbrunens.
2. *Hoc est sanguis meus.*
Beza in Annotat. in nouum Testam.
3. *Hic, siue in hoc loco, est corpus meum.*
Biblia gallica Geneuæ: & notantur ab Heildebergensibus in Conformit.
4. *In hac actione, non tamen in pane, est & exhibetur corpus meum.*
Bucerus in suis Retractationibus. Heildeberg. in Conform. Caluinus locis citatis in Examine doctrinæ eius de Cœna.
5. *Hæc actio est meum corpus, id est, societas siue communionis sacramentum in corpore meo.*
Ioannes Alasco in Tractatu de sacramentis.
6. *Corpus meum est hoc, nempè panis.*
Suenckfeldius citãte Heshussio, & Petrus Martyr in magno volum.
7. *Corpus meum est hoc, id est, cibus spiritalis: vt Ioan. 6. dicitur, Caro mea verè est cibus.*
Ioannes Langus Silesius in Comment. ad Apolog. 2. Iustini.
8. *Hic panis propriè, ac sine figura, est corpus meum.*
Luther de captiuit. Babylonica. Heshussius & Bremenses, vt notatur in Iudicio Melancht. de Cœna.
9. *Hic meus est panis.*
Anabaptistæ, citante Vuestph. libr. Recta fides de Cœna.
10. *In, cum, sub pane est corpus meum, vt pillula in ouo.*
Brencius cũ Sueuicis ministris in Syntagmate contra Oecolampadium.
11. *Cum pane est corpus meum:* vt, cum, non sit præpositio, sed aduerbium temporis, & significet corpus capi, quando capitur panis.
Vvielmus Clebicius lib. De Cœna: & Brandeburgenses, vt habetur in Disputat. Heildebergæ habita, anno 1560.
12. *Est in pane, vel cum pane, corpus meum:* vt non intelligatur locus, aut tempus, sed externum Cœnæ subiectum, remotum à Christi corpore, quod in illo vel cum illo edi dicitur, non tanquam in illo existens, sed tanquã obiectum Cœnę actionibus circa panẽ exercitis.
Ioannes Matthæus Smalcadensis lib. De Cœna.
13. *Circa panem est corpus meum,* vt aër circunfusus.
Suenkfeldius De duplici statu Christi. Notatur à Luthero in Confessione Eucharistiæ.
14. *Hoc est corpus meum* in panis vsu: seu quandiu sumitur panis, in eo est corpus meum.
Lutherani & Buceraniin Colloquio Vvittebergensi, & in Concordia anni 1536.
15. *Hoc est corpus meum, speciali modo existens in pane ad edendum, cùm aliàs vbique sit.*

Brentiani in disput. contra Bullingerum & alios de omnipræsentia corporis Christi.

16. *Verbis menti demonstratur corpus, sicut panis digito sensibus:* vt propria & non figurata sit locutio, & tantum demonstretur corpus.
Matthias Illiricus ex Bucero lib. De fideli admonitione.

17. *Proferendo panem, dico me proferre corpus meum contentum in eo, sine vlla figura:* sicut proferendo bursam, dico hoc esse argentum.
Vvirtembergenses in Colloq. Mulbrunensi, & Matthias Illiricus in Demonstrat.

18. *Tantùm demonstro corpus meum, neque significo panem esse corpus, aut factum esse corpus meum.*
Vvirtemberg. in colloq. Mulbrun. & Matth. Illyr. in Append.

19. *In Eucharistia duabus rebus composita, seorsum vna demonstratur:* vt in ferro ignito dici potest separatim, Hic est ignis, & hoc est ferrum, sine figurata locutione.
Matthias Illyric. in fideli admon. & in Demonst.

20. *Hic cibus pane & corpore constans, est corpus meum:* vt sit propositio sacramentalis, & duas res simul coniunctas demonstret.
Matth. Illyric. in Appendice. Valentinus Erythræus in Tabulis Confessionis Augustanæ.

Hoc est corpus meum, id est,

21. *Hic panis est corpus meum:* vt non sit propositio naturalis, & secũdum proprietatem logicam, sed supernaturalis & familiaris scripturæ, quando vult significare res diuersas inter se verè coniunctas.
Martinus Cemmicius in Repetitione de Cœna, & in Examin. par. 2. contra Concilium Tridentinum.

22. *Hoc est corpus meum*, non absolutè & in actu primo, sed in actu secũdo, & in operatione & energia.
Scekius in Respons. de duabus naturis in Christo.

23. *Hoc est corpus meum*, non in proprio subiecto, nec in panis subiecto & materia, sed in obiecto Cœnæ, & actionum eius.
Ioannes Matthæus Smalcadensis lib. de Cœna.
Suenckfeldius citante Heshussio.

24. *Corpus hoc meum est*, vt dixit, Destruite templum hoc: quasi demonstraret corpus suum in naturali statu & subiecto.
Pontanus in Francia Antarctica, citante Villagagnone in lib. De Eucharistia.

25. *Corpus meum est hoc*, quatenus mensæ accumbit.
Carolstad. in Dialog. de Eucharistia.

26. *Hoc significat corpus meum.*
Cinglius in Subsidio Eucharistię, & alibi: & Beza cõtra Vvestphalũ.

27. *Hæc est mea humana natura.*
Cinglius in expositione rei Eucharisticæ.

28. *Hæc est diuinitas, seu spiritus qui viuificat.*
Cinglius in eadem Expositione.

29. *Hæc est mors & passio mea.*
Cinglius in lib. 2. De institutione Cœnæ.

30. *Hoc est fides corpus, seu fides de me.*
Cinglius lib. 2. De institutione Cœnæ.

Hoc est corpus meum, id est,

31. *Hæc est commemoratio corporis mei.*
. . Cinglius in Responsione ad Confessionem Lutheri. Oecolampadius ad Theobaldum Bellicanum.
32. *Hoc est Symbolicum corpus, seu figura veri corporis.*
Cinglius in Præfat. ad Regem Gallorum & ad Principes Germaniæ. Oecolampad. De dignitate Eucharistiæ. Petrus Martyr in Tractatu de Eucharistia. Caluinus in Consensu cum Tigurinis.
33. *Hæc est tessera societatis Christianæ.*
Cinglius citante Bucero in epist. ad Episcop. Erephordiens. & Heildebergens. in Conform. Cœnæ.
34. *Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis datur.*
Cinglius in quadam epist. & Oecolampadius ad Theobaldum Billicanum.
35. *Hoc est signum, quod admonet vos, quomodo corpus Christi pro vobis traditum, vos viuificet.*
Oecolampad. De dignitate Eucharistiæ.
36. *Hoc est Symbolum, quod testatur vos ab vno eodẽque corpore esse redẽptos.*
Oecolampadius ad Ecclesiastas in Sueuia.
37. *Hæc est protestatio & μνημόσυνον meorum beneficiorum.*
Bucerus in Apolog. de doctrina Cœnæ dominicæ.
38. *Hoc est corpus meum, quod do vobis animo edendum, sicut panem ore.*
Petrus Martyr in Tractatu de Eucharistia. Bucerus in cap. 26. Matt.
39. *Hoc est corpus meum paneum.*
Campanus à Luthero notatus in Confessione de Eucharist. & à Marcione sumpserat.
40. *Hoc est Symbolum sacrum gratiæ, & redemptionis meæ, quod post me vobis relinquitur.*
Bullingerus in cap. 10. prim. ad Corinth.
41. *Hoc est testimonium & obsignatio corporis pro vobis traditi.*
Bullinger. in Tractatu de Eccles. sacramentis.
42. *Hoc est mysticum corpus meum, seu Ecclesia sanctorum, redẽpta meo corpore.*
Bulling. in Tract. de Eccles. sacramẽtis. Caluin. in cap. 5. ad Ephes.
43. *Hoc sacramento significatur passio & mors mea, ac communio cum omnibus sanctis.*
Bullinger. in Tractatu de Eccles. sacram.
44. *Hæc Cœna est tessera & arrabo corporis mei.*
Stancarus in Polonia & Transsyluania, vt notat Staphylus de Lutheranorum concordia.
45. *Hoc est verbum meum, cui credatis.*
Ministri Anturpiens. in libello de ruina Rom. Ecclesiæ.
46. *Hic panis est tessera nuda communitatis, & nudum testimonium participati corporis.*
Suenkfeldius, vt citant Heildebergenses, in Conformit. Cœnæ.
47. *Hic panis est signum efficax corporis mei, & participationis in eo.*
Caluinistæ, & Heildebergenses in Conformit.
48. *Hoc admonet vos de corpore Christi edendo per fidem.*
Silesiorũ Confess. citata à Luthero in magna Cõfess. de Eucharistia.
49. *Hic festus dies, seu ceremonia ista, est commemoratio, seu gratiarum actio, pro cor-*

Hoc est corpus meum, id est,

pro corpore meo passo.
Vrbanus Regius in epist. Cinglij ad ipsum.

50. *Accipite, edite: quod pro vobis datur, est corpus meum:*
Notatur à Luthero in Confess. de Eucharistia.
Caluinus in 2. Defensione contra Vvestphalum.

51. *Hoc est corpus meum in diuinitatem transformatum.*
Suenkfeldius de duplici statu Christi, notante Luthero De confess. Eucharist. & Staphylo de Lutheranorum concord. De eodem notatur Seruetus à Beza.

52. *Hæc est societas vobis gratuitò delata, ius & vsus illius in meo corpore.*
Ioannes Alasco in Tractat. de Eccles. sacrament.

53. *Hæc est communio in meo corpore, non iuxta substantiam suam naturalem, sed iuxta meritũ passionis meæ & mortis, ac gloriã admirandæ resurrectionis.*
Ioan. Alasco apud Melanchth. in Iudicio de Cœna Domini.

54. *Hæc est qualitas mei corporis vobis delata, à quibus substantiam accepi.*
Idem Ioan. Alasco in Tractat. de Eccles. sacrament.

55. *Hæc est Cœnæ instituta forma, ceremonia, ipsáque externa actio.*
Ibidem.

56. *Hæc est visibilis extremæ meæ voluntatis contestatio.*
Ibidem.

57. *Hæc tota Cœnæ actio, symbolum est non tantùm corporis & sanguinis, sed mortis & effusionis quæ facta est pro vobis.*
Viretus lib. 7. de Sacrament. cap. 9.

58. *Hoc est corpus meum, si fides adsit.*
Hypothetici nominati ab Vnicordio in Iudicium Melanchthonis de Cœna.

59. *Hæc est participatio corporis mei, si fides adsit: sin minus, oblatio, quæ recusatur ab indignis.*
Passim Caluinus & Caluinistæ.

60. *Hoc est testamentum in corpore meo.*
Heildebergenses in Conformitate: & Calu. sæpè.

61. *Hoc est corpus meum, in cœlo positum, tam dissitum à pane & à vobis, quàm cœlum à terra.*
Caluin. in Heshuss. & Beza in 1. declam. Pissiaci habita, atque alibi.

62. *Hic est canalis spiritus sancti, per quẽ quicquid est Christus, ad nos descẽdit.*
Caluin. lib. 4. Institut. cap. 17. num. 12.

63. *Hic est canalis corporis mei.*
Bucerus in epist. ad Episcop. Erephordiens.

64. *Hæc caro est canalis vitæ.*
Calu. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 9. & in cap. 6. Ioan.

65. *Hic panis est instrumentum, quo Christus nobis suum corpus distribuit.*
Calu. lib. de Cœna.

66. *Hæc est virtus & gratia spiritalis mea.*
Caluin. in cap. 26. Matth. Pauperes semper habebitis vobiscum.

67. *Hoc est abstractum quid à substantia corporis mei.*
Caluinus in ratione ineundæ concordiæ.

68. *Hic panis est corpus meum, sacramentali locutione, & coniunctione per metonymiam signi & signati.*

Caluin. & Beza in Heshussium.

69. *Hic panis est Symbolum defluentis qualitatis alicuius & virtutis à corpore meo, quæ in Cœna per fidem extra panem recipitur.*

Eò redacti sunt omnes Caluinistę, Catholicorū argumentis oppressi. Liber anonymus sub persona veri Catholici editus 1572.

70. *Hoc est corpus meum, visibile sacramentum corporis inuisibilis: seu, Hæc est visibilis species panis, sacramentum inuisibilis corporis.*

Tanquā ex Magistro sententiarū citat falsò libellus ille anonymus.

71 *Hoc est verissimum corpus Christi, vt verba sonant.*

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 3. & in cap. 11. prioris ad Corinth.

72. *Hoc est corpus meum ibi, vbi est panis.*

Caluin. lib. 4. Institut. cap. 17. num. 10.

73. *Hoc est Symbolum, quo vera corporis mei cōmunicatio exhibetur fidelibus.*

Bucerus ad amicum quendam. Bullinger. in cap. 10. 1. ad Corinth. Caluinus lib. de Cœna: in Consenssione cum Tigurinis.

74. *Hoc Symbolum est & testificatio, quę spirituales gratias figurat.*

Caluin. in Catechismo.

75. *Est obsignatio seu confirmatio gratię iam receptę.*

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 14.

76. *In hac Cœna quatenus est cœlestis actio, & nō quatenus est externa & terrestris, est corpus meum.*

Caluin. in Heshussium. Heilderg. in conformitat. & Beza in Apolog. ad examen doctrinæ Caluinianæ de Cœna.

Hoc est corpus meum, id est,

77. *Hoc est Symbolum promissionis meę de carne mea.*

Caluinus in Ratione ineundæ concordiæ.

78 *Hęc est substantia corporis cum gratia, energia & efficacia inseparabili.*

Vsienergistæ dicti apud Vnicordium in Iudicium Melanchthonis.

79. *Hæc est communicatio, seu participatio corporis:* quasi per Apostolum sermo Christi explicetur.

Beza contra Heshussium.

80. *Hæc vnio cum tota persona Christi:* vt corpus significet quicquid est Christus.

Beza in Solut. 17. contra Illyricum.

81. *Adest corpus meum spiritali præsentia & participatione.*

Calu. lib. 4. instit. cap. 17. num. 18. & in cap. 4. ad Ephes.

82. *Hoc est corpus meum sine diuinitate & sanguine.*

Post Nestorium omnes nostræ ætatis negantes cōcomitantiam naturarum in sacramēto, ne admittāt communionem sub vna specie, & adorationem in sacramento. Calu. lib. 4. Inst. cap. 17. num. 37.

83. *Hoc est corpus meum sub ratione immolationis, siue, Hæc est communicatio passionis & immolationis meæ.*

Carol. Molineus in Annotat. ad suam harmoniam.

84. *Nihil interest, siue sit corpus, siue non sit.* nam non est articulus fidei, nec de eo est digladiandum.

Citat de quibusdam Lutherus in Confess. Eucharistiæ: eóque inclinat Melanchtho, & via prona ad Alcoranum ait Staphylus De Lutheranorum concordia.

REPETITIO SECVNDA, DE VERITATE EVCHARISTIÆ EX TESTIMONIIS SANCTORVM PATRVM.

PRÆFATIO

DE ADVERSARIORVM FALLACIA CIRCA testimonia Veterum Patrum.

TRADVCIMVR à Petro Martyre, tanquam Patrologi simus, & non Theologi, quasi scripturis destituti, aut inimici, solis humanis Patrum opinionibus hæreamus & innitamur, cùm benè subductis rationibus, & inspectis vtriusque partis fundamentis, Aduersarij conuincantur esse Autologi, Antitheologi, atque Antipatrologi, id est, loquentes à semetipsis, Deo & Patribus refractarij: Frustrà speremus ab ipsis fidem & modestiam in legendis & audiẽdis Patribus, cùm eam Domini nostri Iesu Christi sermonibus vim intulerint, quæ omni religione, conscientia, & humano pudore careat. Impudentia est Petro Martyre & Caluino digna, affirmare plusquàm notum toti mundo absentiam corporis Christi ab Eucharistia veteris Ecclesiæ cõsensu probari, & à Carolo magno, siue à sexcẽtis annis per Sorbonicos abstractam de cœlo præsentiam. (Caluin. in Hesshus. et lib. De Cœna.) Petrus Martyr verò, quasi quidam Rex sacrorum, leges & regulas condit, figit, & refigit, quibus ad arbitrium patrum scripta moderetur, & in suum errorem repugnantes pertrahat: atque ex talibus cautelis grandiorem codicem consarcinauit, quàm negotioso Christiano vacet per diuturniorem vitam legere. Sæpè verborum & sententiarum fulgore adeò percellitur, vt suis regulis locum non inueniat. Proinde tum anxius indagatur, si qua dictio deprehendi possit in Patribus, quæ ad amplificationem vergat, vt ad huius amussim etiam omnia plana & simpliciter dicta affirmet esse hyperbolica. Mirum verò est, hos credere sibi solis inesse oculos & mẽtem: alios verò omnes homines, tanquam stupidos, irridere, qui nihil legant, aut nequeant quid Patres de Eucharistia senserint aut docuerint, animaduertere. Sic olim Eunomius dicebat sibi adhibendas regulas & distinctiones de generatione filij Dei, propter eos qui vniuocationibus generationis cespitarent. Postquàm suas distinctiones attulisset, respondet Basilius, (Basil. lib. 2. in Eunom.)
„ Digna profectò iudicibus, quos fictos induxisti, hæc tua sunt dogmata. Nam sicut
„ in somniorum foro, vel ebriorum concione, vbi nullus audiat, aut intelligat quę di-
„ cũtur: ita cùm sufficere putes pro omni probatione quod ipse dixeris, magna cum
„ licentia quasi lege sancis, quodcunque volueris. Non leuior est in Caluino impudentia, indubitatæ fidei libros & authores obscuris & incertis postponere, & de his illos quasi censoria virgula notare. Indè iactat in Commentariis operis imperfecti in Matthæum, quos falsò attribui Chrysostomo non inficiatur, plus doctrinæ ac

pietatis reperiri, quàm in tota Damasceni Theologia, quoniam suo de Cœna errori, sicuti & Arrianis videatur suffragari. Sic de Vigilio Tridenti Episcopo & Martyre, & de nescio quo Bertramo, atque aliis obscuriorum ac minorum gentium & seculorum hominibus Caluinus assuenit gloriari. Sic de quibusdam Augustini, & aliorum paucis, incertis, & tenebricosis locis, manifestissimis ac propè infinitis, & certissimis Patrum sententiis, illum non pudet tenebras obducere: neque tantùm in hoc negotio, sed ex hoc artificio fundat & stabilit Caluinus omnem suam Institutionem, vt planum facit huic ad Francisc. Regem præfixa Epistola. Impudenter etiam Aduersarij libros suis authoribus suffurantur, ne fidem antiquam de Eucharistia ex ipsis cogantur addiscere: nonnullos quoque textus ementiuntur adulteratos, cùm ipsi quos possunt, adulterent, atque à lectione selectorum locorum de Patribus Catholicis deterrent, cùm detruncata de libris eorundem Patrum testimonia quasi per manus tradant, & passim repetant. Ita Ambrosio libros De sacramentis eripiunt, Cypriano Sermonem de Cœna, & aliqua de suis Cõmentariis Theophylacto. Philippus Melantho in epistola ad Miconium dicta Patrum, quæ legerat expressiora contra Oecolampadium collegerat. Postquam senex delirauit, improbat id à se factum, ac ne deinceps fiat, hortatur epistola ad Ioannem Heruagiũ, suorum librorum impressorem, in qua sic habet: Extant sententię collectę de Cœna Domini, in quibus sunt additamenta quædam scriptoribus, quorum esse feruntur falso tributa. Nollem produci Cypriani, Ambrosij, aut Theophylacti nomine plurima, quæ illi non scripserunt, & quibus abusus Cœnæ confirmantur. Ita quisque sublatum desiderat, quo maximè offenditur. Breuiter obseruabis quatuor aut quinque technas, quibus Aduersarij omni antiquitati quasi vnam lituram inducũt, & quibus pari audacia licebit in omni materia, & religionis controuersia simulare se omnia deferre antiquitati, & interea omnem antiquitatẽ peruertere & explaudere. Condunt regulas ad rem, de qua quæritur, euertendam aptissimas. Deinde quoties ex lege & regula à se lata de dictis veterum nequeunt respondere, causantur illos modum excedere, & hyperbolicè loqui. Tertiò insidiantur singulis syllabis, ac voculas aucupantur, & si quã possunt captare, ex ea amplissimis & clarissimis paginis præscribũt, & præiudicium afferunt. Præterea authores ipsos, eorum libros & locos pro Eucharistia tantum valere iubent, quantum partibus suis fuerit commodum. Porrò si sic licet agere, & Patrum scriptis abuti, nihil est tam sanctũ, manifestum & certum in omni scriptorum genere, quod ista non violetur falsitate & audacia. Quamuis autem insani esse hominis & temerarij semper iudicarit Christianus orbis Patribus aduersari, magis tamen esset ingenuum semel omnium veterum Christianorum scripta monumenta perdere, aut prorsus repudiare, ac tãquam hominum testimonia eleuare, quemadmodum Caluinus in leuioribus causis non veretur sæpè ita à Patrum fide & reuerentia iugum excutere, & Beza ipsis afflatum & spiritum Satanæ imputare, vt omnem illis fidem & authoritatem detrahat. Ita enim simpliciùs animum & intentionem proderent hæretici, ac meliori fide nobiscum & cum ipsis Patribus agerent, quàm agunt, cùm per tot calumnias, argutias, præstigiatorum regulas, & malè sibi consciorum diuerticula Patribus imputant, à quo fuisse alienissimos etiam lapides ipsi loquuntur, ipsæque ante mille annos conditarũ Ecclesiarum & altarium structuræ, quas ne omnium oculis veritas incurrat & cernatur, nefariè procurant Aduersarij à fundamentis tolli. Nos verò ea qua decet modestia, fide & religione, contendimus Catholicam, quã tuemur, sententiam ab Apostolis ad nos vsque perpetuo cursu defluxisse: Sacramentarios verò veteri Ecclesiæ & Patribus è diametro repugnare, & impiè atque impudenter cornicum oculos

Anno 1542.

Quatuor aut quinque fallacia aduersariorum circa patrũ testimonia.

Theod. in fine Dialog. 1. et 2. Polymorph.

Caluin. passim in Institut. Bezam proœmio Noui Testam. Græcè et Latinè.

oculos configere. Nullis figuris nitimur, aut ſubtilitatibus: non regulas ad placitum fabricamus, nullius aſſenſum exigimus: ſed hortamur omnes ad fontes recurrere, liberè atque ingenuè iudicare, neque ſola verba, ſed multò magis authorum animũ & rationes expendere, vt verborum ſenſus planiùs eluceſcat. Ne obrueremus doctorum multitudine, aut librorum magnitudine deterreremus aliquem à lectione, ſcriptores illos præcipuè ſelegimus, qui ab Apoſtolis per proximos quingentos annos Eccleſiam gubernarunt. Nam facilè conſentiunt Aduerſarij hos, qui poſtea ſecuti ſunt, à noſtris partibus ſtare.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE, QVIBVS EVchariſtia inſtituitur ſecundum Patres, & vt eorum proprietas multis modis ab ipſis comprobetur. CAP. I.

QVEMADMODVM de tribus controuerſi circa Euchariſtiã initio primæ Repetitionis præfati ſumus, ita de ſingulis Patrũ fidẽ in hac Repetit. exponemus, & eorũ argumenta certa methodo digeremus. Imprimis de verborũ ſignificatione, quibus Euchariſtia inſtituitur, hæc ſũma ſit.

1. Cùm habuerint iuſtas occaſiones explicãdi verba in alia ſignificatione quã propria, omnes vrgent eorum proprietatem, ac vetant de illa ambigi. In hac Repetitione, & cap. præſenti.

2. Docent à verborum proprietate non recedendum, propter Aduerſariorum oppoſitiones. In eodem.

3. Nec ex ſenſibus, nec ex ratione humana, de verbis ferendum iudicium, ſed ex loquentis potentia & fidelitate. Ibidem.

4. Ad verborum perſuaſionem fidem ſupra captum humanum requiri: quod non eſſet neceſſe, ſi tantùm figuram corporis oſtenderent: quia hoc intelligere, non excedit humanum ingenium, nec id facere, vires humanas. Ibid.

5. Propriè & in veritate proprium Chriſti corpus demonſtrari. In hac Repet. cap. de corporis exiſtentia. & in Repet. De Tranſſubſtantialitate.

6. Damnant eos, qui verba diſſoluunt in figuram corporis. In Repet. 3.

7. Ex verborum proprietate profligant hæreſes, & articulos fidei tuentur. In hac Repetit. & in 5.

8. Habent pro Atheis contra Chriſtum, qui aliter eius verba quàm ſonant, intelligunt. In hoc capite.

9. Si quando figuram & ſignum corporis in Euchariſtia ponunt, non eam ſumunt ex verborum ſignificatione, ſed ex re ſignificata, & re altera apparente, quæ aliam deſignet. In hac Repetit. cap. De exiſtentia corpor. & in Repet. 3.

10. Propterea Nicena Synodus generalis ſecunda rectè pronuntiat, inſaniam eſſe cum impietate coniunctam, verba Chriſti de Euchariſtia in figuram conuertere.

Principio itaque ex tribus ſcribendi generibus, quibus vtuntur Patres, iuſtã rationẽ habuerũt diſertè atque ingenuè eloquendi, quid de verbis Chriſti Euchariſtiã inſtituẽtis ſentirẽt. Aut enim ſcripturas ipſas explicarũt, aut ad populũ ſermonẽ habuerũt, aut cõtra ſanæ doctrinæ, & Eccleſię Catholicę Aduerſarios certamẽ de ſcripturis ac veritate inierunt. In expoſitione ſcripturarum omnem nauant operam, vt bona fide fungantur interpretum officio, & quod figuratum eſt, obſcurum, aut ambiguum, ſuo naturali ſenſui, ſplendori, & puritati per explanationem reſtituant, & quod proprium eſt, retineant & confirment. Ob eam enim ſolam cauſam ſcripturas excutiunt, & commentantur. At veteres omnes etiam ad vnum, qui in verba Domini de inſtitutione Cœnæ aliquam commentationem reliquerunt, rectam eorum intelligentiam & ſimplicem agnoſcunt, & commendant. Quòd ſi *Hoc eſt*

Cùm varias cauſas & occaſiones Patres habuerint interpretãdi verba Chriſti, ſemper cõmendant eorum proprietatem.

corpus meum, figuratum aut impropriè dictũ existimassent, vtique admonuissent de sermonis translatione, & quo in significatu accipi oporteret, distinxissent. Qua de causa verò de scripturis egerunt cum populo, & pro concione tractarũt, nisi vt earum rectum sensum & fidem rudiores ex ipsis addiscerent, omnémque errorem & impietatẽ cauerẽt? Populus sua natura verborũ sonum amplectitur, nec nisi admonitus figuras cogitat, aut capit. Propterea necesse fuit ipsũ edoceri de figura, si qua est in sermone Christi de ipsa Eucharistia, præsertim cùm euidẽs periculũ idololatriæ impẽdeat ex illo sermone, si accipitur in naturali sono, & aliter intelligi debeat. Quis enim de plebe Christiana annuntiatum ac sibi demonstratũ per sacram scripturã corpus Christi nõ adoret, nisi ilicò reuocetur à scripturæ sono ad veram eius cognitionẽ? Sed tantũ abest, vt Patres suis in concionibus, & ad populũ tractatibus, verba de institutione Eucharistiæ pro improprijs & figuratis habeãt, quòd omnibus modis eorũ proprietatẽ probent & amplificent, ac populũ ad eorum fidem & venerationem adhortentur. De aliis audiantur ipsorummet Patrum testimonia.

Iren. lib. 4. ca. 1

IRENEVS alio quidem in negotio, sed ad hanc nostram disputationẽ ita loquitur accommodatissimè: Cui autem non sit manifestum, si Dominus multos Patres sciisset & Deos, quoniã non præcepisset discipulis suis vnum scire Deum, & hũc eundem solum vocari patrem? Sed potius distinxisset, qui sunt verbo tenus Dij ab eo qui sit verus, vt non errent secũdum doctrinam eius, neque alterum pro altero audiãt. Si autem nobis præcipit vnum quidem vocare Deũ & Patrem, ipse autem interdum alteros cõfitetur Patres & Deos eodem modo: alia quidẽ videbitur præcipiens discipulis, alia verò ipse faciẽs. Non est autem hoc boni, sed seductoris & inuidi. Iesus ergo transgressionis author & magister erit eis, qui præcepit vnum vocari Patrem, imponens eis necessitatem Demiourgum confiteri suum Patrem.

Christus nõ aliud dixit, et aliud præcepit.

Iustin. Apolo. ad Antonin.

IVSTINVS cibum Cœnę, quem de manu præsidentium acciperent Christiani, ait esse carnem & sanguinẽ Iesu Christi, eius qui homo factus est: & hoc probat ex verborum proprietate. Apostoli enim (inquit) suis in Commentariis, quę dicuntur Euangelia, ita sibi Iesum præcepisse tradiderunt, cùm dixit, *Hoc est corpus meum, accipite, comedite, Hic est sanguis meus, &c.*

De Cœna.

CYPRIANVS. Ex quo à Domino dictũ est, Hoc facite in meam commemorationẽ, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus: quotienscunque his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutémque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existẽs. Manifestata etiam spiritalis & corporalis cibi distãtia, aliud fuisse, quod prius est appositum & consumptum, aliud quod à magistro datum est & distributũ. Inter Dominicæ mẽsæ cõuiuas animalis homo non admittitur: quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur: nihil sapit, nihil prodest, quicquid humani sẽsus molitur subtilitas: omne quicquid à suis rationibus deuium videtur, sapientes huius seculi ad dementiã referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus cõprehendi non potuit: & cùm in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est, non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit.

Quid accidat hominibus sẽsum et rationẽ humanã in hoc sacramento sequentibus, contra verba Christi.

Catechef. 4. Mysta.

Non dubitandũ id esse, quod verba enũtiãt.

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS. Cùm ipse pronuntiauerit, & dixerit de pane, *Hoc est corpus meum*, quis iam deinceps dubitarit? Idem cùm affirmarit, & dixerit, *Hic est sanguis meus*, quis vnquam ambiget esse sanguinem? Aliquando aquam in vinum sanguini propinquum in Cana Galileæ mutauit: & non erit credibile mutare vinũ in sanguinem? Inuitatus ad nuptias corporales, hoc miraculum inauditum edidit: & non magis confiteamur dedisse filiis sponsi fruendum corpus

suum

suum & sanguinem, ita vt corpus & sanguinem Christi nos sumere pro cõstanti, & certissimo habeamus? Ibi Cyrillus paulò pòst negat sensibus insistendum, sed reperetur lib. de Transsubstant.

HILARIVS. Non est humano, aut seculi sensu, in Dei rebus loquẽdum neque per violentiam atque impudentẽ prædicationẽ cœlestium dictorũ sanitati, alienæ, atque impiæ intelligẽtiæ extorquẽda peruersitas est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tũc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim Christi in nobis veritate quę discimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè discimus. Ipse enim ait, Caro mea verè est esca, & sãguis meus verè est potus. Qui edit carnẽ meã, & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis nõ est relictus ambigendi locus. Nũc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis. Et hæc accepta atque hausta id efficiũt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. An ne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant.

Lib. 8. de Trini.

Fidei officium est sequi verba Christi, & nõ ipsis ex sensu aut humana ratione aduersari.

Expreßè figuram à verbis huius sacram. excludit.

In Arrianos, qui exponebant spiritaliter, Ego & pater vnũ sumus, idẽ Hilarius sic excãdescit: Quid per voluntatis assensum, animæ & cordis vnitatẽ introducis? Fuerat namque in verborũ copia & proprietate, vt si volũtas vnum esse eos faceret, Dominus ita precaretur: Pater, sicut nos vnum volumus, ita & illi vnum velint, & vnũ per cõcordiam simus omnes. Aut fortè qui Verbũ est, significationẽ verbi ignorauit, & qui veritas est, loqui vera nesciuit, & qui sapientia est, in stultiloquio errauit, & qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quę vellet intelligi. Locutus est planè ille vera, & sinceræ fidei Euangelicæ sacramenta, neque solùm locutus est ad significationem, sed etiam ad fidem docuit.

Qui non credunt de Eucharistia, vt verba sonant, pro Atheis habendi.

AMBROSIVS. Cùm Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suũ accipimus & sanguinem, numquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?

Lib. 4. De Sacram cap. 5.

EPIPHANIVS negotiũ habebat cum Origenistis, qui planè cũ nostris Aduersariis in eo cõsentiebãt, quòd scripturas statim ad spiritalẽ aliquem intellectũ transferrẽt, quoties captũ ingenij nostri excederẽt, aut aliquid cõtinerent, quod hominũ iudicio videretur absurdũ. Negat ita agendũ, imò retinendã esse fidẽ scripturæ docet, quãtumcunque appareat ineptũ, aut sẽsibus, aut ingenio nostro repugnãs quod dicitur, & intuendã Dei omnipotentiã: atque in exẽplum profert quod scribitur, & spectatur de ipsa Eucharistia. Textus postea citabitur capite de existentia corporis in Eucharistia.

Epiph. in Ancorato.

BASILIVS quærit duo: Nempè quãto cum timore, & animi persuasione affectione've, corpus & sanguinẽ Domini cõmunicemus. Respõdet: De timore habemus Apostolũ, qui ait, Qui mãducat & bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit. De animi persuasione fidẽ faciũt verba Dñi, qui dixit, Hoc est corpus meũ quod pro vobis datur. Malitiosè Petrus Martyr ait ista respõderi de affectione, subticẽdo de animi persuasione. Est quidẽ verũ, subiungi alios locos scripturæ à Basilio ad excitandum nostrum in Christum ardorem, quoniam post animi persuasionem quęsierat de affectione.

Basil. reg. breu. 172.

EVSEBIVS EMISSENVS. Verè vnica & perfecta hostia fide æstimanda, nõ specie, nec exterioris censẽda visu hominis, sed interioris affectu. Recedat omne infidelitatis ambiguũ: quandoquidẽ qui author est muneris, ipse etiã testis est veritatis. Nã inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiã corporis sui & sãguinis, verbo suo, secreta potestate cõuertit, ita dicẽs, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum.*

Hom. 5. De Paschat.

GREGORIVS NANZIANZENVS. Absque confusione & dubio comede corpus & sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris: neque de sermonibus,

Orat. in Sanct. Pasch.

qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passiones offendaris. Constans esto, firmus, stabilis: in nulla re propter Aduersariorum sermonem fluctues.

Hysich.lib.2. in Leuit.cap. 8. HYSICHIVS Gregorij Nazianzeni discipulus. Quomodo ergo in his non admirãda sit sapientia Spiritus? Nullam quippè dubietatem huiusmodi intellectui dereliquit. Propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, vt nos intelligeremus illud ob eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis viui qui de cœlo descendit. Propter quod Heliæ carnes manè, panes autem vesperi deferebant corui, præfigurare hoc mysterium Domino volẽte, quod intus oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare, coqui, & comedi. Sed hoc quod reliquum est de carnibus & panibus, in igne incẽdi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, igníque tradi, quæcunque remanere cõtigerit incõsumpta. Ergo & quod agitur sensibiliter, significatio cuiusdam intelligibilis rei, eis qui intendunt prouenit, vt quando à comestione sacrificij deficimus, & comedere illud integrè non possumus, mente forsan lassescente siue deficiente, vtrum ea quæ vidẽtur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec Angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam ea tradi igni oporter spiritus, vt ea comedat, quę nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autem comedat? quum cogitauerimus virtuti spiritus esse possibilia, ea quæ nobis impossibilia videntur.

Chrys.ho.83. in Matt. et 60. ad pop. Antioch. CHRYSOSTOMVS. Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur quod dicit. In omnibus, & præcipuè in mysteriis ita faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodò aspicientes, sed verba quoque eius teneamus: nam verbis eius defraudari nõ possumus. Sensus verò noster deceptu facilis est. Illa falsa esse non possunt: hic sæpius fallitur. Quoniã ergo ille dixit, Hoc est corpus meũ, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus respiciamus. Idem eisdem propè verbis Nicena prima Synodus & Cyrillus Hierosolymitanus prædicant, postea citandi.

Dialog.3.Polymorph. THEODORETVS increpat Sacramẽtariorum incredulitatem, qui ne quidem pluribus scripturis eadem de re iteratis fidem habent. Apud eum Orthodoxus ait: Meministíne dictorum Euangelij, in quibus Mannæ, & veri nutrimenti Deus fecit comparationem? Respondet Eranistes & hæreticus: Memini. ORTH. In eo loco cùm de pane vite prolixè disseruisset, hęc quoque subiunxit: Panis autem quem ego dabo, caro mea, quam ego dabo pro mundi vita. In his autẽ verbis videre licet beneficentiam ac liberalitatem diuinitatis, & donationem carnis. ERAN. Ad soluendã dubitationem non sufficit vnum restimonium. ORTHO. Æthiops Eunuchus non multas legit scripturas: sed cum vnum Propheticum inuenisset testimonium, per illud ad salutem deductus est. Ad vobis autem persuadendum non sufficiunt omnes Apostoli & Prophetę, & qui post illos fuerunt veritatis pręcones. Sed tamẽ tibi quoque alia de corpore Domini testimonia afferam. Scis certè locum illũ Euangelicæ historiæ, in quo Pascha cum suis discipulis comedens, ostendit quidem typicæ ouis finem, docuit autem quodnam sit vmbræ corpus. ERAN. Noui historiã. ORTHO. Recordare ergo, quid acceptũ quidẽ fregit Dominus, quid autẽ acceptum appellauit, & dixit. ERAN. Propter eos qui nõ sunt initiati misteriis, dicam aliquãtò magis mysticè: Cùm accepisset, & fregisset, & discipulis diuisisset, dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* ORTHO. Non meminit ergo diuinitatis, passionis typum ostẽdens. ERAN. Nequaquam. ORTHO. Sed corporis & sanguinis. ERA. Verum. ORTHO. Corpus ergo cruci affixum est. ERAN. Videtur.

Cyrill.epist. ad Calosyrium. CYRILLVS ALEXANDRINVS. Non dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente, *Hoc est corpus meum*, sed suscipe potiùs verba Saluatoris in fide. Cùm enim

enim sit veritas, non mentitur.

" Idem in Ioannem scribit: Quærendum semper est, vt apud eum habitemus, & ad " alienas sententias nō deferamur. Sed non ita facit malignus. Nam quæcunque non " intelligit, statim tanquam friuola falsáque per arrogantiam, reiicit, nulli decens, nec " aliquid supra ipsum esse existimans, quales Iudęos esse comperimus; Nam quùm o- " porteret eos, qui diuinam virtutem Saluatoris, ac potestatem signorum miraculo " perceperint, sermonem eius libenter suscipere, & si qua difficilia videbātur, eorum " solutionem quærere, contrà omninò faciunt. Et quomodo potest hic nobis dare " carnem suam ad manducandum, de Deo non sine magna impietate conclamant, " nec in mentem venit nihil esse impossibile apud Deum. Nam cùm animales essent; " spiritalia intelligere nō poterant, sed fatuitas quędā tam magnū sibi videbatur my- " steriū. Sed nos magnū, quæso, à peccatis aliorū faciamus profectum, & firmam fi- " dem mysteriis adhibentes, numquam in tam sublimibus rebus illud quomodo aut " cogitemus, aut proferamus. Iudaïcum enim hoc verbum est, & extremi supplicij " causa. Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdocti, cùm Deus operatur, non quæra- " mus quomodo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Propterea paulò pòst ait sermonem Christi, Qui manducat meam carnem, & bibit meū sanguinem, rem esse arduam, & fide magis verborum Domini, quàm alio modo excipiendam, fidémque fundamentum ac basin esse confirmat: quod detorquent Aduersarij ad spiritalem manducationem, quasi fidem eius causa statuat, cùm ex collatione locorum apertissimè fidem referat ad factum & verba Domini, qua creditur id quod fieri dicitur, licet sit res ardua, neque anxiè de modo litigatur.

Cyrill. lib. 4. cap. 13. in Ioan.

Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17.

AVGVSTINVS Manichæos, qui Christi verba vertebant in signa & figuras, " vt nostri Aduersarij faciunt, sic increpat: Christum qui dicit, Ego sum veritas, spe- " ciem carnis, mortem crucis, vulnera passionis, cicatrices resurrectionis, mentitum " esse suadebis? Proinde vos Christo vestro anteponi vultis, si illo mentiente vos an- " nūtiatis veritatem. Manichæi, inquam, voces carnis, corporis, passionis, resurrectionis, in scripturis repertas, pro signo interpretabantur, vt corpus in Cœna nominatū interpretantur Aduersarij.

August. lib. 5. in Faustum. cap. 5.

" Alibi scribit: Audiuimus veracem magistrum, diuinum redemptorem, humanū " saluatorem, commendantem nobis pretium nostrum sanguinem suum. Cùm ergo " commēdans talem escam & talem potum, diceret, Nisi manducaueritis carnē meā, " & biberitis sanguinē meū, non habebitis vitam in vobis, & hoc diceret de vita quis " alius quā ipsa vita. Erit autē illi homini mors, non vita, qui mendacē putauerit vitā.

Serm. 2. De verb. Apost.

Itidem Augustinus nominatim affirmat secundum literam capiendum Christi dictum, *Hoc est corpus meum*, & secundum Dei omnipotentiam supra creaturarū vi- " res esse metiēdum. Quis portatur in manibus suis? In manibus aliorum potest por- " tari homo: in manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid se- " cundū literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Chri- " stus in manibus suis, quādo commandans corpus suum, ait, *Hoc est corpus meum:* Ferebat enim illud corpus in manibus suis. At cauillatur Petrus Martyr inueniri quidē ad literam Christum gestasse suum corpus in manibus suis, quia corporis sui figurā gestaret, & sacramentum, nō autem inueniri quomodo Dauid id præstiterit. Atqui si ad literam *Hoc est corpus meum*, figuram aut sacramentum corporis significat, quid obstat, quominus ad literam idem significet, quod scribitur de Dauide, Ferebatur in manibus suis, nempè figuraliter, aut spiritaliter? Quamuis enim Dauid sacramentum corporis instituere non potuerit, potuit tamen sacramētum sui corporis ferre. Deinde conueniunt omnes Aduersarij non seruandam esse dictionis proprietatem

In Psal. 33. concion 2.

in istis verbis Christi: Augustino cõtrà ad literam interpretari placet & Christi verba, & scripturam de Dauide, qui ferebatur in manibus suis, & soli Christo vtrumque competere ad literam asseuerat, cùm aliis figuratè ritè possint accommodari. Aliis in libris quando agemus de loco Augustini, quo videtur in literali verborum Christi intelligentia flagitium & scelus agnoscere, etiam manifestiùs apparebit ab ipso creditum, ob nullam absurditatem à proprietate sermonis Christi de Eucharistia recedendum.

Tract. 2. in Vigil. Pasch. extãt eius opera inter Orthodoxographa impressa, ann. 1569.

GAVDENTIVS Brixiensis Episcopus Ambrosio coætaneus: Quod generaliter exposuimus de edenda carne agni, specialiter seruandum in degustãdis mysteriis Dominicæ passionis, vt neque crudam carnem, crudúmque sanguinem, sicut Iudæus, esse putes, & respuas, dicens, Quomodo potest iste dare carnem suam mãducare? Neque in olla cordis carnei humoribus per naturam semper obnoxij, ipsum decoquas sacramentum, commune ac terrenum illud esse existimans: sed vt per ignem diuini spiritus id effectum, quod annũtiatum est, credas: quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait, Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus. Credamus, quæso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas. Ideò cùm de corpore suo manducando, & sanguine suo bibẽdo turbis loqueretur, stupentibus ac mussitantibus, Durus est hic sermo, & quis potest audire, vt abstergeret per ignem cœlestes eas cogitationes, quas vitandas esse prædixi, sic adiecit, Spiritus est qui viuificat: nam caro nihil prodest. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et ideò caput diuinitatis eius cum pedibus incorporationis, & interioribus simul iubemur mãducare mysteriis: vt pariter vniuersa, quẽadmodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius solidissimum, Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus. Si quid autem superfuerit etiam nunc in vniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concrementur, quoniam Deus noster ignis consumens est, purgans & erudiens, & illuminans corda nostra ad intelligentiam diuinorum: vt & ipsius à Christo instituti sacrificij cœlestis causam rationẽque noscamus, inenarrabili dono eius sine fine gratias relaturi. Nam verè istud est hæreditarium munus Testamenti eius noui, quod nobis ea nocte, qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit.

PRO EXISTENTIA CORPORIS IN EVCHARISTIA summa capita ex Patribus præter verborum proprietatem. CAP. 2.

1.

A FIGVRIS & sacramentis, tam legis naturalis, quàm Mosaicæ, Eucharistiam distinguunt in eo, quòd in hac insit veritas, & vera substantia corporis & sanguinis Christi, in illis sola figura & nuda præcesserit. In Repet. 4. cap. 1.

2. Eadem ratione differre ostendunt à sacrificiis vtriusque antiquæ legis. In Repet. De sacrific. lib. 1.

3. Eucharistiam collocant, tanquam quid medium inter statum veteris legis, & statum beatorum in cœlo: vt in veteri lege solam vmbram Christi signum & figuram habuerint Patres: in Eucharistia verò possideamus Christum tam verè præsentem, quàm est in cœlo, sed hîc opertum pane, in cœlo verò sine vllo velamine. Ideò concedunt Eucharistiam esse sacramentum, quia Christum secretò & occultè cõtineat, & agnoscunt eiusdem Christi signum & figuram, sed respectu status qui in cœlo est, & propter relationes atque rationes diuersas, sub quibus consideratur. In

hac Repet. Tertia, quarta, & sexta.

4. Afferunt alias multas rationes, propter quas decuerit corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini latêre, atque ita sacramentum fieri, negántque omninò Eucharistiam inter signa rerum absentium habendam esse. In hac Repet.

5. Ideò definiunt sacramentum Eucharistiæ à præsentia & existentia corporis & sanguinis Christi, velata & contecta panis & vini forma. Eam ob causam ostendũt duabus rebus in se constare, à natura sacramentorũ nouæ legis, & ex analogia cum baptismo & incarnatione. In hac Repetit. & in quarta.

6. Propter hoc ad Eucharistiæ constitutionem probant Dei omnipotentiam, & singulare miraculum interuenire in causa efficiente, quæ est consecratio per verbũ Dei. In Repet. De transsubstantialitate lib. 1.

7. Etiam in conuersione panis & vini in carnem & sanguinem. Ibidem.

8. Itidem in existentia corporis & sanguinis sub tantilla specie panis & vini sine iusta loci mensura. In hac Repetit. & in quarta.

9. Eandem omnipotentiam requiri in existẽria ipsius corporis & sanguinis in cœlo, & in sacramento, ac plurium altarium locis. In Repetit. quarta.

10. Quin etiam in eiusdem manducatione, vt totum edatur, nec minuatur, vel cõsumatur. In Repet. quinta.

11. Vetãt iudicari ex sensibus, vel ratione, de re quæ in Eucharistia sit, sed ex fide. In hac Repet. & in quinta ac sexta.

12. Varias acceptiones carnis & sanguinis recensent, & in Eucharistiæ pane totum ac plenum Christum adesse, Christíque corpus verum, proprium, illud idem quod natum fuit de virgine, in presepio positum, & adoratum à Magis, quod à Cẽturione & Zacheo exceptum, à Thoma & Hæmourrouissa contactum, ac tam verè videri & tangi, quàm ab ipsis fuit. In hac Repétit. & aliis.

13. Distinguunt modos præsentiæ, & illud corpus verum adesse cõcludunt verè, propriè, in veritate, veraciter, reipsa, & in substantia. In hac Repetit. & in tertia, quarta, quinta, ac sexta.

14. Idem corpus videri, tangi, dentibus atteri, & manducari in Eucharistia sine vlla fallacia vel præstigiis, realiter, naturaliter, corporaliter, substantialiter. In Repetit. quinta.

15. Ob id comparant Eucharistiam multis modis cum incarnatione Christi. In hac Repetit. & in lib. 2. De Transsubstantial.

16. Indignè attrectantes Eucharistiam, reos esse corporis & sanguinis Christi. In hac Repetit.

17. In Eucharistia Christum vérè adorari, vt adoratur ab Angelis in cœlo, & ab iisdem propter ipsum Eucharistia. In repetit. de adoratione.

18. Christi corpus & sanguinem verè offerri & sacrificari in Eucharistia. In Repet. De sacrificio.

19. Per Eucharistiam Christum esse in altari & disco, vt fuit in presepi, & sanguinem qui fluxit de latere, esse in calice, & de altari dispensari. In hac Repetit. & lib. 1. De sacrificio.

20. In delatione, & asseruatione Euchatistiæ, deferri & seruari corpus Christi. In Repetit. quarta.

21. Ab effectis Eucharistiæ. In Repet. quinta, & sexta.

22. Ex præsentia corporis & sanguinis in Eucharistia, tanquam re certissima, alios fidei articulos tuentur. In hac Repetit. quarta, & quinta.

23. Ex preparatione requisita ad dignè suscipiendã Eucharistiã. In Reper. ea de re.

24. Ex miraculis, quæ circa Eucharistiam inciderunt. In hac Repetit.
25. Ex solutionibus, quibus Patres occurrunt passim, & diluunt argumenta aduersariorum, quasi præuisa.
26. Ex damnatione omnium, qui aliter sentire à tempore Apostolorum visi sunt. In hac Repetit.

PER RATIONES, QVAS PATRES AFFERVNT, cur caro Christi sit in sacramento, docent sacramentaliter existere, non esse idem quod in nudo signo & figura, sed quòd oporteat carnem verè adesse. CAP. 3.

PETRVS Martyr, atque alij Aduersarij pro regula ponunt, per sacraméti nomen à Patribus signum & figuram rei absentis intelligi. Idcircò Patrum authoritates, quibus affirmant carnem Christi adesse, vel percipi in sacramento, exponi volunt, tanquam in solo signo, & figura pura atque inani, sed tantùm carnem illam absentem designante. Patres quidem in tractatione de Eucharistia, plerumque sacramentum pro signo & figura accipiunt, siue rei absentis, siue rei præsentis consideratæ sub aliqua ratione absente, vt in aliis Repetitionibus abundè declaratur: attamen falsum est perpetuò ab illis sacramenti vocem in illa significatione collocari, cùm sæpius pro arcano & recondito dictionem illam adhibeant, maximè quoties corpus Christi & sanguinem in sacramento contineri vel sumi docent. Quòd si quandoque pro signo & figura tum explicari potest, ipsimet Patres vetát expressè pro figura corporis Dominici absentis, vel pro inani signo apprehendi. Nam pro prima ratione cur Christus præbeat nobis carnem & sanguinem sub sacramento, proferunt statum nostrum medium iacere inter legem Mosaïcam, & beatorum in cœlo conditionem: In lege, vmbram nudam & figuram puram de Christo præisse: A nobis Christum in sacramento, seu ænigmate ac velamine verè possideri, in cœlo verò haberi facie ad faciem sine tegumento. Idcircò statum nostrum desiderare sacramentum, seu tegumentum Christi præsentis, vt discrepet à Mosaïco, & à cœlesti. Altera ratio traditur ab ipsis ex nostra constitutione, qua coagmentamur ex corpore & spiritu, ac proinde requirit res spiritales, seu spiritaliter existentes nobis exhiberi in rebus corporeis. Tertia, vt Christus etiam coram oculis nostris suam nobis commendet humilitatem, & erga nos charitatem, cùm se demittit iterum ad hæc terrena elementa, seque ipsis subiicit propter nos. Quarta, vt fides nostra circa sacramentum exerceatur, & de præsentia rei non apparentis credat, atque ita meritum inueniat. Quinta, ne esset horrori carnis manducatio visibilis & conspicua. Sexta, vt ipsa caro Christi spiritali modo existens, corporaliter tamen, seu à nostro corpore, verè ac propriè in corporeo sacramento manducari posset. Septima, vt coram oculis prostaret præsentissimi Christi monimentum, in quo visibiliter adoraretur & coleretur, & Christiana religione dignum externum haberetur sacrificium ad finem seculi. Postrema, vt ex eodem cibo per analogiam & conuenientiam nos alamur corporaliter, per species panis apparentes, & spiritaliter à re contenta. Quæ rationes omnes non tantùm innuunt, sed insculpunt sacramentum à Patribus, non pro signo rei absentis nominari, seu figura, ænigmate, vel imagine inani & vacua, sed pro tegumento & operimento, seu etiam signo, speculo, atque imagine rei latentis intra ipsum. Quocircà rectè monent distingui sacramentum & signum hoc ab aliis à re significata seiunctis. De his omnibus ordine

Patrum

Patrum testimonia edamus.

De priori Cyprianus. Panem Angelorum sine sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestiùs edemus in cœlis, non ministerio corporis sępè repetitis actionibus ad eadem reuertentes: sed consummato sacerdotio erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, qua proferet se palàm absque vllis integumentis, omnibus conspicabilis, summi pręsentia sacerdotis. Ne colligat Petrus Martyr, nos igitur tantùm hîc edere fide & spiritu, vt Angeli edunt: Cyprianus nos vti corporis officio ad eius esum in hoc mundo distinguit, in aliò verò seculo minimè, sed vnum & eundem hîc teneri, & illic conspici subiicit. *Cypr. de Cœna.*

AMBROSIVS. Hîc vmbra, hîc imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Ante agnus offerebatur, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipsum quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem quasi aduocatus interuenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est. *Ambros. lib. 1. Offic. cap. 48.*

EADEM alibi. Primùm igitur (inquit) vmbra præcessit, secuta est imago, erit veritas: Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus: Vmbra Euangelij & Ecclesiæ congregationis in lege, imago futuræ veritatis in Euangelio, veritas in iudicio Dei. Ergo quæ celebrantur in Ecclesia, eorum vmbra erant in sermonibus Prophetarum, vmbra in diluuio, vmbra in rubro mari, quando baptisati sunt Patres nostri in nube & in mari: Vmbra in petra, à qua fluxit aqua, & quæ sequebatur populum. Nónne illud in vmbra erat sacrosancti huius mysterij sacramentum? Nónne vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur, vt biberent, & non sitirent, redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudæorum, dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur vt possumus sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus nō videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem aduocatus apud Patrem assistit, sed nunc eum non videmus: tunc videbimus, quando imago transierit, veritas venerit: tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem, quæ perfecta sunt, videbuntur. Ne Petrus Martyr veritatis nomen arripiat, quasi veritas substantiæ Christi deficiat in sacramento, Ambrosius primo loco interpretatur veritatem pro actionis complemento, & modi perfectione: interim palàm facit Christum à nobis teneri & offerri, tametsi nō cernatur: & apparitionem veritatem vocat, vt inapparentiam, imaginem, atque ita non rem rei, sed modum rei modo opponit. Hoc ita Augustinus explanasse videtur. *Ambros. in Psal. 38.*

AVGVSTINVS. Quod post alios septem dies dimissa columba reuersa nō est, significat finem seculi, quando erit Sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quando bibitur, quod de Christi latere manauit: sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm tradetur regnum Deo & Patri, vt in illa perspicua contemplatione immutabilis veritatis nullis mysteriis corporalibus egeamus. Ne ex sacramento spei Aduersarij inferrent rei absentiam, Augustinus præsentiam sanguinis & proprietatem adiunxit, & spem ad perfectionem obtinendæ fruitionis & salutis de Christo retulit. *August. lib. 12. in Faustum. cap. 20.*

Nazianz. orat. 4. in Pasch. GREGORIVS NANZIANZENVS. Cæterùm iam Paschæ fiamus participes, figuraliter tamen adhuc, etsi Pascha hoc veteri sit manifestius. Siquidem Pascha legale, audéter dico, figuræ figura erat obscurior: at paulò pòst illo perfectiùs & puriùs fruemur, cùm verbum ipsum biberit nobiscum in regno Patris nouum detegens & docens quæ nunc mediocriter ostendit. Nouum enim semper existit, quod semper est cognitum: Petrus Martyr conatur discrimen ex Nanzianzeno tantùm constituere in significandi modo: sed si sic haberet, vetera Christum expressiùs & luculentiùs significassent quàm nostra, quemadmodum in quarta Repetitione comprobatur.

Bernard. Serm. 1. in Cœna Domini. BERNARDVS. Gloriosa & amabilis sponsa, in terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento. Et hîc & ibi veritas: sed hîc palliata, ibi manifesta.

Chrysost. hom. 83. in Matth. et 60. ad popul. Antioch. DE secunda ratione, post magnum Dionysium ista Chrisostomus. Si incorporeus esses, nude ipsa dona incorporalia tradidisset? Quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus tradûtur tibi intelligenda: vt sic ex sensibilibus in spiritualium cognitionem & amorem ducamur. Christus bibit ex sanguinis sui calice, ne auditis illis verbis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur. Nam & quando prius verba de his fecit, multi solummodò propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine: Veniat in mentem tibi, quo sis honore affectus, qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quàm Angeli videntes tremunt, neque absque pauore propter fulgorem, qui indè resilit, aspicere possunt. Aduersarij notant incorporalia tantùm per Chrisostomum subesse signis: ideò abesse corpus Christi. Verùm Chrysostomus rationem hanc, tanquam communem omnibus sacramentis adduxit: ob id subdit exemplum de baptismo. Nihilominus cùm illam applicat Eucharistiæ, incorporale illud multis verbis amplificat esse corpus Christi, quod licet sit verissimum, tamē modo incorporali & insensibili corporalibus signis subest, & visibilibus. Eandem rationem circa baptisma persequitur Gregorius Nissenus.

August. in Psal. 33. DE tertia Augustinus. Nisi humilis esset, seque humiliasset Dominus Iesus, eum nec manducare, nec bibere potuissemus. Quando enim in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, cibus erat sempiternus & integer Angelorum, sicut etiamnum est. Sed quis hominum posset ad cibum illum peruenire? Oportebat ergò, vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret, vt nos quoque illius participes esse possimus. Et quia cibus conuertitur pueris per matris corpus & mamillas: mater enim ipsum panem incarnat, sicque per humiditatem mamillæ & lactis succum de ipso pane pascit infantem, qui minus idoneus est, vt pane vescatur. Ipsum verbum, panis Angelorum, caro factum est, & habitauit, vt panem Angelorum manducaret homo, &c. Vide paulò pòst Algerum, & cap. secundum Repetitionis quartæ, & caput De anthropophagia in Repetitione quinta.

DE quarta Cyprianus. Veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit: & cùm in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est, non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit. Videt hæc sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes huius mundi delicias aspernantur: & possidentes Christum, aliquam huius mundi supellectilem possidere dedignantur.

AVGV-

AVGVSTINVS. Quoniam ista vox infidelium esse consueuit, Quomodo credimus quod non videmus? Ideò credentium iustitiam sic oportuit definiri, Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. Beati enim qui non viderunt, & credunt. Nam & qui viderunt Christum, non in eis laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est, filium hominis: sed quia credebant quod non videbant, id est, filium Dei. Cùm verò & ipsa forma serui subtracta esset eorum aspectibus, tùm verò ex omni parte adimpletum est. Iustus ex fide viuit. Est enim fides, substantia sperandarum rerum, & conuictio non apparentium. *August. tract. 45. in Ioann.*

ALGERVS ex Augustino citat. Fides, qua eorum, qui Deum visuri sunt, corda mundantur, quod non videt, credit. Nam si vides, non est fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus, eat ne videatur, lateat vt credatur, creditus desideretur, vt desideratus habeatur. Quia ergo in hac peregrinatione nostra expedit latêre Christum vt credatur, bene Christus sub sacramento dedit nobis seipsum, vt per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ suæ augeat beneficium, dum in terrena quadam & prorsus stolida panis & vini forma, maiestatem sapientiæ verbi Dei substantialiter comprehensam, incomprehensibilem credere & venerari non erubescimus, quæ quantitate & qualitate sua ita eius excellentiæ videtur indigna, vt nullatenus etiam æstimari debeat, nisi quia ipse est Deus, qui omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra: nisi quia etiam caro eius ipsa est, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, vt potestate tali sit in vnitate personæ in cœlo & in terra, quandocunque quomodocunque sibi placuerit. Huc referri debent, quibus Patres ad fidem hortabantur in hoc sacramento, capite De verborum significatione contra sensum & rationem, & quæ citantur in quinta Repetitione, cap. De anthropophagia: & in sexta, cap. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. *Alger. lib. 1. cap. 3. August. tract. 68. in Ioann.*

De quinta Cyprianus. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retrò: quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel assam, sectámque membratim edere doceremur. Sed in cogitationibus huiusmodi caro & sanguis non prodest quicquam, nec carnalis sensus ad intellectum tātę profunditatis penetrat, nisi fides accedat. *Cypr. de Cœna.*

AMBROSIVS. Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus est potus. Sed fortè dicas, Quomodò verè? Qui similitudinem sanguinis video, non video veritatem. Primò omnium dixi, tibi de sermone Christi, qui operatur, vt possit mutare & vertere genera & instituta naturæ. Audientes discipuli, quòd carnem suam daret ad manducandum, recedebant. Solus Petrus dixit, Verba vitæ æternæ habes. Ne igitur plures hoc dicerēt, quasi quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutémque consequeris. Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cœlo descendi: sed caro non descendit de cœlo, sed carnem in terra assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis de cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus cōsors est & diuinitatis, & corporis, & tu quia accipis panem diuinæ eius substantiæ, in illo participatis alimento. Ambrosius tria præstat, ostendit carnem Christi verè sacramento inesse: rationem reddit cur non appareat: & per carnem pani præsentem, de diuinitate participari declarat. *Ambros. lib. 6. De sacram. cap. 1.*

Nazianz. orat. 4. in Pasch. GREGORIVS NANZIANZENVS. Cæterùm iam Paschæ fiamus participes, figuraliter tamen adhuc, etsi Pascha hoc veteri sit manifestius. Siquidem Pascha legale, audeter dico, figuræ figura erat obscurior: at paulò pòst illo perfectiùs & puriùs fruemur, cùm verbum ipsum biberit nobiscum in regno Patris nouum detegens & docens quæ nunc mediocriter ostendit. Nouum enim semper existit, quod semper est cognitum: Petrus Martyr conatur discrimen ex Nanzianzeno tantùm constituere in significandi modo: sed si sic haberet, vetera Christum expressiùs & luculentiùs significassent quàm nostra, quemadmodum in quarta Repetitione comprobatur.

Bernard. Serm. 1. In Cœna Domini. BERNARDVS. Gloriosa & amabilis sponsa, in terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento. Et hîc & ibi veritas: sed hîc palliata, ibi manifesta.

Chrysost. hom. 83. in Matth. et 60. ad popul. Antioch. DE secunda ratione, post magnum Dionysium ista Chrisostomus. Si incorporeus esses, nude ipsa dona incorporalia tradidisset? Quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus tradũtur tibi intelligenda: vt sic ex sensibilibus in spiritualium cognitionem & amorem ducamur. Christus bibit ex sanguinis sui calice, ne auditis illis verbis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur. Nam & quando prius verba de his fecit, multi solummodò propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine: Veniat in mentem tibi, quo sis honore affectus, qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quàm Angeli videntes tremunt, neque absque pauore propter fulgorem, qui indè resilit, aspicere possunt. Aduersarij notant incorporalia tantùm per Chrisostomum subesse signis: ideò abesse corpus Christi. Verùm Chrysostomus rationem hanc, tanquam communem omnibus sacramentis adduxit: ob id subdit exemplum de baptismo. Nihilominus cùm illam applicat Eucharistiæ, incorporale illud multis verbis amplificat esse corpus Christi, quod licet sit verissimum, tamẽ modo incorporali & insensibili corporalibus signis subest, & visibilibus. Eandem rationem circa baptisma persequitur Gregorius Nissenus.

August. in Psal. 33. DE tertia Augustinus. Nisi humilis esset, seque humiliasset Dominus Iesus, eum nec manducare, nec bibere potuissemus. Quando enim in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, cibus erat sempiternus & integer Angelorum, sicut etiamnum est. Sed quis hominum posset ad cibum illum peruenire? Oportebat ergò, vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret, vt nos quoque illius participes esse possimus. Et quia cibus conuertitur pueris per matris corpus & mamillas: mater enim ipsum panem incarnat, sicque per humiditatem mamillæ & lactis succum de ipso pane pascit infantem, qui minus idoneus est, vt pane vescatur. Ipsum verbum, panis Angelorum, caro factum est, & habitauit, vt panem Angelorum manducaret homo, &c. Vide paulò pòst Algerum, & cap. secundum Repetitionis quartæ, & caput De anthropophagia in Repetitione quinta.

DE quarta Cyprianus. Veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit: & cùm in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est, non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit. Vidẽt hæc sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes huius mundi delicias aspernantur: & possidentes Christum, aliquam huius mundi supellectilem possidere dedignantur.

AVGV-

AVGVSTINVS. Quoniam iſta vox infidelium eſſe conſueuit, Quomodo credimus quod non videmus? Ideò credentium iuſtitiam ſic oportuit definiri, Quia ad Patrem vado,& iam non videbitis me. Beati enim qui non viderunt,& credunt. Nam & qui viderunt Chriſtum, non in eis laudata eſt fides eorum, quia credebant quod videbant, id eſt, filium hominis: ſed quia credebant quod non videbant, id eſt, filium Dei. Cùm verò & ipſa forma ſerui ſubtracta eſſet eorum aſpectibus, tùm verò ex omni parte adimpletum eſt. Iuſtus ex fide viuit. Eſt enim fides, ſubſtantia ſperandarum rerum,& conuictio non apparentium. [Auguſt. tract. 45. in Ioann.]

ALGERVS ex Auguſtino citat. Fides, qua eorum, qui Deum viſuri ſunt, corda mundantur, quod non videt, credit. Nam ſi vides, non eſt fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus, eat ne videatur, lateat vt credatur, creditus deſideretur, vt deſideratus habeatur. Quia ergo in hac peregrinatione noſtra expedit latêre Chriſtum vt credatur, bene Chriſtus ſub ſacramento dedit nobis ſeipſum, vt per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ ſuæ augeat beneficium, dum in terrena quadam & prorſus ſtolida panis & vini forma, maieſtatem ſapientiæ verbi Dei ſubſtantialiter comprehenſam, incomprehenſibilem credere & venerari non erubeſcimus, quæ quantitate & qualitate ſua ita eius excellentiæ videtur indigna, vt nullatenus etiam æſtimari debeat, niſi quia ipſe eſt Deus, qui omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra: niſi quia etiam caro eius ipſa eſt, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, vt poteſtate tali ſit in vnitate perſonæ in cœlo & in terra, quandocunque quomodocunque ſibi placuerit. Huc referri debent, quibus Patres ad fidem hortabantur in hoc ſacramento, capite De verborum ſignificatione contra ſenſum & rationem,& quæ citantur in quinta Repetitione, cap. De anthropophagia:& in ſexta, cap. Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. [Alger. lib. 2. cap. 3. Auguſt. tract. 68. in Ioann.]

De quinta Cyprianus. Niſi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retrò: quia horrendum eis & nefarium videbatur veſci carne humana, exiſtimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel aſſam, ſectámque membratim edere doceremur. Sed in cogitationibus huiuſmodi caro & ſanguis non prodeſt quicquam, nec carnalis ſenſus ad intellectum tãtę profunditatis penetrat, niſi fides accedat. [Cypr. de Cœna.]

AMBROSIVS. Sicut verus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia Patris, ita vera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus,& verus eſt potus. Sed fortè dicas, Quomodò verè? Qui ſimilitudinem ſanguinis video, non video veritatem. Primò omnium dixi, tibi de ſermone Chriſti, qui operatur, vt poſſit mutare & vertere genera & inſtituta naturæ. Audientes diſcipuli, quòd carnem ſuam daret ad manducandum, recedebant. Solus Petrus dixit, Verba vitæ æternæ habes. Ne igitur plures hoc dicerẽt, quaſi quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis, in ſimilitudinem quidem accipis ſacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutémque conſequeris. Ego ſum, inquit, panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſed caro non deſcendit de cœlo, ſed carnem in terra aſſumpſit ex virgine. Quomodo ergo deſcendit panis de cœlo,& panis viuus? Quia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus cõſors eſt & diuinitatis,& corporis,& tu quia accipis panem diuinæ eius ſubſtantiæ, in illo participatis alimento. Ambroſius tria præſtat, oſtendit carnem Chriſti verè ſacramento ineſſe: rationem reddit cur non appareat:& per carnem pani præſentem, de diuinitate participati declarat. [Ambroſ. lib. 6. De ſacram. cap. 1.]

Cyrill. epist. ad Calosirium Episcop. contra Anthropo. CYRILLVS ALEXANDRINVS. Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, cōdescendens Deus fragilitatibus nostris, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen viuificatiuūm inueniatur in nobis.

Theophilact. in cap. 14. Marc. THEOPHYLACTVS. Quomodo, inquis, caro non videtur? O homo, propter infirmitatem nostram istud fit. Quia enim panis quidem & vinum ex his sunt, quibus assueuimus non abhorrere. Sanguinem verò propositum & carnem videntes, non ferremus, sed abhorreremus. Idcircò misericors Deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & vini seruat, in virtutem autem carnis & sanguinis transelementat.

Gaud. tract. 2. De Pascha. GAVDENTIVS. Quòd autem sacramenta corporis sui & sanguinis in specie panis & vini offerenda constituit, ratio est, vt immaculatus Dei agnus hostiā mundam mundato populo traderet celebrandam, sine vstione, sine sanguine, sine brodio, & quæ omnibus ad offerendum prompta esset & facilis.

Quæ ad illam quintam rationem & ad sextam pertinent, peti debent ex cap. De anthropophagia in quinta Repetitione, & ex sexta, cap. Caro nō prodest quicquā: atque ex illa quæ de Transsubstantialitate est.

Cypr. de Cœna. DE septima Cyprianus. Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter se infundit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem spiritus.

Eusch. Emiss. hom. 5. de Pascha. EVSEBIVS EMISSENVS. Ideò quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui cōsecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia.

Lib. 2. cap. 3. ALGERVS. Quia igitur nec per se sacramentum, nec per se expediebat in sacrificio suo dare corpus suum, sacramētum vnum omnibus legalibus sacramentis dignius superordinauit, quo & nobis prædictas incommoditates horroris vel splendoris, corpus suum abscondendo, auferret & veritate sui corporis vmbras & figuras sacrificiorum veterum complendo, vt superfluas repelleret, & eis ipsa sui sacramenti figura, quia plusquàm figura est, præcelleret. Egregium igitur, & super omnia excellens sacramentum nobis prouidit Deus in sacrificio suo, quo corporis & sanguinis sui veritatem, panis & vini qualitatibus tectam, abscōdit digna causa: ne scilicet infidelibus pateat, & eorum blasphemiis vilescat, néve nos iudicent inhumanos & crudeles, vtpotè humani corporis comestores, & sanguinis bibitores. Fidelibus autem, quibus parauit ad salutem, in panis & vini specie & sapore sumendi fecit aptitudinem, ne si carnis & sanguinis humani colorē videret, saporémque sentiret, humana pietas abhorreret: splēdore autem eius, si intolerabili perstringeretur, stuporem mentis incurreret: si glorioso demulceretur, bonorum operum torpore habesceret. Hac fide ipsum sacramētum, quasi diuinum quiddam adoramus: quasi vinum quiddam & rationabile alloquimur, & rogamus: Agnus Dei, qui tollis peccata mūdi, miserere nobis: quia nō quod videtur, sed quòd verè Christū ibi esse credimus. Sed hæc latius in Repetitionibus de sacrificio & adoratione Eucharistiæ.

DE postrema Cyprianus. Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus,

» tus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideóque ex consueto rerum effe-
» ctu, fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumẽto edocta est, visibilibus sacra-
» mẽtis inesse vitæ æternæ effectum. Panis itaque hic azymus, cibus verus & sincerus
» per speciem & sacramentũ nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo cõ-
» formar. Et sicut panis communis, quem quotidiè edimus, vita est corporis, ita pa-
» nis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis. Immortalis alimonia da-
» tur, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed vir-
» tutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. De hac vide plura in
» Repetitione de Transsubstantialitate.

Quapropter rectè Augustinus Eucharistiã distinguit nominatim à signis nudis, & vacuis sacramentis corporis Christi, quæ non sunt idipsum corpus quod significant, vt est ipsa Eucharistia: ídque facit non vno in loco, quorum prior hîc expẽdatur: Apostolus potuit significando prædicare Dominum Iesum Christũ aliter per linguã suã, aliter per epistolã, aliter per sacramẽtum corporis & sanguinis eius. Nec linguã quippè eius, nec mẽbranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarũ cõscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tãtum, quod ex frugibus terræ acceptũ, & prece mystica cõsecratum, ritè sumimus ad salutem spiritalẽ in memoriã pro nobis dominicæ passionis. Quod cũ per manus hominũ ad illã visibilem speciẽ perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnũ sacramẽtum, nisi operãte inuisibiliter spiritu Dei. Non tãtùm ostẽdit varia signa & sacramẽta corporis ab Eucharistia differre, ex eo quòd ipsa dicatur corpus Christi, & nõ alia: sed cur potius ita censeatur quã alia, & declarat ex eo, quòd vim habeat in nobis operandi salutem, & non alia: Dei omnipotẽtia egeat, vt efficiatur sacramentum tale corporis Christi, quod etiam sit ipsummet corpus, & non alia. *August. lib. 3. de Trini. cap. 4*

Alibi scribit. Non vnius modi est sanctificatio. Nam & catechumenos secundum quendã modũ suũ, per signũ Christi & orationẽ manus impositionis puto sanctificari, & quod accipiũt, quamuis nõ sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur, quoniã sacramentum est. Si cui opus fuerit, legat productos Patres in Repetitione quarta, cap. De differentia sacramentorum nouæ legis à Mosaïcis: & comperiet, quàm diligenter & apertè discriminent Eucharistiam à sacramentis non continentibus ipsum corpus Christi intra se: & in Repetitione tertia, capite De Patribus. *August. lib. 2. De peccatorum meritis. cap. 26*

DEFINIVNT EVCHARISTIAM ESSE IPSVMMET corpus Christi, panis forma opertum: seu duabus rebus constare, panis specie vel figura, & corpore Domini ac sanguine. CAP. 4.

Ex proprietate verborum, & rationibus corporis Christi sub sacramento reconditi, Patres solent definire Eucharistiam, tanquam à sua substantia & accidente, esse corpus Domini forma panis opertum, seu rem duabus rebus constantem panis effigie, & vera carne Christi.

» IGNATIVS. Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd
» non confiteantur Eucharistiam carnem esse Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro
» peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitauit. *Citat Theodoret. dialog. 3. Polymorph. ex Epist. ad Smyrnens.*

IVSTINVS postquàm docuit modum, quo conficeretur Eucharistia, quid esset, his verbis definit: Alimentũ hoc appellatur Eucharistia. Neque vt cõmunem panẽ, neque vt cõmunem potum ista sumimus, sed quemadmodũ per verbum Dei caro factus Iesus Christus Seruator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa *Iustin. Apol. ad Antonin.*

habuit,ad eũdem modum etiam eam alimoniã,in qua per preces ſermonis ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ,incarnati illius Ieſu carnẽ & ſanguinẽ eſſe ſumus edocti.

Lib.4.cap.34. IRENEVS. Panis percipiens vocationem Dei,iam non communis panis,ſed Euchariſtia duabus rebus conſtans,terrena & cœleſti. Vulgò duas illas res interpretantur pro pane & corpore Chriſti:ſed penitiùs conſideranti mẽtem Irenei, patebit ab ipſo capi pro Chriſti corpore,prædito duabus naturis,humana, ac diuina ſeu ſpiritali,quemadmodum probamus in ſexta Repetitione, & in ea quę de Trãſſubſtantialitate eſt. Nam alibi pari phraſi ait, panẽ percipiẽtem verbum Dei,fieri Euchariſtiam corporis & ſanguinis Chriſti:quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, alimoniam corporis & ſanguinis,ſeu corpus ipſum & ſanguinẽ,quæ duabus rebus conſtãt. Quinetiam exprimit panem creaturam à Chriſto confirmari, per interpoſitum ſermonẽ fieri & eſſe corpus ſuũ. Ac quò magis eluceſcat nomine Euchariſtię ab Ireneo nihil aliud intelligi,quàm ipſum corpus Chriſti,duabus rebus cõſtans,collatio textuum indicat,nõ ſolùm in his quos produximus,ſed ex his qui annectũtur. Vt enim textui,panem cõfirmari,eſſe ſuum copus ſubiũgit, ex quo noſtra auget corpora vtique ad immortalitatem,quę virtus ſoli corpori Chriſti competit:ita poſt Euchariſtiam duabus rebus conſtantem,ſubdit,corpora percipientia Euchariſtiam iam non eſſe corruptibilia:adeò vt idem nomine Euchariſtiæ,& nomine corporis Chriſti ſignificet,& vtrobique ſubſtentiã ipſam Euchariſtiæ, definitione comprehẽdat,relicto accidente:quo definiẽdi modo planè cum proprietate verborũ Chriſti conueniẽti priores Chriſtiani vſi ſunt. Vnde ex Ambroſio citatur:Licet figura panis & vini videatur,nihil tamen aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credẽdum eſt. Certè conuenienter ad iſta in Ambroſio legitur:In hoc ſacramento Chriſtus eſt,quia corpus eſt Chriſti, & ſpiritalis eſt alimonia, quia corpus Chriſti ſpiritale eſt:& vbi acceſſerit conſecrario,de pane fit corpus Chriſti. Propterea Conciliũ Nicenum,atque alij vetant, mentem & fidem defigi in id quod apparet, & quod ſenſus renuntiat,vt ſciatur quid ſit Euchariſtia, ſed ad eius interiora fide penetrari. Poſteriores in definitione ipſa accidentia & ſpecies panis & vini magis complexi ſunt, ſiue quia magis Euchariſtiam ſub ratione ſacramenti ſpectarunt, ſiue quia ſe exiſtimarunt Ireneum de duabus rebus imitari,ſiue quid aliud attenderunt.

Can. Omnia. de conſecr. 2.

De his qui initiãt. myſter. ca. 9. lib. 4. de ſacram. cap. 4.

Auguſt. lib. 3. de Trin. ca. 10. AVGVSTINVS ſanè rogãtibus de Euchariſtia, Quidnam eſt hoc,explicat grauiſſima authoritate Eccleſiæ,cui nefas eſſet obmutire, definitionem anteceſſorum ſuorũ reſponderi ſolitam,cum accidentium connotatione. Textus eſt:Infantes nõ nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, vndè,vel quomodo conficiatur, vnde in vſum religionis aſſumatur. Et ſi nunquã diſcant experimento,vel ſuo,vel aliorum,& nunquam illã ſpeciem rerum videat, niſi inter celebrationes ſacramentorum,cur offertur,& datur, dicatúrque illis authoritate grauiſſima, cuius corpus & ſanguis ſit,nihil aliud credent, niſi omninò in illa ſpecie Dominum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere tali percuſſo liquorem illum omninò fluxiſſe.

De cõſecr. diſt. 2. can. Hoc eſt. Apud Proſperum idem Auguſtinus ad Euchariſtiæ definitionem & ſubſtantiam ſub ratione ſacramenti in rerum natura exiſtentis,panẽ conſociat,vt tegumentũ,& ſacramenti cauſam,atque inquit: Caro eius eſt,quã forma panis opertã in ſacramẽto accipimus. Et hoc eſt quod dicimus,& modis omnibus approbare contẽdimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus modis confici, duobus conſtare, viſibili elementorũ ſpecie,& inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento & re ſacramẽti,id eſt,corpore Chriſti,ſicut Chriſti perſona cõſtat & cõficitur ex Deo & homine,quia omnis res illarũ rerum naturam & veritatem in ſe cõtinet, ex quibus confi-

conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, sacramento, & re sacramenti, id est, corpore Christi.

PATRES AD EXPRIMENDAM CORPORIS ET sanguinis Dominici præsentiam, & existentiam in Eucharistia, describunt esse, & in ipsa adesse corpus naturale Christi, natum de Virgine. Ob id Eucharistiam comparant multis modis cum ipsa incarnatione: incarnatúmque corpus, proprium, verum, verè, & in veritate subesse Eucharistię. CAP. 5.

QVONIAM corpus Christi multiplicis significationis est, & ambiguæ, ad corpus naturale & mysticũ, quod est Ecclesia, & ad spiritalitatẽ, quę habitabat in Christi corpore, & quæ fide participatur in hoc sacramento: ne erraremus, sicut Christus in verbis institutionis corpus suum per adiunctionem quod pro vobis datur, de naturali à se intelligi docuit, ita de eodem præsentiam Patres demonstrãt à se astrui pluribus modis. Aliquãdo ipsimet distinctionẽ adhibent de vario sensu corporis Christi, & cùm de participatione & sumptione corporis agitur, de illa diuersitate tum maximè admonẽt, ne fallamur, quẽadmodum enarramus in sexta Repetit. cap. de Patribus circa mãducationem per fidem. Sed quoties disputant de ipsa Eucharistia, vt est in rerum natura, & de corpore, non tam significato, quàm in ipsa contento, quibus possunt expressionibus, quasi coloribus, affirmant & depingunt esse naturale, ac proprium Christo, quod de virgine sumpsit. Rursum quoniam plures sunt præsentię modi, ex quorũ ratione & diuersitate res eadẽ potest asseuerari præsens vel absens fallaciter, Patres tã de præsentia & existẽtia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, quàm de eorundem participatione, modos illos distingunt, sicut etiam latiùs explicamus in quarta Repet. cap. De pluralitate locorum: & in sexta, eodem cap. de Patribus circa manducationem fidei. Ad aliorum modorum remotionem, & statuendum modũ veræ, naturalis, ac substantialis præsentiæ & existentiæ, de Christi corpore & sanguine in Eucharistia, inculcant verũ, veracissimũ, proprium Christi in ea versari propriè, verè, in veritate, in substãtia, ad ipsúmque corpus, atque eius in veritate præsentiã magis ac magis confirmandam, comparant ipsam Eucharistiam cum incarnatione, & Christo homine, in statu naturali, tùm ex similitudine causæ vtriusque, quæ est verbũ Dei, & omnipotẽtia Spiritus sancti, tum ex similitudine cõmutationis ex purissimis sanguinibus virginis in carnẽ Christi, & ex pane in eandẽ carnem, sed hoc ex Transsubstantialitate peti debet, sicut de causa per omnipotentiã Spiritus: tum ex duarũ retũ quadam adunatione, tum ex duarum rerũ in eodem cõposito vna apparente, & altera latente, tum ex cõuenientia corporis vtrobique consistẽtis. De his omnibus recẽseamus Patrũ testimonia, in fine capitis expositurì, cur præcipuè Patres dicãt in veritate existere, & capita annotabimus, ex quibus ea de re sint petẽda eorũ testimonia. Quoniã tẽpore Ignatij enascebatur hæresis Valentinianorum & Marcionitarũ, negantiũ à Christo verũ corpus indutum, vel in Eucharistia traditũ, ob ídque nihili pendebant ipsam, Ignatius amplificat, vt paulò antè citabamus, Eucharistiã esse carnẽ de virgine procreatã, & rediuiuã factã post mortem. Cõtra eosdem Tertullianus alibi productus, negat corpus panaceũ, aut aliud quàm veritatẽ & substantiam corporis (sic enim loquitur) in cruce & in Eucharistia traditam esse.

De multiplici significatione corporis Christi.

Tertul. lib. 4. in Marcion.

CYPRIANVS antea contulit sacramentum hoc cum incarnatione, in eo quòd in ipso lateat diuinitas & humanitas Christi, sicut in Christo latebat diuinitas. Veracissimum verò esse Christi corpus attestatur hac clausula: Vsque hodiè

veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & pie ſumentibus diuidit.

IVSTINVS cum incarnatione componit in cauſa & in re exiſtente, quod ſicut verbo Dei caro in vtero virginis formata coaluit, ita fiat in Euchariſtia, & tam vera ſit quàm illa erat. Textus in capite præcedenti tranſcribitur. Irenei, Hilarij, Damaſceni dicta ad eam comparationem petinentia remittimus in caput vltimum De Tranſſubſtantialitate.

AMBROSIVS ſequitur eãdem comparationem quoad cauſam & exiſtentiam, quod ſicut præter naturæ ordinem caro Chriſti in vtero virginis per diuinam omnipotentiam prodiit, ita conficiatur in Euchariſtia, & ſit eadem omninò caro. Liquet (inquit) quòd præter naturæ ordinem virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Et panis in Cœna eſt panis ille de cœlo, verum & perfectum Manna, corpus ex Maria virgine aſſumptum.

Ambroſ. cap. 9. De his qui initiantur myſter.

Alibi probat tam veram eſſe carnem in Euchariſtia, quàm vera erat in Chriſto diuinitatis ſubſtantia, quæ latebat in homine Chriſto, ſicut vera caro latet in Euchariſtia, & vera eius diuinitas. Sicut (inquit) verus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nõ quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia patris: ita vera caro, quam accipimus, ſicut ipſe dixit, & verus eſt potus. quomodo deſcendit panis è cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus conſors eſt & diuinitatis, & corporis: & tu, quia accipis panem diuinæ eius ſubſtantiæ, in illo participaris alimento.

Ambroſ. lib. 5 De ſacram. cap. 1.

Orig. in cap. 26. Matth. ORIGENES. Oſtẽdit Chriſtus, quãdo eos hoc pane nutrit, propriũ eſſe corpus, & panem Deus verbum, corpus ſuum eſſe fatetur. Quamuis ſuo more Origenes allegoricum ſenſum ſubiiciat, literalem tamen præmittit. Sed de hoc aliâs.

Tract. 2. de Paſchate. GAVDENTIVS. Dominus qui producit de terra panem, de pane rurſus efficit proprium corpus.

IVVENCVS poëta, *Hæc vbi dicta dedit, palmus ſibi tangere panem,*
Diuiſumque dehinc tradit ſanctéque precatus
Diſcipulos docuit proprium ſe tradere corpus.

Auguſt. in Pſal. 98. AVGVSTINVS. Suſcepit de terra terrã, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & qui in ipſa carne hîc ambulauit, ipſam carnem nobis mãducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem manducauerit, niſi priùs adorauerit. Hîc Auguſtinus, quod eſt in Euchariſtia, & adoratur, carnem eſſe atteſtatur, quæ nata eſt de virgine: & ſuperiori capite ipſam Euchariſtiã conferebat cum perſona Chriſti: quia ſicut hæc, ita illa duabus rebus conſtabat, quarum vna vera erat caro. Citatur eius collatio cum eadem incarnatione in ſimili cauſa efficiẽdi, nempè Spiritus ſancti omnipotentia. Verba ſunt: Sicut de virgine per Spiritum ſanctum vera caro ſine coïtu creatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè idem corpus Chriſti conſecratur. Corpus Chriſti & veritas & figura eſt: Veritas, dum corpus Chriſti virtute Spiritus ſancti ex panis & vini ſubſtantia efficitur: Figura verò eſt id quod exterius ſentitur.

De conſec. diſt. 2. can. Vtrum.

Chryſ. in Ioan. hom. 44. CHRYSOSTOMVS. Caro Chriſti propter Deum verbum panis eſt, quemadmodũ hic panis propter aduenientem ei ſpiritum panis cœleſtis efficitur. Innuit diuinitatem ineſſe Euchariſtię per carnem exiſtentem in ea, ſicut illa in carne Chriſti erat.

Chryſ. ho. 24. in 1. ad Cor. ho. 60. ad pop. Antioch. ho. 83. in Matth.

Et, Chriſtus ex æquo menſam omnibus diſtribuit, ille corpus proprium ex æquo tradidit: tu communem panem diſtribuere non vis. Profectò pro omnibus pariter traditus eſt, pro omnibus pariter corpus effectũ eſt. Et quando myſteriũ propoſitũ fuerit,

„ fuerit, dic tecũ, Hoc corpus sol crucifixũ videns, radios auertit. Propter hoc velum „ templi scissum est, & petræ, ac terra vniuersa tremuit. Ipsum hoc corpus in supre- „ mum thronum extulit, quod etiam nobis exhibuit, & vt teneremus, & vt manduca- „ remus, quod maximum signum dilectionis est.

„ CYRILLVS ALEXANDRINVS cum Concilio Ephesino. Sanctam & vi- „ uificatricem, ac sine mactatione immolationem in Ecclesiis celebramus, nõ vnius „ secundum nos hominis corpus quod offertur credentes, sed suscipientes potiùs, vt „ proprium corpus factum, necnon & sanguinem omnia viuificantis verbi. *Cyrill. Alexã. anathematis. 2.*

„ GREGORIVS NISSENVS. Huius corporis panem non aratio, non satio, „ non agriculturæ opus effecit, sed terra intacta permansit: & tamen pane plena fuit, „ quo famescentes mysterium virginis edocti facilè saturantur. Hic author cùm de conuersione panis in carnem agit, totus est in comparatione cum Christi incarnatione, vt in libris de Transsubstantialitate recitamus. *Niss. De vita Mosis.*

„ HYSICHIVS. Sancta sanctorum sunt propriè Christi mysteria, quia ipsius est „ corpus, de quo Gabriel ad Virginem dicebat, Quod ex te nascetur sanctũ. Ab hoc „ non solùm alienigenas prohibuit, sed nec per ignorantiã percipere præcepit. Per i- „ gnorantiã autem percipit, qui virtutẽ & dignitatẽ eius ignorat, qui nescit quia cor- „ pus hoc & sanguis est secũdum veritatem, sed mysteria percipit, nescit autẽ myste- „ riorũ virtutẽ. Tùm Christus in Cœna voluntatis suæ nos certos reddidit, verè cor- „ pus suũ daturus militũ manibus crucifigẽdum, quod propriis manibus in mysterio „ dedit mãducandũ. Carpit voculã in mysterio Petrus Martyr, quasi in signo solo intelligat: sed antecedentia repugnãt, in quibus corpus secundũ veritatẽ esse asseruit, & exponit in mysterio pro sacramẽto duabus rebus cõflato. Nam sacramentũ hoc „ cõparat cũ homine Christo ex duobus cõposito. Quomodo (inquit) in his non ad- „ mirãda sit sapientia Spiritus? Nullã quippe dubietatẽ huiusmodi intellectui dereliquit, propterea carnem cum panibus comedi præcipiẽs, vt nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis, & caro est, sicut corpus Christi panis viui, qui de cœlo descendit. *Hysich. lib. 6. in Leuit. c. lib. 2.*

„ EVSEBIVS EMISSENVS. Hic est sanguis meus, qui fundendus est. Nõ alius „ iste, & alius ille. Cras igitur fundetur ex meo latere, quem vos bibetis in calice. Sicut „ enim tũc & viuebat, & loquebatur, & tamen à discipulis comedebatur & bibeba- „ tur, ita modò integer & incorruptus manet, & à fidelibus comeditur & bibitur. *Emissen. serm. 5. De passione.*

„ HIERONYMVS. Descendi de cœlo, assumpsi formam hominis, dedi eis esum „ corporis mei, ipse cibus & conuiua, comedens & qui comeditur. *Hier. in quæst. ad Hedibiam.*

„ CÆSARIVS, Gregorij Nanziãzeni frater. Ipse sanctus sermo nostri similis fa- „ ctus est, & vitam inter nos agens, cùm esset quod erat, & cerneretur quod non erat, „ inquit, ad sacrum Apostolorum cœtum panem distribuens, Accipite, comedite de „ hoc omnes, *Hoc est corpus meum*, nondum immolatus carne: &, Accipite, bibite, Hic „ est sanguis meus, nondum vulneratus in cruce per lãceam in latere. Et videmus san- „ ctum illum panem hodiè in ara incruenta, tempore diuini & mystici officij, in im- „ polluta propositum mensã, non tamen similem imagini salutiferi corporis Dei & „ Sermonis: Neque item immisto ipsius sanguini vnà cum pane propositum pocu- „ lum vini: Non membrorum articulatæ distinctioni, non carnali & sanguineæ qua- „ litati, non inuisibili & absconditæ vnitæ cum ipso formæ experiri diuinitati. Illud „ enim sanguinem continet animatum rubrum & articulatum est, & variis arte- „ riis atque venis distinctum, quibus & opifex ille sermo variegatus erat vsque ad „ pilos & vngues. Comam enim Dei voco Christi comam, similiter & pedes & „ vngues, & sanguinem, & aquam. Propter me enim meis vnitus est sermo. Est- *Cæsar. dial. 3. Extat cũ Nanziãzen editione Ioann. Lewuenklay.*

que hoc quidem artubus compositum, incedendi vim habens, & agendi: illud „ autem rotundum, non articulatum, inanimatum, sanguine carens, immobile, & „ neutro simile, non ei qui cernitur & inuisibilis est diuinitate. Credimus nihilominùs secundum sermonem diuinum, etiamsi non sit simile, vel æquale, propriè tamē & conuenienter id esse corpus diuinum, quod in diuina mensa sanctè consecratur, & vniuerso cœtui sacro absque sectione diuiditur, & absque defectu participatur. Neque enim sol desinit indignis lucem prębere, neque mare per salē participatum vsque ad fundum exhauritur, neque ignis infinitas succendens faces languescit, aut minuitur, non deficiente eo quod subest, & flammam excitat: neque item aër omnium animatorum respiratione minuitur. Hic textus, sicut & ille, quem ex Epiphanio in parte citauimus capite huius Repetitionis de verborum Christi proprietate, obscurior est: attamen ratio & disputatio vtriusque scriptoris magnam emphasim habet. Apud vtrumque quæritur, quomodo Christus vel homo, Dei imago dici queat, cùm Deus carnem & ossa non habeat, sicut Christus & homo habēt, & quî fiat, vt Christi membra corporalia Dei esse affirmentur, cùm credatur incorporeus. Vterque respondet, non oportere vt res sit id quod imago est, vel contrà vt imago fiat similis planè, & per omnia exhibens rem ipsam, sed sufficere, si quod res ipsa nō est per naturam, fiat per accessionem alterius, & ex operatione diuina & gratia, & propter coniunctionem intimam, & realem ac veram rei & imaginis, quod vnius est proprium, vel etiam futurum est, attribuatur alteri. Ex quo quamuis quod in persona Christi cernebatur, nihil gereret simile diuinitati, nec diuinitas id esset, quod sub sensum cadebat, nihilominùs ea membra, quæ conspiciebantur in Christo, ascribuntur Deo, vt imago attribuitur rei propter propriam, veram ac realem Dei & hominis copulationem. In exemplum adducunt Eucharistiam, in qua corpus Christi non est, quod rotundæ figuræ videtur, nec quod tale perspicitur, quicquam simile præ se fert corpori Christi, vt erat in statu naturali, & cuius similitudinem & imaginem refert & gerit: attamen propter veram & realem vtriusque coadunationem propriè fit & vocatur corpus Christi. Hæc clarissima est Cæsarij & Epiphanij sententia, in qua quemadmodum & alij comparant. Eucharistiā cum Christo incarnato, & tam propriè ac verè pani formę & figurę rotundæ (vterque enim ita Eucharistiam nominat) inesse carnem Christi asseuerat, quàm diuinitas inerat eiusdem Christi humanitati. Textus Epiphanij sic habet: Habent omnes „ id quod est secundum imaginem, sed non per naturam: Non enim secūdum æqualitatem Dei habent homines id quod est secundum imaginem. Deus enim est incomprehensibilis, & mente apprehēdi non potest, cùm spiritus sit, & super omnem spiritum. Quæ verò ipse decreuit, his non caremus. Verus enim est, qui cum gratia id quod est secūdum imaginem, homini largitus est. Et quot sunt quæ similia sunt. Videmus enim quòd Saluator accepit in manus suas, veluti Euangelium habet, quòd surrexit à cœna, & accepit hæc: & vbi gratias egisset, dixit, *Hoc meum est, Hoc & hoc.* Et videmus quòd non æquale neque simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ, & insensibile quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere, *Hoc meum est Hoc Hoc*, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit id ipsum verum esse, excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus quod est ipsius. Dominum verò nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis largitus est. Epiphanius in his non comparat Eucharistiā cum homine Christo, vera Dei imagine, sed cum quouis homine ad Dei ima-

Epiphan. in Ancorato.

ginem effictо. Quamuis ex natura, seu ex naturalibus proprietatibus non insit homini illa imago, sed ex mera Dei gratia & potentia, qui largitur quæ, & quomodo vult cuique, & quamuis in homine nihil planè simile Deo appareat: attamen eius oraculis de illa imagine fides est habenda, licet (inquam) nihil tale omninò deprehendatur, vel conspiciatur in homine: ac propter certam impressionem factam à Deo in homine, & gratiam collatam supernaturaliter, quæ homini aduenit, & inest, homo dicendus est secundum animam & corpus, imò secundū se totum imago Dei, quamuis nullam perfectam cum Deo similitudinem, imò potius dissimilitudinem ostendat. Exempli causa, Eucharistiam affert, quæ credi debet esse corpus Christi, non per naturam, sed per Dei gratiam & potẽtiam, qui operatur quæ placent in singulis, & eius affirmationi indubitanter credi conuenit, quamuis id quod rotundæ figuræ esse in Eucharistia ante omnium oculos prostat, nihil videatur simile corpori humano Christi: ipsum tamen existere non est dubitādum, quoniam ita prædicetur verbo Dei, & sciamus Deum omnia posse. *Sermon 67.*

PETRVS CHRYSOLOGVS, Rauēnas Episcopus. Ego sum panis qui de cœlo descendi. Ipse est panis, qui satus in virgine, fermentatus in carne, in passione cōfectus, in fornace sepulchri coctus, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœlestem cibum fidelibus quotidiè ministrat. *Variæ significationes, veritatis circa Eucharistiam.*

Quoniam magnæ difficultates enascuntur ex locutione Patrum, qua frequenter asserunt veritatem corporis in Eucharistia, seu in veritate esse vel capi: sciēdum veritatis nomen in hac materia circa corpus Christi variè sumi. Aliquando pro ipsa diuinitate in se ponitur, sicut Augustinus scripsit, veritatem Christi vbique esse, & corpus eius vno loco esse oportere. Aliquando pro participatione non solius carnis de corpore Christi, sed spiritalitatis & diuinitatis, quæ in carne Christi habitat, quā Augustinus nonnunquam appellat corpus Christi in veritate, quemadmodum copiosè disserimus in Repetitione sexta. Aliquando veritatis voce perfectionem consummatam & absolutam appellant, qua in se est, & vel à nobis possidetur corpus Christi, vel qua alia designat. Ita exposuerunt Ambrosius & Augustinus superiùs, cùm ageretur de modo fruendi Christo in sacramento & in cœlo. Et ad eam significationem alludit Augustinus, cùm trādit nō participari corpus Christi in veritate, nisi participetur de eius spiritalitate, vel re etiam ab eo significata, vt etiam latè tractamus in Repetitione sexta. Aliquando, & vsitatiùs, apud Patres veritas corporis Dominici significat naturam, substantiam, & existentiam corporis Dominici, quam ita nominant, vt opponant rebus figuratis, vel locutionibus figuratis de eodem corpore, vel opinioni eorum, qui pro vero corpore Christi phantasma, seu aliquod corpus fictitium de aëre vel pane in statu naturali vel in Eucharistia Christo assignabant, vel vt exprimerent rem, in quam desineret mutatio panis in Eucharistia. Ex triplici illa contentione satis superque perspicitur, quàm expressè & accuratè studuerint Patres naturalis corporis Christi veritatem ac substantiam præsentiamque eius in Eucharistia inculcare & confirmare. Eorum verò in eum finem authoritates legentur in Repetitione tertia, capite De Patribus: in Repetitione quarta, capite De veteri & nouo Testamēto: in Repetitione prima & secunda, De Trāssubstantialitate. Quocircà rectè cōcludit. Leo Magnus Papa, nefas dubitari à Christiano de veritate corporis Christi. Sic enim loquitur: Dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod corde creditur, & frustrà Amen ab illis respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. *Serm 6. de ieiunio. 7. mēsis.*

ALIA DE PATRIBVS, QVIBVS PRAESENTIA corporis in pane confirmatur. CAP. 6.

EX Aduersariis callidiores perbellè ſimulāt nequaquā à Cœna ſe repellere veritatem carnis & ſanguinis Dominici, vel ab eius participatione, ſed à ſolo pane & vino ac ſacramēto. Atqui iam allata omnia & annotata eo tendunt, vt in Euchariſtiæ ſacramenro, ſeu mauis externo pane ac vino, demonſtretur exiſtere & contineri veritas illa corporis & ſanguinis, de cuius præſentia & participatione vidētur aſſentiri ex aduerſariis nonnulli. Inſuper Patres exprimūt In, Cum, Sub pane & vino, corporis illius veritatem adeſſe, & in calice tam verè ſanguinē haberi, quàm olim in pateris Moſaïcis, & quàm fluxit è Chriſti latere, tam verè in altari iacêre, quàm iacuit in præſepi, tam verè ibi contingi, quàm à Thoma & Magdalena poſt reſurrectionem attactus fuit, ac longè intimiùs attrectari & portari, quàm ſi quis purpuræ Regis, aut etiam fimbriæ veſtimenti Chriſti, quam Hæmourrouiſſa prehendit, manus admoueret. Proindè maius crimen incurrere contendunt, ſi quis ſacramentum manibus illotis & impiis ſeu ore ſuſcipiat, quàm ſi per ignominiam purpuram Regi impoſitam contaminet, vel diſcerpat, nec lenius æſtimandum, quā ſcelus Iudæorum Chriſtum ipſum crucifigentium. Beza aliquando eò adducitur, vt ſi dictum legeret à Chriſto corpus exhibitum in pane, & ſanguinem in vino, de eo non liceret dubitare. Nihilominus cùm legit toties verba Chriſti ita à Patribus explicari, perinde ac ſi in illum modum enuntiaſſet, ad regulam redit, vt in pane eſſe corpus ſacramentaliter à Patribus ſignificetur, & figuratiuè vt in ſigno. Sed Patres refutant hoc commentum modis omnibus, quibus pani veritatem, nō figuram ineſſe probant: & in hoc capite Auguſtinus expreſſè damnat Vrbicium, qui non amplius de Chriſti corpore crederet exiſtere in pane Chriſtianorum, vel in altari, quàm in pane Iudæorum & ara. Deinde eas emphaſes ad rei expreſſionem adiiciūt Patres, vt puro figurato pani quadrare nequeant: quas cùm aliter nequeant declinare Aduerſarij, hyperbolas eſſe comminiſcuntur: ſed cùm ea dicendi genera à Patribus adhibeantur in argumentum & probationem fidei ſuæ de Euchariſtia etiam contra repugnanres, vt poſtea narrabitur, impedimento eſt ne putētur hyperbolyca, quæ nullam facerent fidem, cum omnem fidem & veritatem excederent. Nec iſtud effugium Patres latuit, cùm vnus Chryſoſtomus clamet, Tāgitur, tenetur, cernitur, manducatur, ídque fit nulla fallacia, nullis præſtigiis, ſed intuentiū omnium oculis. Cur ergo (inquit Petrus Martyr) ſanguis oculis non ſentirur vel guſtu in calice, quemadmodum ſentiebatur in pateris Moſaïcis? Rationes priùs attulerunt Patres, quare in propria ſpecie non decuerit conſpici, ſeu deguſtari ſanguinem, ſed ſub tegumento, velamine, & ſacramēto, in quo exiſtēs ſanguis velatus tam propriè tamen, atque etiam magis cernitur, quàm Rex purpura veſtitus. Propterea nō verentur Patres affirmare, ſanguinem in calice rutilare, noſtra ora & linguas de eo rubricari, atque alia ſimilia efferre, quibus quaſi ſuis accidentibus ſanguis pręſens deſcribitur, quoniam id agit per aliena accidentia, quæ per ſua ageret, ſi non alienis operiretur & præuenirerur. Vt ſub alienis illis accidentibus verè conſiſtere in pane, calice, altari, manibus & ore ſignificent Patres, vetant ſenſus conſuli in Euchariſtia diiudicanda, ſed fide rem & velamentum diſcerni. Huic diſputationi coniungenda ſunt, quæ de viſione corporis in hoc ſacramento in Repetitione quarta tractamus, & de modis præſentiæ ad caput De diuerſitate locorū in eadem Repetitione. Plura Patrum teſtimonia, quibus caro & ſanguis Domini in altari eſſe, immolari & ſacrificari,

Chryſ. lib. 3. de ſacer.

Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 28. Cypr. de Cœna. Chryſoſt. paſſim.

ficari,& in pane ac calice existere, remittimus ad vltimam Repe. De Transsubstanriatione,quoniam illis innituntur Lutherani,vt doceant panis naturam cum veritare corporis in Eucharistia manere,& ad Repetitiones de Sacrificio.

" TERTVLLIANVS. Eas manus admouere corpori Christi,quibus foris aduer-" sus Deum adorantur idola. Semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie " corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! *Tertull. de idololatr.*

" ORIGENES. Cùm videris introire Gentes ad fidem Ecclesiæ,extrui altaria, nõ " cruore pecudum respergi,sed pretioso Christi sanguine comparari: cùm videris sa-" cerdotes & Leuitas, non sanguinem hircorum & taurorum, sed verbum Dei spiri-" tus gratiam ministrantes: tunc dicito, quia Iesus post Mosen suscepit & obtinuit " principatum,non ille Iesus filius Naue, sed Iesus filius Dei. Hîc Origenes verbum personaliter incarnatum suo propemodum more accipit, nõ pro doctrina Dei, & Euangelij sermone,& illud per Spiritus sancti gratiam & potentiam ex altari ministrari ait populo per sacerdotes & Leuitas Christianos. Ita in Matthæum duplex Dei verbum distinguit: vnum incarnatum, quod super mensam in Eucharistia po-" nitur: alterum, quod in populos per prædicationem spargitur. Nam in verba, *Hoc " est corpus meum, Hic est sanguis meus*, Panis (inquit) iste, quem Deus verbum corpus " suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, verbum de Deo verbo procedens,& panis de pane cœlesti, qui positus est super mẽsam, de qua scriptum est, " Præparasti in conspectu meo mensam aduersus eos,qui tribulant me:& potus iste, " quem Deus verbum sanguinem suum fatetur, verbum est potans & inebriãs præ-" clarè corda bibentium, qui est in poculo, de quo scriptum est, Et poculum tuum " quàm præclarum est. *Origen. ho. 2. in Iosue.* *Orig. in cap. 26 Matth.*

" CYPRIANVS. Nec potest videri sanguis eius,quo redempti sumus & viuificati, " esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scri-" pturarum omnium testimonio ac sacramento prædicatur. Arripiunt Aduersarij vi-no sanguinem ostendi,quasi sanguis nõ sit,sed vinum sanguinis figura. Sed Cyprianus palàm asserit sanguinem vino ostensum,& figuratum,quo sumus verè redempti,esse in calice, & eius existentiam ostendi vini specie, quæ si desit, defuturum quoque sanguinem in calice. Eam fuisse mentem Cypriani declarant, quæ postea multis verbis de oblato corpore & sanguine in Cœna à Christo persequitur. *Cypr. epist. ad Cæcil. contra Aquarios.*

" Alibi. Quicunque ederit panem hunc,& biberit calicem Domini indignè, reus " erit corporis & sanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infer-" tur corpori eius & sanguini, & plus modò in Dominum manibus atque ore delin-" quunt, quàm cum Dominum negauerunt. *Serm. de lapsis.*

" CONCILIVM primum Nicenum. Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ " ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλὰ ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν, τῇ πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱε-" ρᾶς τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον· καὶ τὸ " τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας καὶ ἀνα-" στάσεως σύμβολα. Græcè exscripsimus de Tonstallo Anglo, pio ac docto Catholico, propter Oecolampadium & Caluinum,à quibus citatur,& deprauatur. Sic Latinè ad verbum transfertur. In diuina mensa ne demissè & abiectè intendamus cõsiderationem in panem & calicem coràm posita. Quin potius cogitatione nostra sursum erecta fide intelligamus positum esse in sacra illa mẽsa Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui sine mactatione à sacerdotibus immolatur, ac pretiosum eius corpus & sanguinem verè sumẽdo, credamus esse hæc nostræ salutis & resurrectionis symbola seu pignora. Oecolampadius dictionẽ ἀθύτως malè interpretatur, quasi Sine sacrificio significet, cùm tamen textus ferat sacrificari & immolari in altari à *Extant apud nõnullos Græcè διάταξις, in Acta Cõcilij Niceni.*

sacerdotibus ἀθύτως quod Sine sacrificio exponi non potest, quia textus repugnat, à quo immolari & sacrificari Agnus pronũtiatur ἀθύτως. Ideo vt à reliquis Patribus in eadem materia explicatur, non indicat Sine sacrificio, sed Sine mactatione: θύειν enim mactare designat. Corrumpit etiam vocem Symboli, quasi pro signo corporis loquatur, cùm tamen exprimat Synodus verè à nobis sumi pretiosum corpus in altari immolatum, & esse arram ac pignus nostræ salutis, quæ virtus signo nudo & figuræ corporis nequit attribui. Atque ita Optatus hoc capite allatus, de illa Synodo symbolum resurrectionis, videtur vertere in pignus salutis & resurrectionis, quasi imitetur dictum Synodi. Cęterùm Synodus illa decretum hoc edidit contra Origenistas, opinantes cum Aduersariis tanquam indignum Deo res diuinas in Sacramentis, & elementis terrenis nobis distribui, quemadmodum Theophilus Alexandrinus innuit à Synodo promulgari sacramenta Eucharistiæ & baptismi (nam de his duobus ordine sancitur) duabus rebus constare, vna terrena, altera cœlesti, vtramque iacere in altari, & versari coram oculis, non autem ex sensu de vtraque iudicandum, nec immorandum in specie exteriori, sed fide interiùs perspiciendum quod fit & manet in altari, nempè Agnus, qui in altari immolatur incruentè, & immolatus sub forma terrestri panis in eodem iacet. Oecolampadius & Caluinus aiunt nos moneri à Synodo, vt fidem & mentem abducamus à re proposita, & transferamus sursum in cœlum: sed falsum est, cùm iubeamur attẽdere Agnũ, qui arcanè immolatur in altari, & reponitur.

Cyrill. Hierosolymitan. Catech. 4. mysta. 90.

Hunc esse sensum Synodi ex intentione directa contra Origenistas & Manichæos cognoscitur, & ex Cyrillo Hierosolimitano, qui Synodo Nicenæ interfuit, & hunc canonem, sicut alium de Baptismo, quasi quadam paraphrasi interpretatur, quę sic habet: Ne consideres tanquam panem nudum, & vinum nudum. Corpus enim est & sanguis Christi, secũdum ipsius Domini verbum. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerat, tamen fides re confirmet, ne ex gustu rem iudices: quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio esse tibi donata corpus & sanguinem. Pro certissimo habe, panem qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum quod à nobis cõspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi. In quarta Repetitione, capite secundo reperietur canon de baptismo, cum simili periphrasi Cyrilli Hierosolymitani, vt facilè agnoscas ipsum ad decreta illius Synodi allusisse.

Ambros. in cap. 10. ad Hebr.

AMBROSIVS. Christus sacerdos est propter carnem quam assumpsit, aut propter victimam quam pro nobis offerebat, à nobis susceptam, de qua ait, nisi manducaueritis carnem filij hominis: sed in ista carne & sanguine nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, sed viuificatricem substantiam atque salutarem in pane & vino, per quæ, si dignè sumantur, nobis est peccatorum remissio.

Lib. 4. De sacr. cap. 5.

Et, Calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.

Lib. 2. officio. 28.

Cùm pro captiuorum redemptione distrahuntur calices sacri, agnosco sanguinẽ Christi infusum auro, non solùm irrutilasse, verùm etiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere.

Optat. lib. 6. cõtra Parmenianum.

OPTATVS MILEVITANVS. Quid tam nefarium, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis frangere, radere, remouere, in quibus vita populi & membra Christi portata sunt, quo postulatus descendit Spiritus sanctus, vnde multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei ac spes resurrectionis accepta est. Quid est altare, nisi sedes sanguinis & corporis Christi: Si liuoris iudicio nos vobis sordi-

di

di videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illuc per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Dum impiè persequitur manus nostras illic vbi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in cruce, à vobis percussus est in altari. Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores: quorum species reuocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores voluistis eligere sacrilegi, dum inconsideratè vendidistis.

ATHANASIVS. Mysticum autem poculum, quod impium eum reddit, qui id vltrò frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ Præsides inuenias. Hic enim vnus vsus est calicis, & præter eum alius nullus, eóque solo vos legitimo ritu propinatis populo, eúmque vos pro canone Ecclesiastico accepistis, idémque duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesiis præsunt. Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi, & præterea nullius. Cæterùm vt impius est, qui hunc mysticum calicem frangit, ita multò magis impius est, qui sanguini Christi contumeliam facit, Contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur.

Athanas. Apol. 2.

HIERONYMVS. In opere tuo vtilitatem spectauimus Ecclesiarum, vt discant, qui ignorant, eruditi testimoniis scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrósque calices & sancta velamina, ac cætera quæ ad cultum dominicæ passionis pertinent, non quasi inania & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio sanguinis & corporis Domini eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda. Hic cum Theophilo fert sententiam contra Origenistas, existimantes terrena omnia, nec sanctitatis vllius, nec vllius venerationis capacia. Hieronymus contrà asserit venerationem mereri, & quadam sanctitate imbui, propter præsentiam & existentiam in ipsis corporis & sanguinis Domini.

Hier. epist. ad Theophil. Alexandr. extat ante libros Theop.

GREGORIVS NISSENVS. Panis item panis est initio communis: sed vbi eũ mysterium sanctificauerit, corpus Christi & dicitur, & est. Eodem modo vinũ: quum sint res exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationem quæ à Spiritu sancto procedit, vtrumque eorum excellenter operatur.

Niß. de Baptis.

GREGORIVS NANZIANZENVS.

O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes!
O magnum figmentum Dei in manibus portantes!

Gregorius Nãzianz. in carminib.

IN funebri Oratione de sorore Gorgonia narrat, ipsam Christi corpus & sanguinem in altari posita adorasse & inuocasse, tetigisséque cum muliere hæmourrouissa, & lachrymis cum Magdalena irrigasse, ac tandem oculis, sicut præsentissimum remedium cõtra morbum admouisse. Textus citabitur in Repetit. De adoratione.

Nanzianz. in Orat. fun. De Gorgonia.

AVGVSTINVS, sicut antea diximus, probat ad literam & verè Christum portasse in manibus ipsum corpus suum: & apud eum Vrbicius quidam dicebat omnia vetera transisse, atque alia pro ipsis successisse, vt ara cederet altari, gladius ieiunio, precibus ignis, pani pecus, poculo sanguis, atque ita in Eucharistia pro carne & sanguine panem esse & vinum. Ita eum redarguit Augustinus: quid ait cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem? Quãtò ergo melius & congruentius diceret vetera transisse, & omnia noua in Christo facta esse, vt cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini!

August. in Psal. 33. conc. 1. & ep. 80.

Et, Hoc accipietis in pane quod pependit in cruce, & hoc accipietis in calice,

Serm. ad Neo-

phyſ. Citatur à Beda in cap. 10. 1. ad Cor. et lib. 3. de Trinit. ca. 10.

quod eſt effuſum de Chriſti latere. Et, illum liquorem de Chriſti latere fluxiſſe.

Auguſt. tract. 47. & 84. in Ioann.

Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapienter intellige quæ apponuntur tibi, & mitte manũ tuam, ſciens quia talia te oportet præparare. Menſa potentis quæ ſit, noſtis, vbi eſt corpus & ſanguis Chriſti: qui accedit ad talem menſam, præparet talia. Et quæ menſa potentis, niſi vndè ſumitur corpus & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis. Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere, quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare?

Aug. lib. 9. Confeſſ. cap. 13.

Mater tantummodò memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat nobis contrarium.

Chryſoſt. hom. 83. in Matth. Eadem. Oecumen. in cap. 11. 1. ad Corinth.

CHRISOSTOMVS. In veteri Teſtamento poſt ſacrificium ſanguinem in calice accipiebant, & ita ſacrificabant. Pro ſanguine brutorum ſanguinem ſuum in calicẽ induxit, & meminit noui Teſtamẽti, vt opponeret ſanguini veteris Teſtamẽti.

Hom. 24. in 1. ad Corinth.

Et quod eſt in calice, id eſt, quod è latere fluxit, & illius nos fecit participes.

Chryſ. hom. in Encenus.

Alibi populum ita increpat: Menſa myſteriis inſtructa eſt, & Agnus pro te immolatur, ſanguis ſpiritalis ex ſacra mẽſa refluit. Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, & non erubeſcis, neque tibi Deum propitium facis.

Chriſ. ho. 7. in Matth. ho. De S. Philogonio, & hom. 24. in 1. ad Corinth.

Hoc corpus in præſepi reueriti ſunt Magi, & viri impij & barbari. Tu non in præſepi, ſed in altari: non mulierem quæ in faſciis teneat, ſed ſacerdotem præſentem, & ſpiritũ ſuper propoſita ſacrificia diffuſum vide. In cœlis regium corpus, quod nunc tibi in terra videndum proponitur. Hæc menſa vicem explet præſepis, in quo natus eſt Chriſtus. Nam & hic ponitur corpus dominicum, non quidem faſciis tunc inuolutum, ſicuti tunc, ſed vndique Spiritu ſancto conueſtitum.

Collationem cum fimbria attrectata à muliere hæmourrouiſſa, & cum purpura regia, tam ex Chryſoſtomo quàm ex aliis congeruntur in Repetit. De adoratione.

Cyrill. Alex. epiſt. ad Caloſyr.

CYRILLVS ALEXANDRINVS, vt communiter citatur. Decebat eum quodammodò noſtris vniri corporibus per ſacram eius carnem & pretioſum ſanguinem, quę accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino, quę ſubiungit cõuerti in veritatem carnis & ſanguinis, & imponi ſacris altaribus.

Cyrill. lib. 12. in Ioann. cap. 58.

De Thoma ad diſciplinam noſtram narratur hiſtoria: Animaduerte quia diligẽter addidit, Poſt dies octo. Diem octauum, dominicum diem eſſe neceſſe eſt. Iure igitur die octauo ſanctæ congregationes in Eccleſiis fiunt, & foribus ſublimiore modo clauſis, viſibiliter ſimul atque inuiſibiliter Chriſtus omnibus apparet, inuiſibiliter quidẽ, vt Deus, viſibiliter autem in corpore. Prębet enim nobis carnẽ ſuam tangendam, vt firmiter credamus, quia verè templum ſuum ſuſcitauit.

Theodor. Ser. 10. De Prouidentia.

THEODORETVS teſtatur Chriſti corpus in præſepi editum, transferri in ſacram menſam, vt nobis fiat præſepe, atque ita loquitur: Chriſtus materna vbera vt nos ſugit: in præſepi brutorum animantium menſa ponitur, ſimul hominum brutam & ratione carentem naturam accuſans, & ſuum erga homines amorem manifeſtans, quòd cùm ipſe nutritor ſit Deus ſecundum humanitatem, hominum cibus fit, qui magna & brutali ignoratione laborabant. Nunc vero cum brutorum ignorationem humana natura abiecerit, hunc myſtica menſa excipit, illius præſepij typus facta, diuinum illum & ſpiritalem cibum ſuſcipit. Poſtquàm verò in ſeipſam tranſiit natura, & imaginem diuinam circumiacere cognouit manifeſte, tũc poſtea ſuper rationalem menſam cibus ille tranſiuit.

In ca. 11. 1. ad Corinth.

Erit reus corporis & ſanguinis Domini. Hoc ſignificat, quòd quemadmodum

tradidit

tradidit ipsum Iudas, ipsi autem insultarunt, & eum probris & conuitiis affecerunt Iudæi: Ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum atque incestum os immittunt.

Aduersarij tot testimoniis Patrum vnum Chrysostomi adulterinum audent opponere, quod ita habet: Si vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre peccatum est, & periculum, sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacris, de regno depositus est, & de vita. Si hæc ergo vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum Christi corpus, sed mysterium corporis eius continetur: quanto magis vasa corporis Christi, quæ sibi Deus ad habitaculum præparauit: non debemus dare locum diabolo agendi in eis quæ vult. Caluinus in primæ editionis suæ præfatione locarat textum hunc, vt insigniorem, sed in posterioribus omisit: quia propius inspectus, de veteribus templi loquitur tum vasis, tum mysteriis. Deinde quamuis non esse Commentarios illos Chrysostomi ex multis animaduertatur, attamen in ipsis piè docetur de hoc sacramento, cùm de manu sacerdotis scribitur hîc dari, & sumi, non id modò quod videtur, sed & quod intelligitur, non solùm sanctificatum, sed & sanctificationem ipsam, quam non aliam dicere licet, quàm Christum ipsum, qui factus est à Patre nobis sanctificatio. Atque alibi Chrysostomus passim non dubitat vasis inesse corpus & sanguinem Domini: vt quando ait, non aureum fuisse calicem, quo Dominus discipulis suis sanguinem suum præbuit. Et quando comparat vasa capientia corpus Christi & animam nostram, ponítque eam differentiam, vt vasa non participent de rei contentæ puritate & sanctificatione, sicuti anima. Quin perspicis (inquit) vasorum venerandam supellectilem sic vndique tersam, aquis perfusam, & tanto splendore refulgentem? Atqui his par est nobis animas esse puriores, sanctiores, & virtutum ornamentis splendidiores. Cur id tandem? Illa siquidem nostri causa talia fiunt, alioqui eius qui in-est, eiúsque virtutis inhabitantis non capacia, nec sentientia, nos autem certè maximè.

Chrys. hom. in Oper. imperf. in Matth.

Chrysost. 27. eiusd. oper.

Chris. hom. 3. ad Ephes. et 61 ad popul. Antioch.

S. NILVS, Chrysostomi discipulus, à magistro nihil discrepat. Post inuocationem (inquit) illam tremendam, & aduentum Spiritus sancti viuifici, non iam nudũ panem, & commune vinum, sanctæ illi mensæ imposita credimus esse, sed corpus & sanguinem pretiosum Christi, quæ eos purgant, & hæredes vitæ sempiternæ faciunt, qui cum timore & desiderio communicant.

Citatur à Frãcisc. Turrian. li. 4. cap. vlt. De canonib. Apostolicis.

CAPITA DE CORPORALI MANDVCATIONE *carnis, & sanguinis Dominici in Eucharistia.*

1. DIVINITATEM edi non posse. In hac Repetit. & aliàs.
2. Oportuisse filium Dei incarnari, vt fieret cibus hominum. In hac Repetitione.
3. Tam verè bibi à Christianis sanguinem, quàm eius potus Iudæis interdicebatur. In hac Repetit.
4. Corpus Christi nõ solo corde vel fide, sed ore excipi. In hac Rep.
5. Dentibus frangi, & atteri. In quinta Repetit.
6. Christi corpus non tamen imminui vel consumi. In quinta & sexta Repet.
7. Dæmones non posse edere Christi corpus, quia corpore careant. In hac Repet.
8. Christi corpus edi in veritate, corporaliter, naturaliter, substantialiter, nec tantũ spiritaliter, seu per fidem. In quinta & sexta Repet.
9. Idque esse necesse propter diuersos effectus, quos manducatum in nobis ope-

ratur. In Repet. quinta.

10. Ab indignis tam verè edi & realiter, quàm à piis, quamuis non ita ſpiritaliter. In quinta Repetit.
11. Varios modos eſſe edendi. In quinta & ſexta Repet.
12. Aliter participari in verbo, aliter in baptiſmo, aliter in Euchariſtia. In ſexta Repetit.
13. Ex criminibus obiectis Chriſtianitati per Iudęos & Gentiles, atque ex deprauata per hęreticos Euchariſtię adminiſtratione, ac Catholicorum reſponſionibus, & obſcurioribus præfationibus & explicationibus. In hac Repet.
14. Ex miraculis quæ circa Euchariſtiam contigerunt. In hac Repetit. & aliis.

DE MANDVCATIONE CORPORALI PASSIVE & actiuè. CAP. 7.

SI ſpiritaliter tantùm per fidem caro Chriſti manducationi ſubiiceretur, malè Neſtorius obiecisset toties Catholicis diuinitatem edi non poſſe, & de carne, non de diuinitate dici, Qui mãducat meam carnem. Quid enim prohibet diuinitatem per fidem ſpiritaliter participari? At quoniam non de ſpiritali eſu ſolo verba fecit Chriſtus in ſacramento, rectè Cyrillus & Epheſini Patres reſponderunt diuinitatem in ſe eſui non proponi, de quo ageretur in Euchariſtia, ſed carnem diuinitati coniunctam. Ideò neceſſarium fuiſſe filium Dei incarnari, vt mandi poſſet. Proinde non per fidem duntaxat Chriſtum, ſeu corde excipi, ſed manibus & ore, atque corporis domo, ſicut à Zacheo & Centurione exceptus fuit, atque ideò dæmones nõ fieri poſſe participes corporis & sãguinis Dominici quia corpore careãt.

Cyrill. epiſt. ad Theodoſ. imper. et in Reſp. ad Anathem. 11.

CYRILLVS. Viuificat nos vt Deus: veruntamen non in ſolo hoc, quod particeps eſt Spiritus ſancti, ſed & manducabilem apponẽs aſſumptam carnem filij hominis. Quamuis verum ſit, quòd non deſcenderit quidem de cœlis caro, ſed fuerit ex virgine ſecundum ſcripturas, non eſt tamẽ eſibile verbum, niſi in vnum carnem & verbum collegiſſet ſecundum diſpenſatiuam vnionem.

Niſſ. in vita Moſis.

GREGORIVS NISSENVS. Panis eſt abſque ſemine, abſque aratione, abſque alio humano opere nobis paratus. Hic deſuper defluens in terris inuenitur. Panis enim, qui de cœlo deſcendit, qui verè cibus eſt, qui ænigmaticè hac hiſtoria de Mãna ſignificatur, non incorporea quædã res eſt. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet, res verò quæ incorporea non eſt, corpus omninò eſt: In eũdem ſcopum antea produximus Auguſtinum, capite De cauſis exiſtendi in ſacramento: & Theodoretum, cap. De exiſtentia in pane & altari.

Ambroſ. De obitu Satiri fratris.

AMBROSIVS de vtraque manducatione ſimul: Nam qui tãtum myſterij inuoluti in orario præſidium fuiſſet expertus, quantum arbitrabatur, ſi ore ſumeret, & toto pectore hauriret arcano: quam maius putabat fuſum in viſcera, quod tantum ſibi tectum orario profuiſſet.

Lib. 2. cap. 9. in Aduerſar. Legis & Prophet.

AVGVSTINVS. Sicut mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum, carnem ſuam nobis manducandam, bibendúmque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus.

Auguſt. epiſt. 118.

In recipiendo ſacramẽto faciat vnuſquiſque, quod ſecundũ fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Non enim exhonorant corpus & ſanguinem domini, qui ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt. Non enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zacheus & ille Centurio, cùm alter

eorum

eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum:alter dicit,Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes diuerso & quasi contrario modo,ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiã ad hanc similitudinem, quòd in primo populo vnicuique Manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, sic in ore cuiusque Christiani sacramentum illud quomodo sumatur,æstimandum. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut Manna fastidium.Indè enim & Apostolus indignè dicit ab eis acceptum, qui hoc non discernebãt à cæteris cibis,veneratione singulariter debita.Cõtinuò quippè cùm dixisset,Iudicium sibi manducat & bibit, addit,vt diceret, Non diiudicans corpus Domini.

CHRYSOSTOMVS.Cogita quid manu capias,nec vnquam vllum verberare *Chrisost. hom.* audeas. Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni auaritia liberam conserua. *12. Ad populũ Antioche. &* Reputa quòd non tantùm manu capias,verùm & ori admoueas, & linguam custo- *27. in 1. ad Cor.* di à contumeliis mundam, ac turpibus verbis. Rursum animaduertens, quòd post manum & linguam cor suscipit horrendum illud mysterium,ne vnquam in proximum sumas dolum,sed mentem tuam ab omni malitia mundam conserua. Hic ait id quod in os ingreditur,etiam in cor & animum ingredi:vt quæ sit substantia in illo mysterio contenta,animaduertas.

Ex Leone Papa priùs allegauimus: Hoc ore sumitùr quod corde creditur: *Leo serm. 6.* & frustrà ab illis Amen responderi, à quibus contra id quod accipitur, dispu- *mens. 7.* tatur.

Ex eodem est: Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm *Serm. 14. De* vt in id quod sumimus, transeamus,& in quo mortui & cõresuscitati sumus, ipsum *passione.* per omnia & spiritu & carne gestemus.

Ex Theodoreto,capite superiori, corpus Christi in sceleratum os immitti transcripsimus,& eiusdem generis locutiones plerunque occurrunt in Patribus.

GREGORIVS Papa.Quid sit sanguis Agni,non iam audiendo, sed bibendo *Greg. hom. 22.* didicistis,qui sanguis super vtrunque postem ponitur,quando non solùm ore cor- *Pasch.* poris,sed etiam ore cordis hauritur.

THEOPHYLACTVS. Cùm Dei nos templum præferimus,os quidem quod *Theophylact. in* est huius templi vestibulum,deosculamur: per idipsum prætereà Christus ingredi- *ca. 13. 2. ad Cor.* tur,cùm sacrosanctum sumitur corpus.

De similibus Patrum testimoniis,in quinta & sexta Repetitio.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS Origenem confutat,opinantem dæ- *Lib. 2. Pasch.* mones salutis capaces, ex eo quòd oporteret etiam illos esse aptos ad suscipienda salutis remedia,in quibus excellit ipsa Eucharistia corporis & sanguinis Dominici, cuius non sunt illi capaces,corpore destituti. Textus habet:Consequens est,vt qui priora susceperit, suscipiat & quæ sequuntur: & qui pro dæmonibus dixerit Christum crucifigi,ad ipsos quoque dicendum suscipiat,*Hoc est corpus meum: & Accipite, bibite,Hic est sanguis meus*.Si enim & pro dæmonibus crucifigitur,vt nouorum dogmatum assertor affirmat,quod erit priuilegium,aut quæ ratio, vt soli homines corpori eius,sanguiníque communicent,& non dæmones quoque,pro quibus in passione sanguinem fuderit?

TAM VERE BIBI SANGVINEM IN NOVO TEstamento,quàm interdicebatur in veteri lege: & de criminibus fictis in Christianos,quasi Antropophagiam exercerent: atque hæreticorum peruersa imitatione circa Eucharistiam. CAP. 8.

PRÆTEREA Patres plerumque affirmant corpus Christi in veritate, ac re vera manducari: quod ex tertia Repetitione, cap. De Patribus, & de quarta, capite De veteris ac noui Testamenti sacramentis, atque ex quinta, capite primo, & ex sexta, cap. De Patribus, cùm opus erit, requiri debet: Sanguinem verò tam verè affirmant bibi in sacramento hoc, quàm vetabat lex Mosaica potari. Propterea cùm à gentibus accusarentur Christiani de Anthropophagia, quasi infantem suis in mysteriis discerperent, & facta visceratione cœnam Thyestæam appararent, Christiani vel ita negant factum, vt de suis mysteriis altum agant silentium: vel ingenuè fatentur à se carnem comedi, sed modum explicant, non ex fide sola, quod passim prædicare & euulgare satisfecisset Gentilibus, sed arcano quodam modo in pane, quod Ethnici calumniabantur, & hæretici quasi verba Christi magis quàm veri Christiani ad rem & veritatem conferrent, sic insana cacozelia emendabant, vt veram carnem & sanguinem variis modis sine velamine & sacramento proponerent. Postremò ne offenderentur ad commemorationem manducatæ carnis, & epoti sanguinis Ethnici, & catechumeni nondum doctrina Christianorum satis imbuti, cauent Patres consultò plenè & apertè, nisi cùm coguntur, explanare quid esset, & quid ederetur in mysteriis Christianorum. Quòd si sola fide & spiritaliter manducationem carnis & potum sanguinis sensissent exerceri, quid fuisset periculi vel scãdali enarrare quibuscunque, & passim, atque vbique? Ex quo facilè conijcitur, ab ipsis esum talem intellectum fuisse, qui à solis initiatis, & iam mysteriorum cõsciis, sine offensione ferri posset.

Ambros. orat. 1. præparatoria ad Missam.

AMBROSIVS. Vbi caro tua in veritate sumitur, sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summa imis iunguntur, vbi adest præsentia sanctorum Angelorũ, quanta cordis cõtritione, lachrymarũ fonte celebrandũ diuinum hoc est cœleste sacrificium.

Orig. ho. 16. in Num. Chrys. ho. 18. in 2. ad Corinth.

ORIGENES. Quis est iste populus, qui in vsu habet sanguinẽ bibere, cùm tã validis præceptis cibus sanguinis interdicatur à Deo? Sed populus Christianus, populus fidẽs, audit hęc & amplectitur, & sequitur eũ qui dicit, Nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitã in vobis. Dicimur autem bibere sanguinẽ Christi, non solùm ritu sacramentorum, sed & cùm sermones eius recipimus.

August. quæst. 58. in Leuitic.

AVGVSTINVS. Cùm Dominus dicit, Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis: quid sibi vult, quòd à sanguine sacrificiorũ, quę pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificiis vnũ hoc sacrificiũ significabatur, in quo vera fit remissio peccatorũ, à cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortamur, qui volunt habere vitam?

Cypr. de Cœna.

CYPRIANVS. Noua est huius sacramẽti doctrina, & scholæ Euãgelicę hoc primũ magisteriũ protulerũt, & doctore Christo primũ hæc innotuit mũdo disciplina, vt biberẽt sanguinẽ Christiani, cuius esũ legis antiquę authoritas districtissimè interdicit. Lex quippè esum sanguinis prohibet: Euangeliũ pręcipit vt bibatur, &c.

Tertull. in Apologet. ca. 7. & 9.

TERTVLLIANVS. Dicimur sceleratissimi de sacramẽto Infanticidij, & pabulo indè & post conuiuium incesto. Qui ista credis de homine, potes & facere. Tu homo es, & ipse quod & Christianus. Excipe rudẽ sanguinem, eo panem tuũ, satia, vescere libẽter. Quod si non potes facere, non debes credere. homo est enim Christianus, quod & tu. Sed ignorantibus (aiunt) subijcitur & imponitur: nihil enim tale de Christianis asseuerari sciebant. Obseruandum vtique sibi, & omni inuigilantia inuestigandum. Atqui volentibus initiari moris est, vt opinor, priùs patrem

illum

„ illum sacrorũ adire: quæ præparanda sint describere: tum ille infans tibi necessarius „ adhuc reneo, qui nesciat mortem, sub cultro tuo rideat. Item panis, qui sanguinis „ virulentiam colligat. Hæc quò magis refutauerim, à vobis fieri ostẽdam, partim in aperto, partim in occulto, per quod forsitã de nobis credidistis. Infantes pœnes Africam Saturno immolabantur palàm vsque ad Consulatum Tiberij, &c.

Falsum illum rumorem de Infanticidio sparsum à Iudæis existimat primùm Origenes, quem ad gentiles propagarint. Initiò verò inquisitum fuit, an Christiani talia portenta designarent: sed compertum nihil horum ab ipsis admitti, vt eorum innocentiæ Plinius Secundus hac ad Traianum epistola attestatur: Solenne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideò nescio, quid & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Interim in his qui ad me deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogaui ipsos an essent Christiani. Confitẽtes iterum ac tertiò interrogaui, supplicium minatus. Perseuerantes duci iussi. Neque enim dubitabam qualecunque esset quod faterentur, pertinaciã certè & inflexibilem obstinationem debere puniri. Affirmabant autem hanc fuisse summã vel culpæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem cõuenire, carménque Christo quasi Deo dicere secum inuicem: séque sacramento nõ in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerẽt, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursúsque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. Quò magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormẽta quærere. Sed nihil aliud inueni quàm superstitionem prauam & immodicam: ideóque dilata cognitione ad consulendũ te decurri. Visa est enim mihi res digna cõsultatione, maximè propter periclitãtium numerũ. Plinius quidem de Agaparum cibo loqui videtur, qui post Cœnam Dominicam ad charitatem inter Christianos magis ac magis confirmandam exhibebatur: attamẽ aliquid etiam audierat de cibo religionis causa proposito, quem etiã agnoscit innocuum, sed superstitiosum præter modum reputat, quoniã non intelligebat vim eius & naturã. Nec solùm fama, quæ de esu carnis in sacramento Christianorũ percrebuerat, Gentilibus illam pariebat suspicionem, sed Simonianorum libidines adauxerãt: & quoniã apud prouincias Põti promiscua libido, & parentum cadauera cum pecudibus cæsa in cõuiuio deuorandi mos etiam tẽpore Christianorũ retinebatur, vt Tertullianus libr. 1. in Marcionem narrat, in ipsis perperàm effecti Christiani immanitatem illã non exuebant, sed sacris de carne Christi accommodabãt, quasi magis veritatẽ verborum Christi exprimentẽ, quàm faceret mystica manducatio. Indè prodierunt impuri Gnostici & Cataphryges, qui Bacchanalia, quã olim fuerãt, turpiora instituerunt, cùm se tamen Christianos esse profiterẽtur, & infanda illa sua mysteria Christianæ Cœnæ & Synaxeos nomine ornarẽt, quemadmodũ apud Epiphaniũ legitur. Eadem omnibus Christianis aduersarij mox affinxerũt, siue errore quodam, siue potius malitia. Nam & Epistola vetus Ecclesiæ Lugdunensis scripta temporibus Antoninorum, recitat ab iis subornatos esse quosdam Christianorum seruos, atque etiam in tormentis coactos, vt affirmarent in Christianorum cœtibus esse Thyestæa cõuiuia, & Oedipodis incestus. Iustinus propter Marcionitas, & Simonis Magi asseclas, calumniam illam in omnes Christianos emanasse ostendit, & per illos, sicut antea per idololatras, Eucharistiam à Satana infamari & vitiari. Omnes (inquit) qui ab his prodeunt, quemadmodum diximus, Christiani vocantur, haud aliter atque Philosophis, cùm eis non sint communia dogmata,

Orig. lib. 6. in Cels.

Euseb. lib. 5. cap. 1.

Iustin. Apol. ad Antonin. & Apolog. ad Senatum.

quod tamen à Philosophia dicitur, commune omnibus est nomen. An verò hi infamia illa, & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus, facinora in se admittant, lucernæ euersionem, promiscuos cõcubitus, & humanarum carnium visceratione, nescimus. Persecutione quidem eos non expeti, neque occidi à vobis, ob ipsa etiam dogmata sua scimus. Quæ crimina vt à Christianorum mysteriis depellat, ne quidẽ ab his exponi infantes & paruulos commemorat: quanto minus necari, & cuius caro fiat Eucharistia, ac quomodo, commemorat, atque affectatam, à Diabolo apud idololatras prauam eius vmbram, sicut apud hæreticos Marcionitas, ita concludit: Hoc etiam in misteriis Mithræ fieri docuerunt per imitationem praui dæmones. Quòd namque panis & poculum aquę ponatur in sacrificiis eius, qui initiatur, verbis quibusdam additis, aut certè scitis, aut cognoscere potestis. Durauit illa de Infanticidio calumnia constra Christianos pluribus seculis, quoad palàm & publicè ac passim eorum celebrarētur mysteria, sicut ex Arnobio perspicitur, qui vixit paulò ante Constantinum Magnum, apud quem Cecilius leguleius in Christianos ita

Arnol. lib. 8. debacchatur: Iam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quàm nota est. Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuitur. Is infans à tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus prouocato, cæcis occultísque vulneribus occiditur: huius prô nefas, sitienter sanguinem lambunt, huius certatim membra dispertiunt: hac fœderantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur: hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora.

Ad horrenda illa sacra Gnosticos impulit, non verborum Christi proprietas, sed ad sensum humanum applicatio, vt sicut corporaliter sentiebatur panis, ita sentiretur pane seu farre obtecta caro infantis, & punctim sanguis eliceretur, sicut apud Epiphanium est: quasi verba Christi de carne & sanguine veritatem suam & proprietatem non haberent, nisi ipsa caro & sanguis ad sensum apparerent, & gustum afficerent. Hos non aliter verbis Christi fidem adhibuisse, nisi res sub sensum ponerent, testatur etiam Ireneus de Marco hæretico, qui per Magiam simulabat se verum Christi calicem sacrare, & exhibere, si veri sanguinis aspectum daret, potiùs quàm naturam & substantiam. Pro calice (inquit) vino mixto fingẽs se gratias agere, & in multum extendens sermonem inuocationis, purpureum & rubicundum

Iren. lib. 1. apparere facit, vt putetur ea gratia ab his quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per inuocationem eius, & valdè concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, vt & in eos stillet quæ per Magum hunc vocatur gratia. Ex his apertè colligitur, quæ fuerit fides Christianorum, hæreticorum, & gentilium à principio de veritate Eucharistiæ, vt in ea non spiritaliter tantùm degustaretur caro vera, sed re ipsa: sed discrepabant, quòd Christiani non eo modo existere, aut mandi carnem veram in sacramento crederent, quo alia caro esse & manducari solet: gentiles verò & hæretici non alium cogitarent, quàm sensibilem & cruentum: atque in eo cum illis conueniunt nostri Aduersarij, quòd nec ipsi alium intelligere aut concipere queunt, & volũt. Quoniam modus ille mysticus, realis & verus à solis fidelibus apprehendi potest, ipsis solis de Eucharistia doctrinam committebant Christiani: infidelibus autem, vel nõdum satis in nostra Religione institutis, reticebant: ac ne detegeretur, etiam fidelibus publicè de illa eloquebantur, vel scribebãt tantùm per admonitionem quandam, nisi maxima necessitas aliud suaderet: ísque mos cœpit ab Apostolo Paulo, qui ne cogatur plura de Eucharistia tradere, fideles

1. ad Cor. ca. 10. monet, Vt prudentibus vobis loquor: vos ipsi intelligite quæ dico. Vnde Origenes

Orig. ho. 9. in Leuit. ait: Nouit qui mysteriis imbutus est, & carnem, & sanguinem verbi DEI. Non ergo immoremur in his, quæ & sciẽtibus nota sunt, & ignorantibus patēre non possunt.

„ Ex eadem causa Theodoretus scribit: Quid appellas donum, quod offertur ante „ inuocationem sacerdotis? Respondet Orthodoxus: Non oportet apertè dicere. Est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos. Propterea passim interfantur Augustinus, Chrysostomus, atque alij: Norunt qui initiati sunt, Norunt fideles, &c. *Theod. dial. 2. Polymorph.* *Aug. in Psal. 21. &c. Chrysost. ho. 51 & 61 ad pop. Antioch.*

EX MIRACVLIS. CAP. 9.

QVEMADMODVM Christus variis signis & portentis veritati de singulis Articulis fidei attestatus est, quando ac quomodo placuit, ita nec ad comprobandam de Eucharistia doctrinam, & miraculis tanquam sigillis quibusdam obsignandam defuit, nec vlla ætate sine testimonio dereliquit semetipsum, quin se ibi præsentissimum esse contestaretur per opera supernaturalia. Non omnia quidem, quæ de antiquitate colligi possunt, hîc recensebimus, sed multa suis locis seruabimus, veluti quæ de efficacia sacrificij fidem fecerunt, ad Sacrificij Repetitionem, & quę de digna præparatione monuerunt, ad disputationem De probatione necessaria remittemus. Nonnulla, quibus aliquid diuini ipsi sacramento inesse ostensum est, nunc afferemus.

Primum locum habeat, quod ab ipso Christo in duobus discipulis euntibus in Emans gestum fuit, quibus per fractionem Eucharistiæ oculos aperuit, & ad ipsum internoscendum illustrauit, quemadmodum in libro, De communione sub altera specie declaramus.

Huic succedat, quod Apostolus scribit, apud Corinthios repentina morte alios occubuisse, alios variis morbis detentos iacuisse, qui non diiudicarent corpus Domini ipsam Eucharistiam esse. Quemadmodū autem indignè suscepta, parit morbos, & grauiora animi atque corporis damna, ita vicissim si dignè percipitur, cōtra Dæmones est antidotum, quemadmodum apud Ignatium est, & ad animi ac corporis ægritudines supernaturale medicamentum, sicut Cyprianus loquitur, & exēpla proferemus cap. De vtilitate huius sacramenti, in Repetit. sexta. *1. ad Cor. 11.* *Ignat. Epist. ad Ephes.*

Ante Cyprianum nullus, cuius scripta extent, aut pauci admodum, admirāda Dei opera: quibus suos facto admonere solet per interualla temporum de sinceritate doctrinæ Euangelicæ sigillatim enarrauit. Ideò quid ante illum circa Eucharistiam contigerit, augurari non possumus. Ille verò ordine quatuor ista miracula enarrat. Primum est de puellula, quæ cùm degustasset de Idolothyto, & posteà delata esset à matre ad Ecclesiam, vt de more Eucharistiam acciperet, cùm solemnibus adimpletis, inquit calicem Diaconus offerre præsentibus cœpisset, & accipientibus cæteris locus puellæ aduenisset, faciem suam instinctu diuinæ maiestatis auertere cœpit, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore atque ore violato permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. De altera subiungit, quæ grandior turbæ communicantium furtim se admiscuit, & sacrificantibus (inquit) latēter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia intra fauces & pectus admittens, angi, & anima exæstuante cōcludi postmodùm cœpit: Et pressuram, non iam persecutionum, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit impunitum diù non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem. De tertia muliere subiicit: Quùm quæ- *Cypr. serm. de lapsis.*

dam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuerat, manibus indignis tentaſſet aperire, igne indè ſurgente deterrita eſt, ne auderet contingere. Quartum addit de homine, qui cùm eſſet ipſe contaminatus idolothyto, & tamen auſus ſacrificio a ſacerdote celebrato partem cum cæteris latenter accipere, ſanctum Dei edere & contrectare non potuit: cinerem ſe ferre manibus inuenit. Ad quid verò iſta miracula Deus exeruerit, Cyprianus non alio fine docet, quàm vt animaduertamus nolle Chriſtum in nobis cum idolothyto verſari, & manere. Tanta eſt (ait) maieſtas Domini, tanta poteſtas, vt reſidere in pollutis viſceribus cum idoli cibo non potuerit. Documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cùm negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, cùm gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutetur.

Lib.2. in Parmenian. OPTATVS MILEVITANVS. Quod vobis videtur leue, facinus immane commiſſum eſt, vt omnia ſacroſancta ſuprà memorati veſtri Epiſcopi violarent. Iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno diuini iudicij. Nam iidem canes accenſi rabie, ipſos Dominos ſuos, quaſi latrones, ſancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniarunt.

Citat Cyrus Prodromus in ſuis Epigram. AMPHILOCHIVS ſcriptam reliquit vitam S. Baſilij, in qua narrat Iudæum voluiſſe explorare Chriſtianorum myſteria, ac Miſſæ Baſilij intereſſe, per cuius manus vidit infantem partiri. Ad ſacram communionem cùm daretur omnibus, acceſſit etiam Hebræus ille, datáque eſt ei hoſtia vera caro facta: & de ea ſeruans reliquias, rediit domum, & ad dictorum confirmationem oſtendit vxori ſuæ, ac narrauit quæ ſuis oculis viderat. Credens ergò verè, quia horribilia & admirabilia ſunt Chriſtianorum myſteria, in craſtinum venit ad Baſilium, poſtulans ſine dilatione accipere, quod in Chriſto eſt ſignaculum.

Greg. Nazianz. in Orat. funeb. de ſorore. Laborabat Nanzianzeni ſoror incurabili morbo. Peruigilauit ad altare, Chriſtũ diu multúmque deprecata ibi ſitum ac poſitum. Cui cùm ſua recenſeret miracula vetera & noua, tandem mulierem imitata, quæ à fluxu ſanguinis per Chriſti contactum conualuit, ſuper altare iuxta Chriſtum caput reclinat, & opem implorat cum lachrymis, inſtar illius quæ Chriſti pedes lauit, nec antea ſe ceſſaturam eſt comminata, quàm adipiſceretur ſanitatem. Inde hoc ipſo pharmaco totum corpus perunxit: & ſi quid manus de codẽ corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento, quod ſumpſerat, collegerat, lachrymis oculorũ, quibus manum admouebat, permiſcuit. Vnde, ô miraculum, ait, ſanitati eſt reſtituta, &c.

Sozom. lib. 8. cap. 5. Elegans ſanè recitatur à Sozomeno & Nicephoro hiſtoria, quæ calamitoſis noſtris temporibus videbitur aptiſſima. Vir quidam è Macedoniana hæreſi vxorem eiuſdem opinionis habebat. Hic cùm Ioãnem Chryſoſtomum, quomodo de Deo ſentiendum eſſet, docentem audiſſet, dogma illius laudabat, & vxorem quoque, vt ſecum ſentiret, hortabatur. Cùm verò illa magis nobilium mulierum ſermonibus, quàm illius conſuetudini obtemperaret, & poſt frequentes admonitiones vir illius nihil effeciſſet: Niſi, inquit, in diuinis conſors fueris, neque in vitæ communione poſthac eris. Mulier hoc audito conſenſum pollicita, rem eam famulæ cuidam cõmunicat, quam ſibi fidam eſſe iudicabat, illiúſque opera ad fallẽdum virum vtitur. Circa tempus autem myſteriorum (ſciunt initiati quid ſit quod dico) illa quod accepit, continens, quaſi oratura procumbit. Famula illi clãculò dat panem, quem ſecum in manu attulerat. Hic cùm dentibus admoueretur, in lapidem congelaſcit. Mulier perterrefacta, metuẽs ne quid ſibi mali propter eam rem, quæ diuinitùs acciderat, contingeret, ad Epiſcopum curſu contendit, ac ſeipſam prodens, lapidem oſtendit, adhuc morſus veſtigia habentem, & materiam incognitam, colorémque admi-

» admirabilem ostendentem, simúlque veniam cum lachrymis petens, viro suo se » consensuram pollicetur. Habes huic affinia miracula ex Gregorio, & aliis, in Repetitione De communione sub altera specie, quæ de Eucharistiæ veritate fidem astruant, & carnis ac sanguinis expressa præsentia.

Quantum valuerit Eucharistia ad Dæmones expellēdos, indè liquet, quòd Energumeni statuerentur coram altari, cùm illa sacraretur, quemadmodum suo loco » repetemus. Eam vim sanè Ignatius valdè his verbis commendat: Festinate frequē- » ter accedere ad Eucharistiam & gloriam Dei. Quando enim assiduè hoc agitur, ex- » pelluntur potestates Satanæ, qui actus suos vertit in sagittas ignitas ad peccatum. *Ignat. ad Ephes.*

PROSPER Aquitanicus insigne commemorat miraculum ad Dæmonum ex- » pulsionem per susceptionem Eucharistiæ, quod sic habet: Quædam iuuēcula Ara- » ba natione, ancillę Dei habitum gestans, cùm in balneo lauās, simulachrum quod- » dam Veneris impudicè respiceret, & seipsam, eíque se consimilans domicilium se » Diabolo præbuit. Statim ille Leo, qui rugiens circuit, quem quærebat, inuenit. » Meatus igitur gutturis ipsius occupans, nullum cibum, nullúmque potum traiciēs, » per septuaginta fermè dies, totidémque noctes, ieiunium sibi diabolus ex capto » possessóque vase exhibuit. Hoc monstrum parentes puellæ per tot dierum spatia » auferri posse sperantes, dum iuge malum vlteriùs tolerare non possent, simul cum » filia sese ingesserunt sacerdoti, quæ acta erant, fideliter intimantes. Hoc tantū puel- » la fatebatur, auem quādam noctis medio apparêre, quæ sibi ore nescio quid infun- » deret. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis diuturni ieiunij » fœdatam, nullo pallore, seu tabe, vel debilitate, confectam: quin potiùs robustam » succo viscerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur quæ dicebā- » tur, habito consilio in monasterio puellarum, in quo reliquiæ sancti Stephani sitæ » sunt, sacerdos puellam simul Præposito commendauit. Illic prima tantùm die ap- » paruisse illam auem asseruit, sibíque increpasse, quòd neque fame, neque siti com- » pulsa, illum appeteret locum, quo sibi accedere non liceret. Per duas sanè hebdo- » madas nihil cibi vel poculi sumens in monasterio mansit. Accidit autem, vt quin- » tus decimus Dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum sacerdote, vt ma- » tutinum illic sacrificium solito offerretur. Puellam Prępositus ad altare perduxit, eo » incessu & habitu, quo solent rubore perfusæ ex epulis poculísque mulieres aduení- » re. Sed vt se illa prostrauit altari, clamore fletus sui cunctis astantibus gemitus la- » chrymásque induxit, quibus tantum malum auferendum præsens plebs Dominū » exorabat. Erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto itaque sacrificio, cū » eadem inter cæteras breuem particulam corporis Dominici tinctam à sacerdote » perciperet, semi hora mandens traiicere non valuit, nondum illo fugato, de quo » dicit Apostolus, Quæ consonantia Christi ad Belial, Manu igitur faciem eius sustē- » tante sacerdote, ne sanctum proiiceret, à quodam Diacono suggestum est, vt cali- » cem salutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod vt factum est, statim vt locū » illum, quem Diabolus obsederat, Saluatoris imperio reliquit: sacramentum, quod » ore gestabat, cum laude Redemptoris transglutisse puella clamauit. Hinc lætitia, » hinc voces in gloriam Dei, quod post octoginta & duos dies, diabolo expulso, » puella de potestate fuerat eruta inimici. Oblatio itaque rursum gratiarum actionis » pro ea fit, sacrificiúque percipiens certam partem, prisco est reddita vsui. *Prosper lib. 4. Praedict. cap. 6.*

Non dissimile in S. Bernardi vita recitat miraculum contemporaneus eius Arnol- » dus, Abbas Bonauallensis, hoc ferè contextu: Inter eos qui vexabantur à Dęmonio, » mulier grandæua ciuis Mediolanensis, & honorata quondam matrona, vsque ad » Ecclesiam Ambrosij post beatum virum à multis tracta est, in cuius pectore pluri- *Lib. 2. cap. 3. de S. Bernardi vita.*

bus annis Diabolus sederat, & iam ita suffocauerat eam, vt visu & auditu, & verbo " priuata, frendens dentibus, & linguam in modum promuscidis elephantinæ protē- " dens, monstrum nō fœmina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœ- " tidus, inhabitatoris Satanæ colluuia testabantur. Hanc cùm aspexisset vir Dei, no- " uit inhærentem ei & inuiscatum Diabolum, nec facilè egressurum de domo, quam " tanto possederat tempore. Conuersus ad populum, orare iubet attentius, & clericis " & monachis secum iuxta altare consistentibus, mulierem ibidem iubet constitui " & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non " sine aliorum iniuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mãsue- " tè ille cōtempsit: ad expulsionem, non indignatione iræ, sed pacifica & humili sup- " plicatione Deum inuocat adiutorem, & ad immolationem hostiæ salutaris accedit. " Quoties tamen eandem hostiam sacram signat, toties ad mulierem quoque con- " uersus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam " & ille malignus, quoties aduersus eum signum crucis intenditur, percussum se indi- " cans, acriùs sæuit, & recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit inuitus. " Expleta autem oratione Dominica efficaciùs hostem aggreditur vir beatus. Pate- " næ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superpo- " nens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam " resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passurus. Nūc (inquit) princeps hu- " ius mundi eiicietur foras. Hoc illud corpus quod de corpore virginis sumptum est, " quod in stipite crucis extensum, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, " quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In huius ergo maiestatis terribili " potestate, tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere " eam deinceps non præsumas. Cúmque eam inuitus deserens, & manere vltrà non " valens, atrociùs affligeret, tam magnam iram quàm modicum tempus habens, re- " diens pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè compleuit, diffunden- " dámque in populum pacem ministro dedit, & confestim pax & salus integra red- " dita est mulieri. Sic ille nequam diuina mysteria, quantæ sint efficientiæ & virtutis, " non confessione, sed fuga coactus ostendit. "

Guliel. Abbas S. Theodor. lib. 1. ca. 10. Eiusdem Bernardi vitam Guilielmus Abbas S. Theodorici scripsit, ac refert virū pauperem non longè à monasterio habitantem, ab vxore adultera maleficiis cruciatum, vt miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec viuere sineretur. Sæpiùs denique & vocis vsum & sensum omnem corporis amittebat. Adducitur tandem homo ad virum Dei in monasterio demorantem, & ei tragœdia miserabilis explicatur. Qui vehementer indignans antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum hominem vsurpasse, vocans duos è fratribus ante sanctum altare hominem deportari, ibíque superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continente, in ipsius sacramenti virtute, à læsione Christiani iubet dæmonem prohiberi. Factum est vt præcepit, & miserum hominem, post tantos cruciatus, fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.

Eò libentiùs has historias produxi, quòd nostra ætate in diocesi laudunensi Galliæ Belgicæ, ac prouinciæ Picardiæ, anno 1565. cum illis planè conueniens spectata sit historia toto trimestri, magna hominum frequentia, atque ad hoc stupendū theatrum concursu. Nicola Petri Alberici filia, annos nata paulò minùs sedecim, & iam nupta Ludouico Petreio, tertio Nouembris, altero die post Mortuorum anniuersariam commemorationem, parochialem Ecclesiam Vreuini pagi, in quo morabatur, fortè ingrediebatur ad orandum: & ecce ipsius oculis tumulo auito adgeniculatæ spectrum hominis linteo obuoluti obuersari cœpit, & quacunque incederet,

De muliere energumena in diœcesi Laudunensi.

cederet,

cederet, sequi instituit: triduóque post detecto capite, Ioachimi Vuillotij aui vultū referente, obnuntiauit se illius animam esse, purgatoriis ignibus non priùs liberandam, quàm impetraret opem à Nicolæ peregrinationibus, quas multas demandabat, Copostelam vsque, atque aliis pietatis muneribus, quibus Christiani suis mortuis parentant. His satis longo tempore perfuncta, cùm tamen in dies peius haberet iuuencula, & grauius torqueretur, consulti eius loci Curio, atque alij religiosi viri, suspicati sunt nescio quid de maligno spiritu: qui per exorcismos tādem, quisnam esset, coactus edere, se Beelzebulem Dæmoniorum principem palàm fatebatur, nec se de sua possessione deiici vel deturbari posse, quàm ab vno aliquo, qui tū in regio comitatu ageret. Dictum hoc res comprobauit de nobili ac pio Episcopo Laudunensi Ioanne Bursio. Nam cùm aliorum coniurationes parum, aut nihil faceret Dæmon, mulier in vrbem episcopalem deportatur mense Ianuario, & graue certamen ac diuturnum Episcopo cum Beelzebule incubuit, per continua ieiunia, quotidianas & publicas supplicationes atque oblationes, totiésque palàm iteratas depulsiones. Media in Ecclesia cathedrali tabulatum fuit extructum, in quo vndeuicies spectante populo decertarunt Episcopus & Satanas, ne expelleretur, omni conatu obsistens, atque omnia dira minitans. Cruciabatur quidem ad solennes contra ipsum imprecationes, & crucis signaculum atque aquæ benedictę aspersionem: sed vix vllis vinculis aut viribus contineri poterat, cùm ad altare staret Episcopus, & rem diuinam faceret: tùm verò maximè furebat & agitabatur, cùm propiùs admouebatur sacrosancta Eucharistia, cuius virtutē & præsentiam nō ferens, quoties sentiebat iam sibi opponendam, solebat vexare misellæ corpus vehementiùs, atque repentè totum contortum, ac quasi prorsus exanime remisso impetu destituere, quòd per applicationem summis labris Eucharistiæ statum naturalē ac sensum recipiebat: ad diémque vnum, aut saltem aliquot horarum spatium, ab omni intemperie quiescebat. Rogabatur sæpè Dæmon, quid ita ad Eucharistiæ oblationem & præsentiam expauesceret. Respondebat de ea dictum *Hoc est corpus meum*, & se inuitum credere, ac tremere, tandémque se eius virtuti omninò cessurū: quod circa Idus Februarij, post nequicquam furias omnes tentatas & conduplicatas, in omnium conspectu accidit. Hæc pauca ex Energumenico ea de re eleganter ac fideliter ex Actis publicis cōscripto per integerrimum atque eruditissimum D. Bartholomæum Faium in Senatu Parisiensi Inquisitionum præsidem.

Bernardus ipse in vita Malachiæ, incredulitatem de Eucharistia per miraculum „ morte multatam ferè ita narrat. Quidam clericus ausus dicere in Eucharistia tantū „ esse sacramentum, id est, significationem, & non corporis veritatem, sæpè conuen„ tus fuit à Malachia Episcopo amicè & secretò. Quo cùm nihil esset profectum, tan„ dem vocatus ille in medium, seorsum tamen à laïcis, vt si fieri posset, sanaretur, & „ non confunderetur. Itaque in conuentu clericorum data facultas est homini pro „ sua sententia dicendi. Cúmque totis ingenij viribus, quo nō mediocriter callebat, „ asserere & defendere conaretur errorem suum, Malachia contrà disputāte & con„ uincente, iudicio omnium superatus est clericus. At de conuentu confusus quidem „ abiit, sed non correctus. Dicebat enim se nō ratione victum, sed Episcopi pressum „ authoritate. Et tu (inquit) o Malachia, sine causa hodie me confudisti. Mœstus Ma„ lachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum „ Ecclesiam conuocat, errantem publicè arguit, publice monet vt resipiscat, suaden„ tibus hoc ipsum Episcopis & vniuerso clero. Cum non acquiesceret, contumaci „ dicunt anathema, hæreticum protestantes. Nec sic euigilans, Omnes (inquit) faue„ tis homini potiùs quàm veritati. Ego personam non accipio, vt deseram veritatem.

Ad hoc verbum substomachās sanctus, Dominus (inquit) [illegible] facit, vel ex necessitate. Quo respondente Amen, soluitur conuentus. Tali iste [illegible] cauterio, meditatur fugam infamis atque inhonoratus fore non sustinens, & continuò sua tollens exibat. Tum ecce subita correptus infirmitate sistit gradum, viribúsque deficiēs eodem loco iactat se super solum anhelus & fessus. Fortè incidens in id loci vagabundus insanus offendit hominem. quidnam ibi agat, percunctatur. Respondet graui se infirmitate teneri, atque procedere neque redire valentem. Et ille: Infirmitas ista (inquit) haud alia quàm ipsa mors est. Hoc autem dixit non à semetipso, sed pulchrè Dominus per vagabundum corripuit eum, qui sanus noluit acquiescere consiliis sensatorum. Et addidit: Reuertere domum, ego te iuuabo. Denique ipso duce reuertitur in ciuitatem. Redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eadem hora accersitur Episcopus: agnoscitur veritas, abiicitur error, & confessus reatum absoluitur. Petit viaticum: datur reconciliatio, & vno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita admirantibus cunctis sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & scripturæ pariter dicentis, Quia vexatio dat intellectum auditui.

Gregor. lib. 3. Dialog. Nec prætermitti debet quod Gregorius de Papa Agapeto in hunc modum citat. Post non multum temporis vir beatissimus Agapetus, huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ad Iustinianum Principem accessit. Cui adhuc pergenti quadam die in Græciarum iam partibus, curandus oblatus est mutus & claudus, qui neque vlla verba edere, neque ex terra vnquam surgere valebat. Cúmque propinqui illius flentes obtulissent, vir Domini sollicitè requisiuit, an curationis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei ex authoritate Petri fixam illius salutis spem habere se dicerent, protinus venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solennia exorsus, sacrificium in conspectu Dei Omnipotentis immolauit. Quo peracto ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque ascíscente & aspiciente populo, eum mox à terra in propriis gressibus erexit. Cúmque ei Dominicum corpus in os mitteret, illi diù muta ad loquendum lingua soluta est.

Ex Annalibus Christianarum nationum infinita colligentur miracula, quæ circa hostias Eucharistiæ contigerunt, de quibus punctis, vel sanguis, non quidem naturalis Christi, sed miraculosus erupit, vel aliud diuinitus euenit, & asseruatæ etiam post mille annos nonnullæ, supra naturam specierum durāt incorruptæ. De his ante *Paschas. lib. De Christi corpore, cap. 40.* septingentos annos hæc verba reliquit Paschasius Corbiensis: Nemo qui Sanctorū vitas & exempla legerit, potest ignorare, quòd sępè hęc mystica corporis & sanguinis sacramenta, aut propter dubios, aut certè propter ardētiùs amantes Christum, visibili specie in Agni forma, aut in carnis & sanguinis colore monstrata sint, quatenus de se Christus clementer adhuc non credentibus fidem faceret: ita vt dum oblata frangitur, vel offertur hostia, videretur Agnus in manibus, & cruor in calice, quasi ex immolatione profluere, vt quod latebat in mysterio, patesceret adhuc dubitantibus in miraculo. Fecit enim hoc pietas diuina quibusdam iam credentibus, & tamen adhuc dubitantibus, vt & ipsi quoque fiduciam de veritate perciperēt, & alij de miraculo ad fidem solidarentur, & de Christi gratia eandem fidem vberius participarentur. Sed quia duri corde [illegible], voluit diuina mansuetudo in quibusdam omnibus satisfacere, vt vlterius de his iam nemo dubitet.

EX LITERALI SENSV, ET VERITATE EVCHARIstiæ antiqui Patres ferè probarunt omnes articulos Symboli Apostolici, tanquam ex indubitato principio & fundament inter Christianos: ita vt ex eodem etiam hæretici sua niterentur dogmata confirmare. CAP. 10.

VT

VT autem veritas veritati semper est consona, ita falsitas falsitati perpetuò congruit. Res certè est consideratione & admiratione digna, quòd nostræ tempestatis hæretici scripturas de Eucharistia eodem prorsus modo corrumpant, quo veteres Ecclesiæ inimici illas deprauabant, quæ præcipuos religionis Christianæ Articulos de Trinitate, Incarnatione filij Dei, & mortuorum Resurrectione cõtinenr, & quòd eodem planè argumentorum genere sacrosanctam Eucharistiam diuexant, quo veteres illi diuina illa capita opprimebant. Rursum Ecclesiæ Catholicæ summam cum Dei spiritu consensionem licet suspicere & venerari, cùm vno & eodem temperamento scripturas sit interpretata, quæ de Eucharistia, & quæ de tribus illis editę sunt, atque eodem rationum stylo opposita argumenta confixerit, & resecuerit, quo nũc in Eucharistiæ hostes armamur & munimur, quod posterius passim monstrabitur. Adeò sibi similis est in suis Satanas assiduè, & Dei Spiritus nusquam à semetipso discrepar, vel dissentit. De Trinitate textus habebat, Ego & pater vnum sumus. Quidam nimiùm mordicus ad literam ista rapuerunt, & omninò patrem & filium etiam personaliter vnum esse contenderunt, & in his fuerunt Sabelliani.

Aliqui contrà longius à syllabis ad spiritalem sensum verba traduxerunt, vt vnitatem Parris & filij in sola volunratum coniunctione ponerent, & Arriani dicti sunt. Ecclesia verò mediocritatem inter pugnantes hæreses coluit, & ex circunstantiis textus euicit filium coadunari Patri in natura, sed in persona segregari. De incarnatione filij Dei scriptum legimus, Verbum caro factum est. Non defuerunt, qui literæ hærentes, sentirent verbum in carnem conuersum esse. Alij verò spiritalitatis amãtiores, non nisi specie & similitudine verbum carnem effectum dixerunt, in quibus extiterunt Valentiniani. Ecclesia medium renuit, & verbum quidem carnem induisse re vera asseruit, sed diuinitatem inconfusam carni permãsisse probauit, neque ad proprietatem literæ prorsus se astrinxit. De resurrectione mortuorum scriprura tradit: Scio quòd redempror meus viuit, & in nouissimo „ die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum, „ quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Sadducæi, quia literaliter omninò capiebant textum hunc, vt eo modo corpus resurgeret, & viueret, quo in statu corruptionis viuit, illum negabant, & irridebant. Marcionitæ verò non nisi spiritaliter clausulam illam, & Resurrectionem intelligendam putabant, vt spirituum, & non corporum vita speranda esset. Ecclesia media via ingressa est, & verè corpora excitanda credidit, sed non carnali & corruptibili modo. Pariter de Eucharistia proferuntur verba Christi, *Hoc est corpus meum*, &, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Alij ad sensum literalem & sensibilem verba nimiùm exegerunr, vt Capernaïtæ & Carolstadius, quasi dari caro à Christo non posset, nisi laniorum more in frusta concideretur: nec demonstrari ab eodem suum corpus, nisi visibili modo, sicut mensæ, cùm Cœnam instituit, accumbebat. Cingliani & Çaluinistæ sermonem Christi contrà plus æquo ad spiritalem intelligentiam transferunt, vt nec vere caro exhibeatur edenda, nec verum Christi corpus in panis specie demonstretur, sed spiritali esu tanrùm corpus siue caro attingatur. Ecclesia vt in superioribus articulis, partes medias tutata est, ac verè porrigi & manducari carnem siue corpus Domini defendit, sed non carnali & sensibili modo. Adeo verò cohærent inter se fidei nostræ Articuli, vt vix vllum possis retinere, si vnum labefactaris, & vt vno concesso satis virium ad alios confirmandos ferè suppetat: ita mutuis auxiliis connituntur & consistunt.

Eam ob causam cùm primi de Trinitate, Incarnatione filij Dei, & mortuorum Resurrectione vocarentur in dubium, de Eucharistia ab hæreticis credita petebant Patres subsidiú, vt nunc vicissim ad tuendam Eucharistiam de eadem Trinitate, Incarnatione, & Resurrectione mutuamur argumenta. Sed ex eo de Eucharistia fides nostra est augustior & certior, quòd cùm adhuc puriora & meliora essét Christianorú tépora, & de summis apicibus religionis litem mouerent hæretici, nemo inueniebatur, qui auderet contra cómunem & receptá de Eucharistia professionem hiscere, vel mutire. Ex eo porrò, quòd primi illi Patres hæreses repellút ex verborum Christi proprietate de Eucharistia, atque ex vera & reali carnis Dominicæ in sacramento præsentia & mâducatione, atque indè Aduersarios, tanquá ex certo ac confesso ab omnibus dogmate & religionis fundamento impetunt, luce meridiana clarius est, nó eos de Eucharistia hyperbolicè, aut per amplificationé potiùs, quàm ex veritate de Eucharistia locutos. Quod enim rationis & probationis momentú cóstitui posset in fictis & hyperbolicis dictis, figuratis, & nó veris? Quo verò in sensu verba fecerint, vis argumenti conuincit, & conclusio de intelligentia sui principij facilè arguit. Verba autem Christi de Eucharistia in sua proprietate habita fuisse ab omnibus pro religionis sacrosancto & indubitato principio, testantur Hilarius, Augustinus, Leo Papa, atque omnes quorú meminimus libri huius capite primo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus, ait Hilarius. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis. Cótingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum Deum esse negant. Et pueris rogátibus quid sit quod in altari ponitur, cósecratur, & cernitur, responderi grauissima authoritate scribit Augustinus, cuius sit corpus & ságuis, qui in tali specie oculis mortaliú apparere voluit. Leo verò proclamat: In Ecclesia Dei, in omniú ore tam consonú est, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter cómunis fidei sacramenta taceatur. Quin etiá ipsi hæretici ex ea fide Christianorum studebant sua figmenta stabilire, quoties poterát. Paulus Samosatenus, quoniá dixerat Christus de poculo sanguinis sui, Diuidite inter vos, inferebat sanguinem Christi in sacramento esse passibilé & corruptibilem, vt puri hominis: quasi hîc diuidi sanguinem, esset corrumpi. Quoniam Nestorius legebat, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, dicebat diuinitaté non manducari, seu carnem filij Dei nó comedi, quoniam textus ferret carnem filij hominis. Eutychiani quoniam videbant Christum accepto pane post cósecrationem affirmasse, *Hoc est corpus meú*, rectè cócludebant panem mutatum in corpus Christi: sed malè id accommodabant ad incarnationem, quasi eodem modo caro transisset in diuinitatem. His atque aliis cùm satisfaciunt Patres, non negant verba illa Christi de sacramento in sua propria significatione accipienda, sed contrà approbant. Nam Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Samosatenum, de qua mentionem facit Hieronymus de viris illustribus, non inficiatur verum esse sanguinem, qui iubeatur diuidi, sed nó corrumpi, quia existat verus ságuis Dei viui, qui nó magis corrûpitur, quàm Spiritus sanctus, aut diuinitas ipsa. Nestorioq; vero Ephesini Patres & Cyrillus cóceduntad literam edendá carnem filij hominis, & nó nudam diuinitaté: sed nó sequi annectút, vt non sit caro filij Dei, si est caro filij hominis, cú vtriusque existat, de qua dicatur, Caro non prodest quicquam, Spiritus est qui viuificat. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Nec Theodoretus respóder malè, ab Eutychianis intelligi sermoné Christi de vero eius corpore & sanguine, sed propter Christi assertioné, & corporis ac sanguinis præsentia non aboleri pané, vt plerisque placet, Theodoretum interpretari: de quo in Transsubstantiatione fusiùs. Porrò quoniam

August. lib 3. De Trinit.
Leo epist. 23.

Apud Cyril. in Anathem. 2.

Citat Turrian. lib. 4. De can. Apost. cap. 19.

quoniam Marcionitæ & Arriani in patrocinium suarum hæreseon incipiebant adoriri,& conuellere verborum proprietatem,quibus Eucharistia traditur, admodũ durè à Tertulliano,Hilario,& Cyrillo Alexandrino de hoc increpantur, quemadmodum suis locis declaramus. Verùm ne quid reticere videamur, non semper Patres ratiocinationes suas ex ipsamet existentia reali ac substantiali corporis & sanguinis Christi contexuerunt: Verum vt D.Bernardus admonet spectanda tria in altaris sacramẽto,speciem panis,carnis veritatem,& virtutem gratiæ spiritalis. Ita aliquando ratiocinantur ex specie panis,vel ex alia figura corporis Christi: aliquando ex virtute gratiæ spiritalis,quæ per dignũ esum Eucharistię acquiritur,tanquam ex fructu & efficacia. Sed res ipsa monstrabit longè frequentiùs illos agere ex veritate corporis & sanguinis Dominici, quę sub pane & vino cõsistunt,vt nullus sit tergiuersandi,vel effugiẽdi locus. Hanc autem argumentandi formulam de Eucharistia ad alia cõprobanda didicerunt Patres ex Apostoli logica ac disserendi arte, qui ex Eucharistia pudefacit Corinthios ad idola diuertentes, quemadmodum superiori libro copiosè tractauimus.

PROBANT DEVM OMNIPOTENTEM, ET CREAtorem omnium per Eucharistiam. CAP. II.

DEVM omnipotentem, & creaturarum omnium conditorem, per Eucharistiam in tribus Patres commonstrant: In eo,quòd de pane ac vino carnem & sanguinẽ efficiat ea potentia, qua vniuersa creauit,& quamcunque creaturam versat,atque in alteram trãsformat: qua nisi polleret, ne quidem valeret in Eucharistia operari, quod fieri creditur. Deinde in eo,quòd caro & sanguis incredibili & incomprehensibili modo existent in sacramento. Postremò in eo, quòd carnem & sanguinem sine imminutione ac corruptione nobis in cibũ & potum administret. *Dei omnipotẽtia tribus modis elucet in Eucharist.* De priori plura ex Patribus producimus libro primo de Transsubstantialitate, cap. de Patribus. Nunc intelligamus Gnosticos negasse Christum filium Dei creatoris mundi, & omnipotentis: attamẽ obseruasse Eucharistiã. Irenæus illos ita redarguit: „Si Christus Dei omnipotentis,& mundi constructoris filius non est, quo pacto cõ„stabit panem,in quo gratię actæ sunt, esse corpus eius,& calicem sanguinem? Nam „nisi omnipotentis Patris filius omnipotens potest verbo suo Eucharistiam consti„tuere. Ex quo Irenæus duo concludit: Christo imprimis,vt Dei filio, omnipotentiã deferendam: multò verò magis Patri,à quo ad eum defluxerit talis potentia condẽdi & transmutandi res vniuersas creatas. Declarat insuper, cur requiratur omnipotentia ad Eucharistiam conficiendam,nempè, quoniam oporteat panem & vinum „in corpus Christi & sanguinem euadere,quod à nulla creatura præstari potest. Ire„næi textus est: Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, cor„pus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius,si non ipsius mundi fabricatoris filiũ „dicant,id est,verbum eius,per quod lignum fructificat, & defluunt fontes: dat pri„mùm quidem fœnum,post deinde spicam,deinde plenum triticum in spica. Ergo „aut sententiam mutent,aut abstineant ab offerendo, quæ prædicta sunt. Nostra au„tem consonans est sententia Eucharistiæ,& Eucharistia rursus confirmat sentẽtiam „nostram. Offerimus enim ei quæ sunt eius, congruenter prædicantes communica„tionem,& vnitatem carnis & spiritus. Alij autem,qui alterum præter fabricatorem „dicunt Patrem,quę secundum nos creaturæ sunt offerentes ei,cupidùm alieni ostẽ„dunt eum,& aliena concupiscentem. *Iren. lib. 4. ca. 34.*

Eodẽ argumento vtitur Augustinus ad probandum Deum ipsum rerũ omniũ authorem habere in potestate quiduis in aliud vertendi, ac vertere quãplurima in as-

ſueta mũdi atque ordinaria adminiſtratione, ſed ſibi quędã reſeruaſſe rariora, quibus illius omnipotentiæ ſuæ & authoritatis ſingulare documentum daret, vt mutationem aquæ in vinũ, pluuiã in ſumma ſiccitate per Heliã, virgæ aridæ florem per Aaronem, virgę in ſerpentẽ mutationem per Moſen. Sic (inquit) corpus Chriſti & ſanguinem dicimus illud tãtùm, quod ex fructibus terrę acceptũ, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriã pro nobis Dominicę paſſionis. Quod cùm per manus hominũ ad illam viſibilem ſpeciẽ perducitur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentũ, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei, cũ hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiũt, Deus operetur, mouens primitùs inuiſibilia miniſtrorum, ſiue animas hominũ, ſiue occultorũ ſpirituum ſibi ſubditas ſeruitutes. quid mirũ, ſi etiã in creatura cœli & terrę, maris & aëris facit Deus quæ vult, ſenſibilia atque viſibilia ad ſeipſum in eis, ſicuti oportere ipſe nouit ſignificãdum & demõſtrandum, non ipſa ſua qua eſt apparẽte ſubſtãtia, quæ omninò incõmutabilis eſt, omnibúſque ſpiritibus quos creauit interius ſecretiúſque ſublimior. Hîc Auguſtinus miniſterio creaturarũ ait extraordinarias quaſdã rerũ mutationes Dei omnipotẽtia fieri ad ipſum ſeu virtutẽ ſeu naturã variis modis ſignificãdam, ſiue cõmonſtrandam: in quibus excellere ait illam quę perficitur in Euchariſtia, quando miniſterio hominũ ex terrę frugibus fit ipſum corpus Chriſti, & ſanguis per operationem inuiſibilem Spiritus ſancti, ſeu diuinam omnipotentiam.

Aug. lib. 3. De Trinit. cap. 4. & 5.

De ſecundo Epiphanius & Ceſarius paulò antè diſſeruerunt in eos, qui non credunt ad literam eſſe exponenda, quæ abſurditatem quandam & impoſſibilitatem videntur ſonare, & in argumentum afferunt, quod dicitur, *Hoc eſt corpus meum*, cùm ſpecies panis exigua monſtraretur, in qua tamen verum Chriſti corpus ineſſet per diuinitatis in Chriſti operationem immenſam.

Sup. cap. De cõparatione Euchariſtiæ cum Incarn.

Ad eandem in Chriſto deprehendendam & credendam omnipotentiam Ephrẽ Syrus ex Euchariſtia in eos agit, qui nihil de filio Dei ſapere volebant, niſi quãtum ratione conſequerentur. Ita loquitur: Quid ſcrutaris inſcrutabilia? Si iſta charioſè rimaris, non iam fidelis vocaberis, ſed curioſus. Eſto fidelis atque innocens. Participa immaculato corpori Domini tui fide pleniſſima, certus quòd Agnũ ipſum ipſe integrè comedis. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti. Noli ea temerè ſcrutari, ne in ipſorum participatione cõburâris. Abraham Patriarcha cœleſtibus Angelis terrenos appoſuit cibos, illíque comederunt. Grande profectò miraculum, aſpicere incorporeos ſpiritus in terra carnium cibos edentes. Sed hoc ſanè excedit omnem admirationẽ, omnem mentem, omnẽque ſermonem, quod fecit nobis vnigenitus filius Chriſtus Saluator noſter. Ignem ac ſpiritum manducandum & bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, corpus ſcilicet ac ſanguinem ſuum. Et quidem, fratres, cùm Chriſti ſacramẽta non capiam, vlteriùs progredi non audeo, neque arcana illa ſacratiſſimáque myſteria rurſus attingere. Neque ſi voluero de his procaciter loqui, Dei ſacramenta comprehendere poſſum: ſed ero temerarius, imprudens, & cum irritis conatibus luctãs. Aërẽ quippè ob tenuitatẽ ſuam penitùs tenere nõ poſſum. Illa nẽpè ſancta & reuerenda myſteria ingenij mei vires excedũt. Agnoſco humilitatem conditionis meæ, creatorẽmque meũ ſcrutari nolo. Terribilis enim eſt, naturáque incomprehenſibilis. Benedico & adoro illius excellentiſſimam poteſtatem in ſecula ſeculorum. Amen.

Ephren. lib. De his qui De naturam ſcrutari volunt. cap. 5.

De tertio acclamat Auguſtinus: Verè magnus Dominus, & magna mirabilia eius verè, qui dedit nobis manducare corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem bibere, &c. Alia in eum ſcopum pertinentia multa reperies in Repetitione quinta & ſexta.

Aug. in Pſal. 33. conc. 2.

Probant

PROBANT IESVM FILIVM ESSE DEI, EIVSDEM cum illo essentiæ, naturæ ac potestatis, natum de virgine Maria, passum, resurrexisse, & ascendisse ad cœlos. CAP. XII.

SICVT in præcedenti articulo ex Irenæo audiuimus, Christum per Eucharistiam docebant primi illi Christiani esse verè filium Dei creatoris, tum ex ostentione virtutis, qua creãtur omnia, & immutantur, tum ex materia panis & vini, quam sumpsit, nõ sumpturus, si aliundè essent quàm à suo patre. Quod argumentum Tertullianus in Marcionem etiam attingit. Hillarius verò atque Cyrillus Alexandinus multis verbis exaggerãt per eandem Eucharistiam cõuinci illum vnum esse cum Patre naturaliter & substantialiter, siue filium Patris esse, cum illo eiusdem naturæ atque substantiæ, ex eo quòd vnum reddamur cum illo per Eucharistiam, nõ tantùm spiritali aliquo nexu, sed substantiali & naturali. Sed hæc de capite pri. quintæ Repetitionis sumi debent.

AVGVSTINVS quoque in disputatione, cuius fragmentum in superiori Articulo protulimus, Christum non tantùm significasse filium Dei, sed re vera talem extitisse contendit ex Eucharistia, quæ non solùm significet Christum, vt scriptura facit, sed re vera sit corpus eius. *August. lib. 3. De Trinit.*

In causa Nestorij quærebatur, an Iesus Christus, natus de muliere virgine, verus & naturalis filius Dei habendus esset, vt ipsa Dei mater diceretur: an verò alia æstimari deberet persona naturæ diuinæ in Christo, alia verò naturæ humanæ in codẽ ipso. Nestorius opinabatur diuersas personas: Ecclesia vnicã esse respondebat. Inter varia argumẽta dimicabatur ex Eucharistia. Conueniebat sine vlla dubitatione inter Nestorium & Ecclesiam Catholicam, carnem naturalem & substãtialem in Eucharistia tradi. Vnũ manebat controuersum, Cuius personæ & cuius qualitatis eximiæ esset illa caro. Nestorius puri hominis volebat esse: Ecclesia non puri hominis carnem dari oportere defendebat, sed omninò deificatam, & filio Dei naturali connexam: alioqui illa non prodesset quicquam, nec afferret vitam æternam, & corporibus immortalitatẽ. Ratiocinabatur Nestorius: Caro Christi comeditur, & diuinitas comedi non potest: Ergo caro Christi diuinitate vacat. Memoramini, dicebat, quia sermo fit de carne, & quia non à me adiectũ est carnis nomen, ne videar malè „interpretatus. Qui comedit (inquit) carnẽ meam, & bibit meum sanguinem, nõ di-„xit, Qui comedit meam diuinitatem, & qui bibit meã diuinitatem. Nestorio satisfacit Cyrillus, & annuit diuinitatem nudam comedi non posse: sed ineptè cõcludi, atque indè inferri, carnem puram manducari. Non enim sequitur, diuinitas mandi nequit: ergo caro, quę in Eucharistia comeditur, est nudi & puri hominis caro, quia re vera est verbi Dei caro, cui est copulata, & à quo vim viuificãdi accipit, atque ex ea vitæ elargiẽdæ facultate deprehendi & conuinci necessariò filij Dei carnẽ esse, nõ autẽ puri hominis, cuius caro non influit vitã, qua in se non est prædita. Non quia (scribit Cyrillus) diuinitatis non comeditur natura, propterea sanctũ corpus Christi cõmune esse quilibet affirmat. Scire autem necessarium est, quoniam, sicuti prædi-imus proprium est corpus omnia viuificãtis verbi. Quia enim corpus vitæ, ideò viuificans est. Per ipsum namque mortalibus nostris corporibus vitam largitur, vt etiam destruat mortis imperium.

Non dubium est, quin ab Apostolis omnes hæretici, vt Marcion, Valentinus, Basilides, Cerdo & Manes, qui cõtra Christi humanitatem & incarnationem offenderunt, -pegerint etiam in ipsam Eucharistiam. Nam quibus fuit incredibile filium

Dei humanum corpus verè induisse & assumpsisse, quomodo sibi in animum induxissent, verum Christi corpus & naturale, quod nunquam extitisset, Eucharistiæ inesse? Quoniam illi admittebant Christum gestasse phantasma, & similitudinem corporis, & ad eum sensum scripturas omne exponebant, quæ filio Dei veram incarnationem tribuunt, proculdubiò in eundem intellectum redigebant, *Hoc est corpus meum*, vt non vera corporis natura & essentia significaretur, sed figura. Patres ad eorum ingenium stilum aliquando & orationem demiserunt, ac duabus ratiocinandi formulis cum ipsis egerunt. Ex concessis ab ipsis, nempè ex corporis figura premunt, aut ex veritate Catholica constringunt. Eam autem veritatem in Eucharistia sic exprimũt. Describunt adesse corpus naturale, de virgine procreatum, passum, suis partibus & humoribus cõpositum, ne quis per figuras aliud corpus substituat. Ex ea veritate corporis in Eucharistia Ignatius illos insectatur, qui aliam præ se ferrent de incarnatione Christi & Eucharistia fidem, quàm didicissent ab Apostolis & scripturis. In eos enim, authore Theodoreto, disputat, qui Christum corpore humano inuestitum denegarent. Eucharistias (inquit) & oblationes non admittunt, quia non confiteantur Eucharistiam esse carnem saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quã Pater sua benignitate suscitauit. Eosdem Irenæus ex illa veritate existenti in sacramento refellit. Sic autem (inquit) secundum illam opinionem, nec Dominus sanguine suo redemit nos, nec calix Eucharistiæ communicatio sanguinis eius est, neque panis quem frangimus, communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est nisi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ est secundum hominem substantia, qua verè factum verbum Dei sanguine suo redemit nos, quemadmodum & Apostolus eius ait, In quo habemus redemptionem in sanguine eius, & remissionem peccatorum. In hoc cõsistit Irenæi ratio. Si verum corpus non assumpsit, falluntur Christiani, qui se redemptos profitentur Christi sanguine, & pasci in Eucharistia eiusdem carne & sanguine, cùm sanguis non dicatur, nisi naturalis, per humani corporis venas diffusus.

Theodoretus Dial. 3. polym.

Irenæus lib. 5.

Tertullianus contra eosdem in Eucharistia veritatem corporis & sanguinis persequitur: sed etiam ex concessa figura corporis ab ipsis in sacramento confutat: quod vtrumque sequenti libro aperiemus. Ex illa figuræ concessione eosdem hæreticos aggreditur Chrysostomus. Sicut in veteri lege (ait) eodem hîc modo in beneficio reliquit memoriam mysteriorum colligendo, & huic ora frenando. Nam quando dicunt, Vnde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa mysteria. Hæc enim offerentes, ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus nõ est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Vides quãtum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus pro nobis ipsum mortuum fuisse. Nam quoniam Marcion, Valentinus, Manichæus, eorúmque sequaces, negaturi erant hanc dispensationem, memoriam passionis per hoc reducit mysterium, vt nemo non insanus seduci possit. Ita per sacratissimam istam mensam & saluat, & docet. Hoc enim caput bonorum omnium. Chrysostomus ibidem prolixè ex veritate cum aliis disputat.

Chryso. ho. 83. in Matthæum.

Longo tempore post Marcionem Eutyches obrepsit. Assentiebatur quidem naturam humanam à Christo susceptam, sed putabat transformatam, & conuersam in diuinitatem, maximè post resurrectionis & ascensionis gloriam: ita vt in persona filij Dei duæ naturæ non manerent integræ & impermixtæ, sed vna superior ac diuina planè humanam absorbuisset & extinxisset: sicut in Marcionem, ita in istum Patres duobus modis disputant, Ex veritate corporis in Eucharistia existentis, atque ex eius figura & repræsentatione, quam etiam solam volebant isti hæretici, sicut Marcionistæ, in sacramento agnoscere. Itaque nostri in Eutychianam hæresin

probant Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cœlesti, elemento & veritate carnis Dominicæ: multo verò magis saluam & incorruptam humanam naturam in ipso Christo excitato, & in cœlum elato. De Athanasio Theodoretus citat: *Theodor. dial. 2. polym.*
" Corpus est, cui dicit, Sede à dextris meis, cuius etiam inimicus fuit Diabolus cum
" malis potestatibus & Iudæis, per quod Pontifex & Apostolus fuit, & dictus est per
" id, quod nobis tradidit mysterium, dicens, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis frā-
" gitur, & *Hic est sanguis noui Testamenti*, non veteris, qui pro vobis effunditur. Diui-
" nitas autem neque corpus habet, neque sanguinem, sed homo quē ex Maria por-
" tauit. Athanasius in Eucharistia nominatim sanguinem, vt alij Patres, opponit veteris Testamenti sanguini, qui verus fuit, & Christus nō fuit figurati sanguinis oblator, sed veri: ideóque si per mysterium & Eucharistiam est Pontifex, oportet ab ipso in ea offerri verum sanguinem. Ab eodem Theodoreto Amphilochius Iconij
" Episcopus ista loquens inducitur: Christus ante passionem nō intrauit ianuis clau-
" sis, ne existimares visionem vel apparentiam esse œconomiam, ne putares esse spi-
" ritalem Christi carnem, nec ex cœlis descendisse, nec alius esse substantiæ, quàm sit
" caro nostra. Hæc enim omnia nonnulli visione & imaginatione continentes, & per
" hoc secundum magnificare putantes, non aduertūt se per ipsam Eucharistiam blas-
" phemare, & falsi veritatem accusare.

Contra illam hæresim quantum valeret fides de Eucharistia, Leo Pontifex cum *Leo epist. 23.*
" Synodo Romana ad clerum & populum Constantinopolitanum ita scribit: Non
" sentiunt se in hoc præruptum sua obcæcatione deduci, vt nec in passionis domini-
" cæ, nec in resurrectionis veritate consistant: quia vtrumque in saluatore vacuatur, si
" in eo nostri generis caro non creditur. In quibus isti ignorātię tenebris, in quo hac-
" tenus desidiæ torpore iacuere, vt nec auditu discerent, nec lectione cognoscerent,
" quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, vt nec ab infantium lin-
" guis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis fidei sacramenta tacea-
" tur. Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumi-
" tur, vt accipiētes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.

Gelasius & Theodoretus profligant hæresin illam, tùm ex imagine corporis, & sanguinis, quod oculis subiicitur in Eucharistia, tùm ex veritate latente in ipsa, &
" per ipsam percepta. Sic autem habet Gelasius: Certè sacramenta quę sumimus cor-
" poris & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ effici-
" mur consortes naturę, & tamen non desinit esse substantia, vel natura panis & vini.
" Et certè imago ac similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorū
" celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Do-
" mino sentiendum, quod in eius imagine prōfitemur, celebramus, & sumimus, vt si-
" cut in hanc scilicet diuinam trāseuntes Spiritu sancto perficiente substantiam, per-
" manentes tamen in sua proprietate naturæ, sic illud mysterium principale, cuius
" nobis efficientiam, virtutémque veraciter repræsentant, ex quibus constat propriè
" permanentibus vnum Christum, quia integrū verúmque permanere demonstrāt.
Hic Gelasius nō ex nuda significatione, aut vacua repræsentatione Eucharistiæ ratiocinatur, sed ex adiuncta veritate. Apud Theodoretum verò Orthodoxus inter-
" rogat Eranistem, id est, contentiosum & hæreticum: Dic ergo mystica symbola,
" quę Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorundam dicis esse symbola? ERAN.
" Corporis & sanguinis Domini. ORT. Corporis, quod verè est, vel verè nō est? ERA.
" Quod verè est. ORT. Optimè: oportet enim imaginis exemplar esse archetypum. *Theodor. dial.*
" Etenim pictores imitantur naturam, & eorum quæ videntur, depingūt imagines.

ERA. Verum. ORT. Si ergo diuina mysteria, corpus quod verè est, repræsentant: ergo corpus etiam nunc Domini quoque corpus est, non in naturam diuinitatis mutatum, sed impletũ diuina gloria. Quoniam Eranistes ex panis cõuersione in Eucharistia, contendebat naturam etiam humanam in Christo conuerti in diuinitatem, Orthodoxus retorquet argumentum, ac vult in Eucharistia duplicem naturam manere panis ac corporis Christi atque ita fieri in ipso Christo. Sic ergo Orthodoxus concludit: Tuis ritibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri & tangi possunt, sicut & priùs. Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vtque illa sint quæ creduntur. Cùm ventum fuerit ad Transsubstantiationem, iterum de Theodoreto & Gelasio videbitur.

Theod. dial. 2. polym.

Ex Cyrillo Alexandrino, Ephesina Synodo, Augustino, atque aliis, de quibus in libro De adoratione Eucharistię, planum fit probasse Patres, Christi corpus passum & excitatum, atque in cœlos ad gloriam sublatum, ex re quæ in Eucharistia consisteret, & sumeretur, ac modo consistendi glorioso & ineffabili, tum ex ritu celebrandæ Eucharistiæ, & offerendæ Deo. Cyrilli verba sunt: Iure sanctæ congregationes die octauo in Ecclesiis fiunt, & foribus clausis visibiliter simul atque inuisibiliter Christus omnibus apparet: Inuisibiliter quidem, vt Deus: visibiliter autem, in corpore. Præbet enim nobis carnẽ suam tangendam, vt firmiter credamus, quia templum verè suum suscitauit. Quòd autem mysticæ benedictionis communio, resurrectionis Christi quædam sit cõfessio, verbis Christi probatur. Fractum enim panem distribuebat, dicens, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur mysterij vera quædam confessio, & commemoratio est, quod propter nos, & pro nobis Dominus & mortuus sit, & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet. Alexandrina verò seu Ephesina Synodus in Epistola ad Nestorium, inquit, Annuntiantes enim sicut secũdum carnem, mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes facti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostri redemptoris effecti.

Cyrill. lib. 12. in Ioann. cap. 57.

DE ARTICVLIS CREDO IN SPIRITVM SANCTVM, *sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem, peccatorum remissionem, carnis resurrectionem, vitam æternam, per Eucharistiam probatis.* CAP. 13.

AVGVSTINVS lib. tertio & quarto De Trinitate quærit, an sicut filius dicitur minor Patre, quia sit missus, & apparuerit in forma humana, ita dici debeat Spiritus sanctus minor Patre, quia etiam missus legatur, & visus in specie columbæ, ac linguis igneis. Negat eandem esse missionis & apparitionis in filio & spiritu sancto conuenientiam, quoniam spiritus non fuerit id in quo apparuerit, quod erat duntaxat eius signum, tametsi vnà se præbuerit Spiritus sanctus: filius verò erat id, in quo videbatur, nempè homo, qui tantùm non erat filij Dei pręsentis signum, sed ipsemet filius Dei, ex eo quod vnicum erat subiectum filij Dei & hominis. Ob id filius iure minor Patre secundum hanc missionem & apparitionem censebatur, non autem spiritus secundum suam. Ad probandum distinctionem illam visionis, longiùs disputat de diuersitate signorum, in quibus aliquid significetur:

cetur: & alia tantùm esse significatiua rei absentis siue præsentis monstrat, alia etiā illud ipsum esse quod significant. In priori gradu ponit verba & scripturas, & apparitiones varias, quibus Deus multifariam, multísque modis olim locutus est Patribus in Prophetis, & se conspiciendum dedit: in posteriori numerat incarnationē Christi, & Eucharistiam: atque ita ex ipsius discrepantia cum columba & linguis flammeis concludit aliter missum Spiritum sanctum quàm filium, nec illum minorem Patre, vt filius est secundum incarnationem, existentem, siue in statu naturali, siue in Eucharistia sub panis specie, in qua oculis mortalium etiam voluit ille apparere.

Ex Eucharistia & baptismo Theophilus Alexādrinus post Nicenam Synodum, *Theoph.lib.1. Pasch.*
cōtra Origenistas, ostendit Spiritum sanctum operari in res terrenas, & diuina do-
» na in ipsis recondere, atque elargiri. Textus habet: Dicit Origenes Spiritum san- *Eadem fere*
» ctum non operari ea quæ inanima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod asse- *Nyß.lib. De*
» rens, non recogitat aquas in baptismate mysticas aduentu sancti Spiritus consecra- *baptismo.*
» ri, panémque Dominicum, quo Saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus
» in sanctificationem nostri, & sacrum calicem, quę in mensa Ecclesię collocantur, &
» vtique inanima sunt, per inuocationem & aduentum sancti Spiritus sanctificari.

AVGVSTINVS contra Donatistas, nihil frequentius vrget, quàm eam solam esse Catholicam Ecclesiam, in qua dignè ac spiritaliter suscipitur Eucharistia, & corpus Christi ad vitam, seu in qua sola reddimur membrum viuēs corporis Christi, quod sumitur in Eucharistia: Sed de hoc plura in Repetitione sexta.

Quantam primi illi Christiani, & quàm intimam ac realem requiri sanctorum cum Christo & Deo communionem ex Eucharistia contendant, discatur ex capite primo Repetitionis quartæ. Quanti etiam momenti iudicarint esse Eucharistiā ad probandam & credendam carnis resurrectionem, illic inuenietur.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS ad Origenistas refellendos, qui etiam dæmonibus pollicebantur veniam peccatorum, Eucharistia vtitur: qua vesci dæmones cùm nequirent, quia corpore carerent, negat quoque ad eos pertinere allatam à Christo culparum remissionem. Textus transcribitur à me superiùs, cap. De corporali manducatione corporis Christi.

Quinetiam Augustinus, Innocentius primus, & qui tùm vixerunt, confutabant ex Eucharistia Pelagianos, existimantes sine baptismo peruenire posse ad vitam æternam. quod tam falsum esse Catholici credebant, vt ne quidem cuiquam vitam pollicerentur sine Eucharistia, & vita Christi per illam in nobis habitante. Quod quomodo intelligendum sit, consulatur Repetitio sexta.

A CONDEMNATIONE OMNIVM, QVI POST CHRIstum aliquid innouarunt contra proprietatem verborum, quibus instituitur Eucharistia, & veritas corporis in ea probatur. CAP. 14.

CVM tot modis elucescat, quæ fuerit primorum Christianorum fides & doctrina de veritate sacrosanctæ Eucharistiæ, nec postremò taceri debet, ex illa fide, post Ecclesiam fundatam & constitutam, damnatos ilicò & reiectos fuisse, quotquot aliter sentire visi sunt & cogniti: ita vt duplex successio ad nos vsque tradita, veritati illi astipuletur, & suffragetur: Vna, publicæ ac communis confessionis & professionis per omnes Ecclesias & prouincias, ad quas Christi Euangelium peruenit: Altera, condemnationis statim illatæ singulis, qui veritatem illam quoquo-

modo auſi fuerunt conuellere, quorum plantatio tanquam à cœleſti Parre nō profecta, inter vllos Chriſtianos radices altiùs agere nō potuit, aut diutiùs vigere, cùm interea noſtra de Euchariſtia confeſſio magis ac magis inualuerit, quò ſæpiùs eam conati ſunt homines circa fidem reprobi debilitare.

Capernaïtæ primi Chriſto promittenti obſtrepuerunt, atque alij ab eo ſeceſſerūt, nec ob id quicquam de expreſſo ſuo verbo remiſit, ſed potius illos increpauit.

Inter eos Iudas cenſetur, quemadmodum Chriſtus ipſum videtur perſtringere, cùm in Sermone de eſu carnis ſuæ interſerir, Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.

Theoph. in cap. 26. Matth.

THEOPHYLACTVS quorundam anteceſſorum ſuorum amplectitur in hoc ſententiam: quaſi ideò dixerit Chriſtus de poculo, Bibite ex eo omnes: quoniam Iudas panem acceperit, & non comederit, ſed occultauerit, vt monſtraret Iudæis, quòd panem corpus ſuum vocaret Chriſtus: poculum autem inuitus biberit, quòd non poſſet occultare.

Cyrill. l. 4. Pētabibls citatur à Turriano, li. 1. De can. Apoſt. c. 24.

Poſtea non aliud quàm panem ſacrum opinabantur eſſe Corinthij, quos redarguit Apoſtolus, ſicut in priore Repetitione declarauimus, & Cyrillus Alexādrinus annotat: Quia (inquit) myſterij traditionem ac vim initio quidam ex iis qui crediderant, cùm ignorarent, volebant extra metam rationis egredi, lauta conuiuia & cœnas populares in Eccleſiis agitantes. Eos qui hoc agere conſueuiſſent, Paulus reprehendit, clamans, An non habetis domos ad edendum & bibendum? Et panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt, & calix cui benedicimus, nónne participatio ſanguinis Chriſti eſt? &c.

Iudæi & Gentiles initio naſcētis Eccleſiæ ſupponi infantem à Chriſtianis fingebant, ac farre veſtiri, atque ita carne humana illos veſci. Quibus ita Chriſtiani reſpondenr, vt ſuam fidem de Euchariſtia aperirent, quantum res poſceret, & permitteret Chriſtiana religio, vt antea explicauimus. Poſtea conſpectis Chriſtianorum ſacramentis in pane & vino, Gentiles prædicabant coli ab illis Bacchum & Cererē, quemadmodum apud Auguſtinum eſt.

Aug. lib. 20. In fauſtum. ca. 13.

Hæretici Gnoſtici à Valentino & Marcione, atque aliis, etiam tùm irrepſerunt, qui non credebant Chriſtum humanum corpus induiſſe, ſed ſolam eius figuram & ſimilitudinem. Proinde ſicut vbicunque legebant in ſcripturis corpus, vel carnem, vel ſanguinem Chriſti, interpretabantur pro figura, & inani imagine: ira exponebāt in Euchariſtiæ materia, quorum opinio etiam tempore Ignatij explodebatur, vt de Theodoreto priùs allegauimus. Quoniam verò probabilitate carebat illa expoſitio, & ab omnibus Chriſtianis exſibilabatur, duo alia comminiſcebantur. Alij conſentiebant à Chriſto datum corpus ſuum, ſed panaceum, non carneum, quod carnis tamen eſſet figura. Sic Marcion inſaniebat, quem refutari à Tertulliano ſuo loco rradimus. Alij carneum corpus intelligendum annuebāt, ſed non quod Chriſtus induiſſet, vel geſſiſſet, ſed quod finxiſſet de carne & pane, vel quod pani aliundè ſuppoſuiſſet. Idcircò barbara & Cyclopica, quaſi ad imitationem Chriſti, de infanticidio, atque aliis nefandis obſcœnitatibus conficiebant ſacra & myſteria, vti videre eſt apud Epiphanium, vel per Magiam carnem & ſanguinem in ipſis apparere curabant, vr de Marco hæretico Irenæus recitar. Alij ſerpentem pro humano corpore ſurrogabanr, alij caſeum, alij aquam pro vino, alij frugum vel leguminum quædam genera, quorum figmenta à Cypriano, Epiphanio, Canonibus Apoſtolicis, & Conciliis percellunrur, vr inſtitutioni Chriſti, & Chriſtianæ fidei contraria.

PAVLVS Samoſatenus de corruptione corporis Chriſti in ipſa Euchariſtia quæ-

quæstionem postea mouit, sicut antea ex Dionysio Alexandrino meminimus.

Ex Gnosticorum prosapia Manichæi prodierunt, atque ab his vt hæreseon de incarnatione Christi, ita turpitudinum in mysteriis fuerunt hæredes. Quoniam nihil carnis & sanguinis sibi persuadebant inesse sacro pani & vino, dicebant à Catholicis puras creaturas adorari & se ab ipsis iniquè accusari, quòd adorarent Solem ipsum, qui esset creatura. Quin etiam, vt ex Leone Papa perspicitur, verborum Christi proprietatem de Eucharistia calumniabantur, & in ea disputare non verebantur, sed frustrà.

Aug. lib. 20. in Faustũ cap. 13. 15. 16.

Leo Serm. 6. de ieiunio. 7. mensis.

De Gnosticorum & Manichæorum dogmatibus multa Origenistis imputantur, ex quibus fortasse fuit, quod in elementis terrenis indignum iudicabant res cœlestes & diuinas haberi & percipi, sicut in pane & vino corpus & sanguinem Christi. Hoc ex Theophilo Alexandrino & primo Concilio Niceno transcripsimus. Alienum tamen ab hac hæresi Origenem scripta testantur.

Quemadmodum abyssus abyssum inuocat, ita Arriani ex detracta Christo diuina natura eò sunt progressi, vt in præsentiam humanitatis in ipsa Eucharistia irruerent, ac tantùm in ea participari gratiam spiritalem defenderent, ob idque verba Christi de Eucharistia inuerterent. Gregorius Nanzianzenus & Cyrillus Alexandrinus de vtroque videntur ipsos redarguere. Cyrillus enim eos insectatur, quasi per Eucharistiã dicerent nos solo vinculo spiritali Christo coniungi, ac scribit: An „ fortasse putat Arrianus ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ „ cùm in nobis fiat, nónne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chri- „ sti Christum in nobis habitare? &c.

Cyrill. lib. 10. cap. 13. in Ioãn.

Nanzianzenus verò notat eosdem Arrianos, qui tum vexabant Ecclesiam, quãdo „ scribit: Absque confusione & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem „ vitæ desiderio teneris, neque de sermonibus, qui de carne habẽtur, fidem deneges, „ neque ob passiones offendaris. Constans esto, firmus, stabilis, in nulla re propter „ Aduersariorum sermonem fluctues. Propterea Arriani ipsi mysteria non dubitabant pedibus cõculcare, atque aliis indignis modis contaminare, vt aliàs ex eodem Nanzianzeno proferimus.

Nanzianz. in Ser. Pasch.

Sub Augustino nescio quis Vrbicius dogmatisabat, sic vetera omnia transisse, vt in Christo ara cederet altari, pecus pani, sanguis poculo: adeò vt panem & vinũ „ carne & sanguine vacare affirmaret. Respondet Augustinus: Quantò melius & cõ- „ gruentius vetera transisse, & noua in Christo facta esse sic doceret, vt cederet altare „ altari, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini. Videmus quippè in his omnibus „ carnalem vetustatem spiritali cedere nouitati.

Aug. epist. 86.

Sub Valẽtiniano Imperatore Messaliani hæretici de Gnosticorum & Manichæorum hypocrisi plurimùm, & aliqua de dogmatibus retinuerunt, vt spiritalia dona nullis elementis alligari. Propterea in indifferentibus habebant Eucharistiam, neque prodesse cuiquam, neque obesse profitentes, & eam similiter atque communem cibum de cuiuscunque manu sumebant. Tum ab vniuersis damnationis sententiam tulerunt.

Theod. lib. 4. histor. cap. 10.

Anselmus, quia fortasse superiora non legerat, existimat ante Nestorium nullam factam quæstionem de Eucharistia: in qua cum Capernaïtis Anthropophagiam videbatur Christianis opprobrare, quoniam diceretur à Christo, Nisi manducaueri- „ tis carnẽ filij hominis, &c. Hunc ita Cyrillus repellit: Num tu hominis comestio- „ nem, Anthropophagiam, nostrum hoc sacramentum pronuntias, & religiosè ad „ crassas cogitationes vrges eorum mentem, qui crediderũt, & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola pura & inexquisita fide accipiuntur?

Ansel. cap. 18. De sacram.

Cyrill. anath. 1.

... 6 Synod. ...

In secunda Nicena Synodo accusantur Iconomachi, atque sacrarum imaginum hostes, quòd Eucharistiam traderent esse viuificæ carnis imaginem, non veritatem, tametsi imaginem illam per accessionem Spiritus sancti sic sanctificari dicerent, vt gratiam afferret.

Damascenus putatur vixisse circa annum septingentesimum: tum fuisse ostendit, qui *Hoc est corpus meum*, in figuram corporis deprauarent.

Imperante Constante Constantini filio, Heraclij nepote, Manichæorum genus extitit Paulicinianorum vocatum, quasi ex Paulo & Ioanne suis ducibus conflatū. Asserebant Dominum verba sua Apostolis dedisse, cúmque iussisse accipere, edere, bibere. Panem verò & vinum adhibenda negabant, ridiculi homines, nedū impij, qui formam sine materia frustrà applicarent.

Lib. 4. cap. 14. Euthym. in Panopl. tit. 21. Georg. Cedrenus in anno. 640.

Euthymius in Panoplia refert, Armenios, ex eo quòd arbitrentur carnem Christi in diuinitatem transisse, sacrificium panis, carnis Christi negare esse corpus, sed diuinitatis corpus affirmare. Quinetiam in Paschatis celebritate sacramentum non suscipiebant, sed Agnum quem immolabant, more Iudaïco assum igni comedebant, atque ita sanctificari se sperabant, & peccatorum veniam accipere.

In Imperio Alexij Comneni, Messalianorum quædam propago surrexit, Bogomili nominati, quasi Bulgarorum lingua, diuinæ misericordiæ imploratores. Sacrā corporis & sanguinis Domini communionem, dæmonum quos in templis habitare mentiebantur, sacrificium appellabant. O impia labra, ô linguas execrandas, „ exclamat Euthymius. Communionis panem, precem existimabant, qua oramus „ panem quotidianum nobis dari.

Euth. Pan. tit. 23.

Sarraceni, cùm alia multa irriderent, tum etiam illud Christianis improperabāt, quòd in altari deum suum comederent, quódque Christi corpus, si esset ita magnū sicut mons, iamiam esse consumptum deberet: quod cōuitium Iudæis, Sarracenis, Berengarianis, & Sacramentariis aliis est commune.

Tho. opu. 6. ca. 1. & 3.

Postellus De orbis concordia, citat ex Mahumetanis scriptis illos cœnam mysticā spiritalem petere, & sumere à Deo diuinitùs, non à Christo, aut ab vllo sacramento: quod cum nostris Sacramentariis valdè congruit.

Postell. lib. 2.

Tritemius narrat Ioannem Scotum, non illum subtilem, sed multò anteriorem, hominem Græcè non mediocriter doctum, auditorem Bedæ, Albini collegam, Monachum Benedictinum, de Britannia in Galliam euocatum, à Carolo Magno in pretio habitum. Crinitus paulò posteriorē facit in imperio Caroli Calui, qui Magni Nepos fuit, cuiúsque mandato Dionysij Areopagitæ libros latinitate donauit. Gaguinus, atque alij Galici Annales continent, in Britanniam reuersum, à discipulis quos erudiret, exemplo D. Cassiani, confossum graphiis, & sæuissimè interemptum. Ipsum Oecolampadius & Vadianus suæ hæresis sacramentariæ authorem nominant. Sed nemo, qui de illo scripsit, quicquam ea de re meminit. Tantùm Lanfrancus ait, Scotum in Concilio Vercellensi cum Berengario damnatum, quòd vterque communi de Eucharistia fidei aduersa sentiret, & hic ex illius scriptis opinionis suę seminaria hausisse affirmaret. Sed an ille Scotus Anglus extiterit, an alius, non indicatur. Vt illum esse nonnulli asseuerent, addunt „ cùm impietatem suam in auditorio publicè proponeret, ab auditoribus primò excæcatum, & posteaconfixum.

Gagnin. lib. 5.

Oecolamp. lib. 3. epistol. Vadian. lib. 3. Aphorism.

Eodem Tritemio authore, illo seculo floruit Bertramus, sacris in literis & profanis commendatus presbyter, & monachus. Tum editus est liber de Eucharistia, quem nostri Bertramo ascribunt. Sed quominùs ei tribuatur, obsunt multa. Imprimis verum illum Bertramum totos annos septingentos nemo hæreseos reprehendit, quasi malè scripserit: sed refertur in Catalogum scriptorum Ecclesiasticorum,

vt

vt vir non minus vita quàm doctrina, ingenio, & eloquio insignis & Catholicus, nec memoratur de Eucharistia quicquam scripsisse. Deinde in controuersia Berengariana Catholici Bertramo proximi, nihil tale quicquam ipsi imputant, vti faciunt Scoto, quem Berengarius extollebat, & se imitari iactabat, non taciturus de Bertramo, magni nominis viro, si quid illi de sua hæresi potuisset acceptum ferre. Insuper cùm Paschasius Corbiensis, qui etiam illo seculo vixit, suum scriptum opponat corruptelis libri, qui Bertramo datur, vt ex collatione notum fiet, proculdubiò Bertrami nomini non pepercisset, ne quis tanti viri authoritate falleretur. Postremò nec liber Bertrami excellentiam & probitatem præ se fert, aut sapit, sed artem callidi & impudentis hæretici, simulantis se à catholica fide non recedere, cuius locutionibus vtitur, cùm tamen desinat in hæresin Berengarianam, cui viam fecit, ac tandem agnoscat sententiam, quam introducit, receptæ doctrinæ de Eucharistia repugnare. Sic enim concludit: Hæc si probaueritis Catholicè dicta, fidei vestræ meritis deputate. Sin minus placuerint, id nostræ deputetur insipientiæ, quæ quod optauit, minus efficaciter explicare potuit. Indicat, quisquis fuit, suam doctrinam ab Ecclesia non approbari, & testatur se astutiùs scripsisse, quasi non potuerit simpliciùs & apertiùs. Itaque certum est, ortam tum disputationem de Transsubstantiatione, ac corporis Christi in Eucharistia veritate, & verbis institutionis circa seculum Caroli Magni & Caroli Calui, quemadmodum cernitur ex Rabano Mauro, & Paschasio Corbiensi: & tum exiisse librum, quem nunc Bertramo assignant, cui Paschasius respondent. Sed credibile est tum prodiisse anonymum, cui author non fuerit ausus nomen apponere, ne statim ad Ecclesiæ iudicium traheretur: sicut Berengarius, cùm primùm innotuit, vocatus est. Tandem vel nostra solùm ætate per Oecolampadium qui prior emisit hunc libellum, vel post Berengariana tempora, à quibusdam maleuolis Bertrami nomen fuit impositum, vt adulterino fœtui & hæretico maior conciliaretur authoritas.

Quoniam Berengarius, Andegauensis Archidiaconus, sub Leone nono Papa maiores turbas in Ecclesia de Eucharistia concitauit, ipsum ferè omnes Sacramentariæ tragœdiæ faciunt inchoatorem & auspicatorem. Homo fuit parùm eruditus, vt Guitmundus eius æqualis testatur, dialecticis captiunculis deditus, vanæ mundi gloriæ captator, animo elatus, conuitiator inuictus, toties confessus & relapsus, modò absens, modò præsens damnatus, & conuictus, & ad vomitum reuersus, quem pij viri, Concilia, & Pontifices confutarent magis, quàm corrigerent, quem tamen veritatis tandem vis inuicta, & vniuersalis de hoc sacramento consensus euicit: ita vt morientis verba hæc fuisse extrema ferantur: Nos sanè credimus post benedictionem Ecclesiasticam mysteria illa verum esse corpus & sanguinem Saluatoris, adducti verbis, & veteris Ecclesię authoritate: &, Hodie in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus, propter pœnitentiam, vti spero, ad gloriam, vel propter alios, vti timeo, ad pœnam. *Guillelmus Bibliothecarius De gestis Anglorum.*

Nondum anni centum intercesserant, quando Petrobrussiani & Henriciani, nominati à nescio quo Petro de Bruis & Hérico, veritatem corporis & sanguinis Domini in sacramento cum Berengario negauerunt: sed omninò illud nihil esse, nec Deo offerri debere decreuerũt. Memorię mandat Petrus venerabilis, quod zelus fidelium apud S. Argidium post flãmas Dominicæ crucis ab ipso succensas, Petrum concremando vltus est, atque ita impius ille de igne ad ignem, de transeunte ad æternum commigrauit. *Pet. Venerabil. epist. 1. lib. 1.*

Paulò pòst de eadem hæresi suspectus fuit Abelardus, quem Bernardus scribit de *Bernar. ep. 187*

ſacramentis Eccleſiæ,etiam altaris,non fideliter diſputaſſe. Qui ſanè mortis ac paſſionis Dominicæ meritum & ſatisfactionem ſuſtulit,non potuit non impia eius eſſe opinio de ſacramento,quod paſſionis memoriam celebrat, & eius pretium applicat.Ipſum tamen vt pœnitětem,& in fide Catholica Cluniaci mortuum, Petrus venerabilis commendauit,& Bernardo reconciliare ſtuduit.

Petr. venerabil.lib.5.ep. 3.& 20.

Ex Manichæorum & Priſcillianiſtarum, ac Petrobruſſianorum reliquiis emerſerunt Valdenſes,cognominati Pauperes de Lugduno, & Picardi. In Confeſſione, quam poſt annum milleſimum quingenteſimum ſextum miſerunt ad Vladiſlaum Hungariæ Regem,docent Chriſtum in naturali ſuo corpore ante extremum iudicium non verſari in terra, ideóque panem dici corpus Chriſti, ſicut Ioannes fuit Helias.

Bernard.Lutzemburgenſis in Catalogo hæreſeon.

Bernardus quoque Lutzemburgus meminit Almaricum Carnotenſem, Bena oriundum,magiſtrum artium & Theologiæ,anno circiter milleſimo ac ducenteſimo aſſeruiſſe,non aliter Chriſti corpus in altaris eſſe pane, quàm in communi, vel alia quauis re profana.Non tamen hanc hæreſin Innocětius tertius, à quo damnatur,illi imputat,aut vllus alius.

Idem Lutzemburg. anno 130.
In Clem.De religioſ.domi. b.

Ex illa Manichæorum cloaca erupetűt Albigei eodem penè tempore.Petrus Ciſtercienſis Monachus, de rebus contra eos geſtis hiſtoriam conſcripſit. Narrat publicè profeſſos,hoſtiam altaris nihil à pane laïco differre.Paulò pòſt fratricelli exorti,& Beguardi,ſiue fratres de paupere vita, cum Beguinis mulieribus, eadem cum ſuperioribus blaterantes,addentes eſſe imperfectionis & impuritatis,ſi ab altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, vt circa ſacramentum Euchariſtiæ, vel paſſionem humanitatis Chriſti,aliqua cogitarent.

Nicetas Choniates lib.3. Annal.

Ducentis plus minus poſt Berengarium annis,Nicetas Choniates recitat in Græcia in quæſtionem vocatum,vtrum quod percipitur à nobis, ſanctum Chriſti corpus incorruptibile ſit,quale fuit poſt paſſionem & reſurrectionem: an corruptibilè,quale fuit ante paſſionem, ac diuiſos Chriſtianos in contrarias factiones, & res veneratione ac ſilentio dignas, adductas in contemptum. Ex beati Eutychij fragměto quod allegat,veriſimile eſt ea de re etiam ſub Iuſtiniano magno de hoc quæſitum eſſe in controuerſia Aphtardocitarum,quemadmodum & aduerſus Paulum Samoſatenum.

Vix exceſſerunt anni ducenti, cùm ſicut Berengarius in Gallia, ſic extitit in Anglia Ioannes Vviclef, qui cùm de venerabili ſacramento Euchariſtiæ non diuerſum à Berengario ſentiret, quoniam tamen quàm fuiſſet error illius deteſtabilis, non ignorabat,minimè fuit auſus id præ ſe ferre:ſed ſicut narrat de eo Thomas Valdenſis, qui pluribus voluminibus impios eius errores confutauit, ſe nobiſcum eſſe ſimulabat, cùm non eſſet, volens videri Catholicus, & æmulus ſcripturarum in vultu, plenus Berengarius in fructu. Damnat eum (inquit Valdenſis) in verbis, honorat & ſalutat in ſententiis. Ex Articulis eius quadragintaquinque Conſtantiæ in Concilio damnatis erat tertius: Chriſtus non eſt in ſacramento altaris identicè, & realiter in propria ſubſtantia corporali.Atque inter octodecim Articulos eiuſdem à Vilelmo Videfordo impugnatos, ſecundus ponitur: Sicut Ioannes fuit figuratè Helias, & non perſonaliter, ſic panis figuraliter eſt corpus Chriſti,& non naturaliter. Sed hoc (inquit Videfordus) nemo vnquam dixit, niſi ſuper hæreſi ſuſpectus,vt priùs Berengarius & Fredenardus, quorum condemnata fuit ſententia.

Roffenſ.lib. 8. cap.4.in Oecolampad.

Ioannes Hus non perpetuò ſibi conſenſit,in doctrina de Euchariſtia. Nam inter triginta Articulos ipſius in eodem Concilio Conſtantienſi damnatos, vigeſimus quin-

quintus improbat sententiã & censuram quadraginta quinque articulorũ Vvicleſi per doctores latam, tãquam irrationabilem. Nihilominus Pragæ doctrina Vvicleſi, præſente & ſubſcribente Ioanne Hus, nõ ſemel damnata fuit, & à Pragẽſibus cauſam & ſectã Hus amplexis, ſæpiùs Euchariſtia ad cultum & adorationẽ circumlata. *Cocleus in hiſt. Huſsitarum.*

Porrò quò puriora fuerunt ſecula Eccleſiæ, pauciores hæreſis iſta fecit progreſſus, nec vllum alioqui pium, & in aliis Catholicum ac Chriſtianum nanciſci potuit defenſorem, cùm omnes Chriſtianorum aures ad eius commemorationem horrerẽt, & omnes docti atque gregi Dominico præpoſiti reclamarent. A quingentis annis, iam corrupto ſtatu Eccleſiæ, Berengarij ſeculo, ſolam Galliam, & eam non totam, lues hæc fuit peruagata, nuſquam extra Galliæ fines progreſſa. Similiter & Vvicleſi doctrina, trecentis plus minus annis poſtea nõ ferè ſpargebatur, niſi in certis quibuſdã Anglię locis. Quò verò deterior noſtra ętate facta eſt Chriſtianitas, magíſque abundauit iniquitas, & refrixit charitas, & quò propiùs acceditur ad finem, quando veniens filius hominis non inueniet fidem in terra, eò longiùs ac faciliùs hæreſis illa propagatur. Poſtquã infœliciter audacia ſua Luthero ceſſit Andreas Carolſtadius, qui Lutheri fidus Achates initiò fuerat, ſuũ & ipſe nomẽ ad poſteros tranſmittere cupiẽs, Berengarij veterẽ errorẽ renouauit, & noſtro æuo primus ſectæ Sacramentariæ inſtaurator fuit. Cuius ingenium non diſsimile Berengarij fuiſſe narratur. Sicut enim Berengarius ſcribitur ſtupidus & arrogans, ac leuiſsimis moribus præditus, non aliter à Melanthone depingitur Carolſtadius. Carolſtadius (ait) primus excitauit hunc tumultum, homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animaduertimus: tantùm abeſt vt in eo manifeſtatio aliqua Spiritusſancti animaduerſa ſit. Carolſtadium porrò, quãdoquidem impunè quiduis audendi cuique licẽtia fuit permiſſa, ſecuti ſunt Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, homines nec mitioris ingenij, nec melioris frugis. Sed nec cum Carolſtadio, nec inter ſe, nec vnus ſecum, nec cum ſuis ſectatoribus, in vna ſententia & interpretatione verborum Chriſti de Euchariſtia conuenire potuit. Quod autem Lanfrancus in Berengarium concludit, contra omnes valet: Hanc fidem tenuit à priſcis temporibus, & nunc tenet Eccleſia, quæ per totum diffuſa orbem, Catholica nominatur. Omnes enim, qui Chriſtianos ſe & eſſe, & dici lætãtur, veram Chriſti carnem, verum eius ſanguinem, vtraque ſumpta de virgine, in hoc ſacramento ſe percipere gloriantur. Interroga vniuerſos, qui Latinæ linguæ noſtrarum literarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenios, ſeu cuiuſlibet nationis quoſcunque Chriſtianos homines: vno ore hanc fidem ſe teſtabuntur habere. Porrò ſi vniuerſalis Eccleſię fides falſa exiſtit, aut numquam fuit Catholica, aut periit. Sed non fuiſſe, aut periiſſe Eccleſiam Catholicus nemo conſenſerit. Alioqui non eſt verum, quod Abrahæ veritas promiſit, dicens, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Poſtula à mẽ, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et, Ite in orbem vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Aduerſus tam clara ipſius Domini & ſancti ſpiritus de Eccleſia, & de ſtatu Eccleſiæ teſtimonia obiicis tu, & obiiciunt, qui à te decepti, alios decipere moliuntur. Itaque dicitis, Prædicatum eſt Euangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta eſt Eccleſia, creuit, fructificauit: ſed imperitia malè intelligentium poſtea errauit, & periit. In nobis ſolis, & in iis qui nos ſequuntur, ſancta in terris Eccleſia remanſit. Hanc ſacrilegam vanitatem euertit Euangelica veritas, & Prophetarum atque ſanctorum Patrum non violanda authoritas. Vnde Eccleſiæ ſuæ ſanctæ in Euangelio ſuo Dominus pollicetur, dicens, Ecce ego vobiſcum omnibus diebus vſque ad cõſummationem ſecu-

li. Quod minimè diceret, si Ecclesiam suam ante consummationem seculi perituram esse prænosceret. &c.

Neque verò duntaxat Ecclesia dispersa repudiauit, & anathemate toties repulit istam hæresim, sed etiam generalibus in Conciliis, ac prioribus, benè ac legitimè congregata, quemadmodum produximus de prima Nicena, de Alexandrina atque Ephesina, de Nicena secunda, & quatuor vel quinque, tum in Italia, tum in Gallia contra Berengarium conuocatis, ac denique de Constantiensi & Tridentina, quæ aliquando Deo propitio suum ius magis obtinebit, quo magis ab hæreticis fuerit improbata, sicut antiquioribus illis vsu venit.

FINIS.

REPETITIO TERTIA. DE ADVERSARIORVM ARGVMENTIS CONTRA PROPRIETATEM VERBORVM CHRISTI, QVIBVS EVCHARISTIAM INSTITVIT.

PRÆFATIO.

Esai. 51. ATTENDITE ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram quę peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Cōsolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. Esaias adhortatur Iudæos, & nos omnes, quibus admirāda Dei opera ad salutem credere necesse est, quantūcunque reluctetur sensus, & rationis nostræ probabilitas, vt cōuertamus oculos ad Abraham patrem omniū credentium, & Saram vxorem eius, atque ex miraculis, quæ ipsis præter hominū expectationem & iudicium euenerunt, ne de diuinis promissis & verbis dubitemus. Profectò si Abrahæ & Sarę historiam penitus excutiamus, *De hominis incredulitate innata cōtra verbis Dei.* primùm licebit inspicere, quàm sit naturæ nostræ ingeniosa & obstinata peruersitas ad resistendum Deo viuenti, & eiusdem sermoni, cui semper illa obmurmurat, & anxia atque sollicita omnia peruestigat, quibus quandiu potest contradicat. Intuebimur deinde, quàm contrà sit illa morigera & simplex diuinarum vocum interpres, postquàm fide dono Dei fuerit adiuta, ac planè illustrata. Postremò ad hāc historiam, quasi ad Lidium lapidem, nostras conscientias ęquum erit expendere, & velut in speculo cernere maculas infidelitatis, quibus contaminatum & infectum animū habēt, qui aduersātur sanę, catholicę, & orthodoxę doctrinæ de Eucharistia.

Genes. 12. Principiò pollicebatur Deus Abrahæ, Semini tuo dabo terram hanc, modò sequeretur quò vocaret. Abraham obediuit quidem mandato, & patriæ ac cognationi renuntiauit: sed de semine sibi pollicito hæsitare cœpit, cùm natura spem illi adimere videretur suscipiendæ prolis ex Sara. Quamobrem cùm nō auderet prorsus

ſus refragari verbo Dei, conatus eſt ad ſenſum figuratū & ſpiritalē pertrahere, atque ſemen per adoptionē interpretari. Cùm enim repeteret Deus promiſſum ſuum, reſpondit Abraham: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam ſine liberis: mihi non dediſti ſemen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit: quaſi obiiceret, de ipſo intelligatur oportet pollicitatio tua, cùm per naturam nulla mihi relinquatur ſpes de alio ſemine. Deus tum ipſum increpauit, qui ſic diuina effata à proprietate literæ ad ſpiritalem intelligentiam propter naturæ impotentiam transferret: & addidit ea, quæ ſpiritalem & figuratum ſenſum illum excluderent, primúmque verbum Dei ad literam accipiendum, & ſemen naturale intelligendum oſtenderent. Scribitur enim, Factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens, Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredē. Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemē tuum. Abraham ſanè tum credidit & reputatū eſt ei ad iuſtitiam: non tamē deſtitit humana ratio etiam diuino huic oraculo obſtrepere, & in malū ſenſum propter naturæ difficultates traducere. Nam Sara cùm in Dei verbo videret declarari ſemē ex vtero viri progreſſurum, ſed nihil de ſe expreſſum, cui impedimentum afferret natura, ne ſemen iſtud pareret, ſolertiſſima contra ſermonem Domini mulier modum adinuenit, quo ſibi & verbū Dei adimpleri, & omnis naturæ ac rationis perplexitas videretur ſolui & expediri. Ecce (inquit) cōcluſit me Dominus ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Miſericors Dominus & fidelis in omnibus verbis ſuis patienter tulit initio iſtam mulieris ſubtilitatem: ſed qui comprehendit aſtutos in aſtutia ſua, tandem docuit malum aduerſus Dei verbum conſilium fieri conſultori peſſimū. Etenim grauidam ancillam permiſit ſtatim inſoleſcere in heram, vt prima experimento diſceret ſemen fortunatiſſimum domui Abrahæ, quod promiſiſſet Dominus, non ex ſerua ſperandum quæ heram affligeret, ſed ex libera & vxore legitima. Quod poſtea, vt eximeretur omnis ſcrupulus, pronuntiatum eſt à Deo, cùm dixit expreſsè: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram: Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, erítque in nationes, & Reges orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit in corde ſuo, dicens, Putáſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Dixítque ad Deum, Vtinam Iſmaël viuat coram te! Et ait Deus ad Abraham, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabíſque nomē eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eū. Sequenti capite, non cōtentus fidem dediſſe Abrahæ, quærit ex eo, Vbi eſt Sara vxor tua? Reſpondit ille, Ecce in tabernaculo eſt. Cui dixit, Reuertens veniam ad te tempore iſto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. Erant autem ambo ſenes, prouectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. Quæ riſit occultè dicens, Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, ego voluptari operam dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham, Quare riſit Sara dicens, Num verè paritura ſum anus? Numquid Deo quicquam eſt difficile? Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vita comite, & habebit Sara filium. Negauit Sara, Non riſi, timore perterrita. Dominus autem, Non eſt (inquit) ita, ſed riſiſti. Mirabilis ſanè hiſtoria, quæ noſtros mores & incredulitatem ob oculos ponit, vbi cœperimus à verbis Dei deflectere. Abraham pater ille credentiū derelictus fuit aliquātiſper ſuo frui ingenio, & humana induſtria abuti ad inſtructionem eorū & ædificationē qui credituri ſunt Euāgelio in vitam æternam. Facilè paſſus eſt Abraham ſibi eripi opinionē de ſemine adoptiuo, vt ineptā & indignam, toties atque ita accuratè inculcata Dei promiſſione: ſed libenter acquieuiſſet in Iſmaële, & ſemine quod ſibi ſolum poſſe donari

Infidelitas primum verbum Dei ſolet à ſua proprietate in figuram transferre. — *Geneſ. 15.*

Infidelitas ſolet modos humanos ad verbum Dei inducere. — *Geneſ. 16.*

Geneſ. 17.

Geneſ. 18.

Infidelitas cùm iam non habet quo verbo Dei reſiſtat, ſolet eludere iocis et riſu.

per naturam existimabat. Cùm verò cogeretur à Deo semen aliud ex nuptiis legitimis expectare, quasi rem impossibilem & incredibilem derisit, quia modum videbat in natura deficere. Sara insuper ob eiusdem modi defectum corrisit, & ludibrio habuit sponsionem Domini, cui etiam voluit illudere, & risum suum occultare. *Ad Rom. 4.* Non sum nescius commendari Abrahã ab Apostolo, qui contra spem in spem crediderit, nec infirmatus sit in fide, neque cõsiderauerit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ, qui neque in repromissione Dei hæsitauerit diffidentia, sed confortatus sit fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideò & reputatum illi istud fuisse ad iustitiam. Verùm si diligentiùs contulerimus textum Pauli cum historia, animaduertetur perfacilè illam absolutissimam & inuictissimã fidem ab Apostolo non tribui Abrahæ, nisi post gradatim explicatam & confirmatam promissionem à Deo de semine ex Sara. Nam antea, quamuis scriptum sit nonnihil illum credidisse de semine, & hoc ei imputatum ad iustitiam, quia quædam fuerit fidei & iustitiæ inchoatio, tamen quoties cogitabat de modo, & naturam vxoris atque ætatem attendebat, pendebat incertus vnde istud semen procrearet, aut in quo significatu acciperet: ac ne quidem à risu temperauit, cùm supra naturæ facultatem de Sara nuntiaretur illi semen propagandum, donec & ipse & vxor eius de scurrilitate & infidelitate duriùs redarguti sunt, ac de modo edocti.

Fides animo impressa nihil admittit cõtra verbum Dei. Numquid, ibi dicitur, quicquam est Deo difficile? Tum igitur dedit omninò manus Abraham, & nusquam posteà legitur ex humana ratione Dei verbo reclamasse, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens sit & præstare. Cùm *Genes. 22.* iubetur immolare filium suum Isaac, non reflectit amplius oculos ad naturam, non cõqueritur se defraudari spe sibi facta de semine, sed omnia commisit Deo, ait A- *Ad Heb. 11.* postolus, λογισάμενος & post omne ratiocinium concludens, quia & à mortuis po- *Genes. 22.* tens esset Deus suscitare filium. Percontatur Isaac, Pater mi, ecce ignis & ligna, vbi „ est victima holocausti? Parens credentium filium erudit omnia referre ad diuinam „ prouidentiam, cùm de diuini mandati executione agitur: Deus prouidebit, inquit, „ de victima, fili mi. Itaque in hac vniuersa historia obseruemus & admiremur Dei „ bonitatem, nostri ingenij malitiam, antequàm fidem imbiberit, & fidelium ad omnes rationum atque dubitationum fluctus immotam mentem vni cœlesti potentię & prouidentiæ innixam. Dei bonitas relucet in eo, quòd sermonem suum paulatim illustrat, quem nostra incredulitate aut subtilitate nunquam finit opprimi, sed qui de tenebris iussit lucem splendescere, ex nostris contentionibus elicit potius veritatem, & eandem explanandi accipit occasionem, cùm interea videatur vinci, *Deprauatio mentis nostræ circa diuina.* quia clementer nostras ineptias per aliquod tempus audit & patitur. Deprauata nostra mens & ratio primi peccati instinctum secuta, sibi & suis inuentionibus fauet impendiò, omniaque ipsis seruire vult: & quoniam diuina oracula semper aliquid altius intonant humanis viribus & cogitationibus, errat in eo, quòd ista metitur ex sua libidine & corruptione, ex cuius imbecillitate magnitudinem Dei oppugnat, eiúsque verbo, vt aliquem modum suo captui & desiderio conuenientem adaptet, molitur omnia, syllabas numerat, versat, interpolat, vrget si quid omninò diuinis verbis deesse videatur, aut aliis scripturis aduersari, vt aditum suis inuentionibus faciat, & suæ intelligentiæ diuinam maiestatem subiiciat. Quòd si fictionibus humanis via interclusa fuerit, tandem cum Sara effunditur in risum potius nostra deprauatio, quàm assentiatur Deo supra naturæ facultatem aliquid proponenti & dictanti. Breuiter ars vna est, & methodus communis omnibus infidelibus, & in reprobum sensum traditis hominibus, vt ex sui ingenij captu de diuinis mensu-

ram agant, ad illúmque Dei verba accommodent, aut repugnantia derideant, audiántque libentiùs dæmones & mulierculas, quæ sermonem Domini ad modum & facilitatem aliquam naturalem transferant, siue etiam in risum redigant, quàm ipsum Dominum asseuerantem & inculcantem quæ semel supra hominum mentem promiserit. Animus verò credẽtium, in quibus fides radices egerit, hæret mordicus verbo Dei: ingenium atque solertiam omnem despicit, cui vnam diuinam omnipotentiam opponit, nec diutiùs potest sustinere sibi litem intendi de sensibus & naturæ contradictionibus, sed totus in Deum Deíque sermonem incumbit. Nouit enim vtrumque veracem, qui non mentiatur, & omnipotentem, qui quod affirmat, reipsa perficere queat. In vtroque itaque figit pedem, nec sinit se ab hac statione depelli, plenissimè sciens, quia quæcunque promiserit Deus, potens sit & facere, & omnes nodos atque difficultates explicare. Itaque est vnica fidelium anchora, ars & doctrina, qua ipsi aduersus omnes naturæ modos & contrarietates, atque omnia tela etiam ignita diaboli instituuntur & muniuntur à Domino. Fortasse non iniucundum foret credentium & incredulorum ex scripturis acies educere, & spectandas proponere: sed quoniam prolixiore oratione res indigeret, satis erit admonuisse scripturarum lectores vt aduertant propiùs, cum inciderint in aliquod incredulitatis exemplum, an non ex sola consideratione facilitatis humanæ atque iudicij nostri contra assertionem Dei consurgat? An non qui de terra est, de terra semper loquatur? An non Adamus ac vetus noster homo propensior sit ad obsequendum vxori suæ, id est, humanæ ac carnali rationi, potiusquàm Dei voci ac præcepto? An non incerti ac nutantes circa verbum Domini semper confirmentur, & increpentur ex pronunciata ab ipso sententia, atque eius omnipotentia? An non omnes, quorum fidem commendat Apostolus, verbo Dei instructi, contra omnẽ rationis ductum, subtilitatem atque apparentiam, vni sese tradiderunt & commiserunt diuino oraculo & omnipotentiæ. Sic fides fit Abrahæ dubitanti propter naturæ defectionẽ, de verbo & promissione Dei. In eam verè fidelis effectus omnes suas cogitationes defixit & reposuit, cùm iuberetur vnigenitum suum tollere cõtra naturæ & diuinarum legum dictamen, quæ liberos à parentibus necari prohibent, & quibus promittebatur ex vnigenito illo propagandas gentes, quæ operirẽt vniuersam terram. Ex eadem bis redarguitur Mosis incredulitas, qui propter naturæ impotentiam cunctabatur fidere voci Dei, & mãdato obsequi. Obsecrò Domine (inquit Moses) non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuũ, impeditioris & tardioris linguæ sum. Respondit Dominus ad eum, Quis fecit os homini, aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? Nónne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris. Pollicebatur Deus carnium affluentiam, vt populus expetierat. Moses rem credidit impossibilem ex naturali deserti penuria & solitudine. Nam dixit, Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, Dabo eis escam carnium mense integro. Nunquid ouium & bouum multitudo cędetur, vt possit sufficere ad cibum, vel omnes pisces maris congregabũtur, vt eos satient? Cui respondit Dominus, Nunquid manus Domini inualida est? Iam nunc videbis vtrum meus sermo opere compleatur. Hîc indubitanter pronunciat fidendum sermoni Domini, atque eius confirmationem petendam ab omnipotentia eius, & non ab humana argutia. Ex eodem prępotenti manu Dei cùm populus in aduersis de diuino auxilio desperaret, propter exiguam apparentiam ex pręsenti suarum rerum statu, erigitur à Prophetis in diuini promissi certissimam spem. Apud Esaiam Deus sic consolatur & excitat populũ: Nunquid abbreuiata, & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere, aut

Animi fidelis conditio. *Ad Heb. 11.* *Anchora fidei est Dei omnipotentia.* *Exod. 4.* *Num. 11.* *Esai. 50.*

non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Hieremiæ præcipiebatur, vt emeret agrum in extrema & grauissima obsidione vrbis Hierusalem in signum restaurandæ ciuitatis, & possidendæ in pace. Propheta enarrat multa, & testatur de factis & prodigiis, quibus Deus anteà virtutem suam exeruerat: trepidat tamen, & de sermone Domini propter imminens excidium ambigit. Ecce munitiones (inquit) extructæ sunt aduersus ciuitatẽ vt capiatur, & vrbs data est in manus Chaldæorum, & in manus regis Babylonis, qui præliantur aduersus eam à facie gladij, & famis, & pestilentiæ: & quæcunque locutus es, acciderunt, & tu ipse cernis: & tu dicis mihi, Domine Deus, Eme agrum argento, & adhibe testes, cùm vrbs data sit in manus Chaldæorum. Antinomias illas & pugnantia præcepta à se per Prophetam edita, Deus ipse respondet se facile conciliaturum ex omnipotẽtia sua, effecturúmque vt vtrumque verbum sortiatur effectum suum, & de euersione vrbis, eiusdémque restitutione in integrum. Factum est (scribitur) verbũ Domini ad Hieremiam, dicens, Ecce ego Dominus vniuersæ carnis, nunquid mihi difficile erit omne verbum. Propterea hæc dicit Dominus, &c. Ex eadem infinitate cœlestis potentiæ admonetur virgo Deipara non scrutari modum sui cõceptus ex vulgari naturę ordine. Cùm enim anxia interrogasset, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, de modo secundum naturę curriculum sollicita: respõdit tandem Angelus, Non erit impossibile apud Deum omne verbum, ne pergeret curiosiùs indagare modum. Apostolus ad comprimendos eos qui ex proprietatibus corporũ naturalium glorificationi nostrorum corporum detrahere potuissent, modum ostendit non petendum ex natura, sed ex Christi loquentis & affirmantis excellentia. Reformabit (ait) corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum potentiam virtutis suæ, qua etiam possit sibi subiicere omnia.

Hier.32. *Luc 1.* *Ad Philipp.3.*

Cæterùm vt ad Eucharistiam, de qua cum aduersariis grauior suscipienda est disputatio, delabamur, nusquam legũtur homines pertinaciùs restitisse verbo Dei ex modica fide, quàm in alimentorum oblatione, quæ non ex naturæ promptuario, sed ex suo singulari penu egentibus Deus elargitus est & donauit. Ad pastum naturalem & modum vulgarem depressi & proni, ex illo modo incredulitatis vitiũ incurrerunt, & Dei sermonem quasi ludibrium sunt interpretati. Quo errore ne quidem summi viri Moses, Aaron, Apostoli in historia panum & piscium, quibus turbas pauit Christus, caruêrunt. Israëlitas recitat Dauid ferociùs promisso Domini insultasse, quasi cibum istis suppeditare nequiret, quia modus naturalis in deserto sterili deficeret, tametsi iam essent experti diuinam potentiam in eliciẽdis aquis de petra. Eduxit (inquit) aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitauerunt excelsum in inaquoso, & tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Ideò audiuit Deus, & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira Dei ascendit in Israël: quia non crediderũt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius. Et mandauit nubibus cœli, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia. Populus infidelitatis morbum contraxit ex consideratione deserti, ex eiúsque natura diuinam pollicitationem & virtutem ludificari ausus est: sed patiens Dominus verbo suo efficaciam subministrauit, ac docuit non in suis factis spectandam rationem aut naturam, sed à se di-

Humana mens semper diffidit verbo Dei de promisso sibi alimento. *Ioan.6.* *Psal.77.*

ctum ſermonem, ſibique innatam virtutem. Idcircò ex ea ſatisfacit populo mur-
„ muranti: Afflixi te penuria,& dedi tibi Manna,vt intelligeres quia non in ſolo pane *Deuter.8.*
„ viuit homo,ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei,vt addiſceres ſcilicet ho-
„ minem ali poſſe non ex ſolis frugibus terræ quas natura fert,ſed ex omni re, quam
ad hominis victum inſtituerit Deus verbo ſuo,& decreuerit. Vt in Manna, Eucha-
riſtiæ figura,propter modum iuxta naturę ordinem ſibi incompertum rebellarunt
Iudæi: ſic propter eundem modum deſeruerunt Chriſtum, & ſermonem eius de
Euchariſtia ſunt aſpernati Capernaïtæ illi, qui nihil niſi naturalia ſapiebant & eru-
ctabant,cùm abeuntes obſtreperent: Quomodo poteſt hic nobis dare carnē ſuam *Ioann.6.*
„ ad manducandum? Durus eſt hic ſermo: & quis poteſt eum audire? Hanc conue-
nientiam eleganter Sedulius,vetus & Chriſtianus poëta ſic expreſſit,

„ *Murmurat impietas Manna veniente refecta:* *Sedul. poëta hymn.1.*

„ *Panis adeſt Chriſtus,murmurat impietas.*

Petrus cum Apoſtolis iam edoctus, quonam pacto in diuinis operibus verſari o- *Petrus ex verbo Dei docet omnem tollendi dubitationem.*
porteret,cùm interrogatur à Chriſto,Nunquid & vos vultis abire? reſpōdet ſe mi-
nimè offendi Euchariſtię miraculo,quia non intueretur naturam & ſolitos modos
veſcendi alicuius carne, ſed vitæ atque diuinitatis potentiam,quæ in Chriſto habi-
taret corporaliter,& in ipſius verba exundaret,vt poſſet quicquid & quomodo li-
beret. Domine(inquit)ad quem ibimus? verba vitæ æternę habes. Hoc enim reſpō-
ſum dedit,vt omnē dubitationem de modo à Capernaïtis obiectam tolleret. Per-
pendi ſæpè apud me fundamenta diſſidiorum,quæ de Euchariſtia exierunt in mū-
dum,& ab eadem fide defectionum. Vnicum ſanè iudico, cui alia omnia tantùm
ſunt veluti quædam adminicula, quod toti modis naturalibus & rationibus excæ-
cari,nolimus oculos ad Dei potentiam attollere,& ex eius immenſitate metiri ver- *Fons errorum, quòd nos & noſtra præponamus Dei & eius virtuti ac ſermoni.*
bum ab illo dictum, *Hoc eſt corpus meum*, ſed ex proprietatibus & infirmitatibus,
quibus circundantur corpora noſtra. Scio Sacramentarios gloriari à ſe tribui om-
nia maieſtati diuinæ,ſed de eius placito ac voluntate cōqueri,& ambigere. Verùm
inficiari non poterunt,cùm ipſis proponitur affirmatio, *Hoc eſt corpus meum*, quod
pro vobis datur: per quam de Chriſti animo tam conſtat, quàm poteſt homini de
alicuius intimo cordis receſſu per ſermonis aſſertionem conſtare, quin excipiant
contra rectum,ſimplicem,ac planum ſermonis ſenſum ex humanę rationis modu-
lo ac temperamēto. Itaque velint nolint, fateantur neceſſe eſt incredulitatem ſuam
naſci,& fulciri ex ingenij noſtri contra verbum Domini oppoſitione,qua demēta-
ti renouant prorſus,& repræſentāt infidelitatis hiſtoriam, quam de Abraham ſcri-
ptura propoſuit, antequàm eſſet confirmatus in fide. Vt enim ille primùm ſtuduit *Tribus infidelitatis generibus laborant Sacramentarij.*
verbum Domini de ſemine ad figuratum & ſpiritalem ſenſum inflectere,quoniam
ſpem illi natura de ſubſtantiali ſemine non oſtenderet: ita Cinglius conabatur, *Hoc
eſt corpus meum*,ad figuratam intelligentiam conuertere,quia ratio non aſſequeretur
in tantilla panis ſpecie, tótque in locis altarium, & ſimul in cœlo corpus naturale
inconſpicuum adſiſtere. Dominus Abrahamum corripuit,& paucas dictiones ad-
iecit,quę ipſum dimouerent à ſpiritali ſenſu: DABO tibi ſemen,inquit,de vtero tuo.
Ita Caluinus vidit ſatis correptum à Chriſto Cinglium per oppoſitionem harum
vocum, Quod pro vobis datur, Qui pro vobis funditur in remiſſionem peccato-
rum,ne corpus & ſanguis figuratiuè tantùm ac ſpiritaliter præberi dicatur. Verùm
quemadmodum Sara illam de ſemine additam expoſitionem & explanationem
ſategit iniuſſu DOMINI accommodare per Abrahæ congreſſum cum ancilla, ita vt
naturalis modus nec offenderetur, nec excederetur in ſeminis procreatione de v-
tero Abrahæ ex Ancilla quæ per naturam concipere & parere poterat: Sic Caluinus

modum adinueniſſe ſibi viſus eſt, quo corpus Chriſti pro nobis traditũ iuxta verbum ipſius manducaretur etiam realiter, & tamen minimè naturales proprietates corporis violarentur. Ne ſit corpus ſine loco, negat exiſtere ſub panis effigie. Ne plures locos impleat, affirmat concludi aliquo cœli aut ſupra cœlos ſpatio: nihilominus percipi in actione Cœnæ extra panem in cœlo poſitum per fidem quaſi digito contingi, atque eiuſdem defluxum per Spiritus ſancti canalem in animas noſtras diſtillari. Iſta eſt proculdubiò belliſſima & valdè popularis ſentētia, quæ verbis ſpecioſis facilè incautorum oculos perſtringat: ſed cum Sara naturæ ordini, & naturalibus corporis humani proprietatibus patrocinari mauult, vt vim ſermoni Domini faciat. Multò enim minus Caluinus probare poterit ſuum commentum in inſtitutione Euchariſtiæ vllo modo comprehendi & fundari, quàm Sara fœtum ex ancilla potuit demonſtrare contineri in ſeminis promiſſione. Propter naturæ difficultates corpus Chriſti ſuſcipi contendit Caluinus aliunde, quàm ex pane deſignato per verbum Domini, ſicut propter eiuſdem naturæ impotentiam ſemen legitimum gigni procurabat aliundè quàm ex ſuo matrimonio, non ſatis, vt putabat, per promiſſionis verbũ ad ſeminis productionem requiſito & expreſſo. Tum certè licuit Saræ culpam ſuam prætexere, & defendere eodem fuco, quo nunc Sacramētarij non excuſant modò, ſed commendant ſuam. Potuit illa iactare, nihil intereſſe de qua naſceretur ſemen, modò ederetur in lucem aliquando, vt nunc Caluiniſtæ prædicant non curandum vnde ſumatur corpus Chriſti, modò capiatur aliundè quàm ex pane. Attamen vt partus ex ancilla non exhibuit ſemen, quamuis ex vtero Abrahæ prodiiſſet, quoniam aliundè quęrebatur, quàm verbo Domini ſignificaretur, ſed pro ſemine legitimo natus eſt Iſmaël de ancilla, cuius manus contra omnes, & omnium manus cōtra ipſum, quíque verum ſemen affligeret & opprimeret, ſic ex fictionibus adulterinis omnium aduerſariorum non percipitur verum corpus Chriſti, quoniam aliũde petitur, quàm pactum & dictum Domini polliceatur, ſed pro vero corpore rabiem quandam & Iſmaëlis feritatem animo concipiunt, & ex ſua Cœna reportant, qua incitati ſurſum ac deorſum permiſcent omnia, & inquieti omnibus minitantur, ac quotidie oppreſſis legibus, abiecto omni pudore, exuta omni humanitate, & depoſito Dei timore, cœlum terrę pērmiſcent, omniáque perturbant. Ne verò quicquam Iſmaëlitis ſinerent proprium, quod non ſibi arrogarent, vt illi pro Agarenis Sarraceni dici, ac legitimi ſeminis nomen atque omnia iura vi & armis vſurpare ſtuduerunt, ac ſe in omnibus pro legitimis promiſſionis filiis gerere: ita videas aduerſarios id conari maximè, ne heretici nominentur, ſed præ aliis filij Dei, fideles Abrahę liberi, fratres Chriſti, puri puti Chriſtiani, & reformati Catholici, quibus debeantur omnia iure Pauli, quę deprædantur & deuaſtant immaniori crudelitate & Barbarie quàm Sarraceni. Verùm vt ad rem redeam, ſicut Deus Saram non permiſit diutiùs in errore verſari, ſed ad elucidationem ſuæ promiſſionis adiecit ſemen gigni oportere ex ipſa, ne vllus poſtea reſtaret tergiuerſandi locus: ſic quoque Ieſus Chriſtus, vt omnem litigandi præcideret occaſionem, manifeſta oratione declarauit, ſumendum verum ſuum & idem corpus quod traderet cruci affigendum, ex eo quòd manibus porrigeret, ne fingeremus ſine ipſius verbo nobis corpus illud exhiberi aliundè, quàm ex ipſius panis ſacramento. Apoſtolus mentis & intentionis Domini fideliſſimus interpres, ſubiecit panis ſacramētalis fractionem, communionem eſſe corporis Chriſti: adeóque coniuncta panem & corpus patefecit, vt vnum ſine alio diſtribui nequeat aut percipi. Poſtremò, ne ab vllo infidelitatis argumento Sacramentarios abhorrere exiſtimes, quemadmodum Abraham & Sara eum iam non inuenirent poſt additiones appoſitas, qua

Ex aduerſariorum infidelitate naſcitur alter Iſmaël.

parte

parte sermonem Domini arroderent, ad risum & iocos confugerunt, quibus tanquam rem absurdam & ineptam, promissum Domini viderentur eludere & despicere. Ita Cinglianos & Caluinianos leges & audies ex sensibus & naturæ actionibus in Eucharistiam iocari lepidissimè, cùm solidis destituuntur argumentis. Candidatum Deum, impanatum, à pistore cōfictum facetissimè amplificant, comburi, contaminari, comminui, à porcis lacerari & vorari, à muribus arrodi, in ventrem mitti, & egeri, & per istas suauissimas sibi blasphemias verbum Domini & admirāda eius acta subsannāt & conculcant. Obiicit Caluino in Apologia Vuestphalus ab ipso censeri impiam subsannationem, si quis dicat corpus Christi vorari, prostitui,
„ pani affigi, si de Christi institutione agitur. Accipimus, inquit, confessionem, & ex
„ ore iudicamus Caluinum, quòd sit impius irrisor. Aliquoties enim in sermonibus
„ de Cœna, ingerit auribus & oculis voces meretricibus conuenientes, quas fortasse
„ didicit à matre sua pontificij sacrificuli concubina. Ornaturus splendidè sacramē-
„ ti dignitatem, primo ferè loco collocat Prostituēdi verbum, & aliàs térque quatérque
„ prostitui corpus Domini, meretricio sermone, & impurissimo calamo scribit.
„ Non antè absoluemus eum, quàm euicerit se non obloqui Domino Christo, &
„ causam à nostris defendi, quæ in institutionis solido fundamento non consistat.
„ Frustrà colunt Deum, qui cultus præstant, non secundum Dei verbum, sed secun-
„ dum placita & traditiones hominum. Frustrà quoque Sacramentarij simulant, se
„ magna religione mysterium sanctæ Cœnę celebrare, quandiu eam infinitis contu-
„ meliis & probris afficiunt, atque ex ea eximunt pretiosissimum thesaurum præsen-
„ tis carnis & sanguinis Domini. Ista de Caluino ad verbum Vuestphalus. Ac ne libri Caluini Vuestphalum iustè de mendacio coarguant, Beza duos libros conscripsit de re Sacramentaria contra Heshusium. Quicquid auditur sannarum & dicteriorum, ac nugarum, sordium, & obscœnitatum in ganeis, prostibulis, poëtis satyricis, cloacis & latrinis: diuinus poëta tanquam è quodam copiæ cornu effundit in illo de angustissimis Christianorū mysteriis opere, quod legere nequeas sine multis cachinnis, horroribus & execrationibus. Fidem faciat lectio ea de re. Hactenus de tribus generibus, quibus verbum Domini peruertitur, & infidelitas comparatur, quibúsque errandi ansam vna rerum naturalium consideratio præbet, & fundamētum iacit. Aut enim, inquam, à proprietate literæ ad vagas & spiritales intelligētias decurritur: aut finguntur humano ingenio variæ opiniones, quæ falsò attribuuntur verbis Dei, cùm ab eorum simplicitate discrepent, sed apparent non omninò aduersari & contradicere. Postremò impius cùm in profundum venerit, contemnit, & Dei sermonem ludum iocúmque ducit, quáuis interdum pietatem simulet, ac præ se ferat, atque ex rebus sensui obiectis contra supernaturalia Dei facta artem exercet ludicram. Ab initio mundi, & tempore Abraham, quoties in manus inciderit alicuius infidelitatis & hæresis prorsus enarrata & descripta historia, meminerit Lector ad illa tria capita infidelium & hæreticorum rationes omnes & voces reducere & expēdere: perspiciet quàm omnes sibi congruant, & inter se conueniant. Nos autem si inter tot opinionum & hæreseon flatus & procellas, quibus hodie agitatur veritas, & fluctuat Ecclesia, salui & catholici enauigare ex hoc mundo studemus & cupimus, tanquam sacram anchoram menti ac memoriæ nostræ defigamus, quod Timotheo cum singulari adhortatione commēdat Apostolus: O Ti- 1 ad Timot. 6
„ mothee, inquit, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppo-
„ sitiones falsi nominis scientiæ, quam quidem appetentes circa fidem naufragaue-
„ runt. Ne itaque circumferamur omni vento doctrinæ, sed depositū custodiamus, ac verbis Dei mordicùs hæreamus, nec nouitatibus vocum & interpretationum

ſinamus in alienum ſenſum detorqueri,aut vllo ſcientię prætextu aut fuco peruerti:Præſens Repetitio nebulas diſcutiet,quibus aduerſarij tenebras verborum Chriſti proprietati, quibus Euchariſtiam inſtituit,conantur offundere. Huic proxima depellet falſas oppoſitiones rationis & Philoſophię contra Dei omnipotentiam,& eius ſermonem, quibus exiſtentiam carnis Dominicæ ab Euchariſtia ſtudent proſcribere:Alia ſequetur Repetitio de aduerſariorum ſcurrilitate contra eiuſdem carnis manducationem, vt ita omnibus ſuis numeris infidelitas in aduerſariis abſoluta cognoſcatur.

QVIA EX AVGVSTINO, EDERE CARNEM HVmanam ſapit flagitium,ideò interpretenda verba Domini per figuram omnes docent Sacramentarij. CAP. I.

QVÆRIMVS initio à Sacramentariis,qua ratione impulſi, dilucidis verbis enuntiatam inſtitutionem Euchariſtiæ, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis funditur in remiſſionem peccatorum*, à ſua proprietate in figuras diſſoluant. Magno ſupercilio regulas iactant, & profitentur, quibus ſibi eſſe neceſſe aiunt proprietatem à verbis Chriſti repudiare, quarum prior vetat literæ inſiſtendum, quæ ſenſum flagitioſum pariat: qualis eſt carne humana barbarorum more veſci: eam regulam interpretandi ſcripturas ſe ex Auguſtino didiciſſe gloriantur.Si præceptiua eſt (inquit Auguſtinus)locutio, flagitium aut facinus vetans,aut vtilitatem aut beneficentiam iubens,non eſt figurata: Si autẽ flagitium aut facinus videtur iubere,aut vtilitatem,aut beneficentiam vetare,figurata eſt.Niſi manducaueritis carnem filij hominis,& ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis,facinus vel flagitium videtur iubere. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum memoriæ, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit. Adiungit Petrus Martyr Origenem,qui Auguſtino conſentiat. Eſt (inquit)& in Euangelijs litera quæ occidit,non ſolum in veteri Teſtamento.Si enim ſecũdum literam ſequeris illud quod dictum eſt,Niſi manducaueritis carnem filij hominis,non habebitis vitã in vobis,litera illa occidit. His antequàm acquieſcat Chriſtianus,quatuor penſitet, ne non ſola ſacramentariorum hæreſi, ſed infinitis propè erroribus per regulam & authoritatem Auguſtini ſe inuoluat.Primùm videat an ex ſcripturis depromatur iſta regula, aut illis ſit conſentanea, vt contra ſcripturas aliquo iure admitti poſſit.Deinde conferat alios locos Auguſtini,vt ſenſum regulæ & verborum Chriſti,quibus applicatur,ex ipſo inueniat, neque quicquam illi imponat. Tertiò iudicet, an regula ex mente Auguſtini proprietatem inſtitutionis Euchariſtiæ tollat. Poſtremò miretur Caluiniſtarum leuitatem & væcordiã. Cum Caluino enim ſentiunt verba Chriſti,Niſi manducaueritis carnem filij hominis, propriè accipienda eſſe contra Cinglium, qui carnem nihil prodeſſe dicebat: nunc contrà iubent pro tranſlatis haberi.Poſtulandum etiam à Caluiniſtis,an communicare Chriſti paſſionibus ſit idem quod edere carnem eius, & an ſit idem eſus, & eius fructus ac finis, qui eſt conſociari Chriſti paſſionibus: quos diſcrepare contra Cinglium toties Caluinus diſputat.Poſtulandum quoque, an per verba Cœnæ, ne flagitium redoleant,credant tãtùm à Chriſto exhiberi communicationem & fructum paſſionis, & nõ ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis: cuius opinionis contrarium paſſim aſſeuerant. Cæterùm vt exordiamur à primo,ſi exactè regula diſcutitur,nec in ſcripturis

Auguſt.3. De doctr.Chriſt. ca.16.

Chriſti verba eſſe figurata, quia flagitium ſapiant.

Orig.hom.7 in Leuit.

Calu.in 1.ad Corinth.cap.2.

pturis traditur, nec illis congruit: imò Patriarchas & Prophetas plurimos contra scripturas quibus commendantur, impietatis & imprudentię accusabit. Imperabat Deus flagitium Abrahæ: Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & sacrifica in vno montium quem ostendero tibi. A patre necari filium, omnium feritatem excedit. Peccauit ergo pater, qui Dei præceptum per figuram non mitigauit. In verbo Domini, Occide me vnus alteri dixit, qui propter flagitium veritus obtemperare, Dei iussu Leoni præda fuit. Iubetur Esaias nudus incedere, alius panem ex stercore edere, alius de meretrice liberos suscipere: alius prohibetur orare pro populo. Peccarunt omnes illi ex regulæ malè intellecta sententia, quia sibi flagitia demandata à Deo ad verborum proprietatem obierunt, cùm excusationibus & suffugiis per figuras relinqueretur locus ad euitāda turpissima & execranda illa facinora. Quid si regula ista Lesbia semper fuit, & deinceps futura est cōmunis omnibus Philosophis & hæreticis ad extruendam iterum Babylonem? Horrendum facinus exagitabant fore Montanistæ, Manichæi, Arriani, Nestoriani, si filius Dei implicatus carne, crederetur sordibus atque infirmitatibus humanæ naturæ obnoxius. Ideò ad illam regulam confugiebant, & scripturas omnes sibi oppositas per figuras diluebant. Tantùm verò abest, vt Augustinus eorum errori subscripserit, vt contra Manichæos clarissimè doceat, tenendum esse mordicùs literalem sensum scripturæ, tametsi multis absurditatibus homini videatur scatere, & in flagitia propendere: in cuius rei exemplum producit de Eucharistia scripturam, de qua nunc agitur, quæ præscribit Christiano edere carnem, & epotare sanguinem: quod multò immanius reputatur, quàm hominem iugulare. Neque id obiter scribit, quasi incogitanti excidat, sed ad confutandos, inquam, Manichęos adhibet, qui inter alia argumenta, quibus suadebant non admittendum vetus Testamentum, illud erat præcipuum, quòd contineret adulteria Abrahæ, atque alia multa flagitia.

Falsum est omnia verba esse figurata, quæ flagitiū videtur sapere.
Genes. 22.
3 Reg. 20.
Esay. 20.
Ezechiel. 4.
Ozee. 1. 2.
Hierem. 14.

Respondet Augustinus, credendum res illas ita gestas fuisse, nec oportere offendi facto, cùm faciēdi extiterit sancta & honesta ratio. Eat, inquit, aduersarius iste legis & Prophetarum retrò cum suis similibus sociis, qui dixerunt, Durus est hic sermo, quis eum potest audire? Nos autem audiamus, & intelligamus duo Testamenta in duobus filiis Abrahæ, duabúsque mulieribus eius commixtione fœtatis, sicut duos in carne vna, Christum & Ecclesiam, istis nolentibus sine vlla obscuritate cognoscimus, sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum carnem suam nobis manducandam, bibendúmque sanguinē dantem fideli corde atque ore suscipimus, quāuis horribilius videatur humanā carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare quā fundere. Proculdubiò hîc Augustinus tuetur propriè capi textum D. Ioannis, & facto impleri, nec tantùm corde, sed ore carnem & sanguinem sumi: quamuis ea res flagitiū atrocius sonet, quā fuerint veteris legis adulteria & homicidia. Quid ergo cōtraria loquetur, & sibi repugnabit Augustinus? Sit ita sanè potius, quàm eius authoritas non tātum vnam Eucharistiā, sed innumerabiles scripturas conuellat, quæ speciē flagitij videntur pręcipere, aut cōmemorare. Verùm facilè cōciliabitur repugnantia, si aduertamus, quid apud Augustinum significet figurata locutio. Non enim apud ipsum repugnat, literalem esse, & figuratam eandem locutionem, vt cōstat de omnibus factis & exēplis prodigiosis veteris Testamenti, quorum literalem historiam defendit, figuratas tamen esse ait locutiones propter significationem & finem, quorum causa omnis turpitudo & flagitium ab ipsis repurgatur. Nam nisi adulterium Thamar, infanticidium Abrahæ, Prophetæ homicidium, ad mysterium & religionis significationem pertinerent, sceleratæ essent ad literam actiones & locutiones. Sed quia

Cōtra aduers. legis et prophet. lib. 2. cap. 9.

Aug. propriè capienda esse verba Christi.

Duplex est figura rerum et verborum.

in bonum finem à bona cauſa referuntur, in facto & hiſtoria rei geſtæ literales ſunt, figuratæ verò ex rerum ſignificatione & myſterio. Nam in ſcriptura & apud Auguſtinum, vt etiam apud Rhetores, duo ſunt genera figuratarum locutionum: vnum, quod in verbis figuratis verſatur, & appellatur figura dictionis: alterum, quod verbis propriis rem aliquam enarrat, ſed res enarrata & geſta aliud præter ſe protendit & denotat, vocatúrque figura rerum. Ob id nihil obeſt, eandem locutionem in verbis & re geſta propriam eſſe, ſed in relatione rei ad aliud, eſſe figuratam: vt omnia ſunt ferè ſcripta in veteri Teſtamento: quo in genere figurata eſt locutio de edenda carne Chriſti. Aduerſarij quod de figura rerum dixit Auguſtinus, ad perſuadendam figuram dictionis, & peruertendam literæ proprietaté, malè accommodant. Deinde Auguſtinus agnoſcit etiam locutionem de edenda carne Chriſti, literalem eſſe quoad rem, ſed figuratam quoad modum: ita vt in rei veritate edenda ſit caro Chriſti, vt verba ſonant. Sed figura conſiſtit in genere & modo edendi, quem ait intellectum à Capernaïtis, quaſi quædam laniena in carne Chriſti, vti fit in macello, putaretur exercenda. Si ergo à manducatione carnis Chriſti vtraque figura excluderetur, ita vt nullum in ea crederetur myſterium, nec ad charitatem Dei & proximi verteretur: aut ſi ferarum more caro illa diſcerperetur: flagitium vtique ſaperet illa locutio, nec in ſcripturis reperta ad literam capi poſſet. Sed cùm duplex illa figura veritati & proprietati literæ cohæreat: litera illa viuificatur, & comprobatur ab illarum figurarum ſpiritu, nec ipſa à ſua proprietate deperit, nec perimit, ſed per adiunctas figuras illas à flagitio repurgatur, & viuificat: Propterea in libris de doctrina Chriſtiana non ſcripſit Auguſtinus abſolutè locutioné illam flagitiũ ſonare: ſed ait videri, ex litera nimirùm in ſe ſola conſiderata, nullo reſpectu habito beneficentiæ & charitatis diuinæ, ſed vt eripiatur talis flagitij ſpecies & opinio, addit finem illum commendandũ, & ad illum relatam literã & locutionem eſſe figuratam, quia res ſignificata ſit figurata, & aliò quam ad nudum & ſimplicem carnis humanæ eſum referenda. Alibi verò etiam Auguſtinus modum edendi diſtinguit, cuius ratione etiam res ipſa verbis propriis expreſſa, figurata tamen eſt. Alibi verò apertè probat, viciſſim cum tali figurarum genere retinendam eſſe literæ & facti veritatem ac proprietatem in iſta locutione D. Ioannis de Euchariſtia. Neque ſolum id ait loco allato contra aduerſarium legis & Prophetarum, ſed cùm tam verè ſcribit epotandum à Chriſtianis ſanguinem, quàm verè omnis eius vſus interdicebatur in lege. Cùm Dominus, inquit, dicat, Niſi „ manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vi- „ tam in vobis: quid ſibi vult, quòd à ſanguine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offe- „ rebantur, tantoperè populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis vnum hoc ſacrificium „ ſignificabatur, in quo vera ſit remiſſio peccatorum: à cuius tamen ſacrificij ſangui- „ ne in alimentum ſumendo, non ſolùm nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius „ omnes exhortamur, qui volũt habere vitam? Itaque dubitari nequit, quin Auguſti- „ nus locutionem iſtam, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, propriè & ad ver- „ bum paſſim docuerit exponendam. Cum literali verò intelligentia figuram, qualem expoſuit, admiſcendam ſuadet, túmque declarandã, quoties apud rudiores agitur, qui de verbis Chriſti flagitij & immanitatis ſuſpicionem facilè concipiunt, quíque priuſquàm de myſterio & modo inſtituantur, abhorrẽt à tali locutione, ſicut clarè ſcribit libro de catechiſandis rudibus. Quantũ verò ad Origené pertinet, certũ eſt literã Ioannis occidere, ſi carnaliter, vt iacet, apprehẽdatur, quoad ré, & quoad modũ, vt carnalis modus laniádæ ac vorádæ carnis humanæ intelligatur, quo in veteri Teſtamento accipiebantur ac gerebantur omnia, & quo Capernaïtæ in errorem & ſcanda-

Cum proprietate verborum ſtat figura rerum.

Auguſt. tract. in Ioan. 27. & in Pſal. 98.

In Euchariſtia propriè bibitur ſanguis.

Aug. quæſt. 58. in Leuitic.

ſcandalũ prolapſi ſunt. Verùm ſi nihil de litera quo ad rei veritatẽ & facti ſubſtantiam detraxeris, ſed ad modũ & ad finem aſciueris ſpiritum, ſicut faciendũ Chriſtus admonuit, cùm ſubiecit, Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: iam litera illa non occidet, quia ſpiritus vis & intentio diuina illi admiſcetur: nec tum illam ſimpliciter, & prorſus ad verbum, vti legem omnem capiebãt Iudæi, interpretabimur. Nec ſanè Origenes, aut vllus alius vn quam exiſtimauit ſtatim aboleri omninò literalem ſenſum & proprietatem, ita vt ad puras figuras textus redigatur, ſi quid fortè latens in litera, ſpiritu duce & adiutore, fuerit enucleandum: alioqui tot figuræ erunt, quot ferè textus myſteria fidei noſtræ continentes. Ideò literalis ſenſus duplex eſt: vnus, quo nihil præter ſonum ſyllabarum concipitur: alter, quo veritas quidem literæ & ſonus retinetur, nec in figuram transfertur: ſed ex virtute Dei & ſpiritu veritatem illam & ſonum interpretamur ac metimur. Præterea non tanti eſt vnus Origenes, vt fulciri poſſit eius authoritate fidei & religionis regula, præſertim cùm non ſemel eundem Ioannis locum propriè & ad literam repetiuerit, quemadmodum licet obſeruare per noſtrorum librorum capita, in quibus Origenes citatur.

Duplex literalis ſenſus in ſcriptura.

EX EO QVOD SACRAMENTALEM ESSE LOcutionem putent, Hoc eſt corpus meum, *contendunt Aduerſarij non eſſe propriam, ſed figuratam.* CAP. 2

ALTERAM regulam verbis ornant & amplificant, quantum poſſunt aduerſarij: contendúntque ſacramentalem eſſe locutionem, qua Chriſtus vtitur, cùm Cœnæ ſacramentum inſtitueret. Initio certaminis de Cœna Domini Carolſtadius vocabulum ſacramenti omninò explaudebat à diſputatione de Euchariſtia. Oecolampadio murus aheneus erant verba iſta, Caro non prodeſt quicquã. Poſtquàm munimentum hoc ſubuerſum à Luthero concidit, Sacramentarij quia viderunt ſacramenti nomen ſuis latebris aptum, & effugiis accommodum eſſe, ipſum cupidè inuaſerunt, in eóque proram & puppim conſtituerunt. A Cinglio aſylum iſtud noſtro tempore apertum fuit. Caluinus quidem occinit. Hic murus aheneus eſt, quod ſacramẽtum inſtituerit Chriſtus: ob idque, quòd oporteat ſacramẽtaliter exponi eius verba pro communi ſcripturæ more. Nam ſacramentis omnibus (inquit) hęc quaſi perpetua regula eſt, vt ſignum nomẽ rei ſignatę accipiat. Et tamẽ tũ religio fuit aſſerere, quòd iſta ſit perpetua regula. Nihilominus tãti fecit hoc figmentũ, vt alicubi ſcribat vnica regula totã litem finiri poſſe, ſi admitteretur à nobis ſacramentalis locutio. Beza ſanè tanquam conceſſum ponit, in oratione Cœnæ tropum eſſe retinendum, quem tanto conſenſu non omnes modò Euangeliſtę, inquit, ſed etiam Prophetæ perpetuò ſeruarunt, cùm de ſacramẽtis agerẽt. In ſumma iſtud eſt primũ, & quod exiſtimãt Sacramẽtarij inuictiſſimũ argumentũ, quòd de ſacramentis iudicãdum ſit ex ſimilitudine & communi ratione, per quam ſolitum volunt in ſcripturis nomen rei ſignificatæ tradi rei ſignificanti, & ſigno per metonymiam quandam. Porrò in eum vſum regulam illam edũt, vt in oratione, qua mẽtiuntur prolatum à Chriſto panem eſſe corpus ſuum, probent non aſſeri à Chriſto corpus ſuũ ineſſe pani, ſed tãtùm ſignificari, & quoties corporis & ſanguinis mẽtio fit in ſcriptura, toties ex regula, qua ſignificati appellatio ſigno datur, pro panis ſacramẽto accipi oportere. Nos autẽ in multis peccare aduerſarios & hallucinari, hoc loco docebimus. Principiò prodũt ſuam imperitiã, oſtendúntque minimè aſſequi,

Caluin. in vltim. admonit. Weſtphal.

Ex eo quòd ſacramentum Chriſtus inſtituerit, eius verba volunt eſſe figurata.

Lib. 2. de re ſacrament.

Quid sit propriè sacramentalis locutio. quid sit verè sacramẽtalis locutio, quæ definiri debet, per quã natura sacramẽti describitur. Natura verò est sacramẽti, vt aliud significet & donet, quàm exteriùs appareat. Ideò ex proprietate locutionis sacramentalis verba Christi in sua proprietate manere oportet, quibus significatur aliud, idipsúmque donari, nempè ipsum corpus Domini & sanguinem, quæ exterius non sentiantur, sed locutione sacramentis propria demonstrantur. *Varij errores aduersariorũ.* Deinde ponunt à Christo pronuntiatum, panem esse corpus suum, quod numquam ex scripturis demonstrabunt, vt planum fit ex disputatis à nobis de Transsubstantiatione, vbi etiam excutitur, quo in sensu protulerit Apostolus, Panem quem frangimus, esse communicationem corporis Dominici: ex quo student aduersarij vim inferre verbis Christi, quasi *Hoc est corpus meum*, idem valeat quod, *Hic panis est corpus meum.* Itaque cum ruat hoc illorum fundamentum, frustrà conantur regulam illam, & eius vsum Christi orationi applicare. Deindè improbè faciunt, cùm ex regula à scripturis non tradita, planis & propriis sacris literis enituntur præiudicium afferre, atque ex paucis exemplis, eísque detortis regulam conficere. Quæ verò producunt, nihil ferè cum sermone Christi de Eucharistia affinitatis habent. Falsum est etiam sacramenta, & potissimùm Euangelica, figuratis dictionibus promulgari. Imò repugnat eorum naturæ talibus institui & explicari, vt in prima Repetitione probatum fuit. Ac licet Christi propositio, qualem fingunt, in scripturis extaret, non tamen quod ipsi intendunt, corporis Christi & sanguinis præsentiam atque existentiam à sacramento panis & vini excluderet: id quod impelluntur fateri ex aduersariis coryphæi, tametsi pugnantia loquantur. Imprimis ergo quæritur, An vlla vox in Prophetarum vel Apostolorum scriptis reperiatur, quæ certam ac definitam eloquendi rationem de sacramentis præscribat: an Apostoli vsquam, siue Prophetæ, generatim de sacramentis agant: ita vt eorum declarationem ad aliquam elocutionem & figuram dicendi alligent. *Sacramentalis regula aduersariorum non est in scripturis.* Insuper, an aduersarij Eucharistiam in sacris literis sacramentum nuncupari apertè legant, vt eam sacramentorum legi astringant: An in eisdem scripturis reperiantur de sacramentis decidendum ex aliorum similitudine & comparatione, ac non potius ex propria cuiúsque institutione. Fatemur quidem esse aliquam inter sacramenta similitudinem: sed præterita cuiusque sacramenti propria & peculiari institutione ex sola similitudine iudicare, aut similitudinis rationem eo vsque extendere, vt contra diserta institutionis verba, absque clariori Spiritus sancti declaratione aliquid de singulis sacramentis credendum statuatur, manifestè falsum est: Vera enim, perpetua & immota est hæc regula, De sacramentis iudicandum esse ex propria cuiusque institutione, & descriptione: ita vt non ex loco similium, sed ex verbo Dei, quod de singulis sacramentis peculiariter extat, tractanda & moderanda sit illa similitudinis ratio, quæ inter sacramenta intercedit, quemadmodum iam in prima Repetitione euicimus. De Agno enim Paschali, non ex institutione circuncisionis & similitudine iudicabatur, sed ex verbo Dei, quo ritus iste primùm instituebatur: Et quòd Pascha sit signum ac monumentum facti præteriti, & admonitio futuræ liberationis, non ex loco similium decernitur, sed afferuntur manifesta testimonia in verbo Dei, vbi eius institutio traditur. Idcirco quantum aduersarij à verbis institutionis hanc quæstionem conantur abducere ad similitudines, ex quibus quiduis suo arbitrio possunt fingere, & statuere: tanta nobis diligentia curandum est, vt hanc controuersiam semper ad fontes institutionis, & intra illius alueum omnem disputationem contineamus. Ita enim multæ præstigiæ detegentur, ac plana erunt omnia. Rogamus iterum Sacramentarios, quodnam funda-

fundamentum ex ſcripturis afferant ſuæ præclaræ illi de ſacramentis rationi. Cinglius initio laborabat, vel vnum in ſcripturis inuenire exemplum, cùm ipſi ſuppeditauit Diabolus, Agnus eſt phaſe. Ex particularibus quibuſdam exemplis de ſcriptura collectis poſtea Caluinus modeſtiùs concluſit, quaſi perpetuam legem de ſacramentis fieri poſſe. Sed cùm à doctis & indoctis, qui ſaltem primis labris guſtarunt Dialecticorum præceptiunculas, repelleretur, quòd ineptè ex nonnullis particularibus inferret indefinitam & generalem concluſionem: tandem quaſi quidam dictator, qui merum imperium in omnia ſacra poſſideat, qui leges figat " & refigat, interpretetur ad nutum, temperet & ampliet: Simpliciter (inquit) dici- " mus, vbi de ſacramentis agitur, certum ac peculiarem loquendi modum ex per- " petuo ſcripturæ vſu tenendum. Vt laboranti magiſtro in hoc cardine diſputationis Beza opem ferat, impudentiori aſſeueratione tanquam notum & confeſſum ponit, in oratione Cœnæ tropum eſſe, quem tanto conſenſu non omnes modò Euangeliſtæ, ſed etiam Prophetæ perpetuò ſeruarunt, cùm de ſacramentis agerent. Sed cupimus, inquam, per illos demonſtrari hanc regulam ex verbo Dei, quo dicatur hanc eſſe perpetuam formam loquendi de ſacramentis, vt per metonymiam nomen rei ſignatæ imponatur ſigno. Adnota lector, fraudulentam aduerſariorum tergiuerſationem. Si enim inſipidam conſequentiam ex ſingularibus exemplis contextam repudiamus, regulam eſſe generalem defendunt: Ipſam ſi nobis teſtimoniis ſcripturæ probari petimus, veterem recinunt fabulam, & exempla ſingularia proferunt. Egregium ſanè condimentum his ineptiis adhibet Beza, vt " compactam de ſingularibus regulam corroboret. Paulus (ait) ſic ad Romanos diſ- " putat: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: ergo non ex operi- " bus, ſed ex fide eſt iuſtitia. Quid autem (inquit Beza) magis eſt ſingulare, quàm v- " nius hominis exemplum, à quo tamen colligit Apoſtolus vniuerſalem regulam? Reſpondemus Apoſtoli ratiocinationem artificioſam & iuſtam eſſe: quia ipſe tanquam ex ſcripturis confeſſum & extra controuerſiam relinquit, vnam eſſe omnibus propoſitam adeò ordinariam viam iuſtitiæ & ſalutis rationem. Nec præcipuus huius argumenti neruus ſitus eſt in ſingulari exemplo, ſed in generali illa promiſſione, Patrem multarum gentium conſtituam te: quæ cùm de propagatione Eccleſiæ imitaturæ fidem Abrahæ agat, docet non alio modo ſpirituales eius filios apud Deum iuſtitiam conſecutos, quàm quo ipſe eam eſſet adeptus. Ideo Abrahæ exemplum vigore illius promiſſionis inſtar perpetuæ fuit regulæ, ex qua de iuſtificatione eſſet ſtatuendum. Verùm nequaquam ſimilis eſt ratio in Caluini & Bezæ ſyllogiſmo. Nam nihil ex ſcripturis apparet, quo tanquam certum ponamus, omnia ſacramenta vno genere locutionis tradi oportere: ſi quidem habet vnumquodque ſacramentum, vt Spiritui ſancto placuit, ſuam dignitatem & diſtinctionem: neque ille ſeſe aſtrinxit formis excogitandarũ ad noſtrum arbitrium locutionum. Ex nudis inſuper exemplis, & quidem alienis toto genere à Cœnæ controuerſia, verba Euchariſtiæ Caluinus & Beza contorquent: Apoſtolus verò ſermoni Dei innititur, qui omnes ſaluandos prædixerat ad imitationem Abrahæ. Ob id aptiſſimè ex eo de aliis omnibus colligit. Minimè verò ſcriptum eſt, ſacramenta omnia inſtituenda eſſe in modũ & formam circũciſionis, aut agni, vt ex his præiudicium Euchariſtię fiat. Præterea tantùm abeſt, vt proficiſcatur argumentum de ſacramentorum analogia à Spiritu Dei qui loquebatur in Prophetis & Apoſtolis, vt Cinglius Diabolo referat acceptum. Nam cùm ipſe ſentiret nihil eſſe ſolidi in horum & ſimilium exemplorum multitudine, Semen eſt verbum Dei, Vinea eſt Eccleſia, Septem vaccæ ſunt ſeptem anni: magna ſolicitudine conquiſiuit exem-

Ex particularibus paucis exemplis voluit ſtatuere generalem regulã. Caluin. in Heſhuſ. Beza in eundem.

Quãdo ex vno ſingulari conſtitui poteſt regula.

Regula, vt eam applicant aduerſarij, diabolica eſt.

plum aliquod commodius: nec tamen ei maximo studio indaganti occurrit quicquam, donec ille, de cuius colore dubitat, atérne an albus fuerit, in somno apparuit, & subiecit hoc ipsum exemplum, quo maximè nituntur Cingliani & Caluinistæ: Est enim phase Domini. Meminerit igitur pius Lector, quæ possit esse authoritas eius arguméti, quod Cinglio per somnium est reuelatum, & quidem ab eo, de quo ipse dubitare mauult, quàm dæmonium ac genium malum fateri liberrimè: attamen hoc vnicum est fundamentum muri ahenei, cui Caluinistarum fides & confessio de Eucharistiæ verbis superstruitur. Adhæc taceri non debet, Valentinianos & Arrianos proprietati scripturarum, quibus vera Christi caro & diuinitas asseritur, ex iisdem locis studuisse tenebras obducere, quibus Cingliani & Caluiniani elaborant *Hoc est corpus meum* obscurare. Valétinus sanè, vt fictitium corpus à Christo indutum & scripturas, quæ ipsum carnem factum de virgine palàm faciunt, figuratè explicaret, Spiritum sanctum columbam eo modo quo Christum carnem dici respondebat. Arriani, vt patris affirmationem, Hic est filius meus dilectus, à proprietate literæ ad metaphoras & alias figuras abducerent, has cum aduersariis locutiones in exemplum citabant: Ego sum vitis, ostium, & similes, de quibus ita scribit Athanasius: Admiror cur isti, cùm vnus sit Deus, plures secundum sua excogitata, figuras, sapientias, & verba introducant, alterúmque adhuc proprium & naturale verbum patris existiment, in quo hunc filium procreauit, quem verum filium per metaphoram ac secundarium intellectum appellari censent, non aliter quàm & Vitis, & Via, & Ianua, & Lignum vitę, Sapientiáque nomine tenus nuncupatur: esse tamen nihilo ob id minus & alteram sapientiam propriam, & veram patris ingenitam illam, & coëxistentem cum ipso, in qua cùm hunc alterum creasset, nominauit eum ex participatu naturæ illius sapientiæ sapientiam. An non, obsecro, istud est Caluinistarum cum Arrianis commune delirium, vt *Hoc est corpus meum* explicetur impropriè propter aliquem respectum ad verum Christi corpus, quod existat in cœlo cum Deo? Sed Arrianis deteriores sunt isti, quòd illi locutiones asciscerent, quæ efferrentur de eodem Christo Dei filio: isti nullam allegant, quæ de eodem Christi corpore capi possit eo sensu, quem infarciunt huic locutioni *Hoc est corpus meum*. Ne verò quis suspicetur nos potius declinare regulam quasi verissimã, quàm excutere velle, ne illa irretiamur: sed contrà vt intelligant omnes quàm sit futile commentum istud, quod meretricia fronte asseuerant Caluinistæ, demonstremus in Apostolicis literis falsissimum esse sacramenta metonymicis locutionibus promulgari, ita vt nomen rei significatæ soleat signo externo attribui. Quoniam conuenit inter nos Baptismum sacramentum esse, quod institui, vel cuius sáltem proponi necessitatem ac salutarem efficaciam, vetus omnis assentitur Ecclesia, cùm apud Ioannem scribitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei: Deinde promulgatur eiusdem institutio, Euntes baptisate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nulla hîc metonymia, nulli tropi, sed simplicissima oratio est, quæ tamen disertè de sacramentis concionatur. Scio eò væsaniæ & insaniæ progredi Caluinum, vt dicat hîc aquam vocari Spiritum, cùm ab ea distinguatur expressissimè in eo textu, & vbicunque de baptismo agitur. Etenim in Actis Apostolicis in propria sua significatione aqua & spiritus retinentur, cùm Cornelij familia & Samaritani, atque alij baptismo tincti narrantur. Nouimus quidem aquæ nomine significari Spiritum à Christo, quando dixit: Si quis sitit, veniat & bibat: flumina ventre eius fluent aquæ salientis in vitam æternam. atque ita quidem aqua pro Spiritu affertur per quandam similitudinem, sicuti per metaphoram ipse vocatus est Leo, Lapis, Vitis: sed ibi nulla fit

August. lib. de agon. Christ. cap. 22.

Valentiniani et Arriani eo pacto corrumpebant scripturas, quo Sacramentary.

Sacramenta nõ instituuntur metonymicis locutionibus.

Mathei. vlt.

Acto. 8. & Acto. 10. et. 8.

Ioan. 7.

de sacramentis mentio, vt inde metonymica sacramentorum regula corradatur. A quam baptismi, symbolum esse, quo sanguinis Christi & Spiritus efficacia repræsentetur, extra controuersiam est: tantùm quæritur, An in scripturis legatur locutio de baptismo, in qua nomen sanguinis & Spiritus per metonymiam prædicetur de aqua, siue pro aqua significante sanguinem & spiritum, ita vt enuntietur, aqua est spiritus: vt ad eius similitudinem interpretemur, *Hoc est corpus meum*, pro pane significante corpus per metonymiam. Nusquam istud in scripturis reperient aduersarij. Etiamsi euincerent aquam in baptismo nominari pro spiritu, nō inde efficerent tamen quod volunt: quia contrà oporteret ostendere spiritum pro aqua exprimi, sicut corpus Christi pro pane sacramentali, priusquàm conuenire locutiones, & in vtroque sacramēto eandem congruere metonymiam probatū sit. Conatur quidem istud præstare Caluinus in dicto Pauli: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: quasi per metonymiam primum nomine secundi appelletur, & renouatio Spiritus sancti metonymicè pro ablutione aquæ exprimatur. Quòd si fit, ergo salutem assequeremur sola ablutione aquæ bis enuntiata, etiam sine renouatione spiritus, cùm affirmet Apostolus nos illo lauacro & illa renouatione saluos fieri. Hoc quidem doctrinæ Caluinianæ repugnat omninò, quæ lauacrum aquæ tantùm habet pro externa tessera spiritalis renascentiæ, & non tanquam medium, quo Deus salutem impertiat. Sin ex aduerso aqua apud Ioannem, & lauacrum regenerationis apud Paulum significant spiritum & renouationem spiritus sancti, idem quoque bis efferetur, & dicetur, Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu, & spiritu: &, Saluos nos fecit per renouationem Spiritus sancti, & renouationem Spiritus sancti. Quod si sic agitur, iam omnia de baptismo scripta, ad Spiritum venient referenda, & spiritaliter intelligenda, ac proinde nulla corporalis ablutio adhibenda. Nam quæ restabunt testimonia Canonicæ scripturæ de baptismo corporali, & sacramentali siue externo, si vbicunque legitur aquæ, siue lauacri, atque ablutionis appellatio, non aqua nec lotio visibilis, sed Spiritus sanctus intelligendus sit: certè quicquid dictum fuerit de aqua baptismi, licebit contendere capiendum pro gratia Spiritus sancti. Quanto satius fuerit simplicitatem Apostolorum sequi, & salutem imputare toti sacramento baptismi composito ex aqua & spiritu, quemadmodum in alia Repetitione disseremus, & non per violentas metonymias atque inusitatas impietatem adaugere? Apostolus lauacrum regenerationis ad aquam pertinere alio loco ostendit, quo Ecclesiam mundari scribit lauacro aquæ, & verbo vitæ: vbi lauacrum aquę pro externo regenerationis lauacro collocat, sicuti verbum vitę: cui adiungit renouationem Spiritus sancti, sicuti Ioannes annectit aquam & Spiritum, vt distincta ac diuersa, quemadmodum prēclarè Augustinus monet in eiusdem Ioann. epistolam à quo sine controuersia vt duo numerantur aqua & Spiritus, cum ait, Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua & Sanguis, & hi tres vnum sunt. Claudicat itaque & labascit ficta ab aduersariis regula in primo noui Testamenti sacramento. Nec vicissim quoties in baptismi negotio Spiritus memoratur, possunt aduersarij pro aquæ signo accipere, vt locum habeat eorum sacramētalis regula. Dicitur Christus in baptismo suscepisse spiritum, eundémque familia Cornelij ante baptismum: promittitur Christus baptisaturus in Spiritu. Eóne insanię venient aduersarij, vt Spiritum hîc interpretentur pro aqua ex sacramentali regula? Frustrà contra illos de aliis quinque nouę legis sacramentis exciperem, cùm tamen satis nequeam mirari eorundem proterniam atque mentis cęcitatem ex malitia profectam. Nuda signa ac verba figurata de antiquo Testamento excerpta nominant, & inscribunt sacramenta, quia tan-

Ad Titum. 3.

Ephes. 5.

August. tractat 6. 1. Cano. Ioan.

1. Ioan. cap. 5.

Matth. 3. & Act. 10.

tùm aliquid aliud sua significatione repræsentant: & detrectant concedere, vt habeantur & appellentur sacramenta noui Testamenti, quæ non solùm verbis quibus describuntur, expressè dicuntur & denotantur esse sacramenta, sed ipso opere quo exercentur, non tantùm aliud significant, sed rem sacram ac planè diuinam exhibent ex scripturarum contestatione: cuiusmodi est matrimonium, Episcopalium manuum ad confirmandum siue ad ordinandum impositio: prolata per legitimos ministros pœnitenti peccatorum remissio atque absolutio: de oleo sancto per presbyteros ægrotorum inunctio: quæ iuxta expressas scripturas designant, & designatam afferunt suscipienti aliquam gratiam. Nullum tamen horum omnium in sua institutione aut vsu per locutiones metonymicas ab Apostolis traditur. Vt autem etiam de Eucharistiæ sacramento loquamur, an vbi scribitur, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: &, Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: &, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? an, inquam, audebũt hîc carnem, corpus, & sanguinem ex sacramentali regula pro pane & vino, sacramento corporis & sanguinis exponere? Quòd si ad legem & Prophetas prouocarint, vt suam indè emendicent regulam, nisi fallor, illos oportebit philosophari in hunc modum, vt Suenkfeldius faciebat. Ex veteris Testamenti sacramentis nõ potest probari esse propria Cœnæ locutio, aut præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia: ergo nec iuxta expressum verbum noui Testamenti credenda est. Quid si nec illorum regula in omnibus locutionibus sacramentalibus antiquæ legis locum habeat? Quid si magna pars exemplorum quæ allegant, ab ipsis corrumpitur, maláque fide citatur, nec inter vera sacramenta reponitur, nec cum locutione Christi de Cœna, affinitatis quicquam habet, dignósne existimabis aduersarios, cum quorum falsitate, impietate atque impostura fidem & religionem veteris Ecclesiæ commutes? Quod enim producitur ab ipsis, Circuncisio est fœdus, &, Agnus est phase, textus eos mendacij arguit. Legitur quidem in Genesi, Hoc est pactum meum, quod seruabitis inter me & vos. Circumcidetis ex vobis omne masculinum. Non scribitur, Circuncisio est pactum: quia non ipsa circuncisio, sed præceptum de circuncisione, propriè fœdus extitit: sicut apud Hieremiam decalogus ipse dicitur, vetus pactum, quod irritauerunt Iudæi. Idcircò in Genesi subiungitur: Et erit pactum meum in carne vestra: perinde ac si diceretur, Obsignabitur pactum meum, & complebitur in carne per circuncisionem, quæ statim pòst rectè vocatur signum fœderis, sed longè alia significatione quàm volunt aduersarij panem signum dominici corporis censeri. Sed nec legitur, Agnus est phase: sed tota ceremonia & actio Israëlitarum, quæ præscribebatur ad parandam fugam ex Ægypto, & transitum, nominatur Phase. Attamen etiam sacrificium quod tum fiebat de Agno, vocatur etiam à scriptura Phase: quin imò &, Agnus ipse appellatur Phase, his verbis: Non confringetis os phase: sed nusquam in scriptura occurrit, Agnus est phase. Demus vtramque locutionem ibi reperiri, atque in vtraque signum pro re significata collocari: non tamen sunt sacramentales locutiones, de quibus regula siue ab Augustino, siue ab alio componitur. De his enim sacramentis fertur & signis quæ similitudinem gerunt & analogiam quandam rei significatæ, ob illámque nomen eius induunt. Atqui circuncisio signum quidem erat fœderis, sicut effectus suæ causæ indicium facit, & ipsam in memoriam reuocat: nullam tamen imaginem fœderis præ se ferebat. Agnus erat monimentum & signum transitus, non tamen vlla similitudine naturæ ipsum referebat. Circuncisio non erat verum sacramentale signum fœderis, sed spiritualis circoncisionis, quemadmodum ab Apostolo explicatur.

Ne quidem locutio metonymica locum habere potest in Eucharistia.

Genes. 17. De locutione, Circuncisio est fœdus.

De locutione, Agnus est phase.

Exod. 12.

Ad Rō. 2. et 4.

plicatur. Nec Agnus erat sacramentale signum transitus, sed ipsius Christi oblati, vt à Ioanne & Paulo docetur. Qua de causa vt ex his sacramentales locutiones fabricent aduersarij, oporteret in scripturis legi, Circuncisio manufacta est circuncisio spiritualis, Agnus Iudaïcus est Christus. Abrepti aduersarij extra rem omnes locutiones metaphoricas in sacramentalibus numerant, & omnia genera signorum in sacramentis reponunt: ita vt secundum ipsos tot extent in scripturis sacramenta, quot sunt rerum aliarum signa. Ideò ad maiorem exemplorum copiam cumulant & coaceruant, Ego sum ostium, vitis, pastor, leo, agnus: Septem spicæ dicuntur esse septem anni: Altare & ciuitas Hierusalem Dei nomine nuncupantur: aliáque huiusmodi propè infinita. Cùm desunt exempla accommodata, Caluinus ista fingit, quasi in scripturis expressa, Sacrificia sunt propitiationes peccatorum, Arca est Dei præsentia: quibus omnibus respondemus, nec sacramentales esse locutiones, nec quicquam sermonem Christi de Eucharistia cum ipsis habere commune. Omnes enim illæ propositiones, etiam ista, Circuncisio est fœdus, Agnus est phase, sunt disparatæ: non autem ista, *Hoc est corpus meum*, quæ etiam apud Dialecticos identica est ex pronomine demonstratiuo substantiæ, non disparata. Nec contenti sunt aduersarij dissimiles & discrepantes propositiones huic comparare, sed audent pauca Christi verba vitiare, ipsisque addere, quasi dixerit, Hic panis est corpus meum: vt ex identica disparatam reddant, & quoquomodo conuenientem cum his quas consarcinant. Sed nullus Euangelista scribit dictum à Christo panem esse corpus suum: nec quod est elocutus, talem potest sustinere interpretationem, sicut probatur in Transsubstantiationis Repetitione. Deinde scriptura perpetuò ferè aliquid apponit, quibus illas locutiones esse figuratas demonstret. Si circuncisionem vocauit fœdus, si Agnum phase, statim expoliuit, & addidit signum fœderis, & trāsitus monimētum, aut victimam transitus. Si Christum pastorem appellauit, qualem intelligat, explanat, cùm ait, Cuius sumus oues: si vitem, cuius simus palmites: si ostium, quo nobis ad patrem pateat ingressus: si petram, quæ spiritalis sit: si leonem, qui de tribu Iuda existat: si locum & altare vocat Dominum, causam interserit, quatenus nimirum in ipso videtur & colitur. At in tota disputatione de Cœna nullum verbum inuenitur, quod locutionem in figuram necessariò inflectat, nulla expolitio quæ sensum aliò trahat quàm litera sonat: imò quæ adiungitur explanatio, literam in naturali significatu confirmat, *Hoc est corpus* quod pro vobis, inquit, datur. Nec pudet aduersarios cum ista metaphoricas illas cōferre, Ego sum vitis, ostium, leo: quibuscum si quadraret, non debuit Christus efferre, Panis est corpus meum, vti placet aduersariis, sed, Corpus meum est panis: quoniam vt in illis propositionibus prædicatum attribuitur per metaphoram subiecto, ita decebat in oratione Christi panem per metaphoram applicare corpori domini. Nec in illis signum recipit nomen rei signatæ, sed contrà res signata, nimirùm Christus, nomen signi admittit, vt vitis dicatur, aut leo: ob ídque à sacramētalibus locutionibus sunt reiiciendæ. Nec verò maiorem fidem aduersariorum speres in exemplis quæ de nouo Testamento seligunt: vt, Columba, & linguæ igneæ erant Spiritus sanctus: Ioannes est Helias, Petra erat Christus: quorum imprimis nullum par est huic, *Hoc est corpus meum*, nisi prius probatum fuerit dictū à Christo, Panis est corpus meum: sempérque scriptura aliquid interponit, quod declaret vnum non esse alterum in substantia, sed in similitudine aut virtute. Ioannem quidem Heliam esse asseruit, sed in spiritu & virtute: Spiritum quidem visum, sed tāquam columbam. Pari stropha veteres hæretici suadebant Christum hominem appellari, sicuti Columbam & igneas linguas Spiritum. Quibus cùm respondent Patres, diuersum loquendi

Ioan. 19. 1. Corinth. 5.

Petūt exempla à rebus quæ nō sunt sacramenta.

Genes. 22. 33. Ezech. 48. Exod. 17.

Vt dictū Christi nō conueniat cum exemplis aduersariorū.

Exempla de nouo Testamēto.

Ambros. lib. 1. de sacram. ca. 5. Aug. lib. 2. de trinit. ca. 6. & de Agone Christi.

genus de columba & de Christo obseruant, vti nos in istis exemplis, & in locutione de corpore Christi. Non columba descendit (inquit Ambrosius) sed quasi columba. Memento quid dixerim, Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis istius veritatem. Christus verè carnem suscepit: Spiritus enim sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ, sed in specie columbæ descendit de cœlo. Hoc idem responsum aliquoties reddit Augustinus. Sed nec Christus dixit, *Hoc est tanquam corpus meum*, nec ait, *Hoc est corpus meum* in spiritu & virtute. Quinetiam si concesserimus scribi, Columbam esse Spiritum sanctum, non tamen erit locutio sacramentalis similis huic, *Panis est corpus meum*: quia non consistit similitudo inter Columbam & Spiritum sanctum, sed inter Columbam & Christum à Spiritu sancto inunctum. Nam Columba repræsentabat Spiritum sanctum, vt effectus suam causam. Per similitudinem verò indicabat Christum perfusum spiritu mansuetudinis, quo pacem & misericordiam Dei, tanquam Columba exarca emissa, pauperibus & contritis corde nuntiaret. Itaque vt ad rem accommodaretur propositio, sic esset enuntianda, Columba est Christus. Palmarium ducunt exemplum aduersarij, & irrefragabile, quo affirmat Apostolus, Petram esse Christum, vt porè cuius esset signum & sacramentum. Verùm nec ista locutio respondet Christi orationi, nisi constiterit scriptum, *Panis est corpus meum*: quod meritò constanter negamus. Præterea non dubitatione caret, An locutio illa recta sit & naturalis, an figurata, cùm non appareat manifestè de qua petra Apostolus intelligat. Non enim tantùm ex petra Oreb, aut in Cades ad aquas contradictionis ex rupe subministrata est aqua populo in deserto per Dei potentiam, sed aquæ amaræ dulces euaserunt. Ostensi sunt duodecim fontes, & ex puteo prope Arnon Deus Israëlitas adaquauit.

De exemplo, Petra erat Christus.

1. Cor. 10.

Ideò vt Manna quiduis collatum populo ad victum in solitudine vocatur ab Apostolo cibus spiritualis: ita omnis potus Israëliris erogatus à Deo in deserto, vocatur spiritualis potus, non solus is qui de saxo fuerat elicitus. Quamobrem expressè scribit Apostolus, potum illum effusum non è petra materiali, & aliquo in loco defixa, sed ex petra spiritali, & quæ sequeretur populum quocunque pergeret. Hanc verò fuisse Christum exponit, cuius spiritalis & diuina virtus potum suppeditabat populo, quotienscunque egeret. Nominat autem petram potius quàm puteum aut fontem, à digniori & excellentiori parte: quoniam beneficium eius, gratia & potētia magis apparuit in administratione aquæ de petra, quàm ex aliis locis. Et quoniam petra materialis percussa, vt efflueret potus, plus similitudinis habuit cum Christi latere effosso, quàm aut putei aut fontes: itaque Christus non solùm tum erat spiritalis petra, sed erit in æternum re vera & sine figura: significabatur tamen ab illa deserti petra materiali. Quòd si Apostolus non apposuisset spiritalitatis dictionem ad petram, & non adiunxisset proprietarem, quæ materiali re vera non potest competere, vt quocūque locorum sectaretur populū, ac tantum enuntiasset, Bibebāt de petra, pretra autē erat Christus, proculdubiò metonymiæ daretur occasio. Græci quidem Theologi Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, atque alij, suis in Apostolum Commentariis, locutionem illam sine figura interpretantur, quos adiuuant rationes allatæ. Nissenus etiam in tractatu de petra vitæ sic loquitur: Bibebant de spiritali petra subsequente, petra autem erat Christus. Quando dixit quòd potus esset spiritalis, nihil habebat quod immutaretur, sicuti nec in Manna. Ex modo scaturitionis probat, quòd potus esset spiritalis: neque enim propria petræ natura aquam emittebat, sed alia quædam petra spiritalis, Christus nimirum, qui quicquid fiebat, efficiebat. Subsequente significat, quòd Christus semper vnà adesset, & omnia ederet miracula. Alia opinio censet ab Apostolo capi petram pro ipso

ipſo potu in deſerto,& ſpiritalem petram dici,vt antea ſpiritalem cibum & potum, quoniam non naturaliter,ſed diuinitùs exhiberentur. Caluinus in inſtitutione, nomine petræ rupem intellexerat,de qua Moſes aquas excuſſerat: ſed ab Vveſtphalo edoctus,non iam ſaxi duritiem accipit, ſed ex ſaxo profluentem potum. A potu igitur ſpiritali voluit ſignificatum Chriſtum. Per nos ſanè liceat ſic exponere: ſed quærendum reſtat, quomodo Chriſtus ſignificatus ſit. Oportet vtique vt iſtud fiat in ſacramento aliquo noui Teſtamenti, qui potus ſit & Chriſtus ipſe. Vt enim Apoſtolus ſcripſit per maris tráſitum deſignari baptiſmi ſacramentum,ita per cibum & potum Iſraëlitarum intendit denotare aliquod noſtrum ſacramentum in cibo & potu,qui Chriſtus ſit re vera per potum Iſraëlitarum ſignatus, cùm nihil omninò Iſraëlitarum potus ſimilitudinis præberet cum Chriſto, vt ipſum abſolutè & in ſua natura repræſentaret. Itaque cùm nullum ſacramentum noui Teſtamenti in eſu & potu conſiſtat,qui reſpondeat Iſraëlitarum victui ſpiritali, niſi ipſa Euchariſtia, neceſſe eſt vt eius cibus & potus ſit Chriſtus re vera: alioqui, quod volunt aduerſarij, locutio iſta, Petra erat Chriſtus, non erit ſacramentalis, & metonymica, niſi aliquid ſignificet quod per ſimilitudinem & conuenientiam cum Iſraëlitarum potu re vera ſit Chriſtus. Quapropter tantùm abeſt, vt iſta Apoſtoli metonymia deſtruat proprietatem huius enuntiationis, *Hoc eſt corpus meum*, vt illam planiſſimè aſtruat, & confirmet. Nam docet id quod ſeruat ſimilitudinem aliquam cum Iſraëlitarum potu,& bibitur in nouo Teſtamento, re vera Chriſtum exiſtere, ſicut declarat Euchariſtiæ locutio, *Hoc eſt corpus meum.* Ridiculum eſt metonymiam à metonymia ſignificari, figuram à figura, & non figuræ veritatem. Nam falſò ſubieciſſet Apoſtolus, Omnia illis in figura contigiſſe, vnde nos admoneret in nouo Teſtamento veritatem figurarum expiſcari. Quod vt declinaret Caluinus, literam Apoſtoli ſuo more corrumpit, aítque omnia in exemplum noſtrum Iſraëlitis contigiſſe, non in figuram, cùm typi dictionem Apoſtolus eo loco habeat. Fruſtrà in eodem ac proximo capite tantoperè veritatem Euchariſtiæ ſtuduiſſet enucleare, cuius cauſa figuras præmiſiſſet. Si enim eadem figura nobis traditur Chriſtus in Euchariſtia qua Iudæis, cur Apoſtolus inter nos & illos figurarum diſcrimen poſuit, & poſt Euchariſtiam nō addit, hoc in figura nobis ſicut patribus accidere? Tertia opinio probat, quæ ſatis frequens antiquis Theologis quibuſdam eſt, à quibus fortaſſè ipſa hiſtoria Iſraëlitarum & Apoſtoli litera non penitùs fuit expenſa, vt petra ſimpliciter pro rupe deſerti vſurpetur, & ſpiritalis cognominetur pro alterius ac ſublimioris rei ſignificatu: Et nos vltrò admittamus iſtum ſenſum, cùm ſuis authoribus non careat, nec metonymiam repudiemus: Sed quid indè, obſecro, efficietur & colligetur? An quòd iſta locutio ſufficiat ad proprietatem omnium affirmationum, quæ de omnibus articulis fidei in ſcriptura comperientur, eneruandam? Cur enim non cōtenderur omnes metonymicas eſſe? cur non in probationem allegabitur, Petra erat Chriſtus? Quòd ſi valebit exceptio, tanquam à particulari ad vniuerſale claudicet conſecutio, & hîc quoque valeat eadem reſponſio. Multò verò magis valeat Apoſtoli declaratio, qua expreſſis literis & ſyllabis teſtatur hanc locutionem, Petra erat Chriſtus, & ſimiles de ſacramentis veteris legis, ad Chriſtum & veritatem eius relatas, figuratas eſſe ex eo, quòd omnia in figura tum Patribus contingerent. De noui Teſtamenti ſacramentis non ita ſcripſit, nec ita ſenſit, cùm antiquis figuris illa oppoſuerit, & ex Chriſti traditione, non ex figurarum conſenſione, ſed potius diuerſitate & adimpletione de Euchariſtia ſtatuendum & credendum docuerit. Cùm ſatis Beza aduerteret Caluinum vim inferre ſcripturarum exemplis, quæ citaret, ad fabricandam ſuam metonymiam & ſacramētalem regulam impuriſſimus

Caluin. lib. 4. inſt. cap. 17.

Caluin. corrūpit textum Apoſtoli.

poëta de poëtis clariora & expressiora, vt existimat, emendicat, vt scripturas & religionem Christianam in artem poëticam redigat. De Homero istud excerpit, Αὐτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον id est, Sed præcones splendidi iuramenta fidelia deorum contulerunt. De Virgilio subiungit, —*Quique arma secuti*

Beza ex poëtis citat exempla contra verba Christi.

Impia, nec veriti Dominorum fallere dextras.

Apud Homerum contendit iuramenta collocari pro victimis, quibus interpositis iurabatur sanctè: ita vt sit Bezæ eadẽ metonymia cum ista, *Hoc est corpus meum*, quia iuramenti nomen tanquam rei significatæ exprimatur pro victimis, quæ iusiurandum & fœdus firmarent, sicut apud Virgilium dexterarum nomine fidem & iusiurandum metonymicè vult intelligi, quòd vltrò citróque dextræ præberi soleant in signum fidei ac fœderis. Sed quid simile habent ista cum verbis noui Testamenti? Nam primùm non dicit Homerus, iusiurandum est victima, iusiurandum est fœdus, aut victima est fœdus, quemadmodum pronuntiauit Christus, *Hoc est corpus meum.* Deinde nec iuramenta nec victimæ sunt signa fœderis, sed causæ potius illius pacificationis, quæ verbis & rebus, hoc est, promissis & sacrificio facto fieri solebat apud gentes in fœderibus sanciendis. Alius igitur modus hîc est metonimiæ, non is qui signi est & rei signatæ. Præterea hoc ipsum exemplum nostram causam magis adiuuat & confirmat, quàm vt eam refellat atque impugnet. Etenim ὅρκια & iuramẽta non erant indicia absentium Græcorum vel Troianorum, nec hostiæ & ipsa iuramenta erant signa absentis fœderis, sed illæ erant signum & pignus, quo inibatur fœdus, & iusiurandum fiebat: ita vt præsentis iurisiurandi, fœderis, atque pacis esset confirmatio & obsignatio. Quamobrem suo se iugulat gladio Beza, dum præsentiam corporis & sanguinis Domini hoc exemplo conatur tollere, cùm magis ex eo stabiliatur & demonstretur. Nam quo fœdus percutitur, coram sisti solet & exhiberi, sicut victimarum sanguis fundebatur re vera præsens, quo fœdera inibantur. Atqui Christi sanguine nouum Testamentum sancitum est & adhuc feritur atque obsignatur iuxta illud, *Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Hoc discrimen est inter nos & Gentiles, quòd isti inter se, nos cum Deo fœdus icimus. Alij alia de scripturis aduocant exempla, quibus etiam ostendant signum rei significatæ appellationem sortiri, vt, Nos sumus circuncisio, Pascha nostrum est Christus, & similia, quæ Petrus Martyr congerit: in quibus negamus vllam inesse metonymiam, qualem intendunt aduersarij. Nos enim non significamus circuncisionem, vt eius nomen nobis attribuatur per metonymiam, tanquam signo vocabulum signatæ rei: neque nostrum Pascha repræsentat Christum absentem, sed re vera nos sumus circuncisio non manufacta, siue carnalis, sed spiritalis: & nostrum Pascha, siue noster Agnus, siue figura, Christus ipse est præsentissimus nobis in altaris mensa, vt de ipso epulemur tam vere, quàm Iudæi de veruecino Paschate. Alij ad imagines vsque & statuas confugiunt, vt aliquam nanciscantur metonymiæ formam, & ipsas contendunt nuncupari nominibus rerum significatarum: vt Herculis statua Hercules vocatur, & Christi atque Sanctorum imagines, illorum nominibus insigniuntur. Nos verò negamus vera & propria nomina rerum signatarum ad huiusmodi signa transferri, eísque per metonymiam tribui, sed ipsa nomina dici homonyma, siue æquiuoca atque ambigua, quæ duas res differentes enuntient: cuiusmodi hominis appellatio ad hominem verum & hominem pictum vulgò censetur: non quòd propriè nomen veri hominis traducatur ad pictum, sed hominis dictio duplex est & amphibola ad duas significationes discrepantes, hominis scilicet naturalis, & picti. Ibi nec metaphora est, nec metonymia, sed amphibologia, nec immutatum rei significatæ nomen signo

tali

tali propriè accommodatur, ſed aliud quod ſit tantùm eiuſdem vocis, non tamen ſignificationis. Quòd ſi quis premat ab huiuſmodi imaginibus deſignari & ſignificari res, quarum ſimilitudinem exhibent: eo quoque pacto ab illis earūdem rerum propter ſimilitudinem nomina vſurpari: nō inficiamur imagines rerum abſentium ſigna eſſe, quas repræſentant: ſed vt non rerum ſignificatarum præſentiam, ſed nudam & magis diſcrepantem quàm conuenientem ſimilitudinem præbent, ita nomina quibus afficiuntur, non ſunt propria & vera rerum ſignatarum, ſed alia, quæ ſimilitudinem aliquam in dictione & voce habeant cum propriis illis, ſed non ſunt eadem. Ideò nihil pertinent ad ſacramentalem locutionem ſiue metonymiã, quam cudunt aduerſarij, in qua requiritur, vt idem nomen in eadem ſignificatione imponatur rei ſignificatę & ſigno. Hoc enim intendunt, cùm corporis naturalis Christi nomen proprium pro pane poni confingunt. Quòd ſi tanquam imaginem panem ipſum, Chriſti corpus vocant, oporteret panem præ ſe ferre aliquam corporis Dominici ſimilitudinem, neque præter ipſam quicquam amplius de illo exhibere, quod eſſet inane ſacramentum & infructuoſum conſtituere. Qua de cauſa rectè Caluinus improbat opinionem eorum, qui non pluris panem Cœnæ, ſiue ipſam Cœnam æſtimarent, quàm paſſionis Dominicæ imaginem & memoriam. Sed nec panis in ſe gerit vllam ſimilitudinem corporis Dominici, quamuis panis manducatio, viníque potio in Cœna, aliquam præbere dicatur, propter interpoſitam paſſionis Dominicæ commemorationem, eiúſque quandam imaginem: tum igitur non panis ipſe nominaretur corpus Chriſti, ſed panis eſus, & ipſa Cœnæ actio. Quamobrem quoquò ſe verterint Sacramenrarij, non reperienr in ſcripturis locutiones ſacramentales, quæ pares ſint iſti, *Hoc eſt corpus meum.*

EX ALIQVIBVS FIGVRIS CONCESSIS IN VERbis Chriſti de Euchariſtia, ſuas metaphoras & metonymias inducere volunt aduerſarij.

CAP. 3.

EXTRA Cœnam Domini aliundè quæſita exempla figuratarum locutionum, quàm parum momenti & authoritatis habeanr ad proprietatem verborum de Euchariſtia tollēdam, non ignorarunt aduerſarij. Friget enim, & vtroque pede claudicat huiuſmodi ratiocinatio: in aliquibus ſcripturis metonymicæ locutiones inueniuntur: igitur & oratio Chriſti de inſtitutione Euchariſtię eſt metonymica, ſiue aliter figurata. Eodem enim argumenti genere quiduis ſacris literis comprehenſum, figuratum eſſe perſuadebitur. Eam ob rem aduerſarij cominùs redintegrant pugnam, ac triplici acie nos inuadūt, vt victi cogamur tropum in verbis Chriſti recipere. Aiunt Catholicos & Lutheranos Chriſti locutionem in aliam reſoluere, cùm perinde ſonare dicamus, ac ſi dictum fuiſſet, *Panis tranſſubſtantiatur in corpus meum.* Lutheranos ſubiungunt ita vertere, In, ſub, vel cum pane eſt corpus meum. Negant ſine figura explicari poſſe, *Hoc poculum eſt nouum Teſtamentum*, cùm pro vaſe poculum memoretur, aut pro vino, ſicuti menſa pro cibo apud Apoſtolum. Contendunt etiam neque poculū, neque quod eſt in poculo, neque ſanguinē Domini eſſe nouum Teſtamentū, quod ſanguine Domini ſancitur. Profitemur quidem non ideò figurã à nobis Chriſti ſermoni infigi, ſi panē tranſſubſtantiari aſſerimus: imò ne pluribus figuris rimã aperiamus, ideò Tranſſubſtantiationē credimus, nec quicquam aſſui verbis Chriſti ſinimus, ſed quo ſenſu prolata ſint, oſtendimus. De ſua Synecdoche viderint Lutherani, quam illis verbis hærere non poſſe in

Quæ aduerſarij dicant figurata in verbis Chriſti.

Transſubſtantiationis Repetitione monſtramus. Quantum verò ad vniuerſam hiſtoriam de Cœna Domini, & ad ſingula verba in ipſa contenta, concedimus nonnulla inueniri figurata: ſed negamus iuſtè indè inferri: Ergo omnia, aut, Ergo quæ nobis diſplicuerint in ſua proprietate, efficiemus figurata. Nam ſi propterea quòd in alicuius rei deſcriptione nonnullæ inſeruntur figuræ, tota deſcriptio iudicatur figurata, totum Euangelium erit figuratum & parabolicum: quoniam eius hiſtoria multis figuris & parabolis ſcatet: & in Cœna ſanguis explicabitur in cruce effuſus figuratè, quoniam in eius narratione quædam extant figuræ. Eſto, ſit tropus apud Lucam & Paulum in poculi voce: an ideò oportebit exponere figuratè verba iſta, ſine tropo clariſſima, *Hoc eſt corpus meum*? An non potius conueniet tropicam locutionem per ſimplicem, & non figuratam explanare? Numquid ideò locum ſibi faciet aduerſariorum tropus, ex teſtamento ſignum teſtamenti colligens, & ſanguinem ſalutarem è Cœna remouens? Sed nec quidem ſuffragatur exemplum hoc illi figuræ, quam inueſtigant aduerſarij, per quam res ſignata pro ſigno ſtatuitur, & corpus pro pane, ac ſanguis pro vino. Non enim effertur à Luca & à Paulo, Hoc poculum eſt ſanguis: vt iſti reſpondeat, quam oſtentant aduerſarij, *Hic panis eſt corpus meum*: & quod ab illis enuntiatur, Hoc poculum eſt teſtamẽtum, non id fit, tanquam res ſignificata ſigno attribuatur: cùm nec poculum nec vinum, imò nec ſanguis ipſe, ſignificet teſtamẽtum: ſed attributio effectus ſuæ cauſæ redditur, cùm teſtamentum interueniente ſanguinis poculo ineatur. Imò ex Lucæ & Pauli oratione refellitur aduerſariorum commentum de pane & corpore. Sicut enim poculum aut vinum non affirmatur eſſe ſanguis, ita nec panis ab Euangeliſtis pronuntiatur eſſe corpus. An non verò ſatius eſt elucidare Lucam & Paulum ex aliis Euangeliſtis, qui ſimpliciſſimè Chriſti proloquium recitant, *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*? Quid hac oratione planius & lucidius? quid opus habet ſubſidio tropi? quomodo patitur ſanguinẽ exponi pro ſymbolo aut figura ſanguinis? Nullam ergo conſtituendi & admittendi tropum nobis neceſſitatem imponunt hæc verba, Hoc poculum nouum eſt teſtamentũ in meo ſanguine: præſertim cùm ex vſu omnium linguarum poculum intelligi debeat pro ipſa potione generaliter ſumpta, quæ deſignatur in ſpecie, quænam ſit & qualis, per verba adiuncta: nec vſquam eſt neceſſe pro vaſculo accipere, niſi adiuncta compulerint. Quantò minus cogimur orationem, *Hoc eſt corpus meum*, in figuras diſſoluere, cùm nullum habeat verbum ambiguum, cui meritò imprimatur alicuius figuræ veſtigium? Cæterùm ne videamur potiùs pugnam declinare, quàm hoſtem profligare annuamus in ſcriptura de Cœna, ſicut in omnibus ſacris literis quaſdã eſſe locutiones in ipſa lingua Hebraïca proprias, quæ in aliis linguis figuratum dicendi genus redolent: quaſdam verò prorſus eſſe figuratas, de quibuſdam quales ſint ambigi, quaſdã denique proprietatem dictionis retinere, nec transferri probabiliter poſſe. In Cœna, Fractionis vocabulum Hebraïſmum ſapit, pro diſtributione & porrectione: quemadmodum legitur in Eſaia, Frange eſurienti panem tuum: & alibi ſæpè. Eundem Hebraïſmum refert, Hoc poculum nouum eſt teſtamentũ in meo ſanguine, pro, per meum, ſiue propter meum ſanguinem. Ita enim Hebræi loqui ſolent: vt, Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: id eſt, gladio, & per gladium. Iacob ſeruiebat in Rachel, id eſt, propter Rachel: & alia ferè infinita. Ex hebræorum quoque lingua fluit traductio, & trãſmutatio locutionis de ſanguine, quæ eſt in Matthæo & Marco, diuerſa ab ea quæ eſt apud Lucam & Paulũ. Cõſueuerunt enim Hebræi cõmutare indifferenter phraſes à cauſis ad effecta, & è contrario, ac cauſas efferre pro effectis, & effecta pro cauſis. Quocirca ſine figura ex proprietate ſuæ linguæ Apoſtolus ſcribit, teſtamentum

Etiamſi aliqua ſint in verbis Chriſti figurata, non tamen ea quæ volunt aduerſarij.

De triplici genere locutionũ in verbis Chriſti.

Eſay. 58.

In lingua Græca aliqua figurata putantur, quæ non ſunt in Hebræa.

Pſal. 77.

Geneſ. 29.

mentum in sanguine, & sanguinem testaméti:pro eodem dicendi stylo. Nec dissimilis est habenda oratio eiusdem Apostoli ac Lucæ, qua dicunt, Hoc nouum est testamentum in meo sanguine, cum ea qua Matthæus & Marcus aiunt, *Hic sanguis est noui testamenti.* Tantùm isti exprimunt rerum ordinem secundum naturam causæ ad effectum: illi verò non tantùm causam testamenti præsentem, sed ipsum testamentum tum constitutum & promulgatum luculentiùs voluerunt explicare, & interea idem quod alij dixissent alia apud suos Hebræos familiari loquendi formula, dicere. Tria porrò figurarum genera in Cœna annotantur, Metaphora, Hypallage, & quædam metonymia siue synecdoche. Metaphorica & translata ista locutio probabilissimè putatur, Donec bibam illud nouum in regno patris mei. Regnum enim Dei (inquit Apostolus) non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in spiritu sancto: similíque metaphora de eodem regno Christus monebat, Et ego dispono vobis, sicut dispofuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam. Scio non haberi à plerísque clausulam illam, tanquam metaphoricam, sed intelligi de sacrosancta Eucharistia, quam cum suis discipulis confecerit Christus post suam resurrectionem, sicut etiam latiùs differetur in Trãssubstantiationis contentione: attamen per me liceat metaphoricam seu allegoricam censeri. Eodem tropo in sermone de Eucharistia vsus est Paulus, cùm colligit, Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Procul dubiò non vnus panis materialis, nec vnum corpus naturale omnes efficimur, sed metaphoricum & mysticum. Scio quoque plerosque antiquorum Patrum & recentiorum de pane ac corpore Christi vero interpretari, cui connectimur, & cum eo quasi coagmentamur, sicuti in capite de corporali manducatione disputabitur: nihilominus demus aduersariis translata esse eiusmodi vocabula. Hyppallages siue transmutationis, qua vna dictio ponitur pro altera, & vnius rei proprietas alteri tribuitur, plura sunt exempla in Cœna. Imprimis traductio est causæ & effectus, Hic calix nouum est testamentum in meo sanguine, & Hic sanguis est noui testamenti. Eadem est traductio, Iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Effectum pro causa nominauit, Iudicium pro Christo iudice, & eius corpore indignè sumpto, vnde iudicij & damnationis causa prodit. Itaque iudicij causam propriè comedit, non iudicium, qui indignè corpus Domini suscipit. Ad eandem figuram pertinet, Panis quem frangimus, nónne communicatio Christi est? calix cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est. In his enim res ponitur pro actione, & materia seu instrumentum pro forma. Nam nec panis nec calix propriè est communicatio, nec proximum medium, quo fit communicatio & dispensatio corporis & sanguinis Domini, sed ipsa panis fractio seu distributio, & calicis benedicti perceptio, est communicatio corporis & sanguinis Domini. Idcircò sapienter Apostolus adiecit pani & calici actiones, cùm apponit, Panis quem frangimus, & calix cui benedicimus. Ex eadem quoque figura vsitatum est in scripturis, quod ad Hebraïsmum est referendum, appellare res ex aliis elicitas & productas nomine materiæ, quæ productioni subiecta fuit: vt homo vocatur cinis, puluis, & terra: & corpus Christi verum in sacramento post cõsecrationem à Paulo panis, & sanguis poculum nuncupatur, vt fusiùs in Transsubstantiatione docebitur. Alterius generis Hypallage, quæ vnius rei proprietatem transfert ad alteram propter aliquam cognationem, in istis apparet: Hoc poculũ quod pro vobis effunditur, est nouum testamentũ in meo sanguine: &, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis frangitur. Nã in vno proprietas sanguinis, quę est effundi pro nobis, adaptatur siue vascu-

Tria figurarũ genera, de quibus certatur in verbis Christi.

Rom. 14.

Luc. 22.

1. Cor. 10

De Hypallage in verbis Christi.

m ij

lo, siue potioni generaliter sumptæ: & proprietas panis, quæ est rumpi, defertur vero corpori Christi, quod pro nobis datum fuit: & id quidem per hypallagen, id est, proprietatum commutationem, ad insculpandam tam arctam esse coniunctionem corporis & sanguinis cum speciebus panis & vini, vt commeant hinc & inde propietates, & vna res alteri sua propria communicet. Tertium genus hypallages, synecdochen & metonymiam cōplectitur. A synecdoche Lutheranorum abhorremus, quam affingunt, quasi dictum sit à Christo, *Panis est corpus meum:* quod liceat interpretari, In, cum, vel sub pane est corpus meum. Sed non ferimus scripturis addi, in quibus non habetur, panem esse corpus Christi, vt fiat enuntiatio synecdochica continentis, & contenti. Non auersamur tamen omnem in Cœnæ verbis synecdochen. Nam non dubium, quin ibi, *Hoc poculum est nouum testamentum*, siue, *Hic sanguis est nouum testamentum*, insit vera synecdoche partis ad totum. Non enim porio sanguinis Christi, siue sanguis ipse, propriè & perfectè est nouum testamētum, sed tantùm eius pars, sigilum nempè & arrabo, quo initur & obsignatur: alias suas habet partes, quibus constat & absoluitur testamentum, testator, & fœderis procurator, ac quasi fæcialis, Christus est: hæredes, & fœderis participes, omnes credentes existunt. Legata & ex fœdere pacta promissa sunt remissio peccatorum, atque vita æterna. Contractus & tabulæ testamenti, necnon initi fœderis, continentur contextu Cœnæ. Pignus, quo intercedente sancitum est fœdus, corpus & sanguis Christi censentur cum pane & vino exhibita ad manducandum & bibendum: vt hoc thesauro intra nos sumpto certificemur de gratuita per Christum cum patre cœlesti reconciliatione, gratia atque misericordia, & vt nostra fides confirmetur de remissione peccatorum & vita æterna, cuius propter Christum facti sumus hæredes. Obligatio verò, quà hæredes tenentur, est obseruatio mandatorum, & assidua recordatio ac meditatio passionis & mortis Domini, præsentissimum aduersus ignita diaboli tela, & aduersus omnes tentationes carnis, peccati, mundi atque inferni remedium siue antidotum. His partibus conflatur testamentum ac fœdus nouum. Metonymiam etiam apud Paulum in Eucharistiæ mentione agnoscimus, vbi scribit, Non potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum: &, Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? in quibus mensa & altare collocantur propositis in mensa & altari per metonymiam continentis pro contento. Eadem figura dictum placet Sacramentariis ac Lutheranis multis, Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine: vt poculum vasculum designet, quod per metonymiam continentis pro contento vinum connotet. In probationem afferunt mensam & altare simili figura in eadem materia ab Apostolo tradi. Nobis non ita videtur, nec ratione destituimur. Nam quoties dictio ex sua natura ad multos significatus est ambigua, & vni applicatur per appositas dictiones, iniquum est in vno tantùm significatu illā accipere, & asserere, nō nisi per figuram alteri competere, quem æquè naturaliter indicat, & cui per adiuncta magis congruit. τὸ ποτήριον Græcis, & Poculum Latinis de sua natiua significatione æqualiter & indifferenter vasculum & potionem ipsam complectitur: ita vt prolata poculi voce, suspensus hæreas, vtra in significatione sit discernendum, nisi aliquid videris vel audieris quod ex duabus vnam determinet intelligentiā. Non huius generis est mensa, aut altare, quæ vnam rem tantùm de sua natura declarant, & ideò non nisi per figuram possunt ad alias inflecti. Admonemus insuper vltra vsum linguarum Grecæ & Latinæ, ποτήριον, siue calicem, vt vertitur ab antiquo interprete, collocari in sacris literis pro ipsa potione frequentiùs, quàm pro vasculo, & ob id in eisdem literis habendam rectam & naturalem poculi pro potione significatio-

De synecdoche in verbis Christi.

An poculum significet vasculum, an potionem.

ficationem, & non eam quæ vasculum importet, cùm dictionis significatio deputetur ea naturalis, quę sit magis communis & vsitata: figurata verò dicitur, quę longiùs à communi vsu recedit. Sed his omissis consideremus ad poculum addita, vasculo conuenire non posse, & ex incerto poculi significatu eum seligamus, quem distingunt & secernunt adiũcta. Hoc poculum, quod pro vobis funditur, inquit Lucas: Hoc poculum quod benedicimus, ait Paulus: quæ duo non nisi ridiculè & impiè vasculo accõmodari possunt, potioni verò quam tum administrabat Christus conuenientissimè, nempè proprio sanguini, quem demonstrabat initio generaliter in potionis nomine, sed nominatim & singulariter postea expressit, in sanguine meo, cuius potioni, generaliter inquam & specialiter designatæ proprietates illæ duæ iure & affabrè quadrant. Nam antequàm ipsa potio generalis fit sanguis, benedicatur & benedictione immutetur oportet, vt efficiatur sanguis: & eadem potio funditur pro nobis in sanguine Christi, siue propter sanguinem, in quem benedictione conuersa fuit. Ne videamur hunc intellectum de nostro cerebro depromere, Matthæus & Marcus omnem metonymiam tollunt, & simplici oratione efferunt, *Hic est sanguis meus noui Testamenti*, pro, *Hoc est poculum in sanguine meo*. Idem enim valet, *Hæc est potio in sanguine meo*, &, *Hic est sanguis meus*. Adhæc Christus manifestè ostendit in Cœna non se poculum pro vasculo monstrasse, cùm apud eundem Lucam bis porrexisse poculum narretur. Nam antequam sacramentum institueret, accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos. „ Dico enim vobis, quòd non bibam de hac generatione vitis, donec regnum Dei „ veniat. Quod priùs poculum dixerat, postea indicat se interpretari de generatione vitis, non de vasculo, quod quidem illi minimè curæ fuit. Præterea obseruandum Christum eo sermone, *Hoc est corpus meum*, Hoc poculum est nouum Testamentum in meo sanguine, vsum fuisse ad reddendam rationem diligentioris sui mandati, quo suos Apostolos inuitabat ad edendum & bibendum, & ad rem inculcandam, quam edi & bibi iubebat. Nam Coniunctionem rationalem in Matthæo interiecit ad sanguinis poculum, quæ etiam locum habere debet in corporis clausula, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, *Hic enim est sanguis meus*: & per eandem rationalem elucidari sic debet oratio de corpore, *Hoc est enim corpus meum*. Ex quo palàm est, Christum studuisse quàm apertissimè effari suis quid exhiberet, ideóque consultò abstinuisse in ista demonstratione rei quam traderet, à tropis & figuris, quæ intentionem & demonstrationem possent remorari, & incertam atque obscuriorem reddere. At si verum est, quod Sacramentarij & Lutherani de poculo affirmant, tantum abest vt rem nudè & simpliciter ostenderit, quòd in eadem dictione metonymias conduplicarit, imò multiplicarit: si quidẽ aduersariorum cõsensu, in poculi prolatione vna est metonymia continentis vasculi pro vino cõtento. Deinde in vino ipso secũdum Lutheranos alia est metonymia, tanquam continentis vini, pro contẽto Christi sanguine. Sic enim, vinum est sanguis, interpretantur, quasi in, cum, vel, sub vino est sanguis. Alia verò metonymia in eodem vino constituitur à Caluinistis, nõ continentis pro contento, sed signi pro signato, cuius nomen gerat: ita vt in vnius poculi dictiunculam tres discrepantes metonymias infarciant, nec obscurius loqui Christus potuerit, cuius ad euoluendam vnicam vocem tot metonymiis opus sit. Itaque me cõpellunt ista, vt credam à Christo non demonstratum fuisse vasculum, sed sanguinis potionem, siue potionem in sanguine, nec vllam puto inesse metonymiam. Cur enim figuras recipiã, vbi nulla cogit necessitas, & sermonis obsistit euidẽtia. Neque verò metonymiã in poculo reformidamus, quasi quicquam iuuet Sacramentariorum causam, sed alienum ab omnibus disciplinis & literis iudicamus,

figuras vbi opus nō est fabricare. Gratificemur tamē hoc loco aduersariis, & demus metonymiā inesse poculi vocabulo: an propterea sanguis Christi aberit à poculo, an propterea vinū metonymicè sanguis Christi nominabitur, tanquā illius absentis signum? Vnde istæ tam ingeniosæ illationes & cōclusiones? Sit ita sanè, vt poculū pro vasculo ponatur à Christo per metonymiā: quæritur qualis illa sit, an signi ad signatum, an potius continentis ad contentum. Certè nemo primum cogitarit. Vnde enim vasculum designabit sanguinem Christi? Si verò metonimia conceditur continentis pro contento, igitur vasculo aliquid capiatur oportet. Vinum cum Lutheranis Sacramentarij respondebunt. Liceret quidem ipsis quiduis fingere, nisi Euangelistæ nobis contra eorum figmenta cauissent. Non vinum demonstratum intra vas à Christo docent Matthæus & Marcus Euangelistæ, sed sanguinem verū. Hic est (aiunt) sanguis noui testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Approbemus insuper nouum commentum Bezæ, vt Latinè de Græco textu vertendum sit contra omnium qui hactenus vixerunt translationem, *Hoc est sanguis meus noui testamenti*, vt hoc, sicuti illi placet, poculi vasculum significet, & à Matthæo dicatur, Hoc poculum est sanguis meus noui testamenti. Profectò cùm vasculum non sit sacramentum sanguinis, ideóque metonymia, quam vocant sacramentalem, signi & signati nequeat consistere, metonymiam continentis & contenti in Matthæo & Marco atque aliis Beza agnoscat necesse est, vt continens sit poculi vasculum, & contentum sanguis ipse, cùm aliud non demonstretur, nec declaretur ab Euangelistis. Hac igitur posita metonymia, elegans concinnitas & consonantia etiam in Euangelistis inuenitur. Lucas enim & Paulus id quod continet, nimirum vasculum, commemorarunt: Matthæus verò & Marcus cōtentum, nempè Christi sanguinem verum, ne quid aliud supponamus & ementiamur. Tam abest verò, vt talis figura ab Euangelistis explanata quicquam pro Sacramentariis & Lutheranis faciat, vt vtrosque clarissimè redarguat. Quamobrem etiamsi fateamur verbis Cœnæ, vt omni sermoni, aliquas figuras admisceri, negamus tamen vllas, quales fingunt aduersarij, extare, nempè metaphoricas ac metonymicas signi & signati, vt signum vocetur de nomine rei signatæ, qua priuatur. Deinde illæ, de quibus in Cœna vix ambigi potest quin sint figuræ, magis veritatem & præsentiam corporis & sanguinis Domini confirmant, quàm destruunt, vt perspicitur de Enallage, nec metonymia, si certa potest constitui, quicquam officit. Præterea figuræ in Cœna apparentes, vulgari & trito sermoni sunt familiares, quas deprehendant & agnoscant homines etiam parum in scripturis exercitati primo intuitu verborum & auditu. Non ita fit in locutionibus istis, Accepit Iesus panem, gratias egit, fregit, ac dixit, Accipite & comedite, *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur. Quid enim simplex, & ad proprietatem verborum capiendum erit in tota Cœna, imò in omnibus scripturis, si ista transferuntur, & in peregrinam, aut etiam rarissimam, atque à verborum sono alienissimam figuram explicantur & peruertuntur? Sin tantum placet ista transferri, *Hoc est corpus meum*, cur potius ista quàm priora translationi subiicientur, cùm ad priorum explanationem proferantur à Christo? Protulit enim vt scirent Apostoli quid esset quod porrigeret, & edere iuberet. Nemo sanæ mentis illustrat propria verba per figurata obscurissima, nec ignota & incerta per ignotiora & incertiora patefacit. Quid si postremò excogitatę ab aduersariis figuræ verbis istis nequeunt hærere, etiamne inuita & repugnante quacunque arte & forma dicendi, scripturas suis imaginationibus seruire cogent Sacramentarij? De figuris quidem ineptis, & quæ carent sensu communi, superuacaneum arbitror disputare, vt de Suenkfeldij cathacresi quasi corpus suum nominarit

Christus pro diuinitate,& de heterosibus ac similibus,quas phanatici homines pr§ anuni morbo somniant. Probabiliores & quæ nactæ fuerunt plures ac doctiores defensores,habentur Metaphora & metonymia,à quibus abhorrere potissima verba illa Christi docēdum est.Imprimis nemo Grammatices aut Rhetorices, aut linguarum peritus existimauit esse metaphoram in pronomine demonstratiuo,Hoc, vel in verbo subsistendi, est. Nam tametsi verum esset quod Carolstadius voluit, Hoc exponendum pro demonstratione corporis visibilis, quod mensæ assideret, & quamuis largiremur Cinglianis suam expositionem,vt caperetur est, pro significat:non tamen metaphorica concederemus esse pronomen demonstratiuum, & ipsum verbum substantiuum. Nam licet per alia cognatæ significationis explicari interdum possint,non tamen metaphorica dicuntur, neque tanquam translata exponuntur: quoniam ista simplicem habent demonstrandi & enuntiandi rerum quibus apponuntur,qualemcunque significationem & conditionem, siue naturalem,siue figuratam.Funguntur semper suo naturali & recto officio:si qua verò incidit significationis varietas in adiunctis cōsistit. Imperitè itaque faciunt Cingliani & Bezani, qui metaphoricas & metonymicas locutiones in verbo illo substantiuo reponunt,quod per significat exponunt: Nam nusquam metaphoræ enucleātur per significat: quod accitis his communibus exemplis elucescet, Achilles est leo,Christus est ostium,vitis,pastor,panis. Attributum siue prædicatum gerit trāslationem,non verbum,quod nequit in significat verti. Non enim Achilles significabat leonem,sed re vera leo erat,siue leoni similis, non natura neque essentia, sed qualitate, seu animi robore atque fortitudine: Ideo per similitudinem aliquam leniri debet propositio,non per significationem: vtpotè, Achilles est tanquam leo. Sic Christus non significat ostium,sed est ostium illud,per quod nobis aditus fit in cœlum: Vitem non significat, sed est vitis illa vera scilicet, cui nos sumus insiti per fidem surculi. Est pastor, sed verus, qui animam pro ouibus profudit: nec panem significat,sed re vera panis est is,qui de cœlo descendit, non panis triticeus. Quare vt nulla metaphora per significat declarari debet, sic verbum substantiuum, quo enuntiantur translatitiæ locutiones,numquam illud admittit, neque per significat explicatur. Et quanquam in scholis magistri parabolas & allegorias aperiant per verbum Significat,tamen imperitè faciunt & ineptè. Quanto rectius Christus, dicendi perfectissimus artifex & magister, similitudinem de eo qui sementem faciebat,interpretatur,non per significat, quod facerent homines indocti, sed per verbum substantiuum. Exiit(inquit)qui seminat,seminare semen suum,& dum seminat,aliud cecidit secus viam:& alia quæ ibi sequuntur. vbi loquitur non de aratore, sed de Ecclesiæ doctore,eiusdémque officio,& doctrinæ genere. Itaque verba rustica eo textu comprehensa non vsurpantur propriè, sed translatè. Semen igitur, quod vt Dominus interpretatur,est verbum Dei,non est illud granum tritici,quod spargit in agrum colonus:spin§ sunt sollicitudines seculi,bona terra est cor rectum, ager est mundus ipse. In his non commutauit Christus substantiuum verbum in Significat,sed ipsum retinuit in suo naturali sensu,& quæ essent translata vocabula, aperuit. Quamobram mirandum est vllos Sacramentarios, cùm omnes sint egregij rhetores,& dicendi artifices, metaphoram defixisse in pronomine demonstratiuo, & substantiuo verbo, præsertim in his propositionibus, *Hoc est corpus meum* quod pro vobis traditur: *Hic est sanguis meus*, qui pro vobis effunditur. Restat considerandum, an corporis & sanguinis dictiones in ista locutione recipere possint metaphoram,seu metonymiam. Lutheranorum synecdochen damnauit Cinglius. Oecolampadio non placuit Cinglij heterosis, vt est pro significat intelligeret: ob

Non est metaphora nec metonymia propriè in affirmatione Christi.

Math. 13.

Certam vnam figuram non possunt statuere aduersary.

id corpori & ſanguini vim fecit, atque metaphorica dixit. Ne quidem iſtud probauit Caluinus, ſed eadem motonymica aſſeruit. Nihil hotum ratum habuit Beza, ſed metonymiam aliquando ad verbum ſubſtantiuum, aliquando ad totam orationem retulit. Tanta leuitas atque inconſtantia figurarum certiſſima præbet argumenta, non ſolùm vertiginoſi ſpiritus, ſed anxiè reclamantis conſcientiæ. Vt autem in Oecolampadium agamus, corpus in Chriſti verbis in corporis figuram trāsferri nequit, & pro figura corporis de pane affirmari. Nam ſi corpus meum metaphoricè ſumitur pro figura corporis, is erit ſenſus ex Chriſti propoſitione eliciendus ad mentem Oecolampadij, Hic panis eſt figura mea. Nam ſi corpus Chriſti ponitur pro figura in illius locum indifferenter licet figuram ſubſtituere, atque ita enunciare, Hoc ſiue hic panis eſt figura mea: Hoc ſiue vinum hoc eſt mea figura noui teſtamenti quæ pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Inde ſequetur non corpus Chriſti, ſed figuram eius pro nobis traditam eſſe, non eius ſubſtantiam, ſed qualitatem, non quòd tangi poteſt, ſed quòd oculis ſolùm cernitur, non rem, ſed ſolùm eius imaginem, ac veluti picturam, & relabemur in vetus teſtamentum. Quòd ſi Oecolampadio placuerit vtendum figura, cum genitiuo corporis, atque eloquendum, Hoc eſt figura corporis mei, primùm violat leges metaphoricarum locutionum, quæ ſolui nequeunt in figuram, ſicuti nec in ſignificationem. Non enim rectè exponetur, Achilles eſt leo, id eſt, leonis figura, ſed eſt tanquam leo, aut leoni ſimilis, non corporis forma & habitu, ſed cordis robore, animíque viribus. Deinde ſi ſic licet metaphoricas clauſulas explanare, licebit igitur interpretari iſtas, Chriſtus eſt paſtor bonus, via, vitis, petra, oſtium, agnus, pro figura paſtoris boni, viris, viæ, petræ, oſtij, agni. Quæretur poſtea quiſnam verus ſit ille paſtor bonus, via, vitis, petra, oſtium, agnus, quorum omnium Chriſtus ſit ſola figura, & in execrandas abſurditates atque impietates deuoluemur. Poſtremò ſi corpus & ſanguis transferuntur à ſua proprietate in figuram in locutione Chriſti, eodem iure erit transferēdum in ſcripturis de Euchariſtia, vbi ſe obtulerit. Itaque apud Paulum, Panis eſt communicatio corporis, & calix participatio ſanguinis, vertetur in figuram corporis & ſanguinis, ſicut & in iſtis locis, Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Patet igitur metaphoram verbis Cœnæ inconcinnam ac diſſentaneam eſſe.

Hoc eſt corpus non poteſt figuram corporis ſignificans.

Metonymia Caluini nō poteſt eſſe in verbis Chriſti.

Porrò neque hîc Caluini metonymia poteſt conſiſtere: atque hîc Caluinus & Beza obliuiſcuntur naturæ metonymiæ & artis Rhetoricæ, quam tandiu ſunt profeſſi. Nam Cicero ſcriptum reliquit, metonymiam à metaphora diſcrepare, quòd hæc proprium vocabulum cum alieno & figurato, metonymia autem proprium proprio commutet, neque in ea vllum eſt verbum fictum, aut tranſlatum. Itaque mutata verba dicuntur, in quibus pro verbo proprio ſubiicitur aliud quod idem ſignificet. Hæc Cicero. Nos itaque largiamur Caluiniſtis metonymiam latere in Chriſti oratione. Concedamus viciſſim ex rhetorum præceptis oportere, vt oratio illa Chriſti verbis propriis conſtet, ſi metonymica fuerit. Qua de cauſa corpus propriam ſignificationem retinebit, & verbum ſubſtantiuum in ſua proprietate manebit. Tantùm metonymia immutat dictiones, ſed non earum ſignificationes: ob ídque ipſa tranſnominatio, ſeu immutatio nominum vocatur. Deindę natura metonymiæ fert, vt ſignum efferatur pro re ſignata, ſed non ipſa adiungatur & vnà apponatur: vt arma pro bello proferuntur, toga pro pace, laurea pro triumpho, lingua pro eloquentia, faces pro magiſtratu. Illuſtratur quidem oratio harum dictionum permutatione. Dicendum itaque fuit a Chriſto, Edite panem, nihil addendo de corpore: tum enim datur locus metonymiæ, cùm ſignum ſolo verbo enunciatur, res autem ſignata non expreſſa intelligitur. Tertiò metonymia ſigni & ſignati rerrò

De natura metonymiæ.

trò nō cōmeant,neque eſt reciproca,vt ſicut ſignū collocatur pro ſignato, viciſſim ſignatū vicem ſubeat & locū ſigni.Neque enim bellū pro armis,neque pax pro toga,neque victoria pro palma,ritè per metonymiam pronuntiatur aut reperitur. A Chriſto verò iuxta Caluinū non ſignum pro re,ſed res cōtra naturam metonymiæ pro ſigno, corpus nempè pro pane ſignificante corpus ipſum effertur. Nec denique ſi metonymiam eſſe annuerimus,obtinebūt Caluiniſtæ quod deſiderant, rem videlicet ſignatam eſſe ſeiunctam & ſeparatam à ſigno.Non enim metonymia expellit à ſigno indicatæ rei præſentiam:nam bellum ferè cum armis ſemper eſt coniunctum,toga præſentis pacis eſt ſymbolum, eloquentia ſine lingua non habetur: Columbæ,linguis,& flatui Chriſti in Apoſtolis aderat Spiritus ſanctus. Non igitur ritè colligunt illi diſlocatum eſſe corpus Chriſti à pane,quia metonymicè Chriſtus effatus ſit.Quinetiam ſi metonymica eſt affirmatio ſigni pro abſente ſignato,vt illis etiam placet, non euincent ex verbis Chriſti nos quicquam participare de corpore Domini, ne quidem ſpiritaliter, cùm non debeant plus nobis de Cœna Domini polliceri, quàm eius inſtitutione & Chriſti verbis promittatur: quibus aiunt tantùm offerri & commonſtrari ſignum,à quo res ſignata toto cœlo abſit:atque ita neque vigor corporis Dominici, neque virtus, neque efficacia præſtò nobis erit, quæ panis ſigno deſignatur. Quòd ſi rem ſignatam ſeorſum à ſigno dari, quamuis non expreſſam finxerint, ſua quidem fruantur inſania & fictione ſine verbo Dei & Chriſti. Quocirca impudenter Caluinus in Harmonia cōcludit,quoties externum ſignum dicitur id eſſe, quod figurat, omnium conſenſu metonymiæ locus datur: imò ex præceptiunculis rhetorum & doctorum atque indoctorum conſenſu metonymiæ natura violatur.Solet quidem Caluinus, cur panis dicatur corpus, duplicem rationem comminiſci:vnam, quia ſit figura corporis:alteram, quia virtutem eius coniunctam habet, vt ſit efficax ſacramentum. Condat igitur oportet nouas regulas & figuras,& omnibus Theologis incognitas,vt ſæpè nomen rerum tribuatur earum virtuti:ita vt Caluino duplici metonymia opus ſit,aut potius nulla.

AD ARGVMENTA ADVERSARIORVM DE PATRIbus,qui verba Chriſti videntur interpretari pro figura corporis & ſigno. CAP. 4

QVONIAM ſacramentalis aduerſariorum regula ſolido deſtituitur in ſcripturis fundamento & teſtimonio, ipſam commendant tanquam ab Auguſtino acceptam.Nonnulli Cyprianum, alij Cyrillum Alexandrinum eiuſdem authores citant.Sunt etiam qui adiungūt Theodoretum, vt multorum aſſenſione comprobetur,ipſique quaſi rei indicatæ aſſentiamur. Tribus inſuper modis iactāt, à Patribus opinionem ſuam propugnari ac defendi:quaſi nimirum paſſim ab ipſis, *Hoc eſt corpus meū*,in figurā corporis mei transformetur:quaſi corpus Chriſti ineſſe tantùm quodammodo Euchariſtiæ dicatur, quaſi ſine fide vacuum ſacramentum, & non rem ipſam ſacramenti:edi ab eiſdem concedatur.Iſti ſunt tres articuli, quibus continetur omnis Sacramentariorum de Cœna Domini impietas. De priori diſquiretur hoc capite : de duobus poſterioribus ſuo loco particularis habebitur
„ diſputatio. Vbique igitur ex Auguſtino proclamant iſta : Si ſacramenta quandam *Auguſt. ep.23.*
„ ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, non haberent, omninò ſa- *Regula ſacra-*
„ cramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunque etiam nomina accipiūt. *mentalis,vt ſi-*
„ Sicut ergo ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus *gnum nomine*
„ Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis ſanguis Chriſti, ita ſacramentum fidei fides eſt. *rei ſignatæ vocetur.*

Aug. lib. 3. ca. 22. contra Maximinum Arrianum. *Aug. in Leuit. qu. 58.*

Addamus etiam quod idem Augustinus contra Maximum vehementiùs pro aduersariis, vt apparet, pronuntiat: Hæc sacramenta sunt, (ait) in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significantia. Ac ne quid reticere vidamur, apertiùs in Leuiticū ait: Solet res quæ significat, eius rei nomine vocari quam significat, sicut scriptum est, Septem spicæ sunt septem anni, &, Petra erat Christus. Cyprianus verò ita habet: Dedit Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium, propriis manibus panem & vinum: in cruce verò propriis manibus corpus tradidit vulnerandum: vt in Apostolis secretiùs impressa sincera veritas, & vera sinceritas, exponeret gentibus, quomodo panis & vinum caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent, & diuersa nomina vel species ad vnam reducerentur essentiam, & significantia & significata iisdem nominibus censerentur.

Cyprianus De Vnctione Chrismatis.

Cyrill. lib. 4. in Ioann. cap. 10.

Porrò Cyrillus ita loquitur: Quomodo maiores Iudæorum panem Angelorum spiritalem comederunt? Conspicuum est, quoniã Christi, qui vniuersa continet atque nutrit, figura quædam erat, Mãna sensibile. Idcircò quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellauit, & eo quòd Angeli terrestri cibo participare nequeunt, vel nolentes ad veritatem à figura impellit auditores, & ad Christum, qui etiam ipsorum Angelorum panis est, ænigmatica oratione reducit. Theodoretus quoque in hæc verba scribit: Manifestus est scopus his, qui sunt initiati sacris. Voluit enim eos, qui diuina mysteria participant, ne ad eorum quæ videntur naturam attendant, sed per nominum mutationem credant quæ ex gratia facta est transmutationi. Qui enim naturale suum corpus, frumentum & panem appellauit, atque item seipsum vitem nominauit, idem ipse etiam ea quæ videntur symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed adiiciens gratiam naturæ. Ex his Sacramentarij triumphant, & regulam suam omnium Patrum suffragiis, tanquam legem ratam & inuiolabilem esse iubent. Hanc monet Caluinus sine vlla exceptione obseruari, vt quoties Patres scribunt in pane edi à nobis corpus Christi & sanguinem, addatur in mysterio, seu sacramentaliter, seu metonymicè, sicque omnis cesset contentio. Ita se edoceri ab Augustino & Theodoreto Beza defendit, & ex Cinglianis repetit Patrum authoritates, quibus *Hoc est corpus meum* videntur interpretari prò figura, signo, antitypo, exemplari, similitudine, imagine, significatione, memoria, commemoratione, ac repræsentatione corporis Christi. his enim dictionibus opinor comprehendi omnia Patrum dicta, quibus Sacramentarij solent abuti. Oecolampadius verò generaliter ita concludit: In summa, ad quoscunque solidos diuerteris authores, nullum non inuenies corpus Christi exponere, & dicere esse sacramentum, vel sacram figuram corporis Christi, vel mysterium quod idem est. Et similiter inuenies sanguinem Christi exponi calicem mysticum, vel mysterium, vel sacramētum sanguinis. Petrus Martyr inter suas tanquam duodecim Tabularum leges illam eandem illustriori loco ponit. Nos autem ante omnia spectemus aduersariorum in quadam affectata consonantia etiam à semetipsis discordiam. Cingliani quidem priores ex Patribus illam corraserunt tanquam regulam & expositionem, quam suæ spiritali manducationi admodùm fauere putarunt: nihilominus dux eorum Cinglius huic non incumbit. Non enim corpus ait collocari à Christo pro figura corporis, sed ipsum verbum Est, in Significat vertit. Quòd si cum Oecolampadio, Caluino, atque aliis, dicatur in Christi sermone corpus nominari pro figura corporis, quid ex Cœna per eius institutionem manducari conuincetur præter panem Domini corporis figuram ad passionis memoriam? Ex quo verbo institutionis, aut ex qua phrasi præter

Theodoret. dialog. 1. Polymorph.

Quid ex sacramentali regula concludant aduersarij.

Oecolamp. in exposit. de cœna.

Pugnant cum sua sacramentali regula aduersarij

rer nudum ſignum aptè & euidenter colligetur ſpiritalis eſus eiuſdem veri corporis Dominici? Quòd ſi corpus Chriſti in eius ſermone in figuram tranſponitur, cur non pari ratione caro Chriſti apud Ioannem transferetur in figuram carnis, præſertim cùm longè plura hîc concurrant adminicula, quæ carnem ad ſpiritalem ſenſum videantur inflectere? Sin Cingliani & Caluiniani contenderint non inania eſſe ſigna, nec per regulam vacua reddi: ſed nec ſanè ex vi regulæ efficacia definiuntur eſſe à Patribus, aut intelliguntur, quæ aliud præter ſignificationem de re ſignificata afferant vel exhibeant, cùm inter exempla ſacramentorum, quibus competit regula, numeret Auguſtinus annos paſſionis & reſurrectionis Dominicæ dies, nomine paſſionis & reſurrectionis appellatos, à quibus de paſſione ipſa & reſurrectione nihil præter memoriam & ſignificationem ſuggeritur. Si verò ex aliis locis ſcripturæ hinc Cinglianus, inde Caluinianus ſuam voluerint ſtabilire opinionem de re, quam arbitrantur in Cœna percipi, erit mirandum à Chriſto eam rem quam donet in Cœna, manifeſtiùs fuiſſe declaratam, vel etiam ſimpliciter expreſſam alibi ab ipſo, præterquàm in Cœnæ inſtitutione, quæ ad hoc inſtituebatur, vt ſciretur quid agẽdum, & quid pretij ex actione reportandum. Quapropter Caluinus acerrimus ſacramentalis regulę aſſertor, quoties ad ſanam mentẽ rediit, toties eidem renuntiat, ac negat in Cœna ſolam figuram corporis ſumi, vel in oratione Chriſti corpus nominatum pro figura corporis à ſe explicari & intelligi, quoniam nõ ſcribatur, Hæc eſt figura corporis mei: eóque rapitur aliquando, vt corpus poni pro figura, tanquam prodigioſam locutionem inſectetur, quæ nulli vnquam ſuorum exciderit, quemadmodum in ſua Apologia Veſtphalus annotat. Bezæ itidem plerunque religio eſt, corpus pro corporis figura interpretari: ſed metonymiam in copula propoſitionis cum Cinglio, aut in tota propoſitionis phraſi & attributione collocat. Cæterùm quando in alicuius veteris Theologi de corpore Domini ſententiam incidit, tum Cinglianus ad regulam refugit, & corpus pro corporis ſigno apud ipſos accipit. Bucerus affirmat neminem in ſuis libris inuenturum, Eſt pro Significat, & corpus pro corporis figura, tametſi eos defenderit, qui talibus vterentur locutionibus, cùm non putaret, inquit, eos ſentire de abſentis corporis figura. Vides itaque Chriſtiane lector, quàm parum aduerſarij ſibi conſtent in regula, niſi quoties aliter non datur ex ſcripturis & clariſſimis Patrum teſtimoniis elabi. Sed nos vt tandem emergamus ex labyrinthis & abſurditatibus, in quas ſe temerè per imprudentiam dant præcipites aduerſarij, ordine meditemur & euoluamus omnia. Quod antea monuimus fideli memoria tenendum ſolitos aduerſarios gloriari, quòd ex ſolis ſcripturis religionem hauriant, cùm interim regulam illam cui toti incumbunt, non habeant in ſacris libris expreſſam, ſed quorundam Patrum arte & ingenio fabricatam, atque ita ex hominum traditione ſuam deprehenduntur metiri de Cœna Domini doctrinam: Notemus eoſdem hæreticorum more venari obſcura quædam dicta Patrum, & pauca, vt plurium ac clariorum luminibus officiant. Notemus inſuper aduerſarios falli ac decipi potiſſimùm ex appellatione ſigni & figuræ, atque ex regulæ falſa intelligentia & applicatione. Fatemur quidem Patres ſæpè in Euchariſtiæ tractatione, & in dictionibus, non quibus ipſa inſtituitur, ſed quibus explanatur & elucidatur, ſtatuere ſymbolum, ſignum, figuram, & ſacramentum, non tamen in vna & eadem intelligentia. Nam Nicena prima ſynodus vocat Euchariſtiam dignè perceptam, ſymbolum noſtræ reſurrectionis, quod ſanè non ſignum eius, ſed arram & pignus ſignificat. Quinetiam figura, ſpecies, ſymbolum, ſignum, ſimilitudo & imago non raro ponuntur pro apparentia rerum omnium quæ oculis ſubiiciuntur, & pro eo quod de pane relinquitur in Euchariſtia, eius ſa-

Calui. lib. 4. inſtit. cap. 17.

Bucer. in epiſt. ad Epiſc. Erephordienſ.

Regula ſacramentalis illa non habetur in ſcriptura.

Aduerſarij abutuntur vocabulis ſymboli & figuræ.

ĉta trāſſubſtantiatione, vti aliàs declaratur. Adhæc non quoties figuræ fit in iſta materia mentio, protinus de ipſo ſubiecto ſacramenti intelligitur, ſed aliquando de ritu quo celebratur Cœna Domini, & de oblatione quæ in ipſa fit, quæ ſymbolum gerunt & figuram paſſionis Dominicæ ac ſacrificij in ea oblati: nec quoties effertur figura corporis Dominici, ſemper deſignatur corpus Chriſti naturale, ſed aliquando myſticum, quod panis figurat. Demus nihilominus communiter illas voces in ratione ſigni de corpore Chriſti vero poni, negamus ob id excludi veritatem ac præſentiam corporis Dominici ab Euchariſtia: nam falſa eſt in ſcripturis & Patribus iſta ratiocinatio, Eſt figura aut ſignum, igitur re figurata vacat. Quin ipſimet patres ſæpè teſtantur in Euchariſtia non exiſtimandam eſſe nudam figuram, ſed ineſſe veritatem carnis Domini. Idcircò totus Sacramentariorum impetus multis modis ruit de figuræ dictione & ſimilibus: ruit, inquam, in maiore & in minore, vt ad Dialecticorum normam eorum regulam metiamur. Principiò non dubium eſt ab Apoſtolo Chriſtum vocari figuram & imaginem diuinæ eſſentiæ. Si quis tamen vocaret in controuerſiam, an propter illas dictiones Chriſtus verè ac naturaliter eſſet filius Dei, iuberet eum Caluinus cum Serueto viuum vſtulari. Incarnationem, paſſionem, reſurrectionem, atque aſcenſionem idem Apoſtolus magnum pietatis nominat ſacramentum, ipſúmque Chriſtum ſacramentum ac myſterium appellat. Certè Marcionitæ, Manichæi, ac reliqui omnes, qui de vera Chriſti humanitate litem mouerunt, hos textus obtrudebant, Habitu inuentus vt homo, In ſimilitudinem hominum factus: eodem quo vtuntur in nos aduerſarij argumento: quibus cùm reſpondet Tertullianus, idem noſtri ſibi reſponſum habeant. Planè (inquit) de ſubſtantia Chriſti putant & hîc Marcionitæ ſuffragari Apoſtolum ſibi, quòd phantaſma carnis fuerit in Chriſto, cùm dicit, quòd in effigie conſtitutus, nō rapinam exiſtimauit pariari Deo, ſed exhauſit ſemetipſum, accepta effigie ſerui, nō veritate, & in ſimilitudine hominis, non homine, & figura inuentus vt homo, non ſubſtantia, id eſt, non carne, quaſi non & figura, & ſimilitudo, & effigies ſubſtantiæ quoque accedant. Bene autem quòd & alibi Chriſtum imaginem Dei inuiſibilis appellat Apoſtolus. Numquid ergo & hîc, quia in effigie eū Dei collocat, æquè non erit Deus Chriſtus verè, ſi nec homo verè fuit in effigie hominis conſtitutus? Vtrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur. Ambroſius itidem cùm Apollinariſtarum argumentum ex figura ad tollendam veritatem humanitatis in Chriſto retundit, eadem opera in Sacramentarios impetum facit. Nec ſibi (ait) blandiatur virus Apollinare, quia ibi legitur, Et ſpecie inuentus vt homo. Non enim negatus eſt homo Ieſus, cùm alibi ipſe Paulus de eo dicat, Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, ſed confirmatus. Id enim vſus & moris eſt ſcripturæ ita ſignificare. Sic & in Euangelio legimus, Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Sicut ergo quaſi vnigenitus dicitur, & non abnuitur vnigenitus Dei filius, ita vt homo dicitur: & perfectio hominis in eo fuiſſe non negatur. Eodem dicendi genere ſcripſit idem Ambroſius, filium Dei pati, per corporis ſacramentum, à quo tamen diuinitatem nuſquam diſtraxit: eadémque locutione Auguſtinus dixit Chriſtum eſſe ſacramentum filij Dei: atque idem vt demonſtret in ſpecie hominis non apparuiſſe filium Dei, tanquam in nudo ſigno, de ſignis prolixam adhibet diſtinctionem: vt alia tantum ſignificent, ſicuti vellus Gedeonis, alia non ſolùm ſignificent, ſed exhibeant rem quam deſignant, vt Columba Spiritum ſanctum: alia verò non tantùm denotent, aut rem denotatam offerant duntaxat, ſed vt in eandem affirmationem recidant ſignum & res ſignata: cuiuſmodi memoratur

Margin notes: *Falſa ratiocinatio aduerſariorum.* — *Heb. 1.* — *Figura nō excludit veritatē.* — *1. Timot. 3.* — *Philipp. 2.* — *Tertull. lib. 5. in Marcionem.* — *Ambroſ. ep. 47.* — *Ambroſ. lib. 1. de fide. cap. 4.* — *Aug. lib. 83. queſtiō. qu. 42. & lib. 2. de Trinit. ad lib. 5.*

moratur ab illo Christus homo, filius Dei: & Eucharistia quæ per Spiritũ sanctum & verbum Dei fit, corpus Christi in tali effigie. Quamobrem non effugient aduersarij, quin istud eorum præclarum axioma, Est figura corporis, nõ est igitur veritas, multis impietatibus & falsitatibus contra fidei articulos, scripturam & Patres implicetur: cùm eadem res composita, seu ex pluribus conflata, suimetipsius sit figura & veritas, quamuis fuerit simplicissima, modò variis modis spectetur & consideretur. Qua de causa probè monuit Augustinus, in figuris distingui oportere, quid sint in se, & postea quid significent, ne ex significatione & appellatione ipsum omni veritate & omni substantia spoliemus. Quòd si omisso generali axiomate singularis de Eucharistia instituitur disputatio, iterum assentimur illam à Patribus nuncupari figuram, signum & sacramentum, atque aliis vocabulis quæ antea recensuimus: nihilominus credimus nullum Patrum vnquam scripsisse, repellendam, aut non retinendam esse proprietatem sermonis Christi de sua Cœna, aut in Eucharistia puram figuram quærendam. Fidenter istud concludit Nicena illa secunda synodus cõtra Iconomachos habita, cùm ait: Nemo vnquam sanctorũ Apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosorum Patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi Domini nostri, & totius suæ dispensationis factum imaginẽ corporis illius dixerit. Legas quousque voles, numquam inuenies neque Dominũ, neque Apostolos, neque Patres, incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginẽ dixisse, sed ipsum corpus & ipsum sanguinem. Hoc quidem verum est in eo sensu, quo tum de imaginibus disserebatur, & quo tum proferebatur, quasi in Eucharistia Spiritu sancto perfusa, vt assentiebantur Iconomachi, sola resideret imago corporis, & non re vera corpus ipsum: quod à mẽte veterum scriptorum fuit alienissimũ, qui non abhorrẽt tamen ab imaginis & figuræ vocabulis, cùm de Eucharistia sermo habetur. Imò quoties de ipsa disserere incipiũt Græci & Latini Patres, videas ipsos verborũ Christi proprietatem atque efficaciam defendere & extollere. Videas eosdem non alio nomine antiquę legis figuris Eucharistiam anteponere, quàm quòd veritatem & corpus ipsum ac sanguinem Christi cõtineat. Tertiò videas illos rationem reddere, cur decuerit veram Christi carnem & sanguinem sub panis ac vini signo aut velamine præberi: ideóque ipsam Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cœlesti. Non negarunt sanè in Eucharistia figuram esse & nominari: imo ex variis causis id accidere docent, vti hoc capite explicabitur: sed falsum est ab ipsis verba Domini in figuram transferri, aut puram figuram in altaris venerabili sacramento constitui. Ista duo sunt, quæ Patribus iniquius per aduersarios imponuntur. Sanctissimi illi Patres adeò cauerunt errandi causam & occasionem dare, ex signi ac figuræ nomine, vt sæpiùs vbi de signo hîc mentionem fecerunt, ilicò occurrant obiectioni, nec nudam figuram subesse declarent. Quinetiam damnant eos, qui Christi verba conabantur in tropum dissoluere. Hæc duo ordine persequamur. Si à magno Dionysio exordiri placet, imposita vocat sancto altari signa, per quæ (inquit) Christus signatur & sumitur. Profectò sicut extra panem Christus non significatur panis signo, nec extra panem sumitur, tanquam panis instrumẽto, ne tergiuersentur aduersarij suo more, quasi sumatur Christus extra panem, & tamen mediante panis otio ac vacuo instrumento. Primi quidem qui ausi fuerunt peruertere *Hoc est corpus meum*, in figuram corporis mei, comperiuntur fuisse Marcionitæ, & quicunque alij à Christo non crediderunt naturale ac verũ corpus sumptũ, sed imaginarium: multò verò minus adduci poterát,

Eucharistia nusquam dicitur a Patribus pura figura.

In act. 7. Nicen. 2.

Duo quæ falsò Patribus imputant aduersarij.

Dionys. ca. 3. de Ecclesiast. Hierarch.

Marcionitæ primi fuerunt qui Hoc est

corpus meum pro figura corporis dixerũt.

vt inesse Eucharistiæ substantiale eiusdem Christi corpus sibi persuaderent, cámque ob causam in Christi locutione corpus positum in figuram mutabant. Duobus ferè modis in eos Catholici Patres egerunt, ac scripserunt: fidem suam solenne explicare atque inculcare de veritate corporis Dominici in Eucharistia, ab ipsaque summouere corpus phantasticum & figuratiuum. Deinde veritate stabilita, Marcionitas aggrediuntur ex concessione falsæ interpretationis, qua hæretici deprauabant Christi de suo corpore asseuerationem: sicque ratiocinabantur, non tam ex sua mente, inquam, & intelligentia, quàm ex deprauato sensu Marcionitarum: Christus dixit, Hæc est figura corporis mei: igitur verum corpus habuerit necesse est. Tertullianus imprimis ostendit ita Christi corpus & carnem accipi à Marcione, quoties legerentur in scriptura, pro figura ac signo corporis & carnis, ar-

Lib. 2. & 3. in Marcionem.

que ita scribit: Si mentitum alicubi dicis creatorem, longè maius mendacium in Christo tuo, cuius corpus non fuit verum. Edas, ô Marcion, consilium Dei tui, quo Christum suum non in veritate carnis exhibuit, si aspernatus est illam vt terrenam, & vt dicitis, stercoribus inspersam, cur non & simulachrum eius proinde despexit. Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est: quale est, vt dedecus existimarit veritatem potius quàm mendacium carnis. Atquin honorauit illam fingendo. Quanta iam caro est, cuius phantasma necessarium fuit Deo superiori? Totas istas præstigias putatiuæ in Christo corpulentiæ Marcion illa intentione suscepit, ne ex testimonio substantiæ humanæ, natiuitas quoque eius defenderetur, atque ita Christus creatoris vindicaretur, vt qui nascibilis, ac per hoc carneus annuntiaretur. Stultissimè & hic Ponticus, quasi non faciliùs crederetur caro in Deo non nata, quàm falsa. Vt Hîc Tertullianus duos errores de Christi incarnatione in Marcione accusat, ita eosdem in illius opinione de Eucharistia libro quarto obseruat. Tantum dicebat in Christo apparuisse imaginem & figuram carnis,

Duo errores Marcionis circa Eucharistiã, quos aduersarij imitantur.

& postea subiiciebat carnem illam imaginariam non fuisse veram, sed solùm putatiuam ac fictitiam: ita in Eucharistia idem somniabat, figuram & imaginem corporis pro vero corpore subiacere, & ilicò quoddam corpus putatiuum & imaginarium, quod appellabat panaceum, in eadem Eucharistia componebat. Tertullianus ex admissa figura corporis arguit veritatis corpus aliquando extitisse. Deinde putatiuum illud corpus panaceum subsannat, ac postremò tota illa disputatione interpretationem Marcionitarum de verbis Christi in Cœna, & figuram corporis repellit, ac proprium Christi corpus pro figura ac putatiuo corpore credendum in Eucharistia per scripturas euincit, atque ita locutionem Eucharistiæ propriam esse asserit. Ante omnia libro tertio probat Christum veri

Tertullianus propriè accepit verba Christi. Hierem. 2.

Dei filium esse, qui Prophetias & figuras veteris legis impleuerit, in quibus erat ab Hieremia de Eucharistia prolata, Mittamus lignum in panem eius: vbi Propheta panem figuram corporis pro corpore dixerat: quam figuram à Christo completam Tertullianus contendit, quando panem corpus suum fecit, eloquendo, *Hoc est corpus meum*. Non itaque Tertullianus ait, Eucharistiam figuram esse, aut corpus figuratum, aut verba Christi pro figura transponanda: sed ait panem figuram corporis ab Hieremia prædictam, effectum fuisse corpus ipsum verum, & veritatem figuræ. Textus est: Hoc lignum Hiere-

Tertull. lib. 3. in Marcionem.

mias tibi insinuat dicturis prædicans Iudæis, Venite, mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans: vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram dedisse, cuius retro corpus in panem prophetes figurauit.

" ipsi Domino hoc sacramentum postea interpretaturo. Idem argumentum libro quarto repetit, & copiosiùs tractat, atque ait, potuisse Christum omnia quæ gessit, aliter gerere, sed noluisse, nisi eo modo quo prænuntiarant Prophetæ. Idcirco erat in eo situm aliter nasci, aliter pati, aliter sacramenta sua instituere, sed noluit. Quapropter Eucharistiam subiicit institutam per allusionem ad prophetiam Iacob & Hieremiæ, ac panem figuram corporis ab Hieremia propositam, verè carneum suum corpus effecisse, dicendo, *Hoc est corpus meum:* id est, Hoc, siue panis figura corporis mei, iam efficitur corpus meum: ita vt spectando mentem atque intentionem Tertulliani, figura corporis quam nominat, neque pertineat ad verba Christi, neque ad ipsam Eucharistiam, sed ad panem, qui prius figura, efficitur veritas ac verum corpus per Christi verba. Quomodo enim diceret panem effici figuram corporis, cùm ante Christum natum iam esset figura talis corporis ab Hieremia celebrata, cuius veritas requirebatur à Christo complenda? Cur igitur Tertullianus sermoni Christi, *Hoc est corpus meum*, tanquam explanationem subiungit, id est, figura corporis mei? Respondemus Tertullianum explanare quid intelligat per Hoc, quod sit effectum corpus Christi, & exprimere per Hoc intelligi panem captum à Christo, figuram corporis, transisse in ipsius corporis veritatem. Nam semetipsum postea Tertullianus declarat, cùm subiicit,
" Cur panem suum appellat, & non magis peponem, quem cordis loco Marcion ha-
" buit, non intelligens veterem illam figuram fuisse corporis Christi, dicentis per
" Hieremiam, Venite, coniiciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus
" eius? Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit panem significasse, satis
" declarauit, corpus suum vocans panem. Non ait in Eucharistia panem esse corporis figuram, sed prius fuisse corporis figuram, & in Eucharistia iam effici ac vocari veritatis corpus. Deinde etiam interseruit, Id est, corporis figura, vt locũ aliquem daret Marcionis interpretationi, qui solebat corpus & carnem Christi in figuram corporis & carnis soluere, sicut & huic interfationi & explicationi coniungit corpus panaceum ex altero Marcionis delirio profectum. Vtrumque verò commẽtum nihil hæreticum iuuare ostẽdit, cùm inde refellatur eius opinio: quinetiam vtrũque postea profligat, probátque nec Eucharistiæ nec sermoni Christi figuram affingi posse. Principiò ex figura corporis in lege veteri antecedente, quæ prius fuerit, & postea sit effecta Christi corpus, & etiam ex adulterina Marcionis interpretatione de verbis Christi infert necessariò, verum corpus Christum induisse: alioqui fallax ac falsa inueniretur figura corporis, quod nunquam extaret. Postea conuincit corpus, de quo ait Christus, *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur, nec panem esse, nec figuram corporis, nec corpus panaceum, vt volebat Marcion, sed verissimum ac substantiale corpus Christi, quoniam hoc solum potuit tradi pro nobis, & non panis, aut corpus panaceum, aut corporis figura. Postremò enarrat figuras corporis & sanguinis antecessisse in Prophetis, & earum veritatem à Christo in Eucharistia perfectam & exhibitam, nec iam verba Christi admittere figuram rei aut dictionis. Tertulliani verba satis prolixa, sed si expenduntur, planissima &
" apertissima, sic habent. Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum *Tertull. lib. 4. in Marcion.*
" illum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo, id est, figura corporis mei. Figura au-
" tem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantas-
" ma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit,
" quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat
" ad veritatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur panem corpus suum appellat,
" & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligẽs veterem

istam fuisse figuram corporis Christi dicentis per Hieremiam, Venite, coniiciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione, testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis sanguis esse potest, nisi carnis. Nam etsi qualitas corporis, qualitas non carnea opponetur nobis, certè sanguinem nisi carnea non habet. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, & probatio carnis de testimonio sanguinis. Vt autem & sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias: Quis est qui aduenit in Edom tinctis vestibus, &c. Multo verò magis manifestius Genesis in benedictione Iudæ, ex cuius tribu carnis censu Christus processurus iamtum Christum in Iuda deliniabat. Lauabit, inquit, in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum: stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem: & nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit. At inquies, scribit Tertullianus, à Christo panem vocari corpus suum. Verum quidem est panem effectum corpus, vt loquitur, vocari à Christo corpus suum: alioqui si panis purus esset, aut panaceum corpus, talia quoque affirmarentur tradi & crucifigi pro nobis: & figuræ corporis, quatenus consistere in Eucharistia debebat, vt erant à Iacob & Hieremia prænuntiatæ, veritatem corporis existentis in Eucharistia nondum essent consecutæ. Quibus rationibus vides hîc Tertullianum clarissimè figuram à verbis Christi & à corpore, quod in Eucharistia esse debet, tollere, ac nominatim requiri hîc eius substantiam & veritatem: Marcionis etiam deliramentum & effugium de figura & panaceo corpore refutare. Animaduertis insuper, à quo didicerint omnia sua figmenta Sacramentarij nostri, nimirum ab ipso Marcione, siue cùm verba Christi interpretantur pro figura, siue cùm sacramentale corpus nescio quod, aut symbolicum de pane, quod idem est ac panaceum confingunt, seu cùm loco corporis qualitatem eius nescio quam minimè carneam ac substantialem introducunt, & eam in Cœna percipi somniant. Chrysostomus eadem prudentia, vbi ex proprietate verborum Christi, & descriptione substantialis corporis, quod in Eucharistia sit, fidem Ecclesiæ tradidit, etiam ex Eucharistia, tanquam ex signo & symbolo crucifixi corporis & sanguinis effusi, contra Marcionem & alios astruit, Christum vera morte fuisse defunctum. Sicut in veteri lege, inquit, eodem hîc modo in beneficio reliquit memoriam mysteriorum, colligendo, & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, vnde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa mysteria? Hæc enim offerentes, ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Vides quantum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus, pro nobis ipsum mortuum fuisse. Nam quoniam Marcion, Valentinus, Manicheus, eorúmque sequaces negaturi erant hanc dispensationem, memoriam passionis per hoc semper reducit mysterium, vt nemo nõ insanus seduci possit. Ita per sacratissimam istam mensam & saluat, & docet: hoc enim caput bonorum omnium. Chrysostomus quidem nec verba Christi ex suo sensu, nec ex Marcionis errore, per figuram corporis corrumpit, nec ex eiusdem sententia figurã corporis ponit, sed ex cõfirmata verborum Christi proprietate, & veritate corporis in Eucharistia, figurã passionis seu corporis passi inesse cõcedit: ex eáque MARCIONẽ atque alios redarguit, & ex veritate rei cõsistentis in Eucharistia Christũ ait nos saluare, & ex figura atque imagine passionis nos docere. Ita ratiocinantur Gelasius, Theodoretus, atque alij qui

Esay. vlt. Genes. 49.

Hæreses circa veritatem corporis in Eucharistia, à Marcione ortæ sũt.

Chrysost. hom. 83. in Matth. hom. 60. ad popul. Antio.

qui contra illos hæreticos & Eutychianos agunt: de quibus in secunda Repetitione ad articulum symboli Apostolici de Christo nato ex Maria virgine, ac passo, qui omnes cũ imagine & similitudine corporis passi, ipsummet corpus verissimè adesse sacraméto, ac reipsa sumi probát & prędicát. At postquàm hæresis illa de sola figura corporis cæpit latiùs serpere, vt ei reniterentur Patres accurratiùs, ferè negarunt vllam figuram verbis Christi aut Eucharistiæ accommodari posse: non quia sentirent nullam aptè conuenire posse: alioqui rationem omnem sacramenti ab illa remouissent. Si enim sacramentum est, alicuius figura ac signum est. Sed quemadmodum Ioannes Baptista negauit se omninò Prophetam esse, propter falsam quam de ipso Iudæi iactabant opinionem, cùm tamen re vera inter Prophetas maximus surrexisset: ita Patres, licet non dubitarent, non tantùm vnius rei, sed plurium figuras subesse Eucharistiæ, nihilominus propter vim & deprauationem, quam verbis Christi inferebant hæretici, ac falsam figuræ intelligentiam, planè figurarum nomen plerunque ab Eucharistia repulerunt, ne hæresibus vllum facerent aditum.

Quare Patres aliquando negens figurã esse in Eucharistia.

Ioan. 1.

Post Tertullianum sic illa secunda Nicena synodus penitus inficiatur ab vllo Christiano Patre figuram in Eucharistia nominatam. Contra eosdem Iconomachos, imaginem & figuram etiam in Eucharistia agnoscétes, eodem tempore quo illa synodus, Carolus Magnus Francorum Imperator ista scripsit: Non corporis & sanguinis Dominici mysterium, imago iam nunc dicendum est, sed veritas, non vmbra, sed corpus, non exéplar futurorum, sed id quod exemplaribus pręfigurabatur. Iam aspirauit dies, amotę sunt vmbræ. Non ait, Hæc est imago corporis mei & sanguinis, sed *Hoc est corpus meum*. Cùm ergo corporis & sanguinis mysteriũ, quod in veritate gestum esse constat, vera Christi non possit dici imago, meritò in hoc Gregorius reprehenditur. Illius synodi tempore vel vixisse Damascenum, vel paulò pòst floruisse, indè constat, quòd multa ad verbum ex illa suis libris inseruit, sicuti ferè id quod de Eucharistia in hæc verba tradit: Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino docente, *Hoc est corpus meum*: non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis. Theophilactus in ætatem hæresi illa infectam incidit. Propterea scriptum reliquit: Dicens *Hoc est corpus meum*, ostendit, quòd ipsum corpus Domini est panis, qui sanè deificatur in altario, & non est respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura, sed, *Hoc est corpus meum*. Ineffabili enim operatione trásformatur, etiamsi nobis videatur panis. Euthymius in eosdem hereticos eadem prorsus phrasi vtitur. Circa seculum illius Nicenæ synodi hæresis illa Occidentem quoque peruasit sub Carolo Caluo, & vnum Bertramum, de quo aliàs, defensorem inuenit. Cui vt obsisterét Rabanus Maurus, Paschasius, atque alij fidei Catholicæ propugnatores, abhorrent quasi consultò à figura, & in veritate tradi corpus Christi acerrimè, verbáque Domini in sua proprietate tuentur. Exorto Berengario, qui maiores turbas in Occidente exciuit, cuius conatus qui studuerunt reprimere, eadem cautione plerunque duriùs figuræ nomen in hoc toto negotio repudiant. Attamen quoties Catholici Patres se colligunt, & quid veri sit expendunt, non refugiunt figuræ, aut sacramenti, aut signi nomen, sed grauissimè distingunt, non solam figuram aut sacramentum in altari consistere, atque indè percipi, sed vnà veritatem ipsius corporis & sanguinis adesse, ac sumi, vt sacramentum suis partibus constet, re visibili atque inuisibili: nullus verò sustinet Christi verba in figuram dissolui. Propterea tanquam ex Augustino ferè omnes illius seculi pronuntiant: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus probare contédimus sacrificiũ Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili elementorũ specie, &

Carol. Mag. lib. 4. cap. 14.

Damascen. lib. 4. cap. 14.

Theophyl. in cap. 26. Matth.

Can. Hoc est. de consecr. dist. 2.

inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento, & re sacramenti. Doctissimi viri censuerunt canonem hunc minimè ex Augustino, sed ex Lãfranco sumptum. Melius verò Maldonatus de societate Iesu in suis admodum piis & eruditis lectionibus Lutetiæ habitis, sensit verba esse Augustini, quæ Algerus Lanfranco contemporaneus, tanquam Augustini citat. Deinde paulò pòst Gratianus scripsit, in cuius manibus Lanfranci liber extabat: nec alteri verba illa tribuisset, si comperisset primùm nata ex Lanfranco. Apparet quidem Gratianum ex libro Lanfranci in suum scriptum transtulisse, ideóque pauca quædam Lanfranci admiscuisse. Antea cùm nondum in Ecclesia adeo trita essent sacramenti & figuræ vocabula, Iustinus, Ireneus, Nicena prima synodus, Cyrillus Hierosolymitanus, atque alij, iubebant apposita sacris altaribus haberi non tanquam communem panem, quem natura formauerat, aut quem sensus renuntiarent, sed verè (ait synodus illa) carnem & sanguinem Domini. Alij, quibus erat negotium cum hæreticis, etiam tum figuram solam repellebant, & eius loco asserebant corporis substantiam ac veritatem,

Tertull. lib. 4. in Marc. seu veracissimũ Christi corpus in sacramento, vt Tertullianus & Cyprianus. *Cyprian. de Cœna.* Posteriores, quos perturbarunt vehementius hæretici, & circumspectiores reddiderunt, semper quidem omnem figuram submouent à Christi locutione, sed non ab ipsa *A tempore hæreseon Patres magis expresserunt veritatẽ corporis in Eucharistia.* Eucharistia, mordicúsque tenent non solam figuram conuenire ipsi, aut sacramenti rationem, sed in veritate corpus Christi & sanguinem inesse, atque in ea sumi: quod, vt opinor, prior Hilarius Pictauensis legitur scripsisse, ad imitationem affirmationis Christi, qua suam Cœnam prędicat verè esse cibũ contra figurã Mannæ, & *Aug. De consecr. dist. 2.* sanguinẽ suum verè esse potum. Et ex Augustino citatur, Corpus & sanguis Christi est veritas & figura: veritas, dum Spiritus sancti virtute ex panis & vini substantia efficitur: figura, id quod exteriùs sentitur. quod Hilatius Papa ferè totidem verbis enuntiat: Corpus Christi quod sumitur de altari, figura, dum panis & vinum videtur extrà: veritas, dum corpus Christi & sanguis in veritate interiùs creditur. *Damascen. in historia.* Sic Damascenus ait: Illibata hæc mysteria in veritate corpus & sanguinem esse Christi Dei *Leo epist. 23.* nostri. Sic Leo Papa, huius nominis primus, etiam loquitur, In omnium ore tam esse consonum, vt nec ab infantium linguis veritas corporis ac sanguinis Domini- *Remig. in Psal. 21.* ci inter communis fidei sacramenta taceatur. Ita Remigius Remorum Archiepiscopus, qui nonaginta ferè annis magnum Gregorium antecessit, profitetur Dominicum corpus, nõ solùm commemorationem esse, vt quidam hæretici (inquit) voluerunt, cùm tamen Dominus apertè dixerit, *Hoc est corpus meum* quod pro vobis traditur. Idipsum non semel Theophylactus repetit, his verbis: Hoc quod sumi- *Theophyl. in cap. 14. Matth. & in cap. 6. Ioann.* tis, est corpus meum. Non enim figura tantùm & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illud ipsum corpus Christi conuertitur. Dominus enim ait, Panis quem ego dabo, caro mea est. Non dixit, Figura carnis meę, sed caro mea. Berengarij seculo tam odiosum erat figuræ nomen, vt non auderet ille in publicum emittere. Ambiguam vocem, quæ est sacramenti, sicut aduersarij nostri faciũt, ipse supposuit, quod pro signo interdum ponitur, interdum pro tegumento, interdum pro tota Eucharistia duabus rebus conflata: vt sub illa ambiguitate delitescere posset, sicut nostræ ætatis hæretici omnes Cœnæ vocem prætexere solent, quia est incerta ad terrestrem & cœlestem Cœnam, & ad alia non pauca figmenta. Berengarij technis vt mederentur Patres, compulerunt ipsum profiteri corpus Christi & sanguinem non in solo esse sacramento seu signo, sed in veritate. Sic enim fert Confessio, Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus Christi & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm sacramen-

tum, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: cuius poſterior pars ex Chryſoſtomo decerpitur, & prior ex Auguſtini ſententiis per Proſperum editis, quæ etiam omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus etiam ante Berengarium fuit familiariſſima, vti ex productis, atque ex Remigio Altiſſiodorenſi in Miſſæ Canonem, Rabano & Paſchaſio patet: quibus libet adiungere pauca iſta de Anſelmo. Chriſti benedictione panis fit corpus eius, non ſignificatiuum tantùm, ſed etiam ſubſtantiuè. Neque enim ab hoc ſacramento figuram omninò excludimus, neque eam ſolam admittimus. Veritas eſt, quia Chriſti corpus eſt: figura eſt, quia immolatur, quod incorruptibile habetur. Si hoc corpus Chriſti corpus ſignificatiuè tantùm, non etiam ſubſtantiuè fieret, hoc figura tantùm, non veritas corporis Domini exiſteret, &c. Ante exortas hæreſes contrà primi Chriſtiani vix audebant quicquam de veritate Euchariſtiæ effutire, ſed tantùm myſticè ac de ſigno palàm eloquebantur, quoniam viuebant inter Paganos, quibus nefas eſſet Chriſtianorum myſteria prodere ac profanare: quemadmodum fatetur Theodoretus, cùm ait, ſe de Euchariſtia obſcuriùs dicturum, ne vlli non initiati interciperent eius dicta. Propterea Patres, quaſi fideles de veritate admonerēt, quam non liceret efferre in vulgus, interfantur plerumque, Norunt fideles, norunt qui initiati ſunt. Nec ſolùm ita ſe reprimebant propter Paganos, ſed etiam propter rudiores catechumenos & Chriſtianos, quorum mentes tantorum myſteriorum minimè eſſent capaces, qui necdū ſenſus habebant exercitatos, ſicut ex quibuſdam locis Auguſtini perſpicitur. Duabus his de cauſis primi illi Chriſtiani frequentius ac libentius, non figuræ quidem nomine, quod ab hæreticis Marcionitis in iſtam materiam introductum fuit, ſed myſterij, ſacramenti, ſymboli, ſigni, antitypi, ſimilitudinis, imaginis & effigiei, panis ac vini appellationibus vtuntur, quàm dilucidiori locutione. Venit illis etiam tandem in vſum figuræ & typi vocabulum ex cōſuetudine concertandi cum hæreticis, vt noſtro tempore Cœnæ nominatio ab hęreticis affectata, iam nobis imprudentibus irrepſit, ac redditur communis, quia vtraque vox ab hæretica intelligentia facilè in Catholicam tranſit, eíque accommodatur. Nequaquam tamen vllus Patrum verba Chriſti in figuram conuertit, aut intra figuram, cùm de Euchariſtia fieret quæſtio, ſubſtitit, ſed omnes veritatem ipſam, quoties opus eſt, liberaliſſimè & diſertiſſimè profitentur & explicant, nec aliquando reticent, curtantæ rei magnitudinem, figuræ vel ſigni, vel ſimilibus appellationibus afficiant. Non enim aliter eſſet ſacramentum & myſterium, niſi aliquid tegeret, quod indicaret ac figuraret, ac niſi alicuius rei ſecretæ ac reconditæ nota eſſet, ſignum, & figura: ſed nec viciſſim eſſet verum & integrum ſacramentum, niſi duabus rebus conſtatet, ac tam verè re ſignificata, quam ſigno & re ſignificante. Quoniam verò res, quæ ſunt in Euchariſtia, alias multas ac diuerſas tegunt & ſignificant, fit vt partes ipſius, & ipſa tota multis ac variis modis ſacramenti ac figuræ rationem & nomen accipiat. Res in ea viſibiles, panis & vinum ante conſecrationem, & ſacramenta, & ſigna, & figuræ, & ſimilitudines corporis ac ſanguinis vocari queunt: atque à Patribus vocantur, aut propter ſimilitudinem quam cum ipſis gerunt, ſicut vinum præ ſe fert formam & ſpeciem ſanguinis: ideò à Tertulliano, Cypriano, & Ambroſio dicuntur ſanguinem & carnem oſtendere, figurare, & eorum ſimilitudinem ferre. Habent inſuper conuenientiam maximam cum effectis corporis Chriſti, non ſolùm naturalis, ſed myſtici. Vt enim pane & vino veſcimur ad vitam temporariam ſuſtentandam, & corpus fouendum, ita corpore & ſanguine Domini paſcimur ad immortalitatem obtinendam, & animas in ſpiritalis vitæ gratia confirmādas: atque vt ex multis granis vnus panis, & ex multis aci-

Can. Vtrum. de diſtinct. 2. de conſecrat.

Anſelm de diuinis. officiis.

Quare primi Chriſtiani non palam veritatem corporis prædicarent in Euchariſtia.

Vnde figuræ dictio in Euchariſtiæ materia cæpit eſſe Chriſtianis familiaris.

Quot modis in Euchariſtia dicatur figura.

nis confluit vini liquor, ita ex multis singularibus hominibus, per charitatem & corporis Christi dignam sumptionem coadunatis vnũ euadit corpus Christi mysticum. Ob eas tres rationes panis & vinum etiam ante consecrationem, quemadmodum & post eandem, figurant & designant in ipsa Eucharistia corpus Christi naturale & mysticum, atque vtriusque sacramenta sunt, signa, figuræ ac similia. Ex prima causa figuræ non tollitur præsentia corporis Christi ab Eucharistia. Imò Cyprianus ait, ideò sanguinem inesse calici, vt vino ostendatur: alioqui falsa ac vana in calice fieret ostensio. Duas verò posteriores rationes figuræ pani competere ante, atque etiam post consecrationem, idem Cyprianus & Augustinus explicant: atque hæ quidem ex proprietate naturali panis & vini sumuntur, sicuti & quarta, quæ post consecrationem nouum acquirunt figuræ & similitudinis significatum, vt ita nominentur, quia substantiam & naturam exuerint, retinuerintque tantummodò suam exteriorem apparentiam atque effigiem, vt reputentur iam non panis & vinum, sed solùm imago panis & vini. Eo pacto non rarò appellatur, cùm de Eucharistia disceptatur, quemadmodum in tractatu de Transsubstantialitate dicemus. Præterea panis & vinum etiam post ipsam consecrationem, sacramentum ac figura corporis & sanguinis Dominici nuncupantur: quia sunt id quod in corpore & sanguine Christi exterius apparet & cernitur, vti figura cuiusque rei esse traditur id quod sub aspectum cadit, & quia operiunt atque ab oculis remouent ipsum corpus & sanguinem, efficiuntque ipsa secreta abdita & inconspicua: quam significationem dictio sacramenti importat. Caro est, inquit Augustinus, quam forma pa- " nis opertã, & sanguis eius, quem sub vini specie ac sapore potamus: idémque alibi " Chistũ ait, in panis specie voluisse apparere oculis mortalium: atque hanc quidem figuræ rationem cùm natura non abhorreat, attamen potius est ex Christi institutione sic disponentis suum sacramentum, quàm ex natura panis & vini. Nam accidentia quæ cernebantur in corpore Christi naturali, figuræ erant latentis ibi diuinę naturæ, ait Cyprianus, non ex sua proprietate, sed Dei ordinatione: ita panis & vinum sunt velamina, ac si quædam essent accidentia præsentis eiusdem naturæ humanæ, quæ in illa specie præsens voluit oculis mortalium conspici, sicut in alia effigie aliquando dicitur apparuisse. Quamuis humanæ naturæ accidentia dicerentur in Christo figura, forma, & sacramentum diuinitatis, non eam tamen excludebant, sed præsentem ostendebant: ita panis & vinum faciunt de præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Ad hæc nihil repugnat vnam & eandem rem significare semetipsam, & à semetipsa significari, modò diuersas ac varias rationes induat & qualitates, quarum causa existimetur à semetipsa differens ac distincta: quemadmodum post resurrectionem corpus Christi gloriosum cum suis cicatricibus significabat semetipsum, quatenus erat patibile, mortale, & Christus ipse manens idem ob permutatas qualitates, quasi alius à semetipso iudicatur post passionem, ita vt ipsemet videatur negare se eundem esse, cùm ait, Hæc sunt verba quæ loquebar vobis, cùm essem vobiscum: quasi iam non esset cùm loqueretur: & de " ipso Apostolus affirmat, Etsi noueramus Christũ secũdum carnem, sed iam nõ no- " uimus, quasi carnem deposuisset. Sic Manna iubetur conseruari, vt monimentum " esset Mannæ cadentis de cœlo, fuiḿetque signum sub diuerso respectu. Ex quo Patres docuerunt, idem corpus Christi, quatenus est in sacramento sub qualitate inuisibilis, & sub ceremonia ac ritu Eucharistiæ, quem ad repræsentandam passionem suam, suámque in cruce oblationem instituit, seipsum significare, vt erat in cruce ac patiebatur, suíque sacramẽtum esse ac figuram & passionis suæ, atque cruẽtæ oblationis. In eum finem allegatur ex Augustino, Caro carnis & sanguis est sacramentum

tum

Cypr. epist. ad Magnu Augustin. tract. 26. in Ioann.

Can Vtrum. De consecr. distinct. 2. lib 3. De Trinit. cap. 10.

Luc. 24.

2. Cor. 5.

Exod. 16.

tum ſanguinis, carne & ſanguine vtroque inuiſibili, ſpiritali, intelligibili ſignatur *De cõſecr. diſt. 2.* viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus viſibile & palpabile, plenum gratia, omnium virtutum, & diuina maieſtate. Item, Sicut ergo cœleſtis panis, qui Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cùm re vera ſit ſacramentum corporis Chriſti, illius videlicet quod viſibile, quod palpabile, quod mortale in cruce poſitum eſt, vocatúrque ipſa immolatio carnis, quæ ſacerdoris manibus fit, Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio. Non ait, non eſſe carnem Chriſti in immolatione ſacerdotis rei veritate, ſed non eſſe paſſionem ipſam, & in cruce immolationem, ſed eius ſacramentum, ſeu non eſſe Chriſti carnem ſub tali conditione qua patiebatur, ſed ſub conditione ac ritu ſignificante paſſionem. Sic Chryſoſtomus, ſic Ambroſius, atque alij omnes *Chryſ. hom. 17. ad Heb. vide lib. 3. de ſacrific.* poſtea proferendi, aiunt eundem Chriſtum plenum adeſſe ſimul pluribus in locis, vbi à ſacerdote offertur, & tamen exemplar eſſe illius, qui cruci fuit affixus, quoniam idem ipſe in Euchariſtia ſub alia conditione agit & offertur, quàm in cruce ageret & offerretur, cuius hîc exemplar & ſimilitudo refertur. Qui etiam obſeruari debet, quòd ſicut in modo exiſtendi, corporis figura eſt & ſacramentum, & in modo celebrandæ Euchariſtiæ ac ritu, ita par ratio conuenit in modo manducandi: ita vt ſacramẽtaliter edere reperiatur, non pro ſigno tenus, ſed pro modo arcano, recondito, & ſupernaturali, vero tamen, quemadmodum apud Hilarium legimus, nos in ſacramento & in veritate, ſeu verè, carnem Chriſti manducare: vt ſacramentalis modus horrori, lanienæ, & errori Capernaitico medeatur, verus ſit tamen & realis, quemadmodum & modus exiſtendi. In eum ſenſum exponit Hiuo Carnorenſ. quod ſcripſit Auguſtinus, Non hoc corpus quod videtis, manducaturi *Aug. in Pſal. 98.* eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem effuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramẽtum vobis aliquod commendaui: ſpiritaliter intellectum viuificabit vos. Etſi neceſſe eſt viſibiliter illud celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Ipſum, & non ipſum (inquit Hiuo) manducaturi eſtis, manducaturi ipſum quidem materiali eſſentia, ſed non viſibili forma. Corpus inſuper ipſum ſub ſpecie panis figura eſt & ſacramentum ſuimetipſius, iam nos in ſpiritu viuificátis ac nutrientis, deinde quoque in cœleſti gloria & regno patris ſine inuolucro ac tegumento ac ſacramento nobis exhibendi. Nam vt vitam habere non poſſumus in nobis, niſi manducauerimus carnem filij hominis, ſic neceſſitas huius internæ manducationis nulla re alia perfectè figurari & exprimi poteſt, niſi eadem ipſa Chriſti caro in ſacramento Euchariſtię ore corporis capiatur. Etenim ſi aliud quidpiam comederur exterius in ſacramento, figurabitur in alio cibo potius, quam in ſola viuifica Chriſti carne, alimentum noſtrum conſiſtere. Sin autem ſolius carnis Chriſti ſubſtantiam comederimus, vti re vera facimus, perfectiſſimè ſignificatur in ſolo Chriſto vitam ſpiritalem nobis eſſe repoſitam. Propterea frequenter Auguſtinus totam Euchariſtiam duabus rebus conſtitutam, ſigno ac carne Domini, eiúſque ſumptionem vocat aliquando tantùm ſignum & ſacramentum, & non rem ſacramenti, quam ponit eſſe gratiam ac vitam ſpiritalem, quemadmodum latiùs explicabitur capite de manducatione indignorum, & de eſu ſpiritali. Adhæc totius & integri ſacramenti participatio, figuræ ac ſigni vicem gerit, reſpectu corporis myſtici, & vnitatis quæ inter nos eſſe debet & cum Chriſto, qui de vno pane & vno corpore Domini paſcimur, vt vnum corpus efficiamur. Nemo fidelis (ait Auguſtinus) alienatur ab illius panis, calicíſque conſortio, etiamſi antequàm panem illum comedat, calicémque bibat, de hoc ſeculo migrauerit, in vnitate corporis Chriſti conſtitutus: ſacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabitur, quando in ſe hoc, *Aug. cã. Quia paſſus. De conſecr. diſt. 2.*

quod illud ſacramentum ſignificat, inuenitur. Denique eandem integram Euchariſtiam, atque eius in terris celebrationem & participationem vocant Patres imaginem, ſimilitudinem, figuram ac ſymbolum, reſpectu corporis glorioſi ſedentis ad dexteram patris, & fruitionis qua potiuntur Angeli: non quia apud nos ſit aut ſuſcipiatur nuda figura & inanis illo corpore Chriſti etiam glorioſo, vt erat vacua apud Iſraëlitas ſub lege: ſed quia non ſit nuda & aperta præſentia Chriſti, quemadmodum in cœlo apparet: ob ídque nos medio ſtatuunt patres inter Iſraëlitas & Angelos, vt illi ſolis figuris potirentur, hi verò ſola re gaudeant, nos medij nec ſola figura, nec nuda re, ſed re præſente, per figuram tamen obuoluta. De hoc caput extat in Repetitione ſecunda. Nec, inquam, ſacramentum ipſum in ſe, & eius perceptio, tantùm myſticè figurat, quod apertè fit in cœleſtibus: ſed ipſa oblatio, ac denique tota actio ipſa myſtica & ſacramentalis, figura eſt totius feſtiuitatis & gaudij, quod circa Chriſtum exercetur in cœlis: de quo iſta Gregorius Nanzianzenus: Ab altaribus arcebunt? At altare aliud ſcio, cuius figuræ ſunt ea quæ nunc oculis cernimus. Huic altari ſiſtar, in hoc victimas Deo gratas & acceptas, immolabo, ſacrificium, & oblationem, & holocauſta tanto his quæ nunc offeruntur excellentiora, quanto veritas vmbram dignitate excellit. Tot ergo modis cùm in Euchariſtia figura, ſymbolum, ſacramentum atque imago locum habeat, ne excludi ſuſpicemur ipſum Chriſti corpus ad talium vocabulorum tinnitum, cùm nulla ſpecies figuræ ipſum tollat, & cùm ab omnibus ferè requiratur vt adſit. Ad Origenis tempora nec Græcus nec Latinus author extat, qui Euchariſtiam typum aut figuram nominarit. Quàm enim falsò affingatur Tertulliano, iam liquere arbitror. Magnus Dionyſius ſymbolorum ac ſignorum quidem delectatur appellatione, ſed rem ineſſe perpetuò innuit. Si Origenis ſunt in Euangeliſtas tractatus, ab ipſo typicum corpus Chriſti, Euchariſtia dicitur: quod multis modis aptè affirmari, manente corporis veri ſubſtantia, nemo dubitauerit: nec obliuiſci decet Origenem, ac totam ſcholam Alexandrinam, quæ catechiſtarum profitebatur officium, & cui cum Philoſophis Gentilium erat negotium, de myſteriis Chriſtianorum ſolitam loqui ſobriè & ænigmaticè, ea tantùm de his enűtiantem, quæ Gentiles & rudiores non offenderent. Ideò plus æquo vt ſcripturas, ſic Chriſtianorum ſacramenta, in ſpiritalem ſenſum & improprium vertebat: quódque in hoc modum exceſſerit Origenes, ab Eccleſia damnatus fuit: vt mirum videri non debeat, ſi tradita à Chriſto de Euchariſtia, frequentiùs in allegoriam & alias figuras transfigurat. Nihilominus quin piè ac propriè etiam plerunque eadem fuerit interpretatus, quæ de eo in ſecunda Repetitione, ac paſſim producimus, faciunt fidem. Clemens Alexandrinus in eadem ſchola, eius anteceſſor, quando de pane & vino benedictionis loquitur, fatetur ſe allegoricè loqui, ita vt ex eo nihil certi circa Cœnam Dominicam demonſtrari poſſit, niſi omnia in allegorias transformari velimus, ſicut etiam facit in explicatione decalogi. Si libet, quem ſe ſcripſiſſe de Euchariſtia teſtatur, extaret, fortaſſe non ambigeretur de genuina ac propria verborum Chriſti interpretatione & intelligentia. Neuter tamen ſcripſit verba Chriſti pro figura corporis pronuntiari, aut puram figuram in Euchariſtia relinqui: imò Origenes ſanguinem re vera à Chriſtianis bibi tradit, cuius potus Iudæis interdicebatur, ac ſæpe Euchariſtiam à figuris ſecernit. Sic enim ait ad iſta verba Leuitici, Sumet de ſanguine vituli, & reſperget: Tu qui ad Chriſtum veniſti pontificem verum, qui ſanguine ſuo Deum tibi propitium fecit, non hæreas in ſanguine carnis: ſed diſce potius ſanguinem verbi, & audi ipſum tibi dicentem, Quia hic ſanguis meus eſt qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Nouit qui myſteriis imbutus eſt, & carnem & ſanguinem

Nanzianz. de reb. Maximi.

Origen. in cap. 15. Matt.

Lib. 1. Pædag. cap. 6. lib. 2. ca. 2. et lib. 1. Stromat.

Lib. 6. Stromat.

Origen. ho. 9. in Leuitic.

guinem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt, & ignorantibus patēre non poſſunt. Hic Origenes, cùm ſanguinem ſacramenti à ſanguine vituli diſtinguat, qui erat figura ſanguinis Chriſti, & tamen verus ſanguis, & illum ſanguinem ſacramenti tantùm à fidelibus intelligi, & non ab infidelibus addat, per eum ſtatuitur non eſſe figuram ſanguinis, quam etiam infideles potuiſſent comprehendere, ſed veritatem. Quin etiam Origenes eodem in loco myſticè & propriè verbum Chriſti exponit. Panis iſte (ait) quem Deus verbum corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animorum. ſic myſticè: propriè verò, cùm ſubiungit, Oſtendit Chriſtus quando eos hoc pane nutrit, proprium eſſe corpus, & panem Deus verbum corpus ſuum eſſe fatetur. Ambroſius plerunque etiam vocitat figuram corporis ante conſecrationem, & poſt eandem, vt ſimilitudinem, imaginem, typum: quin tamen vnà veritatem ac præſentiam corporis & ſanguinis in ſacramento inter omnes præcipuè aſſeruerit, librorum lectio, vbi tales appellationes occurrunt, arguet, & quo in ſenſu acceperit illas, manente corporis ſubſtantia, docebit. Aduerſarij duas dictiones Patribus familiares eſſe aiunt, quibus corpus ipſum à pane abeſſe declaretur. Vna latina eſt, quia Hieronymus ſcripſit, ſacramento panis Chriſtum veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaſſe: quaſi repræſentare nihil aliud ſignificet, quàm ſolam ſimilitudinem & imaginem referre. Alterum eſt ἀντίτυπον id eſt, exemplar, quo Petrus Martyr atque alij ex phraſi ſcripturæ à Baſilio Græcíſque omnibus familiari, intelligi volunt pro exemplari corporis abſentis correſpondente. Nos contrà vtroque verbo præſentiam ipſius corporis maximè confirmari probamus. Nam Repræſentare propriè latinis ſonat, rem aliquam pręſentem exhibere, ſoluere, & ſiſtere. Horatius dixit,

Ambroſ. lib. 4 ca. 4. et 5. de ſacram. lib. 6. ca. 1. ibid. In ca. 2. 1. Cor. lib. 1. offic. cap. 45.

Virtutem repræſentet, moreſque Catonis, id eſt, habeat, & oſtendat,

Quid ſignificet Repræſentare corpus.

Cicero ſcribit, non eſſe expectandam temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus. Ita Iuriſconſulti repræſentare pretium agri iubent, id eſt, in præſentia ſoluere. Ita Tertullianus accipit, cùm ait, Diſcipulos Chriſti contumelioſo oppido cœleſtes ignes repræſentare voluiſſe, & patrem filium repræſentaſſe, adhibito teſtimonio, Hic eſt filius meus dilectus. Ambroſius monet, vt quæ accipimus à Deo, operibus exequamur, & collatam in nos gratiam officiis repræſentemus. Idcirco Hieronymus aptè ac propriè loquitur, cùm antea promiſſam de Chriſti corpore veritatem, à Melchiſedech atque aliis præfiguratam, docet Chriſtum repræſentaſſe, quaſi ſoluiſſe ac præſentem exhibuiſſe: quam locutionem eſt mutuatus ab ipſo Tertulliano, qui aſſerit Chriſtum pane creatoris ipſum corpus ſuum repræſentaſſe, phraſi ſcilicet valdè latina, vt pridem antea promiſſum per Prophetas tandem præbuiſſe præſentiſſimum. Et certè ſi apud Tertullianum & Hieronymum repræſentare valeret idem quod imagine & figura referre: Chriſtus non magis veritatem pręſtitiſſet, aut etiam figuraſſet, quàm Melchiſedech, nec quod fecit, magis eſſet veritas, quàm quòd operabatur Melchiſedech. De ἀντιτύπῳ id eſt, exemplari, magna eſt etiam inter Græcos diſcrepantia. Fuerunt inter eos, qui eo vocabulo inanem figuram ac vacuam ſimilitudinem ſignificari voluerunt, vt eius ſimplex Typus ſignificare ſolet: quorum interpretationi qui acceſſerunt, falſi ſunt, ita panem Euchariſtię à Baſilio & Euſtathio nominari, ſed ante conſecrationem, non autem poſt ipſam: in quibus ſunt Epiphanius ille in Nicena ſecunda ſynodo celebris, cuius paulò antè meminimus, ac Damaſcenus, niſi eius libris & illi ſynodo impoſtura irrepſerit. Alij prorſus negant in tali ſignificatu Græcum vllum ſcriptorem Catholicum talem vocem emiſiſſe in ſacramento Euchariſtiæ, ſaltem conſecratæ, quemadmodum citauimus verba illius Epiphanij in illa ſynodo habita, quibus affirmat nemi-

Cic. lib. 5. epiſt. fam. ep. 15. & lib. 16. epiſt. 12. Orig. in ca. 26. Matth. Tertull. lib. de patientia et lib. 4. in Marc. Ambroſ. lib. 1. de offic. ca. 32. Hier. in ca. 16. Matth. Tertull. lib. 1. in Marcion.

Quid ſit Antitypum, et cur ita vocetur Euchariſtia.

nem Apoſtolorum aut ſanctorum Patrum corpus Domini vocaſſe Antitypum, ſeu typum ac figuram. Eodem ſenſu Anaſtaſius Antiochenus cõtra Goetianos negat vſquam apud Patres dictionem illam comperiri. Negat & Theophylactus non ſemel locutioni Chriſti de Cœna, aut rei Euchariſticæ, eam vocem conuenire, in ea ſcilicet intelligentia, quã tribuebant hæretici, vt innueret typum ac nudam figurã. Propterea doctis quibuſdam videtur quibus aſſentio, expoſitionem quæ Nicenæ ſynodo & Damaſceno aſcribitur, de dicto Baſilij actis illius ſynodi & Damaſceni libris aſſutam fuiſſe à ſciolis aut maleuolis quibuſdam: quod credibilius eſſe putat Beſſario, quàm Baſilij liturgiam poſtea fuiſſe vitiatam, in qua de Antitypo poſt cõſecrationem fit mentio: nec illius liturgiæ ſenſus patitur, vt quæ de Antitypo dicuntur, præiſſe potuerint conſecrationi. Quinetiam ipſemet Damaſcenus eodem in libro ſuo explicat Antitypum corpori Chriſti attribui, nõ quia deſignet inanem figuram, aut quod corpus Chriſti abſit ab Euchariſtia, ſed quia reſpectu eiuſdem corporis in cœlo ſiti ſit hîc nobis antitypum & exemplar correſpondens: ita vt Damaſcenus recuſet audire vocem hanc pro vacua figura, ob ídque non veriſimile credidiſſe ita à Baſilio vſurpatam. Quocirca Græci omnes conueniunt ſic totum ſacramentum, in eóque corpus Chriſti ſic vocati, per comparationem ad corpus in paſſione, aut in cœlo, aut aliàs viſibile ac ſenſibile, nec vlla eſt illis nominatio de corpore in Euchariſtia familiarior. Quid verò ea vox propriè ſignificet, difficultate non caret. Sicut enim in compoſitis præpoſitio ἀντὶ ambigua eſt, ita & Antitypum ex ea compoſitum. Illa vel Pro, vel Contra denotat: ita Antitypum aut pro reipſa cui attribuitur, aut pro oppoſita & correſpondente ſimilitudine & figura, ſiue vnà cum ſimilitudine res inſit ſub alia conditione, ſiue non, ſed ſit pura figura. Sic Grammatici nominant Antitypa, imagines quę relucent in ſpeculis & reuerberationibus vocum. Deinde cùm de corporibus agitur, Mathematica corpora vocant Antitypa: non quia non ſint, aut quia non exiſtant, ſed quia ſub tactum non cadunt, vt Phyſica & naturalia, quorum reſpectu ita appellantur. Quid eſt, inquiunt, ἀντίτυπον: ὅτι ἐστὶ μὲν, οὐ φανερὸν δέ: id eſt, quod eſt, ſed non cernitur. Itaque Antitypum paſſiuè & actiuè ſumitur: illo modo, pro re figurata, iſto pro re illam ſignificante, ſicut apud nos exemplar tam rem originalem paſſiuè deſignat, quàm rei originalis imaginem correſpondẽtem. D. Petrus baptiſmum appellat Antitypum, ſignificatione paſſiua, quaſi præfiguratum diluuio, & diluuij typo ac figuræ oppoſitam ac correſpondentem veritatem. Contra ad Hebræos actiuè manufactum tabernaculum vocat Antitypum cœleſtis & veri, quia ipſum repræſentaret. Beza ad dictum Petri annotat, typum & antitypum in idem redire: ſed quàm iniquè, textus indicat, & communis vſus ſcripturæ ac Chriſtianorum, qui noui Teſtamenti ſacramenta nuſquam typorum nomine efferunt, ſed veritatis figuris antiquis oppoſitæ. Patres itaque vocant, non panem ipſum & ſignum, Antitypum, ſed ipſummet corpus Chriſti cum ſigno, triplici de cauſa: Paſſiue, quia ſit figuratum & exemplar, cui correſpondebant omnes antiquæ figuræ de Chriſti corpore, ita vt Euchariſtiæ conueniat Antitypum ea ratione, qua competit baptiſmo apud Petrum: Tum etiam, quia Euchariſtiæ ceremonia viſibilis ac ritus repræſentet veritatem paſſionis, & ei correſpondeat: atque ita corpus & ſanguis cum ſignis actiuè repræſentant & ſunt Antitypa corporis paſſi & ſanguinis effuſi, gerúntque imaginem paſſioni correſpondentem: quomodo etiam ſunt Antitypa corporis veri & viſibilis quod eſt in cœlo: atque ita congruunt cum ſignificatione actiua Antitypi, qua vtitur Apoſtolus ad Hebræos, hoc vno intellecto diſcrimine, quòd manufactum tabernaculum, quatenus nudum ſignum, referebat cœleſtia: in

1. Pet. 3. & ad Heb. 9.

in Eucharistia autem non nudum signum, nec nudi signi perceptio gerit similitudinem & imaginem corporis visibilis in cœlo, & fruitionis qua potiuntur beati: vti facit eiusdem corporis in signo præsentia & participatio, quæ etiam alio modo Antitypi merentur appellationem ex Grammaticorum legibus: quoniam licet corpus & sanguis insint Eucharistiæ, quemadmodum & in cœlo, non sunt tamen hic conspicua sicut ibi. His tribus modis à Magno Dionysio, Nanzianzeno, Theodoreto, atque aliis Græcis, obseruabis Eucharistiæ Antitypum tribui, nusquam autem, si propius inspicias & attendas, pro puro signo & figura: imò nominatim à Theodoreto dicitur ipsa Eucharistia typorum ac figurarum archetypus. *Theodor. in ca. 2. 1. ad Cor.* Dubitatur de Macarij Ægyptij loco, qui habet: In Patrum *Macar. ho. 27.* cor non ascendit futurum, vt in Ecclesia offerretur panis & vinum, ἀντίτυπον, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος: futurum vt qui participarent de visibili pane, πνευματικῶς carnem Domini ederent. Panem hîc aiunt nuncupari Antitypum, pro figura ac signo repræsentante, & non exhibente. Verùm si sic interpretamur, cur in mentem Patrum venire nō potuit talis oblatio, quæ apud ipsos erat in vsu panum Propositionis, & aliarum rerum, quæ Christi carnem & sanguinem futurum monstrabant, & cum in sua oblatione panis & vini Melchisedech idem ipsum prænuntiarit? Oportet itaque à Macario intelligi oblationem non puri panis & vini, quæ apud Christianos nec fit, nec carnem & sanguinem Christi, si fieret, monstraret, cùm in oblatione illa nulla esset conuenientia panis & carnis, vti esse potest quædam in manducatione panis & carnis, nec oblatio panis carnem propriè repræsentat, sed oblationem carnis, cuius est commemoratio. Verùm si cum panis & vini oblatione statuatur inesse carnis & sanguinis Christi oblatio, talis quidem in cor Patrum non ascendit, nec similem apud se viderunt: & ea verè erit Antitypum carnis passæ, & oblatæ à Christo, ac sanguinis effusi: erit, inquam, Antitypum actiuè passionem repræsentans: eodémque modo sacrificium nostrum in pane & vino dicitur à Chrysostomo Antitypum & exemplar passionis, verum *Chrys. ho. 17. ad Hebr.* tamen ac plenum Christum continens. Quinetiam in cor Patrum ascendit, vt qui participarent de pane, vt de Manna, de Christi carne spiritaliter ederent, si panem hîc ceperimus pro sola figura. Omnes enim (ait Apostolus) eandem escam spiritalem manducauerunt: sed vt caro Christi inuisibiliter in pane visibili manducaretur, Patribus fuit incognitum. Hîc certè Macarius more veterum Christianorum spiritaliter opponit visibili panis formæ, vt aliàs disputatur in Repetitione sexta & alibi. Quoniam verò maius negotium aduersarij existimant se nobis facessere ex Augustini regula, & aliquot locis ab eo desumptis, quid veri sit, *Aug. epist. 23.* inuestigemus. Fatemur ingenuè scriptum ab Augustino, plerunque fieri, vt sacramenta earum rerum nomina suscipiant, quarum sacramenta sunt, vel propter quandā similitudinem, vel propter quandam efficientiam. Notemus imprimis non generalem ab Augustino regulam sanciri, cum plerunque ita accidere dicat. Id verò tam parum est frequens in scriptura, vt aduersarij vix vnum edere possint indubitatum exemplum, maximè de re Eucharistica. Oppositum verò in eadem scriptura, & in Patribus frequentissimum inuenitur, vt nomine signi res significata enuntiettur, quemadmodum nomine panis caro Christi ab Hieremia, & à Christo apud Ioannem, & Paulum non semel ponitur, cùm dicitur, Mittamus lignum in panem eius: &, Ego sum panis viuus: &, Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum: &, Qui manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, non diiudicans esse corpus Domini. Ita Tertullianus ait, Nesciet virtuus quis sit ille panis, qui ante cibum à nobis sumitur,

Explicatio locorum Augustini, in quibus videtur in Eucharistia solam figurā ponere.

Tertull. ad vxorem & de corona milit.

aut non credet esse qui à nobis dicitur: & ægrè finimus quicquam de pane nostro in terram decuti: vbi corpus ipsum nomine panis extulit, vt alias solent Patres, de quibus in Transsubstantialitatis Repetitione. Quòd si Tertullianus per panem tantùm sacramentum panis intelligeret, facilè id credidissent Gentiles, necquicquam fuisset periculi id illis effari, nec iudicassent Christiani tantum piaculum, si aliquid de ipso in terram excidisset, cùm in ablutione baptismi aquam ipsam sacramentum Spiritus sancti finerent in terram effluere. Propterea Augustinus corpus Christi dixit, quod Tertullianus panem vocauit, cùm eadem de re sermonem haberet. Propterea Cyprianus & Theodoretus regulam esse reciprocam agnoscunt, vt in sacramentis signum pro signata re, & res signata signi nomen accipiat in veris sacramentis. Si igitur aduersarij generaliter concludunt rei significatæ nomen perpetuò interpretandum pro signo, scripturas omnes refragari respondebimus: adeò vt vix vnum exemplum in scripturis expressum edere possint. Ideò cauit Augustinus generaliter regulam pronuntiare: quàm cùm reciprocam esse negare non valeāt aduersarij, sicut cōtendunt nomen corporis, quoties occurrit, ex regula collocari pro pane, ita ex eadem contendemus panem Eucharistiæ, quoties legitur, toties pro corpore Christi vero interpretandum esse: Idque faciemus maiori iure quàm ipsi, quoniam plura de scripturis & Patribus nobis in eum finem suppetunt exempla, quàm ipsis, atque ita contentiosum funem ducemus. Quanto satius est nec regulas, nec patres repugnantes longiùs abripere, atque omnia ex veritate moderari: vt secernamus ex adiunctis, quando panis nomen seu sacramentum corporis, aut etiam ipsummet Christi corpus significet, quod idem statuendum est de corporis voce: & interea concedamus aliquando vnum pro altero capi, vel propter similitudinem quandam & conuenientiam, vel etiam propter intimam duarum rerum ad vnum efficiendum sacramentum copulationem: non tamen ob id generaliter inferamus cum aduersariis, vnum pro altero poni, quoties interuenerit. Non modò autem non applicatur ab Augustino regula illa vsui, cui eam destinant aduersarij, sed nec omninò applicari potest. Ex ea enim conantur locutionem Christi, *Hoc est corpus meum*, sacramentalem reddere, vt corpus pro pane tantùm à Christo prolatum fuerit propter aliquam similitudinem. Absit ea mens ab Augustino, qui propriè locutum Christum de suo corpore alibi cōfirmauit: imò ratio, quam pro regula stabilienda tradit Augustinus, locum habere nequit in pane, vt pro eo corpus in oratione Christi sumatur. Panis enim existentia & substantia nullam similitudinem gerit cum existentia naturalis corporis Christi: gerit quidem cum mystico, quia sicut panis ex multis granis conflatur, ita corpus Christi mysticum, & panis proprietas ac virtus ad nutriendum quid simile ostendit cum virtute corporis Christi ad nos alendos, sed substantia & existentia vtriusque nihil habet commune & simile. Ob id vnà alterius non potest esse sacramentum, nec corporis existentia constitui pro panis substantia. At in locutione Christi pronuntiatur de rei existentia & substantia *Hoc est corpus meum*: cui nulla similitudine respondet panis, vt illius appellatione veniat intelligendus: multo verò minus corpus pro nobis traditum & immolatum panis loco dicitur, qui in sua natura aut naturali proprietate nihil affine monstrat cum Christi passione. Non inficior quin natura panis si maneret, sicuti & illius accidentia, possint haberi pro signo & figura corporis, quatenus sunt in Eucharistia, sed alia ratione quàm ex similitudine, nempè ex operimento, quo indicant illud corpus abditum & secretum. Sic in baptismo aqua quidem in sua natura sacramentum est gratiæ spiritalis, non quia

August. in Psal. 33.

Panis non potest esse figura corporis.

quia similitudinem teneat cum illa, sed quia in facto ablutionis eam continet & tegit. Sed ex similitudine non ipsa aqua sacramentum est, sed ipsius aquæ ablutio, quæ est eius proprietas, propter conuenientiam quam refert cum ablutione spiritali, est sacramentum, qualiter ab Augustino in illa epistola ad Bonifacium describitur. Idcircò ibi non dicitur, corpus immolatum pro pane collocari propter similitudinem, sed passionem, resurrectionem, immolationem affirmari de figuris, signis, & similitudinibus illarum, vt de immolatione quæ fit in Eucharistia, de die anno passionis & resurrectionis, quia similitudinem illarum exhibent & imaginem. Tantum verò abest, vt Augustinus corpus immolatum pro pane asserat, vt exprimat pro immolationis similitudine & repræsentatione, quæ in Eucharistia fit, constitui, quæ verum Christi corpus ibidem priùs existere desiderat. Corpus ergo Christi verum ex Augustini intentione, & ratione sacramenti, de qua tum inquirebat, non ponitur pro pane, nisi quatenus aliquam cum illo similitudinem præbere potuerit: vt etiam idem corpus enuntiatur pro omni re, actione, proprietate, quæ aliquam conuenientiam cum ipso corpore & eius qualitatibus ostendit, nec excluditur ipsissimum corpus, quatenus existit & sacrificatur in Eucharistia: quod eo magis erit sacramentum suimetipsius, quatenus fuit immolatum in cruce, próque eo existente & immolato in Eucharistia tanto verius affirmatur & ponitur immolatio crucis, seu corpus immolatum in cruce, quanto maiorem & expressiorem imaginem crucis præ se fert quàm panis sub quacunqne proprietate. Nec obest quod Augustinus contra Maximinum ait, oportere signa aliud existere, & aliud significare: quasi fieri nequeat, vt eadem res, seu corpus Christi in Eucharistia, suimet sit signum & sacramentum. Nam eadem substantia suimet est figura & signum, sed sub alio modo & proprietate: vt substantia diuina sub proprietate qua est in filio, est figura eiusdem substantiæ sub proprietate qua est in patre, & nihilominus permanet eadem substantia: sed alia dicitur existens in filio, & alia in patre, propter diuersas proprietates existendi, quas Augustinus vocat modos, cùm ad Bonifacium scribit esse sacramentum quodammodò, id est, sub aliqua consideratione & proprietate: atque ita rem eandem scriptura & Patres vocant aliam atque aliam, quoties subit alias proprietates & modos. Fallunt insuper aduersarij in applicatione regulæ, quam ab Augustino acceptam ferunt. Non enim agit de sacramentis propriè nuncupatis, quibus aduersarij illam accommodant, quę signa sunt efficacia rerum signatarum, à Deo instituta, cuiusmodi æstimari non debent dies festi passionis & resurrectionis, nec ablutio baptismi relata ad sepulturam & mortem Christi, & imago sacrificij in Missa relata ad sacrificium crucis, quæ signa sint tantùm nuda, quæ propter similitudinem nomina rerum signatarum recipiunt plerunque. Id verò non asserit de sacramentis propriè sumptis. Quòd si quid attigit de ipsis, aduersariis maximè incommodat. Augustinus item permutationem illam nominum fieri cognoscit propter efficientiam, comparátque sacramenta cum suo fine & fructu, tanquam causam cum suo effectu, illáque sortiri nomen sui effectus ostendit. Sic exprimit baptismum dici sacramentum fidei, quia nos fideles facit: túmque sacramentum non pro solo signo capit, sed pro toto composito ex signo atque re quibus cōstat. Idcircò ait baptismo nos sine peccato sepeliri cum Christo: vbi baptismi nomine externam atque internam ablutionem comprehendat necesse est, cum vtraque nos fideles efficiat, & cum Christo sepeliat: quibus subiicit Augustinus sacramentum corporis esse quodammodo corpus Christi. Certè vt Augustini sententia ista conueniat cum superiori de baptismo, oportet sacramentum corporis pro toto sa-

cramento, specie panis ac vero corpore Christi constituto, & dici, atque esse quodammodo corpus quod efficiat: quod cum certè mysticum interpretari decet non naturale, quia non huius sed illius Eucharistia sit effectrix. Nam sacramẽtum dignè susceptum nos inserit corpori Christi mystico, & illud operatur, non autem naturale quod intra se continet. Augustinus itaque propter duas rationes sacramenta quæuis & signa docet nomina rerum signatarum obtinere posse, aut propter similitudinem, aut propter efficientiam, duplicíque illa ratione subijcit Eucharistiam, seu corporis sacramẽtum, corpus Christi esse quodammodò. Quatenus enim immolatio fit & sacrificium in illa, tum propter similitudinẽ, Eucharistia corpus Christi immolatum censetur: quatenus verò nos vnit Christo, & sumpta corpus mysticum coagmentat, propter efficientiam illam quodammodo corpus mysticum dicitur. Hic sanus est ac rectus Augustini sensus, à quo quàm longè aberrent aduersarij, ex inspectione textus iudicet lector. Ad intelligendum Augustinum, & regulã, magnam lucem affert Cyprianus: qui post quam disseruit de effectis Eucharistiæ, quibus nos Christo, & inter nos copulat, quærit cur carnem & sanguinem propriis manibus sub pane & vino Christus tradiderit Apostolis, & eandem carnem atque eundem sanguinem propriis manibus in propria specie exposuerit militibus crucifigendum. Respondet ita egisse, vt demonstraretur, gentibus idem esse panẽ & carnem, & vinum ac sanguinem, atque in vnam reduci substantiam: Quærit postea, cur pani carnis nomen tribuatur. Respõdet id fieri duabus de causis: Prima, propter intimam rerum coadunationem: quia, inquam, panis & caro, vinum & sanguis, significantia & significata, in vnam redigerentur essentiam: Altera, vt ostẽderetur vnde panis & vini signum tantos parerent effectus vitæ & coniunctionis cum Christo, & inter nos: quia nempè panis efficitur caro, & vinum sanguis, ideóque parem vim habent in sacramento cum carne & sanguine quibus coadunãtur. Hîc Cyprianus negat seorsum & separata panem & vinum sibi vẽdicare carnis & sanguinis voces, quamuis eorum sint signa, sed non nisi coadunata, ea dignitate honestari. Alias autem rationes producit quàm Augustinus, cur mereantur ea nomina: vnam, propter intimam coniunctionem, alteram propter effectum. Adeò verò abhorrer ab aduersariorum opinione, quibus placet panem & vinum corporis & sanguinis appellationes possidere, quia earum sint signa, vt nolit prius ita nominari, quàm propriam amiserint substantiam, & in eandem cum carne & sanguine peruenerint. Certum quoque ex lectione textus al[illegible]ti de Theodoreto, ab eodem approbari Cypriani doctrinam, cur symbola eodem censeantur nomine cum corpore & sanguine, nimirum propter internam duarum rerum, quibus sacramentum constat, copulam, quæ tam arcta sit, vt vna alteri suam nomenclaturam communicet. Idem perspicitur ex Theodoreti intentione, tum disputantis contra Eutychen, à quo defendebatur humanitatem Christi transisse in diuinitatem, ob ídque dominum gloriæ etiam cùm crucifigeretur, ab Apostolo credi addebat: cui vt satisfaciat Theodoretus, ait nihil mirũ, si homo Christus Dominus gloriæ honoretur, cùm ea sit lex rerum coniunctarũ inter se, vt vna alteri vocabulũ suũ cõmunicet, dátque exemplũ in ipsa Eucharistia. Vnde cernitur à Theodoreto, sicut à Cypriano, nõ propter significationem nudam pani corpus Christi attribui, sed propter coadunationẽ. Apparet quidem Theodoretũ, non cum Cypriano vnitatẽ essentiæ in sacramento agnoscere: sed nihil modò ad rẽ. Vnus Cyrillus patrocinari aduersariis videtur, à quo cõceditur, Mãna panẽ Angelorũ spiritalẽ nũcupari, quia hũc significaret. Sed nec nos reluctamur, quin id aptè cõtingat, sicuti cõtra res significata sæpiùs nomine signi exprimitur: sed nõ inde Cyrillus regulam condit vt quoties

Locus Cypriani explicatur.

Locus Theodoreti explicatur.

Locus Cyrilli explicatur.

quoties panis Angelorũ legitur, pro Mãna sumatur, quasi ita postulet sacramẽtorũ regula. Nihil horum quicquam à Cyrillo extorquere poterunt: multò verò minus vt orationem Christi, *Hoc est corpus meum*, in figuram transferat, de cuius veritate contra Iudæos & Arrianos tam acriter pugnat. Verùm vt ex adiunctis facilè perspexit Cyrillus, quando panis Angelorum pro Manna vocatur, sic ex iisdem annexis licet coniicere si quando corpus Christi pro pane eius figura constituitur, non autem scriptura aut antiquitas patitur, vt vbicunque apparuerit corporis vox, panis vicem putetur tenere. Colligamus igitur in confesso esse apud Patres, in negotio Eucharistiæ corpus Christi pro pane rarius inueniri: quia hic illius sit figura, non solum autem, sed quia corpus panis substantiam absumpserit, & vtraque in vnitatem substantiæ abierint, sicque vnita vnius & eiusdem causæ efficientiam acquirãt, eandémque significandi rationem & repræsentandi propter aliquam similitudinem, quibus de causis longè vsitatiùs panis pro ipsomet corpore ponitur. Vrgent aduersarij planiores locos ex Augustino, in quibus Christi locutionem volunt expresse in figuram corporis verti. Adimantus aduersarius legis & Prophetarum, pugnare vetus & nouum Testamentum asseuerabat, quia illud potestatem in animam hominis concederet, permittendo ab homine sanguinem effundi, quem animam esse affirmat: nouum verò nullum ius aut potestatem homini in alterius animam relinqueret. Respondet Augustinus non discrepare, quoniam vetus Testamentum sanguinem animam esse diceret ex eo quod ipsam significaret, non quod
„ re vera esset, parémque locutionem in nouo reperiri. Nam Dominus (inquit) non *Aug lib. 1. ca. 12. in aduersarium legis & Prophetar.*
„ dubitauit dicere, *Hoc est corpus meum*, cùm figuram daret discipulis corporis sui. Comperietur Augustinus non ex sua fide & mente ita interpretari verba Christi: quandoquidem alibi tradit proprietatem in ipsis sequendam esse, vt verum sit Christum manibus suis proprium corpus gestasse. Alibi quoque Augustinus distinguit hoc quod Christus dedit, à figuris & signis nudis, quæ non sunt id quod significant: & cum panem, quem degustarent Cathecumeni, iam esse ait sacramentum & figuram corporis Christi, sed nondum corpus ipsum, quod Christus à se dari pronuntiauit. *Aug. in Psal. 33. et lib. 3. de Trinitat. lib. 3. cap. 4. et lib. 2. de peccator. meritis.* Restat igitur ad sensum Manichæorum Augustinum loqui, à quibus non credebatur Christum vero ac naturali corpore fuisse præditum, sed figura & imagine corporis: ideóque locutiones omnes Christo carnem tribuentes explicabant pro figura carnis. Augustinus ex eorum interpretatione subinfert, in nouo Testamento, *Hoc est corpus meum*, similem esse locutionem ei, quam de veteri depromebant, eósque iugulat proprio gladio, sicut solebant antiqui Patres Marcionitas & Manichæos. Quòd verò vtramque locutionem ad sensum Manichæorum interpretetur, & non ad suum, indè certum fit, quòd contra eundem, propriè ac sine figura dictionis à nobis manducari carnem Christi, & bibi sanguinem ore corporis in hoc sacramento testetur. *Lib. 2. cõtra aduersar. cap. 9.* Quamuis autem regulam, qua rei signatæ nomen pro signo capitur, in Annotationibus ad librum Leuitici confirmet, citétque ibi, sanguinem dici animam ex illo genere dicendi, videatúrque tum suam sententiam dicere: nihilominus quia vidit id potius alienos errores sapere, quàm satis veritatem aperire, non est contentus sanguinem vocari animam, quia illam significet, sed ad synecdochen recurrit, per quam continens affirmatur esse cõtentum, vt sanguis esse anima, quia illam contineat. *August. in annotat. Leuit. quæst. 57.* Ac ne etiam pari figura quis deprauaret locutionem Christi, *Hoc est corpus meum*, in eodem fere textu ait vetitum fuisse in lege esum ac potum sanguinis: sed in euangelio præcipi per verba, quæ Christus de Eucharistia effatus est: vbi sanguinem non à se capi pro vino, nec vinum pro sanguine per synecdochẽ declarat, sed quamque vocem in sua pro-

prietate retineri. Ex quo luce clarius patet, nec figuram nudam, nec synecdochen ab Augustino in oratione Christi reponi. Iterum aduersarij premunt vehementius ex Augustini Commentariis in Psalmum tertium, in quibus habetur Iudam adhibitum à Christo in conuiuium, quod cum suis Apostolis participauit, in quo corporis sui figuram commendauit & dedit discipulis. Hîc (inquiunt) de Augustini sententia constat. Sed quod hîc intendunt aduersarij, pari momento depellimus, & cótra eos retorquemus. Si enim, quia dixit Augustinus Christum commendasse ac dedisse figurá corporis, aduersarij benè cócludunt solam & nudam figuram verbis Christi promitti, viciſsim colligemus sentire Augustinú à Christo verú suum corpus præberi & demóstrari, quoniam sæpiùs exprimit corpus ac sanguinem ipsum, & non figuram. Neque eo in loco psalmorum Augustinus vertit Christi verba in figuram, aut vertenda suadet, vt tollatur verborum proprietas, sed in Cœna ait cómendatam ac datam figuram corporis. Quomodo verò figura magis potuit commendari, id est, panis ipse, quàm si eum illo esse & præberi ipsiſsimum corpus promulgetur? Alioqui quæ commendatio ad figuram corporis iam ante verba existentem per ipsa accedere potuit? Quocirca potiùs indicat Augustinus verba Christi propriè sonare, & panem corporis figuram quam distribuebat, in admirabilé dignitatem extulisse. Nemo nostrum negat, panis speciem, corporis figuram esse, etiam cùm porrigeretur à Christo, & post verba manere: sed negamus nudam aut vacuam esse figuram, aut talem Christi verbis contineri. Deinde nó distinguit Augustinus, quam figuram intelligat, an panis speciem, cuius nullam mentionem facit, an corpus ipsum panis forma obuolutum, ac totum sacramentum, quod in conuiuio dedit, multóque magis quàm panis speciem commendauit: quódque frequentiùs Augustinus vocat similitudinem & sacramentum, ac etiam figuram eiusdem corporis, quatenus patiebatur in cruce, aut quatenus in cœlo beatos pascit, aut quatenus corpus mysticum gratia spiritali congregat. Cur ergo potiùs ad panem ipsum, quàm ad totum sacramentum figuram corporis pertinere confingemus, præsertim cùm assueuerit Augustinus figuram corporis, quæ totum sacramentum complectatur, panis specie longè commendatiorem prædicare & amplificare?

August. in Psal. 3.

REPETITIO QVARTA, DE EXISTENTIA CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI IN IPSIVS EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PROPOSITIO EORVM QVAE PRO EXISTENTIA valent, & absurditatum quæ nobis, & vicissim quæ Aduersariis obiiciuntur.

CAPVT I.

POST verborum significationem, quibus Christus Eucharistiam instituit, in sua proprietate certissimè confirmatam, de re ipsa, atque de existentia corporis ac sanguinis Domini in ipso sacramento disputatio suscipienda est, quod secundo loco initio totius operis huius proposuimus nobis tractandum. Quoniam verò eorum, quæ de Eucharistia credimus, veritatem à scriptura maximè petendam demonstrauimus, quę eius institutionem fert: ad præsentiam quoque corporis & sanguinis in pane & vino astruendam, scriptura institutionis potissimùm nitimur, eiúsque propria significatione, ac rationibus inde ductis, quas in prima Repetitione, & in aliis, de corporali ac spirituali esu carnis Dominicæ, de panis transsubstantialitate, de Eucharistiæ asseruatione, adoratione, atque sacrificio ex ipsa scriptura elicimus, quibus consentanea quæ produximus Patrum testimonia, patrocinio esse volumus. Quin etiam fidei nostræ suffragari prorsus ostendimus Apostoli Pauli authoritatem, ad quam repudiata institutione Eucharistiæ prouocant aduersarij, quasi ex ipsa verbis institutionis lucem, seu potius tenebras illaturi. Ea autem " est: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Calix cui " benedicimus, nónne participatio sanguinis Christi est? Ex qua nec panem esse corpus Christi, nec calicem sanguinem, ab Apostolo asseri contendunt, vt corpus & sanguis ipsis insint, sed tantum cum panis ac vini festa & sacra susceptione participari de corpore & sanguine Domini per fidem, ídque extra panem & vinum. Quoniam Apostolus non agebat de ipsa Eucharistia in se, vt antea egerat, sed cõferebat conuiuium sacrum Christianorum cum sacro conuiuio Israëlitarum & Gentilium, ideò de Eucharistia in vsu & esu tum loquitur, ita tamen vt panem in vsu sacro subiectum agnoscat participandi corporis, & potionem participandi sanguinis etiam sine fide, sicut hostiarum manducationem pro subiecto habet participationis de altari, quæ ab Israëlitis fiebat, & idolothyti sumptionem pro subiecto communicationis cum dæmonibus, etiamsi alioqui vescens hostiis & idolothyto, fide non adhæreret idolo, aut Israëlitarum altari, ac nihil aliud cogitaret, quàm vesci tali cibo. Ita sane Apostoli sententiam interpretantur Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Theophylactus cum Oecumenio, post Chrisostomum.

Fundamẽta in genere pro existentia corporis in Eucharistia.

Cor. 1. ca. 10.

Quare agat de Eucharistia in vsu. ca. 10. ad Corinth.

Cyril. Alexãdrin. in Pentabiblo citatur à

Fr. Turriano. lib. 1. de can. Ap. cap. 24. Cyrillus habet: Corpus ipsius verbi, quod secũdum veram & inexplicabilem vnionem suum fecit, viuificum est: sic etiam nos, si carnem sanctam & sanguinem eius participemus, omninò viuificamur, manente in nobis verbo diuinè quidem per Spiritum sanctum, humanè verò per carnem sanctam, & pretiosum sanguinem. Apostolus enim ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est: & panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus. Sancti spiritus participes efficimur cum Christo saluatore omnium, & ipsi nobiscum inter nos & in vnum copulamur. Concorporales verò, sic vnum corpus hoc modo efficimur, quia vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Omnes enim ex vno pane participamus. Corpus enim Christi, quod est in nobis, colligat nos in vnum. Theodoreti vero verba sunt. Panis est communicatio, id est, qui sacra mysteria percipimus, nónne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinem esse dicimur, quandoquidem vnius panis sumus participes? Colligit sanè ex Apostolo, nos omnes qui sacra mysteria delibamus, Domino communicare, quia panis sit corpus eius. Theophylactus verò sic habet: Calix benedictionis, id est, Eucharistiæ. Manibus enim eum tenentes, benedicimus ei, & gratias agimus, qui sanguinem suum pro nobis effudit, ineffabiliáque bona in nos contulit. Non dixit autem μετοχὴ, participatio, sed κοινωνία, id est communicatio, vt aliquid excellentius indicet, summam puta vnionem. Quod autem dicit, est huiusmodi: Hoc quod in calice, est illud quod ex latere Christi fluxit: & ex eo accipientes communicamus. Hilarius ad Apostolum alludit, cum ait: Hæc hausta & sumpta faciunt, vt Christus sit in nobis, & nos in eo. Quamuis autem aduersarij à panis subiecto distrahant corporis & sanguinis communicationem, attamen coguntur hîc dare manus, vt saltem simulent fateri quòd negant. Scribit enim Caluinus: Si dicam Paulum clariùs hoc loco exponere, quod subobscurè à Christo dictum erat, quis sobrius mihi repugnabit? Dominus pronuntiat panem esse suum corpus. Sequitur discipulus, cui certè propositũ non est luci nebulas obducere, ac panem explicatiùs corporis esse communicationem docet. Hic si consentiat nobiscum, statim lis dirempta erit: quia in panis fractione nos quoque testamur communicari fidelibus corpus Christi. Audis ex Caluino in panis fractione, sicut subiecto, communicari corpus Christi. Alibi ita fieri oportere etiam probat hoc textu: Qua ratione dixit Apostolus, Panem quem frangimus, communionem esse corporis. Nec est quod obiiciat quispiam figuratam esse locutionem, qua signatæ rei nomen signo defeatur. Fateor sanè fractionem panis, symbolum esse, non rem ipsam. Verum hoc posito, à symboli tamen exhibitione rem ipsam exhiberi ritè colligemus. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipsis symbolum proponi nunquam dicere audeat. Itaque si per fractionem panis verè Christus corporis sui participationem repræsentat, minimè dubium esse debet, quin verè præstet & exhibeat. Atque omninò isthæc piis tenenda est regula, vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent ac sibi persuadeant. Quod si quum dicitur ab Apostolo panis fractionem esse corporis Dominici cõmunicationem, creditur in panis perceptione percipi corpus, vel corporis communicatio, quare cùm non solùm à Christo, sed etiam ab eodem Apostolo effertur secundum Aduersarios, *Panis est corpus meum*, aut veriùs, *Hoc est corpus meum*, in demonstrato subiecto non concedetur contineri & existere corpus, sicut verba enuntiant, cùm admittatur percipi, sicut verba apud Apostolum significant? Certè qua proprietate verborum aut figura panis potest esse corpus, eadem panis vsus seu fractio erit com-

Hilar. lib. 8.

Caluin. in defens. consensionis.

Caluin. lib. 4. Institut. ca. 17. num. 10.

Existentia probatur ex eo lo-

communicatio corporis Christi, seu contrà. De illo textu Pauli vberiùs disseruimus in prima Repetitione: quem ideò hoc loco libuit iterum expendere, vt omnes intelligant nostram fidem de præsentia corporis in sacramento maximè stabiliri verbis Apostoli, quibus eam peruertere, & institutionem Eucharistiæ deprauare danr operam Aduersarij.

co Pauli, quo Aduersarij eam destruere volunt.

Hanc eandem fidem nostram roborant analogia similium locutionum cum ea qua Christus vtitur quæ in scriptura habentur, & differentia quæ inter figuras veteris Testamenti, & veritatem à Christo allatam, ac sacramenta nouæ legis intercedere debet, & proprietas atque analogia nouorum sacramentorum, quorum perfectio exigit, vt res diuinas & cœlestes non tantùm significent, vel operenrur, sed contineant: eóque plurimùm conducunt alia, quæ de proprietate huius sacramenti Eucharistici sumus allaturi.

Alia fundamenta pro existentia.

Postremò nos in illa fide magnoperè confirmant absurda quę incurrunt aduersarij, & blasphemias in quas incidũt, dum illam oppugnant. Ne temerè autem videantur sanæ doctrinæ hac in parte reluctari, varia crimina nobis impingunt. Imprimis pugnantia multa & contradictoria tueri nos oportere clamant, antequàm euincamus corpus Christi in tantillo panis fragmento, tórque in locis simul versari posse. A nobis enim constitui obiiciunt substantiam sine accidentibus, & corpus sine suis proprietatibus: contrà verò accidentia sine subiecto, vt saporem ac speciem panis sine pane: à nobis panem tolli, & tamen in pane concludi corpus: in loco corpus poni sine loci proprietate: ipsum angusto panis spatio, & tamen infinitis in locis simul statui: diuersos Christos Elcesaitarum more, seu diuersa corpora Christo affingi, vnum creationis & naturale ac visibile in cœlo, alterum benedictionis seu consecrationis ac sacramentale: Christi incarnationi fieri iniuriam, cui humanitatis & corporis detrahamus proprietates, eámque cum Marcione ad phantasma redigi: eiusdem glorificationi derogari, cùm iterum carnem eius elementis mundi subiiciamus, omniúmque contumeliis & iniuriis exponamus: ac denique manifestis scripturis de discessu Christi, & absentia de mundo, atque ascensione eius in cœlum resisti.

Qua nobis obiiciunt Aduersarij.

Nos ad ista respondemus, primùm cum Tertulliano nostram Philosophiam esse de porticu Solomonis, qui & ipse tradiderit Dominum in simplicitate cordis quærendum. Quid Athenis & Hierosolymis, quid Academiæ & Ecclesiæ, quid hæreticis & Christianis? Viderint qui Stoicum & Platonicum & dialecticum Christianis præferũt: nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium.

Sũma nostrarũ responsionum ad obiecta.

Tertull. de præscriptionibus.

Etiamsi pleraque naturę & rationis legibus in hac quæstione minimè consonarent, tantum abest, vt propter eas scripturarum veritatem deserere oporteat, quod contrà in earum obsequiũ naturæ & ingenij faces submittere deceat, sed de hoc postea fusiùs, cùm ad oppositiones falsi nominis scientiæ, quas nobis intẽdunt Aduersarij, deuenerimus. Negamus omnia pugnantia, quæ cumulant, à nobis defendi, vel in hac disputatione recipi: ea verò, quæ necesse est à nobis concedi, inficiamur ita opposita, vel naturæ contraria, vt nullo modo esse queant, quod etiam suo loco cognoscetur. Falsum est nos Christos diuersos, aut diuersa Christi corpora ementiri: sed eiusdem rei varios modos existendi natura fert, quos scriptura & Patres rerum appellationibus dignantur: ita tamen, vt facilè declarent in eadem rei appellatione discrimen modi. Quoniam verò in hac materia, natura rei, & modus existendi secundum cõmunem vsum, & sensuum experimẽtum videntur colluctari, latissimum campum rixandi sibi aperiunt aduersarij, cùm ex natura modum depellunt, & ex modo, naturæ defectum aut impotentiam arguunt, aut rem pro modo, aut modum contrà pro re arripiunt.

Aduersarij fallacias struunt à re ad modũ, et à modo ad rem.

Nec corpus Christi essentia sua, aut essentialibus proprietatibus spoliamus, vt reddamus phantasma, sed ex coadunatione filij Dei & humanę carnis,

multas eius corpori prærogatiuas accessisse credimus, quas in hoc sacramento effundit & detegit. Tantum verò abest, vt maiestatem suam imminuat, cùm se iterum ad nos in elementis mundi huius demittit, vt suum in nos amorem mirificè commendet. Scripturas de ascensione, & à mundo profectione, non obliteramus, vel eneruamus, sed consistere cum corporis in sacramento præsentia per diuinam potentiam, & Christi voluntatem atque institutionem, earundémque scripturarum assertionem docemus. In his omnibus neque quicquam nouamus, sed à Christo & Patribus ita accepta fideliter tenemus, & tradimus. Vt autem huic de sacraméto altaris sententiæ hereamus tenaciùs, nec ab ea dimoueri possimus, iuuat plurimum, quòd refelli nequeat ab Aduersariis sine detestandis in Christum & Deum ipsum blasphemiis, ac totius Religionis Christianæ perturbatione & euersione. Iudaismi & omnium veterum hæreseon restituta colluuie, atheismi introductione, ac multarum denique contradictionum & contradictoriorum affirmatione. Etenim æquare vetus Testamentum nouo, & sacramenta sacramentis, quid aliud est, quàm gratis Christum mortuum esse, cum simus adhuc sub lege: & quàm Iudaïsare, Christóque repudiato Mosi se mancipare: & quàm cum Pharisæis Christiano homini de cæco iam vidente dicere: Tu discipulus illius sis, nos Mosis discipuli sumus. Nihil amplius virtutis & dignitatis Christi corpori concedere, quam vilissimi cuiusque hominis carni, quid aliud est quàm Christum soluere, & verbi incarnationem facto negare? Eò verò redigere Deum, vt nihil possit nisi quod natura potest, nihil sciat nisi quod ingenium hominis capiat, nihil agat nisi quod homines agunt, imò minus possit & minus agat quàm ipsi possunt & agunt, quid est aliud quàm bellare cum Deo, & se præferre altissimo? An non verò id moliuntur Aduersarij, cum Dei omnipotentiæ subtrahunt, non solùm ne pluribus in locis, vel in angustiori sua magnitudine spatio, corpus Christi constituat, sed ne quicquam, quod naturæ proprietates excedat, faciat, cùm ipsi interea fidei suæ non vereantur arrogare, vt re vera corpus illud tot locis quot voluerint, aut ipsi extiterint, præsens efficiat, & re vera etiam percipere faciat. Hilarius scripsit nō credi Christum esse Deum ab eo, qui verbis eius de Eucharistia & manducatione carnis fidem non habet. Iam verò cum Aduersarij eò impietatis progrediantur, vt ipsa verba non amplius velint attendi, aut ex ipsis veritatem peti, nec Dei omnipotentiam sectari, sed naturam ducem sequi, ex eáque licere contra omnipotentiam diuinam excipere ac præscribere, quo atheorum gradu ipsos iudicabis reponendos? Ioachimum Vadianum sanè & Petrum Viretum non puduit profiteri, non scripturarum, sed corporum proprietati, nec Dei omnipotentiæ, sed naturæ, in hac controuersia incumbédum. Et Anonymi Galli liber de conciliandis discordiis circa Eucharistiam, de quo postea plura dicemus, pro fundamento ponit, non putandum nefas Dei omnipotétiæ ex ratione resistere, cótráque ipsam disserere, atque ex rebus naturalibus contra illam & scripturas agere. Quid si nec in eo quiescunt, sed ad primum vsque atheismi lapidé recidunt, vt de corporibus recusent amplius credere, quàm sensibus experiantur, ita vt nisi oculis cernatur, per ipsos corpus esse desinat? Scribit Caluinus rogatum Seruetum, cur tam nefarij scismatis author esset, respondisse, Quia nequeunt in intellectum meum venire, quæ sub sensum non cadunt. Si rogemus Aduersarios, cur & ipsi tanti scismatis & dissensionis inter Christianos authores sint, in summa atque in conscientia non veriorem reddere possunt rationé, etiamsi quiduis aliud comminiscantur. Porrò quòd sensibus & naturæ imbecillitati affixi, Dei omnipotentiæ, & carnis Christi dignitati bellum inferunt, Capernaïsant apertissimè, aut etiam longiùs euagantur. Cum Marcione de figuris & nouis atque antiquis

Confirmatur existētia carnis in Eucharistia, quod refelli nequeat ab aduersariis sine detestādis blasphemiis et absurditatibus.

Aduersarij nolunt agi ex scripturis, vel ex Dei omnipotētia, sed ex natura.

Vadian. lib. 4. Aphoris. de Eucharistia.
Viret. lib. 7. de sacrament. cap. 14.

Cal. lib. contra Seruetum.

Aduersarij in purum atheismum desinunt cum Serueto.

tiquis sacramentis iudaïsant. Ex eodem sumpserunt argumentandi formam contra carnem Christi, vt phantasma putetur, si quid in ea supra naturam contingat. Cum Praxea diuinitatem in Christo non ponunt, nisi secundum quãdam habitudinem, & non existentiam, cùm ipsum non putent existere posse secundum carnem, nisi humano & carnali modo. Ex Valentinianis canales, quibus caro ad nos de cœlo defluat, ne in humani corporis sordibus, & terræ elementis inficiatur, didicerunt. Cum eisdem & Manichæis atque Origenistis, indignum Deo existimant res cœlestes in rebus terrenis administrare. Cum Nestorio, de Christi, tanquam de puri hominis carne decernunt. Denique ne verbum quidem ferè obiiciunt, aut quicquam fingunt, siue contra proprietatem verborum, quibus concipitur Eucharistiæ institutio, siue contra carnis existentiam in sacramento, siue circa manducationem, quod non à primis illis hæreticis carnis Christi in statu naturali hostibus mutuentur, sicut legendo antiqua Patrum monumenta diligens Christianus poterit obseruare. Eadem verò, atque etiam absurdiora, quàm quæ nobis impingunt, figunt & refigunt contradictoria. Audies oportere res coniungi signis reipsa, & tamen reipsa tantum abesse, quantum cœlum à terra. Audies corpus Christi esse realiter ac substantialiter in Cœna: idem rursus abesse realiter toto cœlo. Audies futura reddi per fidem præsentia re vera. Audies quæ realiter manent toto cœlo & terra disiuncta, realiter tamen coniungi per omnipotentiam Spiritus sancti. Quæ puriputa sunt contradictoria, & importantia omnia, quæ nobis exprobrantur, atque magis pugnantia. Nam si manet dislocatum corpus toto cœlo, & realiter nobis coniungitur, vel est in Cœna, vel in ipsa sumitur: realiter simul pluribus in locis toto cœlo & terra dissitis adesse oportebit, & in nostris siue corporibus siue animis visibiliter & cum suis omnibus dimensionibus ac proprietatibus habitare: quandoquidem ex eorum sententia per nullam potentiam potest his corpus christi priuari, & alicubi cõsistere. Adhæc tot ferè corpora Christo ascribunt, quot Epicurus atomorum formabat: Corpus quod cœlo affigitur, corpus substantiæ, corpus efficaciæ, corpus abstractionis, corpus creationis, corpus consecrationis, corpus symbolicum, seu sacramentale, seu figuratiuum, corpus siue substantiam carnis & sanguinis sine carne & sanguine, corpus reale, quod non est substãtiale vel naturale, sed per canalem spiritus defluit, remanente in cœlo natura & substantia: corpus spiritale sine substantia, dimensionibus & quantitate, vt se recipere iactant carnem Christi: corpus mysticum, cuius cum fiunt membra, non aliud se participare corpus in Cœna sæpè prædicãt: corpus intellectuale, quod participari aiunt etiam re vera, quamuis non esset in rerum natura, vt factum à Iudæis dicunt ante Christum incarnatum, & à se fieri: quæ omnia atque alia discriminant, non quoad modum solùm diuersum existendi idem corpus, sed pro rebus & essentiis diuersis. Quocirca cognitis omnibus argumentis aduersariorum tum demum intelligetur: quam verè scripserit Bucerus omnia eorum argumenta inepta esse, irreligiosa, inconsequentia, impia, & blasphema.

Renouant veteres hæreses de Christo.

In eadem etiã incommoda et grauiora incidunt Aduersarij, quæ nobis obiiciunt.

EX ADIMPLETIONE FIGVRARVM A CHRISTO, differentia inter vetus & nouum Testamentum, atque ex excellentia quæ in nostris supra vetera sacramenta requiritur, probatur existentia carnis in Eucharistia.

CAP. 2.

QVANQVAM satis superque verba Christi vallent ad fidem faciẽdam de præsentia & existentia corporis sui in Eucharistia, magnoperè tamen conducet ad verborum elucidationem, & rei confirmationem, atque explanationem, veterum figurarum de Eucharistia cum ipsa compara-

tio: antiquorum insuper à nouis sacramentis differentia, & horum supra illa eminẽtia: ex quibus consequitur non tantùm probabilitas, sed necessitas præsentiæ & exhibitionis de carne Christi in sacramento. De figura præcipua Agni Paschalis abundè diximus in prima Repetitione: de Mãna dicturi in sexta circa caput D. Ioannis. Nunc in genere de Legis & Euangelij, & sacramentorum vtriusque diuersitate atque differentia sermo haberi debet. Quoniam illam necessitatem, quam proposuimus, aliter declinare non potuerunt Aduersarij, quasi vna facta manu & impetu Oecolampadius, Bucerus, Bullingerus, Caluinus, & Beza in eo sudant multum, vt nouum & vetus Testamentum, non duo diuersa, sed vnum & idem esse edoceãt: vt hoc concesso, paria quoque esse sacramenta minore molestia obtineant, nec intimius sacramento altaris carnem Christi contineri, quàm erat in manna, antequàm nasceretur de virgine. Diuersitatem autem inter duo Testamenta, eorúmque sacramenta constituunt, non quoad materiam, seu substantiam, sed solùm quoad formam & mensuram reuelationis. Idem olim ausus fuit effutire Eunomius, ne Spiritus sanctus probaretur Deus ex baptismi longè discrepante efficientia supra transitum maris. Cui Basilius in summa respondit: Hoc est Euangelij vniuersam dispositionem conuellere. Nostri verò Caluinistæ Galli, quasi noui Galatæ, Euangelium conantur in legem, & Christum in Mosen transformare & conuertere, non solùm in eo, quòd tantum tribuunt Legi quantum Euangelio, & Mosis sacramentis quantum Christi, sed in eo quòd Euangelica verba, & Christi locutiones de sacramentis volunt explicari, & in figuras peruerti ex Mosis vmbratili scriptura, & politiam de matrimoniis, atque alias leges, quibus mores Christiani efformãtur, & respublica constituitur, ex Mose magis quàm ex Christi & Apostolorum traditione, vel ex Ecclesiæ Christianæ sanctione peti, ita vt adusque ipsa nomina, quæ hominibus induntur, libentiùs ex Patriarchis & Iudaico populo mutuentur, quæ suis liberis cùm baptisantur, imponant, quàm sinant ipsis de nouo Testamento Apostolica nomina & sanctorum, qui religionem Christianam ad nos propagarũt, applicari: & Beza Caluinum suum Mosis æmulum maluerit describere, ac quasi alterum Mosen commendare, quàm Christi discipulum. Deinde quoniam nõ ignorant doctrinam suam de Lege & Euangelio, atque vtriusque sacramentis, à Christo & Apostolo expresse damnari, mentiuntur tum eos loqui, non ex veritate, sed ex quorundam sinistra opinione. Quo commento nescio an vllum impudentius, & ad vniuersas scripturas quò cuique libuerit detorquendas aptius excogitari possit. de quo statim suo loco: proponendum tamen fuit, vt omnes intelligant, quanta impietate & blasphemia statim initio egeant Aduersarij, priusquam corpus Christi à sacramento possint proscribere. Cæterùm ne laboremus in ambiguo, definire primùm oportet, quid propriè sit vetus aut nouum Testamentum. Vtriusque autem succincta definitio ab Hieremia paucis his verbis traditur: Feriam domui „ Israël & domui Iuda fœdus nouum. Non secundum pactum, quod pepigi cum pa- „ tribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Æ- „ gypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego proieci eos, dicit Dominus. Sed hoc „ erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo „ legem meam in visceribus, & in corde eorum scribam eam. Ero eis in Deum. Quia „ propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Sic cum „ Hieremia Apostolus vocat vetus Testamentum, quicquid in monte Sina Deus populo suo imposuit. Est igitur pactum illud, quod fecit Deus in monte cum populo Israël, in quo obtulit Deus semini Abrahæ certam politiam & certam regni sedem, propagationem posteritatis, nutricationem, defensionem, & corporalem fœlicitatem,

De differentia noui et veteris Testamenti. Caluin. lib. 4. Instit. cap. 14. nu. 23. 24. 25.

Basil. lib. de Spũ. cap. 14.

Caluinistæ Euangelium student conuertere in legem Mosaicã multis modis, vt olim Galatæ.

Caluin. lib. 4. cap. 14. nu. 25. in 1. Cor. 10. et in ep. ad Heb.

Quid sit vetus Testamentum, et quid nouũ, & in quo discrepent. Hierem. 31. ad Heb. 8.

Galat. 4.

tem,vicissimque populum astrinxit ad obedientiam,& ad certã legum & ceremoniarum formã, in significationem & protestationẽ promissionis factæ de Christo. Nouum verò est gratuita promissio Euangelij,in quo pater non de perituris rebus pollicetur,sed gratis ex immẽsa misericordia promittit,se misso filio vnigenito,cóque creato in regem & mediatorem, deleturũ peccatum & mortem,& conditurũ æternã Ecclesiam,& quòd propter hunc vnigenitum mediatorem gratis sit remissurus peccata, daturus nouam lucem, iustitiam, spiritum sanctum,& vitã æternam, iuxta promissionem, In semine tuo benedicẽtur omnes gentes: &, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternã. Quicquid ergo Mose administro præscripsit aut contulit Deus populo, ad vetus Testamentum pertinet. Quicquid per Christũ, aut propter ipsum decreuit atque elargitus est, in nouo Testamẽto cẽsetur. Qua de causa Christus melioris Testamenti mediator prædicatur. Hîc statim impingunt Aduersarij, cum putant veteris Testamenti nomine cõprehendi quicquid vnquam ante Christum natum per Prophetas annũtiatũ fuit & scriptũ, ac quicquid hominibus à Deo donatum, quicquid-ve in Lege, Psalmis & Prophetis habetur. Sed rectiùs, authore Augustino, totum id vetus Instrumentũ appellatur, quod nõ solùm recẽset res veteris pacti & testamẽti, sed res noui, atque omnia Christi mysteria, ac dona propter ipsum erogata. Non ergo per differentiam scripturarũ propriè distinguũtur testamẽta prorsus, sed per discrimẽ rerũ, quę omnibus scripturis cõmemorãtur. Deinde decipiũtur Aduersarij, quòd existimẽt omnes fideles ab ortu mũdi vsque ad Christũ & Euangelium promulgatum tantùm sub veteri Testamẽto vixisse, ac nihil de nouo audiuisse, vel omninò attigisse: ideóque inferunt quoad substantiam vetus & nouũ idem esse, quoniã fideles eãdem salutem & finem sint consecuti quem Christiani. Sed non animaduertũt duplex pactũ pepigisse Deum cum Abraham & aliis patribus: vnum temporale, de propagatione seminis, de politia, de sede Ecclesiæ, & insigni fœlicitate: alterũ spiritale, de semine benedicturo omnes gentes: Et quòd Abrahæ, & posteritati eius imitãti fidem Abrahæ, Deus esset futurus. Ac non solùm Abraham, Iacob, Moses, ad noui Testamenti hæreditatem pertinuerunt, ornati magna luce & iustitia, & pleni donis Spiritus sancti: verumetiam Adam, Seth, Noë, Sem, & quotquot æternæ salutis & redemptionis per Christum partæ fructus degustarent, noui Testamenti hæredes extiterunt. Non enim aliud nomen datum est sub cœlo, nec est in alio salus, quã in nomine Domini nostri Iesu Christi. Hinc eleganter Augustinus ait: Sancti Dei homines, veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores, sed noui demonstrãtur hæredes. Atque ipsam promissionem datam Abrahæ, quam Paulus dicit non infirmari à Lege, quæ tanto tempore post lata est, non dubitat ad nouum Testamentum referre. Non itaque duo testamenta propriè secernũtur ex hominũ ętate, aut distinctione, cùm iidẽ vtriusque potuerint esse aliquatenus receptatores & hæredes, sed penes rem, & sanctionũ substantiam. Quàuis autem fideles antiqui populi finem noui testamenti acquirerent, nõ tamen ex adimpletione veteris pacti & obitis ceremoniis, sed vi pacti quod cũ illis inierat Deus de talibus ceremoniis & ratione fidei erga res præcipuas noui Testamenti: quas earúmque finem quamuis inquam adipiscerentur iure & in gratiæ atque iustitiæ dispositione, necnon in certissima spe, non tamen in re & veritate, quia nondum ita extabãt, sicuti nec noui Testamenti proprias ceremonias re vera suscipiebãt, tesseras & pignora propria, sed tãtùm in figura per veteris Testamenti ceremonias externas & pignora, & in pręparatione ac spiritalitate quadã per fidem: moriebãtur tamen nõ adeptis repromissionibus in re de substãtia ac fine noui Testamẽti,

Genes. 15. & Ioann. 3.

Aduersarij circa distinction. testamentorũ errant in duobus.

De his omnibus Origenes in Præfat. in Ioann.

Acto 10.

Aug. contra epist. Pelagy. 3. ad Rom. & ad Galat.

quod à lõgè in sola præparatione fidei & gratiæ cõtingebant, pendebántque medij inter vtrúque Testamentũ, vtriusque participes, sed differenter, veteris in re & veritate, noui verò in figura, spe, iure, ac præparatione per fidẽ & gratiam. Quòd si quis obiiciat, quomodo nouum Testamentũ dicitur, quod patribus ante legis promulgationẽ, & totius politiæ cõstitutionem est conditum & stabilitũ: huic Augustinus respondet, Vetus testamẽtum dici, quia lex priùs reuelata fuit & promulgata, & ad hominẽ veterem pertinet: Nouum verò posterius fuit reuelatum, & ad nouum hominẽ pertinet. In reuelationis ordine, nõ solùm tẽpus Christi cum Mosis est conferendum, verumetiã prima tam Legis quàm Euãgelij patefactio expendi debet. Cũ Legis sapiẽtia & norma in ipsa creatione hominis fuerit insita, & ad hoc fœdus obstrictus homo, vt creatori obtemperaret: post Adæ verò lapsum promissio de semine cõtrituro caput Serpentis reuelata extiterit, quæ prima noui Testamenti sponsio fuit, cõspicitur nouum vetere esse recentius. Plerunque autem Prophetæ omissis illis vtriusque originibus intuẽtur vtriusque publicas promulgationes, veteris in mõte Sina, & noui à Christo nato: qua etiam ratione posteriori, noui debetur appellatio. Nunc differentias indagemus. Ioannes Euangelista duas generales ponit. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum. Primùm nouum discriminatur à veteri in gratia, deinde in veritate. Hieremias & Apostolus Paulus ad Corinthios atque ad Galatas, quoad gratiam etiam distingunt, vt vetus solam præuaricationem & reprobationem, mortem, mortísve ministerium ac seruitutem ingeneraret: nouum verò gratiam, in animis hominum remissionem gratuitam, spiritum viuificantem, ac cœlestem libertatem afferret. Vetus quidem flagitabat ab homine perfectam iustitiam & obedientiam, & sub hac conditione pollicebatur quodammodò vitam. Qui fecerit ea, viuet in illis, sed inutiliter, quia perficiẽdi virtutem non conferat: ideò adigebat ex sua imbecillitate ad inobedientiam, præuaricationem, & mortem. Præcipua capita erant, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &, Non concupisces. &, Maledictus qui non permanserit in his. Id quod erat impossibile per legem (ait Apostolus) ideò reos mortis & damnationis & maledictionis omnes peragebat. Nouum non simili cõditione ictum fuit, sed in quo Deus credenti in Christum offert gratuitam promissionem peccatorum, & vitæ & iustitiæ communicationem sine præuia mandatorũ obseruatione. Peccati eorum (inquit Hieremias) nõ recordabor amplius, & legem meã inscribam cordibus eorũ. Propterea Apostolus ad Hebræos, vocat vetus Testamentum infirmũ, inutile, imperfectũ, quia ad nullam perfectionem poterat adducere, aut quicquam boni diuini cõferre: Contrà per nouũ nos proximare Deo, & perfici, Christúmque melioris Testamenti sortitũ ministerium, quod in melioribus promissionibus sancitum fuit. Quocirca toto genere & substantia promissionũ discrepant Testamenta, nõ in mensura & solo reuelationis modo diuerso. Distãtiam vtriusque Testamenti ita se habere pluribus locis Augustinus disputat. Altera pars discrepantiæ est veritas & figura. Nam nõ sola exhibitio gratiæ per Christum ex nouo fœdere erogatur, sed veritas rerum promissarum cœlestium per eundem allata est & exhibita, earũ verò solam ac nudã figuram & repræsentationem Moses proposuit, & vetus Testamentũ gessit. Ob id scriptum est, Omnia in figura noui Testamenti patribus degentibus sub veteri contigisse, & eos mortuos non acceptis repromissionibus, sed eas à longè aspicientes, atque Legem, non imaginem rerum præbuisse, sed solam vmbram, Ob id etiam infirmũ & imperfectum nominatur vetus Testamentũ, eiúsque ritus, ceremoniæ, ac sacramenta, egena & infirma elementa, quæ rerum veritatem & perfectionem nec continerent, nec traderent. Ob id secundæ domus gloria maior priore

Vnde dicatur vetus & nouum Testam. *Ioan. 1.* *Differentia veteris & noui Testamenti in veritate & gratia.* *Esaye. 1.* *Roma. 8.* *Heb. 8. 9. 10.* *1. Corinth. 10. & Heb. 1. & 10.* *Hagge. 2.*

priore tabernaculo prædicitur: quia in secunda pro figuris veritas, & dominator qui expectabatur, inueniretur, & offerretur. Ob id in nouo Testamento oportet nos adorare in spiritu & veritate, nõ in nudis elementis, spirituali re & veritate vacuis. Propter duas illas vtriusque Testamenti differentias oportet Ecclesiam & synagogam, Ecclesiæ sacraměta, sacrificium, ministerium, & sacerdotium, à synagogæ sacramẽtis, sacrificiis, ministeriis & sacerdotio tantum distare, quãtum inter corpus & vmbram, figuram & veritatem, rem terrenam, infirmam, inutilem & imperfectam, ac cœlestem, spiritalem, efficacem & perfectam: alioqui nihil nouum & vetus Testamentum in se atque in externis suis tesseris & signis, quibus contrahuntur, discernerentur quoad efficaciam, perfectionem & veritatem, nec Christus gratiam & veritatem supra Mosen importasset, nec maior gloria in Ecclesia vigeret, quam in veteri tabernaculo, nec magis adoraremus in spiritu & veritate, nec magis sub veteri Testamento omnia contigissent in figura, quàm nobis. Nec discrimen aut præstantiam potest stabilire, si dicatur ex fide sola gratiam & veritatem nobis exhiberi extra signa, quoniam differẽtia non quæritur, nec statuitur ex extraneis, sed ex intrinsecis vtrique Testamẽto, & ceremoniis vtriusque. Si igitur nostris nihil plus inest nec quoad efficientiã, nec quoad veritatẽ contentã, nec secernuntur ab antiquis, nec illis præstant, nec à Christo exhiberetur nobis magis caro in veritate, quã si nõdũ esset procreata: quia non veriùs eam nostris sacramẽtis, nec nobis redderet præsentẽ, nec propiùs exhiberet. Quinetiã ex fide ceremoniæ veteris Testamẽti gratiã cõferebant, & spiritaliter ad veritatẽ ducebant: ideò nihil interesset quoad efficientiã & virtutẽ, nõ solũ inter sacramẽta vtriusque Testamẽti, sed nec quoad modũ acquirẽdæ rei significatę. Quãobrem discrimẽ & excellentiã quoad gratiã & veritatẽ sacramentorũ noui Testamẽti supra Mosaïca cõstitui debet in ipsis, & in eorũ efficiẽtia, cùm scriptura nõ aliter vtriusque ceremonias & sacramẽta cõferat, quàm ex sua natura & operatione, vt alia repellat tanquã inutilia, infirma, & imperfecta, atque vmbras, alia verò extollat, tanquã illis quoad efficaciã & veritatẽ opposita. Aduersarij conãtur auertere discrimẽ penes gratiam & veritatẽ ad significãdi modũ, vt in ratione signi & repręsentãdi gratiã & veritatem, nostra antiquis sint præferẽda. Verùm scriptura non cõparat vtrũque Testamenrũ & eorũ sacramẽta penes significãdi modũ, sed penes vim continẽdi, efficiẽdi, & exhibendi, cùm ait, nihil ad perfectũ Legẽ adduxisse, & nihil profecisse vetera ambulantibus in eis, ac Legẽ quidem vmbrã habuisse, sed nõ ipsam imaginẽ rerũ: nec Christus in eo tantũ Mosi anteponendus est, quòd clariorẽ cognitionẽ gratiæ & veritatis inuexerit, sed quòd figuras & Legẽ veritate adimpleuit. Quòd si nostrorũ differentiã & excellentiã ex solo significãdi modulo metiremur, obscurius antiquis gratiã & veritatẽ declarabunt, atque Mosaïcis erũt posthabẽda. Plenius siquidẽ & luculẽtiùs Christi carnẽ ac sanguinem refert caro & sanguis agni immolati, quàm panis & vinũ. Expressiùs alimentũ spiritale de corpore Christi significabit Mãna diuina virtute è cœlo formatũ, quã panis manu hominis & opera confectus. Expressiùs, inquã, & planius designabit aqua diffluẽs e percussa rupe sanguinẽ ex perforato Christi latere dimanantẽ, quàm vinũ exhaustum, eòque magis vetera sacramenta fidem excitassent, quàm nostra, magísque obsignassent per fidẽ accepta. Id cum ad sensum cõstet, nec Petrus Martyr negare posset, perspicuitatẽ significãdi in nostris sacramẽtis ait attendendã, non ex repræsentatione externa, sed ex natura & claritate verborũ quę ibi proferuntur. Nam clariùs nostra putat annũtiare redemptionẽ, & maiorẽ fidẽ excitare, vnde sequatur ex eis maior copia spiritus. Sed iã obliuiscitur, quæ sit natura sacramentorũ. Sunt enim verba visibilia, & externa signa: ideò in visu, no in auditu versatur eorũ signifi-

Ex differentia testamentorũ differentia sacramentorum.

In quo sacramẽta noua debeant differre ab antiquis.

Sacramẽta noui Testamenti non excedunt antiqua significatione.

catio & perspicuitas, solentque Aduersarij, cùm regulam sacramentalem ex antiquæ Legis formulis comprobant, docere nostra sacramenta institui eodem genere dicẽdi figurato, quo Mosaica, ita vt in his & nostris eadem sit verborum figurata significatio. Quòd si dilucidiùs declaratur in nostris res significatæ per verba quæ ad institutionem adiunguntur, non nostræ legis sacramenta & signa ideò erunt significãtiora, sed nostra verba: & fortassè poterũt æquè dilucida ex Prophetis à ministrãtibus vetera adiũgi, cùm quædã tam aperta sint in plerisque locis Prophetarũ & Psalmis testimonia de mysteriis Christi, quàm in Euãgelio, quamuis non ita frequẽtia. Propterea nonnunquã Caluinistę fateri videntur, nostra sacramẽta gratiã conferre, & veritatẽ exhibere, non tamen eam continere, nec ex differentia sacramentorũ vtriusque Testamenti ritè concludi dicũt præsentiam & existentiã corporis Christi in sacramẽto, cùm sufficiat ad cõplementum figurarũ, veritatem earũ habere quocunque modo, seu per fidẽ, seu immediatè ab ipso Deo. Idcircò Caluinus cùm dissimulare nequiret distantiã vtriusque Testamenti, annuit in veteri omnia typis & figuris fuisse picta: in nouo autem corpus ipsum & figurarum veritatẽ esse exhibitã: ac toties testatur carnẽ Christi etiam substantialiter nobis præberi, sed vix vnquam adducitur, vt ingenuè sacramẽto hærere cõcedat. Verùm hoc pacto rectè fortassè cõstaret aliquod discrimen inter nos & patres veteris Testamenti, sed non inter vtriusque fœderis sacramenta, cùm nihilo magis nostra haberẽt de veritate, quàm illa, ac tantum repræsentarent, sicuti & illa. Figuræ verò & antiqua sacramenta in se & in sua natura veritatis imaginẽ gerebant, & exhibebãt: ex quo par est nostra contrà ipsorũ, veritatem in se continere, & exhibere, vt figuris respondeant, & eas antecellãt. Quòd si per intermediã fidem, & non per sacramenta, veritas offerretur, ne quidem sic dissiderent nostra ab antiquis sacramentis, nec nos à Iudæis, quibus nõ per sacramenta, sed per fidem Deus ministrabat veritatis dona cœlestia. Sin causantur Caluinistæ nostra esse signa efficacia, & exhibitoria rei quam non continent, ad cuius non exhibitionem, sed susceptionem desideretur fides, ne quidẽ scripturis & rectæ rationi satisfecerint. Repugnat enim, quòd quis exhibeat id quod nõ habet, aut efficiat cuius virtutem nõ possidet innatã aut acceptam. Vt enim exhibeat, naturale vt id prius teneat quod exhibet, & antequàm efficiat, vt efficiẽdi virtus in eo antecedat, seu innata, seu aliũdè impressa. Qua de causa Christus cùm opponit Mannæ cibũ figuratũ cibo vero, quem erat daturus de carne sua in Eucharistia, primùm figuræ detrahit existentiã veritatis in ea, postea veritatis efficientiam, cùm non deceret, nec fieri posset, vt veritatis propriũ effectum operaretur figura veritate vacua. Non Moyses (inquit) dedit vobis panem de cœlo verum: vbi veritatis existentiam „ defuisse ostendit. Et, Patres vestri manducauerũt Manna in deserto, & mortui sunt. „ vbi figuræ denegat vim conferendi vitã & gratiam, quæ veritatem affectarentur. Contrà, pani quem erat daturus, primùm inesse veritatem demonstrat, vt illam exhibeat: deinde energiam vitæ & gratiæ, propter virtutem insitam veritati existenti in illo pane & cibo. Panis (ait) quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Et, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Idem de baptis-" mo declarat, vt postea narrabitur. Quamobrem ex scripturis veritas & gratia," quas attulit Christus in nostris sacramentis, quæ deerant Mosis figuris, non in sola ipsorum efficacia consistunt, sed in existentia: ita vt veritas rei quam promittit Christus, insit, sicut & virtus ac causa conferens gratiam. Adhæc si nostra sunt saltem exhibitoria veritatis, eam faciant præsentem oportet, vel in nobis ipsis, vel alicubi, vt in sacramento, vel aere nobis circunfuso: ex quo eadem, aut etiam plura sequuntur absurda, quàm quæ traducunt Aduersarij de

Non satis est exhiberi veritatem, nisi nostra sacramenta ea contineãt, vt prastent antiquis.

Ioan. 6.

de existentia in ipso sacramento. Sin respondetur exhiberi,& præsentem effici veritatem ipsam fidei nostræ: nihil igitur nostra sacramenta exhibebunt sine fide nostra, sicuti nec vetera, nec aliam exhibitionem præstabunt, quàm cuius est capax fides nostra, quę res ipsas non sistit, nec capit pręsentes in existentia vera & substantiali, sed in apprehensione & contemplatione: quod idem antiqua sacramenta cum fide suscipientium poterant perficere: atque ita mãducantes Manna, manducabant per fidem panem verum, & vim vitæ assequebantur: nec Eucharistia præ Manna non solùm quoad existẽtiam, sed etiam quoad exhibitionem, erit panis verus contra verbum Christi. Caluinus his difficultatibus in angustias redactus, comminiscitur Christum non opposuisse Manna sibi, nisi ex auditorum capacitate, qui Manna iudicabant tantùm datum à Mose nutriendo corpori, nec quicquam cogitabant de spiritali alimento per ipsum & fidem participato, cuius causa Apostolus vocat spiritalem escam. Eadem subtilitate conatur eludere dicta Pauli de veteris Testamenti imperfectione: Christianorum autem Doctorum de nostris sacramentis doctrinam totam esse hyperbolicam, ne credatur, mentitur. Sed si recipitur figmentum hoc, quæ firma relinquetur scripturæ & Patribus authoritas, cùm facillimum fuerit prætexere, quotiensc unque offenderint, non ex veris, aut ex mente loquentis illas accipiendas, sed ex aliqua conficta opinione vel hyperbole. Quando verò erunt simpliciter intelligendæ scripturæ, si non intelliguntur, cum præfatur, " Amen, amen dico vobis, & cùm naturas rerum in se comparat, vt hîc facit, vbi se " panem verum, non ex hominum opinione, vel sumptione etiam dignissima, sed ex sua proprietate, & per oppositionem ad Mãna figuratum panem, & ad naturalem alendo corpori creatum quorum neuter verus est cibus, & panis vitæ veræ ac perfectæ largitor. Quòd si non fieret rerum in se comparatio, sed ex sumentium conditione, pasti Manna ex fide, non mortui sunt spiritaliter, nec corporaliter in æternum: non tamen virtute Mannæ, sed aliunde virtus emanabat: nec qui reficiuntur pane vero Christo, sine fide viuunt in æternum spiritaliter & corporaliter, non ex defectu virtutis in cibo, sed sumentis benè bono cibo vtentis. Ideò naturas ciborũ confert: & quamuis verus cibus nihil prosit accipienti sine fide, sicut nec Manna, differt tamen à Manna, quòd in se veritatem panis viuificantis habeat, non autem Manna, sed si non viuificat, propter sumentis indispositionem accid.t. Et si Caluinus nihil omittit vt tergiuersetur, cogitur tandem quasi dare manus hac confessione. Ergo non solùm vberius & luculentiùs Christum nobis proponunt baptis- " mus & Cœna, quàm ritus legales, sed quasi præsentem exhibẽt. Qua ratione docet " Paulus nunc corpus nos habere pro vmbris, non tantùm quia semel manifestatus " est Christus, sed quia Cœna & baptismo, quasi certis pignoribus, se nobis præsen- " tem confirmat. Hinc magnum apparet discrimen inter nostra & veteris populi sa- " cramenta, quod tamen illos minimè spoliat earum rerum veritate, quas pleniùs & " luculentius ac perfectiùs hodiè Christus, prout fert eius præsentia, exhibet. In his verbis magnum discrimen agnoscit, idque huiusmodi, vt fateatur Christum nostris sacramentis præsentem exhiberi, quanquam suum illud quasi debuisset reticere: sed moris eius est etiam, cùm non habeat quod hiscere possit, nunquam veritatem simpliciter confiteri, sed suam falsitatem quasi aquam vino permiscere, atque ita veritatem cauponari. Velit, nolit, necesse est veritatem carnis Christi in sua existentia non fuisse à patribus possessam, sed in sola fidei contemplatione & visione, antequàm ipsa existeret: necesse est in veritate carnis in Eucharistiæ sacramento, non quasi præsentem exhiberi, sed omninò, cùm modus realis præsentiæ non detur inter adesse & abesse in existentia & veritate, &

Lib. 4. ca. 14. in fine.

Quomodo Caluinus scripturas & Patres eludat.

Caluinus propè accedit ad differẽtiam veterum et nostrorum sacramentorum.

exhiberi atque non exhiberi. Quòd si quis modus esset, non requireret Christum necessariò incarnatum esse, & ab ipso veritatem figurarum, per rerum significatarum veram & realem exhibitionem ac præsentiam, illatam esse, nec amplius de veritate frueremur quàm patres, nisi in nostris sacramentis & in nobis constituatur carnis vera & realis præsentia atque existentia, non solùm in rerum natura, in qua si poneretur, & non in nostris sacramẽtis, neque in nobis, quoniã pacto luculẽtiùs & pleniùs diceretur Christus nobis & nostris sacramentis præsentior in se, quàm si omninò non esset, aut propius ac magis realiter, quàm extitit in antiquis sacramentis & patribus? At (inquiunt) si diuersitas sacramentorum requirit in Eucharistia realem præsentiam corporis Christi, consequetur carnem ipsam non in sola Eucharistia præsentem esse, sed in omnibus nostris sacramentis, cùm omnia ab antiquis per veritatis exhibitionem debeant discrepare. Ad hoc facilis patet respõsio, veritatem non vnicam Christi carnem comprehendere, sed omnium donorum collationem, quæ Deus promiserat se daturum, & exhibiturum per Christum, quę in lege & legis figuris, necnon sacramentis repræsentabantur & delineabantur. Itaque cùm vetera sacramenta non vnicam carnem Christi dandam in cibum referrent, sed alia dona spiritalia, non oportet ab omnibus nostris sacramentis contineri & exhiberi carnem Christi: est tamen opus vt contineatur, & offeratur in esum ab aliquo, & vt alia nostra sacramenta aliquam spiritalem rem itidem complectantur, & præbeant in veritate, quæ Deus in antiquis sacramentis per Christum promiserat: veluti in Circuncisione figurabat pollicitationem factam à Deo de purgatione originalis peccati, & in aliis typis baptismi adumbrabat alia beneficia per baptismum conferenda: ea de causa conuenit horum omnium virtutem effectricem inesse baptismo, & per ipsum illa omnia effici atque exhiberi. Per Agnum Paschalẽ depingebat de veri Agni carne & vero pane cœlesti cibum in nouo Testamento promissum, cuius exolutio poscit veritatem carnis ipsius agni, & ipsum verum panem, in aliquo noui Testamenti sacramento consistere, & exhiberi: quod Christus declarauit esse Eucharistiam, cùm ipsam post Cœnam Paschalem instituit. Quamobrem omnibus circumspectis & expensis, hoc loco existentiam carnis Dominicæ in sacramento credimus, non solùm probabiliter, sed necessariò inferri, ex tribus argumentandi generibus, nimirùm ex differentia legis Mosaïcæ & noui Testamẽti, ex figurarum adimpletione requisita, atque ab excellentia nostrorum sacramẽtorum, qua veteribus præstare debent. His tribus ad præsentiam carnis Dominicæ in Eucharistia asserendam video Christianos scriptores plurimùm instituisse.

Existentia carnis in sacramẽto ex tribus hic cõnicitur.

AVGVSTINVS sacramentorum vtriusque Testamenti intercapedinem inuestigat ex textu Ioannis, à quo exorsi sumus, Per Mosen Lex, gratia & veritas per Iesum Christum, atque ita scribit: Opportunè istud ex Euãgelio lectum est. Si enim „ discernimus duo Testamenta, vetus & nouum, non sunt eadem sacramẽta, nec ea- „ dem promissa, eadem tamen pleraque pręcepta. Videamus quare eadem præcepta: „ quia secũdum hæc Deo seruire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt sa- „ cramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Testamẽ- „ ti dant salutem: sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem. Mutata „ sunt sacramenta: facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, fœliciora. Nunquid quo- „ niam puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis animus auocetur, pro- „ pterea grandescenti non excutiuntur è manibus, vt aliquid iam vtilius tractet, quod „ grandem decet? Verumtamen tu ipse dedisti filio tuo, & nuces paruulo, & codicem „ grandi. Non ergo, quia illa quasi ludicra puerorum Deus per nouum Testamentũ „ excussit de manibus filiorũ, vt aliquid vtilius daret grandescẽtibus, propterea prio- „

August. in Psalm. 73.

„ ra illa non ipſe dediſſe putandus eſt. Ipſe vtrunque dedit. Sed Lex ipſa per Moſen „ data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Gratia, quia impletur per „ charitatem, quod per literā iubebatur: veritas, quia redditur quod promittebatur. „ Cōfert ſacramenta in ſe, nulla ratione habita ad fidem ſuſcipientiū, non quòd pro- „ ſint noſtra ſine ea, ſed quia non mutuantur ſuam virtutem & efficaciā ex ea, quæ re- „ quiritur quidem, non tanquam vis agens aut efficiens, ſed vt diſpoſitio in ſuſcipiē- „ te. Quòd ſi virtus non ineſſet noſtris, qua in re ſalutari diſtarent ab antiquis, vel „ ea excederent, vel quonam pacto præ illis darent ſalutem? Particulariùs Patres ex illa comparatione probāt de induſtria, carnem Chriſti Euchariſtiæ ſubiacere. Omnia in figura Iudæis contigiſſe ex Apoſtolo recitant: Legem non attigiſſe rerum, quas promittebat, perfectionem, ſed puram ipſarum vmbram: A Chriſto figurarum veritatem illatam & illuſtratam: Proinde tam latum diſcrimen intercedere inter Agnum Paſchalem, Manna & Euchariſtiam, quantum inter vmbram & corpus, figuram & veritatem, ſomnia & res veras, vmbram & lucem: inter exemplaria futurorum, & ea quæ per exemplaria præfigurabātur: inter vmbram & imaginem, ab eo quod ſecundum ſubſtantiam ſubſiſtit. Ita diſputant Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Ambroſius, Gaudentius, Hieronymus, Auguſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Leo magnus, & alij. Quòd ſi in re contenta non diſcreparēt, multa inferunt abſurda: Nullum in Euangelio ſingularis erga Chriſtianos præ Iudæis diuini amoris extare veſtigium & teſtimonium: gratis Chriſtum mortuum: ipſum nihil nobis profuiſſe: omnia myſteria, & omnem Euangelij diſpenſationem conuelli: Chriſtum mundo illuſiſſe, atque operam perdidiſſe, ſi figuras figuris ſubſtituit. Iſta vrgent Tertullianus, Baſilius, & Auguſtinus: Ambroſius verò oſtendit Manna noſtris ſacramentis fuiſſe longè præſtantius & diuinius, niſi Euchariſtiæ veritas ipſa & caro Chriſti ſubeſſet, ob idque maximè antiquis præpolleret, alioqui poſtponenda. Colligunt Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus, præſentiam diuinitatis vnà cum carne in ſacramento altaris magis quàm in Iudaicis adeſſe, ex eius effectu in bonum, ſi dignè ſumatur, & in malū, ſi participetur in peccato. Origenes denique & Cyrillus Alexādrinus ſcribunt totū diſcrimen & effectus docuiſſe Chriſtū, componendo Manna ſecum, & cum pane quem daturus erat in cibum. Denique non alia ratione Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Sedulius, Primaſius, & quotquot pij viri olim commentarios in Epiſtolam ad Hebræos emiſerunt, potuerunt Euchariſtiam eximere ab infirmis, egenis, & imperfectis Legis ſacrificiis & oblationibus, niſi propter ipſam Chriſti ſubſtantiam, quæ non tantùm fide contingitur, ſed etiam in ſacramento viſibili continetur, quod in antiquis fieri non poterat, ſed horum poſteriorum textum annotaſſe hîc ſufficiat, quoniam erit tepetēdus in capite De præſentia Chriſti in pluribus locis. Aliorum verba audiamus.

Quibus argumentis Patres noſtra ſacramēta præferāt antiquis, et in Euchariſtia præſentiā corporis aſtruant, ex differentia veterū et noſtrorum ſacramentorum.

Ambroſ. & alij in ca. 10. ad Heb.

„ TERTVLLIANVS. E tot feſtis Iudæorum Paſchæ diem elegit. In hoc e- „ nim ſacramento pronuntiarat Moſes, Paſcha eſt Domini. Ideò & affectum ſuum „ oſtendit: Concupiſcentia concupiui paſcha edere vobiſcum, antequam patiar. O „ legis deſtructorem, qui concupierat etiam Paſcha ſeruare! Nimirùm vetuecina illa „ Iudaïca delectaret? An ipſe erat, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & „ ouis coram tondente, ſic os non aperturus figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere „ concupiſcebat?

Tertull. lib. 4. in Marcionem.

„ ORIGENES. Antea in ænigmate fuit batiſmus in nube & in mari, nunc autem „ in ſpecie regeneratio eſt in aqua & in Spiritu ſancto. Tunc in ænigmate erat Man- „ na cibus, nunc autem in ſpecie caro verbi Dei eſt verus cibus, ſicut & ipſe dicit, „ Quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Sic ergo iam nunc

Orig. ho. 7. in Num. et 17. in Leuitic.

Moses apud nos positus,& huic Æthiopissę coniunctus, vel ipse ad nos, vel Deus ad ipsum non loquitur in ænigmate,sed in specie.

CYPRIANVS. Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio Abrahæ possit ritè celebrari,præcedit antè imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit,& qui est plenitudo,veritatem pręfiguratæ imaginis adimpleuit.

Cypr. de Cœna. Cœna dispositа inter sacramentales epulas obuiauerunt sibi instituta antiqua & noua,& consumpto Agno,quem antiqua traditio proponebat,inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis & arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens,corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius summus sacerdos panem offert & vinum. *Hoc est* (inquit) *corpus meum.*

Ambros. lib. de his qui initiantur myster. cap. 8. & 9. & lib. 4. de sacramentis ca. 5. AMBROSIVS quæstionem ponit. Ne quis fortè visibilia videns, quoniam quæ sunt inuisibilia,non videntur,nec possunt oculis humanis comprehendi,fortè dicat,Iudæis Deus Manna pluit,coturnices pluit. Ecclesiæ autem dilectæ hæc sunt quæ præparauit,de quibus dictum,Quod oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Ergo ne quis hoc dicat,summo studio volumus comprobare,quòd & antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ, quàm Synagogæ, & præstantiora quàm Manna. Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramenta:nunc cognosce potiora. Re vera mirabile est, quòd Manna Deus pluerit patribus,& quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde dictum est,Panem Angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducarunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipis, iste panis viuus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat, & quicunque hunc panem manducauerit,non morietur in æternum, & corpus est Christi in veritate. Si illud quod miraris,vmbra est,quantum istud est,cuius & vmbram miraris? Audi quia vmbra est quæ apud patres facta est. Bibebant(inquit) de consequente eos petra:Petra autem erat Christus. Hæc autem in figuram facta sunt nostri. Cognouisti præstantiora. Potior enim lux quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus authoris quàm Manna de cœlo.

Gaudēt. tract. 2. GAVDENTIVS Episcopus Brixiensis. In vmbra illius legalis Paschæ non vnus Agnus occidebatur,sed plures. Singuli enim occidebantur per domos. Nam sufficere vnus non poterat vniuersis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ passionis. Figura etenim non est veritas, sed imitatio veritatis. Ergo in hac veritate, qua sumus, vnus pro omnibus mortuus est. Et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus. Hæc Agni caro est, hic sanguis est. Panis enim qui de cœlo descendit,ait,Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

In ca. 1. ad Titū HIERONYMVS. Tantum interest inter propositionis,& corpus Christi,quātum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum,& ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur.

Basil. in ca 14. de Spiritu sancto. BASILIVS. Quid igitur? An quia typicè in Moysen baptisati sūt,propterea exigua erit baptismi gratia? Ita igitur nec aliud quippiam rerum nostrarum magnum erit: si quidem quod in singulis augustum est, figuris adumbramus. Neque amor Dei erga homines, magnum aut naturæ huius modum excellens erit, qui tamen vnigenitum filium dedit pro nostris peccatis: si quidem & Abraham filio proprio

non

non pepercit. Neque passio admiratione digna: si quidem Agnus pro Isaac sacrificij impleuit typum. Idem igitur committit & in baptismo, qui vmbræ conferens veritatem, & quæ in veteri populo significata sunt per Mosen, & mare figuris comparans, vniuersam Euangelij dispositionem conuellere nititur. Qualis enim peccatorum remissio, quæ vitæ renouatio in mari? Cuiusmodi donum spiritus per Mosen? Qualis isthic peccati mortificatio? Non Christo commortui sunt isti: quapropter nec simul cum eo conresuscitati sunt. Non gestarunt imaginem cœlestis, nec mortificationem in corpore circuntulerunt: non exuerunt veterem hominem cum suis actionibus. Quid igitur baptismata confers, quæ nihil præter appellationem habent commune? Rerum autem tanta est diuersitas, quanta est somniorum & rerum verarum, quantúmque vmbra & imago distat ab eo quod secundum substantiam subsistit.

Idem alibi figuras quoad effectum comparat, atque inquit: Dic Aaroni & filiis eius, abstineant à sanctis filiorum Israël, nec polluant nomen meum sanctum, quęcunque illi mihi sanctificant. Si tales minæ aduersum eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim maius aliquid is est templo secundum Domini vocem, tanto grauius & terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temerè contingere, quàm sic accedere ad arietes & tauros, dicente Apostolo: Itaque qui edit panem, & bibit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: imò vehementius ac terribilius iudicium per repetitionem exprimente, cum dicit, Probet autem quisque seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, non diiudicans corpus Domini. Quòd si in immunditia tantùm constrictus tam terribile iudicium habet, quanto magis qui cùm in peccato sit, corpus Domini cõtingere audet, grauius sibi accersit iudicium? *Basil. serm. 2. de baptism.*

CHRYSOSTOMVS. Postquàm sol iustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce. Et ideo in ipsa mensa vtrumque Pascha, & typi, & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigiis quibusdam adumbrare consueuerunt, & sic colorum varietate perficere, ita & Christus fecit in mensa, & typum Paschæ descripsit, & Pascha veritatis ostendit. Fuit quidem aliquando Pascha Iudaïcum: sed exemplum euacuatum est Paschæ spiritalis aduentu, quod Christus tradidit. *Hom. de proditione Iuda. ho. 60. in Matth. 44. in Ioã.*

CYRILLVS Alexandrinus. Ne putet Iudæus ex tarditate mentis sua inaudita nobis excogitata esse mysteria. Videbit enim, si attentius quærit, hoc ipsum à Mosis temporibus per figuram semper factitatum fuisse. Quid enim maiores eorum ab ira Ægyptiorum liberauit, quando mors in primogenita Ægypti sæuiebat? Nõne omnibus palam est, quia diuina institutione perdocti, Agni carnes manducarunt, propterea mortem ab eis diuertisse? Pernicies enim, id est carnis huius mors, aduersus genus humanum propter primi hominis transgressionem furebat. Terra es, & in terram reuerteris, propter peccatum audiuimus. Verùm quoniam per carnem suam Christus atrocem hunc tyrannum euersurus erat, propterea id mysterium apud priscos obumbrabatur, & ouinis carnibus atque sanguine sanctificati perniciem effugiebant. Cur igitur ô Iudæe turbaris, præfiguratam veritatem non videns? Cur, inquam, turbaris, si Christus dicit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis? Distinguit Dominus inter benedictionem mysticam, & Manna, inter aquam de petra & calicis sancti communicationem. Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis qui de cœlo descendit, vt aliquis ex ipso comedat, & non moriatur. Mannæ nanque alimentum non æternam vitam, sed breue famis re- *Cyrill. lib. 4. in Ioann. cap. 14. 16 et 18. lib. 3. cap. 36.*

medium affectabat. Non ergo erat cibus verus, id est, panis de cœlo. Sanctum verò Christi corpus ad immortalitatem & vitam æternam cibus est. Sed aquam illi ex petra biberunt. Quid igitur inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? Non erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitùs mors euertitur atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus est.

Theodor. in ca. 4. 1. Cor. & Dialog. 3. Polymorph.

THEODORETVS. Sacram illam, & omni ex parte sanctam noctem in memoriam reuocauit, in qua & typico Paschati finem imposuit, & verum typi archetypum ostendit, & salutaris sacramenti portas aperuit.

Ho. 27. Quinquag. ho. tract. 2. in Ioann. de vtilitate pænitentiæ. ca. 1.

AVGVSTINVS. Quid ergo, ait aliquis: Hoc erat Manna illud, quod ego nunc accipio? Ergo nihil modò venit, si ante iam fuit? Ergo euacuatum est scandalum crucis? Quomodo ergo eundem cibum & potum accipimus, nisi quia addidit spiritalem? Sed figuratis temporibus promittebantur & prænuntiabantur æterna. Sicut ergo ille Iosue non verus Iesus, nec illa terra promissionis, vera, sed figurata, ita Manna non verus cibus cœlestis, sed figuratus: ita petra illa non verè Christus, sed figuratus.

Leo Pap. serm. 7. de passione.

LEO Papa. Oportebat vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vt vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immolatione illa diuinitùs per Mosen fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nuntiarant. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguis sanguinem excludit, & legalis festiuitas dum impletur, mutatur.

PER ANALOGIAM VERBORVM CHRISTI cum locutionibus scripturæ, & cum baptismo, probatur existentia corporis in sacramento, sine qua nec ipsum esset signum efficax (vt vult Caluinus) siue in efficiendo, siue in exhibendo, siue in significando, siue in obsignando: ac ne quidem earum rerum esset sacramentum, quarum esse dicitur in scriptura. Et de hæresi, qua derogari gloriæ Christi Caluinus scribit, si eius caro sub elementis sensibilibus collocetur. CAP. 3.

PROPOSVIMVS nostra sacramenta præstare Mosaicis, tum in re contenta, tum in efficacia. Aduersarij contrà ablato ipsis nucleo, nuda definiunt esse putamina, ac puta signa rebus significatis vacua, quia sit indignum res spiritales & Christum ipsum sub terrenis elementis concludere. Nihil insuper ipsis relinquunt energiæ, virtutis & efficaciæ ad dona diuina elargienda, sed vtranque paginam exhibendi, spiritalia efficiendi atque percipiendi, fidei suæ deferunt. Quoniam autem laboratur in ambiguo, quid nominis, & quid rei significet sacramentum, operæpretium fuerit singula pedetentim elucidare. Vox sacramenti plura sua etymologia & vsu apud Latinos denotat, quàm apud Græcos Μυστήριον, quod Eusebius putat ab odio, quod μύσος dicitur, nomen sortiri: quia omnem execrationem mereantur, qui audent mysteria violare, seu in vulgus prodere. Sed orthographia Eusebio refragatur, quæ per hypsilon inchoatur, non per iota, vti postulat μύσος. Qua de causa alij docti viri iudicarunt μυστήριον è duobus componi, ex μύειν verbo, quod Claudo, & στόμα quod os designat, quoniam altum in sacris præciperetur silentium, & digito ad os promoto sacrificus proclamaret, Hoc age. Melius Aristoteles & Clemens Alexan-

Quid in summa Aduersarij sentiant de Sacramentis.

Vnde deriuetur Mysterium & Sacramentum.

Euseb. lib. 2. de preparat. Euangel.

Arist. in Rhe.

drinus, μυςήρια à secretis & abditis locis tanquam à murium & soricum latibulis deducunt, qui suo se indicio detegunt: & Græcè μῦς nominantur, à quibus mysterium, quoniam diuini cultus sacratiora ministeria non nisi in reconditis locis, ac ferè subterraneis antris perficerentur, vel quia omnibus non essent cognita & obuia, nec nisi ab initiatis prodi & efferri in lucem & vulgus poterant. Quapropter cùm in Areopago accusaretur Aristophanes, quòd in Cœna mysteria euulgasset, pœna se eripuit, quòd defenderet ne se quidem his initiatum esse. Scriptura ferè semper sequitur hunc significatum, vt mysterium & sacramentum in ea capiatur pro re secreta & arcana, quæ aliud prima fronte ostendat, aliud in recessu habeat. Sic apud Tobiam scribitur, Sacramentum Regis abscondere bonum est: & quæ turbas celaret, ac tantùm inter suos aperiret Christus vocat mysteria regni cœlorum. Apostolus vim nominis, ac verè sacramentorum naturam vno loco explicat, quo mysterium fidei vocat omnia arcana & incognita humanis ingeniis de rebus Euangelij, quæ nec profanis atque infidelibus hominibus temerè essent per Diaconos, qui magis versabantur cum populo, effutienda: ita vt mysterium siue sacramentum comprehēdat omne obiectum fidei, quod nec sensibus, nec rationis acumine peruestigari possit & inueniri, sed solo numine fidei cerni. A sua generalitate Græci Christiani applicarunt nomen hoc rebus Religionis, in quibus aliud oculis spectaretur, aliud intelligeretur latere, quemadmodum Magnus Dionysius innuit, cùm causam explicat, cur tales res Deus instituerit. Apud Latinos profanos scriptores vix comperietur Sacramentum à secreto deriuatam, sed à re sacra, cui dicatur, vel quæ adhibetur, cùm fit. Ex eo Varro Sacramentum vocari ait, pecuniam depositam à litigantibus apud Pontificem, vt ea mutaretur qui causa caderet, atque ipsa cederet in vsum sacrificiorum aut ærarij. Vnde iuris formula Sacramento contendere dicebantur. Iusiurandum apud illos passim etiam Sacramentum appellabatur, quia numinis aduocata & interposita religione edebatur. Hinc Sacramentum militare celebratur, & Sacramenta puberum sponte facta inuiolabiliter custodiri Lex imperat: ad cuius imitationem Canon iubet, ne paruuli periuri ampliùs ad sacramentum accedant. Latini scriptores Christiani sacramenta videntur & à re secreta, & à sacra simul nominasse, siue quam tantùm significarent, siue quam continerent, siue quam conferrent, & qua sanctificarent, eámque appellationem externis applicasse, quæ aliud oculis subiicerent, aliud tegerent aliquo illorum modorum quos proposui. Ita Tertullianus figuras omnes veteris Testamenti vocat Sacramenta: & lignum, quod Heliseus in aquam proiecit, sacramenti titulo cohonestat, à significatione sacra. Propterea Augustinus dixit, Signa cùm ad res diuinas pertinent, sacramenta vocantur. Multo verò magis Sacramenta vocarunt, quæ præter significationem nos Deo atque eius seruitio manciparent, ac quasi quodam iuramēto obligarent, cuiusmodi in Lege erant Circuncisio, & Agni paschalis celebratio. Atque omnis de religione formula & confessio. Sic Plinius iunior ad Traianum scripsit Christianos se sacramento non in scelus obstringere, sed ne furta ne latrocinia ne adulteria committerent. Sic Tertullianus in Praxeam Christianum sacramenta vocat. Ex qua ratione Concilium Florentinum distribuit ea quę Legis erāt, in sacra sacrificia, & sacramenta. Maximè verò hoc nomine nostri donarunt, cum quadam emphasi & excellentiæ nota, exteriora nostra, quæ res sacras in se haberēt, vel efficerent. Propterea Eucharistiam, tanquam sacramentum sacramentorum ab vtraque causa exornat Dionysius. Neutra sanè nec vetera nec noua expressè in scripturis appellantur mysteria vel sacramenta, nisi fortè de matrimonio dictum à Paulo consenserimus, Sacramentum hoc magnum est: sed habent ibi vocabula in

Por. Clem. Alex. in Orat. ad Gentiles.

Theodor. lib. 3. Græcarum affection.

Tob. 12.

Matth. 13.

1. Timot. 3.

Varro lib. 4. de lingua Latina.

Vegetius. lib. 2

Cod. si aduersus venditionem. l. 1. et 22. q. 4. can. Paruuli.

Tertull. lib. 5. in Marcion. et cōtra Iudæos.

Aug. ep. 5. ad Marcellin.

Ephes. 5.

eundem ſenſum redeuntia, vt memoriale, monumentum, fœdus, teſtamentum, quæ idem ſignificant in ſacris adhibita quod quæ aliter nuncupantur ſacramenta. Primus Tertullianus videtur inter latinos Euchariſtiam ſacramenti nomini vocaſſe quando ait Chriſtianos accuſari de ſacramento infanticidij & ipſos de manu præſidentium Euchariſtiæ ſacramentum accipere. Porrò quoniam ſacramentum à ſecreto & ſacro ductum, duas res complectatur neceſſe eſt, vnam apparentem, alteram latentem & ſacram: id eóque duabus rebus conſtet oportet vna terrena, & altera cœleſti. Si enim nihil ſecretius & ſacratius ferret, quàm quod ſenſibus offert, non potius diceretur ſacramentum, quàm quiduis aliud. Quocirca rectè definiunt ipſum Chriſtiani eſſe viſibilem formam inuiſibilis gratiæ. Ea autem definitio tam latè patet, vt etiam omnes veteris Teſtamenti figuras comprehendat, ad quas ſacramenti appellatio extenditur, ſed cõuenit quoque aliis, quibus per excellentiam ſacramenti nomen competit. Quicquid enim ipſis ineſt, diuinæ eſt gratiæ, & gratia eſt, ob idque pretioſius, quod eſt Euchariſtia, aliquando Auguſtinus & Emiſſenus vertunt per ſolam gratiam: ſed non decet, quicquid gratię ſingularis in ipſis reſidet, per communem omnibus definitionem explicari. Neque verò ſi ſacramentum deſiderat duas res ad ſui integritatem, propterea neceſſario exigit illas res coniungi, aut contineri in eodem ſubiecto, cùm ſatis ſit ad ſacramenti rationem rem inconſpicuam & ſacram indicare, præter id quod ſenſibus ingerit, ſiue ipſam contineat, ſiue illam exhibeat aliunde quàm ex ſe, ſiue ſolùm eam ſignificet ab alio & alio tempore oblatam. Fatemur ergo ex proprietate ſacramenti, non opus eſſe, vt ſacramenti ſubiectum in ſua exiſtentia duabus rebus conſtet, cùm duas res tantùm requirat in ratione & conſideratione ſacramenti, quæ habitudo quædam eſt, accidens, & qualitas, non autem exiſtens ſubſtantia. Non itaque nobis imponant Aduerſarij, quaſi ex conceſſione ſacramenti inferamus Euchariſtiam in ſua exiſtentia cõſtare duabus rebus, & in ſuo ſubiecto habere carnem Chriſti. Nemo noſtrorum vnquam tam malè ratiocinari didicit. Sed viciſſim ne Aduerſarij impingãt in eundem lapidem, caueant ex ratione ſacramenti ab eodem ſubiecto duarum rerum pręſentiam, quibus conſtat, diſtrahere, cùm ratio ſacramenti nec res in eodem ſubiecto ex neceſſitate concludat, nec ſimiliter diuellat. Non enim perit ratio ſacramenti, ſi res ſacra & inuiſibilis in ſubiecto quod eam denotat, deliteſcat, quemadmodum Auguſtinus diſputat quædam eſſe ſigna, quæ non ſunt quod referũt, quædam contrà, vt erat Chriſtus ſacramentum & myſterium filij Dei, de quo in tertia Repetitione, capite De Patribus, copioſè: & in poſteriorum ordine Euchariſtiam ibi Auguſtinus annumerat: imò quanto intimiùs ſignum rem attigit & amplectitur, eo ſacratius ac præſtantius eſt ſacramentum. Auguſtinus ſanè ſacramentum indifferenter accipit pro ſigno, ſeu tantum ſignificante aliud, ſeu efficiente, ſeu etiam exiſtente id quod ſignificat: attamen quoties vocauerit Euchariſtiam ſacramentum corporis naturalis Chriſti, vetat intelligi pro ſigno non exiſtente corpus ipſum. Quinetiam Aduerſarij digladiantur inter ſe de illo ratiocinandi genere ancipiti & ambiguo. Muſculus enim defendit, plurima ſigna & ſacramenta à Deo decreta, quæ ne quidem rerum ſignificatarum fuerunt exhibitiua, multò verò minus capacia. Allegat omnia ſub Lege pro ſacramentis inſtituta, ponítque tanquam axioma, non mox donum aliquod ſacramentaliter exhiberi, vbicunque tantùm ſignum eius monſtratur. Contrà Bucerus ſe adductum potiſſimùm profitetur, vt in Lutheri ſententiam deſcenderet de præſentia corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, ex ſacramentorum rectâ conſideratione, quæ ſicuti loquitur, donorum canales ac vehicula cenſeri debent, & inſtrumenta rei ſignificatæ exhibitiua, quem-

Tertull. Apol. ca. 16. et de corona milit.

Ex generali ratione ſacramenti non oportet ſacramenta in eodem ſubiecto duas habere res.

Nõ inferimus ex ratione ſacramenti generali præſentiã corporis in Euchariſtia, ſicut nec per eandem excludimus.

Epiſt. ad Bonifaciũ. et lib. 3. de Trinitate ca. 4. & 10.

Muſc. in locis cõmunib. et in Euangel.

Bucer. epiſt. ad Epiſc. Frephordienſem.

quemadmodum manus Christi sanitatum, quas ægrotis conferebat, erat efficax indicium, & flatus ex eiusdem ore prodiens, Spiritum sanctum Apostolis impartiebatur. Temerariæ vero animositati atque imperitiæ imputat, quod esset aliquando cum aliis ratiocinatus à signo ad rei priuatæ significationem & absentiam, cùm inepta sit ratiocinandi formula, & non leue peccatum, sacramenta non pluris quàm inania aut vacua signa æstimare: quæ duo ne quidem Cinglio & Oecolampadio vnquam placuisse demonstrat. Caluinus Cinglio & Musculo regulá contrariam, tanquam legem figit, quæ piis perpetuò sit tenenda, vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic signatæ rei veritatem adesse certò cogitent, ac sibi persuadeát, carnémque proinde ac sanguinem Domini illic sub symbolis exhiberi & administrari, vt signo annexa & coniuncta sit sua veritas, & sacramétum duabus rebus constet, ac rei signatæ sit instrumentum, vt ipse loquitur. Nos inter vtrosque regia via ingredimur, vt nec credamus ex perfecta sacramenti à Deo instituti ratione & proprietate veritatem signatam, adesse & exhiberi. Nam Agnus Paschalis, & omnia sacrificia significarunt venturum Agnum, non tamen ipsum coram in essentia præbuerunt, cùm nondum natus esset. Eucharistiæ epulum significat futuræ vitæ conuiuationem, non tamen eam in re præsenti confert. Serpens & passionis Christi sacramentum præse ferebat, non tamen eam præsentem reddebat, sed futuram quandoque promittebat. Rursum damnamus ex sacramenti consecutione rerum abditarum & significatarum veritatem & existentiam à signo tolli. An arca Dei designabat Deum à suo populo peregrè profectum, quia in signum præsentiæ suæ illam iusserat construi, & adiri? An infans positus in præsepio, pannis & fasciis illigatus, nati Saluatoris signum datum pastoribus à Saluatore diuidebatur? An signum filij hominis venientis in nubibus cœli, ipsum abesse significabit? An osculum proditoris Iudæ fuit absentis Christi indicium? An absentis Spiritus columba & linguę igneæ dabant documentum? Licet enim signum ac res signata inter se differant, non est tamen necesse, vt ob eam differentiam signum sit alterius naturæ, sed tantùm vt in ratione alia existendi vel repræsentandi fundetur, cùm Dei filius, qui est çadem natura cum patre, figura tamen substantiæ patris dicatur, & Manna de cœlo cadens iubeatur in memoriam eiusdem panis de cœlo cadentis, in arca tabernaculi conseruari. Itaque non ex ratione sacramenti constituimus Eucharistiam duabus rebus constare præsentibus, signo, & carne Christi, sed nec ab eadem carnem illam propterea seiungimus. Regula ergo etiam per Bucerum & Caluinum, Petri Martyris ac Bezæ fatiscit, qua cótendunt sacramentaliter, seu in mysterio, seu sub sacramento, adesse aut capi carné Christi, quoties in Patribus occurrunt, idem valere quod non realiter, sed in solo signo cum rei absentia, cui vt succurrat Anonymus ille dissidentium conciliator, ex Augustino citat, sacramenta habere similitudinem quandam earum rerum quas significant: ideò non posse esse idem cum ipsis, cum aliud sit idem, aliud simile, & quodammodò esse id quod significant, vt innuat non prorsus in idem recidere. Profectò Augustinus explicat quæ sit relatio & collatio in ratione signi cum re significata, non est, vt sub ratione significantis & significati sint idem, sed vt præ se ferant aliquam conuenientiam & similitudinem, siue discrepent omninò in natura & existentia, siue sint idem. Christus dicitur in similitudinem hominum factus: an ideò homo esse non potuit? Sic Augustinus prædicat Christum in specie panis apparentem oculis mortalium, seu forma panis opertum sacramentum esse simul ipsius sub specie humana visibili, vbi res eadem in natura existens propter diuersos modos existendi, seu etiam consi-

Caluin. lib. 4. ca. 17. num. 10.

Luc. 2.

Matth. 24. & 26.

Matth. 3. & Acto. 2.

Regula qua Patrn testimonia eludit Martyr falsa.

Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4.

derandi, secum iam non eadem esse narratur, sed diuersa quodammodo ac similis tantùm: non tamen desinit esse eadem quoad substantiam & naturam. Sicut ergo Eucharistiam fatemur non attrahere præsentiam carnis Dominicæ ex ratione sacramenti in genere dicti, ita non à se expellit per illam rationem: & sicut multarum rerum sacramentum est, quarum nullam in se continet, ita vicissim corporis Christi sacramẽtum est, vt oporteat ipsum habere intra se, non quidem ex generali ratione sacramenti, sed ex peculiari noui Testamenti, & maximè ex propria institutione, eiúsque analogia cum locutionibus similibus in scriptura repertis, ex pugnantia & absurditate atque indignitate, qua afficiunt Aduersarij tantum mysterium à Christo institutum, ex eo quod ipsum euacuant carne Christi, atque ex officio obsignandi nouum Testamentum, & promissiones à Deo factas in ipso, etiam ex sola significandi efficacia, quam illi tantùm tribuunt Aduersarij, atque ex proprietate sacramenti erga plerasque res, quarum nequit esse sacramentum, nisi constet in existentia corpore Christi: denique ex efficientia, quæ huic sacramento particularis ac propria esse debet. Eucharistia sanè multarum rerum sacramentum gerit, quas non capit, vt corporis mystici, sicut ab Apostolo dicitur, omnes nos esse vnum corpus, qui de vno pane participamus, vt passionis Dominicæ & fruitionis, quam de Christo assequemur in cœlo, quorum nullum præsens & contentum in se habet, sed aliquorum de his atque aliorum rursum sacramentum fieri non posset, sicuti debet, nisi corpus ipsum Christi intra se obtineret. Quod enim viuum monimentum corporis passi & sanguinis effusi præ se feret, vt propriè annuntiet mortem Domini supra vetera sacrificia, & Mosaïca conuiuia, nisi coram oculis ponat corpus ipsum & sanguinem cum similitudine oblationis & ritus quo mortem subiit? Non dixit, Accipite, comedite, Hic est panis, Hoc facite in meam commemorationem: sed *Hoc est corpus meum*: quod nisi, vt asserunt verba, inesset, ritus minus passionem repræsentaret, quàm caro & sanguis brutorum in sacrificiis & epulis sacris sub Mose. Quam insuper sacramenti rationem præstabit species exterior Eucharistiæ ad rem qua potituri sumus in cœlo, non solùm spiritaliter, sed corporaliter, & in re præsenti, nempè Christo homine, nisi res eadem speciebus illis subiaceat quę in cœlo residet, sed alio modo, quia in cœlo conspicua, in Eucharistia verò velata. Propterea non frustrà de re sub specie latẽte testatur Christus: Non bibam de hoc genimine vitis, Donec impleatur in regno Dei. Certè externa ac realis participatio poculi & panis nihil habet affine cũ possessione Christi, qua fruuntur beati, quia non realis est, nec rei in præsentia existentis, vt beatis erit. Idcircò Christus rem eandem denotat subiacere Eucharistiæ, quæ in cœlo, sed existendi modum diuersum: quoniam hîc velamen est panis & vitis, quod in cœlo detrahitur, & aperta facie Christo potimur. Sed nec sanctificationis effectus, quam de carne Christi sumpta referimus, figurabitur ab Eucharistia, nisi per præsentiam & existẽtiam carnis ipsius in illa. Nam si aliud quidpiam in Eucharistia comeditur, ex eo potius figurabitur in alio cibo, quàm in sola viuifica Christi carne, alimentum nostrum consistere. Sin autem in Eucharistia solius Christi carnis substantiam manducemus, perfectissimè significatur in solo Christo vitam spiritalem nobis repositam esse. Ideò scriptura in verbis institutionis effecta carnis Christi Eucharistiæ tribuit, quod diligenter veteres scriptores obseruarunt, & ab effectis in ea veram Christi carnem contineri probarunt, vt ex eorum Commentariis in Euangelia patet, & patebit ex capite primo Repetitionis quintæ, & in sexta. Atque hæ veræ sunt rationes, propter quas ipsa Eucharistia toties inscribitur sacramentum, & figura corporis Christi. Figurat enim ipsa caro Christi ibi præsens & porre-

Eucharistia nec suum effectum proferet, nec erit sacramentum rerum, quarũ esse dicitur, nisi cõtineat carnem Christi.

porrecta mortem ipsius præteritam, & viuificationem nostrā pręsentem,& gloriā in futuro, per eiusdem corporis meritum & sumptionem acquirēdam. Sola talis ac tanta figura Christo authore & tanto sacramento digna est, quæ rem vnà cum significatione sua cōiungit, quamuis sub diuersa consideratione. Vt autem Christus ista tria in institutione attexuit ad insculpēdam corporis sui necessariā præsentiam & existentiam, ita ab eius spiritu edocti Patres contendunt, non aliter earum rerum Eucharistiam sacramētum haberi posse, nisi cōstaret carne Christi. De sacramento passionis legētur Patres in nostris De sacrificio libris: ob ídque tantū Eucharistiam pręstare docent antiquis eandē passionem significātibus, quia rem oblatā deferat, non autē vetera solùm ipsam significātia cū passione & oblatione. De significatione fruitionis, quam speramus de Christo, in secūda nostra Repetitione actū est. De sanctificationis energia & designatione agetur in quarta & sexta Repetionib. Cæterū vt ordine proposita alia capita tractemus, quærimus quid contineret cibus ille & potus, quem Christus Apostolis in Cœna subministrauit, dicens, *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur. *Hic est sanguis noui Testamenti* qui pro vobis funditur. Certè nihil aliud dedit, quā quod affirmauit & demōstrauit: alioqui cuiuis licebir fingere quid dederit. Sensus sine operatione & verbis Christi renūtiabant panē esse & vinū: sed pręter id verba Christi aliud esse annūtiant, & est incredibile nihil noui in ipsis Christum fuisse operatum, cùm solenni ritu & prece ipsa attrectarit. Si quid igitur supra sensum rationi permittitur, & Christo creditur, oportet rem aliam inesse huic cibo & potui præter panem & vinum, quæ erant ante Christi actionem, & post ipsam superesse videntur. Cogūtur fateri Aduersarij aliquid actum à Christo in ipsis, quo prius carebant. Sed quoniam salua verborum Christi proprietate, ne quidem cogitari probabiliter potest aliud pani & vino accessisse, quàm corpus & sanguinem ipsius, omnes in opprimendis illis verbis consentiunt, & à sua proprietate ad aliquem sensum figuratum peruertunt, atque ita omnes inuiti fatentur fidem nostram de existentia carnis in sacramento, & de duarum rerum in eo coalescentia expresso verbo institutionis niti, nec sine eius violatione res illas distrahi posse. Confirmant illam veritatem ex eo, quòd hactenus nō potuerunt in vna & eadem verborum Christi expositione conuenire, sed tot sensus affinxerunt quot capita, ac ne vnus quidē in eadem omninò interpretatione persistit: nec certius licuit illis definire, quid per verba illa efficerentur panis & vinum in Cœna, nec quid per ipsa sumeretur, nec vbi, nec quomodo, nec quid omninò efficeretur, imò nec quid significaretur. In summa, nihil apparenter etiam proprio iudicio loquunrur, nisi cùm ad nostra reuoluuntur, & eadem incurrunt incommoda, quæ nobis obiiciunt: Adeò non habet vbi conquiescat error, vbi à verbo Christi recesserit. In hanc tamē plures video descendisse sententiam, vt sicut existimant verba Christi impropria & figurata, ita panem & vinum, quæ cepit Christus & exhibuit, effatus suum corpus esse & sanguinem, opinentur ista fieri impropriè & figuratè, ita vt existant signo tenus corpus & sanguis, seu signa & sacramenta corporis & sanguinis. Postea inter se digladiantur de genere signi & efficacia sacramenti. Initio Cingliani pani & vino attribuerunt officium significandi res absentes, ita vt ex ratione signi nō solùm exinanirentur rebus significatis, sed ne quidem parerentur secum præsentes offerri, nec quicquam prærogatiuæ acquirerent quàm significādi energiam. Cùm ita viliora constituerentur signa quàm pleraque natura faciat, & hominum industria atque sanctio multis inter Cinglianos, indignū visum est abiectiora signa & infirmiora nobis à Christo proponi, quā sint aliqua naturalia, aut artificialia. Idcircò Petrus Martyr atque alij admittunt nostra signa nācisci aliquam, non virtutem, sed digni-

Iterum expenditur quid per verba Christi colligatur inesse Eucharistia.

Aduersariorū cōtentio de efficacia signorū.

tatem, ex sua institutione, per quam Christus sui corporis spiritalem participationẽ promisit se oblaturum suscipientibus illa cũ fide, quemadmodum Serpens non ex vi insita, sed ex institutione habebat, vt ipsum intuentes sanitatem cõsequerentur. Bucero non placuit tam angustè sentire de sacrosanctis mysteriis noui Testamenti, sed addidit, si non in ipsis, saltem per ea tanquam per instrumenta exhiberi rem significatam. Caluinus ista omnia videtur respuere & refellere, tanquam non satis declarantia nostrorum sacramentorum efficaciam, nec illi sufficit panis ac vini vsum in Cœna exhibere quoquomodo quod significat, sed idipsum oportere coniungi asserit cum ipsis signis, ne sint nuda & vacua. Hoc pluribus in locis contendit. Prior sit: Quærenda est huius locutionis ratio, *Hoc est corpus meum.* Hîc respondeo non-ideò tantùm signo imponi nomen rei signatæ, quoniam sit figura, sed magis quia symbolum sit, quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus prophanis & terrenis, quoniam à sacramentis Domini habẽt aliquid diuersum, nõ admitto. Vocatur Hercules statua Herculis: sed quid illic est præter nudã inanémque figuram? Columba autem Spiritus vocatur, quia certa sit tessera inuisibilis, spiritus præsentiæ. Ergo panis est Christi corpus, quia certò testetur exhiberi nobis corpus illud quod figurat, vel quia Dominus visibile illud symbolum nobis porrigendo, vnà dat etiam nobis suum corpus: neque enim fallax est Christus, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi est extra controuersiam, veritatem hîc cum suo signo esse coniunctam. Alibi scribit: Nunc si quæratur, an nihilominus panis sit corpus Christi, & vinum sanguis ipsius: Respondebimus panem & vinũ esse signa visibilia, quæ corpus & sanguinẽ Christi nobis repræsentant: corporis verò & sanguinis nomen ipsis attributum, quod sint veluti instrumenta, quibus Dominus noster Iesus Christus nobis ea distribuit. Forma hæc loquẽdi rei valdè consentanea est. Cum enim non modò non oculis, sed neque ingeniis nostris comprehendi possit communio, quam in corpore Christi habemus, ea tamen illic apertè ob oculos mõstratur. Exemplum in re simili valdè proprium habemus. Cùm vellet Dominus spiritum suum in baptismate apparere, eũ sub columbæ figura repræsentauit. Ioannes Baptista historiam illam recitans, Spiritum sanctum descendẽtem se vidisse ait. Si propius attendamus, comperiemus ipsum nihil præter columbam vidisse. Nam Spiritus sancti essentia inuisibilis est. Cùm tamẽ sciret visionem illam inanem figuram non esse, sed Spiritus sancti præsentiæ signum certissimum, affirmare non dubitat se illum vidisse, quòd eo modo, quo ipse ferre poterat, fuerit repræsentatus. Ita in cõmunione, quam in Christi corpore & sanguine habemus, dicendum est mysterium spiritale esse, quod nec oculis conspici, nec ingenio humano comprehendi potest. Figuris igitur & signis, quæ sub oculorũ sensum cadunt, ostenditur: ita tamẽ vt nõ sit figura nuda & simplex, sed veritati suæ & substantiæ cõiuncta. Meritò igitur panis appellatur corpus, cùm id non modò repræsentet, verumetiam nobis offerat. Cur ergo appellatio corporis pani tribuitur? Omnes puto concedent eadem ratione, qua Spiritũ sanctum Ioannes primò Columbam vocat. Porrò in Spiritu illa fuit ratio, quòd sub specie colũbæ apparuerat. Transfertur ergo Spiritus nomen ad signum visibile. Cur hîc negamus similem esse locutionẽ, nomẽnque corporis pani tribui? Idem latè contra Heshussium disputat: Arca (inquit) fœderis clarè vocatur Deus exercitum, & quidem tanta asseueratione, vt Propheta emphaticè exclamet, Quis est iste Rex gloriæ? Iehoua ipse est rex exercituum. Hîc non dicimus Prophetam incõsideratè effutire, quod primo intuitu videtur absurdum, sicut improbè blaterat hic nebulo: sed postquàm reuerenter amplexi sumus quod dicit, nõ minus piè quã apte interpretamur nomẽ Dei trãsferri ad symbolum, qui indiuidua-

Caluin. in lib. De Cœna & in cap. 11. 1. ad Corinth.

Caluinus probat inesse corpus Christi per analogiam ad similes locutiones scripturæ.

sit

sit huius cum re & cum veritate connexio. Imò generalem hanc tenere regulam in omnibus sacramentis non humana tantùm ratio cogit, sed pietatis sensus, & perpetuus scripturæ vsus ita dictat. Nemo tam rudis est vel insipidus, qui nesciat in sacramentis omnibus Spiritum Dei per Prophetas & Apostolos peculiari vti loquendi formula. Hac de re quisquis controuersiam mouebit, ablegandus est ad prima elementa. Vidit Iacob Deum exercituum scalę insidentem: vidit Moses tum in rubo ardenti, tum in flamma montis Horeb. Si mordicus retinetur litera, quomodo visus est qui est inuisibilis? Disquisitionem repudiat Heshussius, nec aliud affert remedium, quàm vt oculis clausis fateamur Deum visibilem esse, & inuisibilem. Atqui solutio spõtè occurrit & dilucida, & pietati cõsentanea, denique necessaria, Deum numquam visum qualis est, verùm pro fidelium captu manifesta præsentiæ suæ signa dedisse. Ita autem minimè excluditur diuinæ essentiæ præsentia, cũ Dei nomen metonymicè symbolo aptatur, quo Deus se verè, nec figuratiuè tantùm, sed substãtialiter repræsentat. Columba vocatur Spiritus sanctus. An propriè, vt Christus alibi pronũtiat Deum esse spiritum? Certè manifestum discrimẽ se profert: quia etsi verè tunc & essentialiter affuit spiritus, visibili tamen symbolo præsentiam & virtutis & essentiæ suæ spectandam exhibuit. Quàm verò nequit & criminetur nos fingere corpus symbolicum, hinc liquet, quòd nemo verecundè colligat symbolicũ spiritum fuisse conspectum in baptismo Christi, quia verè sub symbolo, aut externa columbæ specie apparuit. Beza ad magistri sententiam hoc sermone inclinat: Voluit Christus vti hac phrasi, quæ figurata quidem est, sed tamen ad hoc arcanum explicandum longè accommodatissima. Nam si dixisset Dominus, Hoc significat corpus meum, vel Hic panis est symbolum corporis mei, nõ ita expressisset vim illã & efficaciam sacramentalis coniunctionis, & eius participationis, quæ inde ad nos promanat. Idque etiam licet ex illo ipso Theodoreto animaduertere, qui eodem illo loco, cùm quæsiuisset hæreticus, aduersus quem disputabat, quid vtilitatis habeat ista transnominatio: Voluit (inquit) eos, qui diuina illa mysteria participant, non attendere ad eorum naturam quæ videntur, id est ad panem & vinum, sed per nominum mutationem ei quæ ex gratia facta est transmutationi. *Beza contra Heshuß.*

Duo Caluinus in allegatis exequitur. De sacramentis fabricat, & firmat regulam, vt cum signis, & in ipsis res præsens adsit in sua substantia, & exhibeatur, ne signa præbeantur inania. Deinde comparat locutionem Christi, tanquam protulerit, panem esse suum corpus, cum similibus de veteri & nouo Testamento. Quoad prius, meritò repellitur à Musculo & ab aliis Cinglianis, quoniam non est necesse, vt ex sua generali ratione sacramenta secum offerant, quod figurant, vt notum est de Agno Paschali, signante præteritum exitum de Ægypto, & futurum Christum, ac moriturum, quorum neutrum coniungebatur in substantia cũ Agni Paschalis esu. Sed nec omnia, quæ manducatio symbolorum in Cœna Domini denotat, possunt ipsis re vera coadunari, vt est corpus Christi mysticum, & fruitio eiusdẽ Christi aperta ac manifesta, qua potiemur in cœlis, atque alia. Quapropter regula non redderet signa efficacia præsentiæ & exhibitionis de carne, si tantùm sermo Christi doceret illa esse signa & sacramenta sui corporis & sanguinis: nec illo sermone sic exposito, sicut benè obseruat Beza, nec ex ratione sacramenti & signi cõuincetetur cõiunctio realis corporis & sanguinis cum pane & vino, nec eorum participatio & exhibitio, sed nuda significatio. Attamen regula, tanquam lex quædam authentica, litem nostram cum Caluino potest decidere. Si enim sacramenta signa decet esse efficacia, vt exhibeant quod per suam institutionem significant, necessariò postulabitur in Cœnæ vsu percipi, non solam virtutem, vel efficaciam, vel vitam, *Regula Caluini falsa de efficacia Sacramentorum in genere.* *Regula Caluini suffragatur præsentiæ carnis in Eucharistia.*

vel quid abstractum de carne Christi, quoniam nihil horum verba institutionis indicāt, sed ipsum tantùm naturale Christi corpus totum & integrū: quandoquidē ipsum solū datum fuit pro nobis in mortē. Insuper quoniā non satis est rei significatæ veritatem administrari, sed paria sunt ex Caluino, ipsam illic adesse vbi signa sunt, & in substantia siue essentia cum ipsis coniungi, & sub illis apparere, indiuiduámque cum ipsis habere connexionem, ex necessitate conueniet verum Christi corpus eo pacto pani & vino copulari, & per ipsa tanquam per instrumenta sumi: nec inanitati signi succurret vel participatio efficaciæ, vel alterius cuiuscunque rei, quoniam Eucharistiæ institutio nō ista significat, sed veracissimum Christi corpus. Quo concesso, eisdem compedibus Caluinus se intricat, quibus nos inuoluit de natura corporis, ne pluribus in locis & in tātillo spatio concludatur, & de Christi sub elementis terrenis captiuitate. Quoad posterius, de comparatione locutionis Christi cum aliis similibus de scriptura per eam coguntur Caluinus & Beza præsentiam carnis Dominicæ in substantia sub signis fateri, ipsámque locutionem partim propriam, partim figuratam agnoscere, ne si purè tropica existimetur, signa non efficaciora demonstret, quàm oratio cuiuslibet hominis prophani, qui de signis & imaginibus proferat, Hic est Hercules, & ne in suspicionem fallaciæ & mendacij Christus veniat: potissimùm verò trahuntur ad hoc inuiti ex analogia similium propositionū in scriptura. Certè ex eorum probatione, etiamsi Christus nominatim proclamasset, *Hic panis est corpus meum*, non tamen exclusisset à pane corpus suum: imò significasset ipsi adesse præsentissimum ex analogia aliarum scripturarum, quæ sic loquuntur, quoties nitūtur declarare rei visibili alteram subesse occultam, taliáque proloquia volunt esse propria quoad rem & significatum, quandoquidem verè ac propriè prædicatum est in subiecto, sed quoad modū significandi & loquendi esse figurata, quādoquidem non propriè nec ad rigorem affirmationis vnum est alterū. Quid si scriptura nō vtitur figuratis illis loquendi generibus, nec in sermone Christi de Cœna, nec in aliis quibuscum confertur per analogiam? Non enim Christus dixit, Hic panis est corpus, nec columba prædicatur esse Spiritus sanctus, nec arca, nec rubus pronuntiantur esse Deus, sed in re sensibus oblata, quid esset Christus extulit, cum ait, *Hoc est corpus meum*, & in aliis describitur visus Deus & Spiritus: in qua loquendi phrasi quod metonymiæ vestigium, aut quæ improprij sermonis figura? Itaque cùm saltem Christus non eo modo sit effatus, qui figuram faciat, reliquum orationis proprium esse Caluinus & Beza cōcedant opus est, & rem demōstrari, quæ in substantia pani visibili subiaceat. Id auctarij autem dant illi, vt nihilominus ex stylo veteris & noui Testamenti intelligatur corpus Christi præsens in signo panis laterē, sicut Spiritus in columba, & Dei præsentia in arca, etiamsi scriptura ita proloqueretur, *Panis est corpus meum*, Arca & rubus est Deus, Colūba est Spiritus. Rectè autē confutat Caluinus alios tollentes per verba Christi corpus à pane, rū ex analogia scripturarum, tum ex blasphemia Christo irrogata, quasi vnū promeret ore, & aliud premeret corde, cùm nō legāt ab ipso dictum, Hoc est inane signū corporis mei, sed, *Hoc est corpus meū*, quod inanitati de ipso corpore repugnat, tū ex cōditione signorum & sacramentorū, quę Deus nō solet inania instituere. Hoc quidem vltimum non admodum vrget, si producatur vniuersaliter. Etsi enim concludatur sacramēta non esse signa inania, quæ à Deo efformantur, non tamen cōsequitur: ergo suū significatum in rē præsentem adducunt, cùm alios plerosque effectus possint gignere, quorū causa non sunt inania: sicut Eucharistia, quamuis priuaretur carne Christi, tamē quia cum fide gratiam pareret, & alia Dei beneficia impetraret, non esset inanis & vacua. Nec si protinus, cùm sumitur sacramētum, rem signatam

Analogia verborum Christi cum aliis scripturis infert necessariò præsentiam & existētiam carnis in Eucharistia.

Tria principia Caluini pro existentia corporis in Sacramento, quæ cōtra ipsum retorquentur.

non exhiberet, ob id signum efficax & vanum deberet censeri, sufficeret vt aliquãdo & suo tempore rem illam conferret. Attamen si quod tanti facit Caluinus de sacramentis axioma, particulariter accommodaret ad illa, quæ in nouo Testamento condidit Christus, valeret talis consecutio ex natura talium sacramentorum, ne signa iudicentur esse inania, & re quam indicant, & qua per suam institutionem cum elemento constare ostenduntur, propter differentiam inter vtriusque Testamenti sacramenta. Proculdubio nihil dici potuit expressiùs & manifestiùs pro præsentia carnis & sanguinis in pane & vino, quàm quæ ex Caluino & Beza produximus, nisi suo more telam retexerent, & ad fallendum aliter loquerentur, aliter intelligerent. Tãtum abest, vt propter Christi institutionem signis arrogent rerum præsentiam, quòd nullius efficaciæ aut virtutis esse, nisi per Spiritum Christi, & per fidem suscipientium existiment, sine qua nullam rerum cum signis intercedere coniunctionem tentur, & quæ interuenit, non iam sentiũt esse realis præsentiæ & substantialis, sed habitudinis & analogiæ, id est, vt tam verè nobis exhibeatur corpus Christi, quàm verè ipsum significant signa, & nobis exhibentur, ac tum nobis offeratur, cùm offeruntur signa: sed non propiùs admoueri signis corpus & coniungi, quàm cœlum terræ. Ita definit coniunctionem signorum & rerũ Caluinus his verbis: Sunt qui fatentur panem Cœnæ verè esse substantiam terreni & corruptibilis elementi, nec quicquam in se pacti mutationis, sed sub se habere inclusum Christi corpus. Si ita sensum suum explicarent, dum panis in mysterio porrigitur, annexam esse exhibitionem corporis, quia inseparabilis est à signo suo veritas, non valde pugnarem. Et vt finitum corpus Christi pro perpetua corporis humani ratione minimè ambigimus, cœlóque contineri, quò semel receptum est, donec ad iudicium redeat, ita sub hæc corruptibilia elemẽta retrahere ipsum, aut vbique præsens imaginari, prorsus ducimus nefas esse. Neque id sanè opus est, quò ipsius participatione fruamur, quãdo hoc beneficij per Spiritum suum nobis Deus largitur. Vinculũ ergo istius coniunctionis est spiritus Christi, cuius nexu copulamur, & quidã veluti canalis, per quẽ Christus & est, & habet, quod ad nos deriuatur. Nam si solem conspicimus radiis in terrã emicantem ad generãdos, fouẽdos, vegetendos eius fœtus, suam quodãmodò substantiam ad eam traiicere, cur inferior spiritus Christi esset irradiatio ad cõmunionem carnis eius ad nos traducendam? Beza verò quærit: Sed quænam est illa sacramentalis coniunctio? Ea videlicet, quæ efficit vt sacramentum nõ sit simplex aliquod signum, seu memoriale, seu inanis pictura, sed tale, vt præter symbola quæ in externos sensus incurrunt, verè etiam à Deo detur, & à fidelibus percipiatur res ipsa, quam externa illa symbola nobis vnà cum Dei verbo testificantur. Ex his opinor nihil signis efficaciæ reseruant, præter significandæ vel testificandæ cuiusdam habitudinis inter ipsa & corpus Christi participandum. Sed hæc proprio Caluini gladio facillimè licet iugulare. Primũ ex analogia sermonis Christi, quam ipsemet Caluinus approbat & confirmat cum paribus scripturæ locutionibus. Quamuis Christus effaretur, *Panis est corpus meum*, similem pareret intelligẽtiam, quam similes illi propositiones, vt est, Arca, vel Rubus est Deus: Petra erat Christus: Columba erat spiritus. Istæ verò non coniunctionem tantùm analogicam & habitualem rerum significatarum cum signis enarrant, sed ex phrasi scripturæ & ex rei veritate coniunctionem, quæ præsentiam in substantia sub signis exprimat & exigat. Nam verè Deus & essentialiter insidebat arcæ, & spiritus columbæ, & Christus & filius Dei petræ, etiam authore Caluino, & ad singularem horũ præsentiam explicandam tales locutiones scripturæ Caluinus adhibet, ne tãtùm significatos ab illis signis putemus. Nec certè Deus à rubo aberat, quantum cœlum à

Fallacia Caluini et Bezæ de coniunctione rei cum signo.

Cal. lib. 4. instit. num. 16. et 12.

Beza in Hesshus.

Coniunctio efficax cũ signis, quã ponit Caluinus, refellitur eisdẽ fundamentis, quibus contra ponentes pura signa vtitur.

terra, cùm indè Mosi edebat oracula, nec Spiritus tanto spatio distabat à columba, nec filius Dei à petra, de qua fundebat aquam. Cum igitur talibus respõdeat, *Panis est corpus meum*, præsentiam corporis in pane importabit, & non solùm habitualem quandam efficaciam, nec tantum separabitur à pane, quantum cœlum à terra. Nec de aliis signis & sacramentis, quæ ad Christi corpus per institutionem gesserunt illam analogiam, scriptura vtitur simili affirmãdi genere. Non dixit Agnum Paschalem esse corpus Christi, non Manna, non Panes propositionis, nõ Circuncisionem esse purgationem peccatorum, quamuis talium signorum secundum Caluinum & nos aduersarios is esset respectus ad sua propria significata per institutionem, vt in sumptione illorum offerrentur à Deo ipsa significata credentibus & fidelibus, vt fieri volunt in Eucharistia. Cùm igitur expressiùs attribuatur corpus Christi pani per verbum Dei, quàm signis illis, quæ Caluinistæ etiam pari modo vocant efficacia, quo nostra sacramenta: oportet corpus ipsum pani propinquius effici & coniunctius, quàm aliis illis signis: multo verò magis id requiritur, cùm non figurata oratione Christus dixerit, *Panis est corpus meum*, sed simplici ac propria, quasi digito demonstraret, *Hoc est corpus meum*. Quis verò ad nos fallendos potuit esse Christi sermo accõmodatior, quàm qui asseuerat corpus suum adesse in re præsenti quam tradebat, cùm tamen ab ipsa maximo interuallo quod excogitari potest, id est, toto cœlo & terra dissideat? Sin contrà sermo per se ostendit panẽ & vinum in præsentia, ergo & corpus ac rem significatam, quoniam eodem modo & eadem orationis forma vnum & alterum enuntiat. Quòd si non alia corporis & sanguinis Christi appropinquatio & copula ad panem & vinum contingeret, non solùm nostra sacramenta redderentur signa vacua, sed minus efficacia, atque etiam minus significantia, quàm vetera quæcunque à Deo instituta. Qua enim re magis opplerẽtur quàm sint ex natura, aut quid amplius de corpore & sanguine continerent, quàm nuda signa, aut quonã pacto penitiùs exinanientur rebus significatis, quàm si ab ipsis tam longè remouerantur, quàm cœlum à terra? Theodoretus sanè, cui credere simulabat Beza, panem scripsit nominari corpus Christi, & eius symbolum fieri per corporis accessionem ad ipsum, & eam mutationem, quæ sic fit per gratiam. Nisi enim pani accederet, cur panis potius diceretur, quàm quiduis aliud quod potest significare? Sin propter virtutem & efficaciam ad percipiendum corpus Christi, nostra signa non remanent inania, quæ virtus ipsis à Caluino inditur, siue ad exhibendum, siue ad suscipiendum carnem & sanguinem Domini, quæ à spiritu exhiberi & traduci ad nos, non per ipsa sacramenta, ne terrenis elementis inuoluantur, & per fidem solam excipi ostendit. Ita sanè iure respondebitur, fidei carnem ipsam coniungi, & non sacramento, & illam à fide contineri, non à sacramento, omniáque quæ solent sacramentis tribui, fidei deberi, vt esse exhibitiuum, & canalem corporis Christi, ac denique fidem esse sacramentum corporis Christi, cuius virtute, officióque fungatur & vices gerat, ipsum verò manere inane spectrũ. Ac ne vim quandam sacramentorum & vsum arbitraremur requiri, vt spiritus & fides in nos cœlo deducant corpus Christi, fidem non vult Caluinus affigi sacramento, aut ipsum attendere, sed in cœlum præterito sacramento attolli, vbi sedet ad dexteram patris corpus Christi, quod antè & sine sacramento non dubitat tam perfectè sumi quàm in Cœna. Quæ virtus ergo vel efficacia restabit sacramento? Nulla prorsus, & minor quàm signis olim decretis à Deo. Quamuis enim Deus ipse sanitatem conferret, & fidem ad eam applicandam fortassè deposceret, nihilominus vnà aspectum in Serpentem æneum, signum sanitatis à se erectum, volebat, nec nisi per eum morbo medebatur. Sed Caluino ne quidem vsum sacramenti necessarium

Ne quidem per Caluinũ sacramentum esset carnis vllo pacto exhibitiuũ.

Minus efficax signũ esset Eucharistia, quã multa Iudaica, & quàm pura signa.

cessarium esse placet ad obtinẽdum corpus Christi, nec quicquam eius vsui facultatis vendicat, quàm vt ex sensibus fidem moueat, excitet, & hortetur ad rapiendũ corpus Christi è cœlo, quod pro mensura fidei participari tradit, non pro dignitate, vel vsu sacramenti, per quod nihil amplius nos assequi opinatur, quàm fides mereatur. Atqui eo pacto quicquid efficaciæ defertur sacramento ad fidem augendam, non ad rationem & efficaciam sacramẽti pertinet. Non enim Eucharistia vel Cœna signum est vel sacramentum fidei ex sua institutione, sed corporis Christi, atque etiam pura signa tantum significantia propter hoc censebuntur efficaciora, vt fuit lingua Pauli, eius auditio & lectio, quæ vehementius fidem mouebant & acuebant, & nunc acuere possunt, quàm muta & terrena elementa. Si quid ergo efficaciæ ex sua institutione, & ratione sacramenti retinet, oportet illud valere ad præsentiam & exhibitionem corporis Christi, vt id per se possit, etiamsi vnà fidem desiderat, & sine ipso non fiat quod signat. Quamobrem cùm sacramentum à sua re significata toto cœlo distet, & huius exhibitio ac perceptio ab ipso separari queat, ac sine eius opera & vsu perfici, non solùm inane signum redditur, sed inefficax, egenum, & infirmum, ac magis quàm ex Mosaïcis vllum: quãdoquidem nec cum fide nec sine ipsa quicquam propriæ energiæ vel virtutis exerat, vel rei cœlestis contineat. Quinetiam quod horreo dicere, non efficacius erit sacramentum carnis Dominicæ, quàm damnationis & diaboli. Etenim si censetur duntaxat efficax, quia in eius digno vsu per fidem & Spiritum sanctum ad nos deriuatur corpus Christi, eodem modo per infidelitatem & in illius sacramenti indigno vsu recipitur damnatio, & Satanas in cor nostrum irrepit, vt in Iudam intrauit post buccellam: Ideò sacramentum tam erit efficax ad diabolum, quàm ad corpus Christi, & tam verè licebit pronuntiare, Hic panis est damnatio & diabolus, quàm est corpus Christi. *Nõ esset magis efficax signũ carnis Dominicæ, quàm damnationis & diaboli.*

Vnum superest, vt inuestigemus, an Caluinus & Aduersarij alij saltem statuant sacramentum efficax fideli in significando, vt tam verè exhibeatur in vsu sacramenti & Cœna res significata, quàm sumitur signum. Profectò Eucharistia per suam institutionem non significat vigorem, nec virtutem, nec influentiam, nec quicquam minus quam ipsammet corporis substantiam naturalem totam & perfectam. Non enim verba Christi, *Hoc est corpus meum* quod probis datur, aliud ad sensũ Aduersariorum annunciant, quàm panem esse signum & sacramentũ corporis, quod pro nobis neci fuit deditum. Idcircò si sacramentum saltem fideli efficax est in significando, non satis fuerit ipsi offerri corpus illud in sua substantia naturali & integra, sed debet ab ipso recipi, quacunque virtute & modo illud fiat, quoniam sacramẽtum per suam institutionem & vsum non tantùm denotat offerri corpus illud, sed in veritate recipi & manducari: alioqui periret analogia signi & signati, nec signi significatio efficax inueniretur, & ad effectum perduci. *Ne quidẽ Aduersarij faciũt Eucharistiam signum efficax in significãdo.*

Aliquando Caluinus idipsum vrget, vt in his: Frustrà iuberet suos Dominus panem edere, corpus suum esse affirmans, nisi effectus verè ad figuram accederet. Nec verò inter nos agitatur hæc quæstio, verè ne an tantùm significatiuè seipsum Christus in Cœna nobis fruendum offerat. Etsi enim nihil illic præter panem cernimus, non tamen frustratur nos vel ludit, qui animas nostras suscipit carne sua elendas. Vera igitur, non signo tenus monstratur, sed reipsa quoque exhibetur carnis Christi manducatio. Et alibi: Audio quid verba sonent. Neque enim mortis tantùm ac resurrectionis suæ beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum, in quo passus est, & resurrexit, cõcludo realiter, hoc est, verè nobis in Cœna dari Christi corpus, vt sit animus nostris in cibum salutarem. Beza subscribit hac clausula: Extra controuersiam est, tam verè sumi & offerri à Deo, & à fidelibus percipi, non tantùm fructum corporis & san- *Cal. in Harm. in 6. ca. Ioann.* *Cal. in ca. 11. 1. Cor.* *Beza in Hesbus.*

guinis, sed etiam ipsissimum corpus & sanguinem Christi, quàm verè offeruntur „
externa illarum rerum symbola, id est panis & vinum. Non quærimus modo, quo „
vehiculo nobis exhibeatur quod percipimus, an spiritus potentia, an fidei an sacramenti canali, modò decidatur quid rei ad nos defluat, & cognoscatur an congruat institutioni & significationi signi, vt efficax saltem in significando intelligatur. Plerunque Caluinus & alij assentiuntur ad nos traduci & deriuari verum illud corpus significatum, & tam verè à nobis comedi ac capi, quàm eduntur signa: attamen cùm premuntur de contradictionibus quas committerent, si sic haberet, eò tãdem se demittunt, vt pro corporis illius vera substantia solam efficaciam, vitam, virtutem, & vigorẽ ab illo corpore substituant, quam referamus in nobis de Cœna. Alioqui si verum corpus ad nos perueniret, quacunque virtute spiritus vel fidei contingeret, in pluribus locis existeret, vbi nos agimus, manente ipso in cœlo, à quo non permittunt digredi, & manente distantia ipsius reali à nobis, ac separatione tanta, quanta iacet inter cœlum & terram: nihilominus in substantia vera, quæ passa est, nobis realiter oportet coniungi, atque ita realiter separari & coniungi, quod manifestam repugnantiam includit: Cogerentur insuper fateri illam substantiam extare in nobis sine demensionibus corporis, aliísque absurdis, quæ de proprietatibus naturæ humanæ consueuerunt contra existentiam in sacramento blaterare. Itaque ne quidem per aduersarios veritas rei significatæ etiam per solam analogiam sacramento coniungitur, & ab ipso exhibetur, ac ne quidem signum est efficax in significando, quoniam plus significat quàm in veritate ad nos etiã virtute spiritus fateantur traduci. Quòd si saltem expleretur significatio, nihil absurditatis affert carnis præsentia in signo: quod non accideret, vbicunque poneretur rem significatam à nobis in veritate sumi. Qua de causa Aduersarij, siue scripturas sequantur, siue sacramentorum efficaciam & virtutem, etiã in significando, non inueniant vnde spolient meritò Eucharistiam re sua significata.

Eucharistia nõ erit efficax signum in obsignando.

Sed nec sacramentum hoc erit efficax tessera & signaculum aliarum rerũ, quas debet obsignare, & ratam ac certam promissionem nobis reddere. Conuenit inter nos ex Apostolo Testamentum non feriri sine sanguinis effusione, ac ne quidem vetus sine sanguine fuisse percussum & dedicatum, cùm Moses dixit in aspersione populi, *Hic est sanguis Testamenti* quod mandat ad vos Deus. Conuenit itidem nouum Testamẽtum iniri tessera ac pignore sanguinis & corporis Christi in Cœna: de quo dicitur, *Hic est sanguis noui Testamenti*, qui pro vobis funditur in remissione peccatorum.

Cal. in cap. 24. Exod.

De his ista Caluinus: Summa est, sanguinem fuisse quasi intermedium, vt fœdus firmum esset ac stabile, quia „
dimidia parte irrigatum altare, quasi sacra Dei sedes, aspersio deinde residuæ partis „
facta fuit super populum. Vnde colligimus, fœdus gratuitæ adoptionis percussum „
fuisse cum veteri populo in salutem æternam, quia Christi sanguine sub vmbra & „
typo obsignatum fuit. Quòd si hæc doctrina viguit sub Lege, multo magis hodiè „
apud nos locũ obtineat, necesse est. Itaque vt Dei promissioni sua cõstet vis ac certitudo, semper hæc obsignatio in medium veniat, ac meminerimus Christi sanguinem ideò semel fusum, vt fœdus, quo vocamur in spem regni cœlestis, cordibus „
nostris insculperet. Qua ratione Christus in sacra cœna sanguinem suum, tanquam „
sigillum noui fœderis commendat. Addit alibi: Hic calix nouum testamẽtum est. „

Cal. in cap. 2. 1. ad Cor.

Quod de calice prædicatur, pani etiam competit. Ideò enim nobis est, vt sit testamẽtum in corpore, id est fœdus, quod semel immolatione corporis sancitum fuit, „
& nunc sancitur vescendo, dum scilicet de sacrificio illo epulãtur fideles. Fusus sanguis fuit, vt nos reconciliaret Deo, & nunc bibitur spiritaliter à nobis, vt reconciliationis simus participes. Quare in Cœna & fœdus habemus, & pignus fœderis „
confirma-

confirmatorium. Controuersia inter nos restat, an sanguis inuisibiliter ac spiritaliter haustus, possit tesseræ noui Testamenti obire vices, an in re sensibili interuenire debeat. Prius Caluinus asserit, nos posterius. Imprimis definitione fœderis nitimur, quod est mutua quædam pactio inter duas vel plures, diuersásque partes, certis verbis & ritibus vel ceremoniis quibusdam, non sine iuramento aut etiam sacrificio facta, qua sese inuicem sanctè obligant ad certa commoda mutua præstanda. Ita se habuisse fœdera, quæ Deus cum hominibus pactus est, in prima Repetitione probatum fuit: nec opinor Aduersarios reluctaturos, quoniam ex eo quòd sacramenta quædam sunt fœdera inter Deum & homines, definiunt esse symbola externa, quibus beneuolentiæ suæ erga nos promissiones Deus obsignat, & Beza vocat signa seu certas notas, ac visibilia testimonia à Deo constituta in perpetuum vsum Ecclesiæ. Cur autem fœdera illa sub sensum cadere debeant, causa est, vt de promissis & de contractu certa fides fiat nobis à sensibus, quibus solemus magis fidere & affici, cùm animales simus, quandiu in corpore degimus, nec possumus aliter quid habeant animi nobiscum contrahentes cognoscere. Ad eam infirmitatem nostram etiam Deus voluit se demittere. Proinde sicut verba sensibilia desideramus ad contrahendum, ita & notas ac tesseras sensui obiectas, quibus fides promissionum obsignetur & confirmetur. Nam si totus contractus fœderis, quiddam valde perceptibile, & in corpus incurrens esse debet, vt nobis de promissionibus ac rebus latentibus apertè potentérque testetur, ac quasi sensibiliter obsignet, multò profectò magis id externum esse debet, quod de hoc ipso teste testari debet. Sic omnium fœderum tesseræ sensibus subiacuerunt, siue in circoncisione, siue in Legis promulgatione, siue in Agni Paschalis manducatione, & omnium victimarum manducationes longè palpabiliores extiterunt ipsis fœderibus: imò ne quidem spiritus adoptionis nostræ & fœderis initi cum Deo pignus & arrabo esse potest, ac eam obsignare, & testimonium reddere spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, nisi se prodat & exerat in re sensibili, ac faciat nos clamare, Abba pater. Quapropter vt corpus & sanguis Christi in Cœna sint tessera & arra, qua Deus Testamentum nouum in ipsa nobiscum fecit de remissione peccatorum, & obsignet, externas notas ac sensibiles esse eas oportet. Certè solus & nudus panis nec purum vinum noui Testamenti pignus esse potest, quia ex Apostolo sanguine opus sit ad Testamenti etiam veteris signaculum, & Christi proprio sanguine ac corpore ad noui arrationem, nec panis & vinum queunt obsignare, atque certum testimonium ob oculos ponere promissionis in nouo Testamento interpositæ de remissione peccatorum, sed solus sanguis Christi effusus, & caro passa sufficienter & indubitanter valent de hoc testificari, & certitudinem afferre. Ideò ex conditione noui Testamenti, & promissi in eo facti, sanguis & caro Christi tesseras & signacula esse necesse est in Cœna: & ex ratione tesseræ & signaculi de fœdere contracto, & promisso interposito, externas res esse decet, & in re sensibili proponi, sicut omnium aliorum fœderum sigilla coram adhiberi solent, ac debent. Quemadmodum enim sigillum abruptum à literis, facit irritas, atque vt firmæ sint, requiritur sigillum indiuulsum ipsis hærere, ita etiã sacris fœderibus propria signacula. Quoties Aduersarij student huic argumento occurrere, & alteri de duabus rebus, quibus constet sacramentum, tum recedunt à definitione sacramenti, qua signum externum esse iubent, & verba Christi *Hoc est corpus meum*, pro sacramento seu signo externo corporis interpretantur, eóque confugiunt, vt sacramentum iam non significet elementa panis & vini, aut aliquid in rerum natura per se existens, sed actionem totam Cœnæ particularibus actionibus externis coalescentem, vt verbis, elementorum sumptione, atque aliis ritibus. Sic

Oportet corpus & sanguinem Christi existere in re sensibili, vt sint tessera noui Testamẽti, & eius promissiones obsignentur.

Beza in cõfess.

Quare fœdera & eorum pignora debeant esse externa & sensibilia.

Ad Rom. 8.

Aduersarij sacramentum capiunt, non pro re externa, sed pro actione externa & interna, vt eadem.

enim postrema confessio Heluecticarum Ecclesiarum & Geneuensium de signo & signato loquitur. Obsignatur item hac sacra Cœna, quòd re vera corpus Domini pro nobis traditum, & sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet. Et quidem visibiliter hoc foris sacramento per ministrum repræsentatur, & veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima inuisibiliter per ipsum Spiritum sanctum præstatur. Foris offertur à ministro panis, & audiuntur voces Domini, Accipite, edite, *Hoc est corpus meum.* Ergo accipiunt fideles, quod datur à ministro Domini, & edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini: intus interim opera Christi per Spiritum sanctum percipiunt etiam carnem & sanguinem Domini, & his pascuntur in vitam æternam. Etenim caro Christi & sanguis, verus cibus & potus ad vitam æternam. Christus ipse, quatenus pro nobis traditur, & Saluator noster est, illud præcipuum est, nec patimur quicquam in locum eius substitui. Rectè quidem obsignant fœdus nouum, & eius promissum, signo Cœnæ externo verborũ & ceremoniarum: sed vt externa verba profitentur adesse verum pignus ac certam tesseram noui Testamenti, qua ipsum & promissum eius sine dubitatione obsignantur & confirmantur, ea verò est corpus traditum pro nobis & sanguis effusus, sic ipsa tam in sigillo externo inesse debet, quàm verbis prædicatur. Sin respondetur tantùm prædicari, quòd detur pro pignore signum corporis & sanguinis, & non corpus ipsum & sanguis, ob ídque horum signa etiam sola pro certa tessera noui Testamenti, & promissi ex eo pendentis assignari, responsum ferri nequit: quandoquidem tesseram noui Testamenti conuenit esse externam, de vero sanguine, & non alterius quàm Christi: quæ tria excludunt à sigillo noui Testamenti omnes figuras, & signa corporis Christi, etiamsi de vero sanguine brutorum, vel etiam hominum martyrum constarent. Hoc fassi Caluinus & Beza, concedunt sacramenta, ac maximè Cœnam, esse fœdus nouum, quo paciscitur Deus nobiscum de vita & æternis beneficiis per Christum: sed sacramẽtum hoc & fœdus duabus actionibus constare pro rebus, vna terrestri, qua sumuntur elementa, & altera cœlesti, qua mens & fides rapitur in cœlum ad possidendam ibi carnem Christi & sanguinem. Vtramque actionem vocant Cœnam Domini: vix tamen ab ipsis impetrabis, vt nominetur sacramentum, tametsi nonnunquam ipsis excidat, & tacitè consentiant, cùm faciunt Christum substantiam sacramenti, & elementa panis rem terrenam & signum. Nouum fœdus & Cœnam non refragantur sanciri & obsignari esu & haustu carnis & sanguinis Christi, sed spiritaliter per fidem in cœlo hausto, non in elementis & visibilibus signis. Atqui vt fœdera & sacramenta sunt pacta & testimonia publica & sensibilia, vt esse oportere nunquam non illi scribunt: ita multò magis sanciri debent, & obsignari in re præsenti, sensibili & externa tessera, non solùm propter rationes allatas, quia si Cœna & fœdus fit in terris, & sigillum eius retinetur in cœlis, longissimè distrahitur sigillum à suo diplomate & fœdere, sicque fiet fœdus incertũ. Deinde ea est natura pignorum, vt eorum author & primus Dominus in fœderibus faciendis nõ ea apud se reseruet, sed in manus potestatémque illi tradat, quem debẽt certum facere de fœdere, vt minimè dubitet de contractu & promissione. Quòd si author ea penes se manere voluerit, necessariò tota pactio irrita fit, ac promissio dubia & suspecta, vt quam nolit obsignare promissor. Itaque cogit necessitas, corporis & sanguinis tesseras, arras, sigilla, & testimonia fœderis noui coràm in sacra Cœna præberi, ac veluti penitùs in potestatem nostram ac realem possessionem tradi, sicut & verba Christi sonant de coràm dato corpore & sanguine non procul alicubi extra nostram potestatem monstrato. Quinetiam audiuimus ex Caluino, corpus & sanguinem

Ad pignus noui Testamenti nõ satis est res externas dari, sed oportet esse Christi sanguinem.

Internæ actiones nõ possunt esse tessera noui Testamenti, nec res quæ apud Deum in cœlo detinẽtur.

guinem Domini ideò propriè in sacra Cœna adhiberi, vt nouum fœdus illis sacrosanctis pignoribus sanciatur ac constabiliatur, vt olim vetus à Moyse. Et quidem confitetur Caluinus sanctionem noui fœderis fieri bibendo & comedendo sacrosancta pignora, ne quis eam confirmationem tantùm in cruce factam cauilletur. At in veteri fœdere, tessera fœderis verus sanguis fuit in exteriori ritu & signo consistente, vt pote in hyssopo, quem vt ibi adesse Moses dixit, *Hic est sanguis Testamenti* quod mandauit ad vos Deus. Cùm itaque Christus simili ritu panem & vinum cepetit, vt in ipsis re vera extare tesseras noui Testamenti, sicut natura fœderis noui postulabat, ostenderet, idem quod Moses pronuntiauit, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis noui Testamenti.* Moses quidem prius dimidium sanguinis obtulit Deo, qui licet propriè ipsi exhiberetur, fide tamen à piis omnibus omni loco & tempore apprehendendus, tanquam signum sanguinis Christi, qui Deo offerendus erat. Attamen præter illam Deo factam externo ritu oblationem vbique fide conceptam, fuit necessaria sanguinis exterior aspersio in populum, ex natura fœderum, quæ eorum tesseram vtrique parti contrahentium externa actione dispensari ad mutuæ obligationis testimonium exigit. Eo pacto in nouo fœdere sanguinem oblatum patri ad complementum eius ex parte diuina fide complecti & haurire debemus omni loco & tempore, ad percipiendos fructus fœderis: nihilominus ad obsignandum & ratificandum fœdus ex nostra parte quęritur iuxta formulam fœderum nobis illum tam verè externo ritu communicari & impartiri, quàm fuit patri. Adhæc haustus & participatio spiritalis de sanguine Christi, efficacia & fructus est fœderis, vt omnia spiritalia beneficia, quæ propter illud fœdus de Christo referimus: sed quæritur de tessera, qua fit & contrahitur. Hoc animaduertit Beza. Quamuis enim cum Caluino affirmet, non semel nouum fœdus percuti Christi sanguine, attamen censet totam illam internam & spiritalem fruitionem Christi, eiusque beneficiorum esse rem obsignandam sacramento & fœdere, non autem obsignare fœdus. Verba sunt: Illud autem prorsus ineptè à te dicitur per corpus & sanguinem fidem in nobis obsignari, cùm potiùs corpus & sanguis sint res ipsa ac materia sacramenti, quàm in nobis obsignari vnà cum tota ipsorum efficacia oportet. Itaque Beza aut secum diffidet, aut sanguinis externam potionem agnoscere cogetur pro signaculo noui fœderis, & internam pro re quæ obsignetur. Postremò ea cæcitate percelluntur Aduersarij, dum vnam existentiam carnis ab Eucharistia cupiunt eripere, vt iam nesciant vllam efficaciam cuiquam sacramento dignam Christo & nouo Testamento definire, ac ne quidem certam aliquam & efficacem significationem verbis statuere, quibus fertur institutio, nec rei institutæ tradere, nec vbi, nec quando, nec quibus rebus constet & perficiatur inter homines sacramentum statuere, quorum vt consuleretur infirmitati, fuit conditum: sed in chaos antiquum omnia sacra redigunt, ac cœlum terræ miscent, antequàm suis partibus componi queat sacramentum, cuius significata potissima nusquam inueniatur in terris, vt saltem à piis sacerdotibus administrentur, & à fidelibus recipiatur. Donatistæ mentiebantur sola elementa ab impuris sacerdotibus conferri, & ab indignis sumi: res verò ipsas nusquam ausi sunt opinari manibus piorum ministrorum fidelibus nō pręberi: nec de hoc illos vnquam increpauit Ecclesia, sed tantùm de eo quod in potestate ministrantium & sumentiū indignorum tantum ponerent elementa seu signa, & non res ipsas. Aduersarij longè deteriores, de dantium etiā bonorum manibus & ministerio rem sacramenti tollunt, ac Deo reseruant, cui soli competere aiunt ipsam offerre, non intra Ecclesiam terrenam, ne pluribus in locis habeatur verum

Exod. 24.

Beza in ca. 26. in Matt. & in ca. 5. 1. ad Cor.

Beza dialog. 2. in Heshuß.

Aduersarij de omnibus incerti, omnia confundunt, nec sā sacramento in

Ecclesiæ militanti esse & præberi etiam fidelibus statuunt.

Christi corpus, res Eucharistiæ præcipua, sed intra cœli septa, ne corpus moueatur loco: atque ita iam sacramenta non sunt fori Ecclesiastici maxima sui parte, nec in Ecclesia militanre dantur & administrantur: nec rantùm non exhibentur ab indignis, sed ne quidem à diuinissimis ministris: imò nec magis etiam recipiunrur a fidelissimis hominibus, quàm præbeantur à bonis, ne infra cœlum inrercipiatur hic adesse alicubi, aut pluribus in locis ipsa caro Christi, si semel hîc deprehendatur verè capi. Denique ne nobiscum sit Dominus, malunt fœdus sacrosanctum Dei propter Christum nobiscum percussum violare, sine sua tessera necessaria irritum facere, & promissa omnia nobis in illo facta in dubitationem & incertitudinem venire: tantæ impietatis est nole Christum in vna Eucharistia fateri & venerari. At (inquit Caluinus) nolumus cœlesti Christi gloriæ derogari, quod fit cùm sub corruptibilia huius mundi elementa reducitur, vel alligatur vllis terrenis creaturis. Ac ne quid sacramentis acceptum ferretur, Cingliani initio clamitarunt, ne quidem Dei beneficia esse alliganda ad ista egena elementa, sed tantùm in cœlo quærenda per sursum corda: quos tamen cùm Caluinus redarguit, seipsum condemnat: & hæc de hæresibus vna est, quas Aduersarij à Gnosticis & Valentinianis refricarunt, de quibus Irenæus ista narrat: Alij omnia elementa recusantes, dicunt non oportere inenarrabilis & inuisibilis virtutis mysterium per visibiles & corruptibiles perfici creaturas, & ea quæ mente concipi non possunt, & incorruptibilia, & insensibilia, & corporalia. Tertullianus verò contra quam existimat Caluinus, Deo sapientiæ & potentiæ atque gloriæ verti declarat, infirma elementa mundi eligere, vt confundat fortia. Nihil (inquit) adeo est quod obdurer mentes hominum, quàm simplicitas diuinorum operum, quæ in actu videntur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur. Prò misera incredulitas! quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem. Eo magis mirandum, si quia mirandum, idcircò non creditur. Qualia enim decet esse opera diuina, nisi super omnem admirationē? Nos quoque ipsi miramur: sed quia credimus. Cæterùm incredulitas miratur, nō credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. Stulta mundi elegit Deus, vt cōfundat sapientiam eius, & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam si Deus & sapiens & potens, quod etiam prætereuntes eum non negant, meritò in aduersariis sapientiæ, potentiæ, id est, in stultitia & impossibilitate materias operationis suæ instituit: quoniam virtus omnis ex his causam accipit, à quibus prouocatur. Serpsit hæc hæresis in Manichæos & Origenistas, vt ex Augustino & Theophilo Alexandrino videre est, & eam prima Synodus Nicena de baptismo, sicut in hoc capite legetur, damnauit, & de Eucharistia quoque, vt allegamus in secunda Repetitione: vbi vetat Synodus spectari tantùm humilia elementa, sed Agnum sub ipsis in altari iacentem, qui à sacerdotibus offertur. Nostra ætate Suenkfeldius & spiritales Anabaptistæ veterem illam hæresin refricarunt, ac sacramenta prorsus conculcarunt: quorum cum ratione conspirant hoc loco Aduersarij, quasi indignum sit Christo & Deo rebus terrenis se immiscere: quæ impietas, vt Theophilus concludit, vergit in atheismum, & eorum qui negabant Dei prouidentiam & præsentiam, ad ista inferiora elementa prorogari & extendi, tanquam Dei dignitati parum conueniret tam sordidis rebus interesse. Hîc non rationes iterum commemorabo, propter quas ita sacramento obuolui Christum decuerit, quoniam ex Patribus eas in secunda Repetitione coaceruamus. Nunc tantùm dicam non esse tam absurdum quàm aduersarij clamant, sicuti nec Deum ipsum se pro suo arbitrio alicui terrenæ rei aut creaturæ suæ vnire: alioqui Deum accusent, qui se nubi, igni, tabernaculo, aliisque rerum formis adiunxerit, & spiritum

Cal. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 19.

An deroget carni Christi ipsum existere sub elementis sensibilibus.

Iren. lib. 1. cap. 18.

Tertull. de baptismo.

tum sanctum, qui hoc idem non abhorruerit, in columba, flamma, halitu, & vento. De quibus apparitionibus scribit Caluinus fuisse vera corpora, quibus se vniuerit Deus. Quanto verò Aduersarij plus indignitatis fuerint commenti, tanto magis agnoscant se obligari Christi bonitati, & sibi accommodent ista verba: Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quãto minus hæc Dei cõuenerint maiestati. Nõ ille eguit homo effici, per quem homo factus est, sed nos eguimus vt Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Humilitas eius nostra nobilitas est, cõtumelia eius houor noster est. Hinc repulsi Aduersarij confugiunt ad analogiam, atque conuenientiam sacramentorum noui Testamenti, vt persuadeant non magis carnem Domini pani inesse, quàm aquæ baptismi Spiritum sanctum, & vim regenerandi, quæ baptismi res ac pars cœlestis sit. Nos certè amplectimur consonantiam & similitudinem inter baptismum, Eucharistiam, & alia noui Testamenti sacramenta, sed videndum quatenus illa progredi debeat. Sacramenta proculdubiò septem esse credimus, & ideò quicquid ex sacramenti ratione ac proprietate conuenit, aliis non derogamus. Congruant in eo, quòd sunt tesseræ diuinæ liberalitatis in verbo promissę. Congruant, quòd externi sunt ritus, in quibus aliud videtur, aliud intelligitur. Cougruant in eo, quòd sint militares notæ, seu signa externæ professionis in Ecclesia, & in credentibus exercitium fidei. Congruant vniuersali fine & effectu, vt nostris morbis remedia adhibeant, & nos cum Deo concilient ac coniungant. Congruant etiam in ea quam tractamus proprietate, vt rem signo inhærentem exhibeant, duabúsque rebus, quandiu vere sunt & appellantur sacramẽta, in existentia coalescant, vna terrena, & altera cœlesti. Quẽadmodum igitur non refugimus, quin quæ omnibus sacramentis ex verbo Dei, & sanctorum Patrum concordia probabuntur cõmunia, deferantur baptismo, atque aliis singulis, ex ipsisque rursus ad Eucharistiam applicentur: ita iniquum iudicamus ex propriis vnius sacramenti argumẽtari ad alia, cũ satis liqueat sacramẽta noui Testamẽti non in omnibus esse consentanea & conueniẽtia: alioqui iam nõ duo, vel plura, sed vnicum prorsus euaderet, & eadẽ dicerẽtur, non autẽ multa & diuersa. Omnibus ergo suis proprietatibus singula discrepant, vt materia, forma, vsu, peculiari fine & proprio. De his enim singulis, non ex imaginatione, vel subtili ratiocinatione humana, à qua non pendent, sed ex præscripto Dei verbo statuendũ est, per quod illa instituuntur. Nam quid de baptismo, quid de Cœna sciretur, quis has ceremonias instituere fuisset ausus, nisi Christus præisset? Cur igitur à perspicuis Christi verbis de vnoquoque sacramento recedemus, & ex locis vbi nulla de ipsis fit mẽtio, nõ dicã expositiones, sed analogias & phãtasias ad peruertẽda institutionis verba accersemus? Itaque cùm baptismus & Eucharistia materiã propriã atque alia peculiaria vsque ad cõmunem finem nanciscãtur in scripturis, ex baptismi propriis conari cõtra Eucharistiã, hominis est abutẽtis verbis Christi, & hominũ patiẽtia. An de baptismo dicitur aliquãdo, Aqua est corpus meũ, siue, *Hoc est corpus meũ?* quid ergo ex baptismo prorsus dissimili sacramento nugamur? Baptismo induitur Christus, cum illo initur societas, efficimur caro de carne eius, & alia, quibus referti sunt Caluini & Aduersariorum libri, quid Eucharistiæ præiudicant, cùm varij sint modi participandi de Christo? Quamobrem ne perturbemus omnia, sed suis finibus diuidamus singula: tum erit pax & securitas religioni & Ecclesiæ. Neque verò ita loquimur, quasi putemus rem baptismi seiungi ab elemento aquæ, vt sacramentum duabus rebus diuisis & separatis constet: imò aquæ rem cœlestem accedere credimus, & coadunari, id est, spiritum ipsum, siue eius virtutem aquæ inhærere in existentia talis sacramenti, quod in ablutionis

Hilar. lib. 2. de trinitat.

In quibus cõueniant omnia sacram.

Ex analogia baptismi & Eucharistiæ probatur existere caro Christi in sacramẽto.

Baptismus in existentia sua duabus rebus constet.

actione cōſiſtit: vt inde per analogiā & conuenientiā baptiſmi tāto magis obtineamus carnē Chriſti in pane adeſſe & præberi, quanto ſermo de Euchariſtia habitus id cōteſtatur manifeſtiùs & luculētius, quàm qui de baptiſmo in ſcripturis legitur. De baptiſmo figuris veteris Teſtamenti delineatū fuit & adumbratum, quibus idcircò libètius vtimur, quòd ſint enucleatæ & explicatæ ab ipſis Apoſtolis, ac Patribus antiquis. Petrus Apoſtolus recitat familiam Noé cōſecutam ſalutem in mediis aquis diluuij, & nos eodem pacto ſaluos fieri baptiſmate. Cōfert enim aquas aquis, & effectum effectui, & modum modo, ita vt vtrinque ſalus non niſi in aquis côparetur. Textus eſt: Quando expectabant Dei patientiā in diebus Noé, cùm fabricaretur Arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquā. Quod & nos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma, nō carnis depoſitio ſordium, ſed conſciētiæ bonę interrogatio in Deum per reſurrectionem IeſuChriſti. Paulus traiectionē populi per mare rubrum, etiam declarat pertinere ad figuram baptiſmi. Tum certè per medias aquas euaſerunt vniuerſi, & hoſtis qui illos premebat à tergo, in eiſdē aquis miſerè occubuit: vt ſignificaretur liberari nos in ipſis aquis baptiſmi, & hoſtē noſtrum diabolum cum peccatorū ſatellitio in eiſdē aquis demergi. Naamā Syrus vnà cū noſtris Aduerſariis, indignū exiſtimabat Iordani fluuio vim purgādi à lepra præ aliis aquis tribui: nec certè fluuialis illa aqua habebat illā vim ingenitā, alioqui omnes leproſos curaſſet: attamē propter Dei per os Prophetæ inſtitutionē cœlitùs virtutē imbibit ad leprā eluendā & ſanandā. Nemini dubiū puto, quin illo miraculo baptiſmi natura prænuntiata fuerit. In Euāgelio Ioānis quaſi ob oculos ponitur baptiſmalis aquę dignitas, quæ annexā habeat vim cœleſtē, in piſcina Hieroſolymitana. Aqua ſtupebat ex ſe, nec niſi mota de cœlo proderat: ſed poſtquàm Angelus aquis ſe immiſcuerat, vim imprimebat omnibus morbis ſalutarē. Nec fruſtrà Chriſtus cæcū à natiuitate miſit ad natatoriā Siloé, vt viſum reciperet. Nō natura aquæ huius valebat viſum reſtituere, ſed virtus à Chriſto prodibat: ſed nō niſi cū aquis, & in ipſis ipſam operari voluit. Adeò dementātur Aduerſarij, vt nō eos pudeat minus viriū & diuinitatis in baptiſmo agnoſcere, quàm in eiuſdē figuris cernebatur. Poſt figuras nō deſunt ſcripturæ, quæ vim illam ſacramēti lauacro inhærere doceāt, inter quas ſemper Chriſtiani vt expreſſiorē ſemper habuerunt in prōptu, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei: vbi quaſi cōglutinatur aqua cū ſpiritu, vt regnum patefaciat. Caluinus fatetur primitiuæ Eccleſiæ intelligentiam, ſed ſuam omnibus anteferri iubet: de qua in tertia Repetitione. Chriſti ſenſum ſequitur & declarat Apoſtolus, & quod appellat ad Epheſios lauacrum aquæ, ad Titum vocat lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti: ſicut Ioannes in Canonica, etiam Caluino interprete, duo quæ teſtificentur de Chriſto in terra, coadunat aquam & ſpiritum ita, vt omnibus ferè ſcripturæ locis, quibus partes ſacramenti baptiſmalis deſignantur, quarū vna ſit terrena, altera cœleſtis, aqua ſiue lauacrum aquæ iūgatur ſpiritui, ne quis ea diſtrahat. Tanta verò fuit perpetuò de hoc Chriſtianorum conſenſio, vt tam neceſſarium ad ſalutem baptiſmum ex aqua iudicarint, quàm ex ſpiritu, propter vtriuſque connexionem, niſi in caſibus à iure diuino exceptis, & vt inter teterrimos hæreticos retulerint, qui aliquando ab hac fide defeciſſent. Non hîc rationem Dionyſij repetā, propter quam Deus voluit in rebus ſenſibilibus ſua dona hominibus conferre. Iuſtini & aliorum textus atque rationes & ſcripturæ allatæ expendantur.

1. Pet. 3. — 1. Corin. 10. — 4. Reg. 5. — Ioan. 5. — Ioan. 9. — Ioan. 3. — Ephes. 5. & Tit. 3. — 1. Ioan. 5.

IVSTINVS. Qui ſibi perſuadent & credunt vera eſſe hæc, quæ à nobis docentur & dicuntur, ducuntur vbi eſt aqua, eóque vt ita dicam regenerationis renouationiſque genere, quo etiam nos ipſi renouati ſumus, renaſcuntur. Patris enim,

Apol. 2.

Dominí-

Dominíque Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, ac Spiritus sancti nomine aqua abluuntur, & expiantur. Christus enim ait, Nisi renati fueritis ex aqua & Spiritu sancto, non intrabitis in regnum cœlorum. Addit verò paulo post: Verbum hoc in hac re ab Apostolis didicimus, quòd primum ortum nostrum ignorantes necessitate generati sumus, & humido semine parentū nostrorum inter se copulatione, & in mala consuetudine conuersationéque educati fuimus, vt non necessitatis ignotationísque filij maneamus, sed volūtatis & sciētiæ, remissionémque eorū quæ peccauimus, consequamur in aqua in eo qui renasci voluerit, & quem peccatorum pœnituerit, parentis omnium, Dominíque Dei nomen appellatur. Hoc ipsum tantummodò dicētes, ad lauacrum ducimus. Hîc Iustinus rei cœlestis cum humida terrestri ait fieri copulam, tanquam coniugalem, vt ex ea renascamur.

IRENÆVS. Sicut enim de arido tritico massa vna fieri non potest sine humore, neque vnus panis, ita nec nos multi vnum fieri in Christo Iesu poteramus sine aqua quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic & nos lignum aridum existētes primum numquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluuia. Corpora enim nostra per lauachrum illud, quod est ad incorruptionem, vnitatem acceperunt, animæ autem per spiritum. Vnde & vtraque necessaria vtraque proficiunt in vitam Dei. *Irē.lib.3.ca.9.*

TERTVLLIANVS. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogatiua sacramentū sanctificationis consequuntur inuocato Deo. Superuenit enim statim spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt, quanquam ad simplicem actum competat similitudo, vt quoniam vice sordiū delictis inquiuamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutē portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis, ita eiusmodi in spiritu sordēt, qui est author delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur: tamē inter se cōmunicant reatum, spiritus ob imperiū, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodò aquis per Angeli interuētum, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritaliter mundatur. *Tertull. de baptismo.*

IN Græcis exemplaribus Actorum Nicenæ primæ Synodi, quæ circunferuntur apud multos, & quæ Caluinus & Oecolampadius citant, legitur hic Canon De Baptismo cōtra Origenistas, vt Theophilus Alexādrinus videtur applicare: Τὸ βάπτισμα ἡμῶν οὐ τοῖς αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς κατανοητέον, ἀλλὰ τοῖς νοεροῖς. ὕδωρ ὁρᾷς, νόει τὴν ἐν τοῖς ὕδασι κρυπτομένην τοῦ θεοῦ δύναμιν. Ἐν γὰρ πίστει τοῦ βαπτίζοντος καὶ τοῦ βαπτιζομένου διὰ τῆς ἱερᾶς ἐπικλήσεως, πλήρη τοῦ ἁγιασμοῦ τοῦ πνεύματος καὶ τοῦ θείου πυρὸς νοεῖ τὰ ὕδατα. Hic vertamus Latinè. Non considerādū est nostrū baptisma oculis corporis, sed mētis. Vides aquā: sed intellige in aquis vim latêre diuinā. Per fidē enim baptisantis & baptisati, ac sacrā inuocationē attende aquas ipsas fieri plenas sancto Spiritu ac cœlesti igne. Oecolampadius in suis De Cœna dialogis sicut Canonē de Eucharistia variè peruertit, ita & hunc nititur deprauare & detorquere. Aqua enim (inquit) quoniā insensata, ac rationis expers, gratiā Spiritus sancti, cuius solamens Domiciliū, in se non habet. Ideò monet spectandam fidem baptisantis & baptisati, & in ea attendi omnem sanctificationem spiritus, quæ ex baptismo aduenit, non quòd quicquam diuinæ gratiæ in elemento aquæ residеat. Hactenus Oecolampadius. Atqui Concilium iubet expressè, præter fidem personarum considerari diuinam vim in aquis latentem, & eas fieri plenas spiritu per sanctam inuocationem asserit.

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, qui synodo interfuit, quasi quadam paraphrasi videtur Canonem illum elucidare, & ad ipsum alludere, cùm inquit: Non tanquam aquæ simplici studeas huic lauacro, sed vt spiritali *Cyrill. Hierosol. catech. 3.*

gratiæ,quæ cũ aqua datur. Nam vt illa quæ in idolorũ delubris offeruntur, quum natura sint pura,inuocatione impura efficiuntur:sic contrà aqua simplex,per sancti Spiritus,Christi,& Patris inuocationem, accepta virtute sanctitatem consequitur. Quum enim duplex sit homo,anima & corpore compositus,duplex quoque purificatio,incorporea quidem incorporeo,corporea verò corpori. Et aqua sanè mundat corpus,spiritus autem signat animam, vt abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde accedamus ad Deum. Qui itaque in aquam descensurus es,non aquæ simplicitati mentem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe: Nam sine vtrisque ad perfectionem deduci non poteris. Non ego sum qui dico,sed Dominus Iesus Christus,ille qui eiusdem rei potestatem habet: Nisi quis renatus fuerit desuper,& addit ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum Dei.

Chrysost. in ca. 5. Ioan.

CHRYSOSTOMVS. Primùm igitur pollutiones corporum,inde varia membrorum genera per aquam sanantur. Si quidem cùm vellet Deus appropinquantis baptismatis fidem nos erudire,non solùm peccata, sed morbos per aquam expulit. Propiores enim veritati imagines,& in baptismate,& in passione, & in aliis certiores fuerunt,quàm vetustiores. Nam sicut regij familiares hastatis honoratiores sunt, ita & propiores figuræ. Et descendens Angelus motæ aquæ sanandi virtutem largiebatur,vt intelligerent Iudæi longè magis Angelorum Dominum omnia animæ impedimenta sanare posse. Et quemadmodum huius aquæ natura per se non sanabat,siquidem semper sanasset, sed duntaxat cùm ab Angelo mouebatur, ita & in nobis non simplex aqua operatur,sed cum spiritus gratiam accipit.

ALIBI. Est & aqua Catholica,in qua ostenditur fons æternus, qui reficit,id est, iterum facit,quomodo generatio & regeneratio reficit animas, quia innouat in fide,abluit sordes,tolit maculas. Hæc aqua primatũ tenet in elemẽtis: sed cùm istud elementum acceperit Spiritum sanctum,fit sacramentum,& iam non erit aqua potationis,sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis. Per istam aquam educit purgatos,facit perfectos,ratione claritatis & gratiæ, illuminans & replens eos,vt vbi abundauerat peccatum,faceret diuites in gratia.

Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 42.

CYRILLVS ALEXANDRINVS. Nam cùm non simplex, sed compositus ex corpore sensibili & intellectuali anima homo sit, duplici quodam ad generationem indiget modo,qui duplicitate sua ad vtrumque possit accommodari. Spiritu enim sancto spiritus hominis,aqua verò corpus sanctificatur. Quemadmodum enim viribus ignis intensiùs aqua calefacta non aliter quàm ignis vrit, sic Spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, qua baptisati corpus abstergunt.

Theoph. lib. 1. Paschali.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS. Ad aliam Origenis veniamus impietatem, quam velut de profundissimis tenebris eructans loquitur, & blasphemiarum suarum pessimam mundo reliquit memoriam. Dicit enim Spiritum sanctum non operari in ea quæ inanimia sunt,nec ad irrationabilia peruenire. Quod asserẽs, non recogitat aquas in baptismate mysticas aduentu Spiritus sancti consecrari, panémque Dominicum,quo Saluatoris corpus ostenditur,& quem frangimus in sanctificationem nostri,& sacrum calicem,quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, & vtique inanima sunt, per inuocationem & aduentum Spiritus sanctificari. Si ad irrationabilia,& ad ea quæ absque anima sunt, sancti spiritus fortitudo non peruenit, cur Dauid canit, Quò abibo à spiritu tuo? Quod dicens, ostendit sancto Spiritu omnia contineri,& illius maiestate circundari: si omnia in omnibus, vtique & irrationabilia & inanima sunt. Et alibi legimus: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Quod numquam scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque & inani-

„ ma illius numine complerentur. Postremò concludit Thophilus: Simili errore „ decipitur Origenes, nesciens quid loquatur, cum his qui nolũt Dei prouidentiam „ vsque ad omnes creaturas & mundi inferiora descendere, sed tantùm in cœlorum „ regionibus commorari.

„ BASILIVS. Qui nobis vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis „ statuit, mortis ac vitæ typum habens, mortis quidem imaginem implente aqua, spi- „ ritu autẽ vitæ arrã præbente. Hinc itaque nobis perspicuũ est factum, quod quære- „ batur, quamobrem aqua coniuncta sit spiritui. Quum enim duo scopi propositi „ sint in baptismo, videlicet vt aboleat corpus baptismi, ne postea fructificet mortẽ, „ tum vt viuat spiritus, & fructum habeat in sanctificatione: aqua mortis exhibet i- „ maginem, spiritus verò vim viuificam immittit. Itaque si qua est gratia in aqua, nõ „ est ex ipsius aquæ natura, sed ex spiritus præsentia. *Lib. De Spũ. ca. 15.*

„ GREGORIVS Nanzianzenus. Ipsa quidem baptismatis gratia atque vis, non „ mundi, vt olim cataclysmum siue inundationem, sed vniuscuiusque criminis habet „ purgationem. Si quidem cum duplices simus, ex anima inquam, & corpore confla- „ ti, & hoc quidem visibilis, illa verò inuisibilis sit naturæ: duplex etiam est purgatio, per aquam dico & spiritum, illa quidem visibiliter atque corporaliter suscepta, hoc verò incorporaliter & inuisibiliter concurrente. *Greg. Nazianz. Pro S. lauacro.* *Damasc. lib. 4. ca. 14. Euthim. ca. 64. in Matt.*

Omitto Damascenum, Euthymium, atque alios.

DE DEI OMNIPOTENTIA, AN PER ILLAM corpus maximè Christi possit esse sine loci spatio, & de facto sit in Eucharistia, & alibi fuerit. CAP. 4.

SVPERIORI capite conueniens Dei sapientiæ & gloriæ Aduersarij negarunt, corpus Christi sub elementa mundi huius reducere: nunc ne quidem in eius potestate esse contendunt, vt id perficiat, sicut priori modo in Dei prouidentiam & bonitatem, ita posteriori in Dei omnipotentiam blasphemi. Quemadmodum qui verecundiæ fines semel transilierit, oportet gnauiter impudentem esse, ita quem non puduerit semel pietatis limites prætergredi, decet horribiliter impium & blasphemum inueniri. Quamobrem Psalmista prospiciens quæ essent meditaturi & molituri cuiuscunque conditionis homines contra Christi religionem, eò progressuros prædicit, vt non solius Christi, sed etiam totius diuinitatis iugum laborarent à se excutere, & Gigantum more in cœlum ponere os suum, ac coaggeratis tanquam montibus humanæ rationis conatibus, cum Deo de regundis finibus imperij ac Dominij bellare. Sed qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Docuit sanè experientia vix aliquam hæresim vnquam iudicasse sibi satis virium, vel ex ratione, vel ex scriptura suppetere, nisi turrim fortitudinis à facie inimici priùs labefactare & demoliri nĩteretur, id est, virtutem Dei deprimeret, vt nihil ab ipso fieri posset aliter quàm putaret, atque ita & mentem suam ad æqualitatem Dei attolleret, & altissimo se similem, si non verbo, saltem facto prædicaret. Propterea parens hæreticorum Simon Magus, se magnum Deum & Helenam suam Dei virtutem inscribebat, Manicheus Spiritum, Menander Christum, & deinceps alij aliud quod Deo præriperet. Gentiles Philosophos disputandi exordium sumpsisse contra Christianos à Dei omnipotentia declarat Iustinus: Tertullianus Marcionitas hæreticos: Valẽtinianos Irenæus: Arrianos Hilarius: Imò Christus ipse in Sadduceis hæreses tanquam duobus è fontibus scaturire patefacit, ex sanctarum scripturarum ignoratione, seu malitiosa interpretatione, atque ex virtu- „ tis diuinæ abnegatione. Erratis (inquit) nescientes scripturas, neque virtutem Dei.

Duplici blasphemia laborant aduersarij contra Dei bonitatẽ & omnipotentiam. *Psal. 2.* *Omnes hæreses aggressæ sunt Dei omnipotẽtiam.* *Iustin. ad Antonin.* *Tertull. de carne Christi, & carnis resurr. & in Marciõ.* *Hilar. lib. 3.*

Matth. 22.

Quando captũ dubitari de omnipotentia circa Euchariſtiam.

Poſt Capernaitas variis in locis dimicatum fuit de Euchariſtia, nihilque intẽtatum relictum, quo redderetur vero Chriſti corpore vacua, maximè in Marcionitarum cauſa, & Berengarij ſæpiùs redintegrato tumultu: attamen ſiue deterrerentur Capernaïtarum exemplo homines Chriſtiani, ne ducerentur animales ſicut illi, ſiue de Chriſti poteſtate minimè dubij ad peragenda quæ de Euchariſtia credimus, ſicut aliquando viſus eſt Berengarius reſpondiſſe: nulli leguntur cum Capernaïtis dixiſſe, Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum, & Dei omnipotentiam circa Euchariſtiam in dubium reuocaſſe. Benè quidem inueniuntur impoſſibilitatem ex rerum natura prætexuiſſe, ſed numquam ad Deum vſque extendiſſe. Hoc ad impietatem & infœlicitatem noſtrorum ſeculorum reſeruabatur. Primus enim, vt opinor, auſus fuit Vviclef funeſtam illam vocem emittere. Quemadmodum verò impius nõ ſtatim palàm effutit, ſed prius premit in corde ſuo, Non eſt Deus, quod poſtea paulatim & per ambages effluere ſinit, tanquam imprudenti aut ridẽti excidat: ita moris eſſe hęreticis Auguſtinus obſeruat, vt non ſtatim aperta vi, ſed quaſi per inſidias Dei virtutem adoriantur impugnare. Sic ſanè auſpicatores præſentis controuerſiæ, quæ noſtra ætate de Cœna Domini orta eſt, non ab initio ſcripſerunt, nec in Chriſto, nec in Deo ſitum corpus in tantillo pane, aut pluribus in locis collocare, quamuis ſatis innuant iam ſe parum piè de hoc ſentire: ſed finxetunt ſe aliud curare & agere. Nam Cinglius teſtatur nõ immenſam Dei potentiam ſiue virtutem in dubium vocari, ſed litem eſſe de voluntate ac facto Domini. Caluinus eodem recidit, ſed verſutè admodum & proditoriè. De iniuria ſibi facta expoſtulat, quaſi quicquam diuinæ omnipotẽtiæ deroget, aut eam ac totam doctrinam de Euchariſtia ſubiiciat naturæ legibus & ſenſuum imbecillitati, ac non plus Deo ipſe quàm nos deferat, cùm interea nihil aliud doceat, quàm carnem Chriſti in Euchariſtia metiendam ex naturæ humanæ proprietatibus, quas Deus ipſe inuertere nequeat. Serpentis linguam audite: Nos rationi humanæ ita addictos eſſe iactant, vt nihilo plus tribuamus Dei omnipotentiæ, quàm naturæ ordo patitur, & dictat communis ſenſus. A tam improbis calumniis ad ipſam doctrinam, quæ ſatis dilucidè oſtendit me hoc myſterium minimè rationis humanæ modo metiri, vel naturæ legibus ſubiicere. Obſecro, an ex Phyſicis didicimus Chriſtum perinde animas noſtras è cœlo paſcere carne ſua, atque corpora pane & vino aluntur? Vnde hæc carni virtus, vt animas viuificet? Naturaliter non fieri omnes dicẽt. Humanæ rationi nihilo magis placebit penetrare ad nos Chriſti carnem, vt nobis ſit alimentum. Denique quiſquis doctrinam noſtram guſtauerit, rapietur in admirationem arcanæ Dei potentiæ. Lectores iterum admonitos cupio, vt quid ferat noſtra doctrina diligenter æſtiment, pendeátne à ſenſu communi, an verò fidei alis ſuperato mundo tranſcendat in cœlos. Dicimus Chriſtum tam externo ſymbolo, quàm ſpiritu ſuo ad nos deſcendere, vt verè ſubſtantia carnis ſuæ & ſanguinis animas noſtras viuificet. In his paucis verbis qui non ſentit multa ſubeſſe miracula, pluſquàm ſtupidus eſt: quando nihil magis præter naturam, quàm vt vitam ſpiritalem & cœleſtem animæ mutuentur à carne, quæ originem ſuam è terra accepit, & quæ morti fuit ſubiecta: nihil magis incredibile, quàm res toto cœli & terræ ſpatio diſſitas ac remotas in tanta locorum diſtantia, non ſolùm coniungi, ſed vniri, vt alimentum percipiant animæ ex carne Chriſti. Deſinant ergo præpoſteri homines inuidiam putida calumnia nobis facere, ac ſi de immenſa Dei potentia malignè aliquid reſtringeremus. Ipſi enim vel nimis ſtultè errant, vel improbè mentiuntur. Non enim hîc quæritur, quid Deus potuerit, ſed quid voluerit. Affirmamus autem id factum eſſe quod illi placitum erit. Placuit autem Chriſtum fratribus per omnia ſimilem

Aug. de fide et ſymbolo. ca. 2.

Hæretici initio nõ audẽt apertè omnipotentiã oppugnare.

Cal. lib. 4. Inſti. ca. 17. nũ. 24.

Caluinus vult per Dei omnipotentiã ad nos penetrare carnẽ Chriſti.

„ milem fieri, excepto peccato. Qualis eſt noſtra caro? Nónne quæ certa ſua dimen-
„ ſione conſtat, quæ loco continetur, quæ tangitur, quæ videtur? Et cur, inquiunt,
„ non faciat Deus, vt caro eadem plura diuerſáque loca occupet, vt nullo loco conti-
„ neatur, vt modo & ſpecie careat? Inſane, quid à Dei potentia poſtulas, vt carnem
„ faciat ſimul eſſe, & non eſſe carnem? Perinde ac ſi inſtes vt lucem faciat ſimul
„ eſſe lucem & tenebras. Conuertet quidem cùm volet, tenebras in lucem, &
„ lucem in tenebras. Sed cùm exigis vt lux & tenebræ non differant, quid aliud
„ quàm ordinem ſapientiæ Dei peruertis? Carnem igitur carnem eſſe oportet, & ſpi-
„ ritum, ſpiritum, vnumquodque qua à Deo lege & conditione creatum eſt. Ea verò
„ eſt carnis conditio, vt vno certóque loco, vt ſua dimenſione, vt ſua forma conſtet.

Libuit hîc Caluinum prolixiùs citare pro quæſtionum quæ controuertuntur compendio, & vt hominis calliditatem & malitiam animaduertas, ſimulantis tantùm quæri de Chriſti voluntate, & non potentia, quam proditoris arte tum plurimum commendat, cùm eam refragatur excedere leges corporum naturalium: cui ne videatur planè nullum locum dare in Cœnæ myſterio, ab exiſtentia rei ad eius participationem transfert. Inde triplici fallacia inſtructos Caluiniſtas doctiores comperies. Si perconteris eos de Dei potentia circa Euchariſtiam, non de ipſa ambigi reſpondebunt, ſed de Chriſti voluntate, & verborum eius ſententia. Si contrà verborum proprietati inſtiteris, ferri non poſſe ab ipſis audies, quia de corpore Chriſti rem affirmet impoſſibilem. Quoniam antiquitas omnis Euchariſtiam eſſe opus diuinæ omnipotentiæ prædicat, ipſam totam inſumunt in participatione Chriſti per fidem, vbi nihil noui operis edit diuina virtus vt ita vbi virtutem illam res poſtulat, nulla eius mentio fiat, vel repellatur. Quoniam noſtra myſteria fidei ſunt, & non naturæ negotia, annuunt de Euchariſtia non eſſe menſuram agendam ex ſenſibus vel ex natura, ſed rurſum fidei eminentiam totam in participatione Euchariſtiæ occupant, cuius exiſtentiam tacitè metiuntur ex rerum proprietate & humano iudicio, non ex Dei operâtis immenſitate, & fidei ſupra ſenſum eleuatione, cùm tamen duo iſta magis reluceant & deſiderentur in ipſa exiſtentia, quàm in participatione Euchariſtiæ. Quoniam deceptionis ac fraudis quædam ſpecies potius haberi debet, quàm religionis, ita perplexe loqui, Vviclef, quemadmodum dixi, prior ingenuè atque aperta fronte cœpit blaſphemare, ac palàm defendere, non ſolùm Chriſtum, ſed Deum ipſum priuari virtute conſtituendi corpus pluribus in locis. Deus enim (inquiebat) non poteſt facere eandem rem eſſe ſimul per diuerſa inſtantia, ſic non poteſt eandem ſubſtantiam materialem extẽdere per diuerſa loca. Petrus Martyr poſtea auſus eſt longius progredi, atque impiè multa à Dei poteſtate eximere, quia ſcriptura nonnulla eximat, quaſi plura eximenda, & licitum eximere ſubinnuat. Theodorus Beza pari licentia non veretur in Deum blaſphemare, vt nihil valeat, non tantùm de eſſentia rerum immutare, ſed nec de proprietatibus & affectionibus eſſentialibus, aut quas putarit eſſentiales eſſe: quo in numero computat corporum dimenſiones, & omnia corporibus naturaliter adiũcta. Ideò placet illi Angeli axioma, quo dixit non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum, reſtringi ad certam periodum, quoniam (inquit) exceptiones ſcriptura tradat, veluti Deum nec mori, nec mentiri, nec falli, nec ſe ipſum negare poſſe, in eúmque finem Theodoretum & Hieronymum poſt Petrum Martyrem allegat. Quaſi autem Theodori ſui impietate offenderentur Caluiniſtæ, in Conformitate Heildebergenſium Ec-
„ cleſiarum cum Auguſtanis fatentur ſibi nefas de præſentia corporis in Euchariſtia
„ litem mouere per Dei impotentiam, atque ita ferè ad verbum teſtantur. Quòd ſi
„ poſſent Aduerſarij docere ex Dei verbo Chriſtum voluiſſe carnem & ſanguinem

Ars proditoria Caluini circa omnipotentiam.

Fallacia Caluiniſtaric in diſputatione de Euchariſtia.

Progreſſus aduerſariorũ ad blaſphemandũ contra omnipotentiam.

Martyr in Brẽtiũ. & in magno volumine.

Beza in Heſhuſ.

Luc. 2.

Theodor. dial. 1. polym. Hier. in Luciferia.

collocare in pane & vino, nos alacres sine controuersia adhiberemus fidem, neque vlla creatura posset id apud nos in dubium reuocare, etiamsi mille modis videretur sensibus atque omni rationi repugnare. Postea incidit Colloquium, quod Parisiense à nostris nominatur, in quo ego atque alter me doctior Theologus, à Dei omnipotentia cum duobus Caluinistarum ministris ferè disputationem exorsi sumus. Postremo emisi quosdam Atheismorum in doctrina Caluini notatorum tractatus, quorum primus de eadem omnipotentia contra Caluinistas fusiùs inquirit. Eò lacessitus alter de duobus Colloquij Parisiensis ministris, ab infœlici arbore Sembuceus, seu Sureonus appellatus, quod nomen vt more Caluinistarum atque omnium hæreticorum in melioris ominis appellationem commutater, Rosacei sibi cognomentum indidit: In libello inscripto De methodo conciliandi discordes de Cœna Domini, nostros, ac me singulariter insectatur, tanquam iam nullo modo audiri sustineamus impossibilitatis vocē, tanquā ipsa in rebus sacris adhiberi sine insigni blasphemia non possit, & quin sua Deus spolietur omnipotētia. Deinde quod nihilomagis patiamur de rebus naturalibus, & earū proprietatibus rationes duci in scripturis explicandis, & rebus fidei examinandis. Ex Plinio tria impossibilitatis genera Deo ascribi profert: Vnū, quo nō potestDeus mortem sibi consciscere: alterū, quo nec mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos: tertiū, vt facta reddātur infecta, vt qui vixit, non vixerit: nullúmque ius habere Deum in præterita, prærerquàm obliuionis, nec efficere posse, vt bis dena nō sint viginti. Prius & posterius ait in scriprura Deo impossibilia significari, quorum prius in Deo imporentiam arguat, cuius capax non est: posterius verò non ex imporentia Dei, sed per impossibilitatem in natura existentem esse, quemadmodum ex Magistro Sententiarum soluit. De secundo genere mentiri Plinium concedit. Interea contendit ex illa impossibilitate in natura residente licitum contra scripturas citra omniporentiæ diuinæ iacturam, iniuriam & blasphemiam præscribere & agere, eóque in genere reponit corpus Christi esse in Eucharistia & in cœlo, vt sine dimensionibus illic adsit, cum quibus simul in cœlo sedeat. Secundum genus supra Plinium liberum Deo condonat, ne si hoc quoque spoliaret, cum Plinio videretur nō pluris Deum quàm naturam facere. Ab hac egregia nauata opera Sambuceus ille, quasi cum lucifero & Angelis eius cœlo deturbatus, quia captum suum omnipotentiæ adæquarit, quasi non plus ista valeret operari, quàm ille sua solertia concipere, amētia percussus, cui se religioni vel sectæ postea addiceret, vel vbi acquiesceret, non inuenit, sed nouus Ecebolius religione tanquam foro vtitur. A tempore impiæ illius scriptionis, quæ pomum discordiæ pro concordia in medium proiicit, in miras animi angustias se redactum fatetur, nec quò fugeret, nec quid crederet, apud se decernere potuisse, donec miserente Deo, & suam in ipso ostendente potentiam, cùm nō quæreretur, ac ne quidem de ipso cogitaretur, & esset liberum fugere, quando de publicis in Regem coniuratis Lutetiæ tumultuaria circa Bartholomei Apostoli festum haberetur quæstio, & sumeretur pœna, vltrò se in manus nostrorum dedidit, eiurauítque non solam illam blasphemiam contra omnipotentiam, sed totum Caluinismum, & liberam ac ne quidem ab illo expectatam vel requisitam Confessionem edidit, in qua carnificinam animi quam patiebatur prodit, cúmque ad modum explicandum, quo corpus Christi in Eucharistia cōsistit, eius delabitur oratio, pro naturæ impossibilitate omnibus subtilitatibus renuntiandum ait, & captiuandum intellectum in obsequium Christi, quoniam lōgè difficiliora, ac magis in narura impossibilia fide amplectamur de Trinitate & incarnatione filij Dei. Rogatus verò de authore scriptionis illius De concordia dissidentium circa Cœnam Domini, fassus est

Anonymus liber Rosacei ministri, impressus Gallicè anno 1571.

Plin. li. 2. ca. 7.

Tres exceptiones ab omnipotētia per Plinium.

Potētia diuina ostensio contra Rosaceū ministrum.

Cōfessio Rosacei & abiuratio impressa Gallice cum priuilegio per Niuellium, an. 1573. Lutetiæ.

est ex se natum, ac deinceps se impotem animi euasisse: quod vt reipsa palàm faceret, iterum nullo persequente, Ecclesiam, in cuius gremium se pœnitentem recipi multis cum lachrymis supplex orauerat, deseruit, & ad quos transfugerit incertum, nec admodum curandum, cùm Dei ac proprio iudicio condemnatus, pro confessione fidei, nihil præter confusionem moliri possit. His ita propositis, conferamus initio calumnias, quas vtrinque fieri nos & Aduersarij expostulamus. Ipsi nos calumniantur, quasi cum Monarchianis ex vnica Dei potentia iubeamus quiduis verum esse, quod placet, & carnis Christi ac sanguinis in pane & vino inde præsentiā extorqueamus, cùm tamē non ritè colligatur esse id omne quod Deus potest: quia lōgè plura efficere queat, quàm velit, aut vnquam efficiet. Idcircò prius docendum aiunt de Dei voluntate & facto, quàm eius potentiam in medium adducere. Profectò nostrorum libri, & antehac à nobis disputata, satis Aduersarios de mendacio & calumnia coarguunt. Quemadmodum enim à Christo contra Sadducæos monemur, prius inquirimus de eius volūtate, quæ per scripturas nobis innotuit. Deinde pro ratione voluntatis & scripturarum, omnipotentiam eius proferimus, erudití à Deo, Christo, Angelis, Prophetis, & Apostolis, eo pacto nos omnibus difficultatibus expedire, quæ in diuinis factis & verbis emergunt, vt nihil aliud respōdeamus, quàm non esse impossibile apud Deum omne verbum, & tota ratio facti sit potentia facientis. Ita solet Deus de suis promissis & oraculis confirmare, vt quærat an breuiata sit manus sua, vel quicquam sit ipsi difficile. Ita Christus desperantibus Apostolis de salute vllius diuitis medetur, quoniam omnia sunt possibilia Deo. Ita Virginem Angelus de modo facti ambigentem eò recurrere docuit. Ita Apostolus in hoc panopliam nostram positam contra omnem altitudinem extollentem se cōtra Deum prædicat: Arma nostra nō sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Vt autem nobis persuadeamus existentiam carnis & sanguinis in sacramento, prius sciscitamur de voluntate Dei & Christi, quam nec debuit nec potuit clarius per scripturas aperire, quàm fecit per institutionem Eucharistiæ toties repetitam, & in eodem sensu atque in eadem sermonis forma inculcatam, nec aliundè datur, tanquam dilucidius explanatam, petere: quibus si apponas modos omnes congruere, quibus Deus hactenus consueuit mentē suam ac voluntatem hominibus declarare, siue sacramentorum naturam consideres, quæ proprium ac simplex sermonis genus postulat, siue in specie nouorum dignitatem, siue locutionum quibus respondet sermo Christi analogiam, siue Christianorum sensum & consensum, siue circunstantiarum copiam & energiam, quibus scriptura ad voluntatis expressionem ornatur, siue Aduersariorum incertitudinem, discordiam ac repugnantiam, postquam recesserunt ab illo voluntatis diuinæ testimonio & oraculo: non excogitabis quid amplius à Deo ipso optare possis, & precari ad voluntatis eius de præsentia carnis in sacramento explanationem. Quicquid contra voluntatis huius tot modis spectatam cognitionem de rei natura & impossibilitate opponitur, cœlestis potentiæ nouacula penetrabiliori omni gladio ancipiti resecamus, ad hócque non solùm in genere, sed etiam particulariter in hac re Christū & Apostolos ipsos duces habemus, & imitamur. Nam cùm murmurarent discipuli de verbis, quibus promittebatur esus carnis in Eucharistia propter rei absurditatem & impossibilitatem, Christus potestatem suam allegat: Hoc vos (inquit) scandalisat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Et Apostoli quominus cum aliis de verbis illis scandalum paterentur, prætexunt eandem potentiam

Calumniãtur Aduersarij quasi Catholici sola Dei potētia nitātur, pro præsentia carnis in sacram.

Omnipotētia clypeus est ad defensionē verbi diuini.

Esa. 50. et 59. Hier. cap. 18. Matth. 19.

2. Cor. 10.

Quomodo de dei voluntate circa Eucharistiam pateat.

A Christo & Apostolis docemur particulariter niti omnipotentia pro Eucharistia.

... e ſpectam, per quam Chriſti verba crediderunt ſupra hominem efficacia. ... enim, numquid & vos vultis abire, reſpondit Simon Petrus, Domine, ad ... ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quia tu ... Chriſtus filius Dei viui. Denique monſtramus non ea nos premi rerum impoſſi... ... litate, quam falſò iudicant Aduerſarij, quemadmodum poſtea dicemus. Quocirca non ratiocinamur, ſicut imponunt Aduerſarij, à Dei potentia ad factum, ſed Dei volũtatem in ſcripturis agnitam de Euchariſtia defendimus per Dei virtutem, qua omnia quæ vult, ac ſe velle pronuntiauit, ac multo plura & difficiliora habet in promptu perficere. Accuſamus contrà de tribus ante omnia Aduerſarios, quòd Dei omnipotentiæ audeant compedes iniicere, limites ponere, & contra eam exceptiones cumulare, ídque facere ſibi fas ac licitum prædicare, & interea iactare nullũ ſe omnipotentiæ præiudicium facere: Deinde quòd pari impudentia & blaſphemia non dubitent ex naturæ impoſſibilitate, ac rerum naturalium legibus & proprietate omnipotentiam illam metiri, impugnare & coarctare: Poſtremò, quòd ſcripturas planiſſimas & certiſſimas de voluntate Dei, vt ſunt quæ inſtitutionem ipſam, & promulgationem credendorum continent, non vereantur conuellere & opprimere ex rerum naturalium impoſſibilitate, diuináque propter eas impotentia, quod eſt mendacij & impoſturæ blaſphemiam Deo ipſi & Spiritui ſancto dicere: quaſi credi præceperit, quod nec verum ſit, nec effici poſſit ab illo qui præcepit, vt deprehendatur & impotens & inefficax, & impoſtor. Prius ſanè nec concipi, nec affirmari poteſt ſine diuinæ virtutis amplitudinis præciſione, quoniam ad negationem particularis alicuius ſequitur neceſſariò negatio eius quod vniuerſaliter affirmatur. Vt enim qui totum dicit, nihil excipit, ita qui excipere poteſt aliquid, ne totum amplius dici queat, impedit. Sicut igitur qui omnipotentem Deum prædicat, nullam exceptionem admittit, ita contrà quiſquis non vnius generis, ſed propè infinitas exceptiones diuinæ potentiæ opponit, facit ne amplius omnipotentia iuſtè haberi poſſit, & primum articulum fidei de omnipotenti Deo in multipotentem transformat & deprauat. Quinetiam tanquam Sus Mineruam doceat, mendacij arguit, atque efficaciam omnem adimit ratiocinandi formulæ, qua Deus, Chriſtus, Angeli, Prophetæ, & Apoſtoli noſtrã in Deum ipſum fidẽ, ſpem, ac fiduciam fundant de quibuſcunque rebus quantumuis arduis & incredibilibus, quas fuerit elocutus, ſeu promiſerit. Non enim aliud ponitur fundamẽtum, quàm omnia Deo poſſibilia, & ſine exceptione non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum, ac nihil eſſe Deo difficile, quod fruſtrà & falſò canitur, ſi verè & impunè multa à Dei potentia eximũtur & ſubducũtur. Ex ſecundo verò, ſeu de creaturis menſuram diuinæ virtutis agere, quid eſt aliud, quàm Deum ignorare, imo quàm ipſum prorſus Deum eſſe negare? Malè Deum norũt (inquit Tertullianus) qui non putant Deum " poſſe, quod non putant eſſe. Deus enim iam non eſt, nec eius verbum, niſi poſſit " ſuprà quàm poſſumus aut intelligimus: nec amplius dicetur Deus comprehendere ſapientes in ſapientia ſua, & vincere cùm iudicatur, ſed contra ipſe ſapientium huius ſeculi iudicio irretietur & coërcebitur, ne agere valeat ſupra eorum captum & placitum. De his præclarè Tertullianus ſcribit: Quin potius infirmitati tuæ parcis, nec in periculum extenderis, habens Deum c... tum & indubitatum, " & hoc ipſo ſatis viſum, cùm id primum conſpexeris eum eſſe, quem nõ ſcias niſi ex " parte qua voluit ipſe. Sed Deum quidem vt ſciens non negas, vt neſciens retractas, " imò & accuſas quaſi ſciens, quem ſi ſcires, non accuſares, imò nec retractares. " Reddens nomen illi, negas ſubſtantiam nominis, id eſt, magnitudinis, quæ Deus " dicitur, non tãtam eam agnoſcens, quantam ſi homo omnifariam noſſe potuiſſet, " magnitudo

Initiò de tribus accuſamus aduerſarios circa methodũ agẽdi de Euchariſtia.

Dupliciter blaſphemãt Aduerſarij, cùm verba corrũpunt de Euchariſtia per impotentiã Dei.

Non licet dare exceptionẽ cõtra omnipotentia alioqui primus fidei articulus corrũpitur.

Aduerſarij reprehẽdunt Dei formã & Angelorũ in argumentando.

Tertull. de reſurrect. carnis.

Agere contra omnipotentiã ex rerum proprietate et natura, eſt Deum neſcire & negare.

Tertull. lib. 2. in Marcion.

„ magnitudo non esset. Ipse iam Apostolus prospiciẽs iam hæretica corda, Quis, in-
„ quit, cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quem cõsultauit,
„ aut viam intellectus & scientiæ quis demonstrauit ei? Cui & Apostolus contradi-
„ cet. O profundum diuitiarum & sophiæ Dei! vt inuestigabilia iudicia eius, vtique
„ Dei iudicis! Et inuestigabiles viæ eius, vtique intellectus & scientiæ, quas ei nemo
„ monstrauit, nisi fortè isti censores diuinitatis, dicentes, Sic non debuit Deus, &
„ sic magis debuit: quasi cognoscat aliquis quæ sint in Deo, nisi spiritus Dei. Mun-
„ di autem habentes spiritum, non agnoscentes insipientiam Dei, consultiores sibi-
„ met videtur Deo. Quoniam sicut sapientia mũdi stultitia est penes Deum, ita & sa-
„ pientia Dei stultitia est penes mundum. Sed nos scimus stultum Dei sapientius
„ hominibus, & inualidũ Dei validius hominibus. Et ita Deus tunc maximè magnus,
„ cùm homini pusillus, & tunc maximè optimus, cùm homini non bonus. Quòd si à
„ primordio homo animalis non recipiens quæ sunt spiritus, stultitiam existimauit
„ Dei legem, vt quam obseruare neglexit, ideóque non habendo fidem, etiam quod
„ videbatur habere, ademptũ est illi, paradysi gratia & familiaritas Dei, per quã om-
„ nia Dei cognouisset, si obedisset: quid mirum si redhibitus suæ materiæ, & in erga-
„ stulum terræ laborandæ relegatus, in ipso opere prono & deuexo ad terram, vsur-
„ patum ex illa spiritum mundi vniuerso generi suo tradidit, duntaxat animali & hæ-
„ retico non recipienti quæ sunt Dei? Aut quid dubitas ipsum illud Adæ delictum
„ hæresin pronuntiare, quod per electionem suæ potius quàm diuinæ sententiæ ad-
„ misit, nisi quòd Adam nunquam figulo suo dixit, Non prudenter definxisti me?
„ confessus est seductionem, non occultauit seductricem: rudis admodum hæreticus
„ fuit. Non obaudiit: non tamen blasphemauit creaturam. Adhæc Dei manum ne *Est Deũ negare Dominũ creaturarum.*
creaturam verset ad libitum, & de illius proprietatibus ipsi regulam præscribere
quam prætergredi sit eidem impossibile, est Dominium in creaturam Deo auferre:
est omnis pietatis, fidei, spei, consolationis, inuocationis in aduersis & rebus de-
speratis fundamentum funditùs euertere. Quid est enim (teste Lactantio) Deum
esse alicuius, quàm in ipsum omnia posse? Idcircò in scripturis vt se verum Deum
esse probet, non alio frequentiori vtitur argumento, quàm ita ordinatam à se vni-
uersæ naturæ legem, vt omnia suo arbitrio pareant. Apud Esaïam interrogat *Esai. 50. et 59.*
eos, qui non satis cogitarent virtutem eius ad immutandum statum regionum &
„ populorum, Quis appendit molem terræ tribus digitis? Ecce insulæ quasi pul-
„ uis exiguus. Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim
„ redimere, aut non est virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum fa-
„ ciam mare, ponam flumina in siccum, induã cœlum tenebris. Quòd si ex statu rerũ
liceret impossibilitatem Deo imponere, in rebus secundũ præsentem dispositionẽ
& conditionem deploratis frustrà speraretur, frustrà consolaremur, frustrà ad Dei
opem cõfugeremus, à promissisque eius pẽderemus. De tertio verò, id est, de cõse-
quentia & proprietate creaturarũ ac Dei impotentia contra scripturas præscribere,
& de ipsis decernere, via est compendiaria ad omnium scripturarum & Articulo-
rum fidei authoritatem abolendam. Quo enim iure tibi tantum vendicas contra *Agere contra scripturas ex natura rerũ, est omnes scripturas ferè & Articulos fidei tollere.*
scripturam de institutione Eucharistiæ, quare non eodẽ iure alius idem sibi arroga-
bit, cõtra quas volet? Hoc est de sacris sentire & garrire secundum elemẽta mundi
huius, & per inanem Philosophiam deprædari fideles. Hoc est Deum & scripturas,
non solùm magnorum ingeniorũ censuræ & capacitati subiicere, vt pẽdeat ex eo-
rũ arbitrio, quid Deo & in scripturis sit factu possibile, sed exponere maximè bru-
torũ hominum & carnaliũ ludibrio. Quotus enim quisque minus fide vel ingenij *Est Deum & scripturas subiicere humanæ stultitiæ, &*
acumine pollebit, eo plus impossibilitatis rebus inesse arrogantiùs pronuntiabit: &

ſpem & cōſolationem in rebus arduis admitere.

Baſil. lib. 3. in Enno.

Eſt dupliciter in Deum blaſphemare.

Tertul. lib. 3. in Mar.

Auguſt. lib. 20. De ciuit. cap. 19. lib. 21. cap. 5.

Eſt abolere meritum omne fidei.

Baſil. lib. 2. in Enno.

quod vni nō videbitur arduū, ab altero putabitur pro tarditate ingenij incōprehēſibile atque incredibile, eóque nihil certi vnquā de Dei poteſtate & ſcripturarū veritate definietur, ſed quemadmodum ſcribit Baſilius, qui nō poſſunt naturā formicę explicare, iidē de poteſtate Dei, quæ eſt omni cogitatione & intelligētia maior, audebunt philoſophari. Hoc eſt dupliciter in diuinā maieſtatē & omnipotentiā blaſphemare, detrahēdo ipſi facti de quo agitur poſſibilitatē, & imputādo mentiendi, vel aliter loquēdi quā res habeat facultatē, quod eſt potentē in maxima impotentia facere, & impotentē in vera potētia. De quo Tertullianus Marcionē inſectatur: Denique hac vna via totū fidei meritū deperditur, cùm nihil credi de ſcripturis iubeatur, quod ſit rebus naturalibus & humano captui cōſonū. De quo Baſilius iſta elegāter: Non mihi dicas, Quænā eſt hæc generatio: qualis & quomodo facta? Non enim quia omninò ineffabilis modus & incomprehenſibilis eſt, idcircò etiā firmiter credere recuſabimus. Nā ſi cuncta intelligētia noſtra mēſurare voluerimus, & quod mēte nō capimus, id nihil omninò eſſe putauerimus, amittetur profectò fidei, amittetur etiā ſpei remuneratio. Quomodo autē erimus amplius beatitudine digni, quę in rerū inuiſibilium fide depoſita eſt, ſi ſolis his aſſentimus, quæ intellectui dilucida putamus? Vnde errauerunt gētes, & obſcuratū eſt inſipiēs cor corū? Nónne quoniā dum ea ſequūtur, quæ cogitādo veriſimilia putāt, prædicationē ſpiritus incredibilē dicunt? Eſaias autē quos vt perditos deplorat? Væ ſapientibus in ſeipſis, & corā ſeipſis ſciētibus! Nónne hos? At nunquid (inquiunt Aduerſarij) ſcriptura rerū impoſſibilitates exaggerat, & multa ne quidem in Deo ſita eſſe oſtēdit? An non Patres Catholici ſæpè certamen ineunt de Dei amplitudine, de rerū natura & proprietate, per eáque falſas opiniones, & ſcripturas malè intellectas depellunt, ſalua interea ac ſarta tecta Omnipotentia, citráque eius blaſphemiam & imminutionem? Scriptura ſanè nunquā ex repugnantia creaturarum exceptionem patitur contra Dei magnitudinem: imò, quemadmodū Tertullianus notat, atque ex Prophetis & paſſim datur obſeruare, rerū impoſſibilitas materia eſt propria, vbi diuina virtus ſe exerat. Ideò ſcriptura ſolet tum maximè rerū perplexitatē & impoſſibilitatem amplificare, cùm Omnipotentiæ opus interuenire cōmemorat. Tātùm excipit quæ ſuſpicionem aut ſpeciē imperfectionis, debilitatis, vel defectionis in Deo vel eius verbo afferrent, vt eſt mori, peccare, falli & fallere, mutari, mētiri, ſeipſum negare poſſe, & quæ in eorū ambitu cōprehenduntur: quæ potius ſunt argumēta & teſtimonia omnibus numeris abſolutæ omnipotentiæ, quàm exceptiones. Propter hæc multa plerunque enarrat impoſſibilia Deo, non ſimpliciter, ſed poſita eius voluntate, ac lata ſententia ſeu lege, nō ſolùm diuerſa, ſed planè contraria illarū rerū poſſibilitati & facto. Tantum verò abeſt, vt ab exēplo illarum exceptionū quicquā de Dei omnipotentia cōtra expreſſam aliquā ſcripturā excipi debeat, vt omne ius excipiendi tollatur, ne dicatur Deus mentiri poſſe in facto ſuo, vel verbo, ſi aliter res eſſet quàm ſcriptura affirmet. Quinetiā cùm ſcriptura tantùm admittat exceptiones, quæ impotentiam in Deo arguerent, & omnipotentiā imminuerēt, extráque hęc citra limitationē vllam Deum omnia poſſe pronuntiet, intercludit omni homini viam quicquā aliud excipiēdi, & ita quid ſit Dei omnipotentia explicat, nimirùm quæ citra vllā impotentiā in Deo, omnia alia poſſit. Sed nec Catholici Patres comperiuntur à rerum impotentia coarctare manum Domini, vel contra ſcripturas de fidei articulis editas agere. Gentilium Philoſophorum, Valentinianorū, Marcionitarum, Arrianorum, atque aliorum hæreticorū, ſicuti noſtrorū Aduerſariorū, iſta fuit peruerſitas. Iuſtini verò, Arnobij, Irenei, Tertulliani, Athanaſij, Hilarij, Auguſtini, atque aliorum modeſtia omnem intellectū extollentem ſe contra altitudinē Dei redigere in obſequiū fidei

Quomodo ſcriptura vtatur rerum impoſſibilitate, & det exceptiones potētiæ diuinæ.

Tertul. de baptiſmo.

Quomodo ex ſcripturis ſit definiēda Omnipotentia.

Quomodo Catholici Patres & hæretici ſoleant dare exceptiones ad Omnipotentiā.

&

& ſcripturarum, nihilque concedere Deo impoſſibile, niſi quod nollet, tãtúmque conſiderandũ, an id de quo decertaretur voluiſſet, qui omnia quęcũque voluit, fecit in cœlo & in terra, qui etiã longè plura poteſt quàm velit. Quoties cõtrà hæretici, vt Monarchiani, ex vna Dei potentia figmenta ſua moliti ſunt introducere, & à poſſibili ad factum ratiocinari contra inſigniores illas ſcripturas, ſemper Patres venerati Dei ſublimitatem, ne tum quidem audent limites aliquos illi præfigere, aut quicquam de eius poteſtate demere, ſed cõtrà annuunt ipſum in infinitũ plura poſſe, quàm velit & fecerit, ideóque fruſtrà de viribus eius inquiri, prætérita eiuſdem de ſcripturis voluntate. Si quando quicquam excipiunt, id faciunt ad omnipotentiæ potiùs declarationem & confirmationem, quàm ad deſtructionem. Quocirca à Dei fortitudine ſolùm demunt, quæ impotentiam & defectionem importãt, vt ea ac ſimilia quæ de ſcripturis congeſſimus. Illud Agathonis tragœdi, vt factum infectũ reddat, cõprehendi monet Auguſtinus ſub illo, quod ſeipſum negare nequeat. "Sic enim ſcribit: Quiſquis dicit, Si omnipotens eſt, faciat vt quæ facta ſunt, facta nõ "fuerunt, non videt hoc ſe dicere, Faciat vt ea quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, "falſa ſint. Ad quod refertur etiam illud Hieronymi ad Euſtochium, & Baſilij "ad Letoium. Audacter loquar: cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare non poteſt virgi"nem poſt ruinam. Quod vtique fit, quia ſeipſum negare non poteſt: vt quod accidit, non acciderit, & quæ fuerit corrupta, non fuerit corrupta, & quod verum fuit, non fuerit. Attamen non inficiantur, quin priſtinam dignitatem reſtituere valeat virgini, quali fulgebat ante corruptelam. Patres verò obſeruantur has de ſcripturis recipere, & producere omnipotẽtiæ explanationes, potius quã limitationes, ad cõprimẽdam veterum Philoſophorum & hæreticorum, ac noſtrorum Aduerſariorũ impietatem & blaſphemiam, qui ſemper illa citarunt excipi, vt ſibi feneſtram aperirent ad alia quæ ſibi videbantur ex proprietate rerum naturalium impoſſibilia excipienda. Ad ſcripturarum inſuper veritatem & ſimplicitatem contra quoſcunque aſſerendam libenter amplexi ſunt, Deum mentiri, ac falli non poſſe. Impotentiam vero omnipotentiæ impingere ex illis particularibus, & ad alia extendere, Philoſophis & hæreticis mos eſt, non Catholicis. Narrat Magnus Dionyſius Elimam magum ſolitum in Chriſtianos ita argumentari, vt ad ſua figmenta viam ape"riret: Si eſt omnipotens Deus, quomodo à veſtro Theologo aliquid non poſſe dicitur? Ita fundamentum ſuarum impoſſibilitatum de reſurrectione & aliis iaciebãt Valentiniani & Marcionitæ, vt audiuimus ex Tertulliano, & Irenæus meminit. Ita ſolitos Philoſophos nugari contra Chriſtianos Auguſtinus locis antea notatis commemorat. Patres pro reſponſione differentiam locant inter exceptiones à ſcripturis poſitas, & eas quas in illarum exemplum Philoſophi & hæretici inducebant: quòd illæ omnipotentiam impotentia repurgarent, nec tam illam decurtarent quam augerent: iſtæ contrà imminuerent, quandoquidem ſi quæ negarent hæretici, Deus poſſet, potentior vtique foret, & latiùs pateret eius virtus, quam tot limitibus illi circumſcriberent, quot res ab illa eximerent. Sed nec locum prioribus exceptionibus fore addunt, ſi quod à ſcriptura eſſe, aut fieri à Deo aſſeueratur, diceretur ne quidem ab illo effici poſſe: quoniam in huiuſmodi oſtenderetur non tantùm mentiri poſſe, ſed re vera mentiri. Differunt quidem plerunque de rerum impoſſibilitate, & ex ea fidei hoſtes aliquando confutant: ſed quando intra fines & proprietates rerum verſantur, & quid ordo creaturarũ & natura poſcat, explicant, vel quid in ipſis Deus per creationem operetur, tum quidem differunt ex naturalibus legibus & affectionibus, ſed in obſequium virtutis diuinæ & ſcripturarũ, vnde dogmata ſumi debent: nuſquã contrà. Hanc rationẽ conſiderãdi res

Tertull. in praxeam.

Dionyſ. de diuinis nominib.

Aug. de Ciuit. Dei.

Diſcrepãt lõgè exceptiones allatæ in ſcripturis, ab his quas hæretici proferunt.

Greg. Nanz. orat. 4. de Theologia.

vocant nostri Theologi secundum potentiam siue Dei siue naturæ ordinariam & conditionatam: sed vt ex ea Patres aliquam Deo imponerent necessitatem, ne quid aliud faceret, vel facere posset extra ac supra naturæ possibilitatẽ & cursum, mera est calumnia. De hoc Tertullianus ista: Est quidem & de cõmunibus sensibus in Dei rebus sapere, sed in testimonium veri, non in adiutorium falsi, quod sit secundũ diuinam, non contra diuinam dispositionem. Quædam enim & natura nota sunt, vt immortalitas animæ penes plures, vt Deus noster penes omnes. Vtar ergo & sententia Platonis alicuius pronuntiantis, Omnis anima immortalis. Vtar & conscientia populi cõtestantis Deum deorum: vtar & reliquis communibus sensibus, qui Deũ iudicem prædicant, Deus videt, &, Deo commendo. At cùm inquiunt mortuum quod mortuum, & post mortẽ omnia finiuntur etiam ipsa, tunc meminero & cor vulgi cinerem à Deo deputatum, & ipsam sapientiam seculi, stultitiam pronuntiatam. Tunc si hæreticus ad vulgi vitia, vel seculi ingenia confugerit, discede dicam ab Ethnico hæretice. Quid cæco duci inniteris, si vides? quid vestiris à nudo, si Christũ induisti? quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ille potius à te discat carnis resurrectionem confiteri, quàm tu ab illo diffiteri: quia si & à Christianis eam negari oportet, sufficeret illis de sua scientia, non de vulgi ignorantia instrui. Adeò non erit Christianus, quia eam negabit quam confitentur Christiani, & his argumentis negabit quibus vtitur non Christianus. Aufer denique hæreticis quæcũque Ethnici sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Communis enim sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum & familiaritas opinionum, eòque fideliores existimantur, quia nuda & aperta, & omnibus nota definiunt. Ratio autem diuina in medulla est, nõ in superficie, & plerunque æmula manifestis. Itaque hæretici inde statim incipiunt, & inde statim præstruunt: deinde instruunt, vnde sciunt facilè capi mentes, de communione fauorabili sensuum. An aliud prius vel magis audias ab hæretico, quàm ab Ethnico, & non protinus & non vbique conuitiũ carnis, in materiam, in casum, in omnem exitũ eius immundæ ab exordio ex fæcibus terræ, immũdioris deinceps ex seminis sui limo, friuolæ, infirmæ, criminosæ, onerosę, molestæ, & post totũ ignobilitatis elogiũ caducæ, in originem terram, & cadaueris nomen. Obsecro te Christiane, an non vides suis omnibus coloribus depicta omnia argumentorũ genera, quibus nobis insultãt Aduersarij circa Eucharistiã, vt Marcionitæ circa carnis resurrectionẽ, vtpotè ex sensibus & proprietatibus, ac cõsequentiis naturaliũ corporum, vnde simplicioribus facilè illudunt, & Christianismũ cum Paganismo & Philosophia cõmiscent.

Quatenus liceat à sensibilibus & naturalibus circa sacra argumentari. Tertul. De resur. carnis.

Hæretici solis naturalibus innituntur, & cur.

Itaque si Aduersarij disserẽdi de rebus sacris cupiũt ex scripturis & Patribus discere methodum, non debent per rerum sensibilium qualitates & impossibilitatẽ certis de fide scripturis & omnipotẽtiæ Dei bellum indicere, sed cõtrà talibus scripturis, & Dei nutui, rerum quamcunque incredibilem repugnantiam subdere. Quod cùm in omni cõtrouersia de religione fundamentũ sit, multo magis in Eucharistiæ cõtentione ita nobis agendũ Christus ipsemet admonuit. Nam cùm Capernaïtę & discipuli ex carnis humanæ cõditione resilirent ab eius doctrina & sermone, vti nũc faciũt nostri Aduersarij, causam erroris in eo cõsistere declarat, quòd illi tãtùm carnis naturalis proprietates spectarẽt, nec specularẽtur singularis carnis quæ promittebatur dignitatem, nec loquẽtis potentiã ac diuinitatem. Caro nõ prodest, inquit, quicquã: Spiritus est qui viuificat. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Vbi Patres ferè omnes, vt videre licet in Repet. sexta ad caput in hæc verba conscriptũ, consentiunt erratũ à Capernaïtis, & à filiis huius seculi, quod ex natura rerũ temerè ruunt ad ferendũ iudiciũ de verbis Christi, eius carne atque potentia. Ex quo Hilarius

Quomodo aduersarij deberent circa Eucharistiam agere, à Christo etiã admoniti.

Basil. in Ethicis, definitione 8.

rius concludit verba Christi de Eucharistia, seu de manducanda carne non posse aliter intelligi, quàm propria, nisi ab his qui totiad sensum humanæ rationis ab „ iecti, non credunt Christum Deum esse. Non est humano (inquit) aut seculi „ sensu in dei rebus loquendū, neque per violentā atque impudentē prædicationem „ cœlestium dictorū sanitati alienæ atque impiæ intelligētiæ extorquēda peruersitas „ est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fi„ dei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi „ ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait, Caro mea vere est esca, „ & sanguis meus verè est potus. De veritate carnis & sanguinis non relictus est „ ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè ca„ ro est, & verè sanguis. An-ne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non „ esse, qui Christum Deum verum esse negant. Non alio ergo loco Hilarius Aduersarios habet, quàm pro Atheis contra Christum, quoties ex sensibilibus verba eius infirmant. Capernaïtas quidē sequuntur in eo, quod ex incertitudine vel impotētia modi naturalis fidē dictis Christi derogāt: in eo tamē sunt deteriores, quòd Capernaitæ facilè acquieuissent Christi assertioni, si Deum esse agnouissent, cū diuinitatē eius tot modis experti aduersarij, nihilominus grauātur ipsi cōcedere vim & potētiam efficiēdi quod loquitur: in quo dupliciter nō à se Christū Deum esse credi deprehendūtur, tum in eo quòd in sermone mentitū dicant, cùm falsum esse illū prædicāt, vt prolatus est à Christo, tū in eo quod ab eo perfici nō posse cōtendūt quod verbis promisit. Ad illud igitur quomodo, cum Capernaïtis redigūtur Aduersarij: quod (sicut ait Iustinus) in Dei operibus infidelitatis manifestū est argumentū: ac nisi modū in natura possibilē oculis eorum subiecerimus, nec illis verbū Dei: nec diuina potentia quicquam de corporis Christi existentia in pane persuaserit. Caluinus quidē ad hoc suis prælucet, cum se fatetur impediri quominus accedat Catholicæ doctrinæ ex natura carnis, quæ loci spatio certo & dimēsionibus egeat, nec sibi nefas esse ducit sanctæ virginis exēplo in re ardua sciscitari quomodo fieri possit. Nihilominus cū ad mentē redit, negat prorsus modū inuestigandū, aut ipsi instandū, „ quominus verbis credatur. textus est. Et sanè frustrà se homines macerabūt, si car„ nis suæ sensu cōprehendere modū & rationē studeāt. Hic enim Deus immēsam sui „ potentiā exerit. Quare præposteri sunt, qui nihilo plus in hac re cōcedunt, quā inge„ nij sui modulo cōsecuti fuerint. Cū nobis in sacra Cœna carnē & sanguinē Christi „ exhiberi negāt, Modū (inquiunt) definias, aut nō persuadebis. Atqui ego mysterij „ altitudine in stuporē abripior. Neque vero me pudet admiratione meā ignorantiā „ cū Paulo fateri. Quāto enim est id satius, quā extenuare ad carnis meæ sensū, quod „ Paulus altum esse mysterium pronuntiat? Idque docet ipsa ratio. Quicquid enim „ supernaturale est, id profectò captum ingenij mei superat. Proinde magis laborā„ dum, vt Christū sentiamus in nobis viuentem, quàm vt cōmunicationis nobis ratio „ pateat. Eant ergo iam Caluinus ipsemet ac discipuli eius, modúmque & rationē, atque omnes physicas circunstantias tantæ rei ex nobis scrutantes, quas si ante oculos non depinxerimus, mox clamant nos aut incerta vel absurda docere, occinentes illam ipsis à Caluino exprobratam Epicureorum & infidelium cantilenā, quam perpetuò habent in ore: Modum discutias, aut non persuadebis: & illud incredulorum toties à Iustino, Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Ambrosio atque aliis damnatum, Quomodo fieri potest. Nolunt à nobis ad Dei omnipotentiam prouocari ad constituendam in Eucharistia præsentiam carnis Dominicæ, nisi prius modum oculis subiecerimus, cum ipsi ad eandem omninò confugiant pro eiusdem carnis participatione, nec sinant de modo quæstionem interponi. Propre-

Perceptus de Eucharistia verba nō sunt humano iudicio expendēda. Hilar. lib. 8. de Trinit.

Hilarius pro Atheis habet, qui verba Christi interpretantur aliter quàm sonāt ex sensibilibus.

Aduersarij Capernaitis sunt deteriores & cum ipsis quærunt quomodo.

Iustin. in fidei exposit.

Cal. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 24. & 26.

Cal. in ca. 5. ad Ephes.

Caluinus negat quærendum de modo in Eucharistia.

Aduersarij

luti de nouo creat. Nec in his vtitur creaturis ex earum proprietate, vt medicus medicinis, & Deus ipse in ordinaria prouidentia secundis causis, vbi pro ipsarum genuina vi ac natura illis initio indita adhibentur. Verùm hîc neglecta rerum natura, illis pro libito vtitur, & plerunque contrà quàm eorum proprietas ferat. Quid enim Iridi cum serenitate, quid luto cum aspectus reparatione, quid aquæ frigidæ cum paralysis curatione? Res igitur sacramentales & actiones quasi transferuntur in nouam quandam creationem, & nouam proprietatem accipere debēt, vt eas esse, & haberi velle Deus author testatur suo verbo, quoniam eius ordinatio & velle est efficax, ac verum earum esse. Ita Caluino Magdeburgenses obiecerent de propria quadam sacramentalium rerum & actionum Dei conditione, & non ex triuiali ac communi rerum vsu & cursu ista æstimāda: quod quidem semel atque iterum repetens agnoscit, nec refutare potest. Deinde contra carnis naturales proprietates iubemur à Christo expendere, de quo corpore hîc versetur quæstio: Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat. Mater non de carne, sed de spiritu concepit, vt originē suam redoleat. Quid hîc quæris (ait Ambrosius) naturæ ordinem in "Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? Duo "ista, quòd mysteria minimè deceat ex sensibus iudicare, & quòd aliud de Christi carne conueniat affirmare, quàm de vulgarium hominum corpore Patres monent, in his quæ ad verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt, scribunt, & aliàs à nobis recitantur. Tertiò cogitandum etiam nostra corpora pro vario suo statu exuere & permutare conditiones & accidētia, de quibus inter nos ambigitur, vtpotè locum, situm, tempus, & motum, cum quibus in altero seculo aut nihil, aut vix quicquam certi commercij retinebunt. Sicut verum est, teste Aristotele, omne corpus naturale ac mobile situm esse in loco, & omnem motum fieri in loco & tempore: ita contrà quis non vel ipso solo intellectu videt istas externas corporum circunstantias, motum, locum, situm, ac tempus, solummodò propter vsus & necessitates huius terrenæ temporariæque vitæ diuinitùs ordinatas ac institutas esse? Scriptura dicit, cœlum cum elementis conflagraturum, & vnà cum terra transiturum: quibus sublatis, vbi tandem remanebunt locus & situs? Dicit apud Deum mille annos tanquam diem vnum, & contrà. Vbi relinquetur in tali nouo seculo temporis commensuratio? Quare iam duæ primariæ voces sublatæ sunt in altero seculo, de quibus maximè litigatur in hoc sacramento, locus scilicet, & tempus, quasi repugnet corpus Christi esse sine loco, & simul tempore pluribus in locis extare. Motus, situs & tempus vitæ corruptibilis cōmmodis destinantur. At in altera vita nec tempore alternabimur, nec locis indigebimus, nec physicos motus habebimus, sed teste Christo, sicut Angeli, quasi incorporei viuemus & agemus. Fortè igitur nō ineptè putabitur, quòd in altera vita amotis physicorū corporum externis circunstantiis, motu inquam, situ, loco, ac tempore, quas etiam Physici iudicant esse corporibus extraneas, omnis mensura motus, quietis, vel durationis, erit vnum tempus, vel potius nullum, omniáque præterita, præsentia, ac futura, erunt illic nobis præsentia. Hic etiam sublata prorsus physica localitate, omnis locus fiet vnus, vel potius nullus, omniáque propinqua vel longinqua erunt nobis perinde proxima, sicut & nos illis. Cum his pulchrè conuenit Theologicum axioma, quòd in altera vita omnes perinde proximi Christo in illo cœlesti conuiuio assidebimus, eiúsque præsentia & familiaritate suauissimè fruemur, ac beabimur. At si localitas illa in altera vita adeò necessariò valeret, vt Aduersarij volunt, tum profectò in tam infinita multitudine beatorum plurimi per innumera miliaria procul à Christo abesse & procul habitare cogerentur. Nec eò afferimus ista, quòd asseramus beatorum corpora in altera

Cal. in vlt. admonit. ad VVestphal.

Circa corpus Christi omnes naturæ proprietates non debent exigi.

Ambros. cap. 9. de his qui initiant. mysteriis.

Etiam corpora nostra in alio seculo mutant proprietates suas de loco, motu, & tempore.

vita in multis locis eodem tempore futura, vel non futura: multo minus, quòd certò definiamus, qualisnam localitas aut temporalitas sit in illa beatorum vita, & spiritali regno Dei multóque minus in illa ineffabili maiestate dexteræ Dei, in qua nunc homo Christus gloriosissimè ineffabiliterque regnat. Nec enim ista omnia à Deo sunt reuelata, sed in his comprehensa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, ideò nec stupiditati nostræ sunt perscrutabilia. Afferuntur autem, vt etiam à ratione redargui ac refutari cognoscantur Aduersarij, dum corpori Christi etiam regnanti in cœlo, & in Eucharistia gloriosè, & nō in fragilitatis humanæ statu se exhibenti, ex physicorum corporum circunstantiis veluti fatales quasdam adamantinásque catenas circumponunt atque iniiciunt, tanquam si sine eis esse, aut ab eis liberari omninò non possit, nec ab ipsa quidem diuina potentia. Scriptura tollens tempus à conspectu Dei, subiicit mille annos instar diei vnius, & vicissim diem vnum mille annorum instar. Sic de loco rectè credetur, quòd milia miliarium coram Christo in gloria patris sint vice vnius palmi, & palmus vnus pro mille parasangis. Sublata igitur à glorioso Christi corpore ista terrena seruitate, ac necessitate locorum, temporum, situs & motus, facilè apparet illud omnibus locis & temporibus perinde absens vel præsens, vicinum & remotum pro suo arbitrio esse posse, vtpotè quod extra istas mortales corporis & externas circunstantias conditione sua prorsus gloriosa ascēderit & euolarit, ibíque adsit vbi decreuerit. Nec ex his quidius fingere intēdimus, declaramus nec in cœlo nec in sacramento exigendam caducam & temporariam carnis Christi proprietatem ac localem. Iam si postulaturà nobis, quàm latè patere credamus Dei potentiam, & an saltem ab ipsa eximamus quæ in creaturis manifestam contradictionem sensus communis concipit includere: respondemus ne quidem ista nos excipere, quoniam scimus Deum plus posse, quàm valeamus intelligere, quo ipsum priuamus, si tantum illi permittimus, quæ factu possibilia apprehendimus: imò tum demum magnitudinem Dei veneramur, quo magis ad ea quæ nobis apparent impossibilia, extendimus. Quocirca diuina virtus non solùm potest supra naturam rerum, sed supra omnem intellectum creatum, quoniam in infinitum excedit vtrumque, vt nostri docent. Deinde toties monet Tertullianus, quæ stulta sunt mundi, elegisse Deū, vt confundat fortia, & quæ esse sapientiæ ducimus, vt non propter absurditatem nobis apparentem temerè ac statim multa ne fieri queant, extorqueamus de manu Dei. Audi Emissenum exponentem, quid sit credere in Deum omnipotentem. Non cogites (inquit) nec intra te dicas, quomodo, aut quo ordine hoc fieri potuit? Diuina opera non discutienda sunt, sed credenda. Non te confundat, nec trepidum faciat rerum nouitas, sed sufficiat tibi omnipotēs authoritas: sed sit pro lance rationis omnipotentia conditoris. Non causeris, si non subiaceat sensui tuo ordinationum cœlestium magnitudo: excedit diuini opificij dignitas humanæ mentis angustias. Quid sibi speciale, quid proprium reseruaret incomprehensibilis illa maiestas, si semper comprehendere possit sapientia hominum altitudinem cœlestium secretorum? Quisquis ergo ille es, qui obscurorum profunda non fide, sed curiositate rimaris, hoc potius insinua cordi tuo, vt diuinas dispensationes quanto difficilius inuestigare videris, tanto reuerentiùs admireris. Quid haberent superna pretiosum, si nostræ familiariter scientiæ subiacerent? Et ideò quanto minus capis operis intellectum, tanto magis mirare dispensatoris consilium. Ne dicas, illud possibile est, illud fieri non potest: quia qui te magna credere iussit, omnipotens est. Diuinis rebus admiratio adhibenda est, non credulitas abneganda. In omnipotentem te credere confirmas: sed si de factis eius dubitas, imbecillitatem

Corpus Christi est in sacramento modo supernaturali & plusquam glorioso.

Quanam sint eximēda à Dei potentia, & quàm latè pateant.

Biel. lec. 46. in Can ex Alexadro Hallēsi.

Emissen. ho. 1. de symbolo.

cillitatem omnipotentię accuſas. Propterea purioribus illis temporibus ne quidem Chriſtiani Philoſophi aſſentiebantur facta infecta à Deo reddi non poſſe. Magnetes enim ante tempora Conſtantini Magni, Græcus author, contra quendam reprehenſorem noui Teſtamenti, libro quarto ad Theoſthenem ſcripſit in hanc ſententiam: Nihil eſt quod non poſſet efficere diuina natura, vt idem eſſe ſolem & nubem, item quæ præterierint non eſſe præterita, & facta infecta: quomodo autem & quando, neque explicari neque comprehendi poſſe. Cùm itaque Deus poſſit efficere, non tamen efficit quatenus poteſt, ſed quatenus vult: vult autem quæ conueniunt, cōueniunt quæ decent, decent verò ἄπρ. ἀκόλυθα id eſt, quæ apta ſunt & cohęrentia, rei ſcilicet quam vult & inſtituit, ac ſe velle declarat. Ita Tertullianus numquam adducitur, vt quicquam Dei poteſtati ſubducat, quantumuis incredibile vel abſurdum, ſed ad voluntatem poteſtatis efficientiam refert. Rectè igitur aliqua repugnantia & contradictoria à Dei voluntate excipi conuenit, ſed non à Dei poteſtate, à qua ſcriptura nihil excipit, niſi quod impotentiam in Deo monſtrat: numquam verò illi opponit vel ſubtrahit quicquam rerum proprietati & naturæ minimè cohærens & aduerſum: imò quoties contrarietates ex creaturis profert in medium, toties materiam eſſe ſignificat, circa quam Dei virtus ſe oſtendat & exerat. Poſtea Auguſtinus, Hieronymus, & maximè quidam ex noſtris Scholaſticis non ſunt veriti quædam in creaturis pugnantia etiam à Dei poteſtate præſcindere, ſed tantùm in his locum habent, quæ impotentiam in Deo coarguerent ſi fierent, & tãtùm quatenus coarguerent: vt non eſſe præterita, & facta infecta reddere. Non caret Deus poteſtate obliuionis in præterita, ſicut putauit Plinius: Nam poteſt obliuionem in ipſas creaturas de præteritis inducere: ſed nō ea abolere, vt numquam fuerint, nec in ſuum intellectum de ipſis obliuionem inducere poſſet ſine mutatione in ſe, & intellectu ſuo, atque ita ſeipſum negaret. Eo pacto de omnibus factis, ſi fierent infecta, accideret. Et virginem poteſt in priſtinam integritatem reſtituere: ſed vt præteritum factum corruptionis non fuerit, delere Deus neſcit ſine ſui mutatione, cui obnoxius non eſt. Verè itaque Magnetes ſcripſit Deum poſſe iſta abolere, & præteritorum omnem memoriam atque omne veſtigium in creaturis tollere: ſed quoad ſe nec præterita reuocaret, vt nihil monimenti de ipſis in illo remaneat. Nam hoc vno priuatur Deus, quia ſine ſui mutatione non faceret: ob ídque Auguſtinus atque alij benè admiſerunt eſſe illa impoſſibilia, quia ſine impotẽtia in Deo ipſo non peragerentur. Quod bis decem non ſint viginti, atque alia quæ affirmantur eſſe, vt ſunt in ſenſu compoſito, ſicut loquimur in ſcholis, id eſt, quandiu ita habent, non eſt ſitum in Deo negationem affirmationi oppoſitam veram reddere: quia mentiri poſſe, & aliter affirmare quàm res ferat, eſt impotentiæ: ſed quemadmodum Deus initio ſtatum & ordinem illum ita fixit, vt aliter figere potuerit, ſic quocunque tempore decreuerit, ſuarum eſt virium illum immutare, & in quemcunque voluerit transformare. A nobis verò aliter vix poteſt concipi, quia non aſſueuimus res aliter quàm norimus & extent, animo aſſequi: nec ſi Deus mutauerit, ideò mutabitur in ſe, quia quin ita extiterint in præteritum, non tollit: cui etiam licet permittere, vt ita permaneant quandiu placuerit, ſed poteſtatem à ſe nō abdicauit aliter conſtituendi: alioqui abbreuiaſſet & exinaniſſet manum ſuam, qua ſi vtitur, & diuerſa & contraria, & quocunque modo pugnantia circa rem eandem ipſi fas eſt operari: quæ ſi manet vt prius erat, verè ita eſſe dicetur, & nihilominus alia eſſe affirmabitur, quocunque genere oppoſitionis alia facta fuerit à Deo, nec indè impotẽtiam reflectes in Deum, ſiue mutationis, ſiue mendacij. Non enim ſi rem aboleat, abolet ipſam aliquando extitiſſe, nec ſi eadem manente aliam præ-

Citat Turrianum in Antapologetico de reſidentia Paſtorum.

Ne quidẽ primi Chriſtiani audebant excipere à Dei potẽtia, quæ cõtradictionem implicant.

Tertull. de baptiſmo.

ſtiterit, negatur eſſe id quod manſit, ſed vna prædicatur alia eſſe, vti facta eſt alia: & quamuis tum videantur de eadem re pronuntiari affirmatio & negatio, non tamen enuntiantur ſub vna & eadem rei conditione & ratione, ſed ſub diuerſa, vel etiam contraria, quæ ſalua priore, vel abolita, ſubeſt poteſtati diuinæ. Illo pacto Deus aſino contrarias proprietates, & eſſentiales differentias in genere animantis manente aſino impreſſit, cùm ipſum hominis voce loqui fecit, & hominis proprietate affecit. Sic eidem aquæ in ſacrificio Heliæ frigiditatem & ardorem, humiditatẽ & ſiccitatem, aqueam & igneam qualitatem indidit, ſicut & igni Babylonico, vt pueros refrigeraret, & carnifices exureret: quorum ſi vnum ex inhærente vi operatus eſt ignis, vtique & alterum, quoniam ſcriptura vtrunque eodem modo igni tribuit. Sic ſolis interno, ac tantum non eſſentiali lumini, tenebras copulauit. De his preclare ſcribit Ceſarius Nanzianzeni frater. In Deo quieſcat illud quomodo. Vox Domini perrumpentis flammam ignis inquit Dauid. Ad hũc enim modum in rubo deſerti in fornace Babylonis, & in Helia vate aſcendente in cœlum aliiſque prodigiis, edacem vim ignis diuinum mandatum reſecat, ſeparans ea que apud nos inſeparabilia ſunt & innuẽs futuri iudicij integritatem, vbi illuminatio quidem ignis æterni iuſtis tribuetur, inflãmatio autem aduerſariis. Sic in eodem ſubiecto Deum & hominem, Deum & creaturam collocauit, rem ſanè in natura ex lege contrariorum omnium maximè impoſſibilem, vt annotauit Clemens in definitionibus, quas Anaſtaſius Antiochenus collegit. Nihil ergo ſana doctrina definit impoſſibile Deo circa creaturas, niſi quod ex per ſe notis aſcendit ad impotentiam internam Deo, & tantum quatenus aſcendit. Quantumcunque ergo vrgeas cõtradictoria, aut alia quæcunque oppoſita in creaturis, niſi ea facere vel pronuntiare repugnauerit expreſſe perfectioni, quæ in Deo eſſe natura duce & per ſcipturas cognoſcitur, non excipiemus à Dei potentia: & vbicunque à piis ſcriptum fuit excipi, quæ contradictionem implicarent, ſi reuocemus ad veritatis incudem, non niſi de tali contradictione intelligi decet. Quantum ad exiſtentiam corporis Dominici in Euchariſtia, pugnantes impoſturas de nobis fabricant Aduerſarij. Deteſtantur aliquando doctrinam noſtram, quaſi corporaliter reponamus illic corpus Chriſti, & localiter includamus in pane, cùm tamen contrà inſectentur nos, quòd panem tollamus ab Euchariſtia, & ipſum corpus pluribus locis ſpargamus. Si panem eliminamus, & tot locis adeſſe corpus illud docemus, certè nec pane, nec vno loco, tanquam aliquo carcere ipſum coërcemus, nec corporali modo Euchariſtiæ alligamus. Quantum nobis falſò tantum verè Aduerſariis imputari debet, quod corporaliter & localiter Chriſti corpus, ſiue in cœlo, ſiue in Cœna, ſiue in ſeipſis, ſiue vbicunque cõſtituerint, includant, quoniam non alium modum quo exiſtat, ne quidem per Dei poteſtatem agnoſcunt. Rurſum vbi noſtram fidem apertiùs perſpexerint, de duobus quaſi contrariis nos accuſant, quòd corpus ipſum ſine loco extare fingamus, & tamen idem tot in locis altarium noſtrorum & Euchariſtiarum defigamus, de codémque corpore planè contradictoria aſſeueremus, vt quod ſubſiſtat in loco naturaliter, veluti in cœlo, & non ſubſiſtat, quemadmodum in Euchariſtia. Principiò fidem Catholicam paucis explicemus, Aduerſariorum tela contra eandem poſtea depulſuri. Quoniam voluntas Dei de ipſa Euchariſtia ſit nobis comperta potiſſimùm ex inſtitutionis verbis, quæ habent, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, Hic ſanguis noui Teſtamenti qui effunditur pro vobis in remiſſionem peccatorum, Hoc facite in meam commemorationem*, Eccleſia à tempore Apoſtolorũ per Spiritum ſanctum illuſtrata perpendit, quænam eſſent ad hanc voluntatem Chriſti, & ſcripturam voluntatis indicem, τὰ ἀκόλυθα ſiue cohærentia. Ex ſenſu vidit formam panis & vini

Dei potentia etiam in eodem ſubiecto cõtraria poteſt conſeruare.

Dial. 2.

Pugnantes impoſturæ Aduerſarij de fide Catholica circa Euchariſtiam fingunt.

Doctrina Catholica de modo quo corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtit.

vini manere,& tamen quod in ipsis esset & daretur, non significari à Christo panis esse substantiam vel vini,sed corpus suum & sanguinem:ideò eam mutationem factam à Christo credidit, vt vbi antea panis ac vini substantia præcesserat, succederet corporis & sanguinis substantia, & eo modo quo prior substantia existebat ibi. Is autem modus cognoscitur esse nō localis,nec corporeus: si quidem tales ex quātitate pendent, non ex ipsa in se substantia, quæ proprio modo continetur sub sua quantitate,eáque existendi ratio dicitur per modum substātię,quo substantia nō diuiditur nec scinditur ad partitionem & rationem suæ quantitatis, & aliorum accidentium, ita tamen ipsis substat,vt sub ipsis verè contineatur. Ad hanc rerū cum voluntate diuina cohærentiam conuenienter Ecclesia iudicauit, per transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, seu corporis ac sanguinis substantiam,cum sua quantitate,& aliis insitis accidentibus,adesse sacramento: ac ne præsentiam illam pro assistentia sola ad sacramentum quisquam acciperet,sicut quandoque Aduersarij videntur capere, quasi sufficiat recipi corpus & sanguinem opera Spiritus sancti, quando & vbi recipitur forma panis & vini, nec sit necesse corpus & sanguinem subesse speciebus,sed solùm ipsis assistere,Ecclesia vt huic errori & aliis occurreret, & exprimeret corpus & sanguinem vicem & locum substātiæ panis & vini subire quoad præsentiam, in Concilio Lateranensi pronuntiauit corpus & sanguinem in sacramento sub speciebus panis & vini contineri, vt præsentiam significaret aliam esse quàm assistentiam, & talem esse, qualis antecesserat in substantia panis & vini, quæ continebatur ac verè suberat speciebus & accidentibus,non localiter nec corporaliter,sed per modum substantiæ,quæ non per se diuiditur nec extenditur, sed impartibiliter suo modo proprio sub suis accidentibus extat & continetur. Quoniam tamen ἀκόλουθον seu rei cohærentia cum voluntate diuina de institutione Eucharistiæ, quæ promulgat, *Hoc facite in meam commemorationem*, non patitur ita corpus & sanguinem sub vna Eucharistia contineri, vt alibi non sit:per illam institutionem volūtas diuina declarat, in aliis Eucharistiis eodem modo esse oportere,vbicunque ritè fuerint cōfectæ, quo inerat sub ea quam Christus confecerat. Ideò credimus in pluribus sacramentis Christi corpus & sanguinem adesse, & contineri, sed non comprehendi: quod verbum abhorret Ecclesia, nisi sanè intelligatur, & ab eo consultò abstinuit Concilium Lateranense, ac mitius quod est contineri, applicauit,ne in vllo sacramento putetur corpus Christi & sanguis concludi. Quemadmodum autem in nullo sacramento corpus Christi & sanguis continentur modo naturalis corporis per suam quantitatem in loco, ita nec in pluribus sacramentis habentur, tanquam in pluribus locis, quoniam non subiacent ipsis per quantitatem quam afficit locus,sed per substantiam,quæ nec loco nec quantitate in se commensuratur. Attamen quoniam sacramentum per formam panis & vini est in loco,& in pluribus locis celebratur, & capitur,non recusamus corpus & sanguinem Christi per præsentiam & assistentiam, non tamen vt ita loquar, per continentiam & comprehensionem,siue in vno,siue in multis locis esse, modò non intelligantur ibi capi per circumscriptionem vel definitionem, vel aliam quamcunque loci limitationem, vel alio quocunque modo physico & naturali, quo corpora vel creaturæ aliæ certis locis deputantur & definiuntur. Sicut ergo voluntas diuina opus singulare peragit in Eucharistia, ita operis existentia per ἀκολουθίαν illam & cohærentiam singularis est, nec inuenit parem in tota vniuersitate:ob ídque à nostris dicitur in sacramento contineri,nec definitiuè, nec circūscriptiuè,nec localiter,nec vllo aliò nominato modo,sed ineffabili,& huic sacramento proprio, ad quem propius accedit existere per modum substantiæ, si nihil de aliis

Quomodo cōcedi possit corpus Christi in sacramento esse in pluribus locis.

Thom. 3. part. qu. 76 art. 5. opusc. 5 art. 33. et opusc. 59 cap. 3. Dom. a Soto in 4. distinct. 10. q. 1. art. 5.

Existentia corporis Christi in sacramēto singularis est.

modis admifceas. Nec Pontifices, nec Scholaftici Doctores commenti funt eam præfentiæ conuenientiam cum voluntate Chrifti inftituentis Euchariftiam: fed à primis Chriftianis didicerunt, qui per omnipotentiam Dei panem mutari in fubftantiam carnis Chrifti iuxta verbum fuum interpretantur, ita vt ad illam omnipotentiam confugiant, non pro participatione fola carnis, fed antea pro præfentia carnis illius, quemadmodum recitauimus in fecunda Repetitione & libro primo de tranffubftantialitate: modum infuper explicant à Chrifto enarratum, vbi dixit, Caro non prodeft quicquam, fpiritus eft qui viuificat: vt modo diuino ac fpiritali corpus Chrifti infit, non vbique, fed vbicunque Euchariftia conflabitur, quoniam caro illa non fit communis, nec ad naturales rationes & modos expendenda, fed pro capacitate diuinitatis carni infitæ, quæ ipfi fupra naturam multa impartitur, Idcircò vetant fenfus aut naturales rationes hîc adhiberi, fed virtutem Dei, & diuinitatis fpiritalem modum. Corpus hîc adeffe prædicant impartibiliter, nec corruptioni, nec diuifioni, nec extenfioni pro ratione fpecierum fubiectum, quod verè eft per modum fubftantiæ ibi fubfiftere. Hæc petenda ex quinta & fexta Repetition.

Epiphan. in Ancorato. Aug. lib. 3. de Trinitate, ca. 4.

Epiphanius ex omnipotentia proficifci fcribit, vt humanum corpus Chrifti fub rotúda atque exili panis forma degat. Ex eadem Auguftinus tradit, Chriftum fub tantilla panis effigie oculis mortalium apparere voluiffe, ficut per omnipotētiam alias figuras olim, quibus appareret, efformauit. Ambrofius, Chryfoftomus, & alij ad eandem omnipotentiam referunt, quòd vnicum corpus Chrifti, cùm in rerum natura ftet, attamen tot in locis plenum & integrum verfetur & poffideatur: id quod remittimus ad propriam ea de re difputationem. Quid igitur noui vel Papatus vel Schola de exiftendi modo excogitauit, nifi quòd planius ac fufius, ac fortaffe etiam nimis naturaliter ftuduerunt plerique decidere & propalare, quod Chriftiana fides & Ecclefia reuerentiùs olim ac parciùs promebat. Liceat modò aures præbere bla-

Quæ cōtra Dei omnipotentiā Aduerfarij obuciant circa exiftentiā corporis in Euchariftia.

fphemiis & nugis, quibus aduerfarij, tanquam canes, fanctum Domini adlatrant. Ex confeffione naturalis corporis in Euchariftia, inferunt requiri omnes talis corporis proprietates, faltem effentiales, & fine quibus animo comprehendi nequit corpus effe: in quibus amplificant quātitatibus ac dimenfionibus fibi debitis prēditum effe, & occupare locum fuæ magnitudini æqualem, qui fi defit, vnà continuò corpus effe definere, ac fpiritum fieri, fecundum authoritatem Auguftini, Tolle fpatia corporibus, & non erunt: imò nec fore creaturam addunt, nifi definiatur aliqua capacitate loci, ita vt ne quidem in Dei ditione ponant, vt corpus condat, vel in rerum natura fulciat fine iufto loco, vel in variis locis fimul conferuet. Præter allata, quibus carnem intercidere putauit Caluinus, fi fua quantitate & loco exueretur, ipfe in fecunda Defenfione ait: ἄτοπον, id eft effe in non loco, nec locale dicere corpus, quod femel induit filius Dei, & quod femel crucifixum in gloriam cœleftem extulit, id verò prorfus eft ἄτοπον, id eft abfurdiffimum.

Beza dial. 2. in Heshuß.

Adeò verò ἰδιῶδες & effentiale Beza exiftimat, vt omne corpus comprehendatur certo in loco, & concludat: Audis, Heshuffi, tantum valere hanc conclufionem, Corpus eft, ergo eft in loco, & circumfcriptum, vt ne diuina quidem natura excipienda fuerit, fi corporea effet. In his multa funt, quæ meritò reprehendamus.

Effe in loco adæquato putant effentiale corpori.

Argumentum à proprietatibus naturalibus commune omnibus hæreticis.

Imprimis forma argumentandi periculofa eft, & quæ Saducæorum hærefin atque alias Marcionis, Manichæorum & Origeniftarum de carne Chrifti, & corporum refurrectione, ac totum Chriftianifmū funditùs euertit, cùm fidem & Dei omnipotentiam ad naturæ corporeæ leges aftringat. Nam ex pofita veræ carnis refurrectione, per accidentia quę carnem humanam confequuntur naturaliter Saducei deridebant refurrectionem. Quoniam naturam carnis comitatur fexuum

diuerfitas,

diuersitas,& maris cum fœmina copulatio, ex absurdo vnius mulieris cum septem
fratribus connubio, quasi dirimi & auferri ab excitatis corporibus hoc accidens
nequiret, vrgebãt insanam atque impuram fore resurrectionem, ac proinde potius *Matth.22.*
nullã. Ex ea quam putabant ad substantiam corporis, accidentium sequelam, Phy-
losophi, Marcionitæ & Origenistæ, subsannabant vt delirium eiusdem carnis repa-
rationem, & in cœlum futuram translationem, quia cogitatione non valerent as-
sequi sine his quas natura fert constitutionibus & actionibus. Narrat Augustinus
nonnullos olim contendisse Christi corpus post ascensionem adhuc manere corru-
ptioni obnoxium ex corporearum qualitatum consequentia. Ibi sanè nostrorum
Aduersariorum describit argumentum, & vnde nascatur, & quid ei respondendũ,
monet. Ex consuetudine (inquit) rerum expertarum inexperta opera diuina infir-
mitas metitur humana, & argutulè se garrire arbitratur, cũ dixit, Si caro est, & san- *Aug. ep. 146.*
guis est: si sanguis, & cæteri humores: si cæteri humores, ergo & corruptio. Eodem
modo diceret, Si flamma est, & ardet: si ardet, vrit: ergo virorum triũ ab impio Re-
ge in fornacem missorum corpora incẽdit. Si autem hoc in tribus viris miraculum
factũ est, non dubitat quisquis de diuinis operibus rectè sapit, cur non creditur, qui
fecit illa corpora, non posse igne corrumpi, fecisse illud corpus nec igne, nec fame,
nec morbo, nec senio, nec vlla alia vi corruptibile. Valet vtique diuina potentia de
ista visibili atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus auferre quas
voluerit qualitates. Quinetiam Apostoli eodem argumento quo Aduersarij,
desiisse corpus Christi, atque in spiritum totum conuersum, ex corporalium pro- *Luc. 24.*
prietatum defectione existimabant, quoniam Christus non more nec modo cor- *Matth. 7. & 14.*
porum, sed spirituum, ianuis clausis ad ipsos irrepsisset. Ita cùm Christus incederet
super aquas, & nõ mergeretur, sciebant discipuli corpus illud per omnia fratri-
bus simile absque peccato: sed quia videbant ipsum super mare ambulare, dice-
bant esse phantasma, eò quòd non esset idioma corporis humani ingredi super
aquas, & non mergi. Aduersarij igitur æmulantur & rationem, & conclusionem
omnium errantium circa corpus Christi: quasi spiritus fiat, vel phantasma, si na-
turales corporis effectiones in eo interciderint: quódque vociferantur sibi fas es-
se & licitum cum Christo, Angelis & Patribus ex humanorum corporum con-
secutionibus ratiocinari, idem ab omnibus errantibus dici potuit, sed quatenus va-
lere debeat, postea videbitur. Aduersarij insuper malè nouerunt distinguere essen-
tiales proprietates ab accidentalibus circa corpora naturalia. Illæ substantiam cor- *De proprietatibus essentialib. et accidentibus*
porum naturalium constituunt, quibus sublatis ipsa interit substantia: cuiusmodi *corporum hu-*
ad humanũ corpus pertinere, Philosophia & Christus ipse asserũt, cõstare carne, os- *manorum.*
sibus & neruis. Ita enim Christus secernit corpus humanum à spiritu, quia spiritus
carnẽ & ossa nõ habet. Si quis ista demat, naturam humani corporis vel mutilat, vel
penitùs abolet, vti faciunt Aduersarij, cùm se recipere somniãt nescio quam substã- *Aduersarij*
tiam corporis & sanguinis Christi, atque se ali ex ea, quæ nihil cõtineat de vera car- *propriè abolẽt corporis Chri-*
ne & sanguine manentibus in cœlo, nec propiùs nobis admotis. Accidẽtales voca- *sti substãtiam.*
mus, quæ sicut adesse corpori humano queunt, ita & abesse, salua perstante substã-
ria, vt est esurire, sitire, moueri loco sursum vel deorsum. In his locũ aliquem occu-
pare seu replere reponimus, idque docemur à Philosophia & à scripturis. Nam sana
Philosophia suppeditat aliud esse corpus physicum ac substantiale, aliud quãtitatis *Dom. à Soto.*
& Mathematicum: alioqui vna & eadem res esset substantia & accidens, quia essen- *lib. 4. dist. 10. q. 2. art. 2.*
tia corporis physici substantia est, contrà quãtitas omnis de sua essentia accidẽs est, *Esse in loco nõ*
nec potest esse de essentia corporis physici, quod substantia est: quoniam acciden- *est de essentia-*
tia non censentur de essentia substantię, ne dicantur esse idem substãtia & accidens, *libus corporũ naturalium*

quæ toto genere ſummo diſcrepant. Sit ita, reſpondent Aduerſarij, vt corpus phyſicum intelligatur eſſe ſubſtantia ſine quantitate, non tamen cogitari poteſt eſſe ſubſtantia corporea, ſine corpore & quantitate. Falſum, quoniam nihil ingreditur eſſentiam ſubſtantiæ, quod non ſit ſubſtantia: & ſicut ſubſtantia incorporea conſtituitur per differentiam & proprietatem ſubſtantialem, eodem modo & corporea, quæ non per quãtitatem, aut quantitatis corpus diſcernitur ac primùm differt à ſubſtantia incorporea: ſed per materiam ſubſtantialem capacem quantitatis, & aptam ad eam recipiendam, atque ita etiam ſine quantitate diſcrepat ab Angelis, & anima noſtra atque alia ſubſtantia incorporea, quòd corporea materialis ſit, nata ad excipiendam quantitatem, incorporea verò minimè. Regerunt Aduerſarij ſaltem nuſquam in rerum natura conſpici, aut extare poſſe ſubſtantiã corpoream ſine quãtitate. Quamuis non deſint ex noſtris Scholaſticis, qui etiam de facto tuentur corpus ſine quantitate in altaris ſacramento collocari, nec ſit contrarium clarè definitũ à ſcriptura & ab Eccleſia, tamen quoniam aſſeritur verè corpus Chriſti eſſe in ſacramento, quod in cruce pependit pro nobis, conuenit, vt hîc adſit quicquid ei naturaliter cohærebat in illo ſtatu, & in eo quo eſt in cœlo, licet nõ ſit neceſſe vt eo modo inſit quo inerat, cùm ſufficiat nihil rei deeſſe. Idcircò demus quod poſtulãt Aduerſarij, nuſquam Chriſti corpus supereſſe, niſi affectum quantitate, negamus nihilominus ex recta Philoſophia ſequi, vt propter quantitatem neceſſariò occupet locum. Scimus nec huic conſequentiæ ſuos ex noſtris deeſſe defenſores, ſed contentionis quam veritatis amantiores, Verùm ſi ſubſtantia corporea propter quantitatem non ſuo modo in loco habitat, ſed per eam ſuſcipit extenſionem, & ſitum in ordine ad locum, cur viciſſim, ſi quantitas eſt alicubi, non ratione ſui, ſed per ſubſtantiam, vt eſt in ipſo ſacramento per Dei omnipotentiam, non manebit in loco per modum ſubſtantiæ, ſine loci occupatione, quemadmodum contrà ſubſtantia præter ſuam naturam per quantitatem communiter loco partibiliter commenſuratur, & per partes implet locum? Deinde tametſi nonnulli tanquam ex quantitatis definitione per Ariſtotelem, & per naturalis Philoſophiæ principia exiſtiment eſſentiale corpori quanto & mathematico habere ſitum in continuo, & commenſurari loco, tamen primum cœlum conuincit non id eſſe intrinſecum corpori quanto, nec quantitati, quoniam conſentione omnium Philoſophorum non ambitur loco vllo. Hoc etiam ratio demonſtrat. Nam nullius rei actio & functio eſt de eius eſſentia, præterquàm in Deo, cuius nulla alia cauſa reddi poteſt, quàm quòd infinitus ſit: ex quo ritè colligitur, nullius rei finitæ eſſentiam eſſe eius actionem & functionem. At occupare locum eſt actio quantitatis, ac peculiaris functio, qua ſeruit ſubſtantiæ, vt omnium accidentium miniſterium ſubſtantiæ impenditur. Qualitatis eſt modificare ſubſtantiam, quantitatis, partes extendere. Inſuper ordo quantitatis ad ſe ipſam, eſt proprietas eius eſſentialis & inſeparabilis. Ordo ad locum & ſitum, eſt illi accidens etiam ſeparabile, vt paulò pòſt de multis corporibus intelligetur. At (inquiunt) de eſſentia cuiuſque quantitatis finitæ eſt habere certam quandam menſuram & extenſionem, per quam differat ab aliis ſpeciebus quantitatis: ergo ad eſſentiam eius pertinet implere locum pro ſua extenſione: alioqui contradictio oriretur, vt quantitas quinque palmorum, vnius palmi loco contineretur. Reſpondemus eſſentiam quantitatis ferre, vt ordinem & partium extenſionem requirat ad ſeipſam, ſed non vt locum extrinſecum repleat, qui ipſi accidens eſt, & alterius categoriæ quàm ipſius quantitatis: ſi tamen replere locum contigerit, non poterit maior quantitas minorem occupare, quia locum occupat ſecundum naturam loci, quæ eſt vt occupetur & repleatur, non autem

Dom. à Soto in quartum Sent. diſt. 10. q. 10. art. 4.

Etiam corpori naturali quanto non eſt neceſſaria loci amplitudo.

Dom. à Soto, vt ſuprà.

A Soto ibid. citat authores.

Quantitati nõ eſt eſſentiale occupare locũ.

Quid ſit eſſentiale quãtitati.

autem in eo consistit quantitatis essentia vt locum impleat. Itaque etiamsi maneat quantitas corporis Christi in sacramento, non tamen necessariò locum detinet, nec per ipsam corpus Christi secundum sinceram Philosophiam. Quid ergo (aiunt) sublata quantitate & loco cõcipiemus esse corpus quàm spiritum, imò quàm Deum, cùm omnis creatura in eo differat à Deo, quòd hic nullo loco capiatur, creatura verò aliquo. Hìc ex ambiguitate præstigiantur. Accipitur enim locus pro spatio adæquante & ambiente rem præsentem & in eo existentem, in hócque sensu ponitur à nobis, cùm affirmamus non solùm Deum, sed nec spiritus, nec aliqua corpora circunscribi loco. Aliàs locus sumitur pro rei præsentia & assistentia alicubi, siue res comprehendatur in loco vero, siue angustior, siue amplior & latior sit. Quo in significatu dicimus Deum præsentem omni loco, & nullam creaturam carere suo loco. Si enim extat alicubi extet necesse est. Corpus, vt creatura sit, & substantia corporea, non Deus vel spiritus, non eget quantitate, nec quantitatis functione ad mensuram loci: satis habet ex intrinseca sua substantia corporea definita & limitata, atque ex adiuncta sibi quantitate, vt coarctetur, atque hęc quidem positionem partium facit & ordinem, non autem ad extrinsecum loci spatium necessariam extensionem: nec sine ista corpus Deus erit, quia sine ipsa finitum est substantia materiali, quantitatis finitæ accidente, & præsentia ad certam loci latitudinem: nec spiritus quoque euadet, quia substantia est materialis & corporea, atque apta ad recipiendam quantitatem, qua etiam affici potest sine loco. Christus sanè declarauit contra Apostolos & Aduersarios occupationem loci non esse de corporis naturalis & humani substantia, nec si loco destituatur, propterea redire in spiritum. Cùm enim Apostoli colligerent cum Aduersariis, ex defectione proprietatis localis, quæ spatium loci desideraret ad motum & ad transitum de loco in locum, non esse verum corpus, quod coram ipsis appareret, sed spiritum, increpat illos Christus, nec ad distinctionem spiritus & corporis humani ponit loci mẽsuram, sed carnem & ossa. Quinetiam scriptura ipsa discrimẽ inter corpora naturalia, nõ ex quantitate vel ex loco solet præscribere. Quando enim Apostolus satisfacit quęstioni de natura corporum quæ resurgent, respondet, Deum dare seminibus corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus, nec omnem carnem esse eandẽ carnem, sed aliam hominum, aliam piscium, aliam volucrium, & alia esse corpora cœlestia, alia terrestria. Quamuis ista omnia corpora sint in loco, & dimensiones gerant, non tamen differentia prima & essentialis penes ea hìc describitur ab Apostolo, sed penes substantialia, quæ varias qualitates postea induunt, atque alia accidentia, quomodo etiam Clemens Alexandrinus, Origenes & Augustinus meminerunt corporum naturam expendendam esse: nec si quantitas corporis humani, & locus applicetuř alteri naturæ, vt Angelo, vel carni piscium, vt de Tritonibus, & de ea quę desinit in piscem mulier formosa supernè, traditur: propterea vera erunt corpora humana, & vera caro humana, quæ cum hominibus resurget: nec cõtrà, si vera caro humana & substãtialis perdiderit propriam quantitatem, quæ ordinẽ digerit inter partes humani corporis, & loci mensurã atque alia accidentia, ideò statim non erit caro humana, quæ reparata excitabitur cum aliis, vel quicquam peribit de eius substantia, sicut constat de mõstris, quæ in similitudinẽ quadrupedum & aliarũ rerum nascuntur de mulieribus. Non igitur ex quãtitate vlla, vel loco, vel accidẽtibus substãtia corporum naturaliũ pendet, vel discriminatur, nec in eorũ essentia æstimãtur. Nihilominus iterũ demus quod placet Aduersariis, naturaliter nusquã corpus extare sine quãto & sine iusto loci interstitio: ne quidẽ, vt arbitror, sana Philosophia naturæ authori adimeret potestatem liberandi corpus ab hac seruitute & captiuitate,

Locus dupliciter accipitur.

Corpus non est spiritus, sine quantitate vel loco.

Luc. 24.

1. Cor. 15.

Aug. lib. 11. de ciuit. ca. 23. Orig. to. 14. in Ioann. Clem. Alex. lib. 5. stromat.

Ex quantitate humani corporis nõ infertur substantia eius corporea nec contrà.

multò verò minus fides & ſcriptura. Plato diuinam voluntatem rerum naturam eſſe definit, & ratio eò nos ducit, vt nefas ſit Deo obmutire, Cur me feciſti ſic, aut, Cur me nunc aliter quàm priùs fingis? An non habet poteſtatem figulus luti efformandi vas aliquod inſolitis modis & figuris, ſalua eius ſubſtantia? Cùm ergo ea ſit rerum natura, quam Deus eſſe voluerit, cui ſi ſe velle verbo expoſuit, vt corpus aliquod non commenſuretur loci ſpatio, Philoſophia vera ex rerum aſſueto ordine obluctabitur? Scit poſterius à priori, & accidens quodcunque, ſi non naturaliter, ſaltem per ſuperiorem poteſtatem à ſubſtantia diuelli poſſe, & interea integram & incolumem eadem poteſtate manere illam ſubſtantiam. Scit quæ concipere poteſt humanus animus ſine contradictione ſaltē Deo non reputanda impoſſibilia. Itaque cùm ex diſputatis liceat nobis apprehendere corpus ſine quantitate & loco, & quantitatem ſine loco, cur non quoque ratio dictabit ita à Deo fieri poſſe? Fides verò & ſcriptura clamant apud Tertullianum: Quid naturam aduerſus Dominum ſuum temerè defendis? legem eius aduerſus gratiā impiè aſſeris: quaſi Domino non liceat & mutare, & ſine lege ſeruare. Quomodo ergo legimus, Quæ impoſſibilia apud homines, poſſibilia apud Deum: &, Stulta mundi elegit Deus, vt mundi ſapientiam confundat? Babylonij ignes, Ionas deuoratus à beſtia, Enoch & Helias tranſlati, aliáque de ſcripturis omnia, figuræ noſtræ fuerunt. Apoſtolo authore, vt Dominum potentiorem omni corporum lege credamus. Atque vt paulò antè citabamus ex Auguſtino, ſicut non fuit impoſſibile Deo quas voluit inſtituere naturas, ſic ei non eſt impoſſibile in quicquid voluerit, quas inſtituit, mutare, & valer diuina potentia de iſta viſibili ac tractabili natura corporum auferre quas voluerit qualitates. Fides inſuper experta de ſcripturis Deum longè grauiora ac difficiliora operatum, quomodo non libenter ſibi perſuadebit, minora ac difficiliora ab eodem perfici poſſe? Tam certè eſt eſſentiale corpori compingi ex materia, quàm ſpiritui ex nō materia. Attamen fides credit corpora ex nihilo creata: replere verò locum, non ita eſſentiale corpori perſpicitur, cùm ſit accidens. Difficilius eſt eandem eſſentiam tribus perſonis inſidere, quàm corpus loco non concludi: quia magis proprium eſt cuique rei, vt dicatur vna à ſua eſſentia, quàm vt locum impleat per quantitatem. Nam inter eſſentiam & perſonam fit vnio & coniunctio, ſicut inter partes eſſentiales, non autem in corpore & loco, ſed hîc tanquam inter ſubſtantiam & accidens. Idcircò tanto eſt difficilius vnam eſſentiam in tribus perſonis conſtare, quàm corpus ſine loco: quanto aſperius eſt diuellere quod eſt de eſſentia, quàm quod eſt accidens, à ſubſtantia? Adhæc longè incredibilius iudicari debet, ſubſtantiam non per ſe extare, ſed in alio ſubiecto hærere, quàm quantitatem non ambiri loco: quandoquidem magis proprium inuenitur ſubſtantiæ per ſe conſiſtere, quàm quantitati circunſcribi loco, cùm prius ingrediatur definitionem ſubſtantiæ, & quia primus actus eius eſt per ſe ſtare. Locus verò non adhibetur in quantitatis definitione, nec de ipſius primo actu eſt. Sed in Chriſto ſubſtantia humana non per ſe extitit, cùm ſuſtentaretur à ſuppoſito diuino filij Dei, ſicut fides credit, quamuis expreſſis ſyllabis & literis ſcriptura non habeat, ſed ſolùm per ἀκολυθίαν quandam & conſecutionem inferatur: ideò fides potius inclinatur ad aſſentiendum corpus ſine loco ſtare, cùm pluribus ac clarioribus ſcripturis aſſeueretur, & rationi propius accedat. Æquè naturæ repugnat ſpiritum alligari loco, à quo nequeat ſe expedire, & pati à corpore, quàm corpus ſolui loco. Nam tam competit ſpiritui liberum eſſe à corpore & loco, quàm corpori huic ſeruire. Attamen in inferno Deus de facto ſpiritum loco coercet: quod Auguſtinus Philoſophis pro Deo contra naturam obiicit. Quin etiam igni intimiùs ingene-

Etiamſi naturaliter corpus non poſſet extare ſine loco, tamen Deus poteſt id illi dare ſecundum veram Philoſophiam.

Tertull. De reſurr. carnis.

Fides facilè credit corpus ſine loco à Deo fieri, quoniam credit difficiliora.

ingeneratur ardor, quàm corpori situs loci, ac tanto maioris est negotij eripere ardorem igni, quàm locum corpori, quanto facultates agendi sunt vehementiores, & ægriùs adimuntur, quàm patiendi. Nec mens assequitur, quod fit, vt corpus perenni incendio conflagret, nec consumatur: aliáque ferè omnia articulis fidei comprehensa comperiuntur magis naturæ & rationi contraria, quàm id de quo circa Eucharistiam aduersus Christi verbum impugnatur. Quod tam est ratum & dispositum (vtar verbis Augustini) ab authore naturæ cœli & terræ, quemadmodum cursus ordinatissimi syderum? Quid tam fixis legibus firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio quod condidit, stella cæteris magnitudine atque splendore notissima, calorem, colorem, magnitudinem, figuram, & quod est mirabilius, sui cursus ordinem, legémque mutauit, & retrogredi contra naturam coacta fuit. Turbauit profectò Deus tunc quotquot fuerunt canones Astrologiæ. An idem Physicorum canones turbare non poterit? An lucere soli proprietas non est interior, quàm locus corpori? Et qui qualitatum proprietates inuertit & elemẽtorum, vt graue manens tendat sursum, sicut corpus in cœlum & aqua solidetur, ne graue corpus ipsi immergatur, quantitatum & corporum affectiones itidem non versabit? Verùm scio frustrà Caluinistis rationem & Dei omnipotentiam occini, nisi priùs de facto constiterit, quasi nihil amplius Deus possit, quàm facto comprobarit. Sequamur tamen eos, quibus fugiunt vestigiis. Aristoteles sanè axioma, cui incumbunt, protulit, Πᾶν σῶμα ἐν τόπῳ, Omne corpus est in loco: nihilominus quoniam nouerat non omnibus corporibus quadrare, ad inferiora & sensibilia restrinxit. Quamobrem in suo axiomate circumspectiùs quàm citetur ab Aduersariis, locutus est, & ne videretur extendere ad cœlestia, axioma temperat, atque ita exprimit, ἅπαν αἰσθητὸν τὸ σῶμα, id est, Omne corpus cadens sub sensum: vt si aliquod sit, quod visum atque alios sensus effugiat, non ei imponat circumscriptionis necessitatem: Excipit vtique vniuersitatis machinam, quam totam negat concludi loco, quoniam extra mundum locus deest: ob ídque quicquid extra mundum statuitur, siue spiritus sit, siue corpus, non dubitat Aristoteles ambitu loci & circumscriptione carere. Deus cùm vniuersum creauit, necessariò ipsum in non locum recepit & fundauit, quoniam locus non antecedebat, ac ne quidem concipi potest quid sit locus, nisi inter gradus & capedinem corporum sese mutuò ambientium: quandoquidem nihil aliud est quàm circumferentia corporis aliud continentis. Qui non tantùm potuit, sed re vera fabricauit, atque tot seculis fulciuit tantum vniuersitatis corpus, omnium Philosophorum & Christianorum assensu, sine loci spatio, cur quæ voluerit corpora etiam sensibilia, non absoluet à loco, & eo modo in rerum natura constituet, quo totum vniuersum de facto constituit? Deinde non semel Caluinus cum scriptura & Ecclesia affirmat, Christi corpus degere supra atque extra omnes cœlos, vbi nullus locus occupatur nec inuenitur. De vtroque facto Caluini textus est: » Super omnes cœlos perinde est, ac si diceret Apostolus extra mundum hunc » creatum. Nam cùm dicitur Christus in cœlo esse, non sic accipere debemus, » quasi resideat inter sphæras, vt stellas numeret: sed illic cœlum significat lo- » cum sphæris omnibus superiorem, qui post resurrectionem filio Dei est de- » stinatus, non quòd propriè locus sit extra mundum, sed quia de regno Dei » loqui nisi more nostro non possumus. Qui autem indè colligunt Christum » locorum interuallo non distare à nobis, eò quòd valeant idem eminentia su- » pra omnes cœlos, & ascensus in cœlum, non animaduertunt, cùm supra cœlos, vel in cœlis locatur, excludi quicquid est circumferentiæ sub sole & stellis,

Per Aristotelẽ non est necessariũ omne corpus esse in loco, & de facto sunt aliqua sine loco.

Mundus nõ est in loco.

Cal. in ca. 4. ad Ephes. lib. de consens. & in Acta Apost. cap. 1.

Corpus Christi est non in loco, supra cœlos ex-

ita vniuersū. adeóque sub tota visibilis mundi machina. Hîc apertè profitetur extra cœlum non haberi locum ambientem, atque ibi versari corpus Christi, quod non replet vel occupat locum, sed sine ipso extat. Obiecit hoc Caluino Vuestphalus, & obiectionis meminit ille in secunda defensione, sed non satisfacit. Obiecit Caluinistis Heshusius, vt agnoscit Beza, sed ostendit sibi adeò nihil suppetere quod respondeat, vt solùm dicat non inquirendum de localitate extra omnes cœlos. Cùm volunt, ingenuè fatentur id quod res est, extra cœlos non dari locum. Cùm inde premuntur, vetant inquiri de localitate illa. Non igitur quoque de illa inquirat quæ in sacramento ponitur, quoniam alterius est generis, sicuti & illa, quàm quæ exercetur in rerum vulgari ac tota natura. Ministri Colloquij Parisiensis, ne hærerent cum Caluino & Beza in eodem luto, maluerunt pertinaciùs opinari corpus Christi esse in loco supra omnes cœlos, quoniam scripturę à nomine loci pro illa regione non abhorrent. Verùm si ratio valeret, diuinitas per illam esset in loco propriè dicto, quoniam passim in scriptura loci nominatio ipsi assignatur: sed communis error Aduersariorum est, scripturam propriè interpretari, quando spiritaliter venit intelligenda, & spiritaliter contrà, vbi propriè accipi debet. Locus profectò in scriptura, vt aliæ multæ voces, propriè quandoque vsurpatur, quãdoque metaphoricè, & per similitudinem quandam: priori modo, cùm de corporibus & inferiori mundo agitur pro spatio corpori circumiecto: posteriori, cùm de Deo, Angelis, & beatorum sedibus fit sermo pro designatione & significatione rei præsentis alicubi, siue in mundo, siue extra mundum, vbi locus propriè statui nequit, quoniam in infinitum statuenda essent corpora, quorum inferiora semper egerent superiorum circũferentia pro loco proprio. Sic Aduersarij non se extricabunt suis figmentis à contradictione, quin necesse sit secundum ipsos corpus Christi inuolui certo loco, & tamen ipsum extare in non loco extra cœlos, & quin etiam secundum ipsos ne quidem diuinarum sit virium corpus Christi soluere necessitate loci, & nihilominus supra cœlos omnis loci captiuitate solutum esse. Nos insuper non spoliamus, quod falsò calumniantur Aduersarij, Christum in sacramento quantitate, sed solo existendi modo, cui quantitatem in isto corruptibili & caduco statu, per eámque physica corpora, Deus subiecit, donec immutentur & liberentur à corruptione & infirmitate. Proculdubiò sicut in alio seculo de corporibus seruitutis & corruptionis quantitates vel expellentur, vel in libertatem atque ineffabilem perfectionem emendabuntur, & in sublimiorem statum promouebuntur: ita & quantitates atque accidentia modum induent nouum, omninóque alienum ab eo qui ante pedes iacet: ac sicut nouum cœlum, noua terra, omnísque creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem filiorum gloriæ Dei, ob ídque motus, tempus, locus, aliáque quibus afficiuntur corpora, eadem, id est, incredibilem & incomprehensibilem mutationem suscipient, vt potius à contrarietate præsentium de singulis sit ratiocinandum ad illorum quæ sperantur veritatem, quàm ex vlla analogia & conuenientia cum his quæ hîc experimur & intuemur. Sic sanè Apostolus ipse argumentatur, cùm ait, Seminatur corpus in corruptione, surget in incorru- „ ptione: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, „ surget spiritale. Cur non & ita agendum in his quæ Christus instituit, vt nos præpararet ac disponeret ad futurum seculum, & de eo quendam gustum daret, & assuefaceret mentem à sensibus semouere, & ad supernaturalia attollere, vt sunt Christianorum mysteria & sacramenta, ac maximè Eucharistia, de qua dixit vt de altero seculo nos commonefaceret, Non manducabo de hoc Pascha, donec „ impleatur in regno Dei? Scriptura vt declaret, quanta futura sit corporum nostro- „

Inconstantia Aduersariorũ circa locum vbi est corpus Christi in cœlo.

Extra mundũ locum propriè esse non potest.

Nec corpora in alio seculo modis quantitatis alligabuntur, qui nunc sunt.

1. Corint. 15.

rum à suæ quantitatis modo naturali transmutatio, in spiritalem conditionem & „ proprietatem traducit. Erunt (inquit) sicut Angeli Dei. vt quemadmodum hic corporibus ex quantitate deputamus, quæ spiritibus quadrare nullo modo possunt, contrà illic quantitati & corporibus assignemus, quæ nunc spiritibus tantùm propria iudicamus. Ex qua dispari compositione præclarè Tertullianus infert, non habendum pro magis absurdo nostra corpora existere angelico modo atque agere, „ quàm ipsos Angelos humana forma conspici atque operari. Verba sunt: Erunt tanquam Angeli. Quia & Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo & bibendo, & pedes lauacro porrigendo. Humanam enim induerant, salua intus substantia propria. Igitur si Angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus „ carnalem tractationem susceperunt: cur non & homines, facti tanquam Angeli, in „ eadem substantia carnis spiritalem subeant dispositionem, non magis solemnibus „ carnis obnoxij sub Angelico indumento, quàm Angeli tunc solemnibus spiritus sub humano? Nec ideò non permansuri in carne, quia nō & in solemnibus „ carnis, cùm nec Angeli ideò non & in spiritu permanserint, quia non & in solemnibus spiritus. Denique non dixit, Erunt Angeli, ne homines negaret, sed tanquam Angeli vt homines conseruaret. Christus itaque & Apostolus eam corporum nostrorum futuram mutationem prædicunt, vt incorpoream & spiritalem perfectionem quoad existendi modum in qualitate & quantitate induant: nec profectò cōminisci poteris, in quibus aliis vertantur in spiritalia & angelica, cùm salua maneat substantia corporea, & sola quantitatis vicissitudo ipsa corpora potissimùm efficiat spiritalia & angelica, sicut per eam maximè prius in hoc seculo habebantur animalia, caduca, grauia, & terrestria. Quamuis ista satis supérque demonstrent etiam de facto corpora sine modo quantitatis, & loci circumscriptione consistere, attamen per simile atque æquè difficile pergamus in scripturis idem docere, in Dei potestate repositum, quod in Christi corpore spectatum fuit. Hoc verò est, vt in proportionatum locum vnius corporis alterum corpus simul ingrediatur, ita vt ibi sine loco proprio versetur, & corpus corpori ac quantitas quantitati sine distinctione lo„ ci cohæreat. Certè Philosophia potius agnouit corpus sine loco extare in vniuerso, „ quàm duo corpora in vno loco simul habitare, & seipsa penetrare. Christus dixit, „ dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare „ in regnum cœlorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valdè, dicentes, Quis „ ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus, ait illis, Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt. Parum refert modò an camelum, pro fune nautico interpreteris, vt Theophylacto atque etiam Caluino placet, an cum Origene, Hilario, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, & omni ferè antiquitate, pro vasto & ingenti animante. Sufficit ex scripturæ textu non esse in hominibus positum, vt cameli corpus inferatur in foramen acus, cùm id Deo sit factu perfacilé. Quo in miraculo non habetur ratio dimensionum corporalium, nec locus eis respondet nec coæquatur, & tamen factum à Dei nutu pendet. Si Aduersarij clamauerint violatis proprietatibus localibus naturam cameli tolli, sicut in Christo corporis substantiam aboleri, si locum corporeæ magnitudini æqualem non occupauerit, scriptura ostendit salua & perdurante natura cameli transitum fieri, alioqui per tantillum spatium non diceretur transire camelus, si ante transitum vel in ipso transitu substantia illius deperiret. Vt se ab hac Dei omnipotentia expediant Aduersarij, alij acum ita dilatant, vt exponant pro porta, quam sua impudentia extruūt in Hierusalem, per quam camelus etiam turritus decurreret. Alij mentiuntur camelum ad eam fili exilitatem attenuari, vt nullo negotio acum permeet. Verùm

Matth. 22.

Corpora nostra in alio seculo extabunt spiritu modo, vt Angeli se ostēderunt contrà in humana forma.

Tertull. de carnis resurrect.

Duo corpora esse in eodē loco tam est contra naturam, quàm corpus esse sine loco.

Camelum intrare per foramen acus.

Matth. 19.

Cal. in harmō.

ita non esset hominibus impossibile, camelum etiam armatis regibus onustum, vel etiam equum Troianum, per talem acum introducere: imò cuiuis agazoni licebit, & nihil Deo reseruabitur creaturis impossibile? In attenuando camelo, si pro fune accipitur, nihil Dei potestate eget homo, cùm id per se possit, nec erit tum difficultas in transitu quam scriptura constituit, ad quam requiritur inæqualitas cameli & foraminis, vt supersit impotentia facti per hominem. Si pro animante sumitur, non quidem homo poterit ipsum imminuere ad eam exilitatem, superstite tanti animantis substantia. Demus tamen Deum id præstare, vt aptum faciat ad transitum per foramen acus: tum etiam contra scripturam miraculum à transitu tollitur, & in imminutione ponitur: quo admisso non erit ea difficultas nec impossibilitas in trãsitu, quam scriptura ponit, quæ superet hominum industriam & facultatem. Deinde si constitutio naturalis in camelo ita mutaretur, nec quantitas retineret eundem modum existendi, quem prius in statu naturali tenebat, nec eam loci amplitudinẽ, aut eũdem locum replebit, quem prius suæ magnitudini & latitudini naturali proportionatum ac commensuratum. Idcircò non repugnat per eam opinionem quãtitatem corporum & locum à maxima quantitate & loco, in minutissimam, & locum ita angustum, vt non percipiatur, à Deo redigi. Si sic corpus Christi concederetur esse in loco, nec Aduersarij possent eius præsentiam negare in quauis Eucharistiæ minutula parte. Verùm si tanta quantitas cameli ponatur, ita vt nihil de ipsa pereat, sine tamen sibi ęquali loci capacitate in quamcunque formam transferatur, cur exilis quantitas sine exili interuallo & transire & consistere non poterit? Nec aduertunt, cùm quantitatem cameli sic transformant, se primum officium, ac magis essentiale quantitatis, quàm sit occupare locum, vitiare, id est, ordinem partium in corpore physico cameli distinguere, & seponere à se inuicem. Imminuto enim & extenso camelo ad capilli tenuitatem, vbi naturaliter gibba dorsi, vbi pes, vbi ardua ceruix, atque aliæ partes, si quantitatis positio sine loco non stet? Proculdubiò si ne quidem per Dei potentiam permittunt Aduersarij quantitatem vspiam hærere sine iusto loci spatio, multo minus debent illi permittere, vt quantitatem ab essentiali sua functione, quæ est partes corporis distinguere, absoluat. Aduersarij causantur ex Hieronymo, transitum cameli comparari cum diuitum ingressu in regnum, qui fit per mutationem diuitum: atque ita requiri in cameli transitu. Certè si nihil aliud significaret Christus, tantùm ageret ibi de facto, seu de Dei potentia ordinaria, nec quicquam singulare ac mirabile præter assuetum morẽ Dei, & Leges ab eo latas innueret, cùm notum sit Deum solere homines attentiores ad rem emẽdare, vt saluentur, nec omninò supra hominem est cupiditati diuitiarum renuntiare posse, cùm plerique natura duce eò peruenerint. Ideò Hieronymus exposuit, quid communiter fieret à Deo, sed ibi non interpretatur quid textus velit, qnem melius alibi ait rem impossibilem impossibili conferre, id est, vt diues opibus congerendis defixus intret regnum, & camelus acum penetret: Vtrunque tamen præstare in Dei manu est, qui etiam potest non tantùm auaros diuites, sed dæmones & damnatos omnes de potestate absoluta in regnum introducere. Eo pacto conuenientius antiqui patres omnia Deo possibilia de illa potestate extraordinaria intellexerunt, vt Iustinus & Tertullianus hoc capite citati, & ad eam pertinere agnoscunt Origenes, Augustinus, Gregorius Nanzianzenus, vt camelus tantus quantus est, se in acum insinuet, & diues cum sua cupiditate hæreditatem regni cœlorum adeat. Origenes quidem prius de facto transigit, quanam ratione in vsu sit, vt diues ingrediatur regnum: postea de possibilitate absoluta supra difficultatem in textu agi cognoscit. Sic ergo scribit: Ostendit quoniam ex seipso impossibile, camelum per

Hieron. in cap. 31. Hieremiæ.

Iustin. ad Arzenin.

Tertull. de carne Christi, et de carnis resurr.

Orig. tract. 8. in Matth.

per foramen acus intrare, poſſibile autem quantum ad Deum. Sic & diuitem, quãtum ad ipſum pertinet, impoſſibile eſt intrare in regnum cœlorum, poſſibile autem quantum ad Deum, qui potens eſt ineffabili ſua virtute, aut craſſitudinem malorum mali hominis ſubtiliare, aut anguſtiã introitus facere ei capacem. Quoniam autem propter difficultatem introitus, & non propter impoſſibilitatem, accepit ad exemplum foramen & camelum, claret ex eo quod ad diſcipulos dicentes, Quis poterit ſaluus eſſe, reſpondet, Apud homines impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia. Ergo poſſibile eſt & camelum per foramen acus intrare, non tamen apud homines, ſed apud Deum. Quomodo autem faciat hæc poſſibilia Deus, ipſe ſcit, & Chriſtus eius, & cui reuelauerit Chriſtus. Auguſtinus inter exempla ponit eorum quæ poſſibilia Deo ſunt, ſine tamen exemplo & facto, vbi concludit: Vides, vt exiſtimo, fruſtrà dici illa tantùm poſſibilia ſine exemplo, quæ Dei opera ſunt, ſicut de cameli tranſitu per foramen acus commemorauimus, & quæcunque alia ſunt apud nos impoſſibilia, apud Deum autem facilia. Gregorius Nanzianzenus quinque genera impoſſibilium de ſcripturis obſeruat, quorum poſtremũ numerat, quod naturæ quidem reſpectu fieri nequit, præſtari autem à Deo poteſt, ſi is velit. Eiuſmodi eſt non eundem iterum naſci poſſe. Item acus non recipiens camelum. Quid enim impediret, quominus hæc fierent, ſi Deus vellet? Quoniam verò de Chriſti corpore tota ſit controuerſia, ex ſcriptura tria nobis vel plura ſuppetunt exempla, in quibus coaluerit in eodem loco cum alio corpore, & ſine ſpatio dimẽſionibus proportionato conſtiterit, In exitu de virginis vtero, de ſepulchro, & in ingreſſu ad diſcipulos ianuis clauſis. Patres ſane tria iſta ſolent comparare, & ad vnũ & idem miraculum referre. Rectè Hilarius monet à nemine facta iſta negari, niſi qui diuina metiatur ex humano ingenio, & diuinæ omnipotentiæ non vereatur aduerſari. Dicamus (inquit) factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti non apprehẽdimus, & ceſſante ſenſu noſtro facti ipſius ceſſet effectus. Sed in ipſam veritatem infidelitas noſtra procurrit, & violenti in excidium Dei voluntatis irrumpimus. Quanquam Patribus fuit iuſta oblata occaſio, ſi iſta facta firmiſſimè non crediſſent, ea negandi, vel in dubium reuocandi, cùm ex illis hæretici Marcionitæ, Origeniſtæ, & Eutychiani cauſarentur Chriſto verum corpus defuiſſe, vel poſt reſurrectionem deſiiſſe, quibus vno verbo ſatisfieri poterat, ſi iſta facta negarentur, que obiiciebant: ſed tantum abeſt, vt eò Patres conuolarint, quòd obſtiterunt his qui factis illis fidem derogarunt, vt de partu virginis Iouiniano. Infœlix noſtra ætas nihil non auſa ad cumulum impietatum ſuarum, hanc adiecit, vt non ſolùm iſta tanquam facta repudiet, ſed ne quidem à Deo fieri potuiſſe palam defendat. Sic enim Sambuceus in Anonymo illo libello de concordia diſſidentium ſcribit: Vno verbo mihi licet reſpondere, non ita ſcripturas interpretandas, vt illis affingamus ſenſum impoſſibilem pro vero, quoniam fieri nequit vt duæ ſubſtantiæ eodem in loco habitent: ac ne propter impoſſibilitatis vocem de blaſphemia me dilapident, Thomam Aquinatem pro fideiuſſore habeo, qui propter impoſſibilitatem pronuntiat eos falli, qui panis ſubſtantiam cum corporis Chriſti ſubſtantia in ſacramento copulant. Verùm Thomas loquitur de impoſſibilitate naturæ, ſeu ſecundum leges & ordinem rebus inditum, qui duo corpora intra idem ſpatium non admittit, non autem impotentiam ad Deum extendit, cuius virtutem in naturam, & ſupra ipſam omnia poſſe toties aſſeruit, per quam corpus Chriſti cum aliis corporibus eodem in loco hæſiſſe maxime circa illa tria commemorata diſputauit: ſed ex acolouthia præſentis corporis Chriſti in ſacramento ritè colligit naturalem impoſſibilitatem de præſentia ſubſtantiæ panis, non tamen id ipſum poſſe excludit à diuina potẽtia,

Aug. lib. de ſpir. & lrã. ca. 1. & 5.

Nanzianz. orat. 4. de Theologia.

Corpus Chriſti de facto fuit ſine loci ſpatio proprio ter, vel ſæpius.

Hilar. lib. 3. de Trinitat.

A quibus negetur Chriſtus tranſiſſe per ianuas clauſas, et cur.

Thom. in 4. 1. ad Cor. lect. 5

vti Sambuceus & Aduersarij faciunt, qui ponunt inter ea quæ à Dei potestate eximuntur, corpus existere sine iusto loci interuallo: sub qua exceptione comprehendunt transitum Christi ianuis clausis, ac virginis vtero illæso, & sepulchro immoto, ita vt apud ipsos non solùm de facto falsa sint illa tria quæ asserit cum scriptura omnis antiquitas, nec solùm naturæ, sed etiam Deo impossibilia. Pro facto scripturam primùm edimus de ianuis clausis ita loquentem: Cùm serò esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis, Pax vobis. Annectimus ea quæ Lucas interserit, sicut, Conturbati verò & conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. Aduersarij plus videntur concedere quàm petamus. Consentiunt enim in illo aditu ad discipulos miraculum omnipotentiæ intercessisse, & per ipsum mutationem euenisse vni ex corporibus, vt alteri cederet, ac locum daret siue corpori Christi, vt ad eam subtilitatem & tenuitatem redigeretur, pateretque ipsi aditus per arctissimam quamque rimulam: siue foribus vel parieti, vt aditum faceret: non autem à scriptura exprimi transisse Christum per ianuas clausas, sed solùm narrari, venisse Christum, & stetisse in medio discipulorum, cùm fores essent clausæ, quæ interim tamen aliquo miraculo aperiri potuerint ad ingressum, aut clausæ perstare, cùm aliùde Christus ingrederetur: Nos quidem de miraculo assentimur, sed de mutatione rerum propter ipsum necessaria, siue in corpore Christi, siue in ostio vel pariete, non ita conuenimus, quoniam scriptura nullius mutationis meminit: imò videtur singulariter commendare ad miraculi magnitudinem tam corporis ipsius integritatem, per Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, quàm ostij & parietis, cùm accuratè describit Christum venisse, & stetisse in medio discipulorum ianuis clausis, & nihilominus permanentibus rebus sine mutatione penetrasse ad suos, vt miraculum in actione, corporis motu, ac situ consistere proclamet. Hoc est quod Hilarius benè obseruat. Quæro (ait) per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim Euangelista expressit, dicens, Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit nanque corporeus, non simulatus, aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cùm assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia. Inuisibilibus calumniaris: ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam aliquid lapsu insensibili ligna & lapides amittunt. Corpus Domini à sese nõ deficit, vt sese resumat ex nihilo: & vnde qui assistit, in medio est: Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. Hilarius sanè minutatim quæstionem decidit, & euasiones omnes intercipit, quibus etiam nũc Aduersarij factum & scripturam nituntur eludere. Tradit scripturam diligenter cauere, ne fingatur vlla mutatio siue apertionis, siue annihilationis, siue cessionis, siue rarefactionis, vel emolitionis siue imminutionis in pariete vel corpore. Ideò subiungit modum ingressus ostendi à scriptura per penetrationem integrorum corporum sine via vlla & spatio, quomodo Deus vniuersa permeat. At (inquiunt) Hilarius modum non explicat, sed fatetur incomprehensibilem. Imò verò pluribus explicat, & designat, & nos hortatur, vt per imaginationem spectemus ipsum Christum per solida penetrantem: sed illum modum ait ex similitudine vel ratione rerum naturalium & sensibilium concipi & declarari non posse. Hilarius quoque ex ipso textu retundit subtilitatem Aduersa-

Ioann. 20.

Quod Christus transiuit per ianuas clausas sine mutatione ianuæ, vel alterius loci, vel corporis.

Hilar. lib. 3. de Trinitat.

Hilarius omnes fictiones Aduersariorum excludit.

uerſariorum, qua dicunt non ſcribi Chriſtum ingreſſum per ianuas clauſas, ſed tantùm cùm fores eſſent clauſæ, ſtetiſſe in medio diſcipulorum, quocunque modo intrauerit. Notat enim ab Euangeliſtâ diligenter non tantùm narrari, quòd ſteterit inter Apoſtolos, cùm fores eſſent clauſæ, ſed quòd venit ianuis clauſis. Ac ſanè maius oriretur miraculum circa dimenſiones corporis Chriſti, & ſitum, ſi diceretur apparuiſſe inter Apoſtolos ſine vllo aditu, quàm ſi per ianuas clauſas penetraſſe affirmetur. Tam verè Euangeliſta memorat Chriſtum veniſſe ianuis clauſis, quàm ſtetiſſe in medio diſcipulorum: vt ſi quod miraculũ in poſteriori ſtatueris, in priori, id eſt, in ingreſſu, prius ſtatuendum intelligas. Nec profectò alia fuit occaſio exprimendi ianuis clauſis, quàm vt declaretur, quâ aditum fecerit, & modus ingrediendi. Quòd ſi portæ clauſæ interea patuiſſent quocunque modo ante ingreſſum, & propter ipſum, falſum eſſet Chriſtum veniſſe ianuis clauſis, & ſtetiſſe in medio diſcipulorum, cùm contrà ianuis apertis veniſſet, & ſtetiſſet inter eos. Euangeliſta quoque, ſi fores fuiſſent reſeratæ miraculosè ad tranſitum, more ſcripturæ modum explicaſſet, vt explicatur in liberatione Apoſtolorum & Petri de carcere Angelum pateféciſſe oſtium, vel vltrò potuiſſe, nec ita Euangeliſta reticuiſſet in quo miraculum extitiſſet, ſi accidiſſet in alio quàm in tranſitu corporis per ianuas clauſas: Et hoc ſanè videtur Euangeliſta miraculum ſingulariter voluiſſe commẽdare in Chriſti corpore rediuiuo & glorioſo, quo priuaretur, ſi per apertas portas tãtùm intraſſe fingatur, cùm ſit naturale corporibus ſic intrare. Sed nec Apoſtoli habuiſſent iuſtam occaſionem exiſtimandi ſe ſpiritum videre, cùm viderent formam hominis, niſi propter ingreſſum, non humano & corporeo modo. Quòd ſi ſe in eorum conſpectum dediſſet per oſtij vel parietis apertionem, quid cauſæ relictum iudicandi eſſe ſpiritum, cùm via corporum ingrederetur? Nõ tactus profectò nec viſus, quos in argumentum veri ſui corporis Chriſtus Apoſtolis propoſuit, tantam facere potuerunt fidem de veritate corporis, quàm neceſſitas ſpatij ad tranſitum: quoniam corpus fantaſticum cerni & palpari poteſt, non ob id tamen verum eſſe corpus neceſſariò, ſed nec ita probabiliter conuincitur, quàm ex neceſſitate loci & ſpatij ad ſe mouendum. Quamobrem ſi Chriſtus indiguit loco, & patefactione oſtij vel parietis ad intromittendum corpus ſuum verum ad diſcipulos, nec aliter potuit intromittere: ad eripiendam opinionem de ſpiritu, longè erat certius argumentum oſtendere fores apertas, vel parietis ceſſionem ſiue capedinem, ac dicere, ſpiritum non egere ea loci & ſpatij magnitudine ad intrandum, ſicut videbant ipſum indiguiſſe. Scripturam in ſua ſimplicitate confirmant deliramenta Aduerſariorum, qui varia ſomniant, vt aliquam viam reperiant, qua Chriſtum ad diſcipulos reluctantem impellant. Berẽgario ſatis fuit factum negare. Vviclef ne quidem per Dei omnipotentiam Chriſto conceſſit per obſeratas fores tranſmeare, ſed irrepſiſſe putabat per meatus inconſpicuos. Non poteſt (inquiebat) Deus facere diuerſas ſubſtantias materiales ſimul tempore per eundem locum adæquatum, cùm corpora ſecundum dotem ſubtilitatis ſeipſa penetrant, & non ſint propriè coextenſa. Mauult ille Deo manus colligare, & ſectari Leucippum & democritum Philoſophos, qui foramina vacuitatis in omni corpore finxerunt, vt fieret per atomos penetratio, quàm audire Euangelium, quo Chriſtus introiiſſe dicitur, non per poros, ſed per occluſam ianuam. Caluinus modò ait ante tranſitum fuiſſe recluſas fores à Chriſto, modò ait factam rimam in pariete, capacem corporis, ſeu emollitum parietem, & ſaxum monumenti, ſicut aquæ contrà ſolidatæ, cùm ambularunt in mari Chriſtus & Petrus: modò annihilationem ſaxi & parietatis ad tempus fingit. Sic enim ſcribit: Quod quærunt rurſus, quomodo intacto ſigillo monumentum ſuum per-

Diuerſa figmẽta Aduerſariorũ de tranſitu per ianuas clauſas.

Cal. lib. 4. Inſtit. ca. 17. num. 17.

transierit Christus, & foribus clausis ad discipulos intrauerit, noua solutione non indiget. Quid enim impedient clausuræ omnes hominum artificio factæ, quominus sibi transitum Deus patefaciat? Nam qui de nihilo creauit omnia, potest ad tẽpus in nihilum redigere, quæ videntur impedire progressum operum eius, sicut in nihilum redegit corpora, in quibus ipse aut Angeli eius ad tempus apparuerunt.

Cal. in Vlt. admonit.

Beza putat vltro patuisse fores, vel peruias per rarefactionem redditas. Bullingerus apertas censet ab Angelo, quemadmodum & Petro. Petrus Martyr per fenestram introducit Christum, vel caminum, aliáque comminiscitur figmenta. Alij per ianuas clausas interpretãtur, tantùm vespertinum tempus describi, quo Christus aduenerit: quasi textus non ferat vtrumque, & cùm serò esset, & cùm fores essent obductæ. Alij ex Augustino volunt, in eam exilitatem imminutum corpus Christi, vt per rimam ostij facilè peruaderet. Hæc quidem ægrorum somnia & deliria, dum vni omnipotentiæ virtutem, & Christo excellentiam, & scripturis suam simplicitatem inuident Aduersarij, qua præterita nihil certi possunt definire. Patres contrà amplexi scripturam, quatuor magno consensu definiunt, miraculum non in mutatione corporis Christi versari, sed in actione & situ, idipsúmque à Dei omnipotentia supra naturam corporis in corpore Christi relucere, atque in transitu per clausa ostia sine apertione & loco consistere, & quòd ob id existimabant Apostoli se spiritum videre. Si quod detur quocunque modo transeundi spatium, vt affingunt Aduersarij, saltem posteriora falsò amplificarunt Patres. Insuper ex communi omnium Christianorum fide hæretici Marcionistæ, Origenistæ & Eutychiani inferebant, Christum vel à natiuitate, vel à resurrectione, non circumtulisse verum corpus, sed vel phantasticum, vel transfiguratum & mutatum in spiritum ac diuinitatem. Patres cùm ipsis respõdent, antecedens approbant de trãsitu corporis per ianuas occlusas, sed reiiciunt consequentiam, ac nihilominus verum corpus Christo superfuisse docent. Vnus Hilarius omnia figmenta Aduersariorum refellit. Denique Patres conferunt transitum illum cum exitu de vtero virginis, & sepulchro, ac duo posteriora cum priore, tanquam eiusdem rationis. Quòd si Christus prodiit per effractionem naturalem vteri materni, quæ mutatio miraculosa dicetur facta, siue quod miraculum in corpore Christi, aut virgine matre, vt ederetur infans in lucem, cùm naturaliter exierit? Cauillantur Aduersarij virginem mansisse in partu, quoniam virginitas corporea non violetur, nisi per congressum viri, quacunque vi fiat aliàs vteri ruptura: Scripturam verò testari aiunt per vuluæ apertionẽ Christũ procreatum, quoniam de eo præ aliis singulariter lex feratur, Omne masculinũ adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Quis propriè (ait Tertullianus) vuluam adaperuit, quàm qui clausam patefecit? Itaque magis patefacta est, quia magis clausa. Ad hócque se authores habere Tertullianũ & Origenem gloriãtur. Verùm quis credet Prophetas Esaiam & Ezechielem, atque antiquã Ecclesiam tam mirificè extollere virginitatem matris Dei in partu, vt tamen nihil aliud intelligãt, quàm intactam à viro in partu mansisse? Quæ enim mulier quamuis non concipiat, non parit tamen sine viri opera? ita vt sit potius prodigium mulierem cognosci à viro propter partum, quàm miraculum non attingi: & quòd nouum miraculum requiritur, vt quæ cõceperit sine viro, pariat sine ipso, nisi propter non solã integritatẽ à viro, sed vteri fractionem, qui à scriptura aperiri dicitur, tum in conceptione, tum in partu, quoniã naturaliter in vtroque effringitur pudoris claustrum. In vtroque verò illibatum mansisse in virgine matre à Propheta pro duplici nouo miraculo & inaudito proclamatur: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: vt nõ tantùm puritas à viro declaretur, sed virginalis pudoris integritas in cõceptione & partu. Ad cuius rei

Beza in annot. in nouum Testam.

In explicat. contra Brent.

Hieron. in Epitaph. Paulæ.

Aug. de agone Christian.

Theod. dial. 2.

De egressu Christi clauso virginis vtero.

Tertull. de carne Christi.

Quid sit virginitas secũdum aduersarios, et an Maria mãserit virgo in partu.

Esay. 7.

rei confirmationem Ezechiel addit de perpetua clausa porta, per quam vnicus trāsierit, post quem nemo alius illac sit transiturus: quod ex collatione vnius transeuntis, & aliorū minimè, clarè perspicitur, non significari de trāsitu per copulā carnalē, qui non fit per portam clausam, sed de partu nascentiū, qui soli Christo cōtigit per clausam portā, tam in cōceptione quàm in partu. Ac sanè quando à Concilio damnatus fuit Iouinianus, quod solutam virginitatem genitricis Dei in partu mentiretur, ne quidem illi veniebat in mentem, à se intelligi per cōgressum viri, nec in eius damnatione de eo fit vlla mentio, sed de sola vteri ruptura. Imò cum Tertulliano id asserebat, vt Marcionitis & Manichæis resisteret, & defendētibus Christi corpus esse phantasma, si sic eum clauso vtero mater peperisset. Sic enim Augustinus de eo narrat. De Manichæorū (inquit) nomine & crimine Iouinianus negabat Mariæ sanctæ virginitatē, quæ fuerat dum cōciperet, permansisse dum pareret: tāquam Christū cum Manichæis phantasma crederemus, si matris incorrupta virginitate diceremus exortum. Ego neminem modernorū legi, qui aliter exponeret Esaiæ Prophetiā, eiusdémque à Matthæo applicationē factā. Cinglio, Oecolampadio, Musculo, Bullingero, Caluino atque aliis, qui in Esaiam cōmentati sunt, fuit religio Prophetiam & virginis dignitatem violare. Cinglius etiam in ipso feruore disputationis de Eucharistia, maluit ingenuè fateri egressum corpus de vtero præter ordinē, quàm à Prophetia recedere. Petrus Martyr, qui omnes religionis ac verecūdiæ fines impudēter trāsiliuit, primus nostra ætate Iouiniani hæresin, & hæresis causam excitauit. Ad eius impietatem Bullingerus desciuit. Beza Mariæ matris virginitatem in partu inter articulos fidei Pissiaci coram Rege pronuntiauit: ibidem postea in disputatione, cùm peteretur ab eo de hoc scriptura expressa, piè à se credi, non tamen pro articulo fidei duci respondit: Postea contra Brentium planè negat virginem perseuerasse: núncque Aduersariorum est communis error, ne scilicet nobiscum Marcionitæ fiant & Manichæi, quemadmodū solent prætexere, & cum Iouiniano se excusare, ac negant prorsus virginitatem muliebrem eam esse, quæ hactenus & à Medicis & à Theologis definita sit: quibus vt satisfiat, & sacrosanctæ virginis dignitas, filiíque potentia atque honor non imminuatur, cogimur de naturæ mysteriis prolixiùs secūdum hominem loqui, quàm nos deceat. Ergo (inquiunt) si violatur virginitas per dissolutionem vuluæ, violabitur etiam per vteri grauedinem & tumorē: quoniam tam repugnat virginitati vterum intumescere ex fœtu, quàm dissolui in partu, nec virginitas propriè consistit in cōceptione, nec in vteri gestatione, nec in eius effractione in partu, sed in non cognitione viri, sicut diua mater ipsamet interpretatur, cū se virginitatē iurasse significaret. Quomodo fiet istud (ait) quoniā virū non cognosco? Idcircò concludunt virginitatē non corrumpi, etiāsi in cōceptione aperiretur matrix, & in partū rūperetur, modò nulla viri intercedat copula. Ad ista Medicis, Iudæis, Canonistis, & antiquis Theologis petēda est responsio. Verum est virginitatem corporalem per congressum viri semper violari formaliter, id est, in ratione & perfectione floris virginalis, quem nondum vel voluptas carnalis delibarit, siue abstulerit, sed non semper materialiter, id est, vt dissolutio vteri secuta sit: quod ad consummatā virginitatis corruptelā requiri omnes docēt, ob idque impotētes viri, quāuis cū mulieribus cōmisceantur, nisi tamen mulieribus corporis integritatē dissoluerint, nec matrimoniū consummasse, nec virginitatē prorsus eripuisse vel violasse iudicātur. Cyprianus quidē & Ambrosius virginitatis certum testimoniū rectè negant haberi ex virginis inspectione per obstetrices, quoniā cōtingat assuetam viro inuiolata virginitatis signacula retinere, quæ tamen virgo non est perfectè scilicet ac præcipua virginitatis parte formali, inter virgines tamen omni

Ezechiel. 44.

Ambr. ep. 82.

Aug. de hæresib.

Quam variè Beza de virginitate in partu sacrosanctæ matris.

Ambros. epistola. 82. iure reputatur materialiter, quoniã natura eius manet illæsa, nec adhuc corpore verè est corrupta. Rursus Ambrosius contra Iouinianum cum aliis decreuit, Mariam Dei genitricem virginem nõ posse prædicari, si peperit aperto vtero, etiamsi virum non cognouerit, ac virgo formaliter permanserit, quia pars virginitatis corporalis, quæ est corporis integritas, deficeret. Itaque virginitas cõplectitur integritatem à viro, & à corporis læsione & corruptione: & sicut mulier experta virũ, desinit quidem esse virgo, sed non omnimodo, ita contrà non experta virum, & tamen corpore materialiter dissoluta, licet culpa careat, nulla tamen lege pro virgine simpliciter numeratur: ex eáque causa omnia iura de vêtre inspiciundo sanciũt, & apud Iudæos licebat ex eo cõtestari apud iudices se nõ duxisse virginẽ, quacũque ex causa mulier potuisset vteri dissolutionem nõ à viro sibi illatam, sed ex quacunque alia causa defendere. Quamobrem vteri gestatio nõ per se arguit virginitatis corruptelam, quoniam in violatione vteri consistit. Nam si grauidæ manerent omnia naturalia illæsa, naturale virginitatis extaret argumentum, non obstãte vteri intumescentia: & cõtrà nõ esset virginitatis indicium aliquod naturale, si mulier aperta vulua conciperet, & pareret, etiamsi constaret non cognitam à viro, quoniã tum virginitas mutilaretur materiali sua parte, in eiúsque locũ succederet corruptio virginitati & integritati opposita. Scriptura ergo vt absolutam & cõsummatam virginitatem in sacrosancta matre perstitisse declararet, non solùm affirmat eam concepisse intactam à viro, sed corpore integram, atque ita peperisse, quod Ecclesia promulgauit. Quod de Tertulliano allegant, commonstrat primitiuæ Ecclesiæ fidem fuisse, natũ Christum modo contrario Cæsaribus, id est, non cæso matris vtero, sed clauso: ex quo Marcion tanquam ex credito ab omnibus concludebat, Non ergo verum corpus Christi ex vtero prodiisse, sed phantasma, cui nulla apertione opus fuerit. Tertullianus cùm iam in multis defecisset ab Ecclesia, & à fide, de partu Christi deficere maluit, quàm de phantasmate vllam suspicionem permittere, præsertim quòd putaret scripturam sibi fauere, quæ Christo accommodat, Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Sed quamuis scriptura hæc maximè Christo conueniat, vt qui per suam potentiam, non opera viri, nec naturaliter aperuerit vuluam matris, tamen si in partu more aliorum nascentium vuluam reserauit, cur singulariter ipsi in partu competet scriptura potius quàm aliis? Deinde scriptura non semper vtitur illa phrasi pro reali effractione & apertione, sed pro effectu apertionis, siue in conceptione, siue in partu. Dicitur Deus aperuisse vuluam Rachel, quando incepit concipere, tametsi pridem antea cognita fuisset à viro suo, & realiter ac verè corrupta, sed grauida nondum facta fuerat. Dicitur & Deus aperuisse vuluam Lyæ, quãdo peperit primogenitum suum, licet antea quoque virum pertulisset. Certè in similibus scripturis non attribuitur Deo realis apertio, quæ iam acciderat, sed effectualis, cùm dedit virtutem concipiendi & gignendi, quomodo Christo soli inter natos mulierum conuenit vuluam matris aperuisse. Nec in authoritatẽ de omni masculino vuluæ recluso intelligitur propriè de naturali & corporali, sed potius de legali, qua fœminarum procreatio pro nulla habebatur, sicut nec in populo Dei per se censebantur. Ideò primus masculus iudicabatur aperire vuluam matris, licet ante eum multæ fœminæ de eadem matre exiissent in lucem, quoniam ab eo solo incipiebat censeri & propagari familia. Fallitur itaque Tertullianus, & quisquis eum sequitur, quasi propriè tãtùm illa scriptura de naturali apertione vuluæ ad partum intelligatur, cùm ex intentione legis non propriè de illa sit intelligenda, sed de legali. Origenes natum Christum scribit, sicut cæteri homines nascuntur. Hoc si rapiatur ad rigorem, sicut rapiunt Aduersarij, multis impie-

Tertull. de carne Christi.

Origen. hom. 14. in Lucam.

Orig.ho.26.in Matth.

impietatibus ſcatebit. Idcirco ſatius eſt ad ſimilitudinẽ effectus tẽperare, præſertim cùm Origenes traditioni credat, quæ occiſum Zachariã patrem Ioannis baptiſtæ à Iudæis in templo habet, quia iuberet Mariam matrẽ inter virgines tanquã virginẽ ſedere, etiamſi filium fuiſſet enixa, & de eius virginitate experimentũ capi. Pro tertio miraculo erga locum & ſitum patres coniungunt cum aliis reſurrectionem de ſepulchro per medium ſaxum impoſitum. Aduerſarij comminiſcuntur Angelos id obſequij præſtitiſſe Chriſto, vt euoluerent lapidem ad exitum inueniendum: quaſi lapis potuerit inuitum Chriſtum retinere, quem mors inuita & infernus cogebantur euomere, aut quaſi Angelorum ope vlla in re neceſſariò indiguerit. Certè non teſtatur ſcriptura lapidem vel vltrò, vel ab Angelo, vel à Chriſto priùs euolutum, ſed contrà declarat non prius lapidem emotum, quàm teſte aſpectu mulierum Angelus reuoluit ad monſtrandum vacuum Chriſto ſepulchrum, & faciendam fidem de eius reſurrectione, quæ paulò antè ceſſiſſet. De reſurrectione verò generali corporum quid opinionis tenent? An arbitrantur neceſſe terram paſſim effodi, & montes qui mortuis multis incubant, euolui, vt pateat excitatis locus ad egreſſum, quaſi aliter non ſint è terræ etiam profundiſſimis viſceribus emerſuri & erupturi, niſi cuique particulariter detur iuſtum loci ſpatium? An potius in momento & in ictu oculi, terra ac mare & omnia elementa redhibebunt Deo apud ſe depoſitos, ſine rima vlla vel fiſſura? Quid de raptu eorundem corporum in cœlum, & tranſitu ſupra omnes cœlos? Chriſtóne primùm oportuit cœlum diffindi ad introitum & penetrationem, quæ à ſcriptura de eo narratur, & omnium mortalium corporibus ſufficiens chaſma & hiatus cœlorum deſiderabitur, qui tamen quouis ferro & adamante ſolidiores in hiſtoria Iob affirmantur, an potius Deo volente ac iubente corpora glorioſa cœlos omnes ſpiritum inſtar permeabunt, & ad beatorum ſedem euolabunt? Non ignoro ſcribi cœlos apertos frequenter, ſed quin figuratè ſcribatur, ipſa litera deſignat, cùm in viſionibus Propheticis & mentalibus itidem ſignificẽtur aperiri, & ad deſcẽſum ſpiritus ſancti, qui vtique ſpiritus eſt, & vbi vult ſpirat, nec opus habet apertione. Poſtremò ſicut in omni quæſtione Aduerſarij pro ſcriptura aliquem pattum Auguſtini adulterant, eúmque tanquam quendam κόκκυσμον perpetuò occinunt, ita hîc ex eodem paſſim clamitant, Tolle

De egreſſu Chriſti à ſepulchro.

Iob.37.

De penetratione cœlorũ per Chriſtum.

" ſpatia corporibus, & non erunt. Cui addunt ex Cyrillo Alexandrino iſta: Si verò
" partitionem & ſectionem diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si au-
" tem hoc & in loco omninò & magnitudine & quantitate, & ſi quanta facta eſſet,
" non effugeret circumſcriptionem.

Exponitur locus, Tolle ſpatia corporibus, & non erunt.

Cyrill.lib. 2. de Trinitat.

Indè concludunt etiam Deo aſcribendam fore loci circumſcriptionem, ſi admitteretur corpore veſtiri, vel extendi. Magna ſanè vtriuſque doctoris apud omnes pios debet eſſe authoritas, ſed nõ tanta, vt eorũ nudam affirmationẽ nec ſcripturæ, nec traditionis, ac ne quidẽ purioris Philoſophiæ teſtimonio probatã, nõ aliter quàm indubitatũ fidei articulũ liceat vrgere. Ipſi nec ſibi tantum ſumpſerunt, nec ſuis ſcriptis tantũ tribui poſtularũt. Imò Auguſtinus epiſtolã illam, in qua de corporibus diſſerit, aliter obſignat, quàm ſoleat fidei Articulũ proponere. Nam in his quæ ſunt fidei, magna aſſeueratione cõſueuit intonare,
„ Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus probare intendimus: Firmiſſimè cre-
„ de, ac nullatenus dubites. Epiſtolã verò de qua agitur, ita claudit: Si qua vitia mea
„ hic perſpicis, ignoſces, ne ſcilicet dicta tãquam fidei Articulum amplectamur, qui
„ habeat ex verbo Dei immota fundamẽta. Neque hac præmonitione vtimur, quaſi Auguſtinus vel Cyrillus hoc axioma Dei omnipotẽtiæ opponant. De corporũ cõditionibus ſecundum naturæ ordinẽ ac proprietatem diſputant. Dei eſſe agnoſcũt nulla loci amplitudine capi poſſe, corporum verò naturam exiſtentẽ & ordinariam

exigere adæquatum ſuæ magnitudini interuallũ, vt maior corporis quantitas laiorem ſitum requirat, & minor minorem. Nihil hîc vterque de eximia Dei virtute, quæ creaturas verſat ad arbitrium, per quam diſertè fatẽtur cum omni veteri Theologia locales corporum proprietates & intercapedines in egreſſu de vtero virginis atque aliis intercidiſſe, vt non modo tota moles corporis anguſtiorẽ occuparit, ſed planè nullum. Auguſtinus etiam per Dei potentiam expreſſe probat id accidere in corporibus naturalibus, ſicut in annulo, qui de zona proſiliit, ſine zonæ vel annuli vlla ſolutione factum ſuo tempore miratur. Nec ignorarunt tanti viri mundum vniuerſum nullo ſpatio concludi, ſed Dei manu ac nutu portari. Quod communiter corporibus per naturam euenit, D. Auguſtinus & Cyrillus tractarunt: de rarò contingentibus per Dei imperium, nullum hîc ſermonẽ habuerunt. Nam vterque acerrimè tuetur corpus Chriſti in tantillo panis fruſtulo contineri, ſine adæquato ſuæ magnitudini ſpatio. Cyrillus quidem, exiſtere ipſum in aſſeruatione Euchariſtiæ ſine vſu & eſu ad Caloſyrium grauiſſimè defendit, & Auguſtinus Chriſtum in tali ſpecie oculis mortalium apparuiſſe, atque vterque in ſacramento cum aliis corpus idem impartibiliter adeſſe & ſumi ſcribit. Quin etiam Cyrillus ſignificat in authoritate allegata à ſe tantùm intelligi de corporibus coëxtenſis, & diuiſibiliter exiſtentibus ex ſuppoſitione à qua orditur, vt ſi Deus ſit partibilis, conſequatur id ipſi contingere ex quantitatis extenſione, per quam fit circumſcriptio. Auguſtinum verò licet interpretari ex alio eius textu, in quo aſſeuerat veritatem Chriſti eſſe vbique, corpus verò Chriſti aliquo loco eſſe oportere, aliquo loco ſaltem, ſcilicet improprié dicto, non pro circumferentia corporea metiẽte magnitudinem corporis: quod ita ab ipſo intelligi patet ex oppoſito vbiquitatis, quam veritati tribuit, quæ non deſignat omnem locum ſpatiis menſuratum, quo non circumſcribitur veritas, ſed præſentiã ad quemcũque locum, ſiue propriè, ſiue impropriè. Ex quo apparet, quid Auguſtinus enuntiet per dictũ, Tolle ſpatia corporibus, & nõ erunt: vt ſpatiũ pro loco accipiat impropriè, id eſt, pro præſentia & exiſtentia corporis limitata alicubi, ſiue ſit cum latitudine loci corporea ipſum ambiente & capiẽte, ſiue ſine ipſa: nec magis dictio ſpatij expreſſa ab Auguſtino nos mouere debet, quàm loci, cùm vtraque voce vtatur indifferenter pro loco propriè ſeu impropriè vocato. Atque ita exponendum præter collationem duorum textuum, teſtantur citata de annullo, & de exiſtentia corporis Chriſti in ſacramento, & de tranſitu per ianuas clauſas, cuius verba hîc ſuo ordine apponentur.

Auguſtin. De conſecr. diſt. 2. can. Prima hæreſis.

De cõſecr. diſt. 2. can.

Exordiamur à Iuſtino. Quemadmodum nõ mutatione corporis in ſpiritum Dominus ſuper mare ambulauit, verum diuina potentia ſua mare, quod pedibus calcari nequiret, ad inambulandum cõmodum & peruiũ reddidit, nõ ſuo ipſius tantùm corpori, ſed & Petri, ita & ſuapte potentia è monumento, cui lapis impoſitus fuit, egreſſus eſt, & ad diſcipulos ianua clauſa ingreſſus. Nõ enim excitationis eius gratia, ſaxi ipſius de monumento facta eſt deuolutio, ſed eorum cauſa qui id erant conſpecturi, vt ipſis reſurrectio oſtenderetur. Nam quòd ſepulchralia eius veſtimẽta in monumento viderunt, ipſum autem non viderũt, euidentiſſimũ reſurrectionis eius fuit indicium. Conſiderare verò nos oportet, quæ pari ſunt potentia, ea & conceſſa, & negata obtinere fidem. Parem autem habet potentiam deambulatio ſuper mare corpore nõ mutato, cũ ingreſſu ad diſcipulos foribus clauſis corpore nõ mutato. Et fieri non poteſt, vt eorum quę in natura ſupra naturam diuina fiunt potẽtia, naturali ratione aſtruatur aſſertio. Idcirco eiuſcemodi introitu diſcipulis exterritis permiſit, vt loca corporis, quæ paſſionẽ pertulerãt, cõtrectarent, & perſentiſcerent ſe nõ mutatione corporis in ſpiritũ, ſed corpore craſſarũ partiũ, per diuinam ſuam potentiã

Iuſt. quæſt. 117 in Gentes.

reium

" rerum quæ supra naturam sunt, effectricem, introitum ad eos talem instituisse. Aduersarij cauillãtur, quasi Iustinus senserit intrasse Christum per mutationẽ & emollitionem, seu cessionem partium, sicut ambulauit, in mari ipso consolidato. Sed Iustinus nec de posteriori, nec de priori vllum verbum facit, sed tantùm confert introitum cum ambulatione quoad causam efficientem, vtpotè diuinam omnipotẽtiam: Quoad factum verò comparat aditum ad discipulos, & exitum de sepulchro. In vtroque miraculum constituit in corporis actione & motu præter ac supra naturam, sine corporis vel lapidis, vel forium clausarum mutatione: id quod natura assequi non potest. Ideò à discipulis propter transitum talem existimatum spiritum esse ait: quasi mutatio accidisset in corpore: quibus vt eriperet illam opinionem, solidum corpus obtulisse contrectandum.

" ATHANASIVS. Etiam sensum aliquem sui, vnde cognosci posset verbum, discipulis suis per corpus suum præbuit, eo nimirùm, quo ingrediebatur ianuis clausis: quippè quod rectà penetrabat, præsénsque sui certitudinem afferebat. Dei more ingressum Athanasius declarat, id est, sine apertione. *Athanas. or. 4. in Arrian.*

" AMBROSIVS. Habuit admirandi causam Thomas, cùm videret clausis omnibus per inuia septa corporibus, inoffensa compage, corpus Christi insertum. Et ideò mirum, quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus effuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari. Ambrosius singulis ferè dictionibus refragatur cuiuscunque modi apertioni forium, seu parietis, ad rarefactionem vsque, cùm ait naturam corpoream per impenetrabile corpus se effudisse sine mutatione seu inoffensa compage, & in hoc miraculum cõsistere monet. *Ambr. lib. 10. in Luc. ca. 24.*

" HIERONYMVS. Quòd clausis ingressus est ostiis, eiusdem virtutis fuit, cuius & ex oculis euanescere. Lynceus, vt fabulæ ferunt, videbat trans parietem: Dominus clausis ostiis, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ & vultures trãsmarina cadauera sentiunt: Saluator Apostolos suos, nisi ostium aperuerit, non videbit? Dic mihi, acutissime disputator, quid est maius tantam terræ magnitudinem appẽdere super nihilum, & super aquarum incerta librare, an Deum transire per clausam portã, & creaturam cedere creatori? Quod maius est, tribuis: quod minus est, calumniaris. Aduersariis placet ex Hieronymo apertionem factam in pariete, quasi venienti se patefecerit, & spatium ac locum ad intrandum dederit. Atqui Hieronymus ex professo fictionem hanc confutat, ac probat similitudinibus, & à maiori ad minus, & expressis syllabis, non apertum ostium, & in hoc esse miraculum, quòd clausis ostiis seu non aperto ostio, tanquam phantasma intrarit. Quòd si per fissuram parietis se induxisset, verum esset contra Hieronymum Apostolos non visos à Christo, nisi aperto pariete, quod perinde est atque ostio. Cessio ergo creaturæ, nõ est apertio, sed obedientia, nec resistentia contra eius transitum: cùm creatura agenti & eunti creatori nequeat impedimentum ponere. *Hieron. ad Pãmach. cõtra errores Ioann. Hierosolym.*

AVGVSTINVS narrat Petroniam mulierem ex Iudæi consilio cinctam cingulo, cui annulus erat insertus, ad limina protomartyris Stephani perrexisse. Postea (inquit) annulum suum ante pedes suos iacentem vidit, & capillatiam zonam qua fuerat alligatus, mirata tentauit. Quam cùm omninò suis nodis firmissimis, sicut fuerat, comperisset astrictam, crepasse, atque exiliisse annulum suspicata est. Qui etiam cùm integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis quodãmodo pignus de tãto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum soluens, simul cum eodem annulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos ostiis clausis ingressum non credunt. Sed hoc certè quærant, & si verum inuenerint, illa credant. Clarissima fœmina est, *Lib. 22. de ciuit. cap. 8.*

nobiliter nata,nobiliter nupta,Carthagine habitat. Ampla ciuitas, ampla persona, rem quærentes latêre non sinunt.

Aug. de agone Christiano ca. 14. & ep. 3. Nec nos moueat, quòd clausis ostiis subitò eum apparuisse discipulis scriptũ est, vt propterea negemus illud corpus fuisse humanum, quia contra naturã huius corporis videmus illud per clausa ostia intrare: Omnia sunt possibilia Deo. Nam & ambulare super aquas, contra naturam huius corporis esse manifestum est: & tamen non solùm Dominus ipse ante passionem ambulauit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & post resurrectionem suam de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud, sicut splendorem solis, quare non potuit & post passionem, ad quantam voluerit subtilitatem in temporis momento redigere, vt per clausa ostia posset intrare? Aduersarij obseruant ab Augustino mutationem dari in corpore Christi ad transitum, vt in maximam exilitatem attenuetu rcorpus Christi, & id putant ab Augustino subtilitatem vocari. Absit autem vt Augustinus subtilitatem Christo affingat, quæ soliditati corporis opponatur, in qua se transisse Christus testatur, cùm hortatur discipulos, Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Dos subtilitatis non ita traditur à scriptura, sed pro actione subtilitatis ac spiritalitatis in corpore solido: & nominatur subtilitas à similitudine effectus, quia per eam sic angusta & clausa peruaduntur, ac si corpus ipsum, solidum tamen & crassum, instar subtilissimi spiritus agitur & mouetur.

Epiph. hæres. 20. lib. 1. EPIPHANIVS eam subtilitatem explicat. Resurrexit, & clausis foribus ingressus est, vt crassarum partium corpus, tenuium partium ostenderet ipsum, quod erat cum carne & ossibus. Nam vbi ingressus est, ostendit manus, & pedes, & latus punctum: ossa item, ac neruos, ac reliqua, vt ne essent imaginatio ea quæ videbantur.

Lib. 2. hæres. 64. Idem est corpus animale & spiritale. Quemadmodũ dominus noster Iesus Christus resurrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans, sed ipsum quod erat, & non aliud ab eo quod erat, sed ipsum quod erat, in spiritalem subtilitatem transmutans, & spiritale totum coüniens, ingressus per fores cõclusas: id quod fieri nequit hîc in nostris corporibus propter crassitudinem, & quòd nõdum in spiritalem subtilitatẽ sint coünita. Quod igitur erat ipsum, quod conclusis foribus ingressum est? Omninò equidem ipsum, quod crucifixum est. Ostẽdit enim & ossa, & carnes, & cutem, vbi dixit, Videte quòd spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quomodo igitur ingressus est foribus conclusis? Vt ostenderet quòd corpus quidem esset quod videbatur, & non spiritus, verum corpus spiritale, & quidem quod cum anima & deitate, & tota incarnatione idem esset, sed spiritale subtilium partiũ, quod aliquando crassarum fuerat.

Chrysost. in ca. Ioan. 20. & hom. 2. de ssm. CHRYSOSTOMVS. Vis scire quomodo de virgine natus sit, & post natiuitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus. Nulli dubiũ, quin clausa fuerint ostia. Quia intrauit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus: verè corpus erat. Quid enim dicit, Videte quia spiritus carnem & ossa non habet, quæ me habere videtis. Habebat carnes, habebat ossa, & clausa erãt ostia. Quomodo clausis ostiis intrauerunt ossa & caro? Locus non est, per quem intrat, & tamẽ intus est qui intrauit, & non apparet quomodo intrauit. Nescis quomodo factum sit, & das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ, quia de virgine natus sit

Greg. Nazianz. in Trag. de Christo patiẽte.

Stat ecce Dominus has fores intra: nouum hoc.
Dignúmque verè maximo miraculo.
Et quomodo autem foribus occlusis adest?
Quin fortè & idem sic sepulchro condito

„ *Virginis ab aluo prodiit matris suæ,*
„ *Clausóque surgens exiit, velut antea*
„ *Infracta seruans claustra quàm castissimæ.*

„ CYRILLVS ALEXANDRINVS. Nónne sufficiebat ad cognoscendum „ Christum statura corporis & lineamenta? Ambiguum hoc certè fuisset. Putare ná- „ que potuerunt quendam imaginem sibi Saluatoris assumpsisse: & ad hoc miraculo- „ sus per clausas fores ingressus facilè inducebatur: terrestre namque corpus latiorem „ secundum suam naturam viam desiderat. *Cyrill. lib. 12. in Ioann. ca. 53. et 59.*

THEODORETVS. Ingressus est clausis ianuis, quemadmodum & egressus est „ ex vtero, cùm claustra virginis obsisterēt, & sicut in mari ingressus est: nondum au- „ tem, vt tu dicis, facta erat naturæ mutatio. *Dial. 2 Polym.*

DE PVGNANTIBVS HAERESIBVS BRENTIAnorum & Sacramentariorum circa proprietates corporis Christi, & eorum hinc & inde blasphemiis. CAP. 5.

DVM de proprietatibus humanæ naturæ, & mensura donationis in Christo animosiùs & audaciùs in causa Eucharistiæ Brentiani & Sacramentarij decertant, modum excesserunt vtrinque quæstiones de conditione carnis Christi. Nam infensi Eucharistiæ Sacramentarij, denudarunt humanitatem Christi omni supra hominem excellentia & gratia, quasi oporteat per omnia fratribus assimilari, excepto vno peccato, sicut ex Apostolo Caluinus iactat. Contrà Brentiani, vt fit, feruore disputationis abrepti & incitati, veritatis limites transilierunt, cùm in eandem cum diuinitate potentiam, gloriam & vbiquitatem, carnem Christi prouehunt. Propter hanc controuersiam exierunt nostris temporibus aduersaria quamplurima volumina Brentij & Bullingeri, Petri Martyris, Stancari, Caluini, Bezæ, Iacobi Smidelini, Schekij, atque aliorum, De mediatore Christo, De naturarum vnione & proprietate, De cœlo quo Christus ascenderit, De inferno quo descenderit, De dextera Patris, De Christi maiestate, omnipotentia, omnipræsentia, & vbiquitate: De carnis Christi merito, excellentia & efficacia: atque alia parerga, nihílque ad Eucharistiam pertinentia: ita vt Tertullianum magna totius orbis Christiani perturbatione experiamur verè dixisse, quid libet audendi triplicem esse licentiam, pictorum, poëtarum, sed hæreticorum potissimùm. Eò tandem hæresis euasit, vt non de verbis Cœnæ litem curet amplius, sed omnes fidei articulos de Christo intrepidè conuellat: ita vt cum plorante Magdalena liceat meritò lachrymas iungere, ac lamentari cum illa: Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerūt. Brentio enim ne quidem placet Christum mortalem fuisse fateri, eóque progreditur Ioannes Langus in Staphylum, vt dicere non dubitet, carnem Christi Deum esse, sicut eandem Suenkfeldius in diuinitatem transisse. Contrà Cinglius asseuerat Christum sapientia profecisse, quia secundum humanam naturam finitus fuerit atque mēsus. Caluinus humanam personam natam ex virgine scribit, nec quicquam meruisse aut acquisiuisse Christum, cùm in terris vitam mortalem ageret, nec merito fore locum, si quis iudicio Dei illum opponeret, quia non reperiretur in homine dignitas, quæ posset Deum promereri: eóque impietatis recidit, vt exinanitum illum asserat secundum vtramque naturam, ac patri subiici. Bullingerus ait desiturum Christum esse creaturam, si ab illo assumptus homo concedatur attolli supra omnem creaturam. Denique Ioannes Faber scribit, Scafeusæ visum hominem, qui

Pugnantes hæreses de proprietate corporis Christi vndenata.

Propter proprietates illas omnes articuli fidei de incarnatione labefactantur.

Tertull. in Hermog.

Brent. de verbo in domo Patris mei.

Suenkfeld. lib. de collat. statuū Christi.

Cingl. in Confess. ad Car. 5. art. 1.

Calu. lib. 2. Instit. cap. 17.

Cal. vbi suprà. & in epist. ad Ephes.

Bulling. lib. de omnipræsētia.

Ioann. faber contra Suenkfeldium.

Christum non resurrexisse prædicaret, quia per omnia assimilari fratribus oporteret. Quas verò vtrinque effutierint ineptias & blasphemias de Natiuitate Christi de virgine, de morte eius, de descensu ad inferos, de ascensione, de vita spiritali habitâte in eo, atque aliis, suo loco à nobis commemoratur: ita vt harum blasphemiarum pertæsus Iacobus Smidelinus, conqueratur non amplius, aut certè parum, de verbis Cœnæ litigari, sed de singulis ferè fidei Articulis, qui Christum attingunt. Nos Catholici via regia ac recta ingredimur, ne declinemus aut ad dexteram, aut ad sinistram, & ante omnia scripturarum ac Patrum fidem de Christi incarnatione retinemus, ac credimus verbum filium Dei ex virgine Maria assumpsisse, & sibi vnione personali vniuisse verum corpus humanũ. Agnoscimus recto Ecclesiæ iudicio anathemate percussos esse Marcionem, Valentinum, Magnetẽ, ac recentiores Anabaptistas, qui humanam naturam in Christo phantasma esse ducunt. Improbamus Apellis deliria, qui finxit Christi corpus post resurrectionem dissolutum in elementa ex quibus constabat. Abhorremus ab erroribus Suekfeldij, qui somniat carnem Christi in diuinitatem transformatam esse. Reiicimus blasphemias Nestorij, diuellentis naturas, & duos constituentis filios. Damnamus Eutychetis portenta, qui dum stolidè vtrasque naturas in vnam commiscuit, neutram Christo verè reliquit. De his veteribus erroribus multi refricantur, cùm de prærogatiuis carnis Christi in Eucharistiæ negotio curiosiùs inquiritur, & pertinaciùs quisque suum proprium figmentum tuetur. Qua de re, vt dixi, extant multi libri. Peccatur ergò vtrinque ex immoderata proprietatum consecutione, quam de vtriusque naturæ coniunctione exigunt contentiosi. Nam quia natura humana salua manet, & plurimæ ipsam affectantur proprietates, Sacramentarij eas omnes ad vnam vsque requirunt, aut repugnante scriptura illas saltem quæ ipsorum proposito seruiant & suffragentur. Vicissim quoniam diuina natura in sua arce residet illæsa, & suæ amplitudinis quosdam quasi radios in humanam naturam diffundit, ex quibusdam perspectis alias omnes diuinitatis præstantias, aut saltem eas quæ suo dogmati patrocinentur, per illationem à pari, & proprietatum consecutione, Brentiani côtendunt naturæ humanæ tribui oportere, quamuis scriptura de multis taceat, & interdum modum præfigat. Igitur ex eo quod nos confitemur corpus Christi verè adesse, vbicunque Eucharistia administratur, inferunt Sacramentarij negari à nobis humanæ naturæ veritatem in Christo, quoniam proprietatem localem ipsi ingenitam distrahamus, & indè accepta occasione sic omnibus proprietatibus humani corporis addicunt Christum, vt ægrè patiátur ipsum ab vlla eximi, cùm per omnia dicant Christum fratribus assimilari debuisse: vt etiam vix ferant vllam ei supernaturalem ascribi, quæ à nobis eadem non speranda sit post hanc vitam: & ad tuendam hanc suam sententiam citant Apostolum, qui reparanda asserit corpora humilitatis nostræ ad cõformitatem corporis luminosi & gloriosi Christi. Cur enim (quærit Bullingerus) non liceat à corpore Christi ad nostra, & à nostris iterum ad corpus Christi argumentari, cùm hoc ipsum Paulum fecisse videamus? Multis postea blasphemiis ex isto argumento conspuunt Christi carnem: negant viuificam, & quicquam prodesse, negant adoratione, aut vllo cultu dignam, atque alia quæ diligens lector in eorum libris obseruabit. Placet hîc pauca ex Vvestphali contra Antidotum Polani Apologia describere, huic loco aptissima. Apud Iudæos (inquit) Scribæ & Parisæi excæcati ratiocinatione hærente in proprietatibus humanæ naturæ, in eam amentiam ruebant, vt non agnoscerent Christum hominẽ verum esse Deum, & blasphemè iudicarent quòd blasphemaret, cùm sibi sumeret potestatem remittendi peccata. Videat Polanus cum suis sodalibus, ne se præcipitet in extremæ impietatis

Fides Catholicorũ de Christi incarnatione.

Cal. in Anabaptist.

Pugnantes hæreses de Christo propter diuersas proprietates.

A nostris corporibus ad corpus Christi malè argumentatur Aduersarij.

Philippen. 3.

pietatis

" pietatis foueam, ne contendat aliquando, Christi carnem non sedere ad dexteram
" Dei, aut si verbis id concedet, ne malè definiendo sessionem ad dexteram, detrahat
" gloriæ communicatæ filio Dauid, redemptori nostro: ne adimat sanguini & morti
" eius reconciliationis & satisfactionis merita, vim & dignitatem: ne incipiat dispu-
" tare sanguinem & mortem hominis non posse esse infinitæ virtutis: perinde vt cùm
" disputant, carnem Christi nihil conducere, non posse in multis locis præsentem
" manducari: Ne denique contendant natiuitatem, circuncisionem, passionem, mor-
" tem Domini, quia sunt carnalia & corporalia, nihil conferre ad salutem. Subdolus
" illusor, & mirus artifex Satanas scit incredibilibus præstigiis fascinare animos: ne-
" mo confidat de sua prudẽtia, eruditione, facundia, aliisve donis: sobriè sapiat vnus-
" quisque in timore Dei. Hactenus ille. Nos Catholici non solùm naturam humanam integram, ac distinctam à natura diuina testamur in Christo, sed illius proprietates imperturbatas & inconfusas permanere docemus. Verùm æquum postulamus, vt in illa natura humana proprietates substantiales secernantur ab accidentibus, de quibus antea egimus. Deinde ostendimus loci circumscriptionem neque à Philosophis, neque à scriptutis, annumerari inter essentiales corporis humani proprietates, quæ si pereant, secum substantiam in interitum necessariò protrahunt. Restat modò aperire fontem, ex quo emanant admirandæ multæ dotes, quæ accidunt corpori Christi, & quæ suo fulgore illustrant ac perficiunt infirmitates naturę nostræ, atque eiusdem defectus abolent & absorbent. Harum quidem capaces non sunt cæteri homines, ac proinde non aliam decet desiderare in Christo nobiscum necessariam similitudinem, quàm partium & proprietatum essentialium. Alias accidentales pro passionis dispensatione suscepit, easdémque deposuit cùm voluit, vel retinuit. Profitemur itaque filium Dei sibi copulasse naturam humanam arctissimo fœdere, quod vocamus personalem vnionem, quoniam persona filij Dei in Christo sustentat naturam quam ex homine accepit. Ex hac vnione credimus à diuina liberalitate præclaras dotes quamplurimas in naturam assumptam redundasse, per quas caro assumpta nõ exuit aut perdit proprietates suas, sed deponit suas imperfectiones, & nouas acquirit vires, vt quod antea non poterat, tum possit. Similitudine rem elucidemus, qua delectantur antiqui Patres. Ferrum ignitum duplicem facultatem possidet, vnam sibi naturalem & essentialem retinet, accidentia multa deponit, ac nouam vim acquirit, qua præditum priùs non fuit, vt lucere, vrere, quæ sibi præter naturam adueniunt. His positis, si quis ratiocinetur Sacramentariorum more, Non est proprietas ferri lucere, vel vrere: ergo ferrum ignitum non lucet, nec vrit: habes quod respondeas, alia esse idiomata siue proprietates ferri per se, alia vt cum igne coniunctum est. Imò & in nostro corpore hoc potest considerari. Quatenus animatum, longè alia præ se fert idiomata & accidentia, quàm si per se extra vnionem cum anima consideretur. Accommodemus ad Sacramentariorum ratiocinia. Dicimus corpus Christi triplici proprietatũ genere insigniri. Alias habet naturales corpori humano simpliciter & absolutè accepto. Eidem aliæ ex beatitudine communi sanctis omnibus pro cuiusque gradu & ordine accesserunt. Alias ex vnione naturæ humanæ cum diuinitate obtinuit, quæ aliqua accidentia corpori humano agnata sustulit, ac noua contulit, quibus supra naturam, & vim corporis humani corpus Christi attollitur, vt iam non valeant in ipso, sicut nec in ferro ignito, argumenta sumpta ex natura & proprietate corporis simpliciter. Expectatur fortassè, vt edamus illas prærogatiuas, quæ exuberant in humanam Christi naturam, & efficiuntur illi per gratiam & donationem, non per essentiam propriæ: sed suo loco de scripturis & Patribus commemorabuntur. Conuenit inter

Quænam proprietates sint necessariò requirendæ in Christo, vt retineat similitudinem nobiscum.

Aliæ sunt proprietates humanæ naturæ in subiecto filij Dei, quàm extra.

Triplex genus proprietatũ in corpore humano.

nos omnes, excellentias illas ex vnione humanæ naturæ cum diuina in persona filij Dei, tanquam ex fonte procedere. Sed de vnione personali primùm controuertitur, quænam sit, & in quo consistat. Brentiani existimant esse sitam in communicatione maiestatis, authoritatis, potestatis, virtutis, quæ in naturã humanam Christi à diuinitate vbique præsentis specialiter transfunduntur, ita vt personalis duarum naturarum vnio in actione vnius in alteram versetur & definiatur. Ad eam fabricãdam nullius Concilij determinationem, nullius Patris sententiam, nullam ex planis scripturis rationem firmatam, authoritatem denique nullam proferunt, sed vno aut altero scripturæ loco fraudulenter exposito hoc suum phantasma adumbrare conantur, & non tam persuadere, quàm fidei articulum sua authoritate efficere, adeò vt ne dignentur quidem ducere pro Christianis, quicunque ab illis dissenserint. Ex eorum ergo sententia personalis vnio est communicatio plenitudinis omnis potestatis: quoniam de Christo scriptum sit, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, & in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc autem totum comminiscuntur, vt humanitatis Christi omnipræsentiam & vbiquitatem incipiant fundare: quasi necesse sit illam naturam humanam esse præditam omnipotentia, à qua fluat omnipræsentia, si cum diuina in vnionem personalem deuenerit. Nos Catholici, à quibus quicquid veritatis habent, didicerunt Aduersarij, respondemus iam damnatam esse à Cõciliis sacrosanctis istam opinionem & definitionem. Nestorius, cùm ab eo quæreretur, quonam pacto naturas diuinam & humanam vniret in Christo, cùm personas filij Dei & hominis diuideret: copulari illas dicebat eiusdem potestatis nexu & communicatione. Minus asserebat ille quàm Brentiani, cùm ex eadem potestate non inferret personalem vnionem, sed sufficientem naturarum connexionem. Eum tamen Synodus Ephesina sic confutat: Non potest vnire naturas sola dignitatis aut potestatis æqualitas. Dicere „ Deum & hominem sibi inuicem velut dignitatis & authoritatis vnitate cõiunctos, „ nouitas vocis est, & nihil aliud. Eadem Synodus anathemate ferit Nestorium, qui „ vniri duas naturas in Christo communi potestatis vinculo doceret, diuidi tamẽ in eodem illarum naturarum personas. Si quis (inquit) in vno Christo diuidit subsistẽ- „ tias post vnitionem, sola societate coniungens ea quæ secundum dignitatem est, „ vel etiam authoritatem aut potestatem, & non magis conuentu, qui per vnitatem „ factus est naturalem, anathema sit. Quinta Synodus idem decernit, & inquit: Si „ quis dicit secũdum gratiam, vel secundum opinionem, vel secundum dignitatem, „ vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum authoritatem, aut relationem, „ aut effectum, aut virtutem, vnitionem Dei verbi ad hominem factam esse, anathema sit. Ephesini Patres exemplo duorum Apostolorum, aut duorum Principum difficultatem illustrant. Nam licet constituerentur in maiestate, dignitate, authoritate, ac potestate æquales illi duo, tamen indè non consequeretur vtrunque Principem siue Apostolum in eãdem coalescere personam. Hoc idem solidissimis rationibus, atque ex nostra fide & scriptura sumptis confirmatur. Nam tres diuinæ personæ in potestate, maiestate, & reliquis perfectionibus quàm maximè sunt vnitæ, totámque diuinitatis plenitudinem habent, nihilominus manent inter se verè & personaliter distinctæ. Non igitur eadem potestas eandem personam efficit, nec eiusdem maiestatis communicatio vnionem personalem includit. Quod cùm Brẽtiani introducere volunt, simul introducent hæresin Sabellianam, quæ ex vnitate naturæ, maiestatis & potestatis, vnam in Patre, Filio & Spiritu personam esse concludebat. Adhæc si ex maiestatis diuinæ in naturam humanam infusione coalescit vnio personalis in Christo, cùm illa maiestas sit communis tribus personis, natura humana

Quænam proprietas personalis in Christo secundum Brentianos, & refellitur.

Coloss. 2.

Anathem. 3.

humana Christi vnita dicetur Patri & Spiritui tam verè & propriè, quàm ipsi filio, nec solus filius feretur incarnatus, passus, & sepultus, sed Pater & Spiritus: ac proinde Brentianos Patripassianos meritò cum Sabellianis, & Spiritupassianos appellabimus. Tertiò, si hypostatica & personalis vnio conflatur ex eiusdem potestatis cōmunicatione, Deus nō posset vlla ratione naturam aliquam personaliter sibi vnire, quin ei suam potestatem impartiret. Quod concessum parum defert diuinæ omnipotentiæ, & in triduo sepulturæ corpus Christi anima vacuum negat perstitisse diuinitati coniunctum, cùm cadauer illud maiestatis, gloriæ, & sapientiæ diuinæ capax aut particeps nō magis quā lapis fortasse esset. Postremò maiestas & cooperatio humanitatis iam personā Christi conflatam ex diuinitate & humanitate arguunt. Operationes enim esse rei & existere supponunt. Itaque non ex eiusdem potestatis participatione coadunatio naturarum in eadem persona fit, sed ex eadem subsistētia & existentia, ita vt diuina & humana natura in Christo dicātur personaliter vniri, quia existant, & sustententur eadem subsistentia, quam Græci nominarūt hypostasin, Latini personam & suppositum. Sic enim in Ephesina Synodo decernitur: " Carni secundum subsistentiam vnitum est Dei patris verbum. Et in quinta Syno- " do accuratiùs definitur: Sācta Dei Ecclesia, vtriusque scilicet Nestorij & Eutyche- " tis perfidiæ impietatem eiiciens, vnitionem Dei verbi ad carnem secundum com- " positionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Si quis non confitetur " Dei verbum carni substantialiter vniri, & propterea vnam eius subsistentiam, vel " vnam personam, & ita sanctam Chalcedonensem Synodum vnam subsistentiam " Domini nostri Iesu Christi confiteri, talis anathema sit. Hinc absque difficultate intelligetur, quanta humanitatis cum diuinitate euadat vnio. Non enim tanta est, quanta trium personarum in vna essentia diuina, neque tam parua etiam, quàm ea est, quæ in solius gratiæ, gloriæ, & virtutis communicatione consistit, aut quæ alio quouis accidentario modo efficitur. Est autem adeò singularis, vt nullo exemplo commodè explicari possit. A Patribus quidem illi comparatur corporis & animæ cōsociatio, quia in vna hominis persona duæ res fulciuntur sine vlla mixtione, confusione, ac conuersione: nihilominus tamen talis coadunatio longissimo distat interuallo ab illa quæ in Christo fit. Animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectæ sunt essentiæ, sed vnius essentiæ partes: diuina verò & humana natura in Christo essentiæ sunt adeò integræ & absolutæ, vt nulla ratione vnam tertiam essentiam absoluere possint: attamen vtraque portatur & sustinetur ab vna simplicissima filij Dei subsistentia. Etenim natura humana in Christo priuatur humana persona, siue subsistentia, sed existit in supposito & persona filij Dei, à qua substentatur vt existat. Ex ista fide & doctrina omnibus absurditatibus & incommodis obuiam itur, quibus patet Brentianorum opinio: quæ iterum recurrerent, si coadunatio in essentia diuina, aut in aliqua essentiæ proprietate locaretur. Cùm enim essentia, & essentiæ quæuis proprietas Patri, Filio & Spiritui indifferenter congruant, etiam illi tres indifferenter dicerentur incarnari, pati, &c. At cùm vnio ex persona & particulari subsistentia filij Dei terminatur, tum ad eum etiam solum respicit incarnatio, passio, & alia eiusmodi. Indè etiam expediuntur omnia Brentianorum argumenta, quibus amplificār sustentari humanam naturam Petri, Pauli, atque aliorum, & portari à Deo, ne in nihilum defluant. Nam falsum est naturam humanam in illis propria destitui subsistentia, falsum est illam naturam superstrui subsistentiæ, siue personæ Patris, aut Filij, aut Spiritus: sed suæ propriæ existētię siue personæ incumbit, & innititur fundamento, quod sicut alia omnia sua virtute stabilit & continet, quódque est ipsa diuinæ essentiæ maiestas & potentia, non aliqua persona diuina.

Quæ sit vera personalis vnio, & in quo consistat.

Quæ sit communicatio idiomatū & proprietatum in Christo secundū Brentianos.

Brentiani vt suæ vbiquitati aliquam rimam inueniant, mouent secundam quæstionem de communicatione idiomatum, id est proprietatum vnius naturæ in Christo ad alteram trāsitu & applicatione, cùm nimirùm diuinitatis, quæ est in Christo, dotes eximiæ affirmātur conferri & inesse humanitati propter intimam illam personalem vnionem. Ex qua Brentiani contendunt omnipotentiam & omnes alias excellentias, quæ singulares & propriæ sunt Deo, in eandem humanitatem Christi transfundi, vt ipsa sit omnipotens, omnium præscia, vbique præsens, ita vt nihil inter diuinitatem Christi & humanitatem intersit, nisi quòd illa ex se suas possidet prærogatiuas, humanitas verò easdem omninò obtineat, quamuis non ex se, sed ex coniunctione cum diuinitate in eadem persona filij Dei. Imò eousque progreditur Andreas Smidelinus, vt duplicem audeat fabricare diuinitatem: vnam propriam, quæ toti Trinitati competat, alteram communicatam, quæ humanitati Christi debeatur. In probationem iterum citant, In quo sunt omnes thesauri sapientię & sciētiæ Dei absconditi: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Non est illi datus spiritus ad mensuram. Nos verò scimus ab Ecclesia Catholica damnatum Eutychetem, qui naturas permisceret, & proprietates confunderet: damnatos quoque Monothelitas, qui naturarum operationes perturbarent, ac definitum in Domino nostro Iesu Christo duas naturas indiuise inconuertibiliter vnitas esse, & duas proprietates duásque naturales operationes indiuise inconuertibiliter, inconfuse, inseparabiliter, vt verbis sextæ Synodi vtamur, in eodem Christo agnoscēdas ac venerandas, alteram scilicet humanam, alteram diuinam. Ex quo sequitur, proprietates vnius naturæ minimè ad alteram esse transferēdas, aut cum alterius proprietatibus confundendas, cùm vtraque natura absque vlla confusione, mixtione aut conuersione proprietates suas distinctas omninò incolumésque retinuerit. Scimus deinde non ex alio fonte Arrium, Paulum Samosatenum, Photinum, atque alios eius generis hæreticos, suos errores hausisse, quàm ex præpostera peruersaque scripturarum intelligentia, in quibus nescierunt, aut noluerūt inter ea secernere, quæ ratione diuinitatis, & quæ ratione humanitatis de vno eodémque Christo passim dicta legūtur. Eminuerò necesse est (admonet Cyrillus) reddere Deo quæ sunt Dei, & humanitati quæ ei debentur, ne id quod creatum est, ad diuinam deducentes essentiam, aut id quod est diuinæ naturæ, ad locum qui creaturis congruit, deponentes, in aliquem incidamus errorem. Passim admonemur etiam à Patribus, cauendum ab illa communicatione idiomatum, siue ne attribuamus vni naturæ quod alteri fuerit innatum. Seruemus (inquit Ambrosius) distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in vtraque loquitur Dei filius, quia in eodē vtraque natura est, & si idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Intende nunc in eo gloriam Dei, nunc hominis passiones, quia quasi Deus loquitur quæ sunt diuina, quia verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. Nanzianzenus ait: Vno capitulo moneo, vt altiora quidem ascribas diuinitati, humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis nostræ assumpta est. Distinguamus (scribit Augustinus) quid in scripturis sonet secundum formam Dei, & quid secūdum formam serui. Quid autem, & propter quid, & secundum quid dicatur, prudens & diligens & pius Lector intelliget. Cùm aliqua in scripturis (alibi addit) dicuntur de filio, quibus demonstratur quòd patre sit minor, ea secundum humanitatem intelligantur. Cùm verò ea dicuntur, quibus filius patri demonstratur æqualis, secundū quod Deus est, accipiantur. Hieronymus verò Brentianos insectatur planissimè. Illorum similiter execramur blasphemiam (inquit) qui nouo sensu asserere conātur, à tempore susceptæ carnis omnia quæ erant Deitatis, in hominem demigrasse, & rursum

Matth. vlt.
Ioan. 3.
In concilio Chalcedon. in 5. Synodo, et 6.
Alia sunt proprietates diuinitatis in Christo, alia humanitatis, nec vnius alteri conueniunt, aut attribui debent, ita vt humanitati non possit omnipotentia diuinitatis deferri.
Citatur in sept. Synodo.
Lib. 2. de fide cap. 4.
In sermone de filio.
Lib. 1. de Trinit. ca. 13. & ca. 7.
In Symbol. explanat. ad Damas.

" ſum quæ erant humanitatis, in Deum eſſe transfuſa, vt quod nulla vnquam hæreſis " dicere auſa eſt, videatur hac confuſione vtraque exinanita ſubſtantia, deitatis ſcilicet & humanitatis, & à proprio ſtatu in aliud eſſe commutata. Ac ne temerè exiſtimemus inter hæreſes iſtam opinionem connumerari à Patribus, expẽdamus quàm iuſtè id faciãt, cùm talis proprietatum inter naturas communitas myſterium incarnationis corrumpat, nec fieri poſſit. Imprimis id alteri communicari dicitur, quod commune redditur etiam ex Brentianorum ſententia. Quod autem duobus re vera commune fit, iam vni proprium dici nequit. Qua de cauſa Conciliis & Patribus nihil eſt aliud naturarum proprietates in Chriſto confundere, quàm vel humanas aſcribere diuinæ naturæ, vel è diuerſo diuinas humanæ, vel eaſdẽ vtriſque attribuere. Non ignorarũt Patres ſubtilem Brentianorũ diſtinctionẽ, vt vni dicatur propriũ, quia per ſe conueniat, alteri verò competat, non vt proprium, quia accedat ex alio: Imò in eo omnes neruos intendunt veteres Theologi, vt doceãt id quod vni per ſe proprium cognoſcitur, ne mediãte ipſo poſſit alteri cõmunicari & imputari. Cæterũ perſpicietur veritas faciliùs, & iucũdior erit diſputatio, ſi ſermonẽ ad ipſam omnipotentiã, de qua quæritur, accõmodauerimus. Certiſſimũ eſt axioma, nullius naturæ proprietatẽ in alteram naturã ſeu ſpeciem transferri poſſe. Etenim (vt eruditè Cyrillus ſcripſit, & ratio ipſa dictat) quorum operatio & virtus indifferenter vna eſt, illis vnitatem quoque ſpeciei vendicare oportet. Quis enim diceret aptitudinem ad ridendum, ad ratiocinandum, & ad capiendas diſciplinas, quæ homini ſunt propria, lapidi aut trũco poſſe infundi? Multò verò minus omnipotentia diuina, proprietas infinita naturæ finitæ & creatæ poterit communicari, cùm in cõfeſſo ſit, quòd res finita certiſque terminis cõcluſa, rem infinitã & immenſam intra ſe capere nequeat. Adhæc cùm potentia, ſciẽtia, & quælibet perfectio in Deo ipſiſſima ſit, & ſimpliciſſima eſſentia, euidenti & neceſſaria collectione efficietur, ipſiſſimam quoque & ſimpliciſſimam Dei eſſentiam in Chriſto naturæ humanæ cõmunicari, ſi ei omnipotentia cõmunicatur, cùm eadem ſit (inquam) in Deo eſſentia & omnipotentia. Proinde humanitas in Chriſto habebitur Deus vt omnipotens. Ex quo humanitas Chriſti diuinitati æqualis affirmabitur, non tantùm potentia, maieſtate & gloria, ſed eſſentia & natura, cùm in idem recidãt in ipſa diuinitate eſſentia & potentia. Hinc quoque colligetur, à diuinitatate realiter communicari proprietates humanitati, idem valere ac ſi quis dixerit, diuinitatem ſemetipſam humanitati communicare, ita vt ipſa diuina natura enũtietur de humana, cùm eadem omninò res ſimpliciſſima credatur in Deo proprietas & eſſentia. Hinc etiam omnes aliæ diuinitatis proprietates humanitati probabuntur conuenire, ſi vna illi aſſeritur infundi, cùm omnes vnum ſint, nec vna ab alia poſſit diſiungi. Sic ergo humanitati etiam cõmunicabitur æternitas, vt ſic loquar, increatio, infinitas, ita vt ipſa humana natura re vera credatur æterna, increata, infinita, aut diuinitas ſeu diuina omnipotentia negetur infinita, increata, æterna. Andreas Smidelinus audet Deum finitiſſimum ſcribere, qui probè nouerit finem potentiæ ſuæ. Hoc quidem eſt Brentianorum ſcopum attingere, & Deo ipſi diuinitatem adimere, quæ propriè in ipſa immenſitate & infinitate conſiſtit, ne humanitatem infinitis interuallis anteuertat. Prætereà ſi vna eadémque in Chriſti humanitate & diuinitate potentia ponitur, vna etiam ponenda erit operatio, vna voluntas, intellectus vnus, cùm ad naturales diuinæ eſſentiæ proprietates pertineant, & vnum & idem omninò cum omnipotentia exiſtant. Quamobrem Brentiani non effugiant, quin Eutychitarum & Monothelitarum hæreſim incurrant, quorum primi confundebant naturas, & naturarum proprietates, alii naturarũ volũtates & operationes. Nec crimẽ iſtud à ſe depellant

Quare proprietas vnius naturæ alteri in Christo nequeat communicari.

In Prosphonetico ad Theodosium.

Brentiani Deũ finitum dicunt.

x

ex eo quòd omnipotentiam & alias proprietates primò & per se ascribant diuinitati, cuius beneficio transfundantur in humanitatē, cui per accidens tantùm dicantur conuenire. Eutychiani & Monothelitæ non carebāt hoc effugio. Non enim eos latebat, quicquid humanitati in Christo præter alios homines accessit, ex diuinitate, cui per se illud inesset, accidisse, neque humanitati innatum, sed aduentitium fuisse. Insuper huc impietatis delabentur, vt quæ Deo sunt essentialia, ita vilescant, & efficiantur creaturis accidentia. Aliquid quidem creatum ad similitudinem proprietatum Dei, & earum quædam creata, inquam, participatio accidētaliter homini potest aduenire, vt beatitudo, subsistentia, atque alia, sed vt ipsamet Dei essentia, naturalísque eius proprietas nihil imminuta, inter hominis accidentia computetur, hoc est, Dei essentiam infra creaturarum essentiam collocare, & inter ipsarum accidētia numerare, atque ex Deo creaturas fabricare. Postremò Trinitariis, & pluriū Deorum artificibus Brentiani omnem nauāt operam. Iam enim ne quidē secundū scripturas, vt illis placet, putabitur incōmodum plures diuina essentia præditos, omnipotentia & maiestate æquales, & aliis proprietatibus pares: etsi quid difficultatis acciderit, sufficiet ad vnius in alterum infusionem recurrere. Iam à Brentianis humanitas Christi omnipotens esse statuitur: iam in gloria, sapientia, maiestate, authoritate, Deo Patri coæquatur: Iam ab ipsis conceduntur duæ naturæ omnipotentes, duo creatores, eandem rem simplicissimam esse creaturam, & creatorem quendam recentem, & nouum in tempore factum. Quæ scriptura, quis author vnquam somniauit, præter vnicum Deum alium esse omnipotentem, & creatorem? Si Christus etiam secundum humanitatem, potentia & cæteris naturæ diuinæ perfectionibus, diuinitati æqualis censetur, falsum inferetur, Patrem ipso maiorem esse re vera secūdum humanitatem: neque secundū eam sibi vel nobis mereri potuit, neque mediatorem Dei & hominum egit, neque lāguores neque infirmitates nostras portauit, quoniā ista omnia, quæ in scripturis passim occurrunt, inæqualitatem sonant, nō solùm in essentia, sed etiam in potētia, vnde hæc opera proficiscuntur. Et quidem vel ex eo solo apertè conuinci potest, humanitatem Christi nō esse omnipotentē, quòd plurima possit Deus, & potuerit, ac fecerit ante ipsam humanitatem Christi conditam, quæ humanitas nulla ratione efficere potest, nec vnquā potuit. Etenim, vt cætera omittamus, non potuit humanitas ipsa se fingere, neque resuscitare, neque se nunc potest in nihilum redigere. Non est igitur humanitas Christi diuinę naturę in potentia vllo modo exæquanda: quod Ephesina Synodus ita definiuit: Si quis velut " hominem Iesum operante Deo verbo dicit adiutum, & vnigeniti gloriam, tan- " quam alteri præter ipsum existenti, tribuit, anathema sit. Tandem excutiamus scri- " pturas, quibus abutuntur Brentiani, & quas vertunt aliò, quò non destinantur. Errant in eo, quòd personam Christi confundant cum humanitate Christi, vt existiment quæcunque attribuuntur verè personis, attribui posse similiter naturis. Errant deinde in eo, quòd cōmunicationem idiomatum putent fieri in naturis, sicuti fit in personis, cùm naturę non possideant eam inter se communitatem & connexionem, quam possident in persona, in cuius vnitate illæ inter se distinctę coadunantur & vna altera ducitur. Errant tertiò, quòd proprietates naturę humanę in Christo iudicent non affirmari posse de persona Filij Dei re vera, sed nomine tenùs ac voce sola, & tamen arbitrantur proprietates diuinę naturę re vera enunciari de persona diuina, cùm ipsa persona pari modo & nexu ad vtrasque naturas se habeat. His obscuriùs propositis adaptemus scripturas ab illis allegatas: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Dedit illis Dominus spiri- " tum sine mensura: Omnia subiecit sub pedibus eius: Pater diligit Filium, & " omnia

Quomodo dicatur aliquid communicari creaturæ, de his quæ propria sunt Deo.

Ephes. can. 7.

Errores Brentianorum, & vnde.

Scriptura quibus abutuntur Brentiani, vt humanitati Christi omnipotentiam tribuant.

omnia dat in manus eius. Duo respondemus ad ista: Imprimis valdè periculosas esse in scriptura ex dictionibus ratiocinationes, neque passim colligendum eum, qui omnia dixerit, nihil excipere, sed causas dicendi inuestigandas, ex ipsisquè potius quàm ex voculis iudicandum. Nouimus à Paulo scribi, Omnia possum in eo qui me confortat. Quis verò sanæ mentis idcircò Paulum faciat omnipotentẽ? Proprio filio nõ pepercisse Deus prædicatur, sed pro nobis illum tradidisse, ac cum illo omnia nobis donasse. Quis inde consequi contendet, electos dici posse omnipotẽtes, quibus Deus omnia per filium donauerat? Ferè voces illæ vniuersales in scriptura limitationem & restrictionem patiuntur: Omnia traham ad meipsum: &, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: aut, Omnis creatura vanitati subiecta est: vt exceptionem admittunt ex causa, quæ locum habet in materia quæ tum tractatur. Ita cùm omnis potestas collata Christo iactatur, non excluditur omnis exceptio etiam diuinæ potestatis, quæ connumerari non decet, nec solet, nec potest, cùm de hominum & aliarum creaturarum potentia fit mentio, quoniam inter res eiusdem generis contineri comparatio debet, & non ad Deum extendi, cuius virtus & maiestas à scripturarum ordine eximitur. Si Apostolus tãtùm generaliter ad Hebræos protulisset, Omnia subiecisti sub pedibus eius (in eo enim, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei) nihilominus meritò etiam contenderemus omnia ad creaturas pertinere, neque Dei maiestatem comprehendere. Homini enim in prima creatione subiecit omnia: nemo tamen concluserit communicatam primo homini Dei maiestatem & omnipotentiam. Verùm cùm ipsemet Apostolus diuinam illam sublimitatem excipiat ab illa generalitate, Omnia subiecisti sub pedibus eius: Excepto, inquit, eo qui ei subiecit omnia: vbi patefecit Christo, vt homini, donatum quidem imperium creaturarum, & collatam excellentiam supra omnes creaturas, sed citra ius vllum in diuinã maiestatem, quæ si cõmunicata illi esset vnà cum Domino in creaturas, vt ea ad nutum vteretur, proculdubio sicut aliis donis sibi collatis, ita diuina maiestate potiretur, vt omniũ nomine veniret enumeranda: eam verò cõtrà aliorũ numero eximit Apostolus. Quãobrem scripturæ soli Deo suã illęsam & incõmunicabilem seruãt maiestatẽ. Christi humanitati ex vnione personali cum Deo, datã & traditã profitẽtur amplitudinẽ, dignitatem & virtutem supra omnes alias creaturas: quod Apostolus clarissimè explicat, cùm inquit, Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det vobis spiritũ sapientiæ & illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus secũdum opinionẽ potẽtiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & cõstituens ad dexterã suam in cœlestibus supra omnẽ principatũ, & potestatẽ, & virtutẽ, & dominationẽ, & omne nomẽ quod nominatur, nõ solũ in hoc seculo, sed etiã in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiã, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Potentiã Dei secernit à prærogatiuis Christi, per quam ad apicẽ & fastigium glorię & eminẽtię euecta est humanitas eius, cuius capax esse potest aliqua creatura. De Dei dextera peculiariter tractabitur. Cæterùm largiamur Brentianis, quòd citatis in locis aliqua cum Deo ęqualitas Christi designetur, indè tamẽ nõ sequitur humanitatẽ diuinitati æqualem esse. Aliud est enim, si dicas Christo homini omnẽ datam potestatẽ in cœlo & in terra, aliud humanæ eius naturę donationẽ factã fuisse. Nã personę diuinę, quæ Christi etiã hominis nomine significatur, omnipotẽtia & quęcũque alia diuina perfectio verè ascribi potest: creatæ verò naturæ, qualis est Christi humanitas, nõ potest. Certè si omne illud, quod vel in scripturis sacris, vel in

1. Cor. 15. Ioann. 13.

Non semper in scriptura signa vniuersalia generalitatem absolutam & simplicem notant.

Philippen. 4. Rom. 8. Ioann. 12. Rom. 10. & 8.

Heb. 2.

1. Cor. 15.

Ephes. 1.

Deus contulit Christi humanitati potentiã et dignitatem supra omnes creaturas.

Aliud est Christo tonnenire omnipotẽtiã, aliud eius humanitati.

Patrũ monumentis,quocũque modo Christo ascribitur,humanitati Christi statim tribuatur,profectò & Catholicè affirmare licebit,humanitatem Christi esse Deum, increatũ,æternum,per quẽ omnia facta sunt,vnum & eundem cũ patre, splendorẽ patris,& figurã substantiæ eius,quoniam hæc omnia verissimè de Christo prædicatur. Imprudentiùs verò & insultiùs colligitur,Apostolũ asseruisse plenitudinẽ diuinitatis in Christo corporaliter inhabitare,& omnes in eo thesauros sapiẽtiæ & sciẽtię recõditos esse:Ex eoque sequi plenitudinem diuinitatis, id est,æqualem gloriã, maiestatem,sapientiã & potentiã, humanitati Christi esse cõmunicatam , & in eam quasi trãsfusam,ita vt iam humanitas Christi verè sit & dicatur omnipotẽs,sicut ipse Deus,æqualíque gloria & maiestate cum Deo ipso prædita.Falluntur in istis Brẽtiani, quòd personam Christi cum natura manifestè cõfundant, & quòd quę de Christo dicuntur, eadem, in eius humanitate statuant. Fingamus tamen Apostolũ dixisse,quod illi volunt,plenitudinem diuinitatis in humanitate Christi corporaliter inhabitare,omnésque thesautos sapientiæ & scientiæ diuinę in eadẽ humanitate recõditos latẽre,quod à D.Paulo dictũ non est,tametsi Catholicè id affirmari posse nouerimus,cùm tota & plena diuinitas humanitati personaliter sit donata, & in ea lateat abscõdita:nihilominus fallò colligitur æqualem maiestatẽ & potentiam humanitati Christi esse cõmunicatã,ita vt humanitas dicatur omnipotens. Eodẽ enim argumentationis genete deduceretur, Deitatem naturę humanę cõmunicatam esse,ita vt humanitas Deus verè dici possit,sicut omnipotẽs , cùm verissimè asseueretur,diuinitatẽ ipsam in humanitate Christi corporaliter inhabitare:præsertim cùm nihil sit aliud Deitatis plenitudo,quàm Deitas plena atque perfecta. Adde quòd cũ anima rationalis in corpore humano corporaliter inhabitet,non solùm hypostatica vnione illi coniuncta,sed etiam essentiali, si Brentianorum explicationẽ sequimur, integrum erit inferre , animã cum omnibus suis facultatibus & affectionibus corpori cõmunicatam esse,vt corpus perinde atque anima intelligens sit & volens,arte mathematica & medica,cęterísque scientiis præditũ.Imò verò cùm domos corporaliter inhabitemus,sequetur etiam nos illis ita cõmunicari,vt eisdẽ proprietatibus & perfectionibus domus affectæ dicantur,quibus nos ipsi affecti sumus. Nec obstat, quòd aliter diuinitas in humanitate habitet, nimirũ hypostaticè cũ illa coniuncta. Nã licet id verũ sit,nõ ideò tamen cõsequitur idẽ esse aliquid in altero corporaliter

In Theodoret. inhabitare,aut illi cõmunicatũ aut hypostaticè coniunctũ esse. Vnde Cyrillus : Ne- " que idẽ fuerit dicere, Verbum factum fuisse hominẽ,& putare Deũ habitare in ho- " mine,etiamsi vera beati Pauli vox est, quòd cõplacuit in ipso habitare omnẽ pleni- " tudinẽ Deitatis corporaliter.Sed vnũ(inquit)esse Deum,Patrẽ & Filiũ Dominũ Ie- " sum Christũ,per quẽ omnia. Et hinc quòd Nestorius, qui hypostaticã diuinitatis " cũ humanitate vnionẽ reiiciebat,libẽter eo testimonio vteretur,quòd videret aliud esse,aliquid in altero inhabitare,& illi hypostaticè coniũctũ esse. Postremò,pro causa introducẽdæ opinionis suæ,Brẽtiani exprobrãt cõmunicationem diuinæ naturæ in persona Christi tãtùm fuisse verbalem & grãmaticalem,nisi re vera cõmunicet & impartiat proprietates suas naturæ humanæ. Quibus vicissim retorquemur, verbalẽ

Quid sit vera communicatio idiomatum. tantùm fore cõmunicationem proprietatũ humanæ naturę in persona Christi,nisi infirmitates eius re vera trãseant in diuinã naturã:quod nefas dictũ ipsi quoque fatẽtur Brentiani. Quapropter satius fuerit veritatẽ vtrinque ex æquo cõsistere,& cõcedere cõmunicationem & transfusionẽ proprietatũ vnius naturæ in alterã non fieri,quoniã inter se nihil habẽt cõmune & affine,sed cõmunicare æqualiter proprietates suas in eo,in quo conueniunt & colligantur æqualiter, id est,in persona filij Dei, siue subsistẽtia, in qua vniuntur & adunantur. Sed Brentianos apparet nescire,

quid

quid per communicationem idiomatum Patres intellexerint. Nam hitum cõmunicationem illam esse dicunt in Christo, cùm alteri naturę propriè per se ac reipsa non conuenit, sed per accidens, propter vnionem personalem. Sic demonstrato Christo, licet affirmare, Hic homo cœlos creauit, & omnipotens est per communicationem idiomatũ, id est, per accidens: quia contingit vt hic homo habeat diuinitatem copulatam in eadem persona. Qua ratione Aristoteles de eo qui Faber simul ac Medicus sit, Fabrum curare, & Medicum Fabricare, non inuitus fatetur. Atque hinc fit, vt communicatio hæc naturas non in abstractis, sed in cõcretis demonstret: quia ne per accidens quidem proprietates naturarum secum communicant, vt de se inuicem in abstractis enunciari queant, vt dicatur, Hæc humanitas creauit cœlos, aut diuinitas est. Sed falluntur Brentiani, quòd sine iudicio putarint ἰδίωμα hoc loco ἰδιότητα id est proprietatem naturæ simpliciter designare, atque ab vna natura in alteram transire, ac communicari, cùm tamen Theologi tantùm esse dicendi modum tradiderint, quo mutua fit prædicatio concretorum vtriusque naturæ de seinuicem, & de persona ex his constituta, tanquam sit potius verborum quàm rerum communicatio, non ita tamen vt inanis sit, & verbo tenus compleatur, sed quæ firma duarum naturarum in vnam personam coniunctione fulciatur, atque solidetur. Qua de causa citra vllum omninò discrimen & diuina homini, & humana Deo, tãquam vni & eidem personæ in diuina & humana natura subsisteri, non voce tantùm, sed reipsa rectissimè attribuuntur, cùm vna re vera sit Dei & hominis persona. Sicut ergo Deus dicitur hominis filius, infirmus, crucifixus, mortuus & sepultus, &c. propter naturam humanam, quam sibi personaliter vnitam cum omnibus suis proprietatibus sustentat: ita homo Dei filius appellatur omnipotens, æternus, immortalis, non propter aliquam transfusionem vnius naturę in aliam, sed propter incõfusam vnionem, qua humana natura coniũcta est diuinitati in vnitate personæ. Talium verò proprietatum cõmutatio & cõmunicatio nec voce, nec re, naturis conueniunt, vt vnius proprietates alteri assignentur, quoniam vna alteram non sustentat, & in eadem persona, per quam sustinentur, non confundũtur, nec permiscentur inter se. Itaque locutiones istæ habitæ sunt tanquam hæreticæ, Humanitas Christi est Deus, siue Deitas, omnipotens, immortalis, & impatibilis. Vicissim & istæ, Deitas est homo, siue humanitas, infirma, patibilis, & mortalis. Hactenus de Brentianis, qui videntur limites veritatis ad dexteram prætergredi, ac nimium humanitati Christi arrogare. Cæterùm dum euitamus Charybdim, cauendum ne in Scyllam recidamus, & ad sinistram nimium deflectamus. Sacramentarij nobiscum contra Brentianos propugnant hac in re veritatem. Brentiani contra Sacramentarios etiam à nostris partibus stant: sed vtrique volunt eam, quæ in medio consistit, veritatem deprædari, & vtrique modum excedunt pari argumento. Brentiani vrgent, Omnia subiecisti sub pedibus eius: vt plus æquo deferant humanitati. Sacramentarij contrà importuniùs clamat, Oportet eum per omnia fratribus assimilari: vt ne quidem humanitati Christi tantillum loci permittant supra communem aliorum hominum capacitatem. Catholici vtrinque oppressi, cauent à defectione & excessu, ac se intra modum & medium continent. Postquam humanitatem Christi à diuinitatis æqualitate segregarunt, ipsi excellentiæ proximum locum tribuunt: de qua explanationis causa duobus modis considerant. Aut enim spectatur vt collocupletata donis & ornata, quæ fluunt ex proxima coniunctione cum Deo, quæ personalis & singularis, ac sibi particularis est associatio, nec aliis creaturis, etiam Angelis communis. Proinde non adæquatur aliis sanctis, nec cum illis tanquam pares cum paribus comparatur, sed exi-

Brentiani & Sacramentarij mutuò se confutant, & ab vtrisque cauẽdum.

Sacramentarij eodẽ argumẽto quo Brentiani, humanitatem Christi nimirũ euchunt, ipsi eandem deprimunt plus æquo.

Hebr. 2.

Vnde prærogatiua in humanitate Christi flant.

mitur,& extra omnem creaturam aliam illustriori loco ponitur. Solus Christus, vt homo, primatum tenet in omnibus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Caput omnis Ecclesiæ, primogenitus in multis fratribus, mediator Dei & hominum, in quo instaurata sint omnia: Dominus omnium, iudex viuorum & mortuorum. Solus in summa ita plenus gratia & veritate, tantisque Spiritus sancti donis repletus, tanta maiestate, gloria, potestate, & authoritate cumulatus, vt nulla similis gratia, & æqualis nulla authoritas in vlla creatura comperiatur. Quæ sanè dignitas & incomparabilis eminentia quamuis ab immensa Dei celsitudine quàm longissimè distet, tamen in alia creatura nulla quæcunque tandem illa sit, locum vllum obtinet. In cæteris enim etsi gratiæ & Spiritus sancti dona reperiuntur, non tamen coaceruatim nec cumulatim vt in Christo, nec in ea excellētia, sed diuisim & iuxta mēsuram donationis Christi, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Excellit igitur Christus secundum humanitatem maiestate, potestate, gratia, & gloria, cæterisque donis gratuitis, creaturas omnes, & mirum in modum excellit, sed manet nihilominus secundum eandem humanitatem creaturæ limitibus circumscriptus, & minor patre, eidéque subiectus, qui omnia ei dedit atque subiecit. Atque hæc est omnis illa potestas in cœlo & in terra, hic spiritus non ad mensuram, hæc sessio ad dexteram Patris, quam Christo, quatenus homo est, attribui sentiunt Orthodoxi. Ista munera & prærogatiuæ ex infusione sunt maiestatis diuinæ naturæ in persona coadunata, sed non est sui metipsius communicatio, sed creata quædam participatio, quæ à diuinitate emicat, & exundat in humanitatem, cùm nihil contrà diuinitas hauriat nubeculæ aut maculæ ex humanitatis infirmitate. Prærogatiuæ istæ non sunt idiomata & proprietates diuinæ naturæ, sed humanæ, non naturales, sed gratuitæ. Secundò consideratur humanitas Christi, vt organum & instrumentum operationum, quas diuinitas exequitur in Christo: & quoniam istæ apparuerunt in humanitate & carne consistere, & ex ea foras prodire, humanitati ex parte sunt assignatæ, quoniam in ipsa habitarent corporaliter positę, quamuis non ab ipsa emanarent. Ad istud declarandum adhibuerunt Patres similitudinem igniti ferri, & alia ab anima & corpore peti potest. Homo enim hominem generat. Quæres, ratione materiæ, vel ratione formæ. Peccabis si soli materiæ deberi responderis, quæ ortus & interitus expers est: sed nec soli formæ illam vim vendicabis, cùm ea sit anima rationalis, quæ à Deo ipso in hominis ortu creatur, & vna iam materiæ dispositæ infunditur. Relinquitur ergo hominem generari ab homine secundum formæ coniunctionem ad materiam. Sic Christo homini omnis potestas data est secundum diuinę naturę ad humanam coniunctionem, quamuis potestatis origo & radix à diuinitate profluat. Hoc pacto Christus multa etiam per humanitatem potest, quę sine ipsa nequiret pręstare, quamuis vis agens & efficiens diuinitati imputetur potissimùm, sed sine humanitate non perageret. Ad eū sensum interpretamur, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Sic, Christus nostram adimpleuit redemptionem, quam diuinitas mediante humanitate est operata. Ad eum sensum scriptura & Patres ad humanitatem sępè referunt, quę ex diuinitate maximè dependent, & ab ipsa communicari humanitati scribunt & effundi, cùm per exempla non intelligant communicationem idiomatum, & proprietatum transfusionem, sed operationem coniunctam & humanitati, & carni inhęrentem. Athanasium, Paulum Emissenum, Basilium, Cyrillum, Theodoretum & Damascenum in fine huius capitis audies commendantes ista duo pręrogatiuarū genera in humanitate Christi, & carne. Eo pacto scribitur nos habere in sanguine Christi redemptionem: Sanguinem eius nos emundare ab omnibus peccatis nostris: Carnē ipsius

Secundus fons prærogatiuarū in humanitate Christi.

Rom. 2. & Ephes. 1. 1. Ioan. 1.

datam pro mundi vita: Carnem eius viuificare, atque ita viuam, vt impossibile fuerit ipsam videre corruptionem, aut aliter mori, quàm Christus ipse decreuerat: atque alia, quæ non possumus sine idololatria alterius humanitati aut corpori tribuere, nec sine salutis periculo corpori hominis Christi detrahere. Tres itaque fontes ex scripturis profitemur, ex quibus scaturiunt eminentiæ soli humanitati debitæ: Personalem vnionem, ex qua fluūt in humanitatem Christi dona singularia, & admirabiles prærogatiuæ creatæ: Deinde meritum actionum, quas in suo corpore Christus gessit, gloriámque indè partam & exaltationem. Tertiò numquam desernit carnem diuinitas, sed ei inhabitat, per eámque vires suas exerit: vnde de humanitate Christi hauriuntur diuinitatis opera, gloria, & vita æterna atque corporea. Peccant Brentiani, qui non cogitant aliundè proficisci excellentias Christi, quàm ex idiomatum communicatione, & quia supra limites creaturæ quidvis in humanitatem Christi congerunt. Sacramentarij verò attēdant, quanta se impietate implicent, dum suam humanitatē Christi humanitati in gloria adæquant, & tanquam Luciferi iterum se ascensuros gloriantur, vt similes sint altissimo. Scripsit quidem Apostolus nostra corpora excitanda, vt glorioso corpori Christi sint conformia: sed cōformitas nec paritatem nec æqualitatem vllo modo importat, satis est si imitationem, imaginem, & similitudinem. Deinde vt eadem genere gloria in nobis cum Christo reluceat, tamen stella à stella in claritate discrepat. Alia claritas solis, alia claritas Lunæ, stellarū quoque alia, ac longè imminuta: ita & resurrectio mortuorum suahabebit discrimina, vt ex proprietatibus accidentalibus, quas tum vnus in suo corpore obtinebit, non possis easdem tibi promittere, nec easdem tecum alteri polliceri, ex eo quòd communis humana natura in vtrisque remaneat. Multò verò minus valebit ratio ex communi natura in nobis & Christo ad vsurpandas prærogatiuas, quæ ipsi debētur, aut ad auferendas quæ ipsius solius humanitati sunt indultæ & collatæ. Coërceatur itaque à corpore nostro ad corpus Christi, & vicissim ab ipsius corpore ad nostrum argumentandi authoritas, intra certos cancellos, ne incurramus vel idololatriam, si eadem nostris detulerimus, quæ scriptura defert corpori Christi, vel in impietatem, si non amplius eius corpori quàm nostro tribuerimus. Apostolus dixit, quoniam constaremus carne & sanguine, Christum eisdem participasse, sed excepto peccato, quod etiam in sanguine habitat & carne: cuius loco, carni Christi corporaliter se infundit diuinitas, quæ propterea vnxit illū præ participibus suis, vt conueniret quidem in essentiali integritate naturæ, & proprietatibus eius cum fratribus, sed disgregaretur accidentibus quibusdam, & prærogatiuarum magna excellentia. Nestorij error non aliūdè fluebat, vt viuificandi virtute priuaret carnem Christi, quàm ex conuenientia corporis Christi cum fratribus per omnia, & proprietatibus humanæ naturę. Ephesinum Concilium rectè decidit, carnem per se & sua natura extra vnionem cum filio Dei minimè viuificatricem esse, sed ex ipsa coadunatione & diuinitatis cohabitatione accensam esse lumine verbi humanitatem, vt tota luceret. Eam ob rem Patres in refellendo Nestorio toti incumbunt enarrandis pręrogatiuis corporis Christi supra nostra, & constituenda maxima accidentali dissimilitudine. Eadem iterum disputabuntur in Repetitione De adoratione sacrosanctę Eucharistię, capite de adoranda Christi carne.

Ioan. 6. Actor. 2.

Tres radices prærogatiuarū in humanitate Christi supra omnem creaturam.

Impietates Brētianorum & Sacramētariorum cōtra humanitatē Christi.

Philipp. 3.

1. Cor. 15.

Quatenus valeat ratio à cōmuni natura in Christo et nobis.

Incurrunt idololatriam Sacramentarij, cùm suis corporibus tantum tribuunt, quantum corpori Christi.

Heb. 2.

" ATANASIVS, ex Tomo in Arrianos. Propter quod & Deus exaltauit ipsum, &
" dedit ei nomen, quod est super omne nomen, &c. De templo corporis eius dixit,
" non de diuinitate. Non enim exaltatur altissimus, sed caro altissimi, & carni altissi-
" mi dedit nomen, quod est super omne nomen, nec verbum Dei accepit, vt vocare-
" tur Deus, sed caro eius cum ipso deificata est.

Theodor. dial. 2.

PAVLVS EMISSENVS, in Concione habita coram Cyrillo. Non dubitamus hunc in modum loqui. Diuiniora quidem assumptæ carnis naturæ dedit, eorum verò quæ humanitatis sunt, nihil assumpsit. Ambulauit supra mare, sed cum proprio corpore. Increpauit ventos & mare, sed per proprium corpus. Solius Dei est remittere peccata. Dicit autem, vt sciatis filium hominis habere potestatem dimittendi peccata, Paralytico, Surge, & ambula.

BASILIVS. Humana Domini caro ipsa participauit deitate, non propriam debilitatem diuinitati distribuit.

De Fide ad Reginas. CYRILLVS ALEXANDRINVS. Verbum suæ naturæ bona solet proprio corpori communia facere. Ne fallaris ex aliis locis Cyrilli, intellige ex verbi operatione coniuncta cum actione carnis, & natura.

Idem Epistola ad successum. Vnigeniti Dei proprium corpus existens omnia humana transcendit.

Dialog. 2. THEODORETVS. Qui personam Orthodoxi agit in dialogo, allegat Apostolum, Suscitabit corpus humanitatis nostræ cōfiguratum corpori claritatis suæ. Eranistes, qui personam agit hæretici, infert Sacramentariorum conclusionem: Erunt ergo (inquit) corpora sanctorum corpori Christi æqualia. Respondet Orthodoxus: Ab interitu quidem & corruptione erunt ea quoque aliena, & immortalitatis participia. Habebunt etiam gloriæ partem & communionem, quemadmodum scribit Apostolus: Si compatimur, & conregnabimus. In quantitate autem magna potest inueniri differentia, & tanta, quantum differt sol à stellis, vel potius quantum Dominus à seruis, & quod illuminatur ab eo quod illuminat. In qualitate ergo, non quantitate, erunt sanctorum corpora corpori Domini conformia.

Lib. 3. ca. 7. & 17. DAMASCENVS. Dicimus naturas Domini se immeare. Sed tamen ex natura diuina prouenit immeatio. Nam omnia pertransit, per ipsam autem nihil: & ipsa quidem carni proprias glorificationes tradit, ipsa verò manet expers passionum carnis.

ADVERSARII NE QVIDEM CREDVNT IN EVcharistia esse posse corpus Christi, nisi sit visibile: vbi de eorū atheismo, & quatenus Deus dicatur videri, & corpus Christi in Missa & Eucharistia. CAP. 6.

ADEÒ corporum proprietatibus hærēt affixi Aduersarij, vt ne minimam quidem elabi sinant, quæ ipsorum instituto seruiat, quam in Christi corpore non exigant. Si præsens est in Eucharistia (scribunt) oculis cernetur, & contractu probetur esse necesse. Nam ita fert corporum natura, quam etiam Christus in argumentum protulit, quod verè suum corpus excitasset à mortuis: Palpate (ait) & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. Aduersarij omnia in hoc sacramento fidei suæ videntur tribuere, sed hoc loco ostendunt se fide Græca metiri ac mercari, vt fertur veteri prouerbio, id est, nihil credere nisi quod vident. Bucerus ratiocinatur ex miraculorum consuetudine, quæ Christus operabatur circa corpora, quæ omnia sensibus obiecisse, atque ex ipsis fidem fecisse contendit. Caluinus, qui tam sæpè duplex corpus Christi ementitur, sacramentale nimirùm & naturale, nos accusat, quòd duplex corpus Christo affingamus, visibile in cœlo, in Cœna verò speciali dispensationis modo inuisibile, cùm ipsius Christi ore (inquit) carnis veritas probetur: quia palpari potest, ac videri: Si enim tollantur ista, iam caro esse desinet. Beza verò, qui alios omnes semper prætergreditur impietate & impudentia,

Aduersarij qui omnia soli fidei tribuere in sacramento existentia nihil fidei tribuunt.

Cal. lib. 4. Instit. ca. 17. num. 29.

Aduersarij

ria, videri oculis inter essentialia corporum numerat, quæ salua substantia ne quidem à Deo possint à corporibus demi & auferri. Contra Brentium, Origenistarum errorem nobis impingit, qui post resurrectionem corpus Christi incõspicuum aliquando esse credamus: quasi Christi corpus efficiamus ἀσώματον, aut Christum ipsum somniemus hominem quendam μονοσχήμον, lineamentis humanæ formæ carẽtem, nobis impietatis notam inurit, & interim dilatat ratiocinandi rationem, non tantùm ex visu, sed ex omnibus sensibus, ad indagandam veritatem de Christo, ac rebus diuinis, in hæc verba: Tu certè, Brenti, non ignoras Patres aduersus Marcionis phantasmata vtique sensuum argumentis vsos fuisse. Itaque aut tu planè deliras, cùm sic nobis conuitiaris, aut illos nobiscum eodem impietatis crimine inuoluis. Quid verò? Cùm discipulis ipse Christus diceret, vt veritatem suscitati sui corporis probaret, Palpate, videte, spiritus carnem & ossa non habet, an non istud ipsum quod in nobis oppugnas argumentum, nobis suppeditabat? An verò vel Christum ipsum dicere audebis nihil credidisse, vel viam nihil credendi discipulos suos docuisse? Ioannes verò primæ epistolæ suæ initio testimonium aurium, oculorum, atque adeò manuum proferens, an tibi impius dicetur? At vos (inquit) istius mysterij explicationem ex vulgari hominum iudicio peti vultis. Imò Brẽti, quid est calumniari, si hoc non est? An nos verò Thomæ adhuc incredulo, similes sumus, qui nihil nisi quod oculis suis videret, credere sustinebat, ac non potius credimus, quicquid locutus est Dominus? Sed vos (inquis) de hoc mysterio ex ratione humana iudicatis. Imò & hoc falsissimum est. Verbum enim factum carnem, id est, in vnitatem personæ assumpsisse, quicquid est homo, excepto peccato, an dictat humana ratio? Iam verò quum ex eo quod verè homo est, colligimus finita, visibili & circũscripta natura nunc quoque præditum esse, an non ex ipsius Christi ore hãc doctrinam depromimus? Nam si rectè ille ex visibili & palpabili, ac proinde finita & circumscripta natura sua, verum illud suum corpus esse collegit, an non vicissim absque impietate ex hoc illud colligemus? Ex hac præclara differendi arte deprehendes passim Caluinianæ factionis ministros in Gallia suas populares conciones illustrare, & de Christi corpore ex gustu, tactu, odoratu, obscœna, impia, ludicra, & alia auribus Christianis indigna blaterare. Quin etiam iam vulgare est Aduersariis docere, ne quidem Deum posse corpus humanum reddere inconspicuum, vt ex Beza audiuisti esse corpori essentiale videri & tangi. Verùm si Christus docuit nihil de suo corpore credere, nisi ex tactu & visu, quid peccauit Thomas, quum ad illos sensus prouocauit? Cur non solus Thomas, sed omnes tam asperè redarguuntur ab ipso, quòd veritatem corporis eius ad illos, inquam, sensus referrent, si ex istis ducendi argumenta ad comprobãdum corpus author fuerat? Cur beatos prædicat, qui omnia quæ dixisset de illo suo corpore atque aliis rebus, fide amplexarentur à se nusquam visa & attrectata? An tantum fidei reliquit, à se verè assumptum hominem fuisse, vt placet Bezæ, alia verò omnia de suo corpore ex sensibus peti voluit & colligi? An cùm pronuntiauit, Beati qui non viderunt & crediderunt, de verbi incarnatione tantùm verba fecit? An non de omnibus quæ promiserat, & asseruerat, quæ à nobis iubet credi, ac maximè de corpore, de cuius visu tum inter Apostolos agitabatur quæstio, quamuis oculis aut vllo alio sensu nusquam cõspiciantur? Quis verò inficias ibit, inter effata ab ipso & asserta comprehendi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*? Cur ergo ita esse negabitur, quia sensibus non appareat? Si credit Beza, quicquid locutus est Dominus, ne sermonẽ istum Domini oppugnet ex sensibus. Caluinus quidem impingit in idem offendiculum, quod Serueto errandi causam dedit. Interrogatus enim, vt scribitur à Caluino, cur tam nefarij scismatis

Videri & tãgi ponit inter essentialia corporibus.

Lib. 2. de re Sacram.

Beza vult ex sensu de corpore arguendum.

Beza contra Brentium de naturarum vnione in Christo.

A Christo aiũt se edoctos argumentari ex sensibus.

author esset, Quia nequeunt in intellectum meum venire ea quæ sub sensum non cadunt. Ioannes à Lasco ne quidem volebat admitti, corpus Christi adesse in Cœna, nisi splendor gloriæ de ipso nostris sensibus affulgeret, ne vspiam inglorium Christi corpus esse credatur, quod assumptum fuit in gloria. Contra quem sic inuehitur in altera sua defensione Vvestphalus: Nemo posthac statuet, Christum Dominum præsentem se exhibere, cùm administratur baptismus in nomine indiuiduę Trinitatis, si alicuius erit momenti argumentatio sumpta de glotia conspicua & inseparabili, tam à diuinitate, quàm à corpore Christi. In dubium adducetur, an vllus Sacramentarius credat, néne, Christum præsentem esse, quãdo in nomine eius confertur baptismus, cùm nihil de eius gloria aspectibus hominum ibi sese ingerat, sed occulto modo præsens sit, & opererur. Vbi manebit veritas promissionis Christi dicentis, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus? Adest enim modo occulto, non apparet gloriosus, sed tectus humilibus formis. Tum ne habitabit quidem in sanctis, nec templum Christi & Spiritus sancti efficientur renati. Nam gloriæ splendor non effulget, & sancti incedunt inglorij, & vili specie contemptibiles. Num perstabunr Aduersarij in negãdo, quòd Christus verè apparuerit post resurrectionem in corpore glorioso? An negabunt Apostolos vidisse manus & pedes eius, carnem veram contrectasse, quia non monstrauerit eis claritatem suam, & Apostoli non viderint splẽdorem gloriæ illius? Quòd si dixerint Christum se attemperasse Apostolorum imbecillitati, & ad tempus suam gloriam dissimulasse atque celasse, cur non idem dicunt Christum abscõdito modo præsentem esse nobis, occultare & tegere suam gloriam, attemperare se nostræ infirmitati, cùm non ferat in hac vita coràm cõtemplari fulgorem gloriæ Christi, & Apostoli non potuerint eam sustinere manifestatam in monte. Imbecillitas oculorum corporalium non potest intueri claritatem solis: quomodo ferrent in hac vita claritatem Christi, vt non hebescant & caligent? Cur non distinguunt Sacramentarij inter regnum fidei humile, & regnum manifestæ gloriæ? inter militantis & triumphantis Ecclesiæ statum, inter conditionem vitæ huius & futuræ, sicut scriptura docet distinguere? Videmus nunc per speculum in ænigmate, tum ipsum videbimus sicuti est. Ambulamus nunc per fidem, non per speciem. Veniet Christus in fine mundi, & apparebit manifestè in gloria. Interea tamẽ venit ad nos, sed sub humilibus & vilibus formis: agit nobiscum per verbum, per sacramenta, per ministros coram mundo obiectos. Quapropter in Esaia nomen habet Dei absconditi, & vocatur admirabilis. Dat nobis in Cœna sua verum suum corpus & sanguinem, sed tecta, nondum reuelata gloria. Non requirimus in hac vita illam nobis demonstrari, non obloquimur proprer inuisibilem gloriam filio Dei affirmanti, se dare nobis, & iubenti edere corpus & sanguinem suum. Scimus enim nos ambulare nunc non per speciem, sed per fidem, & nunc esse tempus tectæ, in altera verò vita reuelatæ gloriæ. Non ex nobis ipsis comminiscimur hanc distinctionem, sed ex scriptura sumimus, quæ ait, Posthac videbitis filiũ hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc videbũt filium hominis venientem in nube, cum potestate & claritate. Expectamus beatam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Significanter ait Apostolus nos expectare adhuc in hac vita apparitionem gloriæ Christi. Fatetur nos iam habere gloriam eius præsentem, sed absconditam, & nondum reuelatam, reuelandam autem, cùm Dominus venerit ad iudicium. Non obstat igitur gloria Christi inseparabilis, quin credamus, prædicemus, & confiteamur Christi verum corpus adesse, & distribui in Cœna. Habemus enim in hoc statu Ecclesiæ pro-

Matth. 26. & 25.
Titum. 2.

" promissiones de occulta præsentia sub humili forma, non de visibili in gloria, quæ " pertinet ad regnum Ecclesiæ triumphantis, quæ cernet de facie ad faciem, quod " nunc videt per speculum tanquam in ænigmate, & ambulabit per speciem, quæ " nunc ambulat per fidem. Cæterùm vt Bezæ atque aliorum detegatur fallacia, & Atheismi fundamentum, quod verbis Christi, Ioannis Euangelistæ, & sanctorum Patrum testimoniis, tanquam vestimentis ouium, lupus iste operit, sciendum est valere, atque etiam probari à sanctis omnibus circa res corporales argumenta de sensibus affirmantia, sed non negantia, id est, rectè ac probabiliter demõstrari rem corpoream siue sensibilem hoc vel illo modo se habere per experiẽtiam sensuũ & affirmationem: vt exempli graria, Probè asseuerabat Christus suum se recepisse verum corpus, ex eo quòd tactui & aspectui subiaceret. Non tamẽ vnquam Christus aut Euangelistæ ita firmum ac validum iudicarunt hoc argumentum, quin securius semper sit verbo Domini quàm sensibus inniti, aut quasi aliquando liceat ex sensibus sumptas coniecturas scripturis anteferre, aut his ex illis præiudicium afferre. Postquàm enim ostendit pedes & manus, ac cibum cepit, vnde se excitatum probaret ex sensibus, tanquam robustius fidei subministraret firmamentum, aperuit il- " lis sensum ad intelligendas scripturas, & subiecit, Hæc sunt verba que locutus sum " vobis. Nec insuper vnquam Christus aut sancti viri propter defectum sensuum, negationes rerum etiam corporalium intulerunt, aut inferre docuerunt, id est, numquam huiusmodi consecutiones, quas imiraremur, confecerunt: Non palpatur, non cernitur: ergo corpus non est, aut corpus non resurrexit, aut hîc aut illic non existit. Rectè quidem concluserunt, Palpatur, videtur, siue manibus attrectauimus, & oculis conspeximus: ergo res existit: sed non cõtrà, inquam, ex negatione sensuum negarunt vnquam res ipsas extare. Hoc enim ratiocinandi genus à defectu sensuum ad rerum ipsarum defectum ad porcos & atheos pertinet, qui tantùm id quod ante pedes est, & corpore sentitur, cognoscunt. Hoc idem hæreses omnes ferè contra Christi humanitatem peperit. Vnde enim Marcion & Manichæus opinabantur Christum non verum corpus induisse, sed imaginarium ac fantasticum, nisi quia omnes actiones corporis Christi non responderẽt sensibus, & sensibilibus proprietatibus corporum? Vnde Origenistæ vera corpora non sperabant vitam receptura, nisi quia corporales qualitates & conditiones sensibus obiectas non retinerent, ex quarum negatione putabant aptè & appositè colligere ipsa corpora nõ fore? Vtrique cum ipsis Eutychianis, quoniam contra sensuum experimentum corpus commeasset per portas clausas, ita vt in ipso transitu nec palpari, nec videri posset, ideò ei veram naturam corporis derogabant. Patres verò, de quibus, cùm potest, insolescit Beza, in eosdem alioqui nimiùm contumeliosus, ex affirmatiuis corporum proprietatibus ad sensum perspectis hæreticos illos refutarunt, ac propter singularia nonnulla priuilegia in Christi corpore, quæ sensum perstringerent ac superarẽt, ostenderunt non denegandam esse naturam corporis, quamuis visus, tactus, atque alij sensus conticescerent aliquando, quoniam ista particularia non à communi corporum natura profluerant, sed ex Dei admiranda potentia. Hæc sanè est respõsio, quam Augustinus atque alij de clausis ianuis reddunt, quemadmodum antea tractabamus. Eandem hac in parte ad præsentiam corporis Christi in Eucharistia accommodamus. Non admittimus imprimis rationem à sensuum defectione ad rei negandam existẽtiam & veritatem. Deinde quod singulariter accidit in Eucharistia ex Dei miraculo, nefas existimamus metiri ex corporum natura & proprietate, etiamsi ista perpetuò visui & tactui cõcederentur obnoxia. Itaque corpus Christi lineamentis suis & dimensionibus non spoliamus, non duplex corpus ementi-

Argumẽtum à sensibus quatenus valeat.

Luc. 24.

Atheistarum more ratiocinãtur Aduersarij, & Atheismũ Christo et Apostolis imputant.

Tertull. in Marcion.

Epiphan. in Marcion. & Manichaeos.

Hieronym in Ioann. Hierosolymit.

mur,ſed iuxta naturæ præſcriptum,cœlo ineſſe confitemur: nihilominus ex verbo Dei & potentia edocemur nonnulla circa hoc corpus contigiſſe,& contingere, in quibus oporteat iura naturæ cōniuere, & ex eius proprietatibus ac ſenſibus ductas conſequentias concidere. Extra propoſitum non digrediemur: Iudæi aggreſſi ſunt Chriſtum,vt eum inuitum prehēderent, & lapidarent,per medium illorum obambulauit: Ex Emaus conuiuio diſparuit eueſtigiò,& duobus diſcipulis euaſit inconſpicuus. Bella eſt hîc Caluini argutia. Vt illis (inquit) ſui conſpectum auferret, non factus eſt inuiſibilis,ſed tantùm diſparuit. Caluinus & Beza mihi videntur tanquam neſcio qui inſtitores,qui nuſquam queſtum faciant,niſi admodum mentiantur: niſi ſcripturæ non ſolùm ſenſum,ſed etiam literam deprauent, nullum nouum dogma poſſunt probabiliter innouare,ac mūdo obtrudere. Expteſſus textus habet: Καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν: id eſt,vt habet trāſlatio cōmunis, Et ipſe euanuit ab oculis eorū. Beza vertit, Sed ipſe ablatus eſt ex eorum conſpectu: Eraſmus, Deſiit illis eſſe conſpicuus: quem ſequitur Bullingerus. Hi cum Caluino nolunt Chriſtum in ſe redditū inconſpicuū,ſed ſubtiliori modo ſe ſubduxiſſe, atque ita diſcipulorū oculis effectum inuiſibilem,nō in ſe. Aliis placet obicem illatum oculis diſcipulorum, ne ipſum vltra etiam præſentem contuerentur, ſicut antea ſcribitur, quòd oculi eorum tenebantur. Sed duo obſunt,ne poſterius probemus. Nam in eadem clauſula dicitur,eorum oculos fuiſſe apertos,vt eum agnoſcerent, & ilicò ipſum factum nō apparentem: quo ſignificatur non impedimētum iniectum diſcipulis,ſed ipſi corpori. Nec prior interpretatio textui magis congruit. Non enim declaratur pro modo diſparentis repentè ſe ſubduxiſſe Chriſtum, ſed ſimpliciter de apparente ipſis effectum non apparentem & viſibilem. Nec ἄφαντον à Suida & aliis Grammaticis putatur ſignificare aliud quàm ἀφανῆ καὶ ἀθεώρητον id eſt, non apparentem & inconſpicuum: atque ita accipiendum etiam hoc loco Lexica Geneuæ apud Criſpinum impreſſa annotant: quorum poſterius Baſileæ editum elucidat ex Sophoclis teſtimonio ſic habente: ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων μόλις ἔφην' ἄφαντον φῶς: quod Virgilius ita vertit, Et ſilicis venis abſtruſum excuteret ignem. Vbi ἄφαντος inuiſibilem abſolutè & in ſe deſignat,non per ſubductionem vel remotionem à conſpectus loco & ſpatio. Deinde pro miraculo in corpore rediuiuo narratur. Sed ſe ſubducere ſine mutatione corporis, tum miraculum non collocaretur in corpore: nec aliud in eo contigiſſe litera exprimit,quàm quòd euaſerit ἄφαντον & inconſpicuum. Niſi inſuper Chriſtus ſe à reſurrectione inuiſibilem paſſim geſſiſſet, ipſum oportuiſſet, paſſim à ſingulis videri cum de loco ad locum, à domo ad domum vno reſurrectionis die pertranſiret tantum his quibus voluit apparens. Ac ne miraculum trāſferamus in oculos diſcipulorum, cauet textus, qui oſtendit patuiſſe eorum oculos ad eum cognoſcendum. Nec obſtat,quòd dicatur ἄφαντος ἀπ' αὐτῶν, quaſi non in ſua natura fuerit occultus & inapparens,ſed tantùm illis ſubtraxerit ſui aſpectum. Hoc enim potius fecit ad auxeſim & amplificationē miraculi, quòd cùm haberēt apertos & intentiſſimos oculos ad eum intuendum, nihilominus potiſſimùm ab ipſis ſtatim diſparuerit,factus inuiſibilis. Antiqua Eccleſia ex iſto præſentis textus ſenſu interpretabatur textum ex Luca, Ipſe autem trāſiens per medium illorum ibat: & ex Ioanne, Ieſus autem abſcondit ſe,& exiuit de templo: quibus addunt vetera exemplaria Græca, Tranſiens per medium eorum, & ſic præteriit: ſicut Nonnus agnoſcit & Theophylactus. Eraſmus & Beza hoc additamentum expungi volunt, quia Chryſoſtomus nec Auguſtinus eius meminerunt. Quid tum,cùm non ſemel huiuſmodi inciſa membra prætermittant,cùm aliud curarent,nec ſuſciperent textum recitare, ſed per homilias illuſtrare, in quibus non omnia ſigillatim pertractant.

Luc. 24.

Corpus Chriſti duobus diſcipulis fuit inuiſibile.

Sophocl. in Philoct.

Virgil. lib. 1. Georg.

Luc. 4. & Ioā. 8.

Deinde

Deinde cum Theophylactus Chrisostomi sedulus imitator agnoscat, credibile est & in exemplaribus Chrisostomi non defuisse: nec Nonnus literæ rigidus exactor etiam eius expositioni institisset, nisi à maioribus pro parte textus animaduertendū didicisset. Quinetiam Origenes ita legisse videtur, cùm in Lucam arbitratur Christum annorum duodecim à parentum comitatu euanuisse, per id quòd cæperit inter eos non apparêre miraculosè. *Origen.ho.19. in Luc.* Quomodo in Ioannis Euangelio scriptum est (inquit) quoniam insidiabantur ei Iudæi, & elapsus est de medio eorum, & non apparuit. Beza tantùm eam lectionem citari, & pro inuisibili explicari ait, in his quæ Cyrillo Clitoueus supposuit. Atqui quoque in his, quæ nemo dubitat esse Cyrilli, illa lectio inuenitur. Verba sunt, Voluerunt Iudæi (alibi hic Euangelista tradit) ipsum capere. *Cyrill.lib.12.in Ioann.cap.22.* Ipse autem trāsiens per medium eorum, ibat. Sic autem dixit, id est, nō formidolosus, nec vt fugientes solent, occultè, sed libero gradu ambulās, vt solebat. Sic oculos eorum tunc virtute sua effugit, quia nondum venerat hora eius. Athanasius etiam de fuga sua ad hūc locum alludit. Profectò Cyrillus furtiuam subductionem reiicit, & modum interpretatur ex eo, quòd se fecerit ἄφαντον, & eorum oculis incōspicuum. Et quomodo se abscondisset ab eis, per medium eorum præteriens, nisi se reddendo occultum, ac minimè apparentem? Nam repugnat, per subductionem se abscondisse ab eis, & per medium eorum transisse. Tāta verò erat consensio huius interpretationis in veteri Ecclesia, vt ex his locis, & eorū cōmuni inter Christianos intelligentia, hæretici contēderent à Christo non gestatū verū corpus, sed phantasticum, quod in sola specie tantùm appareret, & ad libitū disparеret. Nō sunt repulsi, quasi numquam Christus se inuisibilem ostēdisset, nec in vero corpore se ostendere potuisset, sed concessa scriptura de Christo incōspicuo, negarunt propterea non induisse verum corpus, cum & magi plerùque efficiant se nō apparētes, præstigiis quidem & oculorū fascinamēto, quod Christus in veritate. Sic enim illis ad verbum satisfacit Hieronymus: Quod ab oculis repētè euanuit, virtutis Dei est, non vmbræ vel phantasmatis. *Hieron.ad Pamach. de erroribus Ioann. Hierosol.* Quod Magis licet, hoc Domino non licet? Apollonius Tyaneus scribitur, cùm ante Domitianum staret in consistorio, repentè non comparuisse. Noli potentiā Domini Magorum præstigiis adæquare, vt videatur fuisse quod non fuit. Augustinus denique comparat præsentiam, & modū eius qua ab oculis horū discipulorū ablatus fuit, præsentię, qua nobis adest in Eucharistia, id est inuisibili, & quæ sola fide cernatur. Sequenti capite textus Augustini examinabitur. Cęterùm corpus ipsius Christi in cœlo ad dexteram Patris assidet, viuit, atque imperat: quæ omnia numeranda sunt inter corporalia miracula, & quæ verā corporis Christi præsentiam requirant, attamen oculorū aciem fugiunt, & attrectationis sensum. Nihilominus Bucerus cū suis, qui adeò corporalibus miraculis insistit, nefas habuit illa de corpore Christi negare, quamuis sensus nostros latêrent. Imò si tantū de corpore credere cōuenit, quantū intuemur, aut alio sensū percipimus, iam perimitur fides, eiúsque meritū circa omnes Symboli articulos, qui Christi humanitatē cōcernunt. Est enim fides rerū nō apparentiū & inuisibiliū, & cessat fidei meritū, vbi humanū quæritur experimentū. Beati enim qui nō viderūt, & crediderūt, etiam de suo corpore Dominus protulit. *Quare oporteat Christi corpus esse inuisibile in sacramento.* Ideò Augustinus in textu postea examinando idcircò ait, ab oculis nostris tolli Christum & in cœlo, & in sacramento, vt fides exerceatur, & aliquid demereatur. Quòd si Aduersariis tergiuersari placet quasi corpus Christi visui pateat in cœlo, quamuis nobis occultetur: sed in Eucharistia nullo modo oculis attingi possit, quod naturam corporum destruit. Saltem igitur nō licet cuiquam de corpore Christi in cœlo sedēte renūtiare fidei, ex eo quòd nō palpetur, & cōspiciatur, quāuis in se palpabile & aspectabile sit. In transfiguratione

ab Apostolis cerni nequibat coràm positũ ob claritatis fulgorem, & gloriæ exuberantiã. Tum frustrà ad probationem corporis allegassent, Palpate, & videte, si ex tactu agnoscatur esse corpus. Quid oberit quominus idem dicamus de eodẽ in Eucharistia sito? Etsi enim aspectui nostro non reuellatur, quin tamen ibi à Christo verè cernatur, & ab oculis glorificatis videatur, aut videri queat, fortassè temerariũ fuerit asseuerare. Quod si etiam admitteremus sub illis speciebus panis & vini corpus illud & sanguinem sentiri nullatenus posse, non propterea consequeretur naturam eius periisse. Non enim quod in sua natura est aspectabile, vbicunque locatũ fuerit, spectari potest, cùm impedimentum ex loco valeat interuenire. Qua de causa inter omnes conuenit Eucharistiã sacramentũ esse, & corpus Christi à nobis prędicatur in ea subsistere, vt in sacramento, de cuius ratione ac definitione ponitur, vt rẽ secretam, latentem, atque occultã significet. Hoc enim mysterij & sacraméti nomen subindicat, & inuisibilis rei siue gratiæ visibile signum esse sacramentũ describitur. Quid mirũ igitur, si eatenus corpus Domini inuisibile dicatur, quatenus sub sacramento consistit, quamuis in se & in sua natura sit aspectabile? E duobus enim vnum recipiant Aduersarij: Aut sacramentum non rectè definiri concedant, quum esse inuisibilis rei siue gratiæ signũ visibile iactatur: Aut Eucharistiã siue Cœnã negent signum esse & sacramentũ corporis inuisibilis Domini, Nihil moror, an etiam secundũ Philosophos & Aduersarios verũ sit generaliter istud axioma, Omne corpus est palpabile & visibile, ex quo nectũt Sacramentarij illas suas cõtra Eucharistiã præclaras cõsecutiones & illationes. Angelos sanè & dęmones plerique Philosophi, & aliqui veteres Theologi crediderunt corporeos, qui vix fuissent assensi ipsos sub aspectũ & sensum cadere. Ipsa substãtia corporea cuiuscũque rei inuisibilis est, nec nisi per sua accidentia perspicitur. Beatorũ cœlum ac locum corpus esse omnes Aduersarij cõtendunt, Martyr tamen ac Bullingerus inuisibile nominarim cõstituunt. Postremò possumus Christi corpus in Eucharistia visibile fateri, & inuisibile: ita enim legimus ex Patribus alios visibile in Eucharistia ponere, alios inuisibile ex aduerso definire: neutri tamen offendunt: sed diuersas rationes attendunt: imò vnus & idem visibile asserit aliquando, & inuisibile nonnunquam. Vt enim substantiam & naturam corpoream verissimè potes asserere inconspicuam, quia visus ad ipsam in se nudam & consideratam non penetrat, intra eius accidentia reflexus, eãdem rursus potes conspicuam defendere, quia verè res illa existat, quæ versetur ob oculos, quamuis suis accidentibus obuoluta: nec tum erit locutio hyperbolica, & veritatis lineas transiliens. Eo pacto sapienter nonnulli Patres corpus Christi à nostro aspectu remouerunt, quoniam ipsum præsens oculis nostris non spectaremus, sed tantùm species panis & vini, quibus tanquam aliquo stragulo aut velamento contegitur: Nonnulli verò rursus ipsum à nobis verè spectari asseuerarunt, quoniam propriè ac verè res illa esset, quæ coram nobis posita cerneretur quasi vestita & operta pane & vino, tanquam quibusdam indumentis & inuolucris: nec istos Patrum sermones esse hyperbolicos Petrus Martyr & Beza probare magis possunt, quàm illos, quibus hominem indutum seu aliquo velamine obnubilatum, nos videre respondemus. Sunt enim sine figura & amplificatione, vtrique verissimi, & à Patribus corpus Christi præsens in Eucharistia non semel Regi sua purpura vestito comparatur, quemadmodum in Tractatu De adoratione latiùs differemus. At (inquit Petrus Martyr) cùm tanguntur vel videntur symbola, nullo modo verè defendi potest, ac propriè, tangi & videri ipsum corpus: quoniam nec substantia ipsius corporis, nec eiusdem accidentia tanguntur vel conspiciuntur. Hoc quidem subtuliter, si in scripturis non alia daretur communi-

Bulling. in libel. fundamẽ. ss.

Corpus Christi in Eucharistia dici potest visibile & inuisibile.

Beza lib. 2. de re Sacram.

municatio idiomatum, quàm inter substantiam & accidens inhærens ipsi. Scimus autem sex modos à scriptura tradi, per quos mutua inter res cõiunctas fiat attributio, & proprietatum communicatio. Fit enim, vel quia diuersa subiecta conueniunt in vna & eadem essentia: vt in Trinitate omnia attributa Patris, Filij, & Spiritus sancti dicuntur de Deo, quia in distinctis personis est vnica diuina essentia: Vel contrà, eo quòd in eodem supposito vniuntur discrepantes naturæ: vt in incarnatione Christi diuinitas & humanitas in filio Dei. Tertiò, quoniam multorum accidentium est vnicum subiectum, de se mutuò enuntiantur: vt album dicitur dulce. Quartò, cùm plures res cohærent in eodem loco, quamuis non in eodem subiecto: vt Arca, Rubus, & aliæ figuræ, quibus apparuit, dicuntur esse Deus, & Columba Spiritus sanctus. Quintò, non propter solam præsentiam in eodem loco, sed ob id, quòd res habent inter se quendam ordinem, vt vna ex altera facta sit, & prioris accidentibus subsit: vt Aër dicitur humidus, vel terrenus, vel igneus: & hic modus conuenit propriè corpori Christi in sacramento, vt accidentium panis & vini afficiatur attributis. Postremò, propter solam coniunctionem significationis: vt exempli gratia, Vicit Leo de tribu Iuda, vbi propria Christo victoria transfertur in Leonem, propter significationem quam præfert de Christo. Ac ne communicationem illam in Eucharistia quis comminisceretur esse hyperbolicam & figuratam, ac non propter rem existentem verè sub accidentibus panis & vini fieri credat, Chrysostomus huic errori *Lib.3. De sacerdotio.*
" & opinioni occurrit. Cernitur (inquit) nulla fallacia, nec vllis præstigiis, sed om-
" nium circumastantium intuentibus oculis, ac tam verè quàm à Magis & aliis in
" carne conspectus fuit, quamuis non tam aperta facie, neque adeò manifestè. Et Cyrillus tam verè à nobis attrectari ac videri contendit, quàm à Thoma visus & attrectatus fuit, Christianos oro Martyris & Bezæ obseruare malitiam. Si Patres scripserint corpus in Eucharistia esse inuisibile, aduersari naturæ corporeæ, ac ne fieri quidem posse instant, vt sit corpus, & minimè aspectabile: Si Patres contrà corpus in sacramento visibile dixerint, quia non habent quo infirment & resistant, hyperbolas esse aiunt, & suadent ne Patribus fides adhibeatur, ita vt nulla omninò ratio relinquatur cognoscendæ veritatis ex Patribus. Quamobrem aduertant Sacramentarij, an non incidant in Marcionis, Manichæi, Origenis, atque Eutychetis errores, cùm ex defectione aspectus & aliorum sensuum, corporis Dominici veritatem cum illis negant, & inesse Eucharistiæ nudum phantasma blasphemant, ac desinant Catholicis illas hæreses exprobrare, à quibus creditur vera natura humanitatis Christi ibi adesse, vbi fore prædixit, siue in cœlo, siue in terra, nec aduersus Domini sermonem de existendi modo ex sensibus litigant, nec propter naturalis modi mutationem rem abesse concludunt. Quotquot igitur ex Patribus æquum fuisse censent, vt exhiberetur corpus Christi sub sacramento, ne si manducari sentiretur, horrorem incuteret, corpus vtique existere in Eucharistia inuisibile statuerunt. Quotquot insuper tradiderunt nos in imagine pasci corpore Christi abscondito, quo fruuntur Angeli aperto & reuelato, etiam corpus illud inconspicuũ sub sacramento reponunt. Quotquot admonent Christianos hîc fide opus esse ad capiendum mysteriũ, & nõ oculis aut sensibus, sed verbo ac virtuti diuinæ inhærendum, de inuisibili præsentia eandem ferũt sententiã. Nicenam Synodum antea produximus, cuius intelligentiã Cyrillus Hierosolymitanus etiam ibidẽ adiuuit. Quotquot insuper expressè disputãt, ibi corpus Christi adesse, quamuis illi corpori nihil simile appareat, sed sola rotunda panis forma, vt ex professo loquuntur Epiphanius & Cæsarius Nanzianzeni frater, à quo propriè corpus diuinum *Epiphan. in Anchorato.*

Cesarius Dia-lo.3. Christi esse dicitur, quod in sacra mensa consecratur, etiamsi nihil simile vel æquale præ se ferat.

THEODORETVS. Neque (inquit Orthodoxus) post sanctificationem mystica symbola illa propria sua natura egrediuntur. Manent siquidem in priore sua substantia & figura, & specie, adeóque videntur & palpantur, quemadmodum antea. Intelliguntur autem quæ facta sunt, & credũtur, & adorantur, vt potè existentia quæ creduntur. Profectò symbola per sanctificationem effici aliquid quod non videatur, sed intelligatur & adoretur, significat. Nihil autem inesse symbolis aliud decet, nec cogitari potest inesse, quàm verum corpus Christi, quod adorationem mereatur. Contrà vnus Chrysostomus aliquando negat spectabilem, aliquando totum perspicuum, ex discrepante ratione, & consideratione corporis in se, & sub propriis accidentibus, vel sub alienis, quibus quoniam subest, tam verè affirmat videri, quam si sub suis ipsum contueremur. In sacramento recondi, ne pateat oculis, sic affirmat: Non solùm præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius sermo infallibilis est, sensus autem noster seduci facilis. Ille numquam decidit, hic autem vt plurimùm errat. Quoniam igitur Verbum dicit, *Hoc est corpus meum*, & pareamus, & credamus, & oculis intellectualibus ipsum intueamur. Hic quoque subiicit nihil sensibile à Deo proponi & dari, sed, vt fit in sacramentis, omnia esse secreta, occulta, atque intellectui & non aspectui obuia. Contrà sæpissimè contendit spectari corpus ipsum in Eucharistia: & in eisdem homeliis, in quibus dixit omnia esse sicut in mysteriis inuisibilia, attamen subiungit tam certò oculis mediante sacramento subiici, & tanquam si ipso remoto in se cerneretur. *Homil.60. ad populum Antioch. & 83. in Matth.* sic enim habet: Quot modo dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis. Ipse verò tibi concedit, non tantùm videre, verum & mãducare, & tangere, & intra te suscipere: Itaque diuerso respectu Chrysostomus proculdubiò oculis visibile & inuisibile statuit.

Lib.12. in Ioã. cap.58. CYRILLVS ALEXANDRINVS. Iure sanctæ congregationis die octauo in Ecclesiis fiunt, & foribus clausis visibiliter simul atque inuisibiliter Christus omnibus apparet: inuisibiliter quidẽ vt Deus, visibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnẽ suam tangendá, vt firmiter credamus, quia verè tẽplum suũ suscitauit.

AVGVSTINVS etiam facilè putaretur loqui pugnantia ea de re, nisi semetipsum explicaret. Passim ait nobis proponi res inuisibiles sub visibilibus signis, ibíque Christum inuisibiliter adesse, vt capite sequenti citabitur, & in sexta Repetitione, ad caput Caro non prodest quicquam, & ad alterum de Patribus, circa spiritalem manducationem. Quando contrà ad imitationem Cypriani & Cyrilli Alexandrini modò allegati comparat inter se carnem Christi, & eius spiritum ac diuinitatem inhabitantem, & vtriusque participationem, visibile tum ponit corpus, & visibiliter participari, inuisibiliter verò spiritum eius, sed ferè tum ait visibile per sacramentum, quemadmodum in sexta illa Repetitione ostẽdimus, Ex quo respectu alibi expressè scribit, Christum voluisse sub tali sacramenti specie oculis apparere mortalium: nec in Epistola ad Madaurensem Philosophum rogãtem, quisnam *August lib.3. De Trinit. cap. 4. epist. 43.* esset ille Deus quem Christiani profiterentur à se videri in mysteriis, inficiatur ita solitos loqui Christianos, aut ita credere, sed tantùm ab ipsis coli vllum mortuum, aut alterum Deum, quàm cõditorem vniuersi: de cuius cultu declarationem in præsentem remittit disputationem, ne canibus Philosophis & Gentilibus risui per Epistolam exponat Christianorum mysteria.

HYSICHIVS. Per Israëlem populum fidelem significauit, id est, eum qui per mysti-

mysticum hoc sacrificium Deum videt, & propterea propriè Israël appellatur. *Hysich. lib. 6. cap. 22.*

IDEM CORPVS ESSE POSSE IN PLVRIBVS LOcis: & Christi corpus re vera esse per Eucharistiam, quod post ascensionem aliquãdo etiam visum est in mundo. Hic de diuersis modis existendi. CAP. 7.

PRORA & puppis omnium ratiocinationum, quas Aduersarij tanquam aliquam classem & expeditionem contra Eucharistiam instruunt & adornant, versatur in hoc: An idem corpus possit simul plures locos occupare, seu in pluribus locis stare. *Controuersiæ cardo, an idem corpus possit existere in pluribus locis.* Asserunt illi ne quidem istud in Dei potestate esse. Nos cõtrà quamuis regulis Physicis, & naturæ statui atque ordini repugnet, credimus tamen Deo non id factu impossibile, & per scripturas ac Patres aliquãdo ita euenire probamus, ac maximè in Eucharistia. Duplex autem dubitatio nascitur: An corpus idem corporaliter, seu circumscriptiuè, seu localiter simul constitui queat varijs in locis, atque an saltem realiter aliquo pacto corpori detur id, seu sacramentaliter & per modum substantiæ, & non quantitatis fiat, seu aliter. *Biel lect. 46. in Canon. A Soto in quart. Sentẽt. dist. quæst. 1. art. 5.* De posteriori modo nemo Christianorum vsque ad Berengarium propter Eucharistiam litem mouit. De priori Scholastici nostri doctores in pugnantes abierunt sententias. Sunt qui negant, sunt qui asseuerant. Hos potius sequendos vel hæc ratio persuadebit, quòd in controuersiis religionis probabilior haberi debet opinio, quæ sensum & naturam deprimit, Deumque contrà extollit, modò aliàs non aliquod ex scripturis interueniat impedimentum. Collatio verò illarum opinionum satis indicat, vtra plus Deo quàm iudicio humano & naturæ tribuat, nec posteriori vlla scriptura officit. Quoniam verò negotiũ agitur diuinæ omnipotentiæ, ex priùs disputatis liquet, non satis eam nosse, vel scelerate ipsi resistere, quisquis excipit, quod non ex per se notis includit contradictionem ascendentẽ vsque ad impotentiam in Deo, si fieret, vel quod non excipitur à scriptura, siue à Spiritu sancto, per Ecclesiam. Si enim Deus his contraria ageret, seipsum negaret. Sed nec scriptura tradit, nec Ecclesia definiuit esse extra diuinam omnipotentiam, corpus idem ad plures locos extẽdere, aut numquam id factitatũ iri à Deo. Igitur tantũ repugnãtia superest in natura, quæ quãtacunque cogitetur, non tãta erit, vt omnipotentiã effugiat, vel eius effectũ impediat: quoniam omniũ creaturarũ vim ad resistendum in infinitum Dei omnipotẽtia excedit & superat, nec si fiat, speciẽ vllam impotẽtiæ affert in Deo. *Cur idem corpus possit esse in pluribus locis etiam modo naturali per Dei omnipotẽtiam.* Quamuis enim cuique corpori vnicũ locum præscripserit, nõ tamen vlla necessitate id fecit, sed voluntate, nec legẽ sibi imposuit, nec virtutem nec libertatem aliter agendi sibi ademit: nec quandiu corpus illud cõcluditur vnico loco, contrariũ affirmatur, vt de eodẽ sine mutatione aliqua pronũtientur affirmatio & negatio, vt Deus mẽtiti dicatur. Attamen si in priori loco corpus manẽs, ad alterũ protrahatur, nõ est cõtradictio ex parte corporis, cũ saluũ restet, atque eius prior locus, cui tãtùm per accessionem alterius tollitur respectus quidã & relatio, ne sit vnicus. Itaque quod corpori & loco accidẽs est, nõ mirandũ si est mutationi & separationi obnoxiũ. Quòd autẽ pẽdeat à Dei nutu cõduplicare locos eidẽ corpori, colligitur ex eo, quòd causa coadunationis corporis cũ loco vno non alia putatur, quàm Dei liberrimũ placitũ, qui omnia quæcũque voluit fecit in cœlo & in terra. Quid ergo vetat eadẽ libertate diuersos locos assignare corpori, qua vnicus assignatus fuit? Qua de re sapienter noster Hugo à S. Victore scribit: Qui locum fecit, corpus fecit: locum fecit, & locum in corpore, & corpus in loco: & qui fecit vt vnum corpus in vno loco esset, *Hugo de S. Victore, lib. 2. De sacra. part. 8. cap. 2.*

fecit sicut voluit:& si voluisset aliter facere,potuisset:Nam &quando vult,aliter facit, & est sicut ipse vult semper. Quia autem sicut ipse fecit vt corpus in vno loco esset,tu quod factum est vidisti,& nescis aliud,nisi quod factum esse vidisti.Idcircò miraris,quando aliud vides vel audis, quàm videre & audire consueuisti. Idcircò cùm quid mirari ceperis, & dixerit tibi fortè cogitatio tua,quomodo hoc esse possit,cogita facientem,& desinet esse mirabile,quicquid illud fuerit. Et si fortè mirabile non esse desierit, tamen incredibile non erit. Si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile quicquid erit. Deinde si ex locorũ pluralitate supputatur pluralitas corporum,& ad multiplicationem situs multiplicatur corpus, vt vnum esse desinat:pari modo ab vnitate loci vnitas corporis colligetur:& si locus dat vnitatẽ vel diuersitatem corporibus,numquam corpus dicetur vnum,nisi prius vnitatẽ loci adipiscatur.

Non est magis impossibile vnum corpus esse in pluribus locis, quàm plura corpora in vno.

Si sic haberet,numquam corpus vllum extaret, nec vnum diceretur sine aliquo vnico loco sibi proprio & peculiari,quod falsum antea probatum fuit: nec duo vel plura corpora simul vnum & eundem locum occupare possent,quia iá non essent plura corpora,si vnitatem corporibus,vel pluralitatem vnitas vel pluralitas loci conferret. Vicissim si vnitas loci non eripit diuersitatem corporibus, ideò nec discrepantia nec multiplicitas loci eripiet corpori vnitatem. Scio respui consecutionem nõnumquam à nostro Thoma,Petro Martyre,& aliis:sed quàm verè, expendatur. Idem enim est impedimentum,& eadem impedimenti ratio in vtroque, vtpotè corporum circumscriptio,& limitatio quantitatis certæ ac finitæ,quæ ob id sicut locum certum & definitum desiderat,ita requirit sibi adæquatum & proportionatum,vt quemadmodum vnius quãtitas & circumscriptio nequit esse alterius, quia iam non esset aliud corpus,sed idem,ita nec suum locum alteri corpori naturaliter impartiri potest,quia oporteret illi prius suam quantitatem impartiri, quæ locum metat,definit,atque omninò occupat:ita vt Aristoteles nõ tantùm demõstret impossibile,corpus vnum cum altero eodem in loco concludi,quòd vnà cũ corpore ne quidem alteri quantitati separatæ intra eundem locum recipi permittatur.

Arist. lib. 4. Physic.

Ex eodem rectè secundum Philosophiam & naturã ratiocinantur, vnius corporis quãtitatem non in plures locos distribui,quia sicut totum locum replet,ita tota replet, vt nihil restet quod aliò transferat,& sit repugnantia vno aliquo loco limitari,& ad plures extendi, quod idem est ac iam non vno circumscribi: quæ contradicentia manifestè enuntiant Nihilominus fides Christiana docet, plura corpora ab vno & eodem loco capi per diuinam omnipotentiã,vt antea copiosè tractauimus:ac proinde de falsitate redarguit illa omnia principia Philosophiæ, quibus ab vnitate loci, corporis vnitas concluditur, vel contrà à multitudine locorum, corporum multitudo:nósque erudit,nec vnitatem corporum, nec distinctionem à loco prouenire, vel metiendam esse,cùm sit posterior corporibus:quoniam locus ponit prius locatum existere,cui accedat,& ex eo quòd vnicum est corpus locatum,vel multa,vnicus locus vel plures affectantur. Itaque manente identitate seu diuersitate corporis, Deus suo imperio variare potest posteriora, sine anterioris præiudicio, & locum salua priori corporis substantia. Sicut ergo facit vt quantitas vnius corporis occupet quidem totum locum sibi proportionatum,non tamen totaliter,quia intra eundem iubente Deo cogitur alterum corpus admittere, sarta tecta corporum & quantitatum distinctione ac differentia:cur non vicissim efficiet, vt vnius corporis quantitas tota in loco sibi adæquato consistat,sed non totaliter, sicut loquimur in Schola(quod genus loquendi nec Origenes nec Philosophi abhorruerunt)cùm iubente Deo alia spatia etiam repleat,incolumi & immutata corporis vnitate & substãtia.

Orig. tom. 25. in Ioan.

Sunt qui vocẽ ipsam in exẽplum proferunt, quæ cùm nihil aliud esse quã aër

ictus definiatur, od idque corporea censeatur, nihilominus simul in varios locos discretos & interruptos per interiacentia corpora spargitur & dissipatur. Sunt qui de odore idem iudicant. Nicetas Choniates in suis Annalibus de Alexio Angelo, citat magni Eutychij, peruetusti Græci scriptoris Christiani fragmētum, in quo de Eucharistia hęc verba facit: Totum sacrosanctum corpus & pretiosum sanguinem accipit homo, si horum aliquam partem acceperit. Distribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immixtionem, vt vnum sigillum omnes imagines suas omni materiæ imprimit, & vnum manet etiam post communicationem non imminutū, non mutatum in ea in quibus expressum est, etsi numero plura fuerint: eodémque modo vna vox ab aliquo prolata, & in aëre diffusa, in eo qui eam protulit, tota manet, & per aërem tota ad aures perfertur, nemine auditorum plus minúsve percipiente, sed tota est indiuisibilis & integra apud omnes, & si decem milium numerum superent, quamuis ipsa corpus sit. Neque enim aliud est vox, quàm aër ictus.

Antiqui Christiani iudicarunt corpus esse posse in pluribus locis.

Altera pars quæstionis de corporibus non existentibus per modum quātitatis, sed per modum substantiæ sequitur, in qua circumscriptio quantitatis non spectatur, sed creaturæ sola limitatio, quæ si per naturam vel per solam Dei omnipotentiam ad multitudinem locorum dilatari potest, per eandem nihil prohibebit substātiam corpoream ad eosdem amplificari. Imprimis Philosophia circumspectior vix rei possibilitatem auderet negare, cùm cernat in natura aliquid huic proximum. Est enim anima tota in singulis partibus corporis, quarum loci, quamuis inter se per connexionem cohæreant, non tamen vnicum locum vni animæ proportionatum efficiūt: cùm in paucioribus partibus, atque etiā in vnica, tota anima degere queat, & ad plures partes protendi, si per incrementum corporis adderentur. Vt ergo tota anima naturaliter est in pluribus locis, quamuis si non continuis omninò, saltem contiguis: ita nihil nouitatis naturæ eius & virtuti accresceret, si partes, in quibus tota habitat, à se inuicem saltem intra aliquot spatium pro animæ capacitate ad animandum, limitatum & definitum seiungerentur, & in singulis anima tota perseueraret. Tum enim ageret in pluribus locis discretis naturaliter: nec limitationi substantiæ eius id repugnat, cùm etiam in composito versetur tota simul in partium locis per interpositas partes separatis, sicut in capite & pede. Nec profectò satis graui ratione priuabitur Deus potestate retinendi animam totam intra partes, etiamsi illas distrahat, in quibus singulis tota priùs naturaliter manebat. Nihil enim eo pacto substantiæ animæ adiiciet, vel detrahet, sed tantùm eam conseruabit vbi prius erat, & eo modo quo erat, nec quicquam fere in hoc suprà quàm natura ipsa facit, præstaret. Videmus enim in reptilibus & insectis animantibus, si discinduntur, in partibus etiam longo interuallo sepositis sensibilem animam aliquandiu perstare. Videmus in confracto speculo, vnius & eiusdem vultus imaginem ad fragmentorum, quasi ad locorum multitudinem coëxtendi, & totam in singulis cerni, nihil immutata vel congeminata vultus natura, sed tantùm inquam coëxtensa ad plura fragmenta & locos eius imagine. Deinde plerique explicant Aristotelem, vt dixerit intelligentias motrices esse simul in Oriente & Occidente. Christiana verò fides tametsi creaturā omnem sciat certis finibus & limitibus terminari, nec ad Dei immensitatem ascendere: nihilominus omnipotentiæ mensuram non agit, ne creaturam disponat in quantacunque libuerit locorum varietate. Nouit scriptum Angelos mitti in ministerium propter eos, qui hæreditatem capient salutis, & tamē semper videre faciem Patris qui in cœlis est, illícque perpetuò astare. Neque enim Angeli propter ministerium fraudātur sua beatitudine & visione Dei, alioqui illis pœna esset & miseria ad nos ablegari: nec similiter vbique fruuntur Deo, sicut in bea-

An creatura spiritalis & corpus per modum substātiæ in pluribus locis esse possit.

Hebr. 1.
Matth. 18.

An Angeli sint aliquando in pluribus locis.

torum & beatitudinis cœlo, alioqui frustrà seponeretur ad beatitudinem regio illa. Itaque par est ab ea non abscedere. Ex quo videtur non ineptè Lutherus coniecisse Angelos, licet finitos, nusquam à beatorum sede digredi, & tamen in terras ad custodiam hominum & ministeria emitti, simúlque in pluribus locis apparere & degere. Quinetiam vetus Ecclesia nō id solùm de Angelis ratum habuit & persuasum, sed de spiritibus sanctorum, qui rebus viuentium diuersis locis intersunt. Ab omnibus sanè & Philosophis & Christianis creditum fuit piorum animas res mortalium curare, séque his immiscere, ac viuentibus variis in locis ac diuersis apparere etiam eodem tempore, quemadmodum tradunt quotquot ferè Christiani scriptores de vita & laudibus sanctorum scripserunt. Augustinus non in quæstionem vocat, an fieri possit, sed de facto nō audet decidere, an sancti tot locis ipsimet adsint: an Angeli pro ipsis: an vtrumque verum sit, & sanctos apparere, & Angelos aliquando pro ipsis legatione fungi. Textus est: Ista diuinitùs exhibentur longè aliter quàm sese habet vsitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Alij sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum: alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt, quamuis Deus assit, vt sit, & miraculis natura non desit. Non igitur putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis martyres sunt: sed ideò potius intelligendum est, quòd per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt. Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adiuuari: vtrum ipsi per seipsos assint vno tempore tam diuersis, & tāta inter se longinquitate discretis locis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias, vbicunque adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conuersatione remotis, per Angelica ministeria vsquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia. Res hæc altior est, quàm vt à me possit attingi, & abstrusior, quàm vt à me valeat perscrutari: & ideò quid horum duorum sit, an verò fortassè vtrunque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo: mallem à scientibus ista perquirere. Vigilantius inuocari sanctos dicebat, perinde ac si surdis caneretur fabula, cùm lōgissimè distarēt à nobis, nec nobiscum versarētur. Obiectioni respondet Hieronymus in hæc verba: Ais vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse de suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis, sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestáque custodia in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recluduntur. Tu Deo legem pones? Tu Apostolis vincula iniicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, Sequuntur Agnum quocūque ierit? Si Agnus vbique, ergo & hi qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cùm Diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, & indè exire non poterunt? Hieronymus quidem fortasse ex scriptura argumentum ducit violentius: attamen credendum profitetur Martyres & dæmones, ac multò magis Angelos per Dei virtutem pluribus in locis eodem tempore præsentissimos se ostendere. Idem argumentum imitari videtur Æneas Gazeus, vetus & Christianus in Græcia author, in fine sui Theophrasti, De immortalitate animorū, & resurrectione corporum, vbi de Martyribus post mortē ita loquitur: Quinetiam quasi Deus immortalis euadit, nec mortalis est amplius, quisquis

Christiani & Philosophi crediderūt animas piorum in pluribus locis versari posse.

Aug. De cura pro mortuis agenda. cap. 16.

Sācti per diuinam omnipotentiam pluribus locis intersunt.

Augustinus de facto nō audet definire.

Hieron. in Vigilantium.

Hieronymus de facto credit Sāctos pluribus locis adesse ex Dei omnipotētia.

Æneas Gazeus in Theophrasto extat impressus cum Philone.

„ quiſquis Dei legibus obtemperat. Eſt enim & immortalitatis munus, & vt idem
„ quod mente prăditæ facultates ſolent agat, iam adeptus: nempè vt magnificè regi
„ maximo aſtet, eúmque ſemper & quocunque ſequatur. Porrò teſtantur Patres corpus Chriſti per Euchariſtiam pluribus in locis adeſſe, non ſolùm poſt aſcenſionem, ſed in ipſa Cœnæ inſtitutione, cùm corpus ſederet in mēſa, & nihilominus ſe Apoſtolis exhiberet, conuiua eſſet, & conuiuium, portaretúrque à ſemetipſo, eundemque Chriſtum eſſe, & cibum quo forma panis operto nos in terra veſcimur, & quo ſine velamine Angeli fruuntur in cœlo. Quin ex profeſſo occurrunt Aduerſariorū quæſtioni, An ad locorum diuerſitatem multiplicetur corpus Chriſti. Eam ſoluūt Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Remigius Rhemenſis, Primaſius, Theophylactus, Haymo, Oecumenius & Sedulius, eiſdem propemodum verbis omnes. Apoſtolus ſcribit infirmas Moſaïcæ legis fuiſſe hoſtias, quoniam ſæpius iterarētur, & quotidie diuerſæ offerrentur. Quærunt nominati ſcriptores, an non & oblatio quotidiana Eccleſiæ Chriſtianæ eadem infirmitate laboraret, cùm perinde vt Moſaicæ quotidiè repeteretur. Reſpondent à nobis non diuerſas hoſtias immolari & offerri, ſed ſemper eandem, quoniam vbicunque offerretur, ibi plenus & integer Chriſtus præſto eſſet, & non aliud, atque ita hoſtias non multiplicari, ſed benè memoriam oblationis in cruce factæ iterari, id eſt, non rem oblatam conduplicari, ſed

Chriſtiani per Euchariſtiam feſſi ſunt plenū Chriſti corpus, ac tatū p'urribus in locis eſſe, ac negant eſſe plura corpora propter multos locos.

Omnes in cap. 8. & 10. ad Hebr.

„ offerendi rem illam modum & actionem innouari. Ambroſij verba ſunt: Si omni-
„ bus eſſent liberati peccatis, nequaquam per ſingulos dies offerret quis ſacrificia.
„ Proinde commemoratio peccati fuit, non abſolutio, quia quotidie iiſdem purga-
„ bantur hoſtiis. In Chriſto econtrariò ſemel oblata eſt hoſtia, potēs ad ſalutem ſem-
„ piternam. Quid ergo nos? Nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem,
„ ſed recordationem facientes mortis eius, & vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quo-
„ modo vna eſt, & nō multæ? Quia ſemel oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem
„ ſacrificium exemplar illius eſt: idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium
„ Agnum, cras alium, ſed ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium. Alio-
„ quin hac ratione, quoniā multis in locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam,
„ ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Si-
„ cut enim qui vbique offert, vnum corpus, & non multa corpora, ita etiam & vnum
„ ſacrificium. Pontifex enim noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit. Ip-
„ ſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem
„ quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Non aliud ſa-
„ crificium, ſicut nec Pontifex, ſed ipſum ſemper offerimus: magis autem recor-
„ dationem ſacrificij operamur. Eadem omninò Chryſoſtomus, ita vt appareat ex anteriori aliquo ſcriptore Græco vtrumque hauſiſſe. Nam Ambroſius ſuos commentarios ex Græcis ferè deprehenditur decerpſiſſe, & ſectatores, atque vt ita dicam abbreuiatores Chryſoſtomi Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius, prolixiùs hîc ab illo diſputata, in pauciora, ſed eadem verba conferunt, adeò vt nō liceat dubitare, quin allata verè pertineant ad Chryſoſtomum. Eam fidem de corpore Chriſti circa pluralitatem locorum confirmant generalia concilia Nicenum & Epheſinum, quando illud ait Chriſtum agnum iacentem in altari immolari incruento modo, & iſtud ait ex eodem ſacrificio carnem ſumi, non puri hominis, ſed filij Dei. Apoſtolis vicini Pſalmum trigeſimum tertium inſcriptum; Quando Dauid immutauit vultum ſuum coram Abimelech, de Chriſto in hoc ſacramento interpretātur. Huic de ipſo applicat Dionyſius, Guſtate quàm ſuauis eſt Dominus, ac plerique alij. Quoniā in illa hiſtoria narratur ex vulgari tranſlatione, quòd Dauid
„ inſaniā ſimulans, ferebatur in manibus ſuis: Hoc verò, Fratres (inquit Auguſtinus)

Ambroſ. in ca. 10. ad Hebr.

Chryſ. ho. 17. ad Hebr.

Aug. in Pſal. 33. conc. 1.

quomodo poſſet fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorũ poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid, ſecundũ literã non inuenimus, in Chriſto autẽ inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, *Hoc eſt corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Ex ſingulari diuina potentia in Chriſto Auguſtinus oſtendit corpus ipſum Chriſti verum à ſemetipſo in manibus portatum ſub Euchariſtiæ forma, ita vt tum Chriſtus extiterit in ſtatu ſuo naturali accũbens menſæ, & totus in ſacramẽto, ac ſimul in locis diſtinctis. Eandem interpretationem & ſententiam Auguſtini Proſper Aquitanicus amplectitur & allegat hoc contextu: Portatus eſt quippè & Ieſus Dominus in manibus ſuis, dum ſuum corpus in ſanctificato pane geſtans manibus ſuis, dixit, *Hoc eſt corpus meum.* De quibus myſteriis qui deſiderat, venerandæ memoriæ Auguſtini dicta inſpiciat, quibus latiùs in his peruagatus penè omnia comprehẽdit. Sed pergamus videre, an non etiam extra ſacramentum corpus Chriſti pluribus in locis de facto ſe oſtenderit, poſtquàm tranſlatum fuit, ac promotum ad dexteram Patris: quæ conditio ac proprietas eſt excedens limites omnis alterius corporis & creaturæ, ob ídque de illo nihil amplius vel minus licet ſtatuere, vel credere, quàm expreſſo ſacrarum literarum & ſanctorum Patrum teſtimonio comprobatur, ne in deplorandas abſurditates incidamus. Non admittimus de ipſo vbiquitatem nec omnipræſentiam, quoniam ſcripturis non aſtruitur, ſed potius refellitur. Non admittimus vno loco, quaſi carcere coërceri, quoniam per ſcripturas contrarium edocemur. Patres obſeruant duo fundamenta intrinſecæ virtutis, per quam ſine loco & in multis ſe exhibere poteſt: inhabitantem in ipſa plenitudinem diuinitatis corporaliter, & aſcẽſionem ad dexteram Patris. Audies paulo pòſt Magnetem inter Græcos antiquiſſimum & acerrimum Chriſtianæ religionis cõtra Philoſophos aſſertorẽ, atque alios, per illa duo non dubitare Chriſto facultatẽ inſitã tribuere ſupra naturam carnis ſe ſiſtendi vbicunque & quomodocunque voluerit. Nam ſi Deus infinitus intra finitum hominem Apoſtolus complectitur per dictum habitãtis diuinitatis in Chriſto corporaliter, nec ob id diuinitati infinitatem vel vbiquitatem adimit, cur viciſſim non poterit Deus & diuinitas inhabitans carnem illam dare vbicunqu e placuerit, nec tamen eam facere infinitam, vel abolere Chriſti humanitatem? Ad eam diuinitatem Auguſtinus bis refert, quod Chriſtus eſt in ſacramento, & in cœlo, quod comeditur, nec conſumitur. Quis audeat (inquit) manducare Dominum ſuum? & tamen ait, Qui manducat me, viuet propter me. Quando manducatur, reficit, non deficit. Manducatur Chriſtus: viuit manducatus, quia reſurrexit occiſus: nec quando manducatur, partes de illo facimus. Per partes manducatur, & manet integer totus in cœlo, totus in corde tuo. Conſentimus cum Aduerſariis Chriſtum non deſerere cœlum vſque ad tempora reſtitutionis omnium: nihilominus ipſum viſum & habitum, non ſolùm in diuerſis locis ſacramento deputatis ſcriptura declarat, ſed in terra poſt aſcenſionem apparuiſſe nõ ſemel commemorat. Profectò Apoſtoli Pauli argumentum de reſurrectione illius ineptit, aut corpus eius à ſe conſpectum alibi quàm in cœlo oſtendit. Nouiſſimè (inquit) tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ad probationem excitati Chriſti à mortuis, ocularem aſpectum Apoſtolorum, & pluſquàm quingentorum fratrum teſtem citat, in eodẽmque genere argumẽti ſeipſum numerat, qui tam certò Chriſtum viderit, quàm alij ante ſe. Fuerit ergo oportet oculis intuitus ipſum verum Chriſtum, non in ſola apparitione phantaſmatis repræſentantis ipſum: quia phantaſma non feciſſet indubitatam fidem de vero corpore Chriſti rediuiuo. Aut in raptu

Corpus Chriſti ſimul extitit in diuerſis locis, et diuerſis modis exiſtendi.

Proſper de promiſſion. & prædic. part. 2. cap. 25.

Chriſtus in humanitate ſe præbuit videndum in terra poſt aſſumptionem.

Chriſtiani duo fundamẽta poſuerũt præſentiæ Chriſti in pluribus locis.

Can. Inuitat. et Can. qui manducat. De conſecr. diſt. 2.

Chriſtus in humanitate viſus à Paulo.

1. Cor. 15.

2. Cor. 12.

„ ptu igitur, aut in conuersionis apparitione, oculis perspexit corpus Christi verum „ & naturale excitatum. In raptu ait, Scio hominem raptum vsque ad tertium cœlum: siue in corpore, siue extra corpus, nescio. Quomodo ergo fidenter asseruisset ibi à se Christum oculis visum, vt in confirmationem resurrectionis se testem oculatum cum aliis produceret, cùm incertum relinquat, in raptu, an oculos nécne habuerit, cùm eius corpus penè exanimatum hic interea iaceret. Deinde in eodem raptu nihil narrat se vidisse, sed tantùm audiuisse verba, quæ non licet homini loqui. Non igitur affirmare fas est in raptu Christum ab illo spectatum. Credamus potius Ananiæ, qui reducit in memoriam Paulo locum vbi Christum viderit. Dominus *Act. 9. et 22.* „ (inquit) Iesus qui apparuit tibi in via. Credamus ipsi Apostolo enarranti conuersionem suam coram Agrippa rege. Describit sanè corpus Christi gloriosum, cuius fulgorem non tulerint oculi, quemadmodum nec illi tres Apostoli potuerunt ferre eiusdem corporis transfigurationem, sed effecti sunt cum Paulo velut mortui. In eadem cōuersionis historia à comitibus se discernit in eo, quòd ipsi tantùm vocem „ audierint, & neminem viderint, ipse verò viderit lucem Christi tonantis, Ego sum „ Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Tam certam Apostolus existimauit hāc apparitionem, vt per illam audeat se cum aliis Apostolis comparare, non tantùm in resurrectionis negotio, sed in sui Apostolatus vindicāda authoritate. Non sum (ait) *1. ad Cor. 9.* „ liber? Nō sum Apostolus? Nónne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Credamus denique Lucæ, qui refert Christum noctu astitisse Paulo captiuo in castris, *Act. 24.* „ & eum confirmasse, vt præsenti esset animo ac forti. Verba sunt perspicua: Extra „ cœlū Apostolo Dominum astitisse in castris, atque in via. Dicent Aduersarij visiones factas noctu per somnia & in spiritu. Verū quid ad nos quid ipsi proterui homines vel fingāt, vel cōminiscantur, quibus nō difficile est pertinaciter tueri solem meridie non lucere? Nos flagitamus ab ipsis somniorum suorum, quæ silentur à scripturis, certiora quàm sint nostra testimonia ex ipsis desumpta. Argumenta Pauli de Christi resurrectione, ac de sua conuersione historia, non patiuntur spiritalem vel somniculosam putare visionem. Solet quoque scriptura apparitiones in somniis non solius noctis mentione explicare, sed per noctem in quiete siue in somno addunt accidisse. Et temporis circunstantia satis arguit, non dormisse in castris Apostolum, cùm valde sit credibile recenter vinctum & anxium sine somno pernoctasse. Sicut autem in visione Stephani cœli aperti, & dextera Patris, præter Christi maiestarem, indicant locum vbi conspectus fuerit, ita quod apponitur in historia Pauli, in via, in carcere, in castris, locum visionis commonstrant. Certè Beza visionibus illis vtitur, vt post ascensionem contra Brentium euincat Christum retinuisse proprium ac naturale corpus: quod antequàm certò colligat, nobiscum fateatur oportet non spiritales illas extitisse, sed oculis atque extra cœlum obiectas: ex quo efficitur, verum & genuinum Christi corpus vno & eodem tempore cœlo assidere, & nihilominus idem extra cœlum conspici. Bezæ placet visum à Paulo in cœlo: sed *Beza in Brentium de omnipræsentia.* textus refragatur, cùm exprimat in via, & ibi vbi comites vocem sonantem audierunt, & ipse fulgore aciem oculorum amisit: Sed nec Apostolus quicquam meminit se vidisse vel audiuisse in cœlo, nisi in raptu, qui hanc apparitionem subsecutus est. Alias visiones Beza vult extitisse spiritales: sed ipsi textus circunstātiæ, & eadem phrasis loquendi, cum aliis visionibus, quas esse corporales docuit, & omnis antiquitas ipsi aduersantur. Proculdubiò nostri sic præsentem in Eucharistia Christum defendunt, vt ipsi potestatem adesse probent aliò & quocunque voluerit se transferendi. Quinetiam occurrunt Aduersariorum obiectioni, quī fieri possit, cùm existat vnicum corpus Christi, vt tamen tot in altaribus possideatur, & offeratur eo-

dem temporis momento. Respondent superiùs allegati Doctores nostri, præter naturam à Dei potentia id perfici. Quòd si Aduersarij secundum veram corporis substantiam à se recipi Christi corpus perrexerint confiteri, eodem argumento ipsum in pluribus locis, vbi singuli recipiunt, prius esse quàm possit recipi, concedant necesse est. Sin aliud quicquam de corpore ipso cuiuscunque opera & potestate ad se deriuari magis ingenuê consenserint, si illud ipsum sit vnum & idem numero, quod ab omnibus participatur, sicut corpus Christi est vnum & idem numero, eadem absurditas recurret de eadem creatura numero, quæcunque sit, siue spiritalis, siue corporea, in pluribus locis constituta. Sin dixerint non eandem rem numero omnibus distribui & communicari, sed solùm eandem specie, vt est gratia & vita spiritalis, non quæ in Christo residet vnica, sed creata, & infusa per eius meritum: iam non igitur Aduersarij fiunt participes de vnico pane spiritali, sed de diuersis, nec quicquam reale sumunt de corpore Christi, quod vnicum est, & impartibiliter datur ad manducandum. Porrò de potestate, quæ Christo propter diuinitatem, & humanitatis exaltationem, insit, quocunque in loco se exhibendi, maximè in sacramento, ante annos mille ac trecentos ista ad verbum Magnetes libro tertio Euágelicæ Apologiæ scribit: Passurus paulopòst, & impleturus œconomiam mortis, necessariò aiebat, non semper discipulos habituros esse magistrum, sicut scriptum est, Me autem non semper habebitis: postquàm verò mortem vicit, & immortalis factus est è mortali, & vt semel dicam, humanitas deificata est, τὴν ἀπερίγραφον αὐτοῦ ἐξουσίαν, id est, potestatem suam nullis terminis definitam, ait fore in omni loco discipulis præsentem, & non concludi vel circumscribi tempore, neque loco, neque corpore, neque quãtitate, neque qualitate, neque colore, neque vmbra, neque præterito, neque futuro, neque præsenti. Itaque post resurrectionẽ neque locus, neque tempus, neque magnitudo, neque qualitas, neque latitudo, neque longitudo, neque profunditas circumscripsit, sed vbique siue in Occidente, siue in Oriente, quis Christum inuocauerit, antequam inuocet illum est inuenire Christum. Inseparabile est enim à verbo Dei organum corporis. Sic Latronem in Paradysum ducit, & Apostolis vsque ad consummationem seculi aderit. Ante passionem verò verum fuit illud, Me autem non semper habebitis. Hîc non agit de diuinitatis præsentia, sed humanitatis, quam non docet esse vbique, sed potestatem accepisse, qua prĕstò sit vbicunque, & quomodocũque decreuerit. Sicut hic grauissimè inter antiquos, ita non minus vehementer inter recentiores Algerus scribit. Si tantæ facilitatis futura sunt sanctorum corpora, vt ad implendam spiritus voluntatem nulla sua tarditate impediantur, quid de corpore Christi capitis nostri credendum est, cui non modò facilitas, qua non tardetur ad faciendum quæ voluerit, sed etiam, vt ipse ait, omnis potestas data est in cœlo & in terra, vt cum Deo in vnitate personæ omnia possit? Si corpora nostra spiritalia futura sunt, quia spiritui corporaliter iuncta, quid corpus Dei, nisi diuinum, quia Deo vnitum? Carnem igitur diuinam substantialiter quidem eandem cum Deo non dicimus: sed cum Apostolus dicat, Omnia subiecta præter eum qui subiecit ei omnia: testetur & ipse Dei filius omnem potestatem sibi datam: profectò sic in vnitate Deo coniunctam credimus, vt quod habet Deus per naturam, hoc habeat ipsa per gratiam. Cùm ergo nos habituri simus, Angeli etiam modò habeant, vt quantacunque locorum interualla nullo ferè temporis interuallo nimia sua celeritate pertranseant, non hoc tamen habent, vt vndè recedant, indè remaneãt. Quo priuilegio sola Christi caro super omnem creaturam à Deo exaltata, super ac præter omnium naturam insignita, vt per omnipotentiã in cœlo & in terra datam, vbicunque, quomodocunque sibi placuerit, non de loco ad locum

Aduersarij nõ possunt defendere quicquam reale à se sumi de corpore Christi, quin statuãt in pluribus locis.

Citatur à Frãc. Turrian. lib. 3. de characteribus Apostolicis.

Magnetes scribit corpus Christi post exaltationẽ nõ subijci proprietatibus naturalibus, vt eas non possit immutare.

Alger. lib. 1. ca. 14.

Rationes probantes Christo datũ, vt adsit simul quibuscũque locis voluerit.

locũ transeundo, sed ibi vbi est remanẽdo, & alibi vbicũque voluerit existẽdo, tota & integra, & substãtialiter sit in cœlo & in terra. Quam enim omnipotẽtiam ab eo qui totus vbique est, reciperet, si ipsa vbicunque vellet, substantialiter tota esse non posset: vel in quo differret ab Angelis, quibus est superexaltata, si non aliter de loco ad locum quàm recedẽdo posset esse & in terra, & in cœlo? Natura humana in ictu oculi tot terrarum, maris, aëris spatia ab Occidente ad Orientẽ videndo, solẽ transuolans atomi momento æquare videtur. Et cùm Angelorũ celeritas sit velocior, in quo his creaturis caro Christi supetexaltabitur, si quod est in cœlo & in terra, non potestati, sed celeritati ascribitur? Vt ergo & in cœlo, & in terra omnipotentiam se habere Christus ostenderet, deificũ corpus suum cœlo illaturus, & mũdo daturus, quod quantũ ad humanam formam nobis abstulit, non minus tamen substantialiter & verè in sacramento corporis & sanguinis sui nobis obtulit, vt hîc & ibi præsens corporaliter, vtpotè qui homo vnius personæ cum illo, quocũ est qui nusquã deest, & ibi reconciliationem cum Patre, & hîc in altari redemptionẽ remissionémque peccatorũ nobis operetur, sicut semel fecit in cruce, dum ipsum corpus suum in ora fidelium singulis diuiditur, & vnum totum vniuersis indiuiduum & integrũ habetur. Quomodo tamen Christi corpus & cœlo & mundo præsens indiuisum diuidatur, ratio stupet, fides miratur, sed ex adiunctæ diuinitatis potentia, quæ vbique tota præsens in corpore suo spiritali, imò per omnipotentiam sibi collatam diuino iam facto id fieri posse non diffidens veneratur. Hîc quidem Algerus disputat de Christo & Angelis, ex internis & insitis, non ex absoluta diuina omnipotentia, quæ non soli Christo, sed Angelis & beatis potest per gratiam elargiri, vt pluribus locis intersint, sicut Augustinus antea disserebat. Bernardus eam fidem commendat, atque exclamat: Vnde hoc nobis, piissime Iesu, vt nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos inquam, qui puluis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris? Qui etiam vnius horæ momento ab ortu solis vsque ad occasum, ab Aquilone ad Austrum præstò es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis? Vnde hoc, inquam? Certè non ex debito vel merito nostro, sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. Quòd autem post ascensionẽ verè ac realiter Christus visus sit, affirmant Origenes, Arnobius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus: & alij, in quibus Origenes sic habet: Paulus in calce ad Corinthios prioris epistolæ, vt eum publicè visum non secus atque antequàm pateretur, affirmans scribit, Tradidi vobis imprimis quod & accepi, quoniam Christus resurrexit à mortuis, visus Cephæ, Iacobo, & aliis omnibus. Nouissimè tanquam abortiuo visus est & mihi. Arnobius verò ex professo asseuerat Christum rebus mortalium interesse, & nonnunquam se præbere conspiciendũ. Vnus fuit (inquit) è nobis Christus, qui post mortem & resurrectionem innumeris se prompta in luce detexit: qui iustissimis viris etiamnum impollutis, ac diligentibus sese, non per varia insomnia, sed perpuræ simplicitatis speciem apparet. Ambrosius visum ab Apostolo narrat & in cœlo, & in templo, ita vt in ipso templo tam certò conspectum oporteat, quàm ab aliis Apostolis fuerat. Eadem de re Chrysostomus hæc verba facit: Verisimile est post assumptionem etiam visum, vt Matthiæ, qui non statim post resurrectionem electus est. Apostolus igitur post assumptionem & vocatus est, & Dominum vidit. Itaque non quo cuique tempore, sed promiscuè visum narrat Paulus, & verisimile est sæpius apparuisse. Augustinus in ea quoque est sententia, vt Apostolus Christum oculis viderit, sicuti & Stephanus: quod accidisse in raptu Pauli nemo probauerit, cùm oculis functus in eo non fuerit.

Bernard. Sermone 2. de Cœna.

Christiani defendunt Christum visum in terra post ascẽsionem.

Origen. lib. 2. in Celsum.

Arnob. lib. 1.

Ambros. in ca. 9 prim. ad Corinth.

Chrysost. hom. 38. in prim. ad Corinth.

Hæcne (inquit) est iustitia, numquam Christum videre, & in eum tamen credere? Secundum hanc iustitiam, nunquid dicturi sumus Paulum Apostolum non fuisse iustum, confitentem se Christum vidisse post ascensionem eius in cœlum, de quo homine iam vtique dixerat, Iam non videbitis me? Nunquid secundum hanc iustitiam iustus non erat gloriosissimus Stephanus, qui dum lapidaretur, ait, Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei? Quid ergo est, Ad Patrem vado, & iam non videbitis me, nisi quomodo sum, cùm vobiscum sum? Talẽ Christum, cùm transisset de hoc mundo ad Patrem, non erant iam visuri. Celebris est historia de Christi apparitione Petro facta, à ciuitate Romana secedenti in via Appia, vbi ad memoriam etiam modò Oratorium frequẽtatur, quod inscribitur Domine quò vadis? Bis Romam profectus, delectabar admodum illac ad Catacumbas Martyrum sæpius ventitare, ibique adorare, vbi steterant pedes Christi. Nõ possum sanè illi historiæ & apparitioni fidem derogare, quæ tot ac tam magnos authores habet, atque Apostolis proximos, Hegesippum, Origenem, Athanasium, Ambrosiũ, Papam Innocentium tertium, vt reliquos omittam. Eam narrat Hegesippus. Origenes designat hac clausula: Quod si cui placet admittere, quod in Actis Pauli scriptũ, tanquam à Seruatore dictum, Denuò debeo crucifigi. Eandem Athanasius innuit, cùm in Apologia de fuga, interserit Petrum Apostolum audisse à Domino, quod oporteret se Romam conferre: itaque profectionem illam non recusasse, sed prompto atque alacri animo ad eam vrbem profectum, libenter ac fortiter pro Christi confessione martyrium pertulisse. Totam recitat Ambrosius, sicut liber De martyrio Apostolorum Græcè scriptus. In hac quæstione de necessitate plurium locorum ad existentiam corporis Christi in sacramento Aduersarij sibi videntur triumphare, quasi nequeat cõsistere salua nostra doctrina de ipsa Eucharistia, salua naturali Philosophia de vnitate carnis & corporis: salua insuper natura & immensitate Dei, ac saluis denique scripturis de discessu & absentia Christi à mundo, & quin plura ac diuersa corpora Christo affingamus, vt creationis seu naturale, seu visibile: & benedictionis seu consecrationis, seu sacramentale, seu inuisibile: ac circumscriptum & incircumscriptum. Suo more ad vnum Augustinum tandem deuoluuntur, à quo scribi dicunt, corpus in quo Christus resurrexit, in vno loco esse oportere, veritatem autem eius vbique diffusam esse. Hæc sanè Argumentorum summa, quibus impossibile Deo contendunt Christi corpus in cœlo retinere, & tot in sacramẽtis collocare. Ante omnia iactant idcircò à nobis inuentam Transsubstantionem, ne corpus Christi simul diceretur moueri ad diuersos locos, & esse in diuersis in ipso descensu à cœlo ad panem: à nostris etiam excusari præsentiam corporis tot in sacramentis dissipatam, quia corpus hîc naturaliter non existat, sicut est in cœlo, quomodo nostri assentiuntur tantùm vno loco existere posse. Nostri profectò quemadmodum in omni doctrina, ita & in Eucharistia dupliciter loquuntur, vel secundum statum rerum naturalem, & ordinariam Dei potestatem, vel secundum eius absolutam omnipotentiam, quã non adhibent, nisi nodus Deo vindice dignus in scripturis inciderit. Nostri non sunt commenti Transsubstantiatione, sed solùm à Christo factã declararunt, nec fieri dixerunt, ne corpus Christi sit in pluribus locis, vel quasi esse non possit, cùm liqueat ab omnibus poni quãuis non locali & corporali modo: sed ne præter id quod in tot sacramentis existat etiã in modo efficiendi illam existentiam oporteat corpus Christi è cœlo delabi, ac moueri ad distinctos locos eodem tempore, ac simul per distinctos venire, atque in his saltè in transitu manere, quod vtrúque statui naturali corporis repugnat, nec per naturam perfici potest, & verbo Christi in institutione Eucharistiæ caret.

August. Tract. 94. in dictum Ioann. modicum videbitis me.

De visione Petri cum dixit, Domine quò vadis.

Hegesippus li. 3. De excidio Hierosolymis. Origen. tomo. 21. in Ioann. Athanas. in Apolog. de Fuga.

Ambros. contra Auxentium De basilicis tradendis inter epistolas.

Summa argumẽtorum quibus impugnãt Aduersarij corpus Christi in pluribus locis esse posse.

An Transsubstantiatio sit inuenta, ne corpus Christi dicatur esse in pluribus locis.

Non

Non eunt inficias nostri, quin sublata transsubstantiatione per omnipotentiã corpus naturale queat plures locos occupare, & ad plures tendere, antequàm existat in Eucharistia: sed aiunt naturæ possibilitati aduersari, nec id doceri à verbo Christi, vt propter ipsum confugiatur ad omnipotentiam, sed potius ab eodem significari modum constituendi corpus in Eucharistia per Transsubstantiationem esse, ne sine expresso verbo contra naturã corporum multiplicẽtur circa Eucharistiam omnipotẽtiæ miracula. Sed quî cogitari potest, addũt Aduersarij, vt corpus hæreat in Eucharistia, sicut in termino, & non prius sit in medio ac via de cœlo ad Eucharistiam? Hoc quidem accidit propter Transsubstãtiationem, per quam terminus mutationis non mouetur, sed in ipsum immotum res trãsmutatur, operãte inuisibiliter (inquit Augustinus) Spiritu sancto, ac diuina omnipotẽtia: quemadmodũ cùm vapor in ignem vertitur, nõ est necesse ignem afferri, sed vi vapori intima seu externa, sine motu ignis efficitur illa transformatio. Magnus Eutychius paulò antè citatus in exemplum adduxit sigillum, quod semetipsum pluribus ceris ac loco separatis, sibíque per appropinquationem, vel interiacentem sufficientem potentiã admotis imprimit, sine digressione à proprio situ. Vtroque modo concipi debet fieri in Eucharistia per Spiritus sancti omnipotentiam, vt panis in corpus positũ in cœlo absque vlla emotione vertatur, & in species relictas, ac tot locis disiunctas, per intermediam illam omnipotentiam corpus ipsum sine sui mutatione quasi insculpatur.

Propter transsubstãtiationẽ corpus Christi non mouetur à cœlo, nec descẽdit.

Quamuis autem nostri respondeãt corpus Christi eo modo, quo est in cœlo, id est, in statu naturali non esse in sacramẽto, nec in pluribus locis esse posse, quod vtique de facto verum est secundum potestatem Dei ordinariã, ac secundum naturæ proprietatem seu possibilitatem: non tamen fuit vnquam definitum ab Ecclesia, istud omnipotentiæ absolutè non concedi, & permitti. Opinati sunt nonnulli secũdum inanem Philosophiam quod libuit: sed benè perspectis veræ Philosophiæ principiis, & mysteriis fidei cõsideratis, meræ sunt argutiæ, ac fortassè blasphemiæ. Nam cùm in sacramentali modo existendi difficiliora concurrant, & plura Dei miracula interueniãt: si tamen corpus Christi hoc modo ad plures locos ab omnibus nostris expanditur, cur non & naturali modo faciliori, quo in cœlo perstat, expãdi poterit? In sacramentali modo contradictio est singularis, in natura manere corpus sine loci spatio quæ augetur, si in pluribus locis esse asseratur sine loci proprietate: qua repugnantia non implicatur corpus in statu naturali quo sedet in cœlo: ac licet in hoc statu propter circumscriptionem quantitatis multitudo locorum impediatur, attamen eadem quoque impeditur in sacramentali modo, propter substantiæ corporeæ ad certum locum limitationem. Ideò plura ac difficiliora hîc subsunt impedimenta, & plura miracula, quàm in existentia naturali corporis. Nihilominus locorum pluralitas in sacramentali modo ab omnibus nostris per omnipotentiam comprobatur, cur ergo eidem omnipotentiæ denegabitur, illam corpori accommodare in naturali statu? Sufficit de facto à nostris nullum corpus in existentia naturali, in qua Christus habitat in cœlo, ad plures locos extendi, & an possit, Dei omnipotentiæ reseruare, cùm sola vertatur controuersia de diuersitate locorum in sacramentali modo.

Difficilius est corpus sacramentali modo esse in pluribus locis, quàm naturali.

Quoniam verò circa ipsum eædem ferè difficultates, vel maiores incidunt, quàm circa naturalem statum, Aduersarij illum impetunt iisdem rationibus, quibus naturalem, & vtrumque laborant à Dei omnipotentia demere. Breuiter ad duo capita reducũtur omnia ex ratione argumẽta, quasi non amplius sit futurũ vnũ & idem corpus, vna & eadem quãtitate circũscriptũ, si desit vnus locus, & plures succedãt: quia locus & locatũ proportionãtur inter se, vt locatũ totum cohibeatur intra locum, nec possit esse extra terminos illius, quin sit

Eadẽ ferè sunt argumenta cõtra sacramẽtalem modũ existendi in pluribus locis, quæ cõtra naturalẽ.

extra terminos propriæ naturæ & essentiæ, alioqui non ei proportionaretur: tum quia sicut res per naturam propriam est in vnica specie, ita per propriam dimensionem est duntaxat in vno loco, eo quòd sicut natura se habet ad speciē, ita dimensio ad locū: tum quia sicut vnum corpus dicitur ab vna quantitate continua, ita plura fiet per discretas, & pluribus in locis dispersas quantitates: tum quia vt Vvicles allegabat, idem momentum temporale nequit coëxistere diuersis tēporibus simul, vt idem esse prius & posterius dicatur: ita nec idem locale reponi datur in diuersis locis. Deinde vrgent circa vnum & idem corpus Christi si in pluribus locis ponatur, affirmari multa contradicentia, & contraria reclamante natura circa idem talia versari: sicut est quantitate extendi & nō extendi: sursum ac deorsum stare: idem distare toto cœlo & terra à semetipso: idem portari à semetipso, & comedi: moueri & quiescere, videri posse & non videri, aliáque similia. Omnia ferè nostri concedunt secundum ordinem rebus naturalibus impositum & impressum: sed addūt per diuinam omnipotentiā aliter res disponi posse, etiam manēte earum substātia, & esse dispositas in sacramēto, atque vbicūque Deo placuit: nec implicāt contradictionē in Dei omnipotentia, ac ne quidem in sano rationis humanæ iudicio aliter dispositæ. Imprimis scimus in Deo situm, distrahere quęcūque sunt realiter distincta & separabilia, nec repugnantiam afferre, si vnū collocetur, vbi non aliud collocabitur: vt si qualitatē à corpore separabilem ab ipso Deus seiungat, & corpus cōtineat, vel ponat, vbi non illam qualitatem, nihil absurdi vel impossibile commiserit. Nouimus corpus, quantitatē, & locū distingui ac diuidi posse, saltē à diuina omnipotentia. Propterea rectè cōcludimus, nec à quātitate, nec à loco impediri posse Deū, quin corpus sine quantitate ac loco proprio, & quin vnà cū corpore quātitatem, vbi & quomodo voluerit, cōstituat, quoniā priora nō pēdent à posterioribus, & corpus à quātitate, & quātitas cū corpore, à necessitate loci absolui potest per Deū. Nec tūc corpus in pluribus locis est extra terminos suæ naturæ & essentię, sed egreditur terminos loci qui illi accidēs est: manet tamen in ipsis, sed nō adæquatur, siue cōcluditur, quia nec locus nec loci termini sunt essentiales corpori, vt vbicūque corpus detur, ipsum necessariò cōsequantur. Quamuis autē naturaliter à cōtinua vna quātitate vnum corpus dicatur, & plura à pluribus & distinctis, ob idque de facto naturaliter vnum locatū nequeat in plures locos distrahi: nihilominus per omnipotentiā sicut plura locata intra eandē & vnicā quantitatē continuam cohabitāt, vt ex vnitate loci & quantitatis non inferatur vnitas locati: ita vicissim vnū corpus locatū per illam omnipotentiā ad plures locos & quātitates diuisas applicari non erit absurdius: nec ideò propter disiūctas illas quātitates nō magis desinet esse vnū corpus, quàm propter vnicam quantitatē corpora nō cessant esse plura: nec ab extranea quātitate loci corpora locata intrinsecè dicuntur vnum vel plura, sed ex sua existēte singulari substātia, & ab interiori sibi quātitate. Nec sicut natura se habet ad constituendā speciē, ita dimēsio locū afficit, cū ad ipsum merè cōtingēter referatur, & sine ipso & extra ipsū fulciatur quādoque, nō autē natura extra speciē, quā essentialiter cōstituit. Ad Vvicleui sophisma respōdetur idē momētū tēporis in diuersis momētis nō manere, quia tēpus fluida res est & successoria, quæ suis partibus simul nō cōstat in rerū natura: sed natura loci quid fixū & stabile indicat: qua de causa ipsi nō repugnat simul cum alio loco stare, & corpus idem in locis simul superstitibus comprehēdi.

An contraria & contradictoria de eodē Christi corpore affirmatur.

De posteriori genere argumētorū, quasi aliud foret corpus Christi in cœlo, & aliud in sacramento, propter diuersa accidentia illic & hìc adhærētia, ac propter cōtraria atque contradicētia, quæ circa idem subiectum versari ratio non patitur, facilis est respōsio, si consideretur nō oportere omnia etiā absoluta alicui adiacētia coextēdi subiecto,

subiecto, si latiùs pateat, & in pluribus locis inueniatur, quàm sibi adiuncta. Planũ fit id ex incarnatione Christi, in qua vnio naturæ humanæ cum filio Dei similis cẽsetur, vel proxima vnioni accidẽtis cum subiecto, saltem quoad plurima. Verbum tamen alicubi, imò vbique præstò est, quò non attingit humana natura adiacens verbo, quia subiectum longè capacius & amplius est quàm natura quæ ipsi adhæret. Pari ratione si subiectum aliud vel naturaliter, vel per Dei omnipotentiam, ad plures locos dilatatur, quàm quod illi apponitur, non consentaneum fuerit statuere appositum, vbicũque statuetur subiectum. Nec obest, si causemur verbum subiectum esse infinitum & illimitatum, quale in rerum natura aliud nõ ponitur: quãdoquidem quoduis aliud subiectum est illimitatum in potentia obedientiali Deo, vt ipsum contrahat vel diffundat ad placitũ. Adhæc posito corpore in pluribus locis, pro multitudine locorũ multiplex præsentia ad locos illi assignabitur: nõ tamẽ in singulis locis illa multiplex relatio verè & iustè eidẽ corpori ascribetur, quoniam tum subiectum siue corpus ipsum fit latius, quàm quiuis singularis eius locus. Quapropter licet omnia accidentia absoluta corporis Christi, quibus in cœlo afficitur, credantur adesse in sacramento, non tamen necessariò adsunt: multò verò minus relata, & quæ actionem vel passionem, vel modum important, nec vicissim quæ in sacramento ad eam considerationem pertinent, sunt attribuẽda corpori, quatenus sedet in cœlo. Ex quo soluitur argutia garrientium, si hoc quod cernitur, siue sacramentum, est corpus Christi, par est adesse, vbicunque extiterit corpus Christi: & si corpus illud simul est in multis locis, ore capi & comedi totum non poterit, aut etiã quatenus assidet dextræ Patris, comedetur. Nõ enim necesse fuerit, cùm ponatur variis in locis, vt omnia sibi aduenientia in his omnibus locis circumferat, vel vbicunque fuerit, vt agat vel patiatur omnia quæ sibi accidunt, vel eo modo quo alicubi degit, quoniam ipsum subiectum & accidentia illa non sunt adæquata seu proportionata, vt vbicunque vnum extiterit, alterum ibi esse consequatur necessariò. An verò contraria simul eidem subiecto immanere queant, non caret maxima difficultate, quoniam definiuntur esse contraria, quæ se mutuò depellunt ab eodem subiecto, quod sanè verum esse natura & experientia docent: nihilominus in eodem consociari non implicat contradictionem, nec à Dei potẽtia auferri debet, vt antea monuimus. Nec desunt, qui de facto existimant damnatos simul & indesinenter torqueri ardore summo, & extremo frigore, ex quo nascatur stridor dentiũ: atque in febricitantibus quoddam apparet vestigium, in quibus cùm morbus sit ardor, sicut nomen Febris significat, nihilominus horrent frigore. Nec officit, si dicatur cõtrariorum actiones nusquam in eodem subiecto se vnà perpeti, cùm vnius actio ne quidem sinat alterum propiùs admoueri, quin cedat, si fuerit imbecillior, vel arceat, si fortior. Naturaliter quidem ista fiunt, & ex natura definiuntur: non tamen præscribitur Dei omnipotentiæ, quin formas contrarias sine actionibus, & quin etiam ipsas pugnantes actiones in suo robore vtrinque cõseruet. Nec indè sequitur contradicentia fore simul vera, quia ex contrariis formis vel actionibus non coalescit contradictio propositionum, de qua intelligitur contradicentia euadere simul vera. Non enim verbi gratia idem subiectum contrariorum affirmatur simul esse calidum, & nõ calidum, quæ propriè sunt contradictoria, sed esse simul calidũ & frigidum, quæ contradictionem non inferunt. Atque hæc de contrariis circa idem subiectum in vno & eodem loco cõclusum, quod quidẽ si in diuersos diducatur, quid erit absurdi vnum contrariũ ipsi accedere in vno loco, & alterum in altero: tum enim non se contingent contraria, vt pugnam cieant inter se, nec ab vno totaliter subiectum occupabitur, quoniam est capacius ipso accidente.

In his quæ afferuntur de corpore Christi in cœlo & in sacramento, tanquam priuatiuè, sicut loquimur, opposita, atque indè contradicentia, vt est quantitate extendi, & non extendi, videri & non videri, atque alia, subest maxima fallacia & ignorantia. Nam quãdo priuantia simpliciter & absolutè cum affirmatiuis simpliciter quoque & absolutè comparãtur, omninò sanè circa idem subiectum contradictionem ostendunt: vt si affirmor indistinctè & indefinitè moueri, & simul eodem prorsus modo quiescere. At si affirmatio sit limitata ad certum modum ipsi aduersa negatio non efficiet planè contradictionem: quia quamuis propositiones oppositæ enuntientur de eodem subiecto, non tamen de eodem modo & eadem conditione subiecti, quæ diuersa ac varia esse potest. Sic secundum Hugonem à S. Victore, si in triduo mortis fuisset consecrata hostia, verè licuisset asseuerare sine contradictione Christum viuere, ac mortuum esse, non absolutè & simpliciter, sed secundum modum varium existendi in diuersis locis, vt viueret in sacramento, & exanime iaceret in sepulchro. Proinde quicquid saluis essentialibus corporis Christi potest contraponi de existentia corporis in cœlo & in sacramento, non sunt pugnantia, nec contradictoria, vel vnum & idem corpus destruentia, quia tota diuersitas est de modis & variis accessoriis, quæ adiacere eidem corpori non repugnat variis in locis & diuersis modis, quorum capax est ipsum corpus per diuinam potentiam & voluntatem in institutione Eucharistiæ & aliis scripturis declaratam. Quinetiam nostri maiores non veriti sunt concedere, Christum à semetipso portari in manibus suis, à semetipso manducari, à semetipso distare, & hîc esse & in cœlo, aliáque quæ propter distinctos locos & modos sine oppositione impossibilitatis de facto credi debent & asseri. Si distantia connotat fines & terminos, inter quos quid medium occurrit, nihil corpus Christi in cœlo & in sacramento distat à semetipso: sin innuit media interposita, idem distare à semetipso fatemur, quod nihil aliud est, quàm idem in diuersis locis à seinuicem separatis inueniri. Post ratiocinationes ex Philosophia se recipiunt propiùs ad scripturas Aduersarij. Priùs tamen inferunt à nobis introduci vbiquitatem corporis Christi, quoniam qua ratione in pluribus locis esse possit soluta eius circumscriptione, eadem valeat & vbique præstò esse: quod adeò detestantur scripturæ, & omnis antiquitas Christiana, vt ex eo colligant creaturam Deum fore, si vbique exhiberi queat, sicuti Deum exui diuinitate, si non vbique esse credatur. Patrũ authoritates, quibus confidunt Aduersarij, & quibus affirmatur corpus & humanitas Christi pro Deo æstimanda, si vbique cõstiterit, allegamus loco sequenti capite cõtra Brẽtianos, neque tamẽ illis implicamur.

An ex pluribus locis benè inferatur vbiquitas, & aliqua creatura vbique esse possit.

Assentimur cũ nostris eodẽ argumento, quo non solùm corpus Christi, sed quæuis alia creatura, corporea siue incorporea, ad plures locos dilatatur, ad omnes ampliari posse, & vbique præsentari, sed non eo modo quo Deus, nec ea proprietate qua ipse est vbique, nec ea virtute qua hoc ipsi competit, sed per extraneam ipsi creaturæ ac Deo propriam omnipotentiam, cuius obediẽtiæ creatura subiacet ad vnum locum, siue ad plures, siue ad omnes. Quid enim si Deus vnicam creaturam condidisset, proculdubiò vbique esse oporteret, cur non eidem ipsi præstabit quibuscunque creaturis cumulatis & adiunctis, cũ singulæ intra eundẽ locum & spatiũ, quascũque voluerit Deus, cogantur secũ recipere. Vbique esse cùm de Deo dicitur, non significat in omni loco esse, sed potius in nullo loco esse, quia Deus in loco esse nõ potest, quamuis omnis locus ei adsit ad ipsum capiendũ, vt ait Boëtius. Ideò cũ de Deo dicitur, Hic esse, vel alicubi, non intelligitur locus, sed Dei præsentia replens omnia: qui modus soli essentiæ diuinæ conuenire potest, nec alteri communicari, & omnem locum excludit. Deinde sic est vbique Deus, vt impossibile sit

Biel lect. 46. in Can. dist. 37. in lib. 1. Sent.

aliquo loco contineri vel concludi: & hoc etiam creaturis incommunicabile est. Tertio vtrúque est proprietas essentialis diuinæ naturæ, quæ nec humanitati Christi attribui potest, vt eius fiat proprietas ipsi insita. Nihilominus sicut capite De proprietatibus humanitatis Christi disseruimus, Deus per organum humanitatis operari potest, quæ sibi sunt propria, & per non proprietatem communicatam & insitam, sed per gratiam & donum creatum illi conferre similes effectus, qui Deo competũt per naturam & proprietatem. Potest & tertiò humanitatem Christi versare ad libitum, sicuti omnes creaturas, & locare vbicunque, & quomodocunque visum fuerit, per externam suam omnipotentiam. Neque sic conspiramus cum hæresi Brentianorum de vbiquitate humanitatis Christi. Non enim de facto eam ponimus omni in loco, nec eo modo quo illi, sed quid possit Deus per potentiam absolutam, & quid scripturis consonum in Eucharistia operetur, de facto tantùm explicamus, nec scripturarum limites prætergredimur. Postremò de scripturis & Patribus nos aggrediuntur Aduersarij, tanquam nefas sit & impium corpus Christi vspiam in terra iam quærere, aut pluribus in locis, quàm in suo naturali ac vno solo
„ constituere. Increpitãt itaque passim in libris suis, Ipsemet Christus dixit, Relinquo *Ioan. 16.*
„ mũdum, & vado ad patrem. Ideò Christus sicut mundum, ita etiam Cœnam suam, quam in hoc mundo celebrandam instituit, præsentia sui corporis & sanguinis re- *Ioan. 12.*
„ liquit. Ipse etiam dixit, Pauperes semper habebitis vobiscum, me verò non semper *Matt. 26.*
„ habebitis. Hoc sanè de diuina natura non potest intelligi, quæ implet omnia. Ergo (concludunt Aduersarij) de corpore Christi intelligi debet. Quòd si præsens iã non amplius possidetur, igitur nec verè nec substãtialiter exhibetur, & accipitur in Cœna. Ad maiorẽ cumulũ allegationũ corradunt ex scripturis, quęcũque possunt, tametsi alienissima à re, cuiusmodi est, Surrexit, non est hîc: Si dixerint vobis, Hîc est *Scriptura quas allegant aduersarij contra præsentiam Christi in mũdo.*
„ Christus, aut illic, nolite exire, nolite credere. Breuiter ex multis negatiuis Aduersarij student obruere affirmatiuam istam, *Hoc est corpus meum*, & ex probata Christi absentia à mundo, tollere eiusdem præsentiam ab Eucharistia. Nostrum est spectare, an sufficienter præstent quod intendunt, & in quo peccent declarare. Imprimis argumentandi forma claudicat, à singulari modo absentiæ negatiuo ad tollendum omnem alium affirmatiuum de præsentia: non enim pugnant inter se. Ipsemet Cal- *Marc. 16. Matth. 24. Ex negatiuis de alia præsentia aduersarij obruunt affirmationem de præsentia in Eucharistia.*
„ uinus tidet in Cinglianis hanc ratiocinandi formam. Quod nonnulli (ait) colligunt
„ abesse Christum à Cœna, quoniam memoria non nisi rei absentis sit, prompta est
„ responsio secundum hanc rationem, qua Cœna est recordatio Christum abesse ab
„ illa. Neque enim adest Christus visibiliter, neque oculis cernitur sicut symbola. Quinetiam quando Christus iussit, Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*, nõdum reliquerat mundum: & postquàm reliquit, iterum Apostolo inculcauit, *Hoc est corpus meum.* Idcircò negationes illæ cum hac affirmatiua nullam præ se ferunt repugnantiam ex Domini nostri intelligentia. Quamobrem sensus vtrarumque propositionum potiùs inuestigari & conciliari debet quàm in Christum spiritúmque eius contrarietas obiici. Scriptura sanè, eámque secuti veteres Theologi, variis modis de rebus ipsis solent effari. Aliquando ex earum naturis & proprietatibus sensui subiectis verba faciunt, aliquando ex Dei potentia & supernaturali modo: aliquando ex præsenti rerum conditione, siue non ex earum substantia, sed accidentibus naturalibus, aut naturæ fines excedentibus, sophismata, captiones atque argutiæ concinnantur ad decipiendos simplices & imperitos, quando dicta secundum vnum modum, transferuntur ad alium: aut cùm omnes modi permiscentur & confunduntur. Exempli gratia, de futuro iudicio D. Ioannes manifestè prodit. *Scriptura & Patres variis modis loquuntur de eisdem rebus. Sophismata fiunt ab vno modo ad aliũ transeundo.*
„ Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Nisi distinctionem *Ioan. 5.*

adhibuerimus de aliquo modo iudicij, incurremus in impietatē, quæ Patrē à filio diſſociat, aut Filiū ſine Patre aliquas diuinitatis actiones obire malè ſuſpicatur: quā vt euitemus, hîc interpretamur agi de forma ſenſibili ac viſibili iudicij. Auguſtinus iſtum iudicij modum deſignari ſic ait: Neque ad iudiciū viuorum & mortuorum pater ipſe venturus eſt, nec tamen recedit à filio pater. Quomodo ergo non ipſe venturus eſt? Quia nō ipſe videbitur in iudicio. Forma ſerui videbitur, occulta erit forma Dei. Occultus erit in ſeruo filius Dei, & apparebit filius hominis. Quemadmodum igitur iudicium hîc accipitur pro forma iudicij ſenſibili ex humana loquendi & iudicandi conſuetudine, ita Chriſti abſentia vſque ad iudicium, & præſentia quam tum exhibebit, ad ſenſum & viſum referantur oportet, ſicut eius iudicium. Quod ſanè Angelus expreſſit, cùm admonuit, Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Qua de cauſa talis aduētus propter conſpectionem & modum ſpectabilem vocatur in ſcripturis ἐπιφανεία & ἀποκάλυψις apparitio & reuelatio. Quamobrem de præſentia & abſentia corporis Chriſti ſenſibili & viſibili, aut ſecundum communem hominum infirmitatem cogimur interpretari ſcripturas illas, quæ Chriſtum mundum relinquere, nobiſcum non fore ſignificant, non autem de quocunque modo ſubſtantialis præſentiæ corporis Chriſti. Vt autem tantùm hunc modum abſentis corporis per ſcripturas illas, quibus nituntur Aduerſarij potiſſimùm enuntiari putemus, antecedentia illarum ſcripturarum & conſequentia nos admonent, & ne aliis locis & dogmatibus ſcripturæ aduerſemur. Certè eodem in textu ait Chriſtus, Exiui à Patre, & veni in mundum, & iterùm relinquo mundū, & vado ad Patrem. Ideò quo in ſenſu intelligitur veniſſe in mundum, ſic accipiatur, quòd reliquit mundum. Non de ſola humana natura Chriſti dicitur, Exiui à Patre: quia miſſio non debet referri ad alteram naturam: nec localem mutationem ſignificat, quaſi Chriſtus illum locum, vbi Pater eſt, reliquerit: ſed loquitur de illa legatione, qua miſſus eſt à Patre, vt fieret Apoſtolus & Pōtifex confeſſionis noſtræ, id eſt, victima pro peccatis totius mundi. Inde enim tranſitus Chriſti ad Patrem, eſt noſtra iuſtitia, non propter loci mutationem. Neque dubium quin aliter Ioannes loquatur de mūdo, quàm Ariſtoteles. Etenim non ab illo, ſicuti ab ipſo, ponitur pro ſpatio corporum terreſtrium & cœleſtium, ſed pro humana conditione mortalium, ita vt ſit venire in mundum, aſſumere humanam naturam, neque hoc ſolùm, ſed quòd mundus ipſum odio habuit, perſecutus eſt, ac tandem cruci affixit, quódque tentatus eſt omnibus infirmitatibus abſque peccato. Econtrariò Relinquere mundum, eſt non amplius exponi odiis, perſecutionibus, iniuriis mundi, ſed exutis infirmitatibus intrare illam gloriam, quam habuit apud Patrem, priuſquàm mundus fieret. Secundò ab eodem Chriſto diſcamus, quo ſenſu mundum & nos reliquerit, vt eum non habeamus nobiſcum. Ipſemet poſt reſurrectionem aperit, cùm inquit: hęc ſunt verba quę locutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum. Dubitamus quo in ſenſu accipi debeat in locis allatis per Sacramētarios, Chriſtum non eſſe nobiſcum. Illi ad omnem modum præſentiæ corporalis extendunt: nos ex Chriſti confeſſione, ad literam ſolùm intelligi de infirmitatis præſentia, & hominis fragili conditione docemus. Chriſtus affirmat ſe tunc reliquiſſe mundum, neque ſe amplius manere cum Apoſtolis, cum tamen adhuc ſe ira corpore præſentem exhiberet, vt diceret, Palpate, & videte. Rectiſſimè igitur interpretamur hæc dicta de infirma, paribili, mortali, & familiari conſuetudine Chriſti, ſicut antea conuerſatus fuerat cum diſcipulis, quemadmodum textus apud Marcum ſatis euidēter arguit. Pauperes (ſcribit) ſemper habebitis vobiſcum, & quandocumque volueritis, poteſtis eis benefacere: me verò nō ſemper habebitis, cuius corpori ſcilicet poſſitis ſicut paupe-

Tract. 14. in Ioann.

Primus modus abſentiæ Chriſti à mundo eſt in ſtatu naturali et viſibili.

Actor. 1. 1. Cor cap. 1. 1. Theſ. cap. 3. & 2. cap. 1. 2. Timoth. 4. Tit 2.

Ioann. 16.

Mundus aliter apud Ioānem, aliter apud Ariſtotelem capitur.

Chriſtus modū ſecundum, quo mundum reliquerit, explicat, nec realem abſentiam ſignificat.

Luc. 24.

Marc. 14.

pauperibus benefacere, vt nunc Maria sua vnctione infirmitati corporis & sepulturæ subuenit. Nunc Sacramentarij suas aranearum telas exordiantur, quibus muscas irretiant. Dominus dixit se non fore semper nobiscum, sed transiturum de hoc mundo ad Patrem: ergo nunc non est vlla præsentia corporis in mundo. Respondemus Dominum ipsum exposuisse, non de omni modo præsentiæ corporalis, sed tantùm de mortali, visibili, & miseriis humanis obnoxio. Respondemus quatuor modos præsentiæ Christi à scriptura constitui: Vnum, secundum ipsam diuinitatem: Alterum, secundum visibilem humanitatem in maiestate & potentia apparentem, vt in futuro iudicio, in transfiguratione, in incessu super mare, & in Stephani visione: Tertium, secundum eandem humanitatem visibilem, sed calamitosam, imbecillam, & abiectissimam, vt versatus est in hoc mũdo ante resurrectionem: Quartum, secundum eiusdem humanitatis substantialem præsentiam, sed modum supernaturalem, quoties & quomodo voluit. Sic per medios Iudæos nonnunquam inconspicuus ambulauit, & à discipulorum oculis factus inuisibilis euanuit. Sic esse ferri talem præsentiam credimus, eiusdem Domini sermone, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Cur enim aliis modis fidem adhibemus, nisi quia scripturis cõtinentur? Cur istum vnicum inficiabimur, cùm æqualiter, ne dicam longè manifestiùs & expressiùs eisdem scripturis contineatur? Non Christum in sepulchro quærimus, sed vbi se futurum dixit nobis. Non est hîc tanquam sepultus, vt quæramus viuentem cum mortuis: sed sicut dixit nobis, ipsum in sacramento præsentem amplectimur & veneramur. Non nostras imaginationes aut fictiones, sed scripturas

Quatuor modi præsentiæ describuntur à scriptura.

» sequimur. Quàm multa sunt (exprobrat Aduersariis Lutherus) quæ imperitis & cõ-
» tentiosis videntur pugnantia, quæ à peritis & placidis facilè conciliantur. Arrianis
» videbantur opposita, Deum esse vnum, & trinum: aliis Mariam esse virginem, & ni-
» hilominus matrem: Mariam gignere, & virum non cognoscere: vt alia propè infi-
» nita taceam, quæ si iudicantur ab hominibus impossibilia & contradicentia, respõ-
» detur à scripturis Deo esse facillima, & ex diuersis ac supernaturalibus modis aptè
» conuenientia. Respondemus igitur Christum nusquam in mũdo isto inferiori delitescere existentia naturali & locali, sed cœlum incolere, donec conspicuus redeat ad iudicium: attamen quoties voluerit præsentem se sistere etiam oculis intuẽdum, illi perfacilè admittimus, & in Eucharistia vero suo corpore, sed modo inuisibili, adesse profitemur: quoniam ista æquè patet ex scripturis, atque alia, quæ nobis obiecta secundum scripturas enodamus: nec ista reales existentias propter diuersum modum, & parem Christi de singulis asseuerationem, repugnare docemus. Respõdemus denique potiùs inferendum è contrario, Christi humanitatem existere in ipsa Eucharistia, quoniam exuerit omnem infirmitatis modum, quo vni loco alligetur, & hominum conspectui & infirmitati subiiciatur. Non latuit Patres ista de

Diuersa præsentia Christi non pugnant inter se.

» diuersis modis ambiguitas. Hieronymus inquit: Oboritur quæstio, quare Dominus
» post resurrectionem suam dixerit ad discipulos, Ego vobiscum sum vsque ad con-
» summationem seculi, & nunc loquitur, Me non semper habebitis. Mihi videtur in
» hoc loco de præsentia dicere corporali, quòd nequaquam cum eis futurus sit post
» resurrectionem, quomodo nunc in omni conuictu & familiaritate. Chrysostomus sibi eandem difficultatem proponit ex textu, Me non semper habebitis: cui ex aduerso subiicit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Vtrumque verò de præsentia & absentia corporali decidit, sed diuersum modum subinnuit. Discrimen statuit inter Heliam & Christum, quòd ille abiens vestem tantùm discipulo possidendam dedit: Christus verò abiens, carnem quam sustulit, eandem porrexit attrectandam, edendam, vt adimpleatur vtraque scriptura de humanitate

In ca. 28 Matt.

Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, etiã de reali præsẽtia in Eucharistia intelligitur.

Homil. 60. ad popul. Antiochen.

Christi,& quòd eam è mũdo transtulerit,& in mũdo reliquerit, sed diuerso ac dispari modo. Augustinus pluribus locis contrarietates istas excutit, & ex modorum diuersitate inter se conciliat. Non ignoro textum, Ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi,à pluribus ad solam præsentiam spiritalem applicari: sed non possum eos damnare, qui magis Christum decere existimant, si aliquid eximium polliceatur ac singulare pro Euangelij coronide,præter id quod numquam piis viris vlla in lege defuit,hoc est, præter diuinam & spiritalem assistentiam atque præsentiam:attamen contentiones odi,præsertim non necessarias. Tertullianus sanè nõ putat de pura diuinitate exponi debere,sed latenti energia significari, Emanuelem ipsum & nobiscum fore Deum ipsum incarnatum,vsque ad consummationem seculi, tametsi non humana, sed diuina quadam præsentia. Origenes quoque de filij Dei prouidentia circa nos intelligit, nihilominus in quantum ab humana natura non distrahitur.Ita enim scribit:Deus pro sua bonitate, non loco, sed prouidentia, condescendit ad homines, & Dei filius haudquaquam tunc solùm cùm in humanis ageret,sed continenter cum discipulis manet,illud sedulo exequendo quod dixerat, Ecce ego vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Atqui si vitis nequit fructum producere, nisi in vinea mãserit, hoc est in Christo Dei, qui & nobiscum in terris localiter diuersatur, & his præstò vbique fit, qui sibi adhæserint:alioquin vel se nescientibus vbique terrarum adest. Proculdubiò duo genera assistentiæ Christi commemorat: vnum planè & pure diuinum, alterum humanitati videtur coniungere,cui nos non tantùm spiritaliter(vt Cyrillus & Augustinus disputarunt) tanquam inuiti debemus cohærere: & ad istud accommodat, Ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi: quod locale audet etiam nominare propter particularem præsentiam. Ex quo non dubito Patres sensisse, istam conclusionem Euangelij non ad simplicem diuinitatem referendam, si propiùs inspiciatur, sed ad aliquam præsentiam, quæ aliquid de ipsa humanitate saperet. Magnetes sanè hoc capite à nobis productus, nominatim textum illum ad realem præsentiam in Eucharistia applicat, & aliam quamcunque, qua nobis adest Christus etiam corporaliter in humanitate sua. Augustino quoque non probatur tãdem textum illum coarctari ad solam spiritalem gratiæ vel maiestatis assistentiam, sed ad præsentiam Christi in sacramento Eucharistiæ singularem extendit, ac differentem à spiritali,quam nobis affert fides vel baptismus, & à significata & repræsentata,sicut fit in crucis signo:ita vt per remotionem aliarum,satis innuat se realem pręsentiam in Eucharistia agnoscere,& ab illo textu subinnui, vel saltem comprehẽdi. Verba sunt:Me non semper habebitis. Quid enim non semper,& quid est Semper? Si bonus es,si ad corpus Christi pertines(quod significat Petrus)habes Christum & in præsenti,& in futuro: in præsenti, per fidem:in præsenti, per signum Christi: in præsenti,per baptismatis sacramentum:in pręsenti,per altaris cibum & potum. Habes Christum in præsenti:sed habebis semper,quia cùm hinc exieris, ad illũ venies, qui dixit latroni, Hodie mecum eris in paradyso. Si autem malè versaris,videris habere in præsenti Christum: quia intra Ecclesiam signas te signo Christi, baptisaris baptismo Christi,misces te membris Christi,accedis ad altare Christi,in præsenti habes Christum, sed malè viuendo non semper habebis. Post iacta fundamenta de scripturis, quibus ab inuitis Aduersariis extorquebitur veritas de diuersis præsentiæ modis, antequam examinemus Patrum dicta, quibus aliquando videntur negare Christum præsentia corporali interesse rebus humanis & Eucharistiæ, aliquando verè fatentur secundum quendam modum adesse, Aduersariorum vertiginosum spiritum paulisper consulamus. Quoties commentantur scripturas illas

de

Tract. 50. 94. 64. in Ioann. & alias.

Tertull. de Trinit.

Lib. 5. contra Celsum.

August. tract. 50. in Ioann.

de quibus egimus, ad illum modum & ſenſum pertinere, quem attulimus, facilè conſentiunt: ſed omnibus modis præſentiam inuiſibilem poſt aſcenſionem, ex ipſis ſcripturis negant, inepta ſua & aſſueta ratiocinandi formula, à negatione vnius modi ad aliorum qui diſplicuerint, temerariam negationem. Oecolampadius tamen concedit, aliquando Christi corpus cœlo aſſidere, & Euchariſtiæ, ac modorũ diſtinctionem admittit. Bucerus in Retractatione loci De Cœna Domini, in Enarrationibus in Matthæum, poſt diligentiorem modorum & ſcripturarum conſiderationem concludit: Proinde nihil iſta præſentia & exhibitio in Domini ſacra Cœna, vel humanæ in Chriſto naturæ derogat, nec locis illis qui teſtificantur eum relicto mundo conceſſiſſe in gloriã Patris. His namque locis nihil poteſt inferri, quàm Dominum iam non hîc agere patibili ratione, & vita ſenſibus perceptibili. Iſta teſtificatione de abitione ſua è mundo ad Patrem, certum eſt Dominum nihil docere amplius voluiſſe, quàm ſe ex ratione viuendi huius ſeculi ærumnoſa, & ſenſibus expoſita, in glorioſam & cœleſtem viuendi rationem concedere, quæ propria eſt reſurrectioni & futuro ſeculo. Caluinus quidem & Beza inſectantur inuiſibilem modum acerbiùs, eiúſque odio in abſurditates & contrarietates impingũt. Inuiſibili humanitatis Chriſti recepta præſentia, Caluinus exaggerat, ab Eccleſia proſcribi Spiritum ſanctum. Nam aduentus Spiritus, & aſcenſus Chriſti, antithera ſunt, inquit. Ideò fieri non poteſt, vt eodem modo ſecũdum carnem habitet Chriſtus nobiſcum, quo Spiritum ſuum mittit. Nõ ſatis aſſequor, quid his velit Caluinus, quod aduerſum nos faciat. Sit ita, vt aſcenſus Chriſti, quo ſenſibili præſentia ſe ſubtrahebat à nobis, cauſam dederit mittendi Spiritum: an propterea Chriſtus omni adminiſtratione mundi & prouidentia ſe abdicauit, vt non ſola præſentia corporali inconſpicua exulare à mundo debeat, ſed etiam omni cura & de nobis ſollicitudine carêre, ne Spiritui ſancto delegatum officium videatur inuidere & præripere? Cur ergò nobiſcum ſe futurum vſque ad cõſummationem ſeculi pollicetur? An Eccleſia Chriſtum & Spiritum ſanctum vnà rectores ferre non poterit? Notetur ſua ratione Caluinus, non tantùm præſentiam corpoream Chriſti è mũdo tollere & amãdare, ne res humanas cum ſpiritu gubernet, ſed etiam diuinitati, quæ in Chriſto habitat, præſentiam, & Eccleſiæ regimen adimere, ne ſi cõcedatur, ſpiritus vana inueniatur miſſio, aut ſuperuacanea deprehendatur procuratio. Notetur deinde in Caluino repugnantia. Etenim cum interpretatur, Me non ſemper habebitis, excipit, niſi virtute & gratia ſpirituali, vt prorſus excludat omnem carnis præſentiam. Cùm verò diſquirit quonam pacto percipiatur Chriſtus, & participetur in Cœna, Cinglhũ perſtringit, qui ſola virtute & gratia ſpirituali aſſeruerat, cum qua carnis quoque cõmunionem & participationem exigit, vt Chriſtus ipſe non ſola gratia verſetur nobiſcum, & coniungatur, ſed carnis aliqua præſentia & aſſiſtentia: quam ſi rurſus negat, relinquitur Chriſtum nobiſcum manere ſola virtutis & gratiæ præſentia. Eligat vtrum volet, & contrarietatem expediat. Porrò in hac materia digladiari ſolent inter ſe ſcriptores de Auguſtini ſententia maximè. Alij ſuos locos habent in procinctu, quibus videtur Auguſtinus humanitatem Chriſti vni loco mancipare. Alij nõnulla dicta illius fortaſſe violentiùs ad Euchariſtiæ vtilitatem accommodant. Nos ſeruemus omnibus in rebus quantam potuerimus modeſtiam. Principiò obſeruemus vſu venire in ſcripturis & Doctoribus, vt pro modo nomen rei collocetur, & res videatur tota affirmari vel negari, cùm tantum rei modus aliquis intelligatur, & particularis aliqua conditio. Sic caro & ſanguis per Apoſtolum regni Dei poſſeſſione fraudantur, cùm certum ſit nos recepturos carnem noſtram & ſanguinem: ſed ab Apoſtolo nomine carnis & ſanguinis, calamitoſæ & peccatis obnoxiæ pro-

Aduerſarij diuerſos modos præſentiæ concedunt, ac negant ex ſcripturis illis rectè inferri Chriſti veram præſentiam ab Euchariſtia, cũ tantùm modos præſentiæ ſignificent.

Calu. Inſti. lib. 4. cap. 17. num. 16. 29. in Vltima Admonit. Beza de re ſacrament.

Caluinus ait præſentiã corporalem Chriſti repugnare aduentui & præſentiæ Spiritus ſancti.

Caluinus etiã tollit à mundo Chriſti prouidentiam, tanquam non cõſiſtat cum ſpiritus præſentia.

Nomen rei ſæpe pro ſolo modo

Vel affirmatur vel negatur. prietates notantur, non ipsa substantia significatur. Sic quasi neget idem corpus reparandum & restituendum, quod cecidit morte, ait, Seminatur corpus animale, „ *Aug. tract. 95. in Ioann.* surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale: cùm tamen non diuersum corpus in resurrectione fore intellexerit, sed qualitatibus & proprietatibus immutatum. Sic ab eodem Paulo Christum iam secundum carnem non nosse di- *2. Cor. 5.* cimur, cùm Christum sine carne ne cogitemus quidem, sed infirma carnis conditio nomine rei & carnis enunciatur. Fundamenta Hæreseon Manichæi contra carnis Christi veram, & Origenistarum contra nostram resurrectionem, consistebant in errore, quo caro posita pro modo carnis & conditione, capiebatur pro natura carnis & substantia. Dicebat Manichæus inter alia: Ab Apostolo iam ignoratur Christus secundum carnem: ergo carne non est præditus. Dicebant Orige- *Epist. 146.* nistæ, Ab Apostolo scribitur, carnem & sanguiem non admitti ad regni possessionem: ergo carnis non est speranda resurrectio. Augustinus post alios respondet, eos falli, qui nesciant, aut nolint attendere, in scripturis res pro suis affectionibus & accidentibus sæpè nominari, & contrà. Ideò carnem & sanguinem oportere intelligi pro modo carnis, & qualitate misera & fragili. Scripturam secuti Patres, nonnumquam rem ipsam videntur ab Eucharistia secludere, propter aliquem *Aug. Psal. 98.* modum rei, quem sentiunt à sacramento alienum. Sic Augustinus dixit, Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, neque sanguinem quem effusuri estis, bibetis. De quo prolixiùs agemus hoc capite: cùm tamen non rem à manducatione & potu simpliciter tolleret, sed modum visibilem & carnalem, quali Christus oculis cernebatur, & inter homines versabatur. Sic aliquoties leges Origenem, Hieronymum & Augustinum, indignis negare esum carnis Domini, cùm solùm modum denotent, fructuosum nempè & salutiferum. Ob id Augustinus ipsemet commonefacit Lectores, ad modos recurrere, cùm de indignis certatur. Præterea ex modorum differentia ipsi Patres aliquãdo Christo diuersas carnes, & quasi permu- *Propter modos diuersos existẽdi & participandi corpus et sanguinẽ Christi, Patres videntur diuersa corpora Christi statuere.* ratoria corpora affingunt, cùm nihil aliud intendant, quàm eiusdem corporis varios existendi modos declarare, quos cùm reales & veros intelligerent, eos nominibus rei expresserunt, imitati Apostolum, qui alia corpora mortalia, siue carnalia, alia spiritalia vocat, cùm de eisdem sermonem haberet. Sic Theodoretus & Damascenus, Hieronymus & Augustinus, non dubitarunt duplex Christi corpus & sanguinem vocare, tum propter duplicem in eo naturam, diuinam atque huma- *Theodor. dial. 2. Polymorp.* nam, vt priores Theodoretus & Damascenus faciunt, vel propter duplicem corporis & sanguinis existentiam & participationem distinctam, carnalem, quam etiam *Damascenus lib. 4. cap. 14.* sacramentalem vocant, & spiritalem: quibus simul vel vtraque natura, quæ in car- *Hiero. in epist. ad Ephes.* ne Christi habitat, participatur, vel distinctè altera tantùm. Augustinus & Hieronymus ita de corpore ac sanguine Domini nonnumquam loqui deprehenduntur, vt in sexta Repetitione abundè differemus. Quinetiam vnus & idem propter diuersos illos modos apparet de corpore Domini proferre pugnantia, & quasi eius præsentiam & participationem nunc negare, nunc affirmare, vt capite De visibili corpore antea attigimus, & in isto De Augustino persequemur. Propter modorum diuersitatem, ad imitationem maiorum recentiores, sicut Petrus Lombardus, & alij, distinxerunt corpus sacramẽtale, seu consecrationis, seu benedictionis, seu inuisibile, à naturali seu creationis, quasi non idem corpus esse, sed duo longè differentia intelligerent, cùm tamen vnum & idem existere tam multis disputent & confirment, sed secerni ex eiusdem substãtiæ corporalis diuersis modis & locis existendi ac sumendi, propter quos res eadem effertur, ac si esset multiplex & varia. Attendamus tertiò diligenter, suadente Augustinum sæpè, vt adhibeamus modorum

rum distinctionem, cùm de præsentia corporis Christi inciderit mentio, ad euitanda multa quæ ex scripturis apparerent contradictoria. Qua de causa apud Augustinum quoties occurrit quodammodo, vel Secundum quendam modum, aut similia loquendi genera, de rei veritate & præsentia nihil per se imminuunt: sed indicant singularem aliquem modum præter communem & naturalem. Fidem faciet vnus Augustini textus, quo affirmat animam secundum quendam modum suum immortalem esse: an inde quisquam illam immortalem esse inficias ibit, quia quendam modum addidit, ad comparationem diuinæ & Angelicæ naturæ, cum quarum immortalitate animã conferebat. Hoc pacto, cùm scribit Eucharistiam esse corpus Christi secundũ quendam modũ, præsentiam realẽ corporis non tollit, sed diuersam ostendit ab ea, quæ in passione fuit, cuius Eucharistia similitudinem gerit, & alio modo corpus Christi habet præsens (realiter tamen) quàm esset affixum cruci: ita vt duas præsentias eiusdem rei comparet, quę modis diuersis tantùm dissideant, & quarum vna alteram repręsentat. Nam ait ibi, immolari Christi corpus in Eucharistia, sed modum adiungit, in sacramento, id est, signo repræsentante similitudinem passionis & immolationis in cruce: ita vt per secundum quendam modum corporis præsentiam substantialem non expellat, sed modum in comparatione passionis statuit, nempè qui similitudinem eius in Eucharistiæ sacrificio præ se ferat, sed non eundem præsentiæ modum, & immolationis, qualis fuit in cruce. Sic cùm alibi interposuit, Christum se quodammodo gestasse manibus suis, cùm dixit, *Hoc est corpus meum*, non essentialem corporis existentiam inter manus Christi negauit, quam fuisse contendit ex eo, quod ad literam, & supra omnium creaturarum facultatem, Christus semetipsum, ac propriũ corpus, vt loquitur, gestarit manibus suis: sed in comparatione existentiæ naturalis interiecit secundũ quendam modũ, quoniam existẽtia sub tantillo pane, quamuis vera & substantialis esset quoad rem, non tamen erat naturalis secundũ modum, sed omnium creaturarum & naturarum virtutem excedebat, & existẽdi modũ superabat. Quòd si interiectum quodammodò virtutem realis præsentiæ in dictis Augustini aboleret, iterum, dico, nihil Christus sua gestatione, in qua Augustinus miraculum collocat, præstitisset, quòd in vilissimo quoque homine situm nõ esset, qui manibus potest figuram & sacramentum corporis sui portare, etiamsi sacramẽtum nequiret instituere, tamen posset institutum manibus ferre. Et Augustinus tertiò repetit, miraculum non in institutione sacramenti, sed in delatione proprij corporis constitui. Quamobrem, authore Augustino, ex alicuius singularis modi allegatione, de veritate sermonis & rei nihil detrahitur, sed cõparatio cum aliis modis designatur, nisi aliud addatur quod rem perimat. Non contentus Augustinus admonuisse cogitãdum de modis, cùm de præsentia Christi, aut indignorum manducatione disputatur modos omnes ferè enumerat, quibus Christus præsens nobis legitur: sed notãdũ venit, ab ipso distingui aliter modos pręsentiæ, quãdo de Christo simpliciter loquitur ex naturarũ, quibus præditus est, regulis & proprietatibus. Nam tum ait, Me non semper habebitis secundum præsentiam carnis, sed secundum præsentiã maiestatis: Aliter verò, quando disserit de præsentia humanitatis Christi secundum Dei omnipotentiam, siue in Eucharistia, siue extra Eucharistiam.. Tùm enim nouam de modis existendi distinctionem producit, & iam non secundũ naturarum diuersitatẽ, Christi præsentiã distribuit, sed secundũ eiusdem humanitatis & carnis verè pręsentis modos differẽtes, visibiliter, & inuisibiliter, carnaliter, & spiritaliter ponit, quæ audiẽtur postea. Ista quoniã cõfundunt Aduersarij, nec speculantur qua de re, & ex quibus principiis Patres verba faciunt, infinitis erroribus se & sibi credulos

Tract. 50. & 94. in Ioann. Quando Augustinus ait Quodammodo, non ob id tollit rei veritatem. Aug. ep. 28.

Aug. epist. ad Bonifac. 23.

Aug. Psal. 33

Tract. 50.

Aliter Augustinus distinguit modos existendi corporis Christi, quando loquitur ex proprietatibus naturarũ, quæ sunt in Christo, aliter quando secundum Dei omnipotentiã.

inuoluunt, & plusquàm Cimmerias tenebras Augustini scriptis obducunt. Fateamur oportet, multos Patres, imprimis vero Cyrillum, Augustinum, Vigilium, atque alios, vnicum locum corpori Christi destinare cœlum ipsum, donec veniat: sed liquet illos tum sequi naturalem Christi statum & dispositionem per incarnationem inchoatam, illósque loqui extra Eucharistiæ materiam, & diuinæ omnipotentiæ eminentiam, ad quas quoties referunt oculos, tum suarum præcedentium rationum obliuiscuntur. Quod si qui sunt, qui nihil de modo præsentiæ, aut veritate carnis in Eucharistia tractauerunt, ex aliis iudicari debet, quid isti fuissent dicturi, si in eam disputationem incidissent. Itaque ne laboret Beza, vt nos locorum ex Cyrillo & Augustino multitudine opprimat: agnoscimus apud Augustinum exprimi, Christum absentia corporali abesse à mundo: non esse nobiscum secundum id quod de virgine natus est: corpus eius in vno loco esse oportere: corpore discessisse è mundo: eum nos reliquisse absentia corporali: hominem à nobis discessisse, non Deum: Non esse consequens, vt quod in Deo est, vbique sit vt Deus, vbique esse per id quod Deus: in cœlo verò per quòd homo, illius corpus in cœlo nunc esse, & inde loqui in terra. Agnoscimus ex Cyrillo, non potuisse cum Apostolis carne conuersari, qui in cœlos ascenderit: eum nunc carne abesse: nec discipulos potuisse carnis præsentia seruari, sed Deitatis ratione, secundum quam vbique sit: Oportere fideles credere Christum à nobis nūc corpore abesse. Agnoscimus apud Vigilium, Christū naturam suam humanam è mundo abstulisse, secundum humanitatem recessisse, discessisse humanitate: forma serui, quā in cœlum abstulit, à nobis abesse, qui tamen forma Dei sit præsens: & quia vnus idémque est, præsens & absens sit nobis. Augustinus apud fulgentium disertè scribit, vnum eundémque Christum secundum humanam substantiam absfuisse è cœlo, cùm esset in terra, & dereliquisse terram, cùm ascendisset in cœlum: secundum diuinam verò & immensam substantiam, nec cœlum dimisisse, cùm de cœlo descendit, nec terram deseruisse, quùm ascendit. Sed cum istis conferantur ea quæ idem author De sacrificio corporis Christi in altari tradidit, & iudicetur, an carnem Christi Eucharistia spoliarit, & corporis reali præsentia. Benè habet sanè, quod coryphæi illi vtriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Doctores, Augustinus & Cyrillus, omnium maximè videntur præsentiam substantialem Christi è mundo tollere, quos omnium maximè eandem in Eucharistia etiam extra vsum non dubium est confirmare: vt tandem Augustini freti consilio, tantam in eorum scriptis repugnantiam ex variis existendi & loquendi modis studeamus conciliare & componere. Constat vtrumque, sicuti & scripturas de Christi corpore vulgò & communiter, ex proprietatibus naturæ, potentia vel impossibilitate, tractare, & iuxta eas loci circumptionem, particularitatem, ascensum atque descensum, quemadmodum alia corporalibus naturalia, carni Christi tribuere. Constat vtrumque singularia quædam corpori Christi deferre, quæ propriis eorum dictis aduersarentur, nisi ipsimet monerent diuersam rationem in gestis corporis Christi spectandam esse, & aliter de ipso decidendum ex natura, aliter ex Dei potentia. Constat vtrumque in omnibus locis per Bezam citatis, testari se agere de modo præsentiæ sensibili, carnali, naturali, assueta, quali inter homines viuebat Christus in hoc mundo, qualem nemo vnquam in Eucharistia somniauit. Constat nihilominus vtrumque sic asseuerare alterius modi veram ac substantialem præsentiam carnis Domini in Eucharistia, vt Cyrillus in ea corpus existere etiam extra vsum de industria defendat, & substantialiter, re vera ac corporaliter, imò visibiliter in ea tangi, tractari, sumi, manducari, & percipi affirmet. Accumulet qui volet ex sin-

Qua ratione Patres dicant Christum vno loco contineri.

Tract. in Ioan. 107. 50. 30. 102. 106. 78. *Epist. ad Dardanum. & in Epist. 1. Ioan.*

Lib. 2. in Ioan. cap. 3. 21. 22. lib. 9. cap. 21.

Lib. 1. in Eutychen.

ex singulis horum librorum capitibus, Cyrilli locos, & conferat, ne cogar toties eandem rem agere, & initium faciat à capite De proprietate verborum Christi, quibus esum carnis suæ promisit: aut legat ipsemet Cyrilli scripta in Nestorium, in Ioannis sextum, & decimum quintum caput, ac vigesimum, & postea sententiam ferat. Constabit postea in Tractatu de ascensione, vtrumque Cyrillum & Augustinum obiectioni de existentia in cœlo & in sacramento occurere, & vtramque recipere. In summa, secundum conditionem corporis Domini communem, ordinariam, & naturalem, ipsum vno loco contineri oportet: à terra abesse, cùm in cœlo degat, & à commercio hominum separari. Attamē ista non oberunt, quin simul sit extraordinario modo & ratione pluribus in locis, quoties voluerit, aut verbo suo decreuerit: nec Patres vnquam id refutarunt, sed fassi sunt, quoties requisiuit de Eucharistia cōtentio. Nihil itaque ex Augustino, nihil ex Cyrillo, aut aliis affertur, quod inficiemur, aut recusemus. Non enim propter Eucharistiam proprietates humanitatis Christi violamus, aut passim in terris ipsum spargimus, aut diffundimus, imò locamus in cœlo absentem à nobis, donec redeat, qualis ascendit: tantùm contendimus hoc non impedire, quo minus eodē tēpore quo cœlum inhabitat, aliò possit diuertere, & in Eucharistia adesse, quæ non innititur proprietatibus humanitatis, nec illas sequitur, sed prætergreditur ex singulari Dei potentia, de qua nos filius Dei verbo suo certiores fecit. Non iterùm commemorabo locos Augustini, quibus patrocinatur præsentiæ reali Domini in Eucharistia. Qui volet, etiam singula capita decurrat, & annotet, vt ipsemet naturaliter & ex proprietatibus corporis dictarat, Tolle spatia corporibus, & non erunt: à quo postea propter miracula, quæ circa corpus Christi in ianuis clausis, & aliis acciderant, coactus fuit excipere ea, quæ per Dei omnipotentiam eidem Christi corpori superuenerunt. Ita quamuis ex eadem lege corporum & proprietatum naturæ humanæ in Christo, quatenus opponitur diuinæ, rectè prædicet vno loco corpus Domini, ac sursum, quò ascendit, esse oportere: attamen ab illa lege diuinæ potentiæ virtutem & operationem eximit, per quam pluribus in locis Christi corpus & sursum & deorsum potest assistere, & sicut in cœlo & in Eucharistia residere consentit. Etenim quodam apud populum Sermone ita loquitur: Eia, fratres, vbi voluit Dominus agnosci? In fractione panis. Securi sumus, panem frangimus, & Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, nisi ibi, propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius carnem? Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis Ecclesiam non sine causa ingrederis, quisquis verbum Dei cum timore & spe audis, consolatur te fractio panis: absentia Domini nō est absens. Habeto fidem, & tecum est quem non vides. Perdiderant fidem, perdiderant spem, ambulabant mortui cum viuente, ambulabant cum ipsa vita. Cum illis ambulabat vita, sed in eorum cordibus nondum erat vita. Tu verò si vis habere vitam, fac quod fecerunt, vt agnoscas Dominum. Hospitio susceperunt. Tene hospitem, si vis agnoscere Saluatorem. Dominus ergo præsentauit seipsum in fractione panis. Discite vbi Dominum quæratis, discite vbi habeatis, discite vbi agnoscatis, quando manducatis. Norunt fideles aliquid, quod melius intelligunt in ista lectione, quàm illi nouerunt. Dominus his cognitus est, & postquàm cognitus est, nusquam comparuit ab eis. Affuit corpore, dum tenebatur fide. Ideò enim dominus noster absentauit se corpore ab omni Ecclesia, & ascendit in cœlum, vt fides ædificetur. Si enim non nosti, nisi quod vides, vbi est fides? Si autem credis & quod nō vides, cùm videris, gaudebis. Et si textus hic calumniis patēte possit, attamen si comparationem Augustini aptè ex verbis deduxerimus, haud dubiè ab ipso

Tractat. 30. in Ioann.

Serm. 140.

Augustinus Christi corpus agnoscit in cœlo, & in Eucharistia.

concludi animaduertemus, Dominum ipsum, & carnem eius re vera præsentem in Eucharistia, & in cœlo, sed ex modo statui absentiam à nobis, & præsentiã in cœlo, quæ nobis aliquando exhibebitur. Talis autẽ modus absentiæ in eo consistit, quod res præsens non cognoscatur, aut cernatur, nec sit in forma sua conspicua & visibili, in qua versatur Christus in cœlo. Itaque Augustinus primùm ponit, in fractione panis tam verè Christum se nobis præsentare, & præsentiam suam exhibere, quàm duobus discipulis obtulerat in via, sed ignotum illis & nobis effici per infidelitatem, cùm fide tantùm existens in aliena specie perspici & cognosci possit. Ideò, vt fidem nostram exerceret, propriam speciem ex oculis nostris ablatam in cœlum transtulisse, eámque nobis euasisse inuisibilem, sicuti duobus illis discipulis inuisibilis, (ἄφαντος, inquit Lucas) cœpit esse Christus, quamprimùm eis fides accessit. Qua de causa opinor corrigendum Augustini textum, in quo legitur, Affuit corpore, dum tenebatur fide, & emendandum Abfuit corpore, dum tenebatur fide: vt tùm cœperit abesse quod visibilem formam scilicet, non quoad rem, cùm fides discipulis illis affulsit. Id enim tantùm ἄφαντος significat: & certè non confestim ablatum fuit corpus Christi à loco, ex quo disparuit à discipulis, sed Christus inuisibilis effectus, se inde quando & quomodo voluit, subduxit. Quamobrem Augustinus intendit, absentem quidem nobis esse præsentem, siue rem ipsam, & carnem in fractione panis existere, sed propter inuisibilem modum præsentiæ dici absentem, & ablatam ac deportatam in cœlum, vt ex ipsa inuisibilitate exerceatur fides circa rem tanquam absentem, donec è cœlo reddeat propria species eius oculis perspicua. Et si deesset fides, nihilominus res ipsa, & caro inuisibilis in fractione panis permaneret, vt Christus cum discipulis fide priuatis ambulauit, sed permanere non cognosceretur, quia nec fide, nec oculis tum perspiceretur. Sed si fides de præsentia carnis in fractione panis credit verbo Dei, non tantùm caro Christi ibi adest, sed adesse cognoscitur: oculis tamen eripitur propria species carnis in cœlum assumpta, vt fides circa rem inuisibilem excolatur. Ista est Augustini plana & dilucida accommodatio, quæ lucem affert maximam aliis apud ipsum repertis locis, vbi præsentia corporali cœlo assidere corpus Christi definit, à nobis verò fide teneri, siue inuisibiliter Eucharistiæ inesse, visibiliter verò siue oculis perspicuum illatum cœlo. Interea si candidè & simpliciter de Augustino iudicatur, hîc & in aliis suis scriptis præsentem carnem Christi & in cœlo, & in Eucharistia statuit, sed modos, salua semper rei vera præsentia, visibiles & inuisibiles discernit. Legenti Augustinum diligentius, tres sese offerent præsentiæ & absentiæ Christi in genere modi: Vnus carnalis, corporalis, & visibilis (his enim vocabulis delectatur:) Alter inuisibilis & spiritalis, & hic duplex, siue vt modum etiam corporeæ substantiæ dicat, vel in existendo, vel in participando de ea, vel vt significet naturam spiritalem ac diuinam, quæ in carne Christi habitat, & eius participationem, de quibus in sexta Repetitione. Tertius ex maiestate, gloria, misericordia, occulta & ineffabili prouidentia, qui permiscetur quidem aliis duobus, sed aliquando separatur omninò, cùm corporis Christi veritas prorsus abest, sed eius subrogatur gratia & efficacia. Ex concessione vnius modi non perpetuò alios tollit, sed intra proprietatem modi, de qua agitur, verba facit. Quia vero ampliatur vnus modus ad alios contra mentem Augustini, & ex vno temerè negantur alij, magna perplexitas in illius scriptis nascitur. Notãdum quoque præsentiam Christi per fidem, apud Augustinum & alios Patres, idem valere quod inuisibilem, sed duplicem inueniri: vt duobus modis Christus nobiscum manet, inuisibiliter nempe per occultam gratiam

Vt fides exerceretur Christus fuit inuisibilis extra Eucharist. & in ipsa Euchar.

Augustinus tres in genere modos præsentiæ vel absentiæ Christi ponit.

Tract. 50. 92. & 65. in Ioã.

Præsentia per fidẽ apud Augustinũ & alios Patres dupliciter.

gratiam tantum, & per inconspicuam realem præsentiam, in qua duobus discipulis se præbuit in via in aliena effigie, & à quibus ex eorum oculis euanuit. Breuiter præsentiam Christi per fidem opponit oculari, siue illa sit spiritalis duntaxat, & so-
„ lius gratiæ, siue realis & inconspicua. Habuit Ecclesia (inquit) Christum secun-
„ dum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. Hic, inquam, oculari & carnali præsentiæ, tanquam oppositam eam, quæ per fidem fit, commemorat. De his ampliùs in quinta Repetitione, capite De Antropophagia. Quamobrem peccant Aduersarij in eo, quòd apud Augustinum existimant præsentiam Christi per fidem in Eucharistia, impedire realem & substantialem veri corporis existentiam: cùm fides nihil aliud quàm conspectum rei, & apparentiam siue euidentiam excludat, non substantiam inuisibilem, vt idem Doctor in duorum discipulorum historia, cùm de Eucharistia docet, manifestè tradit. Agnoscit itaque carnem Christi in Eucharistia, quemadmodum & in cœlo subsistere, sed modo inuisibili & intelligibili, qui tantùm perspiciatur fide ac mente. Ex hoc, vt antea dixi, illustrantur varij loci Augustini, quos violant Aduersarij, in quibus Augustinus de præsentia Christi in pluribus locis propter Eucharistiam disserit, veluti libro De catechisandis rudibus, vbi textus sic habet: *Præsentia per fidē in Eucharistia, non tollit realē apud Augustinum, & alios Patres.*

„ De sacramento sanè quod accepit, cùm ei benè commendatum fuerit, signacula
„ quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in ipsis honorati:
„ nec sic habendum, esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmo-
„ dum habetur in vsu quolibet: dicendum etiam quid significet & sermo ille quem
„ audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit. Literam imprimis deprauat Petrus Martyr, vbi habetur, Quid in illo condatur, substitui vult, Credatur, contra omnium exemplarium fidem sed fortassè melius legeretur Condat, pro occultè efficiat. Placet Augustino neophytos initio edoceri de veritate Eucharistiæ, & posteà de significatione. Veritas duas res continet, species panis & vini, hominum aspectui obiectas, & res ipsas inuisibiles, carnem sanguinem Domini, quæ per verba à Ministro porrigente Eucharistiam exprimebantur, quorum talis erat formula, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam & corpus tuum in vitam æternam: ad quæ respondebat communicans, Amen: quemadmodum ex eodem Augustino licet coniicere. Et talis sermo de corpore & sanguine Domini etiam species illas panis & vini sanctificabat, in ipsisque condebat res per sermonem significatas & inuisibiles, carnem & sanguinē Domini, ita vt species à communi vino & pane discernendæ essent, atque in ipsis
„ res illæ inuisibiles & reconditæ honorandæ. Deinde vult rudiores instrui de Eucharistiæ significatione, & quarum rerum signum sit & sacramentum, vt potè corporis mystici, & communionis spiritalis cum Christo, quæ corpus Christi nominatur, & illa ministrandi Eucharistiam formula etiam comprehenditur. Nemo inficiabitur, ab Augustino per res inuisibiles, realem & substantialem corporis & sanguinis Domini existentiam, & præsentiam latentem declarari, quæ subsit speciebus occulta, & in ipsis adoretur, propter quam ipsæ sanctificatæ ab aliis omnibus rebus similibus eximuntur. Hanc instituendi nouitios in fide methodum
„ ipsemet Augustinus obseruat in Sermone ad infantes, qui ita citatur à Beda: Hoc *Beda in cap. 10. pr. ad Corinth.*
„ quod videtis in altari, etiam transacta nocte vidistis. Sed quid esset, quid sibi ve-
„ lit, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo vi-
„ distis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem
„ fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Bre-
„ uiter quidem hoc dictum est, quod fidei fortè sufficiat, sed fides instructionem

desiderat. Dicit enim Propheta, Nisi credideritis, nõ intelligetis. Potestis ergo modò dicere mihi, Præcepisti vt credamus, expone vt intelligamus. Potest enim in animo cuiusquam cogitatio talis oboriri. Dominus noster Iesus Christus nouimus vnde acceperit carnem. De virgine Maria infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuenilem ætatem perductus est. A Iudæis persecutionem passus est: in ligno interfectus est, sepultus est, tertio die resurrexit. Quo die voluit, in cœlum ascendit. Illuc leuauit corpus suum, vnde est venturus, vt iudicet viuos & mortuos. Ibi est modò, sedens ad dexteram Patris. Quo modo est panis corpus eius? Et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ista, fratres, ideò dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus, Vos estis corpus Christi, & membra. Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen tuum. Hîc sanè, quemadmodem & superius, commonefacit Eucharistiam constare duabus rebus: visibili panis & vini specie, & inuisibili carnis & sanguinis Domini præsentia, quæ visibilis in cœlum ascendit, sedétque ad dexteram Patris. Postquàm verò quæ fide tenenda essent de veritate Eucharistiæ, breuiter exposuit, ad eiusdem significationem, quam rudes faciliùs poterant capere & intelligere, transit. Profectò si tantùm istam significationem contineri Eucharistia decreuisset docere, non adeò seuerè fidem exegisset de re ipsa, vt ad eius significationem possent rudiores peruenire, cùm etiam sine fide talis significatio rei facilè potuisset intelligi & comprehendi, sed non veritas rei, à qua dependet significationis efficacia. Præterea Augustinus hoc loco ita se gerit erga Christianos recentiores, vt pluribus locis faciendum suadet. Eorum fidem in his quæ faciliora sunt, exercet, vt in difficilioribus sine disputatione confirmet. De præsentia illa admirabili in cœlo & in Eucharistia silentio prætérita, cùm rudioribus explicari nequeat, postquàm de ipsis fidem requisiuit, immoratur illis declarandis, quæ sine fide, vel cum modica, imbecilles poterunt facilè animo & cogitatione assequi. Aliam insignem locum, quo ista inuisibilis ac spirialis præsentia carnis & sanguinis Domini planè distinguitur, pro se facere passim gloriantur Aduersarij, ac iactant: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, neque sanguinem, quem fusuri estis, bibetis, &c. sed ibi duo præstat Augustinus, quæ controuersiam omnem dirimant. Ante omnia asserit, in Eucharistia adesse, & adorari carnem natam de virgine Maria, & comedi. Suscepit (inquit) de terra terram, quia caro de terra est, & carne Mariæ accepit carnem: & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipse carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam manducauerit, nisi prius adorauerit. Posita præsentiæ substantialis veritate, postea digreditur ad modos manducationis & præsentiæ: & ne eam cum Capernaïtis carnalem per dilaniationem statueremus, subiunxit: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui: spiritaliter intellectum viuificabit vos. Et si necesse sit visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi. Non locutus est manifestè pugnantia Augustinus in eadem pagina. Præmisit nos terrenum de terra virginis sumptum corpus Christi, quod super terram ambulauit, adoraturos in Eucharistia, & manducaturos: cùm statim videatur negare nos illud corpus comesturos. Quamobrem rectè (siue Yuo Car-

De consensu Euãgelist. cap. vlt. Lib de baptis. ca. 15. Psal. 130.

In Psal. 98.

Propter diuersos modos Augustini videntur loqui pugnantia de corpore Christi in Eucharistia, & affirmare ac negare eius præsentiam.

notensis, siue alius quisquis fuit) ad explanationem Augustini addidit, Ipsum, & non ipsum. Certè in prima parte de re agit, in secunda verò ipsemet expressis verbis & syllabis profitetur, se disquirere de modo existendi, & edendi corpus illud verum, quod præsens adoratur in Eucharistia, antequàm edatur. Ideò vt distinguat de modo, & excludat carnalem, sensibilem, atque visibilem, confirmétque inuisibilem, rectissimè scripsit: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis. Nam etsi coram oculis hominum mysterium Eucharistiæ peragatur, quod tamen re vera adest, adoratur, & comeditur, inuisibiliter inesse atque spiritaliter, intelligatur oportet. Alioqui si simpliciter & generaliter accipitur, Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & non secundum aliquem modum: ergo ne quidem spiritaliter corpus illud & caro perciperetur. quod iniquè ferent saltem Caluinistæ, à quibus tam bellè declamatur, spiritaliter per fidem comedi corpus natum de virgine. Postremò Augustinus in Sententiis Prosperi, ad locum de catechisandis rudibus alludit, cùm inquit: Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, camem & sanguinem adoramus. Eadem etiam veræ existentię in Eucharistia distinctione vtitur Athanasius sequenti capite producendus: vtűtur Patres cum de figura corporis differunt & de carne spiritu & vita, & quando potiri nos Christi corpore præsenti in Cœna consentiunt, sed velato, & per sacramétum operto ac inuisibili, quo fruuntur Angeli conspicuo. Denique Augustinus de ipso corpore in Eucharistia scripsisset omninò pugnantia, si non soluuntur & conciliantur ex modorum diuersitate. Sicut enim in illum Psalmum scripsit, Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, neque sanguinem bibituri quem effusuri estis: ita contrà infinitis ferè locis affirmauit, Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc accipite in calice, quod fusum est de Christi latere. Bibite sanguinem quam fudistis. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, desperauerunt. Ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. Fuderunt pretium suum, vt biberent pretium suum. Tanta Dei laudis, & suę accusationis auiditate conuersi, vt qui primò sanguinem Domini fuderunt sæuientes, bibere discerent iam credentes. Donatus est reatus sanguinis Christi. Crede in eum quem occidisti, bibe sanguinem quem fudisti. De textu Augustini, quo vno loco corpus Christi esse oportere iactant Aduersarij ex Gratiano, & veritatem eius vbique. Illis largimur amplius quàm velint. In textu legi corpus vno loco esse posse, vt habent omnia exemplaria, ac maximè vetera Augustini. Scio ex Catholicis Roffensem, & ex Lutheranis Brentium contra Bullingerum, & Vvestphalum contra Caluinum, corpus intellexisse pro statu naturali corporis, & veritatem pro corporis ipsius substantia, nec in eo carere testimoniis Augustini: qui cùm de Eucharistia agit, solet corpus in veritate, seu veritatem corporis, aliquando pro præsenti eius substantia accipere. Verùm remota omni contentione, certum est ab Augustino in hac materia veritatem tripliciter capere in persona Christi: pro eius diuinitate, atque eius existentia, vt hîc: pro carnis veritate, vt quando ait sacramentum constare figura & veritate: & pro participatione spiritalitatis ac diuinitatis, quæ in carne Christi residet: quod idem esse ait, ac participare Christum in veritate. De his in sexta Repetitione. Nũc confitemur naturam corporis in se comparatam cum diuinitate, solùm in vno loco esse posse, & oportere. Sed aliter loquitur Augustinus, cùm tractat ex Dei omnipotentia corpus existens in sacraméto, vt planum fecimus in hoc capite.

De consec. dist. 2. Can. Nos autem.

Aug. Serm. ad Neophyl. Trac. in Ioan. 31. 40. 45. 65. 140. In Psalm. 93. 94. 96. & 134.

De consec. dist. 2. Can. 1.

Roffens. lib. 2. in Oecolamp. cap. 17. 18. 23.

Brētius in Bulling.

Vvestph. in Caluin.

DE VBIQVITATE HVMANITATIS CHRISTI, SIVE omnipræsentia, contrà Brentianos. CAP. 8.

Ex quibus principiis errēt Brentiani & Sacramētarij.

QVEMADMODVM antè monui, peccant Brentiani & Sacramētarij, quòd nimiùm suis ingeniis arrogent, & cupiditate vincendi ad dexteram & ad sinistram nimiùm inclinent. Peccant, quòd ex particularibus imperitiùs sine scripturis, imò cōtra scripturas, vniuersalia, aut alia singularia, non satis necessariò cohærentia, violentiùs extorqueant. Nam Sacramentarij ex concessâ natura humana Christi, & quibusdam proprietatibus eius necessariis ac substantialibus, alias omnes vniuersaliter exigunt etiam accidentarias, & à Christi humanitate imprudenter ablegant conditiones omnes, quibus natura diuina humanam dotauit in Christo: ita vt ne tantillum quidem loci concedant ab ipso occupari posse supra corporis naturalis capacitatem, sed ipsum cum aliis creaturis vni & particulari spatio alligent. Brentiani contrà ex quibusdam admissis prærogatiuis in eodem Christo, supra naturam nostram, alias omnes etiam diuinas proprietates, verisimili, vt illis videtur, consequentia, sed sacris literis minimè expressa, generaliter colligunt, & tantùm non obliuiscuntur Christum fuisse hominem. Vt Sacramentariis ad imminuēdam Christi maiestatem in omnibus quæ displicent, subseruit assimilatum ipsum per omnia fratribus, ita iactant Brentiani: Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia: vt sicut Iouis, ita humanitatis Christi colligant omnia plena. Ecclesia verò Catholica vtriusque naturæ essentiam, atque essentiales proprietates, sartas tectas tuetur, vt Christus tam verè homo persistat, quàm est Deus benedictus in secula. De accidentalibus verò eiusdem humanitatis Christi conditionibus non plus audet decernere, quàm ex scripturis per sanctas Synodos explicatis appareat. Priuato arbitrio & iudicio ex vnione personali nullas temerarias consequentias aut prærogatiuas Christo asserit, sed eas tantùm defendit, quas scriptura proponit, aut necessariò colligit: alias confictas ab hominibus vel refellit, vel de ipsis per scripturas non liquêre ostendit, & Dei reseruat potentiæ & consilio. Experitur quàm sit acuta, audax, ac fallax hominum industria, & quantum in Dei factis cæcutiat. Per suas illationes & consecutiones, nouit hominem mirum in modum delectari, ex Musca Elephantem, & vicissim ex Elephante Muscam reddere: in Christo ex humanitate Deitatē, ex diuinitate humanitatem fabricare. Sic Manichæi ex eo, quòd diuinitatis plenitudo habitaret in Christo corporaliter, accepta ratiocinandi occasione, Christum non verè mortuum prædicabant: quia mors non caderet in corpus vita immortali plenissimum. Alij nullo dolore affectum putabant in passione: quia vt rubigo ferrum ignitum non solet inuoluere, sic nec dolore potuisse dicebant tale corpus inuadi. Experitur præterea, quàm sit periculosa argumentandi formula de possibili ad inesse, aut à simili, nisi de facto antea secundum scripturas constiterit. Ad Sacramentariorum autem & Brentianorum inimicas acies respondet, non ita vniuersaliter ab vtraque parte accipiendam & interpretandam dictionem, Omnia, vt nihil omninò dematur & excipiatur: sed vocem, Omnia, secundum materiam aptam & subiectam exponi debere. Nam vt Christus omnia impleuisse, sic omnia traxisse post exaltationem dicitur. Agebat de donis spiritalibus Apostolus, cùm ait, Christum impleuisse omnia: siquidem istud quasi periphrasim Psalmi inseruit, quem allegat, Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, Dedit dona hominibus: quæ vt adimpleret omnia à se promissa, ipse ascendit: quoniam spiritus nondum erat datus: eò quòd nōdum Iesus, inquam, esset glorificatus. Breuiter vbiquitatem siue omnipræsentiam humanitatis Christi nusquam recepit, aut introduci sustinuit Ecclesia Catholica, quoniam ex assumptione ad dexteram Patris, non à scripturis illata sit, sed, vt nonnullis placet ab Albigeis, Stapulensi Fabro,

Ephes. 4.

Quomodo Ecclesia Catholica inter vtrasque hæreses pugnantes se gerat.

Errant Brentiani et Sacramētarij ex malè intellecta dictione, Omnia.

Ecclesia numquam credidit vbiquitatē corporis Christi.

bro, Luthero & Brentio promulgata, neque necessaria ad Eucharistiæ veritatẽ tuendã appareat. Nihil nostra modò interest, an capiatur vbiquitas humanitatis Christi, vt magnitudine & extensione corporis omnia locorum spatia occupet & repleat, quemadmodum aër per omnia diffusus in omnia loca sese extendit: an intelligatur vbiquitas per assistentiam atque potentiam sine corporali extensione, vel diffusione substantiæ, aut alia crassa ex nostra carne imaginatione, quomodo dicitur Deus vbique existere, omnia implere, attamen nullo loco contineri aut coextendi. Etenim ad Dardanum scribit Augustinus, in eo ipso, quòd dicitur Deus vbique diffusus, carnali resistendum esse cogitationi, & mentem à sensibus corporis auocandam, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur. Omnis enim huiusmodi magnitudo minor est in sui parte quàm in toto. Attestantur scripturæ, neque corporalem, neque spiritalem vbiquitatem Deo propriam, humanitati Christi competere, siue ante ascẽsionem, siue post. Nam vtrique vbiquitati aduersantur isti aut similes textus, Gaudeo quòd non fuerim ibi, vt vos credatis: Surrexit, non est hîc: Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, ita veniet, sicut vidistis eum euntem in cœlum. Imprimis hos textus & articulos de ascensu humanitatis Christi, & reditu ad iudicandum viuos & mortuos, si interpretemur de locatione & situ corporali: igitur & post ascensionem, sicut antea, corpus Christi ponitur alicubi corporaliter, neque ibi modo diuinitatis existit, vbi circumscribitur loco corporeo. Sin exponamus scripturas illas de existentia spiritali humanitatis, sic etiam ipsum distribuere & applicare corpori Christi oportebit, vt illo existendi modo alicubi ipsam adsistere ostendãt, alicubi negent, ac nequaquam simul omnia occupare. Ad quem enim locum spiritaliter, seu modo diuinitatis ascendit, si tunc omnẽ impleuit, aut ad quem eo pacto descendet, quem non etiam nunc repleat, si illo præsentiæ vestigio vbique subsistit? Quòd si ratione effectuum dicitur, sicuti Deus ascendere aut descendere dicitur, non quòd moueatur loco: igitur Christus sua ascensione aliquid operatur visibiliter in cœlo, quò visibiliter ascendit, quod antea non agebat: & istud etiam operabitur vsque ad iudicium, quandiu specialiter ibi esse creditur. Explicetur etiam quid sit in Deo vbiquitas, vt iudicetur an Christi humanitati possit congruere. Sapiens hoc scitè aperit, Attingit (inquit) à fine vsque ad finem, & disponit omnia suauiter. Causam reddit, cur dicatur Deus replere omnia: quia scilicet omnium rerum causa, vniuersa loca suis effectibus impleat, quos fouet & conseruat, extra omnem locum residens, & omnibus locis atque operibus suis incubans. An verò humanitas Christi ipso sit vniuerso capacior, vt etiam extra ipsum immensa impetet, & operetur omnia ac foueat, vt vbiquitatis diuinæ sit particeps, scripturæ & rationi credo repugnare. Attamen si æquatur humanitas dexteræ Dei, & maiestati siue potestati, eò pertingat necesse est, vt vniuersitatis capacitatem longè latéque excedat, & Christus inquantum homo omnia fulciat. Vt autem disputatio magis innotescat, repetendum Brentianos fingere ex vnione personali Christo datam diuinam omnipotentiam & omnipræsentiam, ita vt ab initio incarnationis & conceptionis corpus Christi ex eorum sentẽtia fuerit vbique cum Deo, propter vnionem personalem, & tamen visibiliter inter homines conuersatum fuerit, & mysterium redemptionis obiuerit, ac mortem atque alia pertulerit. Ista sanè ne quidem cohærent inter se. Nam Deus non est aliter præsens vbique, quàm illimitatus & incircumscriptus totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi particula. Proinde si ex communicata omnipotentia diuinitatis, eiusdem omnipræsentiam humanitati Christi Brentiani ab instanti incarnationis & vnionis personalis conferunt, semper

Aug. ep. 57.

Ioan. 16. Matth. 16. Actor. 1.

Vbiquitas repugnat ascensioni corporis Christi.

Sapien. 8.

Vbiquitas non potest dari corpori Christi ex vnione personali.

corpus Christi fuit in toto mundo,& totú in qualibet mundi portiuncula:& nihilominus cùm in vita ageret, mouebatur motu physico &naturali,& ex vno loco in aliũ trãsibat. Hoc quidẽ est, in vno eodémque loco describere corpus Christi circũscriptum,&incircũscriptum definitũ & indefinitum,visibile &inuisibile,patibile & impatibile. Viderint an ista possint vllo modo simul consistere. Physico corporeoque motu ferri, agitaríque illud tantùm dicitur, quod ex vno loco cõmeat in aliũ, vbi priùs non erat re vera. Quomodo ergo corpus Christi vbique re vera præsens erat,& tamen mutabat re vera locum in suo motu naturali & visibili? Adde quòd si ab eo tempore, quo Deus incarnatus est, eius humanitas vbique existeret, apertè cõsequeretur illum, priusquàm ex matre virgine nasceretur, extra maternum vterum corporaliter fuisse:& postquàm in lucem editus fuit, in vtero nihilominus, sicut antè erat remansisse, atque ita ex vtero materno exiuisse numquam. Adhæc ne animo quidem concipi potest corpus Dominicum ante Christum passum in pari gloria & maiestate cum verbo vbique fuisse, & nihilominus pati & mori potuisse. Quomodo enim id, quod dolori, passioni, morti, cæterísque humanis miseriis obnoxiũ est, eadem cum verbo gloria & maiestate præditum esse aut dici queat? Quòd si pergunt prætexere Brentiani, corpus Christi ante resurrectionem, propter dispensationem redemptionis nostræ, suspendisse aut occultasse maiestatem suam: ita vt habitualis in Christo solùm diuina maiestas,& non actualis resideret, quemadmodum Andreas Smidelinus distinguit, igitur vel non fuit corpus Christi vnitum personaliter cum diuinitate ante resurrectionem, vel vnio non fuit actualis, sed rãtùm habitualis: si quidem iuxta Brentianos vnio personalis consistit in maiestatis & gloriæ communicatione. Ex quo fit, vt qualis habetur communicatio, talis sequatur personalis vnio. Vno tandem verbo vbiquitatem refellimus, quòd diuinitati propria sit, à qua nec omnipotẽtiam, nec alias suas proprietates humanitati Christi fuisse communicatas demonstrauimus. Denique dogma istud Christo, scripturis, & symbolis de descensu Christi ad inferos, & ascensu ad cœlos repugnat: scripturarum & Patrum omni authoritate caret ac testimonio: imò Patres ipsi pedibus manibúsque reluctantur. Alij ex omnipræsentia diuinitatem inferunt, quæ soli Deo competat. Alij humanitatem Christi limitatam docẽt,& ex eo quòd huc & illuc commigraret, & in cœlum ascenderit Eutychetem conuincunt, & naturas diuidunt, ac Christum filium hominis secundum diuinitatem solam in cœlo fuisse, cùm in terra viueret, distingunt. Omnes suo ordine in fine huius capitis collocabimus. Brentiani vni personalis vnionis firmamento innituntur, ac putant in eo potissimùm sitam esse, vt vbicunque sit vna natura, ei altera indiuisa comes assistat, ne alicubi comperiatur diuina sine humana, ne desinat & cesset vnio, ac soluatur Christus. Deinde affirmant vnionem personalem requirere vnam vtriusque naturæ indiuisam actionem,& proinde vnam vbique præsentiam. Similitudines petunt à corporis & animæ connexione, per quam fit, vt vbicunque corpus fuerit, anima non desit, & vicissim vbicunque anima fuerit, corpus quoque adsit: & per quam etiam fit, vt anima per corpus & cum corpore omnia agat. Profectò si quis Smidelini theses,& eiusdem piam assertionem doctrinę de personali vnione, qua respondetur ad primam partem libri, quem scripsit Beza contra Brentium, diligentiùs contulerit, nisi fallor, iudicabit discipulum à Brentio magistro, & à semetipso in pluribus discrepare, & placita Brentij de communicatione proprietatum magna ex parte emendare, cùm profiteatur planissimè non in eo consistere personalem vnionem, quòd ad humanitatem diuinitatis proprietates transferuntur, quas illi soli deceat reseruare, sed quòd diuinitas nihil gerat & administret sine humanitatis opera

Brentianorum discordia de vbiquitate.

opera & præsentia, ad similitudinem vnionis, quæ inter animam & corpus intercedit, in qua non communicantur animæ proproprietates ipsi corpori, vt eas intra se, quatenus distinguitur ab anima possideat, & ex illis cognomenta reportet, etiamsi concedatur animæ ad agendum instrumentum. Itaque communicationem proprietatum à Brentio defensam expressis verbis Smidelinus restringit ad cõmunicationem actionum, vt diuina natura in Christo nihil agat sine humana. sic enim „ concludit: Manet hæc communicatio ἐνεργειῶν naturis in substantia dissimilibus & „ inconfusis permanentibus. Video quidem verbis istis subesse fallaciam. Nihilominus si tantùm datur communicatio actionum ad eum sensum, vt vna natura non agat sine altera, non autem trãsfusio proprietatum & potẽtiarum: quid ergo etiam Deitatis plenitudinem, omnipotentiam, infinitatem, vbiquitatem & increationem communicari humanitati non solùm fatetur Brentius, sed contẽdit, vt à Beza productis eius dictis redarguitur? Quid ita à Smidelino & aliis disputatoribus cõmunicatio idiomatum, & euectio ad dexteram Patris vrgetur & obtenditur, cùm instrumenti ad agendum cum causa potissima effectrice concursus infundi sibi, & communicari proprietatem ac virtutem potioris agentis non desideret, sed ea vel intra se, vel vnà secum operante contentus sit? Quocunque tamen modo vertant sua dogmata Brentiani, nihil ad nos attinet, neque exprobramus saniorem mẽtem, sed in ipsis, quemadmodum & in aliis, qui à semitis Patrum declinarunt, accrescere per Dominum nostrum Iesum Christum precamur ex animo. Vt rem tamen assequamur, si personalis vnio tam arctam requirit naturarum colligationem, vt quocunque in loco vna fuerit, ibi alteram sisti oporteat, certè nunquam Christus inuenietur passus, neque animam efflasse: siquidem anima in triduo sepulturæ perstitit vnita diuinitati, quę in sepulchro etiam corpori sociata permanebat. Idcircò necesse erat, naturam tum vnitam diuinitati, etiam adesse, & coadunari corpori: quoniam ex Brentianorum sententia, rerum in eadem hypostasi copulatarum vbicunque vna præstò adest, ibi quoque altera adsistit. Proinde cùm nunquam anima corpus Christi, sicuti nec diuinitas, deseruerit, nunquam Christus vitam obiit: & si obiit, anima separari debuit, atque ita abesse à loco & à re, cui personaliter hærebat diuinitas. Assentitur Smidelinus etiam animam ratione essentiæ, quatenus alligatur corpori, esse in pede, capite, & aliis membris totam sine corpore: sed negat, quandiu præpeditur corpore, sine ipso agere. Saltem ergo essentia diuina, cùm sit simplicissima, & mundo capacior, infinitis in locis potest sine humanitate residere, quamuis non valeret sine ipsa agere. Diuinitas certè, etiamsi nihil creaturas curaret, vbiquitatem non amitteret: nihil enim mundi conditione ipsi accessit, aut decessit potentiæ: nec omnipræsentia eius infinita per incarnationem est imminuta. Ob eam causam oportet vbiquitatem tradi humanitati Christi, etiamsi nihil cum ipsa ageret diuinitas: aut admittere, sicuti verum est, in infinitum longiùs & latiùs extendi humanitate diuinitatem. Mirum æquè videtur, nihil sine humanitate post incarnationem actum fuisse à diuinitate. Etenim cùm maiestatis radios delituisse in Christo dicunt Brentiani, quandiu in hoc mundo fuit, agebat tamen diuinitas cum humanitate miracula & opera redemptionis nostræ. Sed an his alligata, ab aliis sine humanitate in cœlo & in terra administrandis vacabat, & cessabat otiosa? Insuper an quia anima non operatur sine corpore quoad aliquid, sicuti non intelligit sine corporis phantasmate, ideò animæ intelligentia & operatio non peruagatur altius, quò non attingit corpus, an corpus etiam ibi esse dici debeat, quò penetrat animæ actio? Exempli causa, Anima mente & fide negotiatur in cœlo circa Deum, Christum, spiritales creaturas & sydera, an ideò ibi esse defendetur? An diuinitas ita hu-

manitate Christi concluditur, quemadmodum anima corpore? An si aliquam actionem eliciat à persona Christi duabus naturis conflata, ab vtraque cogitur eam semper mēdicare, vt effecta sit imbecillior, quàm ante incarnationem erat? An non suffecerit ea cōmunicari humanitati, quæ ad salutem nostram spectant, cuius causa humanitatem induit? An si omnes propter personalem vnionem communicat, opus fuerit humanitatis præsentia in totius actionis curriculo: an non potius satis fuerit actionem prodisse à persona, diuinitate & humanitate prædita, quantumcunque postea dilatetur? Quamobrem res ita habet, vt post veteres Theologos scribit Beza, vt quæ coniuncta sunt, siue personali vnione, siue alia, semper quidem simul ita sint, vt vnum compositum pro coniunctionis suę modo constituant, quandiu coniunctio illa perstiterit. Sed numquam simul ita sunt, vt vbicunque vna pars, ibi sit etiam altera, nisi res coniunctæ æqualiter pateant quoad essentiam, siue quoad potentiam. Qua de causa rectè & prudenter Augustinus de Christi humanitate locutus cōcludit: Vnū est cōsequens, quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus.

Aug. ep. 57.

Valeat itaque vbiquitas humanitatis in Christo, quam prodigiosam, & vetustati eruditæ ignotam præclarè dixit Melantho. Lutherus in maiori Confessione, in controuersia sacramentaria nolle se cum quoquam contēdere de vbiquitate profitetur, tanquam de re minimè necessaria: cùm non alia quærenda sit ratio corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia, quàm ipsius verba. Ex Lutheranis alij sese tam prodigiosæ opinioni opposuerunt, Martinus Cemnicius, Ioachimus Morlinus, P. Eberus, Nicol. Hemmingius, Victor Strigelius, Nicolaus Selnecherus: alij nutarunt, vt Matthias Illyricus, &c. Non tantùm verò inutilis & superuacanea iudicari debet illa ad confirmationem præsentis carnis Christi in Cœna, vt pudendis erroribus tam augustum sacramentum contaminet, & infamet. Nam si ex vnione hypostatica, Christus rebus omnibus secundum humanitatem adest: ergo priusquàm in vltima illa Cœna Eucharistiam confecisset, corpus & sanguis ipsius in pane & vino præsentia continebantur, vt nunc in sacramento Eucharistiæ habentur, cùm panis & vinum ante verba Cœnæ prolata res quædam essent. Quocirca corpus & sanguis Christi non aliter sunt in panis & vini speciebus, quàm fuissent, etiamsi verba Cœnæ Dominicæ nunquam Christus pronuntiasset. Imo ad probandam præsentiam corporis in Cœna, si Brentio vbiquitatem asciscere opus fuit, non alio modo inerit Eucharistiæ caro Domini, quàm in hordeo, fœno, & rebus aliis vilissimis: neque qui panem illum comederit, aut poculum illud biberit, magis percipiet corpus Domini & sanguinem, quàm si asinus fœnum aut tribulos arroderet: nec maior Eucharistiæ debebitur reuerentia, quàm rebus obscœnissimis, quas pudor est effari. Semper enim ex ista opinione, & opinionis introducendæ causa, caro Domini implet omnia: neque iam per verbum illius ipsa specialiter sistitur in Eucharistia, aut in sacramento comeditur sed per vbiquitatem, si ista causam dat, vt corpus Christi in Eucharistia subsistat. Etenim licebit de singulis rebus tam verè quàm de sacramento proferre, *Hoc est corpus meum*, si non alia singularis causa præsentiam carnis efficit, quàm ipsa vbiquitas, & corporis Christi omnipræsentia. Respondēt Brentiani de Eucharistia illud pronuntiari, nō de aliis rebus, quoniā corpus & humanitas Christi in illa adsint in vsum & esum, in aliis verò minimè. Atqui non de fructu, nec de vsu, nec de fine præsentiæ, sed de ipsa præsentia quæritur. Hæc quidem verba, *Accipite, comedite, bibite*, vsus præsentię, sed ipsam præsentiam absolutam enuntiant ista, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: quæ si veritatem tantū inueniunt ex vbiquitate, de omnibus aliis rebus affirmari potuerunt, quibus ex eadē sua vbiquitate inerit corpus & humanitas Domini. Certè si staret doctrina

Lutheranorum discordia circa vbiquitatem.

Vbiquitas fœdat præsentiam corporis in sacramento.

doctrina de vbiquitate, & causa, inquam, propter quam à Brentianis inducitur, erit quidem in alium finem, corpus Christi in pane, siue cum pane (vt Lutheranorum verbis vtar) sed non aliter, neque magis verè, quàm apud inferos ipsos nunc est. Ista si Brentiani execrantur, nos quoque abominamur: sed culpa sit penes eos, ex quorum dogmate ista necessariò consequuntur. Postremò si quia cœlum & terram implet diuina Christi maiestas & essentia, id ad carnem extenditur: ergo extra Cœnæ vsum caro Christi in fidelibus habitat, quia potiuntur Deitatis præsentia: Ideò non alia manducatio realis carnis Domini quoad substantiam & fructum in Cœna, quàm quæ fide absque symbolo percipitur. Albertus Sperlingius Defensionem disputationis Ingolstadij à doctissimis Iesuitis habitæ, ex qua plurima, ac ferè omnia ista excerpsi, contra Andræam Smidelinum edidit, & ostendit illum studio vbiquitatis suæ fœdissimè à Lutheri doctrina de Cœna Domini ad Cinglianismum deficere. Theses ab ipso propositas recitat. Prima est, Non ratione absoluta præsentiæ corpus in Cœna adesse, sed tantùm respectu nostri dici præsens, vt nobis ab ipso conferatur aliqua sanctificatio & consolatio, quomodo in baptismo *Thes. 60. 57. 62. 80. 102.*

" & aliis sacramentis etiam ait corpus Christi nobis administrari. Sic enim ad ver-
" bum habet Thesis: Etsi quoad se attinet, omnibus rebus æqualiter adsit Christus,
" non tamen æqualiter cum omnibus agit, & æqualiter se communicat. Et quia ad
" sanctificationem & consolationem adest in sacramentis sacrosanctis, ideò alio
" modo eum in sacramentis respectu nostri adesse dicimus. Addit corpus Christi in cœlo, siue physico loco, omnia in se modo cœlesti præsentia habere. Quicquid denique nobis distribuitur, actionem vocat, quæ in cœlo peragatur. Quæ sane omnia puriputa sunt Cinglij & Caluini dogmata. Sic Lutherani tandem ferè omnes profecerunt in peius, dum cupidiùs suorum errorum idola contra Ecclesiam Catholicam extruunt. Brentium quidem cum Smidelino apud Tabernas Alsatias in comitatu illustrissimi ducis Vuirtembergensis vidi, ipsúmque sum allocutus aliquantum temporis, cùm illuc in comitatu illustrissimorum Principum Guysianorum venissem, Brentius in colloquio vultu ac gestu magnam præ se ferebat modestiam, atque concordiæ cupiditatem inter Christianos. Smidelino nondum videbatur deferbuisse ætas, & quodammodò vereri videbatur, ne quid seni magistro excideret, quod ad pacem Ecclesiæ Catholicæ spectaret. Hactenus de facto ac de naturis in Christo secundum earum proprietatem ac potentiam. Antecedenti capite non reticuimus, quid cum nostris sentiremus ex diuina omnipotentia in humanitatem Christi conferri. Deinde hic de naturis habitus fuit sermo, non de subiecto & supposito, duabus naturis affecto, qui est Christus, Deus & homo, quíque per communicationem idiomatum homo est vbique, sed non quatenus vel secundum suam humanitatem. Iam Patres vbiquitatis censores adhibeamus. *Ex vbiquitate ad Caluinismũ deficiunt Brentiani.* *Rectè dicitur Christus homo esse vbique.*

" TERTVLLIANVS. Si homo tantummodò Christus, quomodo adest vbique
" inuocatus, cùm hæc hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco possit?

" AMBROSIVS. Cùm igitur omnis creatura certis naturæ suæ sit circum-
" scripta limitibus (si quidem & illa inuisibilia opera, quæ non queunt locis &
" finibus comprehendi, substantiæ suæ tamen proprietate clauduntur) quomo-
" do quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat circum-
" scriptum determinatúmque virtutis locum, cùm & in omnibus & vbique semper
" sit, quod vtique diuinitatis & dominationis est proprium? Domini est terra, &
" plenitudo eius. *Lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7.*

" BASILIVS. Angelus qui astitit Cornelio, non erat etiam in eodem loco *De Spiritu sancto, cap. 22.*

apud Philippum: nec qui ab altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore etiam in cœlo propriam sedem ac stationem implebat. At verò Spiritus sanctus simul & in Abacuc, & in Daniele in Babylonia operari creditus est: & in cataracta cum Hieremia esse dictus est, & cum Ezechiele in Chobar. Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum. Qui verò vbique est, & Deo adest, eum qualis natura putare conuenit. Eiúsne qui omnia complectitur, an eius qui particularibus locis includitur, qualem esse Angelorum naturam scriptura ipsa ostendit.

De Spiritu sancto. DIDYMVS. Ipse Spiritus sanctus si vnus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus cùm in pluribus locis sit, non habet substantiam circumscriptam. Si Apostoli in extremis finibus terræ ob testimonium Domini constituti distabant inter se longissimis spatiis, aderat autem eis inhabitator Spiritus sanctus, circumscriptam habens substantiam demonstratur Angelica virtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippè qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore aliis in partibus cæteris constituis. Spiritus autem sanctus non solùm seiunctis à se hominibus præstò est, sed & cæteris quibusque Angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator adsistit, & vt homines sanctificans, alterius quàm sunt homines, est naturæ.

Dial. 3. Polym. THEODORETVS. Igitur corpus Dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum, & impatibile, & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à cœlestibus adoratur potestatibus: corpus tamé est, & habet quam habuit prius circumscriptionem.

Cyrill. lib. 6. in Ioan. cap. 14. CYRILLVS ALEXANDRINVS. Hìc animaduertendum est, quòd etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest.

Lib. 2. ad Thrasimundum Regem. FVLGENTIVS. Hæc est Trinitas, vnus Deus, qui sicut potuit sola vniuersa cōdere, sic potest omnia solus implere. Lege ibi plura.

Lib. 2. de fide. cap. 4. AMBROSIVS de Christi humanitate sic loquitur: Neque Deus de loco ad locū transit, qui vbique semper est: vt homo est qui vadit, ipse est qui venit.

Tom. 1. 2. in Eunomium. GREGORIVS NISSENVS. Qui dicit, Vado, localem discessum significat. Quòd autem per omnia graditur, & in omnibus existit, & omnia continet, non habet quò discedat, eò quòd à diuina plenitudine nihil est vacans.

In disputat. cum Pyrrho. S. MAXIMVS. In sanctis Euangeliis de Domino scriptum est, Postridiè voluit Iesus ire in Galilæam. Ire nimirùm voluit, quatenus ibi non erat. Non erat autem humanitate: diuinitate autem vbique est.

AVGVSTINVS. Secundum carnis formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus, hominis vt corporis veritatem destruamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam in Deo sumus, & tamen vbique non sumus. Christum autem vbique totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in aliquo loco esse propter verum corporis modum.

Damasc. lib. 3. cap. 7. de fide Orthodoxa. DAMASCENVS. Minoratur corporaliter, & contrahitur, diuinéque incircumscriptum est, non coëxtensa carne eius cum circumscripta diuinitate.

DE CHRISTI ASCENSIONE: EX QVA ADVERSARY negant eiusdem præsentiam in Eucharistia, cùm potius confirmetur.

CAP.

CAP. 9.

DEMIROR, iterùm dico demiror, sic orbis Christiani effascinari oculos, vt nec eis iam luceant Christi verba, nec palpabiles hæreticorum tenebræ conspiciantur. Non contenti Brentiani & Caluiniani scripturas, tanquam ceram, tropis & figuris à sua proprietate in varias formas ducere & effingere, paucos Articulos fidei, verbis simplicissimis & planissimis ab Apostolis traditos, audent violare, corúmque singula verba à suo naturali sensu deprauare. Duo sunt Articuli, qui sibi correspondenr, Descendit ad inferos, & Ascendit ad cœlos.

Brentiani & Caluiniani duos de Symbolo Apostolico articulos manifestè per figurarum audaciam corrũpunt.

Primum Caluiniani ad spiritalem nescioquem descensum rransferunt: alterum Brentiani ad spiritalem ascensum inflectunt. Scripturas si contrà adduxeris, ab vtrisque audies à verborum proprietate ad figuras & sensus mysticos traduci. Ideò Satanas hic Satanam alterum nunquam eiiciet. Qua enim fronte Brentiani accusabunt Sacramentariorum tropos, qui tropis Apostolorum oculos, Angelorum testimonium, & scripturas de Christi ascensione eludunt? In quo iudicant alios, seipsos condemnant. Aut vicissim qua fronte Sacramentarij, atque imprimis Caluiniani Brentianos impietatis insimulanr, qui Ascendit ad cœlos, spiritaliter accipiunt, cùm ipsi *Hoc est corpus meum*, & Descendit ad inferos, spiritaliter maiori interpretentur audacia atque impudentia? Eodem genere dicendi coniunguntur, atque de eodem affirmanrur, Descendit ad inferos, & Ascendit ad cœlos. Qui vnum à sua proprietate depulerit, alterum in sua naturali significatione tueri quomodo poterir? Certè in eo magis sunt excusandi Brentiani, quòd cum ascensione, sessio ad dexteram Patris videatur annecti, quæ spiritalem situm, non corporeum sapit. Non dubium est, quin Caluiniani figurarum appetentissimi, ex dextera Patris explicassent Ascendir ad cœlos spiritaliter, (vt eriam aliquando Caluinus eo recidit, sicut postea citabitur) multò ardentiùs ac probabilius, quàm Descendit ad inferos, nisi Christi ascensionem, arcem sibi excelsam valdè ac munitissimam ad impetendam Eucharistiam existimassent. Idcircò ægrè etiam Patris dexteram patiuntur spiritaliter capi, sed Christum affigunt nescio cui sedi, quam ponunt in cœli summo vertice, de qua ipsi nec liceat assurgere, nec extra eam cuiquam apparere: atque indè ratiocinationem istam popularem admodum conficiunt, Corpus Christi ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram Patris, tam dissitam à terra, quam cœli cacumen ab illa: ergo non est in Cœna, quæ celebratur in rerra. Nam scriptura quando vult significare maximam distantiam, atque impossibilem rerum coniunctiouem, ita loquitur, Sicut exaltantur cœli à terra: Secundum altitudinem cœli à terra.

Caluiniani ascensionem explicassent spiritaliter, nisi per eam sperassent se Eucharistia incommodare posse.

Vt autem ostendat omne consortium corpori Christi cum hominibus intercludi, citant Petri dictum de Christo, Quem oportet quidem cœlum recipere vsque in tempora restitutionis omnium: sed peruertunt verborum proprietatem, quæ ita concipitur, Oportet Christum τὸν οὐρανὸν δέξασθαι, id est cœlum recipere. Interpretantur quasi cœli carcere concludi, ne vsquam alibi esse possit. Petrus exponit locum destinatum corpori Christi, vt naturaliter inhabitet, cœlum esse vsque ad tempora restitutionis omnium. Caluinus quidem insectatur Vvestphalum, quòd nihil respondeat ad illum locum: & in Actis Apostolicis ait locutionem esse ambiguam, qua tam possumus intelligere Christum cœlo capi, quàm cœlum capere, nec dictioni insistendum. Non ergo debuit vrgere contra Vvestphalum verbum dubiæ significationis. Beza verò importuniùs passim locum illũ obtrudit, & falsò pto contineri in Annotationibus suis interpretandũ cõtendit.

De loco Actorum Oportet cœlũ recipere. Act. 3.

Verùm si coërceri volunt aliquo cœlo Christum, mentiuntur igitur ipsi, quando suadent ascendisse ipsum, & habitare supra & extra omnes cœlos. Qui enim capitur aliquo loco, aut cœli domo, nequaquam est extra ac supra omnes cœlos. Quin potius ex scopo & intentione Petri intelligentiam textus petere conuenit. Nam id agit Petrus, sicut in omnibus suis præcedentibus & sequentibus concionibus, vt gloriam Christi apud Iudæos amplificet. At quæ tandem esset eximia gloria eius, si aliquo cœli spatio concludi & contineri amplificaret. Quin potius ait oportere occupari cœlum ab ipso vsque ad tempora restitutionis omnium, & manifestè alludit ad illum Psalmi versum, Dixit Dominus " Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Sedere enim ad dextram Patris, id verè est cœlos accipere, & re-" stitutio omnium propriè complectitur subiectionem hostium sub pedibus Christi. Quoad verbum δέξασθαι, eo vtuntur Aristoteles, Aristophanes, atque alij, quod Cicero vertit per liberaliter tractare, accipere, apprehendere, amore complecti: Vix legitur vspiam pro contineri, commensurari & concludi. Primi ita transtulerunt Caluinus & Beza, nec possunt inficiari non necessariò id sonare, licet ineptè ipsi insistant maximè. His autem argumentis respondemus, quòd antea decebat Sacramentarios meminisse, nihil omnibus hæreticis fuisse vsitatius, quàm vnius Articuli, aut scripturæ violenta interpretatione & prætextu, alterius sententiam infringere, & oppositiones falsi nominis scientiæ contra fidem intendere. Sabellius obiiciebat vnitatem essentiæ diuinæ Orthodoxis confitentibus tres esse distinctas personas, & vrgebat fidei Articulum, Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est. Imò verò eodem argumenti genere vtebatur, quo nunc gloriantur Sacramentarij, ac iactabat, Si emittitur filius, ac descendit, non remanet cum eo, nec ei cohæret qui sursum habitat: & contra Filium Dei ab affirmatione terreni loci in cœlestis negationem abibat. E diuerso Sacramentarij nunc faciunt. Alias hæreses percurrat qui volet, & obseruet id eis summo studio fuisse, vt scripturas scripturis committerent. Catholici ex aduerso sunt conati Articulorum fidei, & scripturarum consensum ostendere, atque ita hæreticorum sophismata diluere: sicut, exempli gratia, demonstrarunt contra Sabellium Articulum de vnitate essentiæ diuinæ, distinctioni trium personarum nullo modo in sacris literis aduersari, quoniam vterque Articulus suum sensum haberet, qui alteri non præiudicaret. Sic contra Arrium docuerunt vtrumque consistere, nempè filium esse æqualem Patri, atque minorem: æqualem quidem substantia diuina atque maiestate, sed minorem quoad naturæ humanæ assumptionem: atque ita blasphemiis hæreticis erat satisfactum. Sic nos respondemus Articulo & scripturæ de ascensione suum manere sensum, & suum articulo ac scripturis de Eucharistia, neutrique ex altero præscribendum. Credimus Christi corpus naturale cœlum incolere, quod non deseret vsque ad iudicium, ibíque existere statu & præsentia naturali, quemadmodum ascendit: qua in forma etiam descensurum profitemur ad iudicandos viuos & mortuos. Fides hæc non læditur ab Eucharistia, cui inesse idem corpus naturale testamur, quod in cœlo residet, à quo non dimouetur, vt se præsens in Eucharistia exhibeat: quamuis in ea modus præsentiæ & existentiæ nec naturalis nec corporeus dicatur, sed singularis ex Dei potentia, verus tamen & realis: qui etiam si corporalis esset & carnalis, non tamen repugnaret ascensioni, quæ secundum scripturas non ita alligat cœlo Christum, vt simul alibi nusquam se sistere valeat, cùm per easdem scripturas post ascensionem aliquando se præbuerit carnaliter & corporaliter

Psal. 110.

Hæreticorum modus argumentandi.
Aug. de fide et operibus.
Athanas. contra Gregales Sabellij.

Quomodo Catholici diluerunt sophismata hæreticorum de scripturis.

poraliter conſpiciendum in terra, vt antea tradidimus. Meminiſſe item debuerunt Sacramentarij vitioſa eſſe illa argumenta, quæ ſunt vtrique parti communia, & quæ retorquere poſſit aduerſarius in authorem. Clamant Aduerſarij, Deus autem noſter in cœlo. Regerimus quod ſubiicitur, Omnia quæcunque voluit fecit: vt ſit quoque in Euchariſtia, quemadmodũ in ſcriptura declarauit Ratiocinantur ex ſcripturis Chriſtum penetraſſe cœlos, & ibi quieſcere, donec veniat: ergo interea non eſt in Euchariſtia. Pari libertate & ratiocinandi formula poſſemus impugnare Articulum & ſcripturas de aſcenſione, & in ſpiritalem ſenſum conuertere, ac dicere, Conſtat ex ſcripturis toties repetitis & inculcatis, Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia, quæ celebrari debet ad annuntiandam mortem Domini, donec veniat: ergo interea non eſt in cœlo, quoniam duobus locis adeſſe nequit. Quibus conuitiis tum inueherentur in nos Sacramentarij, ob id quòd articulum de aſcenſione adeò manifeſtè expreſſum in ſcripturis negaremus, omnium Chriſtianorum fidem & religionem damnaremus! Eadem omnia nunc ſibi reſponſa habeant, cùm ex aſcenſione non eos pudet omnium Chriſtianorum publicum conſenſum improbare, totque ſcripturas de Euchariſtia æquè, ac fortaſſe etiam magis certas & manifeſtas, quàm illę ſint quæ de aſcenſione proferuntur, de quibus acerbiùs contra Brentianos & Lutheranos, quàm de ipſa Euchariſtia dimicant Bullingerus, Petrus Martyr, Beza, atque alij: ita vt de aſcenſionis controuerſia nec pauciores, nec minutiores libri iam exierint in mundum, quàm de Euchariſtia. Ac certè probabiliùs aſcenſio cum dextera Patris coniuncta ſpiritaliter exponitur, quàm dicta Chriſti de Euchariſtia per vlla ſibi adiuncta. An non piè magis & Chriſtianè nos Catholici gerimus, qui non ſcripturas ſcripturis, non Articulum Articulo committimus, & quaſi teſtam teſtæ collidere faciamus, ſed aſcenſioni acquieſcimus & Euchariſtiæ, quoniam vtraque à Chriſto Ieſu, Apoſtolis, & omnibus Chriſtianis habet teſtimonia, & omnis difficultatis ac repugnantiæ ex eiſdem & ex Dei omnipotentia ſolutionem? Certè vt fidem adhibeamus aſcenſioni, nec Chriſtum videmus in cœlo collocatum, nec qua parte cœli ſedeat poſſumus augurari aut ſpectare, ſicuti nec ipſum cernimus in Euchariſtia: ſed ideò credimus aſcendiſſe, quia ſcriptura nobis fidem facit: ita credimus ineſſe Euchariſtiæ, quia ſcripturæ quoque de hoc ferunt teſtimonium. Hîc Aduerſarij mentiuntur, & nugantur. Aſſerunt ſcripturas ponere Chriſtum in cœlo, nuſquam in terra: imò quæ trãſlatum teſtificentur plures eſſe & planiores, & quæ à ſenſibus fidem fecerũt de illa tranſlatione & aſcenſione: Idcirco ipſis potiùs adhærendum, quàm illis qui de Euchariſtia loquuntur, quoniam planioribus illis aduerſantur. Reſpondemus ſcripturis addi, quaſi Chriſtum nuſquam fore in terra vllo modo poſt aſcenſionem aſſeuerant: & iam monuimus non clariores eſſe de aſcenſione, quàm quæ de Euchariſtia, nec fides eſt certior, quæ à ſenſibus petitur, quàm quæ à verbo Dei: & quamuis oculi fuerint proſecuti Apoſtoli aſcendentem Chriſtum ad nubes vſque, nõ tamen vbi reſederit, vel quò peruenerit, viderũt. Caluinus quidem cõtra Vveſtphalum vrget maximè Stephani viſionẽ, qua Chriſtum ſtantem a dextris virtutis Dei conſpexit: ſed cùm textum ipſum examinat, & commẽtatur, cogitur fateri non oculare fuiſſe aſpectum, nec realem extitiſſe ſtationem Chriſti ad Patris dexteram. Si nos ex Euchariſtia excluderemus aſcenſionem, rectè ſcripturas de ipſa contrà proferrẽt. Verùm tãtùm abeſt, vt in id impingamus, quòd verbis & ritu in Miſſa aſcenſioni atteſtemur, tum in doxologia iſta, Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis: tum in Canone, vbi dicitur, Vnde & nos memores, Domine, eiuſdem Chriſti filij tui tam beatæ paſſionis, necnon & ab in-

Retorquetur formula argumentandi ex aſcenſione in Aduerſarios.

Scriptura de Euchariſtia nõ ſunt certiores quàm de aſcenſione inter Aduerſarios.

feris resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis: tùm in ritu, cum attollitur hostia, per quem authoribus Ambrosio & Augustino, atque Ephesina Synodo cum Cyrillo, Domini resurrectio & ascensio annuntiatur. Quo sacri huius tempore (inquit Algerus) frustrà hæc doceremus, si quem adoramus in sacramento, mentiremur esse in cœlo. Nos itaque non cum Eucharistia exclusiuam ascensionis scripturam vel doctrinam tuemur. Illi scripturis de ascensione suo more exclusiuam de Eucharistia assuunt & affingunt, & aliquid magni aduersum nos se eiaculari putant, si à nobis cantari, Sursum corda, in Missa obseruarint, quasi indè tantùm Christum in cœlo, fide quærendum innuamus, & non in Eucharistia adesse, cùm & in cœlo & in Eucharistia simul consistere tot modis profiteamur. Sed de Sursum corda, latiùs in Repetitione De adoranda Eucharistia, & cum de ritibus Missæ agemus. Meminisse insuper debuerunt Aduersarij, nihil per ascensionem incommodari posse Eucharistiæ. Nam qualis eam instituit, antequàm ascenderet Dominus, talem consecrari iussit ipsemet, Apostolum Paulus postquàm ascendit allocutus. Ideò per ascensionem verborum proprietati nihil voluit Christus decedere. Quid igitur inuito Christo ex ascensione sibi fabricant Aduersarij, quasi arietem valentissimum ad funditùs subruendam proprietatem sermonis, quo instituit Dominus Eucharistiam? Disertè ea de re illos mihi videtur Brentius increpare in sua exegesi in Ioannem, quemadmodum citatur à Ioann. Sturmio, libello quem inscripsit, Scripta eruditorum aliquot virorum de Cœna Domini. Ita ad verbum loquitur: Aliò (inquiunt illi) vocat fides, „ quàm vt credamus corpus & sanguinem in Cœna præstò adesse, ac distribui. Si- „ quidem Iesus assumptus est in cœlum, & sic veniet, quemadmodum viderunt di- „ scipuli eum euntem in cœlum. Itáne, ô viri, licebit vobis impunè fidei nostræ sim- „ plicitati imponere? An nos fungos existimatis, qui hos astus non queamus deprehendere? „ Quæso enim, quando aut quo tempore Christus hanc Cœnam cum di- „ scipulis habuit? An post ascensionem? At sic fortè vestra ratio probationis speciem „ haberet. Nunc in propatulo est eam Cœnam celebratam esse ante passionem, re- „ surrectionem, & ascensionem. Quid igitur mihi obuertis Articulum fidei de ascẽ- „ sione? Nos vt certò cognoscamus nostræ Cœnæ rationem, ad primam Christi insti- „ tutionem appellamus. Itaque inquirimus, quid Christus in ea Cœna Apostolis suis „ distribuerit, vt postea colligamus, quid Apostoli & Ministri Euangelij nobis per „ verbum Christi in nostra Cœna distribuant. Iam cùm Christus Cœnæ tempore „ nondum visibiliter ad cœlos ascendisset, numquam poteris hoc ascensionis Arti- „ culo corpus Christi à Cœna tollere. Si enim dixeris, Christus ad cœlos ascen- „ dit: non potest igitur corpus eius pane distribui. Mox ego quæram, Quid igi- „ tur per panem Apostolis suis distribuit, cùm eo tempore nondum ad cœlos „ ascendisset? Respondebis fortasse signum dedisse, non corpus ipsum. Sed quis „ tunc articulus fidei cogit te à simplicitate verborum Christi discedere, quando „ nondum obuertere potest ascensionem? Aut certè affirmabis Christum dis- „ cipulis quidem corpus suum per panem dispensasse, nobis verò non item dis- „ pensari, quando iam ad cœlos ascenderit. Quid audio? Nos igitur aliam Cœ- „ nam habemus, quam Christus instituit? Quomodo ergo iubet hæc in sui memoriam „ facere, quod præ eius ascensione facere non possumus? Nimirùm iniquè „ comparatum esset, si nobis pro tam opiparo conuiuio, pro tam splendida cena, „ cibis spiritualibus, hoc est corpore & sanguine Christi exornatissima, præ qua „ Agni Paschalis esus sordet, relicta esset tam manca & mutila Cœna, veris & spiri- „ tualibus missis priuata? Præterea meminisse debuerunt Caluinistæ, se in eas absur- „

Alger. lib. pen. cap. 14.

Ascensio non obest Eucharistiæ, cùm fuerit instituta ante illam.

ditates, quas nobis obiiciunt, recidere. Cùm enim hîc in terra animo & corpore resideamus, quicquid re vera corpus nostrum siue animus percipit, necesse erit illud ipsum etiam in terra subsistere. Quomodo enim percipient corpus aut animus rem vllam, nisi ipsa vel animo vel corpori, à quo suscipitur, propiùs admoueatur, eíque intimè coniungatur? Si igitur percipi debet à nobis caro Domini re vera, & non sola efficacia siue gratia, oportebit carnem Domini appropinquari animo nostro vel corpori. Non quærimus modò, quo instrumento fiat appropinquatio illa: an virtute diuini spiritus & fidei, an etiam sub pane, siue cum pane. Tantùm insistimus in re, quæ animo nostro vel corpori in terra adhærere debet, vt ab illis sumatur, cùm sumi nequeat res ab animo, nisi ab ipso contingatur, & in ipsum insinuetur. Itaque si caro Christi à nostris animis re vera capitur, qui sunt in terra, re vera eam tùm in terra existere consequitur, vt animis nostris admoueatur, antequàm suscipiatur. Ex quo sequitur, carnem sitam in cœlo, reperiri tamē in terra in ipso temporis articulo, quo ab animis nostris sumitur, & tùm pluribus in locis inueniri, neque per ascensionem impediri: aut non verè carnem Domini intra animos nostros recipi, sed tantùm imaginatione fidei & cōtemplatione, quæ nihil nisi meram gratiam intra animos nostros reportet. Cùm hoc argumento premuntur Caluinistæ, fugiunt ad fidem, & operationem spiritus, ac prædicant carnem illam verè percipi per fidem, & virtute spiritus. Sed non quæritur, inquam, quo instrumento & quonam modo fiat approximatio & manducatio, sed an ipsa caro verè animis nostris admoueatur, vt intra sumatur, vel non. Postea de modo & virtute, per quam caro nobis degentibus in terra illabatur, alia nascitur quæstio. Postremò tantùm abest, vt ascensio contra Eucharistiam nobis scrupulum iniiciat, quòd ex illa sumus edocti à Christo, omnes perplexitates & anxietates, quas contra Eucharistiam ratio naturalis, aut corporum proprietas parit, superare atque expedire: Nam ex omnipotentia per ipsam ostensa in Christo ratio præsentiæ in Eucharistia, & sumendi carnem Christi innotuit. Multi cum Capernaïtis offensi discipuli de facta à Domino promissione corporis sui in cibum obmurmurabant: Durus est hic sermo, & quis „ potest eum audire? Quibus Dominus respondit, Hoc vos scandalisat. Si ergo vide- „ ritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat, caro non „ prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Admirami- „ ni (quasi diceret) & obstrepitis, quia pollicear vobis carnem meam edēdam, cùm à tali esu natura abhorreat: tùm vobis multò maior suborietur admiratio, cùm videritis corpus integrum ascendere, & tamen in esum tradi. Tùm experiemini rem geri non modo carnali & corporali, nec corpus meum metiendum ex proprietatibus naturalibus aliorum corporum, quæ nihil aliud quàm caro sunt & corruptio, vt vna ex ipsis portiuncula ablata & consumpta, ipsa remanere nequeant integra & inconsumpta. At intelligetis ex mea in cœlum receptione, corpus meum aliis viribus præditum, virtute spiritali & supernaturali ditatum, vt supernaturali & spiritali modo, re vera tamen existere possit in Eucharistia & comedi, nihilominus non consumi, quia spiritus & vita in ipso plenissimè habitat, vt perduret integrum & inconsumptum. Ad eum finem Christum meminisse ascensionis suæ testantur Athanasius, Augustinus, & Cyrillus Alexandrinus. Quomodo verò ex ascensione comprobetur potiùs quàm infirmetur tale miraculum, pensitandum est & considerandum, quid comprehendat Christi ascensio. Aliquando in scriptura tribuitur filio Dei, etiam quoad diuinitatem, sicuti & descensio: non quòd à cœlo recesserit vnquam, vnde descendisse asseritur, sed quia nobis sub naturæ humanæ integumento apparuit. Sic hinc ascendisse dici potest, cùm humanitatem in cœlum sustulit: non

Ascensio tam facit cōtra aduersarios quā contra nos, si quid reale de corpore Christi credunt à se percipi.

Ex ascensione potiùs confirmatur fides de Eucharistia, quàm debilitetur.

quod à nobis ſecundum diuinam quæ vbique eſt, tùm receſſerit, ſed quia eius humanitate, in qua cernebatur, in cœlum ſublata, præſentia illius diuinitatis latet apud nos, nec poteſt conſpici. Quo ſenſu Auguſtinus interpretatur, Vado vobis parare locum. Si benè (inquit) ô Chriſte, te intelligo, nec vnde vadis, nec vnde venis recedis. Vadis latendo, venis apparendo: ſed niſi maneas regendo, & nos proficiamus benè viuendo, quomodo ſeparabitur locus? Ita propter varios effectus Deus ipſe dicitur aſcendere, & deſcendere. Communiter autem aſcenſio Chriſti ſumitur, quatenus humanitati eius competit: quam ne putemus cum Brentianis tantùm ſignificare diſparitionem corporalem ad maieſtatis oſtenſionem, ſicut Chriſtus ipſe in Emaus factus eſt inconſpicuus, Euangeliſtæ aſcenſionem ita deſcribunt: Eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cúmque intuerērur in cœlum eunte ipſo, ecce duo viri ſteterunt iuxta ipſos, qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid ſtatis aſpiciētes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Idem Lucas Euangelium ſuum ita finit: Receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. Retinenda ergo verba iſta ſimplici & propria ſignificatione, quòd ſicut Chriſtus viſibili & phyſica circumſcriptione ſui corporis ante aſcenſionem in terra verſatus eſt, hoc modo & hac ratione verſetur extra cœlos, nec ante extremum iudicium ita verſaturus ſit in terra. Scriptura enim dicit, Ita veniet, ſicut vidiſtis eum euntem in cœlum. Rurſus cum Cinglianis & aliis Sacramentariis diſputatur, An aſcenſio Chriſti in cœlum nihil maius aut ſublimius contineat, quàm loci mutationem: ſicut quando auiculæ, relicta ſuperficie terræ, ſumma ſuper arbore ſidunt. Helias per turbinem leuatus eſt in cœlum, & de eius aſcenſione rectè dixit Heliſæus, Non eſt quòd quæratis eum in terra, ſiue in montibus, ſiue in vallibus, quia ſublatus eſt in cœlum. Quòd ſi nulla planè intercedit differentia inter aſcenſionem Chriſti, & aſſumptionem Heliæ, erit omninò eadem ratio, & valebit conſequentia Sacramentariorum. Verùm cùm ſcripturas habeamus in promptu, quæ Chriſti aſcenſionem aliud importare doceant, quàm ſolam corporis tranſlationem, aliud concludendum eſt ex Chriſti aſcenſu, quàm ex Heliæ raptu. Petrus in Actis, Aſcendit ad cœlos, interpretatur per illud Pſalmi, Sede à dextris meis. Inquit enim: Non Dauid aſcendit ad cœlos, ſed ipſemet ait, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Quid verò ſit Sedere ad dexteram Dei, ſtatim explicat, cùm ſubiicit, Dextera Dei exaltatus eſt, Item, Dominum eum & Chriſtum fecit. Paulus diſertè ſibi proponit iſtam queſtionem exponendam. Quid (inquit) eſt quod aſcendit, niſi quod deſcendit prius in inferiores partes terrę? Qui verò deſcendit, idem eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia, & dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c. Item, Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Complectitur itaque articulus aſcenſionis tria: diſceſſionem carnalem, & viſibilem à terra: penetrationem ſupra ſummum cacumen cœli: & ſupremam gloriæ & maieſtatis acquiſitionem & poſſeſſionem, vt qui ex infirmitate crucifixus eſt, viuat ex virtute Dei: atque ex ea ſingularem de nobis Chriſti prouidentiam & poteſtatem ſingulariter conuerſandi nobiſcum ac manēdi, non obſtante corporis viſibili tranſlatione & eleuatione. Propterea aſcenſurus præfatur, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: ſtatímque ſubiicit ex illa poteſtate, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Manifeſtum eſt igitur incomparabilem eſſe differentiam inter aſcenſionem Chriſti, & Heliæ aſſumptionem, non tantùm quia Chriſtus propria virtute aſcendit, ſed quòd per aſcenſionem ipſum Pater extulit in ſummam ſublimitatem, & collocauit ad dexteram virtutis ſuæ. Nunc proponatur Cinglianorum

Ioann. 14. — *Act. 1.* — *4. Reg. 2.* — *Aſcenſio non ſolà ſignificat loci mutationem.* — *Act. 2.* — *Epheſ. 4.* — *Matth. vlt.*

rum argumentum illis verbis, quibus articulus aſcenſionis in ſcriptura deſcribitur. Chriſtus aſcendit in cœlũ itaquod etiam ſecundum humanam naturam exaltatus eſt in ſummam ſublimitatẽ ſupra omnes creaturas ad dexteram virtutis Dei, atque ita vt dicat, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: ergo licet dicat, *Hoc eſt corpus meum*, tamen quia immenſa eſt diſtantia cœli à terra, non poteſt in Cœna adeſſe. Conſiderãdum an hoc rectè conſequatur, an verò iſtud longè rectiùs inferri debeat. Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, & aſcẽſione ſua conſedit à dextris potentiæ Dei, ita vt ipſi collata ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra: ergo quod dixit de Euchariſtia, declaratur ex ſua aſcenſione poſſe præſtare, quia non aſcendit ſicut Helias, per ſolam loci commutationem, ſed per poteſtatis ſiue acquiſitionem, ſiue iam acquiſitæ oſtenſionem. Ita Articulus aſcenſionis nec negat, nec tollit veram & ſubſtantialem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia: ſed quia Chriſtus manifeſto verbo promiſit corpus ſuum ibi affuturum, articulus aſcenſionis confirmat Chriſtum ſuo corpori hoc poſſe donare, licet nos modum non comprehendamus. Quapropter verè ſcripſit Bucerus, Aduerſariorum argumenta omnia, maximè quę à Chriſti in cœlo præſentia ducerentur, eſſe inepta, irreligioſa, inconſequentia, impia & blaſphema: furioſa etiam addunt quidam Lutherani. Rectè verò Melanthon ad Oecolampadium concludit, „Quoniam verborum Chriſti proprietas cum nullo „fidei pugnat Articulo, nulla ſatis magna cauſa eſt, cur eam deſeramus, nec vllam „firmam rationem inuenio, quæ conſcientiæ diſcedenti à verborum proprietate ſa-„tisfaciat. Veteres Theologos non latuit Sacramẽtariorum de aſcenſione obiectio. Remedium adhiberi à Chriſto, Athanaſius & Cyrillus admonẽt. Auguſtinus præcedenti capite narrauit ab ipſis Neophytis illam ſolere opponi, cùm nequirẽt animo aſſequi & intelligentia, corpus idem cœlo aſſidere, & tamen in Euchariſtia tot locis diſtribui: ad cuius nodi & difficultatis diſſolutionem fidem exigit, cùm in Dei factis noſtri ingenij obtundatur acumen. Baſilius, Chryſoſtomus, atque alij prouocant in hac re ad Dei omnipotentiam, & factum hoc inter ſumma miracula numerant. Primus Athanaſius ſententiam dicat ex inſcripto libro, Quicunque dixerit „verbum contra filium hominis. Verba quæ locutus ſum (inquit) vobis, ſpiritus & „vita ſunt. Hic de vtroque, carne & ſpiritu, apparebat: ſed naturam quoque inuiſibi-„lem credentes, diſceremus ea quæ loqueretur, non carnalia eſſe, ſed ſpiritalia. Quot „enim hominibus corpus eius ſuffeciſſet ad cibum, vt vniuerſi mundi alimonia fie-„ret: Sed propterea aſcenſionis ſuæ in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali in-„tellectu abſtraheret, ac deinde carnem ſuam, de qua locutus erat, cibum è ſuper-„nis, cœleſtem & ſpiritalem alimoniam, & ab ipſo donandam intelligerent. Quæ „enim locutus ſum vobis, inquit, ſpiritus & vita ſunt. quod perinde eſt, ac ſi dice-„ret, Corpus meum quod videtur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt ſpirita-„liter vniquique tribuatur, & fiat ſingulis tutamen, præſeruatióque ad reſurrectio-„nem vitæ æternæ. Hìc Athanaſius ſecernit carnem Chriſti ab eiuſdem ſpiritu, quòd illa cerneretur oculis, hic autem minimè. Deinde negat carnem in ſe acceptam ſufficere omnibus, vt eam omnes carnali modo per lanienam, & quandam viſcerationem manducarent. Ideò Chriſtum meminiſſe aſcenſionis ſuę, vt ab illo modo edendi, mentem auocarent homines, & intelligerent carnem Chriſti propriam habere conditionem, ne edatur corporali conſuetudine, ſed nouum modum acquiſiuiſſe per ſpiritum ſibi coniunctum, ex aſcenſione perſpectum & compertum, cuius virtute ipſa ſpiritalis redditur & cœleſtis, vt iam quaſi noua caro cognoſcatur è cœlo dari, quoniam à diuinitate ſibi vnita hanc accipit facultatem, vt eadem caro, quæ viſibilis tradita eſt in mortem, inuiſibilis ex ſpiritu ſibi inſito effecta, diſtribuatur

Præſentia in Euchariſtia ex aſcenſione potius infertur.

Anno.1542. Scripta fid. Federic. 2. Saxoniæ Duci.

Patres occurrunt obiectioni aduerſariorũ de aſcenſione.

n

vnicuique in resurrectionis semen. Planũ est eam esse Athanasij intentionem. Nam initio distinguit carnem & spiritum, ex eo quòd illa per suam naturam oculis cernatur, sicuti ascendit, & mortem subiit, hic verò spiritus sub aspectum non cadat. Deinde ait carnem Christi istam mutuari proprietatem à suo spiritu, siue diuinitate sibi coniuncta, vt contra naturam carnis inconspicua & inconsumpta edatur, & vitam afferat: quas prærogatiuas à spiritu, inquam, sibi copulato impetrat: ita vt iam sentiatur potius spiritalis, cœlestis, ac diuina caro, quam corporalis & naturalis, cùm tamẽ re vera caro sit, sed modum naturalem & carnalem mutauit. Itaque iuxta Athanasium Christus ex sua ascensione fidem potiùs fecit de potentia existendi in cœlo & in sacramento, quàm derogarit: si quidem modum possibilem ex spiritu & diuinitate carnis Christi per ascensionem commõstrauit. Alius locus Athanasij adiungi debet, quem adduximus in Articulo Symboli, de Christi incarnatione filij Dei ex Maria virgine: vbi affirmat à nobis comedi idem corpus, quod natum est de virgine, & sedet ad dexteram Patris.

Lib. 4. in Ioan. cap. 22. CYRILLVS. Ex experientia multi, qui Christum sequebantur, verba ipsius nõ capientes, perturbabantur. Nam cùm audissent, Amen, Amen dico vobis, Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ad immanes ferarum mores vocari se à Christo arbitrabantur, incitaríque vt vellent crudas hominis carnes manducare, & sanguinem bibere, quæ vel auditu horribilia sunt. Nondum enim mysterij huius formam & dispensationem pulcherrimam cognouerant. Illud etiam adhæc cogitabant, quomodo caro huius hominis æternam nobis vitam largietur? aut quomodo ad immortalitatem adducere poterit? Quæ cùm intelligeret is, cuius oculis nuda sunt omnia atque aperta, eos alia re mirabili ad fidem impellit. Frustrà (inquit) ô vos propter verba mea conturbamini. Quòd si credere non vultis vitam à meo corpore dari, quid facietis, quando me volare in cœlum conspicietis? Non enim ascensurum me solummodò in cœlum profiteor, ne rursus quomodo id fieri possit quæratis, sed oculis vestris etiam ita fieri cernetis. Quid igitur hoc videntes dicetis? An non erit hoc magnum dementiæ vestræ argumentum? Si enim putatis carnem meam vitam vobis afferre nõ posse, quomodo tanquam volucres in cœlum ascendet? quomodo per aëra volabit? Hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quòd si præter naturam caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam viuificet? Nam qui terrestre hoc corpus cœleste confecit, is etiam viuificum reddidit, quamuis natura sua corruptibile fuerit.

ALEXANDRINA ET EPHESINA synodi, vt contra Nestorium declararent non carnem puri hominis, siue communem comedi à nobis, sed quæ esset filij Dei, ac qualitates diuinas adepta, & spiritales, commonstratas per ascensionem, *In Epist. Alex. & Ephesin. Synod. ad Nest.* ante omnia præfantur: Annuntiantes sicut secundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, & resurrectionem eius, & in cœlos ascensionem, pariter confitentes incruentam celebramus in Ecclesiis seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod absit, sed vt viuificatricem, & verbi ipsius propriam factam. Cyrillus sanè huic Synodo præfuit, & cur ab ipso ascensionis fiat mentio, par est ex illius superiori textu addiscere.

Ambros. in Psal. 38. AMBROSIVS multis disputat, eundem Christum se offerre in cœlis apud Patrem, & in terris per sacerdotem, sed ibi sine velamine & imagine atque vmbra, sed aperta facie: hîc verò sine vmbra, sed non sine imagine & integumento. In ea sententia

tentia connumerari debent omnes, quos in secunda Repetitione produximus, qui Christum in Eucharistia adesse præsentem asseuerant, vti est in cœlo, sed illic tectum quadam imagine, hîc verò aperta facie.

Ex Avgvstino in quinta Repetitione citabimus Christum totum à nobis manducari ratione sacramenti, quod diuiditur per partes, non tamen in se diuidi & imminui: & interea totum manere in cœlo, & totum per manducationem esse in corde nostro, Alibi tradit à Christo solui ex ascensione quæstionem, Qui fie-
" ri potest vt edatur, nec consumatur: comedatur, & in cœlo ascenderit. Quid ergo " (inquit) si videritis hominem ascendentem vbi erat prius? Certè qui integer ascen- " dere potuit, consumi non potuit. Ergo & de corpore, & de sanguine suo dedit " nobis salubrem refectionem, & tam magnam breuiter soluit de sua integritate " quæstionem. *Aug. Serm. 2. de verb Apostoli.*

" Basilivs. Attende, Domine Iesu Christe Deus noster, de sancto habitaculo " tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandos nos, qui suprà cum Pa- " tre sedes, & hîc inuisibiliter versaris, & dignare potenti manu tua impartiri nobis " impollutum corpus tuum & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. *In Liturgia.*

" Chrysostomvs. O miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum " sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ipse tradit " volentibus ipsum excipere atque complecti. Fit autem nullis præstigiis, sed apertis " ac circumspicientibus circumstantium omnium oculis. *Hom. 3. de sacerdot.*

" Cùm mors accepisset corpus Christi, quod continere nô poterat, rursus euomuit, " & radios ad ipsum supernum thronum emisit. Illuc namque ipsum extulit, quod " nobis etiam exhibuit, & vt teneremus, & vt manducaremus, quod maximum di- " lectionis signum est. *Hom. 24. 1. ad Corinth.*

" Recolite, quia illius corpus est & sanguis, qui supra cœlos residet, qui ab Angelis " suppliciter adoratur: Illius, inquam, qui proximè assidet immortali Dei potentiæ. " Huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit. *Hom 3. ad Ephes.*

" Helias Melotem discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens, nobis suam car- " nem dimisit. Sed Helias quidem exutus: Christus autem & eam nobis reliquit, & " ipsam habens ascendit. *Hom. 2. ad populum Antioch.*

" Te mihimet vniui & copulaui. Manduca me, dixi, bibe me: & te sursum habeo, " & deorsum tibi connector. Non satis est tibi, quod tui primitias sursum habeo? " Hoc non tuum satiat desiderium. Et deorsum rursus descendi, nec simpliciter ti- " bi commisceor, sed connector, manducor, paulatim attenuor, vt magna fiat tem- " peries, commixtio & vnio. Nam quæ vniuntur, in propriis manent terminis: ego " verò tecum contexor. Nolo deinceps quicquam esse interualli. Vnum vtraque " esse volo. *Hom. 55. ad pop. Antioch. & 15. in 1. ad Corinth.*

" Quotquot huius corporis participes efficimur, quotquot sanguinem degusta- " mus, cogitemus quòd illum sursum sedentẽ, qui ab Angelis adoratur, degustemus. *Hom. 61. ad pop. Antioch.*

" Helias vestem ouillam dimisit discipulo, filius verò hominis ascendens, suam ip- " sius carnem nobis reliquit. Certè non ait, vt ementitur Petrus Martyr, virtutem Heliæ in terra relictam esse, sed vestem, qua exutus fuit, non autem virtute: Christum verò eam nobis reliquisse rem, quam exportarit, eámque exprimit esse corpus quod cœlo intulit.

" Leo Pontifex. Aliter in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sa- " cerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex " reconciliet, & verus immaculati Agni sanguis emundet. Qui licet in Patris dexteri " sit consistens, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex virgine, sacramentum pro- *Epist. 40. ca. 1.*

pitiationis exequitur, dicente Apostolo, Christus Iesus, qui mortuus est, imò & qui resurrexit, qui est in dextra Dei, qui interpellat pro nobis.

De Cœna Domini.

BERNARDVS. Sed vnde hoc nobis piissime Domine, vt nos vermiculi reptantes super faciem vniuersæ terræ, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris, qui etiam vnius horæ momento, ab ortu solis vsque ad occasum, ab Aquilone vsque ad Austrum, præstò es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis? Vnde hoc, inquam? Certè non ex debito, nec ex merito nostro, sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito.

DE VERITATE ASCENSIONIS, ET EMPYRAEO *cœlo, in quo Christus manet vsque ad iudicium: & de sessione eius ad dexteram Patris.*

CAP. 10.

Quæstiones inter Brentianos & Sacramentarios circa ascensionem Christi.

RECTE Brentius nodum quæstionis, quæ inter ipsum, Petrum Martyrem & Bullingerum vertitur, in eo constituit, An Christus visibili forma ascenderit in cœlum corporaliter, in cuius speciali loco habitet, de quo descendat ad iudicium, & an sedeat corporaliter ad dexteram Patris. Concedit Brentius, spectantibus Apostolis elatum Christum ad nubes vsque, sed vltrà motu locali & corporeo non progressum sentit: Verùm deposita humana figura, induisse nouam maiestatem, qua corpus eius effectum inuisibile, impleret omnia pari cum diuinitate potentia, maiestate, & omnipræsentia, ita vt Christus quatenus homo, vbique assistat, vt inquantum Deus omnia occupat. Quòd verò scriptura meminit Ascensionis in cœlum, symbolicè interpretatur, vt illa significet beatitudinis & excellentiæ fruitionem, qua ab incarnatione præditus erat Christus, sed non eam in corpore exerebat: quia se propter nostram redemptionem quadam dispensatione exinanierat, ac se suis bonis defraudarat, quæ adiit suo iure in Ascensione, defunctus redemptoris officio: celum verò, fœlicitatis illius statum, non aliquem destinatum & particularem locum designet. Vt suis figuris & figmentis aliquid prætexere valeat, eadem potestate, qua Petrus Martyr atque alij Cingliani de sacramentis condunt & ferunt leges ad eneruandam Eucharistiam: ita Brentius ad suas de ascensione & cœlo figuras introducendas regulam componit, per quam doceat vocabula à rebus corporeis sumpta ad spiritalem significationem transferre, cùm de rebus spiritalibus agitur. Ex qua Ascendere, & Cœlum, atque Dexteram Patris ad suam intelligentiam traducit, nec exemplorum quæ ad placitum rapit, destituitur copia. Cingliani, in quibus poëta Beza nomen profitetur suum, de tribus in genere Brentium accusant, quòd liberiùs scripturas, quoties libet, transformet, excepta vnius Cœnæ institutione, quam ad verbum nulla translata syllaba inuiolatam seruet & vrgeat. Deinde, quod minimè ferendum videatur, ambigi de ascensione Christi in cœlum, quùm maximè perspicuo sermone declaretur eius historia, & paucissimis verbis Articulus constet, ac de eius interpretatione ante hæc tempora nunquam fuerit dubitatum. Tertiò, quòd hæc opinio exinaniat corporis Christi veritatem: cœlum, terram atque inferos permisceat: totam denique Christianam religionem portentosissimis commentis adulteret. Ista quidem sunt grauissima crimina, atque omni animaduersione dignissima: sed carere debet eo vitio, quod exprobrat, qui paratus est in alium dicere. Vtinam Beza post magistrum Caluinum in coniuncto Ascensioni Articulo, de descensu Christi ad inferos, non in eandem omninò reprehensionem incurreret, quam Brentianis impingit: Partium tamen neglecto studio, aut odio,

Opinio Brentianorum.

Beza lib. quo respondet Brētij argumentis. Cingliani de tribus Brentianos accusant.

odioquid sit veri inuestigemus, neque à scripturis, neque à veteri Ecclesia, ne latum quidem vnguem recedamus. De quatuor autem differendum opinor hoc capite, De ascensione corporis Christi in cœlum: De loco ad quem sua ascensione peruenit: De Patris dextera cui assidere prædicatur: Et de visibili Christi forma permanente in cœlo. Porrò tria in scripturis nos impediunt, ne Christi ascensionem pro sola immutatione corporis in inuisibilem qualitatem diuinitatis ac fœlicitatis accipiamus: Historia ipsius Ascensionis, Reditus Christi ad iudicandos viuos & mortuos, & Sanctorum cum Christo post iudicium reditus. Conferamus in vnum quæ beati Euangelistæ Marcus & Lucas, cùm in Euangelio, tum in Actis Apostolicis de ascensione nobis credenda tradiderunt. Sunt autem ea huiusmodi. Et factum est, dum benediceret eis sublatis manibus ab illis recessit: ac videntibus illis in altum sublatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, & ferebatur, & susceptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Cúmque essent defixis in cœlum oculis, eunte illo duo viri astiterunt illis in vestibus albis, qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet sicut vidistis eum euntem in cœlum. Scribitur à suis recessisse, & explicatur quò abierit, nimirum in cœlum. Discessio ergo talis declaratur, quæ non illusione vlla facta sit, aut disparitione potius quapiam, quàm vera abitione, vel quòd inuisibilem se reddiderit. Nam in altum, vt solent vera corpora, oculis suorum cernentibus, sursum ferri cœpit, & à nube suscipi. Ad nubes igitur elatus est Dominus noster vero suo corpore: quod adeò mutatum ac cōuersum in spiritum non est, vt nisi nubes obtexisset ipsum, mansisset adhuc visibile oculis Apostolorum suo intuitu prosequentibus. Nihil ergo hactenus commune habet cum spectris assumptum ac gloriosum Christi corpus, & cœli in quod ascendit, locus esse supra nubes iam conuincitur: quod significantiùs declaratur, cùm adiicitur, Quòd ferebatur, & susceptus sit in cœlum. Quoniam interposita nube deficiebat Apostolis, ac nobis ipsis oculorum testimonium, ne tum Brentiani euanuisse Christi corpus, & in diuinam proprietatem euasisse fingerent, misit Angelos suos Deus, qui testificarentur Christum ascendisse in cœlum vero suo corpore, quo assumptus erat ab Apostolis, & in quo viderunt illum euntem. Ne hoc corpus amplius versari in terra, & vbique putaretur, assumptum asseritur: ne tanquam spectrum haberetur ab illis recessisse, illísque videntibus sublatum & assumptum, ac profectum in cœlum, etiam semel atque iterū repetitur. Admittit Brentius motum ascēsionis corporalē ad nubes vsque, sed vltrà nō progredi sinit. At Euangelistæ, Apostoli, & Angeli ad cœlum vsque, nō ad solas nubes eundē extitisse contestantur. Cur ergo cùm in eadē clausula vna progressio corporis Christi perducitur ad nubes & ad cœlum, Ascēsionis dictionem in eodem sensu accipi oportere negabunt Brentiani, cùm vna planè & eadem referatur fuisse actio, quæ eisdem verbis (vt eodem modo accidit) describitur, cùm assumptū ab Apostolis, & assumptum in cœlum, indifferenti modo ab Angelis renūtiatur? Porrò descēsus ad iudicium ascensioni patrocinatur euidentissime, & ad cœlum Christi & Sāctorum reditus. Vnde enim secundū scripturas visibilis Saluator Christus expectatur? Vnde descēsurus promittitur, vt videat omnes illū, in quē compūxerunt? Vtique de cœlo, ex quo in nubes primùm delabetur, & ex nubibus à nobis cōspicietur. Scriptura nō obscurè loquitur: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodū vidistis eum euntē in cœlū. Quoniā ipse Dominus in iussu & in voce Archāgeli, & in tuba Dei descēdet de cœlo, & mortui resurgēt primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cū illis in nubibus obuiā Christo in aëra,

Quatuor inquirenda circa ascensionem.

Ascensio in cœlum, non significat propriè immutationē corporis in formā inuisibile.

Marc. vlt. Luc. vlt. & Actio. 1.

Christus vero suo corpore visibili, nō ad solas nubes ascēdit, sed in ipsum cœ.

1. Thessal. 4.
2. Thessal. 1.

& ſic cum Domino erimus. Si iuſtum apud Deum retribuere vobis requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cœlo cum Angelis virtutis eius. Tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo,& tunc plangent omnes tribus terræ,& videbunt filium hominis veniẽtem in nubibus cœli,cum virtute multa & maieſtate. Ambigitur vnde viſibilis prodibit Dominus:reſpondet ſcriptura,E cœlo, quod nubibus ſit altius. Viſibilis igitur eò aſcenderat.Quòd ſi Aſcendere in cœlum,pro In maieſtatem euehi,atque vſum fructum beatitudinis adipiſci collocatur: etiam Deſcendere de cœlo, pro iterum exinaniri, & ad tempus ſua poteſtate & beatitudine priuari dicetur. Tanquam enim oppoſita,Angeli ipſi aſcendere in cœlum,& deſcendere ſtatuerunt. Quid ſi per ſcripturas deſcenſus ad iudicium viſibilis & conſpicuus,ac certo loco circumſcriptus non officit Chriſti maieſtati, gloriæ & fœlicitati: cur aſcenſus viſibilis, & habitatio localis in cœlo, ſecum non feret eaſdem illas dotes & eminẽtias in corpore Chriſti naturali videri, ita vt nihil opus ſit ad illorum bonorum complemẽtum,corpus in diuinitatem,vbiquitatem,aut aliud figmentũ mutari,cùm illa poſſidere poſſit in forma corporis conſpicua, ſiue ſit in cœlo,ſiue in terra? Certè vno loco continebitur Chriſtus, cùm deſcẽderit omniũ oculis obiectus ad iudiciũ;& tamẽ inſignibus omnibus maieſtatis,quæ poteſt ſuſtinere, exornabitur. Cùm venerit (ait ſcriptura) filius hominis in maieſtate ſua,& omnes Angeli eius cum eo, ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Videbitis amodò filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Quapropter ad poſſeſſionem maieſtatis, & ſeſſionem à dextris Dei, quantam Chriſto tribuunt ſcripturæ, nihil neceſſe eſt ipſum toto modo diffundere, aut inuiſibilem reddere, ſiue in cœlo,ſiue in terra locetur. Præterea cùm ex hoc mundo corpora Sanctorum euolabunt obuiam Domino,vt cum ipſo vitam degãt ſempiternam, quò tùm trãſportabuntur,& aſcendent? An immutabuntur in eam ſubtilitatem & tenuitatẽ,ſiue etiam in ſpiritum,vt vbique cum Domino maneãt, quoniam Dominus iuxta Brẽtianos implet omnia,qui poſtquã aſcẽderit,promittit omnes ſuos attracturũ ad ſe, vt vbi ſit,illic ſit,& miniſter eius? Ne quidem iſtud auerſatur Brentius,quamuis detrectet planiſſimè cõfiteri,ſed tergiuerſetur,Sanctos fore vbi Pater adfuerit, & viciſſim Pater vbi Sancti. De quo ipſum inſectatur Beza, quaſi nouos Deos quotidiè fabricet,cùm non ex alia ratione Chriſtum Deum agnoſcat, quàm ex vbiquitatis omnipotentia,quàm ſanctis ipſis iam communem reddat. Adhæc ſi aſcenſus & deſcenſus, Chriſti ac Sanctorum qualitatem denotat, & non motum atque locum: igitur corporis & Sanctorum nullus locus erit poſt hanc vitam, nulla dextra, nulla ſiniſtra,nulla ſuperior,nulla inferior pars,nec erit ſolus Deus omnia in omnibus,ſed Chriſtus,& quicunque Sanctus. Facit Brentius, quod omnibus hæreticis eſt vſitatiſſimum:emendicat extra rem voculas è ſcriptura,è quibus deprauet & peruertat clariſſima dogmata. Deus (inquit) ad Sodomitarum cauſam cognoſcendam, & ad promulgandam legem fertur in Sina deſcẽdiſſe. De Chriſto quoque ſcribitur, Nemo aſcendit in cœlum,niſi filius hominis qui deſcendit de cœlo. Vbi vocabula deſcenſus & aſcenſus non ad corporales tranſitiones pertinent, ſed ad actiones ſpiritales accommodãtur. Ideò cauſatur nihil ſe aduerſum ſcripturas committere, ſi talẽ ſenſum in Chriſti aſcenſione exigat. Peccat in eo,quòd verba motũ ſignificantia, quæ nemo dubitat ſpiritaliter explicari oportere,cùm diuinitati attribuũtur, in eodem ſenſu retineat,cùm de humanitate corporea enuntiantur, cui corporaliter & propriè cõueniunt. Peccat in eo, quòd aſcẽdere & deſcẽdere putet per tranſlationẽ de diuinitate affirmari,cũ nõ de ipſa propriè,ſed de figura corporea,in qua apparebat Deus hominibus, dicãtur. Peccat etiam in eo, quòd deſcẽſum exiſtimet tribui à Ioanne

Matth. 24.

Matt. 25. et 26.

Brentius more hæreticorũ in hac quæſtione ſe gerit.

Geneſ. 13. & Exod. 19. Ioã. 3.

Ioanne Euangelista naturæ diuinæ filij Dei, cùm minimè ad naturam referatur, sed ad personam, quæ se demisit, & descendit per incarnationem & assumptam carnem, vt habitaret in nobis, corporaliter ad nos descenderet, & per illam etiam corporaliter in cœlum rediret. Qua de re videat, qui volet, longam Petri martyris & Bezæ disputationem. De quatuor capitibus propositis, secundum quæstionis caput de cœlo, quo receptus est Christus, percontatur, quodnam, & quale sit. Brentiani non regionem aliquam, aut sedem, per ipsum intelligunt, sed aliquando Deum ipsum, aliquando eius omnipotentiam, gloriam, & fœlicitatem, ad quam Christus sua ascensione peruenit. Nos scripturis innixi, locum certum & destinatum esse credimus, vbi Christus, Angeli, atque alij Sancti habitent, summo bono collocupletati. Iam demonstrauimus ex ascensionis contextu, cœlum esse locum nubibus ipsis superiorem, ad quem superatis nubibus Christi corpus properabat. Neque sanè defendi aut excusari potest vllo modo significatio, quam Brentius comminiscitur. Quid enim? An cùm intuerentur Apostoli in cœlum, quò tendebat Christus, intuebantur in ipsam beatitudinem, aut Deum, & non ad locum sursum versus? An ex beatitudine descendet Christus, vt ea relicta mundum iudicet? An cùm ipse superior cœlis factus declaratur, tãquam omni fœ-
„ licitate etiam sua atque diuina beatior commendatur? Quid est (inquit Apostolus)
„ quod ascendit, nisi quia & descendit in inferiores partes terræ? Vbi antitheta connectit ascensum & descensum, cœlũ & terram: quæ vt metaphoricè exponi nequit,
„ ita nec cœlum, quod Christus conscendit. Cùm precamur, Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra: an metaphoricè de cœlo & terra somniamus? Vidit Stephanus cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei: an cœli nomine gloriam Christi commemorari arbitrabimur, & non verè cœlos, in quos solemus oculos conuertere, qui sunt aperti, vt corpore Stephanus in ipsis situm Christum perspiceret? Ex isto Brentij vbiquario & fortunato cœno, quod vbique vult à Deo, Christo, Angelis, atque beatis circumferri, tanquam ex cœlo, putidæ multæ exundant absurditates de inferis, damnatis, atque aliis rebus, quas ita Brentius commiscet, quasi promiscuè omnia sint plena Deo, Christo, Angelis, beatis, cœlo, inferno, damnatis, fœlicitate, miseria, atque omnia breuiter in chaos antiquum redeant ad vnius Brentij nutum & figmentum. Nos sequamur scripturas, in quibus cœli nomen legimus imprimis varium & ambiguum. Nam cœlum non solùm aërem & æthera, sed totam illam machinam, quæ supra nos, complectitur, quod licet appellare cœlum visibile, seu materiatũ, seu aspectabile. Scriptura enim non discernit orbes, more Astrologorũ, sed pulcherrimã illam machinã, quæ supra nos est, vnà cum aëre, in quo impressiones fiũt, cœlũ plerumque nominat. Atque hoc corporeũ cœlum perriturũ, atque immutatum iri patet ex Esaia, Matthæo, Luca, & Petro. Secũdò per metaphoram Ecclesia, cœli nomine vocatur, in quo Christus sol iustitiæ lucet, Ecclesia tanquam luna radiis sapientiæ & iustitiæ per Christum illustratur: in quo fulgentes stellæ piorum splendent. Hinc Ecclesia, regnum cœlorum nuncupatur. Tertiò cœlum spiritale, inuisibile, æternum, atque expers omnis mutationis, est sublimis & arcanus thronus Dei inhabitãtis lucẽ inaccessibilẽ, & beata sedes Angelorum & hominũ, Paradysus spiritalis, & domus æternæ fœlicitatis. Vt autem quò transcenderit Christus, ordine inuestigemus, non collocari debet corpus eius in aëre: quoniam nubes ipsius pedibus subiecta, spectantium oculis eum ascendentẽ eripuit: ex quo perspicuũ est, non in altũ, nec in nubes duntaxat, sed in superiores partes transiisse. In aëre verò, vel sphæris illis cœlestibus, altera videlicet materiali cœli parte, non subsistit. Fuerunt enim olim Manichæi, Seleuciani, & Hermiani

Quid cœlũ significet, quò Christus ascendit.

Ephes. 4.

De veritate cœlorum.

damnati, quia à Christo depositum corpus opinarentur in sole: quoniam inuenirent, In sole posuit tabernaculum suum. Sed authore Apostolo supra omnes cœlos ascendit. Nam postulat natura, & ipsa ratio, omnia corpora suis gradibus ex dignitate disponi, & ob eam causam meritò corpus Christi prætergredi debuit omnia corpora cœlestia, cùm longè ipsa antecellat, & mutationi atque corruptioni seruiant, & sint subiecta, à quibus corpus Christi liberum extra ipsa collocari decuit. De regionibus sanè illis, atque orbibus Dauid cecinit, Opus manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & anni tui non deficient. Quòd si peribunt, mutabiles certè sunt, & corruptibiles. Ne quis tamen intelligeret de annihilatione, addit quomodo perituri sint, & ait, Ceu vestimentum mutabis eos, & mutabuntur. Vnde alij scripturarum loci, innouationis repurgationísque cœlorum meminerunt. Quapropter scriptura ipsa apparet consultò Christum singularibus ascensionis titulis, quasi quibusdam scalis, ad arcem cœli deducere, donec ipsum constituat ad dexteram Patris, ne qua resideat suspicio, an inter creaturas corporales alicubi delitescat. Initiò primos ascensionis gradus à terra ad nubes enumerat: inde Christum profectum in cœlum addit, atque ingressum, non in manufacta tabernacula, sed in ipsum cœlum. Progressum adiungit, cùm penetrasse cœlos ait: & ne cacumini insidere, aut hærere putetur, ascendisse supra omnes cœlos, imò superiorem cœlis effectum, vsque ad Patris dexteram peruenisse enarrat. Non potuit sane scriptura accuratius ascensionem Christi oculis subiicere, & locum vbi quærendus sit, naturali præsentia delineare. Itaque extra mundum corporeum, & cœlorum ambitum & situm, corpus Christi habitat vsque ad tempora restitutionis omnium. Hîc verò quæritur, quodnam cœlum, & quisnam locus extra mundum cogitari possit, quo capiantur Christi & Sanctorum corpora. Hîc Brentiani & Cingliani congrediuntur asperiùs. Modò Brentius fatetur ingenuè cœlum illud id esse, quod nescire possumus, ac se solùm posse dicere quid non sit: Modò agnoscit in scriptura multam esse cœlorum mentionem, & varia eorum genera: sed negat se reperisse fictitium illud siue Mahumeticum, vt vocat, siue Talmudicum Empyreum, quod ideò existimat se perspicuè confutasse, quia de ipso nullum verbum Moses in mundi structura faciat. Cingliani contrà & corporeum statuunt, & circumscriptum, & quibusdam quasi loculis siue mansionibus corporeis affabrè distinctum, vt in domo Patris multæ mansiones inueniantur. Spiritale quidem, immutabile, inuisibile dicunt, ita tamen vt corporis limites ac fines retineat, ne corpus Christi sine loco corporeo deprehendatur. Antea tamen recitauimus Caluinum non semel eam opinionem damnasse per scripturas. Nos intra eas & primorum Christianorum fidem de rebus istis abstrusissimis continemur. Est autem de ipso cœlo triplex quæstio: An sit, Quid sit, & Quale sit. Errat Brentius, cùm ex eo quod ignoretur, quale sit, esse omninò non credit: & dum vetat indagari, an sit, cum interea, de spiritalitate eius & vbiquitate sine scripturarum & Patrum authoritate ad placitum definiat. Errant Cingliani, cùm ex eo quod à scripturis esse innuitur, quicquid ipsorum causæ seruit, de illius qualitate & proprietate sine scripturis & Patribus decernunt. Etsi Moses neque Angelos, neque alia supra cœlos aspectabilia, siue condita, siue existentia attigerit, ista tamen sine summa impietate nemo negauerit. Esse aliquid extra cœlos aspectabiles, quod etiam cœlum nuncupetur a literis sacris, Ascensio Christi conuincit, quæ astruit ipsum ascendisse super omnes cœlos aspectabiles, ad quos attollebatur è terra. Ideò si trāsiliit omnes istos cœlos, necesse est vt aliquid extra ipsos existat. Esse itaque, & vbi sit,

Christus ascendit supra omnes cœlos & omnia corpora.

Psal. 101.

Ephes. 4. & ad Hebr.

De cœlo Empyreo.

sit, indè cognoscitur. Eò raptus fuit Paulus, vt audiret arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ea sedes ac regio Angelorum est, qui non voluntantur cum ipsis orbibus: nec corpus etiam Christi in ipsis orbibus manere credibile est, vt cum ipsis rapiatur & versetur. Certè Dauid Angelos altiori loco & illustriori, quàm sint cœli, disponit. Istud cœlum cœli Deo destinatur, qui mortalibus hominibus terram commiserit: ibi sedem ac thronum fixit: ibi se videndum proponit, & radios sui splendoris exerit: ibi merces nostra copiosa reponitur. Quoniam vero cœlum istud ab istius Vniuersitatis rerum machina, tum excellentia inenarrabili, tum situ inexplicabili seiungitur, quoniam neque oculus vidit, neque auris audiuit, quæ suis ibi præparauit Deus: quoniam audiuntur illic arcana verba, quæ non licet homini loqui, scriptura cùm de ipso concionatur, ex rebus corporalibus voces & descriptiones mutuatur, quemadmodum in Ioannis Apocalypsi legitur: cuius enarratio cum antiquis Philosophis, qui multa audierunt à primis illis Patriarchis de diuinis rebus mysteria, plurimùm conuenit, sicuti copiosè Augustinus Eugubinus de perenni Philosophia recitat. Ei locos, mansiones, deambulachra, domos, etiam terram viuentium, atque alia ex hoc mundo deputat. Esse quidem, atque vbi sit, nemo Christianus vnquam dubitauit: sed quale sit illud cœlum, omnes suam profitentur ignorantiam. Quid verò sit, secundum scripturas, & creaturarum ordinem atque contemplationem, probabilius respondetur, non statuendum esse aliquod corpus, aut aliquem locum corporeum, aut aliquid denique creatum, sed lucem increatam, à diuinitate emicantem, beatitudinis nostræ & gloriæ fontem: breuiter id esse, quod erat vbique, antequàm mundus corporeus esset conditus. Nihil enim ibi cogitari debet mundanum, aut creatum, cùm creatio à mundi cœperit origine: sed quemadmodum mundus sua existentia effecit sibi locum proprium, cùm non ante esset corpus aut locus, quo ambiretur: ita nec vltra mundum fuerit necesse fingere esse aliquod corpus, aut loci planitiem aliquam creatam, in quam recipiantur Angeli & beata corpora. Sed vt de mundo diximus, ita existimari debet Angelos, quamprimùm extiterunt, ex Dei nutu ipsa sua existentia definisse sibi locum, & corpora, quamprimùm supra mundum peruenerunt, sua præsentia etiam circumscribere sibi locum intra Dei lucem & gloriam, ad cuius fruitionem admittuntur: & propter huiusmodi creaturas, quæ eò prouehuntur, ac Dei peculiarem manifestationem, cœlum & locus cognominatur, quamuis per se & absolutè res illa considerata, neque corpus, neque locus creatus existat, sed lux diuina purissima & simplicissima, extra mundum illucescens. Quoniam itaque Deus à scripturis & antiquissimis Philosophis, qui à primis Patriarchis & Prophetis didicerunt, fertur habitare lucem inaccessibilem, siue in igne ac splendore degere, quod à vetustissimis Græcis ἐν πυρὶ ναίειν pronuntiatur: ideò ad Dei habitaculum, quo pij veherentur, exprimendum, nomen effinxerunt Empyreum, id est, igneum atque lucidum: quæ appellatio à Beda introducta putatur, & Strabone, cùm tamen ea Augustinus vtatur, & citat ex Porphyrio hac clausula: Discernit à dæmonibus Angelos, aëra esse loca dæmonum, ætherea vel empyrea differens esse Angelorum. Eiusdem significationis vocarunt antiqui Græci Olympum, quasi ὁλολαμπῆ, totum lucidū, & insigni fulgore collustratum. Nouerant quidem, sicuti etiam declarant, Deum vbique præsentissimum: sed supra mundum suam præsentiam singulariter demonstrare sentiunt. Aristoteles aliter quàm Christiani, cœlo tres significatus assignat: quorum vnum dicatur, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαί φαμεν, id est vno modo cœlum vocatur, in quo totam dicimus incolere diuinitatem. Alterum cœlum cō-

2. Cor. 12.

Apocalyp. 22.

Vnde cœlum Empyreū fuerit nominatū.

Aug. lib. 10. de ciuitat. cap. 9.

memorat, quicquid extremi & infimi mundi regionibus ſubiacet, in quo relucent ſol, luna, atque alia aſtra. Tertium cœlum appellat vniuerſum ipſum, quod vltimis mũdi finibus & limitibus cingitur & clauditur. Extra cœlũ (inquit) oſtenſum puto neque eſſe, neque eſſe poſſe corpus. Liquet igitur quòd neque locus, neque vacuũ, neque tẽpus eſt extra. Ideò neque in loco ſunt quæ ibi exiſtunt, neque tempus ea facit ſeneſcere: neque eſt vlla imitatio eorum, quæ ſupra extremam vertiginem conſiſtunt, ſed inuiolabilia perdurant, & optimam agunt ac fortunatiſſimam vitam in ſempiternum. Deus in ſupremo cœlo habitat, qui & Olympus dicitur, quaſi ὁλολαμπὴς, totus fulgidus, & omnibus tenebris & incompoſito motu ſepoſitus, cuiuſmodi æſtimantur apud nos tempeſtates, venti, & turbines. quod proditur (inquit) etiam ab Homero. Non iſta aſſerimus, quaſi fidem ac religionem de cœlo, & fœlicitate, ab Ariſtotele aut à Poëtis petamus. Sed cùm ipſe Ariſtoteles, Plato, atque alij omnes Philoſophi, non ex ſuo ſenſu profiteantur expreſſè ſe talia docere, ſed ab antiquiſſimis viris, vt loquuntur, accepta tradere, & cùm eadem valde cum ſcripturis & cum Chriſti aſcenſione congruant: cur nouas commentabimur de vbiquario cœlo fictiones & nugas, ne videamur vllatenus cum Philoſophis conuenire? Lapſus eſt Ariſtoteles, cùm corpora in cœlo non poſſe ſubſiſtere cenſuit, quia diuinas illas ſedes ad rationis calculum contra maiores ſuos reuocare voluit. Non ſum neſcius à Talmudicis & Rabbinis Hebræis, à Chriſtianis quoque nonnullis Græcis & Latinis, de cœlo Empyteo ſermonem haberi, tanquam de vero cœlo creato, & loco ampliſſimo. Nolim ego reſiſtere obſtinatiùs multorum ſcriptorum & Theologorum opinionibus, præſertim cùm nihil veritati commodet vel incommodet, ſi cœlum illud cenſeatur creatum, vel etiam corpus habeatur, vel non. Suo quiſque vtatur arbitrio, non impedio. Sequatur quiſque in vtramque partem quos volet authores, cùm non deſint. Scio Hebræos inter tria cœlorum genera à Deo fabricata, Angelicum primum ponere: alterum, luminarium & orbium: tertium verò aëreum. Scio placere nonnullis Chriſtianis ad primum illud Angelicum cœlum ſiue paradyſum, Apoſtolum raptum, quod aſcendendo rectè tertium vocarit. Scio veteres nonnullos Theologos de iſto cœlo ſolitos eloqui, vt de creato loco. Sed ſi cui arriſerit illa, quæ mihi magis probatur, de iſto cœlo ſententia, facilè permittet bonis illis & piis viris cum ſcriptura, ad excitandos homines & præparãdos de iſtis rebus ſpiritalibus ἀνθρωποπαθῶς loqui, & ad captum hominum pueriliter de myſteriis arduis & reconditis garrire, & tantum non ineptire, dummodo quando ad verum ventum eſt, & diſquiritur de religionis ſynceritate, tropi & figuræ ſcripturarum & Doctorum ab ipſiſmet enucleantur, non tãquam ſimpliciter & propriè dicta vrgeantur & exquirantur. Qui defendunt quid creatum eſſe, toti inſiſtunt in eo, quòd oporteat vel Deum eſſe, vel creatum. Sed facilè reſpondetur, quòd ſicut ante creationem nihil prorſus erat præter Deum increatum, & oportuerit creaturas primas ibi, vbi erat ſolus Deus, & non aliud recipi: ita nihil abſurdius eſſe, ſi dicamus non ſolas ipſas primas creaturas, ſed beatorum corpora, ac denique totam mundi machinam, nulla alia interpoſita creatura, ibi vbi erat ſolus Deus, recipi: alioqui ſi creatura nõ poteſt exiſtere niſi in alia creatura, ibitur in infinitum. Quòd ſi neceſſe eſt aliquam creaturam, ibi vbi ſolus Deus erat, contineri & ſuſtineri, cur non & Chriſti corpus, creatura omnium excellentiſſima, & Angelos, & alios ſpiritus, ac corpora beatorum ibi, vbi ſolus Deus eſt, ſine alia interiacente creatura collocari credemus? Ex quo antiquiores, & minus in ſcripturis & diuinis myſteriis corrupti Hebræi, in ea verſantur opinione, vt Rabbi Eliezer in ſuis Pirke, Rabbi Moſe Maiemonis filius, nono capite partis primæ libri qui inſcribitur More Nebu-

Ariſt. lib. 1. de cœlo, cap. 9

rium, Rabbi Dauid Kimhi in Commentariis secretioribus in quadrigam Ezechielis, quamuis hic aliter sentiat in Esaiam, cap. 22. Quinetiam inter veteres Christianos, qui maiori pietate, & in scripturis exercitio excelluerunt, quoties veritatem cœli istius Empyrei examinant accuratiùs, tum mentem à rebus sensibilibus omninò & corporibus auocant, & in res spiritales incorporeas atque increatas defigunt. Nemo de Basilio litem mouerit, qui sic cœlum Empyreum describit: Erat ante mundi constitutionem quidam antiquior status, quidam mundi generatione superior, abstractis illis à concretione materiæ potentiis mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirùm & perpes, hoc est, nulli vnquam subiectus corruptioni, in quo creator & opifex creaturas absoluit. Basilius sanè statum illum increatum significat, vt in quo Deus omnes creaturas operatus sit, non prius posita aliqua creatura. *Hom. 1. Hexameron.*

HIERONYM. Numquid corporaliter omnes cœlos, & vniuersas sublimitates, & cœlorum circulos, quos Philosophi Sphæras vocant, transiens atque transcendens, stetit in summo cœli fornice, & vt ipso verbo vtar, apside? An certè omnia corporalia contemnens atque despiciens, & æterna contemplans super cœlos, id est super inuisibilia, stetisse credendus est? quod ego melius puto. Propterea purioribus illis temporibus Ecclesiæ, cùm pingebatur Paradysus, orbes cœlestes beatorum pedibus subiiciebantur, & sine vllo cœlo extra mundum in luce & fulgore disponebantur. Ita Eusebius narrat Constantinum magnum post mortem depictum super cœlestes orbes in æthereo cœtu requiescentem, cùm cœli effigiem in tabella propriis coloribus expressissent. *Euseb. lib. 4. de vita Constãtini, cap. 69.*

NANZIANZENUS ex priore expositione ad Cledonium: Si quis dicit carnem nunc esse depositam, & Deitatem esse corpore nudatam, & non cum eo quod accepit, & esse, & venturam esse, præsentiam aduentus non viderit. Vbi enim nunc est corpus, nisi cum eo quod id assumpsit? Neque enim, vt nugantur Manichæi, in sole est depositum, vt honoretur, propter ignominiam, vel in aërem effusum est & dissolutum, vt vocis natura, & odoris fluxus, & fulgoris minimè cõsistentis cursus. Hic author constituit corpus Christi cum aliis extra mundum corporum cœlestium.

AVGVSTINVS. Cùm dicit Dominus, Merces vestra copiosa est in cœlo, non puto cœlos dici superiores partes visibilis mũdi. Non enim merces nostra, quæ inconcussa & æterna esse debet, in rebus volubilibus & temporalibus collocanda est, sed in cœlis dictum puto, in spiritualibus firmamentis, vbi habitat sempiterna iustitia. In illa regione beatitudinis sedes est, ac fruitionis diuinæ, animæque Sanctorum totæ perfunduntur lumine gloriæ quod sane non est diuina essentia nec aliquid increatum sed in quo diuina illa essentia proxime reluceat & cuius instrumẽto se ad creaturarum captum communicet, quo etiam corpora sanctorum ibi degentia collustrantur, oculusque corporeus, multo vero magis mens noua ac creata acie & luce perficitur vt quod est diuinum & Deum ipsum in eo relucẽtem intueri possit quia scriptum sit, In lumine tuo videbimus lumen: atque ita etiam visum in transfiguratione Christi ab Apostolis supernaturaliter omnis ferè vetus Ecclesia Christiana consentit. *Quomodo in cœlo empyreo cernatur diuina essentia.*

Franciscus Turnanus in Antapologetico pro residentia pastorum disputat de lumine quod viderunt Apostoli relucere in Christi transfiguratione, an esset creatum quid, an increatum. Vt probet increatum fuisse, quod de Christi diuinitate in humanitatem redundaret, aut in ea pelluceret, & quod extra mundum oculis corporeis videbitur, cùm aduenerit sors Sanctorum in lumine, quo Dominus illumi-

nabit eos? quemadmodū apud Paulum & in Apocalypsi habetur, citat Dionysium Areopagitam, Eustachium Antiochenum, Gregorium Nanzianzenum, Athanasium, Magnum Basilium, Ephrem Syrum, Basilium Seleuciæ, Anastasium Antiochenum, Chrysostomum, Euaristum Pontificem, Hieronymum, Cyrillum, Damascenum, Cosmam Hierosolymitanam, quibus addes Cæsarium Nanzianzeni fratrem: deinde Synodum Constantinopolitanum, Ioanne Palæologo & Ioanne Cătacuseno Imperatoribus, aduersus Barlaam & Andinum Calabros, pertinaces illius increati luminis negatores habita: Postremò Catholicos authores, qui postea separatim libros eruditissimos eadem de re conscripsetūr, inter quos est Ioannes Cantacusenus, Christodulus, Philoteus Constantinopolitanus, & Nicena Coniates, cæteras hæreses libris viginti sex complexus. Nissenus huiusmodi lumine circumuestitum Christum vltra cœlos conspectum à Stephano sic commemorat: Egressus naturam Stephanus, priusquàm ex corpore exiret, cernit oculis puris cœlestes ianuas patentes, & quod intra adyta sibi apparuit, ipsámque diuinam gloriam & gloriæ splendorem, non quidem characterem paternæ gloriæ, qui nullus describi potest, id est, non substantiam siue naturam diuini verbi vidit, sed splendorem eius in ea forma, quæ hominibus apparuit, ídque quantum humana natura capere poterat. Græci denique in hymnis Damasceni & Cosmæ Hierosolymitani vocant φῶς ἄκτιστον, ἀΐδιον, & ὑπερκόσμιον, siue lumen increatum, æternum, & supermundanum. Verum tot patrum testimonia recte sunt intelligenda, non quasi quod proxime & directe viderunt Stephanus & Apostoli fuerit ipsa diuina essentia vel aliquid increatum sed quod repræsentabatur & inerat lumini quod apparebat esset Deus & lux increata que per lumen creatum tanquam per aliquod subiectum creatum cernebatur quatenus à creatura cerni potest. Non dubito Brentianos, si fortè ista legerint, quin statim in patrocinium suæ causæ arripiant, quasi etiam in monte Thabor fuerit beatorum cœlum, & vbique sit. Profectò inficiatur nemo, quin Deus gloriam suam offerat, & cœlum suum atque tabernaculum familiaritatis suæ cum hominibus figat, vbicunque voluerit, sicut experimento semel in transfiguratione docuit: sed quæritur de facto, & de re ipsa, an Deus vbique detegat lucem illam admirabilem & gloriam, an tantùm ex præscripto legis suæ ordine supra cœlos, quemadmodum ex scripturis persuademur. Sed nec corpus Christi, cùm in monte fulgurarer, illo lumine tunc vbique fuit: nunc quoque ne vbique quidem oportuerit effundi corpus illud, si gloria illa totum perfunditur. Cæterùm vt tandem finiam disputationem de cœlo Empyreo, quò Christus penetrauit, scripturis & benè cōsultis Patribus magis consentaneum credo, non esse corpus, neque quicquam conditum. Fortassè ad id alludit Paulus cùm nos habituros domicilium scribit non manufactum, sed æternum in cœlis. Manufactum enim ferè legitur apud Apostolum, pro condito simpliciter. Scio non deesse, qui cœlum initio Geneseos nominatum interpretentur de isto beatorum receptaculo, quod initio condiderit Deus vnà cum indigesta terra: quod adeò verum asseuerant, vt etiam in Symbolum, tanquam articulum fidei, relatum putent, vbi dicitur, *Credo in vnū Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium:* quasi interpretādæ & explanandæ eiusdē rei causa, post *Cœli & terræ*, fuerit subiunctū *visibilium omniū & inuisibiliū*: tanquā de eadem re dicātur cœlū & inuisibilia in ipso Symbolo, & initium Geneseos explicetur. Iunilius Africanus hanc interpretationem, tanquam ab Augustino & Hieronymo acceptam, ita probat: Creauit Deus & terram. Ipsum est cœlum superius, quod ab omni huius mundi volubilis statu secretum, diuinæ gloriæ præsentia manet semper quietum. Nam de nostro cœlo, in quo posita sunt lumi-

Nissen. Orat. d S. Stephano.

2. Cor. 5. & ad Hebr. 9.

Iunil. in Genes.

luminaria huic seculo necessaria, in sequentibus scriptura quomodo & quando factum sit declarat. Non ergo superius cœlum, quod mortalium omnium circumspectibus est inaccessibile, inane creatum est & vacuum, vt terra: quia nimirùm mox creatum, suis incolis, id est, beatissimis Angelorum agminibus est impletum. In eius expositione sententiæ S. Hieronymus meminit & superioris cœli, ita scribens: Antequam de cœlo corrueret Diabolus, ista dicebat, & postquàm de cœlo corruit si adhuc in cœlo positus, quomodo nunc dicit, In cœlum ascendam? Sed quia legimus, Cœlum cœli Domino, cùm esset in cœlo, id est, firmamenro, in cœlum vbi est solium Domini, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Profectò Hieronymus hîc nobiscum facit, non cum Iunilio. Antequàm enim bearentur Angeli, ait constitisse in firmamento, & præpostera cupiditate & superbia conatos ascendere ad cœlum beatitudinis, quod vtique solium Domini est, & non aliquid creatum, vbi tamen beati prouecti supra firmamentum, fruuntur gloria Domini. Ego quidem, vt præfatus sum, reluctari nolim, aut contentiosus esse: attamen semper didici nihil in Symbolo, quod breuitatis causa componi solet, bis dici, aut repeti, & probabilius iudico à Mose tantùm mundum in seruitutem hominis atque vitæ humanæ constructum describi. Nostra ætate duo magni viri de hoc contrarias tuentur sententias Steuchus Eugubinus, & Ambrosius Catarinus suis vterque commentariis in Genesin horum posterior priorem conatur refellere sed potior nobis esse debet primorum Christianorum cãdor. Quamobrem ex his & aliis, quæ à Patribus in fine huius capitis apponentur, toto cœlo errant Brentiani, cùm Christum commigrasse aliò quàm supra cœlos conditos & aspectabiles suspicantur, & cùm cœlum, quò ille ascendit vbiquarium somniãt, siue cum omnibus creaturis confundunt. Vicissim falluntur Cingliani, cùm postquam multa eximia de isto cœlo concesserint, corpus tamen multis spatiis dimensum cogitant, in quibus corpora obambulent, aut aliqua fixa sede antea disposita collocētur. Contra Ioannes in Apocalypsi per negationes magis delectatur ipsum definire, cùm quale sit, nequeat comprehendi, ac multo minus explicari. Quomodo etiam corpora intra ipsum admittantur, & quo statu ac situ ibi consistant, neque inueniri, neque respõderi potest. Proinde prudenter concludit Augustinus: Vbi, & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum & superuacaneum est quærere: tantummodò in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.

Apocal. 21. *Aug. de fide et Symbolo. ca. 6.*

De dextera Dei non leuior contentio versatur inter Brentianos, Cinglianos, & Caluinianos. Nam Brentiani eam interpretantur pro diuina maiestate atque omnipotentia. Ex qua colligunt corpus Christi vbique prostare, quia ex sessione ad dexteram Patris sit nactus omnipotentiam. Cingliani prò beatorum sede, & regione corporea accipiunt. Sic enim Cinglius primus scripsit: Ad dexteram est: isthic sessurum se dixit vsque dum arbiter omniũ futurus redeat. In vno loco esse oportet, quoad humanam naturam attinet. Bullingerus & Petrus Martyr nihil verentur dexteram Dei de certo loco fœlicitatis & beatitudinis exponere: vterque enim statuit duplicem dexteræ Dei significationem. Primùm concedunt locutione metaphorica Dexteram Dei notare summum apud Patrem honorem, ac in multis scripturæ locis pro immensa virtute & suprema maiestate accipi. Deinde verò contendunt, vbi cœli nomen coniungitur dexteræ Dei, iùm eam loci esse denotationem, vbi affluat æterna fœlicitas. Ac argumento huiusmodi vtitur Bullingerus. Cùm Christus Iesus, idem ille qui residet ad dexteram Patris, non tãtùm sit Deus, sed fi-

De dextera Patris.

mul maneat etiam homo verus, dextera Patris alia quoque significatione nobis denotare poterit locum fœlicitatis, idoneum aut commodum corpori Christi vero residenti ad dexteram Patris. Caluinus verò ita loquitur: Hic locus ostendit, si quis alius, quid significet Dei dextera: non locum scilicet aliquem, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, vt cœli & terræ ministerium administret. Nam cùm dextera Dei cœlum & terram impleat, sequitur, regnum Christi vbique diffusum esse, atque etiam virtutem. Vnde perperàm faciũt, qui ex sessione ad dexteram Dei conantur probare Christum non nisi in cœlo esse. Cinglius, Oecolampadius, atque etiam nunc Bullingerus & Martyr, consequentia (vt putant) infallibili colligunt, Quia corpus Christi sedeat ad dexteram, non adesse Cœnæ in terris administratæ. Caluinus glorians de consensu cum Tigurinis, hanc argumentationem redarguit & exsibilat. Qua de causa rogat omitti ratiocinationem istam ex sessione ad dexteram Patris, vt futilem, & suæ causæ potiùs incommodam, quàm consentaneam. Quapropter imprimis à dexteræ Dei significatione omnis corporea proprietas ablegari debet & remoueri. Deus spiritus est: & Anthropomorphitarum hæresis execrandra, qui Deo humani corporis membra affingebant: quia legerant in scripturis eadem illi tribui, nec planissimas & manifestissimas metaphoras animaduertebant. Itaque dextera Dei ne locum quidem corporeum per se significat. Stultum est enim iuxta Basilium, Chrysostomum, Augustinum, & alios, sessionem ad dexteram Dei, de aliquo loco, aut de corporis positu intelligere. Spiritaliter verò dextera Dei, potẽtiam eius & maiestatem denotat: vt, Dextera Domini fecit virtutem, Hæc mutatio dexterę excelsi, & similia. Ducitur autem metaphora ab hominibus, quorum robur maximè in dextera manu consistit. Aliquando dextera Dei sumitur pro gloria eius ac beatitudine, aliquãdo pro gloria & maiestate. Ita enim quod vno loco scriptura vocat dexteram Patris, alibi gloriam appellat. Ita sedere ad dexterã Dei, in tribus significationibus legitur, & Christo filio Dei tribuitur. Aut enim declaratur participatio, & quædam consociatio virtutis diuinæ, aut beatitudinis, aut gloriæ, dignitatis, ac maiestatis, & à regibus huius mundi capitur metaphora, qui quos volunt sui imperij & honoris participes siue consortes reddere, adhibent ad suum latus dextrum, vt pari passu obambulent, atque latus vtrumque cingant, vt Iosephum Pharao à suo latere fecit. Sic Apostoli dexteram Dei nominarunt in Christo, pro statu opposito passioni, infirmitati & ignominiæ: vt, Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra Dei seder: &, Per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. Brentiani sessionem hanc explicari asserunt ex aliis scripturæ locis, quibus communicari apparet humanitati Christi omnipotentiam, maiestatem, & omnipræsentiam, atque idem valere, quod humanitatem æqualem esse diuinitati, virtute, gloria, & omnium locorum præsentia, præsertim cùm dextera sit vbique, & vbicunque sit, ei Christi humanitas assideat. Denique vnicum esse Articulum, Ascendit ad cœlos, & Sedet ad dexteram Patris: vt nihil sit aliud ascendisse Christum, quàm æqualitatem potentiæ, præsentiæ, & gloriæ cum diuinitate consecutum. Hos textus iactant, Consedit ad dexteram maiestatis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Supra omne nomen quod nominatur in hoc seculo & in futuro: Omnia subiecit sub pedibus eius: Erit filius hominis sedẽs à dextris virtutis Dei: Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos testes sumus: Dextera igitur Dei exaltatus: Non enim Dauid ascendit in cœlum: Dicit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: Qui est in dextera Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: Profectus in cœlum, subiectis sibi Angelis,

Cal. in cap. 1. ad Ephes. — *In vlt. Admit. Vvestphals.* — *Dextera Dei non significat locum.* — *Psal. 117. et 76.* — *Dextera Dei tres habet significationes.* — *Hebr. 12. 1. Pet. 3.* — *Hebr. 1. Matth. vlt. Philip. 2. 1. Cor. 15. Matt. 26. Actor.* — *1. Pet. 3. Ephes. 1.*

„lis, & poteſtatibus, & virtutibus: Conſtituens eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus „ſuper omnem principatum, poteſtatem, dominationem, & omne nomen, quod no- „minatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedi- „bus eius. Ex his conantur quatuor efficere Brentiani. Dexteram Dei imprimis pro eius omnipotentia accipiunt. Poſtea nihil aliud eſſe exiſtimant, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, quàm gaudere ac potiri diuina virtute ſuper omnes creaturas: quod confirmant ex aliis locis, quibus in Angelos ipſos & omnia alia defertur Chriſti imperium. Tertiò, aſcēſionem ipſius in cœlum nihil aliud includere & importare, niſi ſeſſionem illam, atque illius ineffabilis poteſtatis adeptionem. Poſtremò inferunt, Chriſti corpus non inſidere ſupra cœlos, & deputato alicui loco, ſed diffundi cum Dei dextera & omnipotentia vbique. Iſta, niſi fallor, ſua gradatione Brentiani adnituntur corpus Chriſti inuiſibiliter per omnes creaturas, atque vbique ſpargere. Annuimus ad dexteræ enarrationem, modò non intra virtutis ſignificationem contineatur, ſed ad gloriam & beatitudinem extendatur. Annuimus ſeſſionem ad Chriſtum quatenus hominem pertinere, & inferre Chriſtum hominem parem & æqualem Deo, ex dicto, Sede à dextris meis: & ideò ſapienter ratiocinari Apoſtolos Petrum & Paulum, ad probandum Chriſtum Dauide atque Angelis ſuperiorem, illorúmque verè eſſe Dominum, quia nuſquam alicui Angelorum aut Dauidi dictum fuerit, Sede à dextris meis: & propter iſtud priuilegium communicatam Chriſto homini omnipotentiam, vbiquitatem, & alia quæcunque Deo ſunt propria. Sed non conſequitur eadem humanitati attribuenda eſſe, ſi attribuuntur Chriſto, vt homini, quoniam in Chriſto aliud includit homo, aliud humanitas. Etenim homo in Chriſto non ſignificat humanitatem ſolam, ſed humanitatis ſuppoſitum, quòd eſt in Chriſto perſona filij Dei, humanitas vero naturam humanam tantùm indicat. Sedere verò ad dexteram Patris, conuenit quidem homini, non ex proprietate humanitatis, ſed ratione diuinę perſonę, quę homini Chriſto dat eſſe hominem diuinum, & exiſtere eadem exiſtentia qua Deus exiſtit. Non mirum itaque, ſi hominem à dextris Dei conſtituit, quoniam hominem in eſſe Dei attollit, vt ſicut eadem Dei & hominis eſt exiſtentia & perſona, eadem ſit ſeſſio. Ac humanitas diuinam perſonam ſecum nō trahit, nec in ſua ratione complectitur eſſe diuinum, quamuis ab illo fulciatur inconfuſa & immutata. Ideò nec eſſe Dei, nec aſſidere ad dexteram Dei, humanitati in ſe congruunt, licet humanitatis perſonæ filio Dei incarnato homini probè & verè competāt. Fallaciam ergo cōmittunt Brētiani, cùm attributa Chriſto, vt perſonæ hominis, ad humanā naturā deriuant, quorū in numero recenſetur ſedere ad dexterā Patris, & quæ ipſam ſeſſionē affectantur, vt eſt omnipotentia, omnipręſentia & maieſtas æqualis Patri. Verum eſt igitur Chriſtū vbique adeſſe, ſedere ad dexterā Patris, & omnia poſſe: ſed malè eadē ad humanitatem Chriſti transferuntur, cùm aliud ſit Chriſtus homo, aliud eius humanitas, ſiue corpus atque anima. Quamobrem omnes textus allegati malè adaptantur corpori Chriſti & animæ, cùm de toto homine compoſito & perſona diuina & humanitate conſcribantur, qui ad dexteram Patris quidem à primo tempore incarnationis aſcitus fuit, non ratione humanitatis, ſed perſonæ, quæ hominem conſtituit & fulciuit, atque in eam altitudinem extulit. Non tamen hic titulus Chriſto donatur ante aſcenſionem, quoniam nondum erat demonſtratus eſſe filius Dei, ex reſurrectione à mortuis, & aſcenſionis virtute, nec illud compoſitum ſua paſſione expleuerat, quod ab ipſo expleri oportere decreuerat Deus, antequam totum gauderet præmio, & ad dexteram Patris aſcenderet, id eſt, ad exercitium atque vſum fructum poteſtatis & glorię, ac fœlicitatis diuinæ.

Quid ex ceſſione ad dexterā Patris concludant Brētiani.

Errant Brentiani ex eo, quòd attributa perſonæ hominis in Chriſto naturæ et humanitati in ſe attribuant.

Hebr. 1.

Ista quidem est germana & syncera cõsessus ad dexteram Patris explicatio. Quòd si anxius sollicitaris nosse, quid accedat humanitati in se ex illa sessione, plurima ac maxima dona respõdemus. Prætérquàm enim quod ex vnione personali, & quadã Dei atque hominis compositione, eleuatur ad æqualitatem Dei, & sedem, licet non in se, inquam, nec ratione suæ proprietatis, sed in persona cui insistit, & à qua sustinetur, in ipsam insuper defluunt tanto ampliores prærogatiuæ, quanto propiùs ad ipsam dexteram accedit. Hoc vt faciliùs intelligatur, multi sunt gradus contingendi alicuius dexteram, quocunque modo exponatur, nec vi verborum potest concludi ex sessione ad dexteram alicuius par imperiũ & æquale cum eo cui assidetur: imo ne quidem vnus modus assidendi rectè colligeretur ex assessione ad dexteram alicuius. Fideles sanè promisit Deus se collocaturum cum Christo in cœlestibus, & Christus rogat Patrem, vt vna secum sint illi vbi ipse fuerit: qui tamen non assequẽtur parem cum humanitate Christi maiestatis, gloriæ, ac fœlicitatis gradum. Scriptura enim proximitatem ad Deum eam defert Christo, vt omnia subiecta sint illi præter ipsum qui ei subiecit omnia: ita vt videatur statuere quoddam interstitium inter sedentem in throno, & proximè assidentem ad dexteram. Quapropter aut consessus non de humanitate propriè dici potest, nec ea quæ pendent ex Dei dextera, vt est omnipotẽtia, vbiquitas, & alia: aut si de humanitate cõsessus dicitur, non æqualitatem cum sedente ac regnante arguit, vt ostendit Apostolus, sed prærogatiuam præ aliis post se assidentibus & consequentibus. Vnde ex sessione illa humanitas & corpus Christi in persona & in se tot dotes & tantas suscepit, quantas alia creatura non potest capere: quia nulla alia tam intimè ac finitimè adhæret dexteræ Dei, sicuti illa. Ideò omnia subiecta sunt sub pedibus eius, & collata est omnis potestas in cœlo & in terra: accepit gratiã, spiritum, & gloriam sine mensura, & alia omnia quæ in ipsam possunt congeri: sed inferior Deo semper est collocanda, vt secundum ea quæ accipit, semper sit minor Patre, & habeat omnia subiecta, excepto eo qui ipsi subdidit omnia. Qua de causa iterum repeto: aut sessio ad dexteram non ad humanitatem in se, aut si pertinet, non significat æqualitatem potentiæ, gloriæ & fœlicitatis, sed impartitionem & elargitionem Christo factam, quantam ferre potest creatura, vt abundet in omnibus præ participibus suis, & fruatur potioribus bonis Patris, quemadmodum nostri loquuntur Scholastici. Labascit itaque Brentianorum fundamentum, cui superstruunt vbiquitatem suam. Non enim ex situ ad dexteram Patris conficitur, deberi corpori Christi potentiam, præsentiam, & gloriam æqualem cum Deo. Quæ ne quis violentiùs cum Brentianis eniteretur humanitati Christi per dexteram Patris arrogare, consultò cauit scriptura, quæ dextram illam ne quidem ipsi Christo applicat, nisi post ascensionem, & in cœlo, ne humanitati per eam vendicetur omnipræsentia. Quæ sursum sunt, quærite, ait Apostolus, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Et, Constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus: Et portans omnia verbo virtutis suæ sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: &, Qui est in dextera Dei profectus in cœlum. Veteres Christiani aliquando Christo dexteram Patris attribuunt, ratione personæ & diuinitatis ipsius, & per eam, æqualitatem cum Patre sentiunt significari. Sic enim Basilius definit: Dextra est dignitatis, honorísque æqualitas. Et Athanasius scribit, dici Christum sedere ad dextram Patris, non ad sinistram, quia quod dextrum ac magnificum Patri ascribitur, hoc ipsum quoque filius habeat: atque inde est quod dicit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Sic Damascenus ait, dextram Patris dici, gloriam & honorem diuinitatis. Eo pacto Athanasius non soli filio dexteram Patris defert, sed spiritui sancto. Aliquãdo transferunt ad corpus Christi & ipsam humani-

Quid humanitati accedat ex sessione ad dexterã Patris.

Basil. cap. 6. de Spiritu.

Athanas. Orat. 2. in Arr.

Damas. lib. 4. cap. 2.

Athanas. de cõmuni essẽtia.

manitatem, cui tantum exaltationis & beatitudinis elargita est diuinitas quantum capere potuit creatura, vt apud Theodoretum Athanasius & Chrysostomus disputant de corpore Christi efferri, Sede à dextris meis. Sic Damascenus scribit: In dextera Patris filius Dei ante secula existens, vt Deus, & Patri consubstantialis in nouissimis diebus corporatus, etiam corporaliter sedet, carne ipsius simul gloriæ celebritate affecta. Latini Doctores aliquando ad vtramque naturam in Christo videntur accommodasse, & per dexteram Patris intellexerunt omnem iudicandi potestatem & gloriam. In eum sensum Augustinus interpretatur, Sedere ad dexteram Patris, nihil esse aliud, quàm simul cum Patre gloriam Deitatis, & iudiciariam potestatem habere immutabilem: quod videtur sumptum ex loco Matthæi, quo Christus dixit, Amodò videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem è nubibus cœli. Ab Hebræorum lingua phrasis ducitur, apud quos Sedere idem sæpè sonat quod præesse & præsidere: atque ita Apostolus explicat, cùm dictum, Sede à dextris meis, exposit per, Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis: & de Antichristo, ita vt in templo Dei sedeat, id est, præsideat. Aliquando soli humanitati in Christo applicant, & accipiunt pro fœlicitatis exuberantia: de qua hæc Augustinus. Numquid Deus Pater (inquit) habet dexteram aut sinistram, sicut corpora? Nec nos hoc de Deo Patre sentimus: nulla enim forma corporis Deus definitur atque concluditur: sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ Sanctis datur. Scribit idem ad Consensium. Vnde etiamsi corpus Domini, quod de sepulchro excitatum leuauit in cœlum, nō nisi specie humana, membrísque cogitamus, non tamen ita putandum est sedere ad dexteram Patris, vt ei Pater ad sinistram sedere videatur. In illa quippè beatitudine, quæ omnem superat humanū intellectum, sola dextera est, & eadem dextera eiusdem beatitudinis nomen est. Cyrillus eadem clariùs tradit: Nihil aliud intelligitur (inquit) quando de Deo sedere, sedes aut solium dicitur, nisi principatus & regia potestas, quam naturaliter habet supra omnes creaturas. Magna enim amētia est, sessionē & sedem, aut omnimò situm aliquem Deo attribuere. Sed quæ corporaliter de ipso nostro more scribuntur, conuenienter intelligenda sunt. Quarocùm filius ad dexteram virtutis Dei sedere scribitur, nihil aliud significatur, nisi non esse filio minorem quàm Patri cultum & honorem attribuendum. Et id sumptum est à consuetudine nostra. In dextris enim nostris collocamus, quos non minoris dignitatis putamus. In eo significatu non solùm aliqui ex scripturis dixerunt Christum sessurum ad dexteram Patris, sed pro suo modulo & ordine ipsos beatos. Theophylactus tanquam ex Chrysostomo ista loquitur: Propterea Paulus dixit, Conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, quia vt ipse sedet, & nos sedebimus, vt Christus ait, Sedere à dextris vel à sinistris non est meum dare vobis, sed quibus paratum est, &c. Profectò nec ad iudiciariam potestatem, nec ad fœlicitatem perfectam vbiquitate opus habet Christus, quia ad agendum non requiritur vbique agentis substantialis præsentia, sed quemadmodum in Scholis loquimur, sufficit virtualis: ac ne quidem terrenos Principes oportet corporaliter adesse vbicunque suum exercent imperiū. Ad tertium verò, quod nectebant ex dextera Patris Brētiani, negamus idem valere, siue idē significare, ascensionē Christi in cœlū. Qua in re obseruamus Brētianos & Cinglianos cōflictari cōtrariis & falsis opinionibus. Nam illi, quoniam sessio ad dexteram spiritaliter capi debet, in eundem sensum rapiunt ei adiunctam ascensionem, vt non localem transitum commonstret, sed in melius aliquid & diuinius

cap. Quod initium fedeat. Theodoret. dial. 2. Polymorph. Damasc. lib. 4. cap. 2. & 3.

August. Ser. de symbol.

De agone Christiano cap. 26.

Lib. 12. Thes. Idem. Aug. de fide & Symb. ca. 7. tom. 3.

Theophyl. in ca. 1. ad Ephes.

Non sunt idem Ascensio & sessio ad dexteram Patris.

Brentiani & Cingliani contrariis erroribus corrumpũt articulos de Ascensione & de sessione ad dexteram Patris.

mutationem. Cingliani contrà, quoniam ascensio ad corporis motũ pertineat, sessionẽ similiter ascensioni connexam de corporali & locali situ interpretantur. Vnde Bullingerus & Martyr duplicem dexteræ Dei significatum excogitarunt, vt vno immmensa & indefinita Dei gloria atque virtus enuntietur, altero connotetur locus, vbi fœlicitas plena, & perfecta beatitudo florent & abundat. Certùm non necesse habemus quicquam inauditum, quod causæ nostræ prosit, comminisci. Fatemur dextera Dei nihil corporale aut locale delineari, sed spiritalem planè vim, gloriam, & fœlicitatem comprehendi, & consessum ascensioni Christi apponi ad duo exprimenda, in ascensione Christi, nimitùm non corporis solam translationem, & loci commutationẽ declarari, sed conditionis & status excellentissimi acquisitionẽ: deinde glorię, maiestatis ac fœlicitatis diuinę participationem cõmonsttari. Iniquè igitur faciunt Brentiani, cùm ascensionem ad spiritalẽ sensum pertrahunt, quia coniungatur ei cõcessus spiritalis & metaphoricus. Iniquè similiter agũt Cingliani, qui per sessionẽ designari certum locũ vrgent, quia ascensioni corporali tãquam finis & scopus illa præfigatur. Nos nihil inuoluimus, sed ascensionẽ corporaliter sumimus: cõsessum verò ad dexterã spiritaliter & metaphoricè, pro immẽsa atque inenarabili virtute, excellẽtia, & beatitudine, qua ornatur Christus, & ditatur supra vniuersas creaturas. Sed quoniam illa dona apparẽt in Christi humanitate circumscripta, neque apparuerũt illi esse insita & inhabitãtia, antequàm supra cœlos assumeretur, & quoniã ibi destinatur locus reuelãdæ gloriæ diuinæ & beatitudini conferendæ, fit per accidẽs, vt illa regio supercœlestis nõ per solam metaphoram, sed per quandam metonimiam continentis pro contento appelletur dextera Dei: quia, inquã, potissimùm & regulariter ibi in humanitate Christi, & aliis beatis detegitur, relucet, exetitur, & effunditur diuina maiestas, gloria, & fœlicitas, non quia per se locus sit dextera illa siue excellentia. Quòd ergo nõ idem recidat cum ascensione, nec situm supermundanũ, neque vbiquitatẽ sessio ad dexteram Dei secum importet, patet ex eo, quod descẽsui ad iudiciũ, & Christi humanitati etiam in inferioribus partibus terræ existenti ascribitur, vt antea de scripturis probauimus. Porrò ex sessione illa negamus, quod postremò inferunt Brentiani, corpus Christi fuisse dissipatũ, & in ipsa ascensione conuersum in formã spiritalẽ & inuisibilẽ, quę cũ Deo repleret omnia, & desineret, certo cœli Empyrei loco circũscribi, & oculis cerni. Etenim à Stephano conspectũ est corpus ad dexteram Patris, & sua gloria decoratum: & ad dexteram, siue in eadẽ glotia permanẽs visibile & suis lineamẽtis contentum, descendet ad iudiciũ, neque in transfiguratione lumen dexteræ & maiestatis affulgẽs corpus absorbuit, aut substantiã immutauit. Non ignoro cõtra Stephani visionem multa à Brentio obiici, quasi minimè ocularis fuerit, sed in imaginatione animi, cùm in Synagoga, non sub Dio gereretur historia, & quasi oculorũ acies supra cœlos nequiuerit Christum perspicere. Cui Martyr & Beza satisfaciũt, & ostendunt, non intra parietes Synagogæ Stephanum egisse suam causam, sed ad ciuitatis portas, siue ad alium locum publicum, vbi coram populo exercebantur iudicia: quod textus innuit, cùm intendisse oculos in cœlũ dicitur, ac vidisse cœlos apertos, vt ita penetraret oculis ad eorũ fastigium & verticẽ, & ibi situm intueretur Christũ. Neque mirũ est, imbecillitatem oculorum adiutam fuisse, quocũque modo id acciderit, cùm illa actio tota fuerit miraculosa, & naturæ vires excesserit. Insuper ista corporis Christi in spiritalẽ speciẽ & inconspicuã dissolutio, Eutychetis de corpore Christi & Origenistarũ damnata dogmata renouat, quorũ postremũ de nostris corporibus post resurrectionẽ à D. Hieronymo ita describitur. Aliud (inquit) nobis spiritale & æthereum corpus promittunt Origenistæ quod nec tactui

Cur ad Ascẽsionẽ additur sessio ad dexteram Patris.

An Stephani visio fuerit corporea & ocularis.

„ subiacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægrauatur, & pro locorum in quibus „ futurum est, varietate mutabitur. Bullingerus ex Ioachimi Vadiani scriptis contra Schuenkfeldium, huius eam fuisse hæresim ostendit de corporis Christi post ascensionem immutatione, quam nunc Brentius propugnat. Verba Vadiani ista re- „ citat: Contendit Gaspar eo translatum fuisse Christum iuxta carnem, vt homo qui- „ dē maneat, sed tamen homo Deus factus, & in Deum assumptus, vt nec sit amplius „ creatura, nec rectè vocari possit. Homo quidem est in gloria verus, sed natura hu- „ mana in Deum translatus: vt omninò homo non sit, qualis homo est creatura, sed „ Deus sit, extra omnem creaturæ nomenclaturam positus. Hoc ipsum enim, quod „ verbum est in gloria, Christus vel iuxta carnem est per gloriam. Nec igitur creatura „ est iuxta corpus, nec in loco est, nec loco circumscribitur. Porrò vt tanquam in tabella videatur, quantum à Patribus dissentiant Brentiani de quatuor propositis hoc capite articulis, de Ascensione nimirùm, Sede Christi, & supra cœlos positu, ac dextera Patris, necnon de humanitatis in sua visibili specie perseuerantia, ordine singulos afferemus, qui antiquas hæreses Eutychetis & similium, quas refricant Brentiani, confutant ex ascensione Christi corporali supra omnes cœlos, ibique eiusdem situ vsque ad iudicium, vbi assidet, & perfruitur dextera Patris, gloria, ac bonorum omnium affluentia. Distinguunt sane ascensum à consessu ad dexteram Patris: non tamen hunc interpretantur pro loco, quamuis in loco supercœlesti illum attingi & possideri doceant.

IRENÆVS omnibus hæresibus opponit tanquam scutū fidei Apostolicæ Symbolum, in quo narrat Spiritum sanctum per Prophetas prędicasse passionē Christi, & resurrectionem à mortuis, & in carne ad cœlos ascensionem, & de cœlis in gloria Patris aduentum eius ad resuscitandam omnem carnem.

„ Citatur à Theodoreto ex tertio libro: Quicunque credit, quòd Iesus Christus ex „ Deo genitus est, vnum & eundem sciēs Iesum Christum, cui sunt apertæ portæ cœ- „ li propter suam in carne assumptionē: qui etiam in eadem carne, in qua passus quo- „ que est, veniet, Patris gloriam reuelans.

„ TERTVLLIANVS, vt cōtra Praxeam probet humanitatem illibatam in Chri- „ sto perdurare, & diuinitati impermixtam, ait: Hic sedet ad dexteram Patris, non Pa- „ ter ad suam. Hunc videt Stephanus, cùm lapidaretur, adhuc stantem ad dexteram „ Dei, vt exinde sessurum, donec ponet illi Pater omnes inimicos sub pedibus suis. „ Hic & venturus est rursus super nubes cœli talis, qualis & ascendit.

Repellit alios, qui omnem carnem à regno arcerent, ex eo quòd Christi caro no- „ stræ similis perstet in gloria Dei. Cùm illic (inquit) adhuc sedeat Iesus ad dexteram „ Patris homo, etsi Deus, caro & sanguis, etsi nostris puriora, idem tamen & substan- „ tia & forma, qua ascendit, talis etiam descensurus, vt Angeli affirmant, agnoscendus „ scilicet eis, qui illum conuulnerauerunt.

„ CYPRIANVS. Ascendit ad cœlos Dominus, non vbi verbum Deus antè non „ fuerat, quippè qui erat semper in cœlis, & manebat in Patre, sed vbi verbū caro fa- „ ctum antè non sedebat. Sedere quoque ad dexteram Patris, carnis assumptæ myste- „ rium est. Neque enim incorporeæ illi naturæ conueniēter ista absque assumptione „ carnis adduntur, neque sedis cœlestis perfectum diuina natura, sed humana natura „ conquirit.

„ HIPPOLYTVS Episcopus, ex Oratione in Psal. 23. Venit ad portas cœlestes. *Citat Theodor. Dial. 2.* „ Angeli vnà cum eo incedunt. Sunt autem portæ cœlorum clausæ: nondum enim „ cœlos ascēdit: nūc primùm videtur à cœlestibus potestatibus caro ascēdens. Dicitur „ ergo potestatibus ab Angelis, qui Seruatorem & Dominum præcurrunt Attollite

portas principes vestras,& eleuamini portæ æternales,& introibit rex gloriæ.

Citatur ibi. Eustachius Episcopus Antiochenus: Illinc ergo in throno suo sedere scripsit, significans quòd cum diuinissimo spiritu concessor effectus est, propter Deum in ipso assiduè habitantem.

Citatur ibi. ATHANASIVS ex Oratione maiore De fide: Quæ autem de eo adiecimus, Sede à dextris meis, de corpore Dominico dicta sunt. Si enim cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, omnia autem continet Deus, à nullo autem continetur, in quanam sede sedet? Corpus ergo est, cui dicit, Sede à dextris meis.

Citatur ibi. GREGORIVS NISSENVS ex Oratione catechetica: Dextera Dei exaltatus. Quis ergo est exaltatus? humilis, an altissimus? Quid autem est humile, nisi humanitas? Altissimus autem quid est aliud, nisi diuinitas? Atqui Deus non habet, vt exaltetur, cùm sit altissimus. Apostolus autem dicit humanitatē fuisse exaltatam. Exaltatam autem esse, eo quòd Dominus & Christus facta sit. Non ergo Domini substantiam, quæ fuit ante secula, per hoc verbum ostendit Apostolus, sed humilis in altum euectionem, quæ à dextris Dei facta est. Declaratur autem per hoc verbum pietatis mysterium. Qui enim dixit, Dextera Dei exaltatus, apertè detegit arcanam mysterij œconomiam, quòd dextera Dei, quæ est eorum omnium quæ sunt effectrix, quæ est Dominus per quem omnia facta sunt, ipsa hominem sibi vnitum ad propriam deduxit altitudinem per vnionem.

Lib. 2. de fide. cap. 4. AMBROSIVS. Amodò videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. & hoc de assumptione corporis dicit. Nam si de æterna sede diuinitatis quæris, interrogatus à Pilato, si ipse esset Rex Iudæorum, ait, In hoc sum natus, vt testimonium perhibeam veritati, &c. Propter rationem ergo corporis dicit, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, &c. Ista ergo sessio ita est hominis, vt Deitati non communicetur, cùm sit infinita.

In Ancorato EPIPHANIVS in Paraphrasi, qua percurrit Nicenum Symbolum, ista inserit: Idem passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cœlos, in ipso corpore gloriosè sedens in dextera Patris, venturus in ipso corpore in gloria ad iudicandum viuos & mortuos.

In Expos. fidei ad Damasum. HIERONYMVS. Resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, & in æternum cum Deitate mansura.

Epistol. 57. AVGVSTINVS ad Dardanum. Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam cōfessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, nec aliunde quàm indè venturus iudicare viuos & mortuos. Et sic venturus est, Angelica illa voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Dominum nostrum vnigenitum Dei filium, æqualem Patri, eundémque hominis filium, quo maior est Pater, & vbique totum præsentem esse nō dubites, tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum.

Eutyches negabat planè, vt nunc Brentiani, assumptum corpus Christi verum in sua propria specie supra cœlos, sed putabat transisse in diuinam ac spiritalem naturā. Inter antiquos Theodoretus & Vigilius inuehuntur in ipsum vehementiùs.

Dial. 2. Theodoretus ita habet. Corpus Dominicū surrexit quidē à corruptione & interitu alienū, & impatibile, & immortale, & diuina gloria glorificatū, & à cœlestibus adoratur

ratur poteſtatibus: corpus tamen eſt, & habet quam priùs habuit circumſcriptionẽ. Non dixerim ego, humanis perſuaſus rationibus (neque enim adeò audax ſum & temerarius) quod ſcriptura ſilentio prætereüt. Sed tamen audiui Paulum clamãtem, Statuit Deus diem, in quo iudicaturus eſt terrarum orbem in iuſtitia, per eum virum quem præfiniuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans ipſum à mortuis. Didici etiam à ſanctis Angelis, quòd veniet eo modo, quo viderunt ipſum diſcipuli euntem in cœlum. Viderunt autem naturam circumſcriptam, nõ eam quæ circumſcribi non poteſt. Audiui etiam ipſum Dominum dicentem, Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli. Scio verò eſſe circumſcriptum, quod videtur ab hominibus. Videri enim non poteſt natura, quæ non poteſt circumſcribi. Dominum quoque iterum dicentem audiui, Cùm venerit filius hominis in gloria ſua, tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ. Porrò autem ſedere in throno gloriæ, & ſtatuere quidem agnos à dextris, hoedos verò à ſiniſtris, id quod circumſcriptum eſt, ſignificat. Audiui quoque præclarum victorem Stephanum dicentem, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. Vidit autem eam quæ videtur naturam, non quæ ſub aſpectum non cadit.

VIGILIVS TRIDENTINVS in eoſdem Eutychianos. Quis in tam abruptum erroris barathrum ſeipſum iniiciat, vt filium Dei ſine propria ſua carne, quam in ſacræ virginis vtero, ineffabili ſocietatis permixtione, ita ſibimet adunauit, vt verbum homo, & homo Deus, idémque vnus, non mutatis naturarum generibus fieret, neget hodie ſedere ad dexteram Patris, venturumque iudicare viuos & mortuos? cùm ipſum Deum dixiſſe nõ neſciat, Cùm venerit filius hominis in gloria ſua, &c. *Lib. primo.*

DE DESCENSV CHRISTI AD INFEROS.

CAP. II.

ETsi nihil Articulus de deſcenſu Chriſti ad inferos, ad Euchariſtiam pertinet, attamen quoniam ad Aſcenſionem euertendam, & ad æterni ſupplicij certum locum negandum ac deſtruendum Brẽtianis viam fecit ac muniuit, atque in Polonia à Staphylo commemoratur quidam propter Caluini de hoc articulo doctrinam, eò vſque progredi, vt omninò inferos, & poſt hanc vitam ſupplicia tollat, viſum eſt hîc poſt aſcenſionem ea de re diſſerere. Apparet ſanè, primis ſeculis Eccleſiæ, Gnoſticos de inferis eam tenuiſſe opinionem, quam nunc Brentiani renouant, & illam quam Caluinus de Chriſti deſcenſu ad inferos tuetur. Vtramque verò introducebant Gnoſtici, ad tollendam vltimam omnium reſurrectionem. Qua de re pauca iſta de Irenæo proferemus, alia prolaturi in huius capitis fine. Si Dominus (inquit) legem mortuorum ſeruauit, & commoratus eſt vſque ad tertiam diem in inferioribus terræ, pòſt deinde ſurgens in carne, quomodo non confundentur, qui dicunt inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundum nos: interiorem autem hominem derelinquentem hîc corpus, in ſuper cœleſtem aſcendere locum? Caluinus itaque Chriſtum per animam re vera deſcendiſſe ad inferiores partes terræ inficiatur, vnica ratione incitatus, quamuis alias prætexat, ne cogatur ad Purgatorium ſtabiliendum, vllum tertium animarum receptaculum admittere, ad quod Chriſtus in mortis triduo penetrarit, vnde Patres educeret: qui quoniã cum pietate ac redẽptoris fide obdormiſſent in Domino, nec cruciabãtur in inferno, nec fruebantur Paradyſo, quoniam cœlum Chriſtus

Staphylus lib. de Hermano ſcripturæ intellectu.

Brentiani de Aſcenſione et Caluiniani de deſcenſu Christi ad inferos à Valentinianis ſumũt hereſim.

Iren. lib. 5.

Caluinus negauit deſcenſum Chriſti ad inferos, ne cogeretur agnoſcere Purgatoriũ.

ſuo ſanguine nondum reſeraſſet, ideò tertio quodam loco aſſeruabantur in aduentum primum Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quo liberarentur, & ad cœlum traducerentur. Interpretatur verò Articulum Symboli, Deſcendit ad inferos, ſpiritaliter pro cruciatu damnatorum, quem anima Chriſti ſubierit in cruce, cùm dixit, Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Quemadmodum autem pleraſque alias blaſphemias, ita hanc quoque mutuatur ex Bucero. Antequàm autem impietas iſta poſſit conſiſtere, ſibi neceſſe vidit Caluinus prodigioſas & inauditas opiniones & blaſphemias coaceruare, quibus errori ſuo aliquod fundamentum poneret. Imprimis nihil relinquit in religione Chriſtiana tam certum, ratum, ac confeſſum, quod tropis & figuris nequeat ad hominum arbitrium corrumpi, cùm ne quidem Symboli Apoſtolici articulis ſimpliciſſimo & vulgariſſimo ſermone conceptis parcat. Animas piorum cœlum ingreſſas, & in'habitaſſe ante Chriſtum ponit, quod opinor antiquis Chriſtianis inauditum fuiſſe. Chriſti ſanguinem atque mortem corporalem aſſerit non ſuffeciſſe pro mundi redemptione. Non horret affirmare, animam Chriſti cruciatus damnatorum pertuliſſe, cúmque de ſalute tantùm non deſperaſſe, atque inferos ipſos ſecum in cruce geſtaſſe: Ipſos verò inferos, ad quos deſcendit Chriſtus, nihil aliud eſſe quàm damnatorum, vbicunque infligantur, tormenta. Limbum & locum, in quo aſſeruabantur piorum animæ vſque ad Chriſti deſcenſum, fabulam non veretur appellare, quæ magnos authores habeat, ipſos Prophetas nimirùm, Apoſtolos, Apoſtolorúmque proximos ſucceſſores, & Eccleſiæ vniuerſalis per orbem diffuſæ etiam purioribus illis ſeculis conſenſum. Nec Bucerus, Caluini magiſter, dubitauit ſcribere, hominum eſſe inuenta, quę de limbo Patrum, & reali deſcenſu Chriſti ad inferos, atque locis obſcuris docentur. Beza pari impudentia veterem illam Eccleſiam traducit, eámque præ ſe & magiſtro deſpicit, & vt fabuloſam ac fabulis addictam conſpuit. Denique Caluinus Inferos in ſcripturis nõ ſignificare ait locum æternis ſuppliciis deputatum, ſed ſuppliciorum ſtatum, vbicunque ſit. Iſti ſunt reformati Euãgelij & Caluiniani floſculi, quibus iactatur quæri ſola Chriſti gloria & amplitudo. Ac ne quis nos accuſet calumniæ & impoſturę, iſta ſunt à Chriſto Apoſtatici viri Caluini verba. Nec verò deſcenſum Chriſti ad inferos omittere conuenit, in quo ad redemptionis effectum non parum eſt momẽti, vt eo prætẽrito multum ex mortis Chriſti fructu depereat. Nihil actum erat, ſi corporea tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus. Operæpretium erat, vt diuinæ vltionis ſeueritatem ſentiret, quò & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret iuſto iudicio. Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quaſi conſertis manibus luctari. Correctionem pacis noſtræ illi impoſitam fuiſſe Propheta docet, Fuiſſe propter ſcelera noſtra à Patre percuſſum: quibus ſignificat in locum ſceleratorum ſponſorem, vadem, adeóque rei inſtar ſubmiſſum, ad dependendas perſoluendáſque omnes, quæ ab illis expetendæ erant pœnas, hoc vno duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat contineri. Ergo ſi ad inferos deſcendiſſe dicitur, nihil mirum eſt, cùm eam mortem pertulerit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur. Torqueri oportebat hac conſcientiæ anxietate, ac ſi à Deo derelictus fuiſſet, imò ac ſi Deum haberet infenſum. Sciamus nõ modò corpus Chriſti in redemptionem fuiſſe traditum, ſed aliud maius & excellentius pretium fuiſſe, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit. Iſti ſunt dolores, de quibus Petrus dicebat, Chriſtum reſurrexiſſe ſolutis mortis doloribus: per dolores intelligens eos, non quos dira mors in illo efficiebat, ſed quos parat maledictio & ira Dei. Vbi illo articulo de morte Chriſti, cruce, & ſepultura expoſita fuerunt, quæ in hominum conſpectu paſſus eſt Chriſtus, opportunè ſubii-

Caluinus ne quidem ſermonis ſimplicis Apoſtolici Symbolo parcit, vt non eum figuratum dicat.

Hæreſes Caluini, vt tollat Purgatoriũ.

Cal. in cap. 27. Matth.

Cal. lib. 2. inſt. cap. 12.

Limbum à ſcripturis traditũ, vocat fabulã.

In ca. 27. Matt.

Qui ſint Inferi Caluino.

Lib. 2. cap. 12. num. 8. 10.

" citur inuiſibile illud & incomprehenſibile iudicium, quod coram Deo ſuſtinuit. Caluinus quidem primus, ni fallor, inter omnes Chriſtianos extitit, qui mortem Chriſti corpotalem, & ſanguinis effuſionem, non ſuffeciſſe ad eluenda noſtra peccata impiè docuerit. Caluiniani nos Catholicos ſolent execrari, quaſi ſufficientiam derogemus ſanguini Chriſti, cùm Purgatorium & priuatas ſatisfactiones ſtatuimus & exigimus. Ipſi verò poſt magiſtrum Caluinum, nihil meriti, nihil pretij & valoris, Chriſti ſanguini, & corporali morti ac paſſionibus tribuunt, ſed omnem ſatisfa-
" ctionem referũt acceptam ſupplicijs Inferni, quæ luit Chriſtus in anima. Clara ſunt
" Caluini verba: Nihil actum erat (ſcribit ille) ſi corporea tantùm morte defunctus
" fuiſſet Chriſtus, &c. Antea quidem Melanthon illam anxietatem ac dubitationem Chriſti de ſua ſalute commentus fuerat. Antea Bertholdus Rorbacenſis Beghardus narratur à Nauclero in Chronicis, ante annos ducentos Spiræ vſtulatus fuiſſe, propterea quòd inter multas abominandas blaſphemias auderet etiam docere, Chriſtum in cruce propter dolorum acerbitatem de animæ ſuæ ſalute dubitaſſe. Inueniendi ſpiritalis cœli, & ſpiritalis aſcenſionis deſiderio, Brentiani de deſcenſu Chriſti ad inferos Caluini figmentum amplexantur, & inauditam antea ipſius blaſphemiam, qua conculcat ſanguinem Ieſu Chriſti, ac profanum ducit & communem eã iam publica concione Auguſtæ habita, & Tubingæ excuſa, Smidelinus in vulgus ſparſit, & cõmendauit, vt Satanas Satanæ opẽ ferat, & Caluinus cũ Brentio inferos ſpiritales & portatiles videatur fabricare. Beza tanquã ſingularis ferus, & beſtia, nihil putat ſe ſapere, niſi noua feritate omnium audaciam in corrumpendis ſcripturis poſt ſe relinquat. Quoniam à Luca ad literam citatur Pſalmus de Chriſto, Non
" derelinques animam meam in inferno, Beza nouus Euangeliſtarum corrector, Lu-
" cæ tranſlationem improbat: quemadmodum in verbis Cœnæ eundem de ſoloeciſmo notarat, atque ita vertendum pronuntiat, Non derelinques cadauer meum in ſepulchro: mirabili certè metamorphoſi, qua animam in cadauer transformat, vt omnem memoriam de deſcenſu Chriſti ad inferos è ſacris literis aboleat: & non modò ipſis Euangeliſtis, toti antiquitati, omnium Chriſtianorum qui adhuc viuũt conſenſui, ſed etiam magiſtri figmento bellum indicet. Vbi enim textu ita deprauato extabit expreſſa ſcriptura de deſcenſu Chriſti ad inferos nominatim, quomodocunque explicetur? Libet initio ſpiritum vertiginis in iſtis Eccleſiæ Catholicæ Aduerſarijs, vt in alijs omnibus, ita in hoc articulo obſeruare. Brentius certè ſuis in
" Commentarijs in Acta Apoſtolorum ſic ſcribit: Non derelinques animam meam
" in inferno. Audis vnum ex articulis fidei noſtræ, qui eſt de deſcenſu Chriſti ad in-
" fernum. Deſcendam quidem in infernum, ſentiam dolores inferni, & planè periiſ-
" ſe videbor: Non tamen derelinques me in doloribus inferni, nec in perditione me
" auxilio tuo deſtitues. Sepulturæ quoque tradar, vt pro aliorum hominum cõditio-
" ne eſca vermibus efficiar & putreſiam: ſed tamen nunquam committes, vt ſanctus
" tuus, vt filius tuus putrefactioni & corruptioni obnoxius fiat. Saltem hîc poſt emiſſum ſpiritum fatetur animam Chriſti alicubi fuiſſe, qui locus nomine & re Inferi nominantur, ad quos ille deſcenderit. Contrà in cauſa aſcenſionis, inferos, cœlum & terram commiſcet: & alicubi Deſcẽdere ad inferos, nihil aliud eſſe interpretatur, quàm mori. Beza cùm ipſum refellit, ſe & magiſtrum de metaphorico deſcenſu Chriſti, & geſtatili inferno confutat. Audiamus itaque beſtiam ſua verba reſonan-
" tem: Quum tibi obiectum eſſet, Brenti, non temerè ſolere ſcripturam vſurpare
" verbum deſcendere, quum de inferis agitur, tu rurſus velut ex literali factus tro-
" piſta, ſicut nos vocare conſueuiſti, hoc dicis intelligendum de ſpiritali inferno,
" ſiue deiectione, oppreſſione, & conculcatione, in quam ſemper deſcendant impij.

Mortem Chriſti corporalem non ſufficientẽ fuiſſe pro peccato, blaſphemia eſt Caluini.

Act. 2.

Beza redarguit Lucam de ſua verſione et intelligentia.

Beza in Annot. in 2. Act. Apoſtol.

Beza abolet articulum de Chriſti deſcẽſu ad inferos.

Caluiniani & Brẽtiani de deſcenſu Chriſti ad inferos, & aſcẽſione, à ſemetipſis diſcordant.

Brent. in Catech. anni 51.

In Brentio pag. 330. & 328.

Omnia igitur, vt video, plena sunt hominum ascendentium & descendentium, qua tamen localiter nec ascendunt nec descendunt. Sed explica nobis, quæso, quomodo Dauidicum illud ex hac regula explicandum putes: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si iacuero apud inferos, ades. Quominus enim aliter, quàm de mutatione loci hoc possis accipere, prohibent quæ præcedunt & subiiciuntur? Vis postea probare infernum esse penes nos in terra, quoniam videlicet Diaboli penes nos sint in terra, quos dicit Augustinus, vbicũque fuerint, infernum circumferre. Mirum profectò argumentum! Animus (inquit ille apud Terentium) iamdudum est mihi in patinis: ergo patinæ sunt etiam spirituales, non corporeæ, & ibi sunt vbicumque sunt lurcones & famelici. Circumferunt in cordibus suis latrones Patibulum: ergo patibula non sunt certa loca, ex quibus corporaliter pendeant latrones. Imò an non impij ipsi, quocunque venerint, iræ Dei sensu perciti, iam secum inferos circumferunt? Itaque etiam infernum dicis esse, vbicumque est ira Dei, ac proinde in vno ac eodem homine cœlum & inferos, id est, carnem & spiritum collocas. Quasi verò de metaphoricis istis inferis, ac nõ potius de loco illo, vt diues ille epulo loquitur, æterni cruciatus quæramus. Obsecro te igitur, Brẽti, anilia ista cauilla semel omitte, ne quis tua ista legens inueniatur, qui te & cœlum, & inferos ridere potius quàm serio credere suspicetur. Huius tui textus priorem partem, venerabilis Beza, dictam puta tibi ac tuo magistro, qui ascensionis vocabulum in metaphoram, & Inferos in spiritalem intelligentiam soluitis in articulo de descensu Christi ad inferos: & cõpara Descendit ad inferos, & Ascendit ad cœlos, vt in qua significatione descẽsum accepetis, ascensum contra Brẽtium vrgeas, aut concedas. Rectè in posteriori parte rides tuam ac magistri tui consecutionem istam. Christus iram Dei sensit in cruce, & apprehendit dolores inferni: ergo non descẽdit ad vllum localem infernum, neque alij sunt inferi statuendi, quos Christus inuiserit. Rectè insectaris tuum ac magistri impium paradoxum, quo in eodem homine Christo cœlos & inferos, gratiam & iram Dei, carnem & spiritum, Deum ipsum ac Diabolum collocas. Obsecro te, venerabilis bestia, hæc infernalia dogmata omitte, ne quis ea legens, & tua ac tuorum acta considerans, inueniatur, qui te Christum, cœlum & inferos, ac Euãgelicas scripturas, quas pro tua libidine corrumpis & vertis, ridere potius quàm seriò credere longè probabilius suspicetur, quàm Brentium. Vt autem hæresim Caluinianam de descensu ipso ad inferos expendamus, initio Caluinus assentitur, in Articulorum numero ipsum habendum esse, & quidem inter præcipuos, & sine quo nihil actũ pro nostra salute à Christo existimet, quamuis à quibusdã antiquis Christianis inter Articulos Symboli nõ recẽseri sciat. Certè Ambrosius author est, Arrianos ita aduersatos huic Articulo, vt eum de Symbolo Apostolorum expungerent. Quæritur ex qua scriptura eius secundum Caluinum tam necessarij Articuli doctrina petenda sit. Nulla certè eius mentio nominatim expressa, nisi à D. Petro apud Lucam fit, cuius ita habet litera: Hunc Iesum definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea insuper, & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Aliæ quidem scripturæ attestantur articulo de Christi ad inferos descensu, quas silentio non prætereibo: sed cardo difficultatis potissimùm in eo

Rationes Bezæ retorquentur in ipsum.

Caluinus consensit Articulum fidei esse, Descensum Christi ad inferos.

Ambros. in ca. 5. ad Rom.

Act. 2.

De loco Petri, Non derelinques animam meam in inferno.

ex textu Lucæ vertitur. Animaduertendum imprimis, quo tempore feratur Christus ad inferos descendisse. Articulorum ordo in Symbolo ostendet, post mortem ac separationem animæ à corpore. Disponitur enim post mortem ac sepulturam ante resurrectionem. Dispositiouem Symboli conatur effugere Caluinus, ac descensum comminiscitur collocatum post mortem, cùm debuisset antecedere: quia descensus ille, & tormentorum sensus in anima acciderit ante efflatum spiritum, postpositum tamen, quia rem spiritalem indicet, quæ gestis corporalibus, vt passioni ac morti interseri non decuerit, sed subiici. Si alicuius momenti hæc putaretur ratio, ergo etiam Descendit ad inferos, post Ascendit ad cœlos, exprimẽdum fuit, quia corporaliter resurrectio & ascensio accidit. Verùm conniueamus tantisper ad Caluini nugas de perturbato ordine Symboli. Certè Petrus in sua concione descensum illum inter mortem Christi, eiusdémque resurrectionem interiecit: non igitur in anima, antequàm decederet de corpore, ille completus fuit. Inspiciatur textus. Enarrat primùm mortem, postea descensum animæ ad inferos, tertiò sepulturam, & deinceps resurrectionem. Nondum disputo, quo modo litera explicanda sit: tantùm premo, aut nusquam mentionem de descensu Christi ad inferos extare in scripturis expressiùs, quàm hoc in textu, qui illum euenisse cõmemorat post obitum. Non igitur descensus recitatus à scripturis potest intelligi de cruciatu, quem anima Christi subierit ante mortem in cruce, vti Caluino placet interpretari. Quamobrem articuli aptè & iuxta hunc textum sunt dispositi, inter quos descensui post sepulturam meritò locus debetur, cui etiam præponi potuit: sed passiones corporis vno filo meliùs fuerunt concinnatæ, quibus venustè subiungitur, quid circa animam separatam contigerit. Adhæc Caluinus assentitur, articulos ipsos simplicissimè ab Apostolis tradi, nec permisceri, nec vnum altero comprehẽdi. At si descensus ad dolores animi habitantis in corpore pertinet, sub articulo Passus est concluderetur, aut illos animi angores non complectetur, sed tãtùm carnis afflictiones. Præterea textus, qui de illo descensu Christi meminerunt, nec verbum quidem faciunt, quasi dolores illos pro inferno perpessus sit: & qui languores illos deplorat præ aliis Esaias in locis per Caluinum allatis, ne quidem de ipso descensu ad inferos ibi cogitat, nec vlla dictione admonet per illos cruciatus talem descensum intelligi. Nec quod dicitur à Petro, Solutis doloribus mortis, etiamsi violentiùs ad animi afflictiones in cruce detorqueat Caluinus, descensui tamen ad inferos cõgruet, de quo Petrus apud Lucam loquitur: quia proculdubiò illum euenisse ait inter mortem crucis, & resurrectionem: ita vt quodcunque tormentum Christi ante emissum spiritum in idem nequeat cum descensu ad inferos recidere. Qua authoritate igitur sua figmenta comminiscitur Caluinus? Iam verò vt opinionem eius de ista animi angustia excutiamus, si per eam, vt illi placet, pro nobis satisfactio & redemptio exoluta est, & non sanguinis effusione, ac corporali morte: ergo quod antea attigi, mors Christi & sanguis nõ sufficiebant pro peccatis nostris: Imo, vt expressè ille ait, nihil omninò proderunt, quia nihil egissent. Ergo nec passione, nec morte Christi expiati sumus, sed ad inferos descensu: Ergo non sanguis Christi emũdauit nos ab omnibus inquinamentis nostris: ergo non magis litatum fuit sanguine eius, nec remissio peccatorum acquisita, quàm sanguine hircorum aut taurorum. Non confert Apostolus anxietates mortis in Christo, cum anxietatibus mortis in belluis, sed sanguinem sanguini comparat. Non Deus proposuit nobis propitiatorem per fidem in inferis Christi, siue in eius trepidatione de sua salute, sed in ipsius sanguine. Non pacificauit omnia, quæ in cœlo & quæ in terra sunt, per animi apprehensionem & tristitiam, sed per sanguinem & inimicitias, quas per-

Quando Christus ad inferos descenderit.

Contra interpretationem Caluini de descensu Christi ad inferos.

Redemptio sãguini Christi tribuitur à scriptura non solis doloribus animi.

Hebr. 9.

Ephes. 1. Colos. 1.

Hebr. 9. tulit in carne sua, vt in vno corpore nos omnes reconciliaret. Nouum fœdus ac testamentum non est initum infernalibus pœnis Christi, sed sanguinis profluuio, in remissionem peccatorũ nostrorum. Infinita possunt in eam sententiam congeri, & nusquã in scripturis causa salutis nostrę internis animi Christi passionibus nominatim tribuitur, nec vllum locum expressum Caluinus producit, qui propriè ad animum Christi nostram redemptionem referat. Credimus quidem & confitetur totum hominem in Christo passum, qui corpore & animo constat, & vt in corpore eius abundarunt passiones pro nobis, ita & in animo easdem maximas, & acutiores fortassè quàm in corpore, non defuisse arbitramur: sed impium iudicamus, meritum & pretium potissimùm his imputare, & illas nihil omninò, aut parum admodũ æstimare, quod omnibus scripturis videmus aduersari. *Cal. vbi sup. num. 12.* Sit ita, quòd oportuerit integrum hominem anima & corpore pati pro integro homine, adeò vt nihil corpus exanime contulisset, nisi passionis particeps, & socia fuisset anima: impium tamẽ est, meritum totum tribuere animæ passionibus, aut asserere nihil ad animarum pretium & redemptionem, corporis supplicium profuisse. Hoc est, iterum dico, sanguinem Christi nõ pluris facere, quàm sanguinem hircorum & taurorum, qui valebat ad emundationem carnis, & non spiritus: hoc est sanguinem Christi à constitutione noui Testamenti reiicere. Qua de re censuram ferat Apostolus, cùm ait: „
Hebr. 9. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctifi-„ cat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum san-„ ctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram„ ob operibus mortis? Et ideò noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente„ in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priore Testamento, re-„ promissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Vbi enim testa-„
Hebr. 9. mentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Vnde nec primum quidem „ sine sanguine dedicatum est, & omnia penè in sanguine secundum legem mun-„ dantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Tantum abest itaque secun-„ dum Apostolum, vt infernales pœnę in Christi anima, animas nostras purgauerint, quòd oportuerit huiusmodi purgationem fieri sanguinis effusione, qui non modò corpora emundauit, sed conscientias atque animas nostras. Attamen vt afflictionũ & passionum societatem animæ Christi cum corpore non denegamus, ita nec meriti nec pretij copulam diuidimus, sed in quo propriè consistat, ex scripturis respõdemus. Quid probabilitatis quoque præ se fert ista Caluini ratiocinatio? Animam Christi oportuit pati: ergo dolores inferni sustinuit, aut nõ aliter ad inferos commigrauit, quàm per animi perplexitatem in cruce perpessam: quasi aliter descensus ipsi non patuerit, aut omnis anxietas in Christo infernalis fuerit. Ita enim nouus iste passionum Christi censor, descensum ad inferos ac pœnas infernales cepisse putat
Caluini blasphemia in Christum. à tempore, quo Christus dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem, vt omnis in„ eo animi angor infernalis fuerit. Intolerabilis verò impietatis notam gerit, quod Caluinus prodit, Christum diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse. Eò est sceleratior, quòd neminem antiquorũ Christianorum habet authorem, quem in ista blasphemia imitetur, nullam è scripturis syllabã quam edat, rationem nullam, nisi ipsa opinione periculosiorem. Habet sanè dignum patella
Brent. in Luc. par. 2. ho. 65. cathec. anni 51. Loss. conc. De passio. Pomer. in Psal. 21. operculum, Brẽtium, Lossium, Pomeranum, & alias Germaniæ quisquilias, quarum petulantes in Christum imitetur blasphemias: quasi in cruce desperarit, desperantis vocem ediderit, ad desperationem vsque dolores inferni pertulerit, & illatum à dæmonibus martyrium & infernale supplicium. At necesse fuit (inquit) ipsum luere, „ quod merebatur culpa nostra, quæ pœnas infernales erat commerita. Si quid valet„

ista

iſta ratio, ex ea conſequetur, oportuiſſe Chriſtum pœnas infernales & ſempiternas, & cum Diabolo atque Angelis eius, in ipſóque tartaro, corpore & animo pendere. Nam culpa noſtra non fuit tantùm digna infernali momẽtaneo ſupplicio, ſed æterno & maledictione, quæ animas & corpora noſtra ad Diabolos in Abyſſum ablegaret. Ideò Chriſtum ex ratione Caluini oportuerat corpore & animo ad inferos detrudi, ibíque æterna ſupplicia ſubire. Qua de cauſa Caluinus ſua ratione longè profundiùs in ipſis inferis, quàm nos Chriſtum demergit, neque ex dignitate patiẽtis paſſiones eius expendit, per quam eius momentanea afflictio ac leuiſſima ſufficiebat ad expiationem, non noſtrorum tantùm peccatorum, ſed totius mundi. Beza quidem Caluini magiſtri rationem egregiè refellit ſub alterius perſona, qui pari ratione cum Caluino, vt plena eſſet pro nobis ſatisfactio, contendebat oportuiſſe Chriſtum, non ſolùm in anima inferorum plagas excipere, ſed ad loca ipſa nocentibus damnandis deſtinata peruenire. Hoc enim etiam culpa noſtra commeruerat. Arqui reſpondet Beza, ſi ita, miror cur non ipſum etiam Chriſti corpus iiſdem pœnis ſubiecerit: ſi quidem noſtrum corpus non minus eſt obnoxium pœnis æternis, quàm noſter animus. Hoc idem magiſtro ac ſibi obiiciat, aut rationes magiſtri atque opinionem corrigat. Deinde ſi luit veras pœnas inferni Chriſtus in anima, & ideò ad inferos deſcendit, ipſi inferi, & pœnarum infernalium magiſtri ac inflictores Diaboli, intra ipſius animam extiterunt tanto penitiùs atque intimiùs, quàm in ipſis dæmoniacis, quantò pœnæ infernales, vt à Dæmonibus illatæ, grauiores ſunt omni humano ac corporeo ſupplicio, quod poteſt homo in hac vita perferre. Deus ergo, qui numquam Chriſtum deſeruit, & Diabolus vnà Chriſtum poſſidebant, aut (vt interfari videtur Caluinus) non ſolùm diuina vis ſpiritus, ſed diuinitas ipſa ad momentùm non tantùm ſeſe occultauit, vt vim ſuam in Chriſto nõ exerceret pro more ac poteſtate, ſed abſceſſit à Chriſto, ne fieret in ipſo Dei & Belial conuentio. Eſſe in poteſtate dæmonum, ab ipſis diuexari, excidere omni ſpe ſalutis, veræ ſunt infernales pœnæ: quibus ſi Chriſti anima in cruce affecta fuit, Satanæ quoque tradebatur, ab ipſo excruciabatur, & in deſperationem ſalutis coniiciebatur. Hęc enim ſi à doloribus quibuſcunque ſeparas, pœnarum infernalium & damnatorum rationem ſubtrahis, & falſum erit Chriſtum luiſſe ſupplicium infernale, quod demerebatur noſtra culpa: illis enim eramus in æternum propter peccatum noſtrum obnoxij. Calumniam ſibi fieri Caluinus clamitat, cùm fertur deſperationem aſcribere filio Dei, quæ fidei ſit contraria. Certè ſi pœnas inferni, & perditorum ac damnatorum ille ſuſtinuit in deſperationem incidit, & ſpei certitudine neceſſariò caruit, cùm in hoc maxima pars ſupplicij infernalis & perditorum ſita ſit. Aut ergo non tantùm in diffidentiam ſalutis, ſed in ipſam deſperationem cecidit, aut perditorum atque inferorum cruciatus veros, & quales nobis debebantur, non ſubiit. Aures Chriſtianæ ab iſtarum blaſphemiarum commemoratione abhorrent: in his tamen adeò gloriatur Caluinus, vt tanquam indoctos & nebulones inſectetur, qui contra ipſius impietatem auſi fuerint hiſcere. Poſt infernalem iſtam Caluini, ſectatorúmque eius impietatem explanatam & confutatam, accedamus ad Bezæ æquè impiam arrogantiam, qua ſacram illam ex Luca ſcripturæ authoritatem de deſcenſu Chriſti ad inferos non veretur violare & corrumpere, & in ſenſum contrarium articulo fidei conuertere. Itaque quod apud Lucam eſt, ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου ita transferr Latinè, Non derelinques cadauer meum in ſepulchro, nec ſines Sanctum tuum ſentire corruptionem. Imprimis miramur hominis impiam audaciam, qui ſeptuaginta interpretum, & Euangeliſtæ Lucæ verſionem ex Hebræo in Græcam linguam contemnat, & Iudæos imitari malit: quaſi Spiritus

Beza in Annot. cap. 2. Act.

Lege Caluinũ in Harmonia.

De Bezæ impudẽtia ad corrigendum Lucã Euangeliſtam. Act. 2.

sanctus Rabbinos, inimicos crucis Christi, magis afflauerit, quàm Septuaginta interpretes & Euangelistam. Ita homines rrium Hebraicarum literarum, aut Græcarum, oculos Euangelistis configunt, ac Spiritum sanctum ipsis adimunt, quem sibi non pudet vendicare, ac plus authoritatis hostibus Christi, quàm Euangelij scriptoribus & assertoribus deferre. Deinde miramur eò progredi huius bestiæ ferociam, vt existimet se acutius videre, ac magis sapere, quàm omnes qui hactenus vixerunt Christianos, nec eos quidem excipio, quos duces ad hæresim habet. Nemo sanè veterum, nemo recentiorum, qui alicuius nominis sit, sicur Beza Latinè reddidir, ne quidem Geneuensis editio per Caluinum toties recognita, audet à veteri versione recedere: Imò coactus est rei absurditate Beza semetipsum aliquatenus emendare, dum cupidiùs alios studet corrigere. Hanc enim edir de se confessioné. Fareor cadaueris nomen nec mortuo quidem Christi corpori satis conuenire, ac proinde in altera editione mutaui, sed eandem sententiam semper retinui. Scio Caluinum suis in Commentariis in Psalmum à D. Petro productum, Bezæ suo discipulo prælucere, vbi versiculum de quo agitur, ita Latinum facit: Quia non deseres animam meam in sepulchro, nec pones Sanctum tuum, vt videat foueam. Attamen in Actis Apostolicis nefas sibi ducit translationem Spiritus sancti per Septuaginta & Euangelistam Lucam, ad nos traductam contaminare, quam hoc modo retinet: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec permittes vt Sanctus tuus videat corruptionem. Fidem & intelligentiam de vero descẽsu Christi ad inferos, magis hîc subsannat, quàm refellat, ac literæ sensum ad mentem discipuli sui inflectit, non ramẽ textum peruertit. Castalio putat se magis Latinè loqui, si dixerit, Non deseres animam meam in orco, & de sua interpretatione contra Bezam conflictatur. Bucerus verò interpretatur in hunc modum, Quia non deseres animam meam in infernum, non dabis bonum tuum ad vidẽdum foueam. Quamuis autem initio exponat ex quorundam Rabbinorum sententia, inferos pro sepulchro, tãdem tamen cum D. Petro & Paulo lectionem Ecclesiæ contra Iudæos tuetur, & concludit, Fides nostra habet, Christum inferos adiisse, verè mortuum & sepultum, at neque animam apud inferos, neque corpus eius in sepulchro detineri, atque ita corrumpi potuisse. Verum quidem est alibi de descensu Christi ad inferos idem sentire cum Caluino, sed familiare est omnibus hæreticis secum pugnare. Musculus Septuaginta interpretes & Apostolos ad verbum sequitur, & lectionem quoque Ecclesiæ contra Iudæos, & Fidem Christianam de descensu Christi ad inferos propugnat. Galterus etiam illis suis Tigurinis post Petrum Martyrem subscribit. Ex Lutheranis neminem arbitror aliter vertisse. Inter Ecclesiasticos solus Sanctes Pagninus opinor sepulchrum pro inferis substituit, quoniam iudaïsare multis in locis Bibliorum maluit, quàm simplicitatem Christianã retinere. Verùm ne opprimamus Bezam interpretum multitudine, quibus omnibus facilè suam solius præferet sententiam & authoritatem, tantùm rogamus, an æquum faciat, cùm Rabbinos à Deo propter obstinationem excæcatos amplectitur, & Euangelistam Lucam, cuius laus est in Euangelio, perfidis Iudæis postponit? Rogamus, vtri magis credat Spiritum Dei astitisse ad interpretandum Psalmum: an Petro Apostolo siue Lucæ, an Rabbino Dauid Kimhi & aliis, quorum sententiam non tantùm probat, sed reiecta è sacris literis Apostoli siue Euangelistæ enarratione, illam tanquam suam ac sibi similium, id est impiorum, valere vult, & in textu Euangeliorum reponi. Causam profert, quare id audeat: Quoniam (inquit) ex articulo de descensu Christi ad inferos ædificatus est Lymbus, cui postea Purgatoriũ impositum est, & innetus est qui Christi animam ad inferos vsque damnatorum diceret peruenisse.

Beza in posteriori editione Annotat.

In odium limbi negat Beza textum Euangelij, & descẽsum Christi ad

Quum

" Quum vnius & alterius vocabuli dubia interpretatio tot monstra pepererit, simpli- *inferos.*
" citer malui pro anima cadauer, pro inferno sepulchrum dicere, quàm fœdos illos
" errores fouere. Magna sanè habenda est gratia Caluini successori, qui fateatur inge- *Fatentur Caluinistæ nec*
nuè nec Limbum, nec Purgatorium negari, & tolli posse, saluo Euangeliorum textu *limbum, nec*
& litera. Nam tertio errori, de quo conqueritur, aliter mederur. Magna iterùm ve- *Purgatorium*
nerabili Bezæ habenda est gratia, quòd locos, quibus superstrui Limbum & Purga- *negari posse, quin antea ne-*
torium putat, nequeat deprauare, nisi pudẽdos & execrãdos errores parturiat. Duas *getur descensus*
de Luca obliterat dictiones, ψυχήν μου, & εἰς ᾅδου, id est, animam meam, & in inferno: *Christi ad inferos.*
quarum in locum supponit cadauer pro anima, & sepulchrum pro inferno. Vt ali-
quid impudentiæ suæ prætẽdat, ad fontes Hebraïcos recurrit, in quibus legitur pro
anima Nephes, & pro inferno Sehol, vt verterunt Septuaginta, & Lucas Euangeli-
sta: à Beza verò Nephes transfertur in cadauer, Sehol verò in sepulchrum. Si requi-
ritur ratio, quare Nephes in cadauer reddatur, respondet Euangelistarum corre-
" ctor: Mihi ista interpretatio visa est ad hunc locum maximè accommodata, cùm
" disertè accipiatur in Leuitico nomen Nephes, pro cadauere vbi scribitur. Sacerdos *Cap. 21.*
" ad omnes animas mortui non ingredietur.

Verissimè testatur sibi soli placere istam huius loci interpretationem, cùm nullũ *De falsitate*
habeat ducem, & Euangelistæ aduersetur. Castalio & Beza de producto loco Leui- *versionis Bezana*
tici dimicant. Ille inficiatur animam inueniri pro cadauere, ne quidem in illo textu
Leuitici, vbi poni Nephes pro toto homine existimat, sicut statim postea declaratur.
" Nam habet litera, Super animam non contaminabit se quisquam, sed super pro-
" pinquo suo, & matre sua: vbi quod in genere animas dixerat, subiũgit propinquos
& parentes. ex quo animas fuisse nominatas apparet, pro ipsis hominibus indiffe-
renter viuis vel mortuis. Phrasis est scripturæ, naturas pro toto composito accipere,
& compositum pro altera naturarum, propter intimam connexionem. Ita scribitur:
" Omnis caro videbit salutare Dei: &, Animæ septuaginta descenderunt in Ægy- *Esay. 40.*
" ptum: id est, homines. Contrà verò est, Non mortui laudabunt te, Domine, ne- *Luc. 3. Exod. 1.*
" que omnes qui descendunt in sepulchrum: &, Non est in morte, qui memor sit *Psal. 113.*
" tui. vbi totus homo pro hominis cadauere ponitur. Vbi verò dicitur, Descendant *Psal. 6.*
" in infernum viuentes: &, Conuertantur peccatores in infernum, totus homo pro *Psal. 54. & Psal. 9.*
anima sumitur. Itaque nec in Leuitico, nec in alia scriptura, anima per se & pro-
priè significat cadauer, oppositam sibi naturam, sed hominem, qui cùm mor-
tuus ibi describatur, tum anima cum additione mortis, pro homine mortuo intelli-
getur, quamuis ex se non significet hominem mortuum, sed tantùm hominẽ. Beza
contrà ex Rabbinis probat, ibi Nephes pro funere accipi, sicut in eodẽ concluditur,
Et ad omnes animas mortis non ingredietur. Attamẽ si spectetur textus attentiùs,
Beza seipsum iugulat. Nam patet animas ibi non innuere per se cadauera, sed ho-
mines, quibus cùm mors acciderit, & addita fuerit ad animarum vocabulum, tum
animæ mortis designabunt mortuos, & cadauera: nõ quòd anima ita significet: nam
nisi adderetur mortis dictio, anima quidem hominem denotaret, sed non mortuũ
propriè, quem per additionẽ mortis significat, non propriè cadauer, nisi quatenus
compositũ ex anima, indicatum per additionem mortis, eam naturã ostẽderet, cui
mors accidit, id est, corpus ipsũ. Cùm igitur in versiculo Psalmi, de quo disseritur,
ad animã nõ addatur mors, aut aliud, quod apertè declaret hominẽ mortuũ, cur in-
terpretabimur animã pro cadauere, cùm nihil ei inquã addatur, quo mortuũ demõ-
stret, vt additur in Leuitico: vbi etiam si anima absolutè caperetur pro cadauere, ta-
men claudicaret inde ducta ista ratiocinatio. Semel in totis Bibliis reperitur dictio
Nephes, ꝓ funere & cadauere: Ergo & in eodẽ significatu hoc loco capi debet. Ista

est hæreticæ artis ratiocinandi formula, ab vno singulari vniuersalia, & quæcunque alia particularia etiam infinita concludere, cùm recta ratio contrà postulet, singulare intra suam singularitatem continere, nec de ipso aliis pluribus & communibus præiudicium afferre. Certum est Nephes, seu animam hominis, communiter eiusdem spiritum Hebræis significare, & ideò semper ita accipiendum esse, nisi reluctetur euidentissimè textus: alioqui si communis vocum sensus sine iusta occasione & ratione permutatur ex aliundè petito singulari exemplo, nihil tam fuerit planum & firmum, cuius sensus non perturbetur, & cui tenebræ non obducantur. Et quid est in versiculo isto, de quo disseritur, quod cogat Nephes sumi pro cadauere, tam contrario animæ significationi? Quid si correspondens illi dictio ex mente Septuaginta interpretum & Euangelistæ, animam pro cadauere non patitur explicari? Non derelinques (inquiunt) animam meam εἰς ᾅδου: quod verti nullo modo debet aliter quàm In inferno, vt paulò pòst ostendemus. Sed falsum est & absurdum, cadauer in morte ad ipsos veros inferos transmitti. Igitur Nephes in isto textu in cadauer nequit transponi. Omitto animæ interpretationem pro cadauere suffragari Epicureis, qui animam in morte non discernunt à corpore, & Arabicis hæreticis, qui animam mentiebantur abire cum corpore in corruptionem. Poterunt enim similiter loco abuti, quo Beza abutitur. Alteram dictionem Sehol viriat Beza, & pro sepulchro positam contendit, vt ex eius concinnitate videatur animam necessariò in cadauer transformare, ne anima concludatur sepulchro. Nos contrà negamus Sehol pro sepulchro à Septuaginta & ab Euangelista vsurpari. Ante omnia notanda est Bezæ & imperitia, & malitia, à quo ita scribitur: Mirum est in errore de descensu Christi ad inferos, plerosque veterum fuisse versatos, quum apud Hebræos appellatione Sehol, pro quo Græci interpretes ᾅδην dicunt, nihil aliud quàm sepulchrum declaretur: ciúsque postea etymon tradit, quòd noua semper cadauera quodammodò videatur inexplebili voracitate postulare. Profectò cùm inferorum locus in sacris literis Hebraïcis nulla voce propriè significetur, quàm per Sehol, quæ voraginem significat, mirum est hominem, qui omnem antiquitatem, & doctos omnes nostræ ætatis scriptores præ se despicit, dictare confidenter Sehol nihil aliud apud Hebræos quàm sepulchrum innuere. Mendacem saltem oportuit esse memorem. Premit Brentium vehementissè, sicut paulò antè recitauimus, vt inferorum certum & definitum locum esse cōcedat in terræ penetralibus reconditũ, ex Dauidis sententia, Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. vbi Sehol pro inferno collocatur, qui à cœlo maximo dissideat interuallo, quemadmodum Abben Ezra inter Rabbinos eruditissimus prudenter obseruat, & Rabbi Dauid Kimhi pro terræ profunditate accipit. Placuit hîc transcribere multa ex doctissimi nostri Theologi Genebrardi libro tertio de Trinitate, quæ sic habent: Quemadmodum in errore versantur, qui vocem Sehol numquam sepulchrũ designare contendunt, sic fronte sunt perfricta, qui vspiam Gehennæ regionẽ significare negant. Tantum enim abest, vt eam nō significet, vt eam primò propriè ac per se significet, nec nisi per quendam tropum ad sepulchri acceptionem transferatur. Istud primùm apparet è veteribus cunctis interpretibus, seorsum è Septuaginta, qui constanter Sehol reddunt voce ᾅδης Deinde Talmudistæ & Chaldæi paraphrastæ, dum tractāt locos Psalmorũ, Redimet animā meā de manu Sehol: &c, Conuertātur omnes peccatores in Sehola, exponūt Ghehinum, id est, Gehennam. Quinetiā addūt in Derab He, literā Sehol adiici, ac Schola dici, ad declarādũ, quòd non solũ ad infernũ impij descēdant, sed etiā ad inferiorē inferni gradũ. Constituũt enim

De dictione Sehol, an significet tantũ sepulchrũ an potius inferos.

Sehol non semper significat sepulchrũ, sed verũ infernũ.

Imperita Bezæ audacia in omnibus damnãda.

enim varia inferni tabulata, vt in Psalmum nouum Rabbi Dauid Kimhi narrat, & septẽ à suis maioribus Rabbi Salomõ, sub finem capitis vigesimi quarti Esaiæ enumerat. Nostri tamen eius tantum quatuor receptacula agnoscũt: Limbum patrum, cui Christus Sinum Abrahæ nomen dedit: Limbum puerorum, qui absque baptismo vita excesserunt: Purgatorium, quod carceris nomine perspicuè intelligit D. Petrus: & damnatorum tartarum, qui in Psalmis nuncupatur Infernus inferior, in Apocalypsi verò Puteus abyssi, Abaddõ, Apollyon, quasi perditio, abyssus, Apocal. 9.
stagnum ignis & sulphuris: in Euangelio, Gehenna, ignis æternus, ignis inextinguibilis. Sehol sonare Gehennam etiam intelligitur ex adiunctione. Solet enim explicationis causa, cum vocabulo Abaddon cõiungi, quod significat abyssum inferni, perditionísque locũ, Ioannis testimonio. Sic apud Iob, Nudus est Sehol coram eo, Apoc. 9. Prou. 15.
& non vestimentum ipsi Abaddon. Sic in Prouerbiis, Infernus & perditio. In locũ Iob. 26.
Iob, Rabbi Leui ex Hebræorum sententia interpretatur Sehol, imam mundi regionem, seu mundi centrum, queãdmodum Rabbi Abrahã in cap. secũdum Ionæ: Locus scilicet profundus, cœlo oppositus, de quo scribitur, Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. &c. Locus Numerorum inter Brẽtianos & Psal. 138.
Tigurinos cõtrouertitur de Dathan, Coré & Abiron, quos in infernum viuos abreptos Hebræi in Tractatu de cõsuetudine tradunt, & ad suppliciorum loca depressos. Etiam versiculum Psalmi noni, Redimet Deus animã meã de manu inferni quo solent abuti Caluiniani, quoties edere volunt exemplum, quo Sehol ponatur pro Sepulchro, Chaldæus paraphrastes & Rabbi Solomo Iarhi pro Gehẽna, & pœnarum receptaculo interpretãtur. Ex quo perspicitur, quàm temerè & imprudenter de rebus plebi incõpertis Beza pronunciet. Cæterùm ne quid de industria subticeamus, concedimus Sehol, foueã, hiatũm, & sepulchrum aliquando denotare: sed vnà asserimus nullo vocabulo tam frequenter ac tam familiariter in Hebraicis Bibliorum scripturis inferos ipsos, quàm per Sehol designari. Cùm inficietur Beza nusquam reperiri apud Hebræos Sehol pro inferorũm loco, vereor ne incipiat inferos ipsos magis irridere & eludere, quàm credere. Adaugent suspicionem infernalia ipsius acta, quibus per totam vitam, exuta omni cõscientia, omni flagitio insignis euasit. Ad inferorum etiam paulatim ex animis hominum adimendum terrorem, & delẽdam memoriam, iam cœperunt Caluinistæ potissimùm, repugnante litera, sepulchrũ vertere, quoties in Hebraica lectione Sehol occurrit. Ex aduerso ipsi Septuaginta interpretes præ aliis omnibus ampliùs Spiritu sancto afflati, & religiosi, vix Sehol per suam translationem permiserunt vnquam intelligi pro sepulchro: vertunt enim ferè semper in ᾅδην quo vix communis lingua Græcorum, & vix etiam ipsi poëtæ, qui sibi quantam possunt arrogant licentiam, pro sepulchro vtuntur, sed pro animarum post mortem subterraneo receptaculo, quemadmodum nõ inficiatur Beza. Demus igitur Sehol in Græcam linguã transferri εἰς τάφον, ἢ τάφρον, ἢ ᾅδην id est, in sepulchrum, siue foueam, siue ipsos inferos: negamus tamen ab istis Septuaginta & ab aliis accipi pro sepulchro, quoties explicatur per ᾅδην Non disputamus, inquam, an vbi ita transtulerunt, litera Hebraica ferre possit, vt Sehol transferatur εἰς τάφον, ἢ τάφρον, id est, in sepulchrum, siue foueam: sed conuersum in ᾅδην, inficiamur iam Græcam illam vocem ex proprietate & vsu linguæ pati, vt sepulchrum siue fouea tum significetur. Itaque cùm in Bibliorum aliquibus locis Sehol in bono sensu indifferenter possit verti pro sepulchro, fouea, & inferno, si de illis tribus vnam singularem significationem selegerint, & propria dictione expresserint aliqui, iniquum videtur etiam illis alias significationes imputare, quæ minimè conueniant dictioni, qua sunt vsi ad distinguendam

vnam de tribus aut pluribus significationem. Quapropter tam iniquè faciunt, qui ᾅδην pro sepulchro arripiunt, quàm si τάφον, siue sepulchrum ex Schol conuersum, premerent non aliter quàm pro ipso inferno explicandum, quoniam Schol vtrumque significet. Qua de causa fatemur aliquibus locis dubitari posse, in quo significatu Schol vsurpari debeat, cùm variis & diuersis adaptari possit. Sed tertiò dico, secundum mentem Septuaginta interpretum, non aliud quàm ipsos inferos subterraneos, in quibus asseruentur animæ, declarare, quoties in ᾅδην traducitur: quoniam illos inferos ipsa dictio Græca ex proprietate linguæ atque vsu ostendit, & quoniam ea solēt vti iidem Septuaginta interpretes omnibus in locis, in quibus sine cōtrouersia Schol pro ipsis inferis collocatur, nequevnquā illa abutūtur, vbi sine dubitatione verba fieri de sepulchro constat. Quamobrē cùm in ipso textu, de quo quæritur, Nō derelinques animam meā in inferno, ex Schol Hebraïco Græcè reddatur ᾅδης ab ipsis Septuaginta, propter rationes adductas non dubiū, quin ipsi inferi demonstrentur, & non sepulchrum. Confirmat hanc fidem nostrā Lucas, qui ad inferos enuntiādos eadem dictione qua Septuaginta delectatur, cùm in aliis suis

Luc. 16. scriptis, tum in Diuitis epulonis historia, in qua Beza robur maximū ad probandū certum inferni locum contra Brentium constituit. Hîc iterum non est omittenda huius in rebus asserendis temeritas & leuitas. In Acta Apostolica, inquit, Nemo est "

Beza in annot. Actor. 2. qui nesciat ᾅδου vocabulo sepulchrum notari. Græci interpretes Schol in ᾅδην con- " uerterunt, quasi locum tenebricosum dicas, quū hoc vocabulo Græci Poëtæ soleāt " significare, quos Latini Inferos vocant. Væsanus Beza persuadere vult communiter ᾅδην pro sepulchro, omnium Græcorum linguis teri, & raro pro ipsis inferis à Poëtis duntaxat vsurpari. quæ duo quàm falsa sint, nemo profectò est vltra primas literas Græcas progressus, qui nesciat. Nusquam enim, aut quàm rarissimè, ᾅδης pro sepulchro comperietur, & vulgariter pro inferis ab omnibus Græciæ scriptoribus

Beza in annot. in 2. ca. 2. Petri. etiam poëticis frequentatur. Sed Bezę poëtæ leuitas & incōstantia spectetur. Tarta- " rū (scribit) vocarūt Græci infima terræ loca, quæ puniēdis nocentium animis essent " destinata. Itaque quod ad vocabulū ipsum attinet, non dubitauit Petrus illud tan- " quā vulgò tritū vsurpare, quomodo etiam Matthæus & Lucas ᾅδην vocarūt. Igitur, " ô venerabilis Beza, ᾅδης dictio pro inferno, non est ad Poëtas releganda, cùm nulla sit in nouo Testamento pro ipsis inferis familiarior & expressior. Pro ratione interpretationis suæ coniicit Beza post Caluinum, idem efferri per priorem partem versiculi, Non derelinques animam meam in inferno, quod per posteriorē istam, Nec dabis Sāctum tuum videre corruptionem: vt vtrumque membrum ad sepulturam pertineat, Dauidis more, qui explanationis causa consueuit in eodē versiculo idem bis dicere, ita vt planius sentētiam aperiat, quod dictum fuerit posterius. Hoc quidē sæpè in Psalmis accidere admittimus: nō tamē quasi ratū adeo & inuiolatū retineri debet, quin expēdi debeāt singuli Dauidis versiculi, & inuestigāda ac librāda ratio, quæ sensum verborū diuidat, vel coniūgat. Apparet Dauid in versiculo, de quo litigatur, hominis mortē declarare ab enumeratione partiū quibus cōstat, & quarū separatione mors obrepit. Homo coalescit anima & corpore. Cùm mortē obit, illa ab isto distrahitur, & ad locū sibi destinatū vadit: istud verò in sepulchrū putredini reponitur. Eo pacto describit mortē Christi Dauid, vt anima seiūcta à corpore, descēderit in piorū quod tum erat habitaculū: corpus verò fuerit in monumēto cōditū: sed singulare Christo confestim obtigisse priuilegiū subiicit, vt anima rediret ab inferis ad vitā, & corpus è sepulchro exiliret. Ista est naturalis & iusta ratio in duas portiones ꝓ partiū humanarū distinctione diuidēdi versiculi, & ita Petrus videtur partitus ipsū, cū posterius mēbrū quod resurrectionē corporis Christi cōmonstrat,

omisso priore exaggerat. Quod autem ait, Suscitauit eũ à mortuis, amplius iam nõ reuersurum in corruptionẽ, sic explicat, Nõ dabis Sãctum tuum videre corruptionẽ. Cõuenienti modo, ac similibus verbis, cum sacro Poeta Dauide Homerus profanus vates obitum Principum cecinit. Recita (inquit) ô Musa, Achillis iracundiam, quæ tot generosas animas procerum in orcum demisit, & eorum cadauera canibus atque auibus laniãda exposuit: vbi ψυχὰς siue animas, in propria significatione ponit, & earum receptaculum post mortem, ἅδην non sepulchrum, sed infernum, cum Dauide statuit, ac per humanarum partium distractionem mortem hominum describit. Postremò Castaliò rectè obseruat versiculi distinctionem innui ex Symbolo, in quo separatim commemorantur, Sepultus est, &, Ad inferos descendit: cui Beza non aliud potest respondere, quàm malè additum Symbolo articulum de descensu ad inferos, cùm nullum esse existimet, quamuis magister Caluinus inter præcipuos numeret, quem tamẽ interpretatur ex sua insania & blasphemia. Itaque Beza singularis ferus ab omnibus dissentit, & scripturas sacras corrumpit, ac Symbolo Apostolico, & communi hominum sermoni vim facit: qui si solùm articulo de descensu Christi ad inferos obsisteret, à numero fidelium Christianorum esset expungendus, quemadmodum apud Augustinum scribitur. Altera scriptura, quæ ad confirmationem huius articuli proferri solet, ita habet: Quid est quod ascẽdit, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est qui ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Ambigitur quid per inferiores partes terræ significetur. Beza post alios nonnullos tantùm terram arbitratur indicari: Nos penetralia terræ atque ipsos inferos credimus, & iudicamus ab Apostolo demonstrari, cùm antithera atque opposita, quæ sibi correspondeant, connectat, Descendit in inferiores partes terræ, &, Ascendit supra omnes cœlos. Vt enim non contentus fuit ascensum ad cœlos simpliciter affirmare, sed id quod res est, supra omnes cœlos: ita non illi satis fuit descensum in terram eloqui, sed expressit maximam à summo cœlo distantiam per inferiores partes terræ. Ea deinde est phrasis scripturæ, vt cùm longissimum interuallum ascensus & descensus conatur efferre, per cœlum & inferos, siue inferiora terræ, & non per simplicem terram complectatur, quoniam non terræ superficies simpliciter maximè à cœlo dissideat. Iam citauimus, Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Excelsior cœlo est (Iob inquit) & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Quo genere dicendi etiam Christus vtitur, cùm increpat ciuitates: Et tu Capharnaum, numquid vsque in cœlũ exaltaberis? Vsque ad infernum descẽdes. Tertiò iam antea ex Rabbinis Iudæorũ docuimus Sehol, siue infernum, & partes inferiores terræ, nimirùm ipsum centrũ, significare idem quod aliquãdo etiam nominatur infernus inferior, vt Dauid isto versiculo perstringit, Eruisti animam meã ex inferno inferiori. Postremò, vt impleret omnia, tametsi variè explicari possit, & cõsueuerit, & superiùs ad dona pertinere sim interpretatus: attamen si accuratiùs mentem Apostoli indagemus, videtur ad locos accõmodare, non quos impleret & occuparet Christi humanitas, sed in quibus aliquando subsisteret, vt sua præsentia omnẽ creaturam diuersis illis in locis degentem sibi subderet, & in possessionẽ acciperet, atque ita omnes mundi partes imperio, sibi subijceret. Solent autem Apostoli tres mundi regiones enumerare, in quibus creaturas Christo subditas collocant, & quas Christum adiisse commemorant, cœlestem, terrestrem, atque infernalem. Ita hîc Paulus per has mundi plagas Christum innuit circumductum, vt in nomine eius omne genu flectatur terrestrium, cœlestium, & inferorum, & omnis lingua per experientiam confiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei patris. Ita Ioannes Euangelista

Hom. Iliad. 1.

Meretur Beza haberi in numero infidelium, & non Christianorum.

Textus Pauli de Christi descensu ad inferos.

Ephes. 4.

Iob 9.

Matth. 9.

Psal. 86.

Ephes. 4. & Philipp. 2.

Apoc. 5. audiuit omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & in mari, acclamanté sedenti in throno, & Agno, Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Alius locus in nouo Testamento de isto descensu, ex Apostoli Petri epistola sumitur, vbi scribit: Melius est benefacietes pati, quàm malefacientes: Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu: In quo & his qui in carcere erant, spiritu veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noé, cùm fabricaretur arca. De ipsius literæ versione decertant Beza & Castalio. Hic transtulit, Corpore necatus, animo in vitam reuocatus, siue Carne necatus, spiritu in vitam reuocatus, pro, Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu: quam veterem translationem Beza retineri vult, quia magis opinioni suæ faueat, & sequentia sic immutat: Per quem etiam spiritibus, qui sunt in carcere, profectus prædicauit, olim immorigeris, cùm expectabatur Dei patiētia in diebus Noé. Beza ne quidem Caluino magistro parcit, à quo φυλακὴ, non in carcerem, sed in speculam transfertur, vt Limbum euitet, & mortuis virtutem Christi prædicatam & patefactam defendat. Beza verò exponit, non de anima Christi, quæ venerit ad inferos, quasi exolutæ redemptionis nuntia, sed de Christi diuinitate, quæ sæpè spiritus appellatur, cùm carni opponitur, quæ tempore Noé descenderit, & per reuelationes multas se manifestarit, ac fuerit rebellibus contestata de futuro æterno supplicio, nisi resipiscerent, quorum animæ iam tum, cùm ista loqueretur Petrus, carcere inferni concludebātur, quamuis cùm ad eos commonefaciendos descenderet diuinitas Christi, nondum essent nudi spiritus, & animæ, sed homines integri adhuc in mundo superstites. Istam sibi arrogat nouam obscurissimi loci enarrationem gloriosissimus miles & apostaticus Beza, pro qua coràm & per literas iactat, sibi gratias egisse plurimos pios & doctos viros: ita solet honoris causa laudare impiissimos quosque & profligatissimos, qui proni ceciderint in terram, vt bestiam adorent. Antea Caluinus iactabat à se huius loci inuentam expositionem, cui speraret omnes doctos ac pios subscripturos: & hanc illi refert gratiam discipulus, vt primus magistri singularem interpretationem repudiet, ac suam à peritioribus prælatam insolentissimè prædicet. Sed ne glorietur, sciant omnes non ab illo repertam sententiam, quam ostentat, sed ex Augustino compilatam, quam sanctus Doctor citra præiudicium descensus Christi ad inferos, maluit tantùm proponere, quàm vllo pacto commendare. Gratiæ sanè etiam debentur à nobis arrogantissimo Bezæ, quòd nequeat isti textui glosam illam assuere, & à Christi descensu post mortem in anima detorquere, nisi illum per figuras peruertat, & miras tenebras ac vim, non solo sensui, sed simplici Apostolorum sermoni afferat. Negat intelligi, vt verba sonant, in quo & spiritibus, qui in carcere erant, veniens prædicauit: sed imprimis prolepsim siue anticipationem latere putat, per quam rerum ordo & tempus, quo acciderint, inuertitur. Deinde πορευθεὶς, veniens siue profectus nō propriè interpretatur, cùm sic diuinitati non congruat: sed ait per prosopopeiam illi tribui, quæ ad homines spectant: etiam verbum Prædicauit in eandem figuram dissoluit. Restat videndum, cui potius fides sit habenda, istíne expositioni, quæ tot figuras cumulat, quot vocabula reperit, & sensum à dictionibus ipsis tam alienum elicit, vt nullus magis cōtrarius fingi aut excogitari possit: an simplici & recto sermoni, præsertim cùm eum sequātur proximi Apostolorum successores, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Didymus Alexandrinus, Athanasius, Gregorius Nanzianzenus, Cyrillus Alexandrinus, & Leontius Cyprius contra Nestorium: quorum aliqui etiam ex professo disputant, quòd ad diuinita-

Marginalia: Locus Petri de descensu Christi ad inferos. 1. Petr. 3. — In Respons. ad Castal. — Aug. epist. 99 — Beza suo more corrumpit textum Petri Apostoli.

tem solum textus referri nequeat. Nimis enim coactum est à Petro dici de Christo, Veniens, impropriè per anthropopathiam, cùm idem participium πορευθεὶς siue profectus, in eodem contextu de humanitate Christi affirmetur propriè: vbi sic cõcluditur, Per resurrectionem Iesu Christi à mortuis, qui est in dextera Dei, deglutiẽs mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlum, subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus. Habet Brentius, quod Bezæ exprobrãti profectionem in cœlum spiritaliter & anthropopáthως ab illo explicari respondeat: nimirùm ipsum eodem crimine teneri, à quo verba de Christo, profectionem & motum significantia, spiritaliter capiãtur etiam in eodem contextu, quo in cœlum cõmigratio declaratur. Non dubium expendenti intẽtionem Petri Apostoli, quin similiter & in Actis Apostolicis duas profectiones Christi innuat: vnam ad ima terræ & penetralia, vt spiritibus victoriam annunciaret, qua fretus indè erupit, & secunda profectione ad cœli fastigium euasit, vt mortuis ac viuis, atque omni creaturæ dominaretur. Ex collatione locorum, adiuncto Paulo Apostolo ex cap. 1. ad Ephes. facilè conuicitur, ad huius duplicis profectionis scopum collimare Petrum Apostolum, & simplex sermo nullis figuris deprauatus, hunc sensum admittit, & ostendit. Adhæc litera indicat, annũtiatum fuisse spiritibus illis, non qui crimen infidelitatis ex ipsa annuntiatione incurrerent, vt Placet Bezæ, sed qui aliquando, & priusquàm annuntiaretur, fuerant increduli, dum viuerent scilicet, & in mundo agerent. Ita enim sine vlla transpositione habet litera, ἐκήρυξεν ἀπειθήσασί ποτε, Prædicauit his qui aliquando, siue quondam, fuerãt increduli: ac ne vllus relinquatur ambiguitati locus, addit, quo tempore fuerint increduli, nempè in diebus Noé, cùm fabricaretur Arca. Propterea sicut Caluinus notandum diligenter monet, tùm ex præsenti textu, tum ex capite quarto eiusdem Epistolæ, Euangelium annuntiatum fuit, & prædicatio habita mortuis hominibus, & eorum spiritibus: ideò stare nequit Bezæ diuinatio, & literæ deprauatio. At (inquit) illic describitur Christus ad mortuos illos peruenisse, non anima, sed spiritu, siue virtute ac sua diuinitate. Addit fieri tantùm mentionem infidelium, quibus nihil profuit Christi descensus. Tertiò prætexit nihil de liberatione animarum à Petro dici, vt hic locus de Christi ad inferos aduẽtu sumatur. Postremò negat hominibus, quatenus mortuis, fuisse denuntiatum Euangelium, cùm absurdum sit canere surdo, aut mortuo: sed intelligendum tùm prædicatum, cùm possent audire & attendere, id est, cùm viuerent. Nos Athanasiũ & alios Patres secuti, Christi animam ad inferos re vera abiisse credimus, & indè remeasse, non quidem virtute ipsius animæ, sed spiritus, siue verbi ac diuinitatis, cui connectebatur anima. Non tamen sola diuinitas illuc accessit, sed Christus in persona diuinitatis & animæ humanæ eò profectus est, per diuinitatem tamẽ, eiusque potentia, sicut per eandem est in cœlum profectus postea. Idcircò, inquam, non sola diuinitas ad inferos penetrauit, sed Christi anima diuinitatis opera, per quam indè rediit ad recipiendum corpus, & supra cœlos effertẽdum. Hôc textus significat, cùm inquit, Christum ipsum profectum in spiritu, siue per spiritus virtutem. Non ignoro quanta sit inter veteres & recentiores discordia circa eos, quibus in inferis apparuerit, propter hanc Petri scripturam, quæ infidelibus apparuisse videtur tradere. Probabiliter quidem loquuntur illi, qui ad aduentum Christi omnes inferos & dæmones etiam commotos fuisse & contremuisse asserunt, omnibúsque damnatis innotuisse virtutem Christi, & resurrectionem, quamuis nullum fructum inde degustarint, sed soli pij. Attamen vt nulla vis afferatur literæ, non continet prædicatum fuisse inmorigeris & incredulis, sed his qui fuissent aliquando increduli verbo Dei per Prophetas annuntiato, donec experirentur verum esse & firmum:

Beza impingit errorem, quẽ Brentio obiicit.

qua experientia edocti resipuerant, antequàm è vita decederent, vt in diebus Noé, cùm fabricaretur Arca, non fuerant obsecuti prædictioni, qua significabatur illis imminere diluuium, donec eo oppressi, ad se & ad Dei verbum redierunt nonnulli ex ipsis, & obdormierunt in Domino cum piis ad inferos delati vsque ad Christi descensum, quo viuificati sunt, spiritu & anima translati in cœlum, quamuis manserint mortui secundum carnem. Hoc Petrus, etiam interprete Caluino, sentit, cùm inquit postea: Propter hoc & mortuis euangelisatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne, viuant autem secūdum Deum in spiritu. De piis autem qui fuerant increduli aliquando temporibus Noé, potius exemplum quàm de aliis petit, vt sui temporis probos Christianos exhortetur, ne vspiam diffidant sermoni Domini propter afflictiones, aut alias causas, cùm primi, quos scriptura incredulitatis erga verbum Dei redarguit, eius immutabilitatem & firmitatem fuerint experti, & cùm Christus ad se cōuersos ne quidem in ipsis inferis opportuno & promisso auxilio destituerit. Falsum est igitur nihil de liberatione exprimi, cùm istud proferatur exemplum inopinatæ & admirandæ liberationis etiam post mortem, & ab inferis, vt multo minus desperent Christiani in vita superstites de diuino auxilio. Veteres sanè Christiani Didymus Alexandrinus, Gregorius Nanzianzenus, Cyrillus Alexandrinus, Leóntius Cyprius, & Damascenus, quos allegat doctissimus Franciscus Turrianus, interpretantur de his qui piè alioqui ac sanctè vixerant in hoc mundo, licet mysterium incarnationis non plenè credidissent, crediturí tamen plenè, si aduentus Christi in eorum tempora incidisset. Non repugno, quin etiam intellexerit Petrus: expressiùs tamen significat de oppressis diluuio. Neque verò, etiamsi concesserimus nullius liberationis meminisse Petrum, propterea rectè inficiaretur Beza hic agi de descensu Christi ad inferos. Non enim consequitur ipsum eò non descendisse, si neminem indè exemerit, cùm descensionis fuerit etiam sufficiens causa, vt imperium & virtutem suam etiam in ipsis inferis promulgaret & ostenderet, à quibus deglutiri & teneri non potuit. Quod autem tanquam ineptum ridet Beza, quòd mortuis Euangelium annuntiatum interpretemur, cùm mortuos accipi velit eo sensu, quo scribitur Christus ab eodem Petro, iudicaturus viuos & mortuos, non quasi homines quatenus mortuos iudicaturus sit, sed quatenus rediuiuos & excitatos: ita placet Bezæ, prædicatum fuisse hominibus, non quatenus mortuis, sed cùm essent viui ante mortem. Verùm vt suo ipsius iuguletur gladio, Christus non dicitur iudicaturus mortuos, quasi de ipsis laturus sit sententiam, antequàm moriantur: sed mortui dicuntur, quia decesserint è vita, quamuis in eam sint reuersuri, priusquàm vniuersale Dei iudicium subeant. Alioqui quodnam esset discrimen inter viuos & mortuos, quos iudicabit Dominus? Ita antequàm mortuis afferi queat Euangelium publicatum, oportet illos vitam cum morte commutasse, siue ad illam redierint, siue non. Itaque stare non potest Bezæ sententia, vt mortuis dicatur concio de Christo facta, quia hominibus fuerit habita, cùm viuerent, qui postea obierint. Non enim mortui corporaliter vocantur in scriptura, nisi quorum anima seiungitur à corpore, neque mortuis quicquā accidere dicitur, nisi tales sint, qui iam morte fuerint defuncti. Ergo cùm mortuis feratur Euangelium propositū, de hominibus iam morte defunctis intelligatur oportet, quorum spiritus viuunt, & capaces sunt diuinarum annuntiationum & inspirationum. Quamobrem ruit Bezæ figmentum, per exemplum ab ipso productum, de iudicio viuorum & mortuorum per Christum, & necesse est hominum post mortem spiritus, sicut Petrus exprimit, prædicatum à Christo fuisse Euangelium. Hoc duo loci Petri inter se collati euidenter declarant. Quod attinet ad quæstionem, An Christus ab inferis emer-

Didym. in ep. Petri. Gregor. Naz. orat. 2. de Pasc. Cyrill. Alex. in ca. 14 Zachar. Leont. Cypr. cōtra Nestorium. Damasc. lib. 3. de fide orthod. et lib. De mortuis. Hoc citat Franc. Turriā. lib. 1. de Ecclesiast. ministerio cap. 9.

emergens, secum abduxerit piorum animas, atque in cœlum secum traduxerit: id affirmat fides Catholica scripturis innixa, quibus asseritur Dominus Iesus in sanguine Testamenti vinctos eduxisse de lacu: domum fortis, atque eius vasa diripuisse: necnon alia gessisse, quæ habentur de ista liberatione in aliquot Psalmis, & aliis scripturis. Caluinistæ, ne Limbo, aut vlli alteri animarum receptaculo, in inferioribus partibus dent locum, negant vllas piorum animas in illis inferorum regionibus habitasse, sed aiunt ab origine mundi, continuò post mortem in cœlum euolasse, vbi fruerentur sempiterna beatitudine. Epulonis adhibent historiam, in qua sinus Abrahæ adeò remotus ab inferis describitur, vt magnum chaos, & totius mundi vastitas & moles videatur interiacere. Nos magis conuenienter cum scripturis credimus, & docemus, ianuam cœli nemini patuisse ante Christum. Vt enim primus Adam de paradyso pelli meruit, & debuit, ita secundum Adamum decuit paradyso & cœlo primùm restitui. Hic quod erat aduersum nos chirographum, quo Diaboli carceribus mácipabamur, sua morte sustulit, ac cruci affixit, vt expoliaret principatus & potestates. Antea igitur adhuc regni possessio impediebatur. Inimicitias interfecit in carne sua, ac medium parietem maceriæ soluit, vt per ipsum haberemus accessum ad Patrem. Si illum primum oportuit resurgere, & corporaliter in cœlum ascendere, vt internosceretur primogenitus inter mortuos, & in omnibus primatū gerens, cur eius anima primogenitura cœli defraudabitur? Non sufficiebat ad primatum constituendum, merito eius, atque in eum fide, aliorum corpora excitari, & in cœlum attolli: sed oportuit ipsum primum corpore resurgere, & cœlū conscēdere. Eodem pacto non satis erit ad confirmandū in omnibus primatū, ipsius merito aliorum animas cœlū ingredi, & inhabitare: sed necesse erit illius animā primam introire in cœlum, & aliis viam aperire atque commonstrare. Alioqui ridiculū iudicabitur, secundum potiorem hominis partem, nimirùm animam, supra Christum primatum aliquos obtinuisse, ante ipsum in cœlum admissos, & secundum inferiorem, nempè corpus, illum primogeniturā paradysi & cœli tantùm retinuisse. Deinde Apostolus ante aditum Christi in cœlum, expressè tradit nondum fuisse propalatam & manifestatam Sanctorum viam, quādiu tabernaculum Mosis stetit ratum coram Deo: sed obstructam viam ait à Christo initiatam, ac renouatam per velamē, id est, carnem eius, quam cœlo intulit, atque ita aliis iter muniuit post se. Præterea scribit idem Patres expectasse fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor esset Deus: attamen defunctos fuisse omnes iuxta fidem, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites essent super terram. Qui enim hoc dicunt (addit Apostolus) significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideò non cōfunditur Deus, vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Itaque quid appetebant Patres, & ex fide expectabant sibi promissum, quod tamē non acceperunt, nisi cœlestem illam ciuitatem, cuius conditor est Deus, quam tamen non sunt adepti, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ait Paulus, vt non sine nobis consummarentur? Non ignoro quàm difficilis habeatur iste locus Apostoli: nihilominus quocūque sensu accipiatur, certum est inter promissa, quæ Patres sine noui Testamenti populo non impetrarunt, commemorari expressè ciuitatem & habitationem cœlestem. Et certè Paulus ita allegoricè interpretatur promissiones de terra Promissionis factas ipsis Patribus, ad quam non Moses, nec alius potuit illos introducere, sed Iosué, Domini nostri Iesu Christi typus & figura. Neque vacat, aut sine ratione fit, vt in scriptura Patres illi ante Christum, quoties de sua com-

Zachar.9.

Caluinistæ tollunt Limbum Patrum.

Caluinistæ vt limbum negēt, asserunt pios ante Christum ingressos cœlū.

Nemo ascendit in cœlum ante christum.

Colossen.2.

Ephes.2.

Heb.9. & 10.

Heb.4.

migratione ex hoc ſeculo colloquuntur, ferè ſemper in inferis deſignant ſibi ſedem conſtitutam: contrà verò poſt Chriſtum natum, ex quo cœpit prædicatio, Pœnitẽtiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: pij numquam inferorum, ſed cœli ſemper meminerunt. Ex libro Iob aliquot locos citat Caluinus, quos ſuo more in alienam ſententiam contorquet. Vnicus locus de Geneſi ſatisfecerit, in quo Iacob dixit, Deſcendam ad filium meum lugens in inferos. Scio ab Hebræis peruerti, quaſi pro ſepulchro ponatur: ſed adiuncta cogunt pro ipſis inferis ſumi. Deſcendam enim, & Ad filium, de viuentibus intelliguntur, non de cadaueribus: Nec ait, Propter filium: ſed Hebraïca litera exprimit, Ad filium: nec mortui propriè dicuntur deſcendere in ſepulchrum, ſed inferri. Annotarunt quoque antiqui Theologi nonnulli, ſtatim à paſſione, paradyſi mentionem factam à Chriſto, & tùm primum latronem pro latrone Adamo, quaſi poſt liminio reductum in paradyſum, atque in eius poſſeſſionem præmiſſum. Caluinus ſanè poſtquàm multũ ſudauit, vt textum Petri ſubuertat, & φυλακὴν transferat in ſpeculam, & non in carcerem, victus tamen literæ euidentia, aſſentitur pios inuentos in carcere, quamuis non eodem quo impij. Profectò beatas illas ſedes cœli piis pro carcere non deputabit, ne Sanctos perpetuis carceribus addictos à Deo pro præmio cogatur concedere. Non dubium quin noſtra ſententia communi omnium Chriſtianorum conſenſu confirmetur. Non enim omnes ad vnum primitiuæ Eccleſiæ ſcriptores aliam ob cauſam Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, tanquam tritum & confeſſum inter Chriſtianos ponunt, quàm vt ibi vinctos & detentos pios ſolueret, & ſecum in cœlum Tranſueheret. Ex illis quoque, quotquot commentantur Epiſtolam ad Hebręos, locos allatos ferè ſimpliciter, vt fecimus, enarrant, & quoties occurrit occaſio, ingenuè profirentur, interclusum fuiſſe cœlum hominibus ante Chriſtum. Tertullianus ita ſcribit: Per Chriſtum aditur cœlum, de quo Amos, Qui ædificat in cœlo aſcenſum ſuum, vtique non ſibi ſoli, ſed & ſuis qui cum illo erunt. Athanaſius quoque ait: In cœlum nouum iter aperuit, quod ſub his verbis indicatur, Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales. Nihil certè ille, qui hæc verba vſurpat, opus habuit reſeratione portarum, quippè omnium Dominus: ſed nos eramus, quibus ea reſeratio neceſſaria fuit. Ambroſius etiam ſic loquitur: Eſt alia mors, quæ ſecunda dicitur in Gehenna, quam non peccato Adæ patimur, ſed eius occaſione propriis peccatis acquiritur: à qua boni immunes ſunt tantùm quòd in inferno erant, ſed ſuperiori, quaſi in libera cuſtodia, quia ad cœlos aſcendere non poterant. Sententia enim tenebantur data in Adam: quod chirographum in decretis morte Chriſti deletum eſt. Sententia enim decreti fuit, vt vnius hominis corpus ſolueretur ſuper terram, anima verò vinculis inferni detenta, exitia pateretur. Paterno peccato ex ſententia Dei erant apud inferos. Gratia Dei abundauit in deſcenſu Saluatoris omnibus dans indulgẽtiam, cum triumpho ſublatis eis in cœlum. Pleraque ſimilia ſuppeditabit lectio veterum Theologorum. Porrò vt hiſtoriæ Diuitis epulonis ſatisfiat, Ambroſius loco proximè citato, ac ferè omnes alij Patres, rem geſtam notant in inferno, quamuis ibi magno diſtarent interuallo à damnatis Sancti. Deinde non ineptè nonnulli putant, hiſtoriam illam narrari per anticipationem, ac tales homines deſcribi, quales futuri ſunt poſt reſurrectionem, & in inferno, & in cœlo corporibus receptis: ac proindè non recitari nudarum animarum acta, ſed membrorum corporalium, vtpotè linguæ, oculorum, & manuum. Atque iſto pacto aptè Abraham cum Lazaro in cœlo ſitum ac viſum admitteretur, ad quod per Chriſtum cum aliis fuerint tranſlati. Cæterùm vt conſpiciatur quantus fuerit conſenſus veteris Eccleſiæ de deſcenſu Chriſti ad inferos, & Patrum captiuitate apud ipſos, libet ordine

ab

Geneſ. 37.

In Pſychopannychia, & cõmentar. ad 3. cap. 1. epiſt. Petri.

Tertull. lib. 3. in Martion.

Athanaſ. de humanitate Verbi.

Ambroſ. in ca. 5. ad Rom.

ab Apostolis Patrum testimonia recensere, qui etiam usi sunt isto articulo ad confutandas alias hæreses, & ei principij, de quo nefas esset dubitare, dignitatem & excellentiam tribuerunt. si quidem Augustinus scribit in numero fidelium non habendum, quisquis in triduo sepulturæ animam Christi non inuisisse inferos dixerit. Quoniam tamen nonnulli ex Patribus in enarrandis factis Christi in ipso descensu, videntur veritatis fines prætergressi, retineatur pro fide ac religione Catholica, quod secundum scripturas communi omnium consensu expositas, vno ore profitentur: singularia quædam suorum authorum opinionibus relinquantur. *Consensus patrum de descensu Christi ad inferos.*

Narrat Eusebius Abgarum regem postulasse à Thaddæo breuem narrationem de Christo: cui ille quidem summam historiæ Christi percurrit, & articulos Symboli Apostolici de Christo perstrinxit, vt ex lingua Syriaca ait Eusebius se transtulisse hoc contextu: Quomodo mortuus sit, quanta à Iudæis perpessus, ac quomodo crucifixus, atque ad inferos descenderit, sepémque illam antea numquam diruptam sciderit: resurrexit etiam, ac mortuos, qui à seculis dormierant, vnà excitauerit: & quomodo solus quidem descenderit, multa verò turba comitatus ad Patrem ascéderit: quomodo etiam ad dexteram Dei ac Patris cum gloria in cœlis sedeat: ac postremo, quomodo rediturus sit cum gloria ac potentia, ad iudicandum viuos & mortuos. *Euseb. lib. 1. ca. vlt.*

IGNATIVS. Verè, non opinione crucifixus ac mortuus, videntibus cœlestibus, & terrestribus, & infernis: cœlestibus quidem, vt incorporeis naturis: terrestribus verò, vt Iudæis & Romanis, & iis hominibus, qui per id temporis præstò aderant, quando crucifixus est Dominus: infernis autem, vt eorum multitudine, qui cum domino surrexerunt. Multa (inquit) sanctorum corpora dormientium resurrexerunt monumentis patefactis. Et descendit ad inferos solus, ascendit verò cum multitudine: & scidit maceriam, quæ à seculo erat, & medium parietem eius dissoluit.

IRENÆVS in eos, qui resurrectioni corporum detraherent, in argumentum trahit descensum Christi ad inferos, qui fuerit commoratus ibi cum mortuis triduo à morte, antequàm rediret in vitam & resurrectionem. Si ita esset (ait) quemadmodum dicunt, ipse vtique Dominus, in quem dicunt se credere, non in tertia die fecisset resurrectionem, sed super crucem expirans, confestim vtique abiisset, sursum relinquens corpus terræ. Nunc autem tribus diebus conuersatus est, vbi erant mortui, quemadmodum Prophetia de ipso inquit: Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum piorum, eorum qui ante dormierunt in terram stipulationis, & descédit ad eos, extrahere eos, & saluare eos. Ipse autem Dominus, Quemadmodum (ait) Ionas in ventre Ceti tres dies & tres noctes mansit, sic erit filius hominis in corde terræ. Sed & Apostolus ait: Ascédit autem quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ? Hoc & Dauid in eum prophetans, dixit, Et eripuisti animam meam ex inferno inferiori. Si ergo Dominus legem mortuorum seruauit, vt fieret primogenitus à mortuis, & commoratus vsque in tertiam diem in inferioribus terræ, pòst deinde surgens in carne ascendit ad Patrem: quomodo non cófundentur, qui dicunt inferos quidem esse hunc mundum, qui sit secundum nos, interiorem autem hominem ipsorum hîc derelinquentem corpus, in supercœlestem ascendere locum? Cùm enim Dominus in medio vmbræ mortis abierit, pòst deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est, manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum eis à Deo. *Lib. 5.*

Alibi locum Petri de Christi descensu explicat, & scribit: Iratus est Dominus in Solomonem. Non enim erat cor eius perfectum in Domino secundum cor Dauid *Lib. 4.*

patris eius. Sufficiẽter increpauit eum scriptura, sicut dixit Presbyter, Et propterea „ Dominum in ea quæ sunt sub terra descendisse, euangelisantem & illis aduentum „ suum remissæ peccatorum existentem his qui credunt in eum. Crediderunt autem „ in eum omnes, qui sperabant in eum, id est, qui aduentum eius prænuntiauerunt, & „ dispositionibus eius seruierunt, quibus similiter vt nobis remisit peccata. „

De fuga. TERTVLLIANVS etiam videtur inter Symboli articulos descensum agnoscere, & ex inferis Patres in cœlum traductos profiteri. Inter iniquos (inquit post „ multa) deputatus est, & traditus est in mortem: Totum hoc, vt nos à peccatis lucra- „ retur. Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emãcipatio nostra est, & sti- „ pulatio nostra in cœlis: subleuatæ sunt portæ sempiternæ, vt introiret rex gloriæ. „ Dominus virtutum hominem de terris, imò ab inferis mercatus est in cœlos. Idem „ libro de anima prolixè disputat de hoc Christi descensu, & in eo contra fidem Catholicam peccat, quòd decernat adhuc iustorum animas reseruari in inferis in diem iudicij.

Lib. 6. Strom. CLEMENS ALEXANDRINVS post aliqua præmissa, quibus probet ex textu Petri, & aliis, auditam vocem fuisse, & prædicationem Domini ab his, qui detinebantur in inferis, concludit: Si ergo Dominus nulla alia de causa descendit ad „ inferos, quàm vt annuntiaret Euangelium, sicut descendit, aut ascendit, vt an- „ nuntiaret omnibus, aut solis Hebræis. Atque si omnibus quidem, salui erunt „ omnes qui crediderunt, etiamsi sint ex gentibus, cùm iam illic confessi fuerint. „ Sunt enim salutares, & quæ erudiunt, castigationes adducentes ad conuersio- „ nem, & potiùs pœnitentiam eligentes quàm mortem: idque cùm possint animæ „ puriùs perspicere, quæ sunt liberæ à corporibus, etiamsi obscurentur vitiis & per- „ turbationibus, eo quòd non se eis amplius opponat, & eas impediat caruncula. „ Sin autem Iudæis solùm annuntiauit Euangelium, quibus defuit ea quę est per Ser- „ uatorem agnitio & fides, clarum est vtique, quòd apud Deum nullus sit persona- „ rum respectus. Apostoli quoque sicut hîc, ita etiam illic annuntiarunt Euangelium „ iis, qui ex gentibus erant apti ad conuersionem, & rectè dictum est à Pastore: De- „ scenderunt ergo eorum quidam in aquam, sed hi descenderunt viuentes, & viuen- „ tes ascenderunt. Illi autem qui priùs dormierant, mortui descenderunt, viui autem „ ascenderunt. Iam verò dicit etiam Euangelium surrexisse multa corpora eorum „ qui dormierant, vt qui viui translati essent ad meliorem locum. Fuit ergo generalis „ quidam motus & translatio per Saluatoris dispẽsationem. Pluribus aliis verbis per- „ sequitur Petri Apostoli scripturã, tametsi à veritate excidat, cùm ait aliquos damnatos conuersos in inferno ad prædicationem Christi, & post Christum ad inferos

Lib. 2. in Celsũ. quoque Apostolos descendisse ad annuntiandum Euangelium.

CELSVS inter alia, quibus Christianos lacessebat, dicebat, Non estis vos asser- „ turi, quòd vbi nemini potuit Christus vester in terris, quæ vellet, persuadere, ad in- „

Tertull. lib. de anima cap. de inferis. feros sit tandem demissus, vt suam opinionem induceret. Respondet Origenes: At- „ qui vel Celso inuito dicturi sumus, vel cùm in humanis ageret Iesus, & corpore ad- „ huc permaneret, non paucis illũ, sed tam multis persuasisse, vt præ eorum iam mul- „ titudine, quos dicto audientes haberet, paratę sibi insidiæ sint: & vbi è vita excessit, „ deposito corpore in animam nudam redactus, cum animis etiam corpore vacuis, „ nudatísque versabatur, ex his ad se reuocans, quos vel sequi se vellet, vel pro cogni- „

Lib. 5. in ep. ad Rom. et ho. 35. in Genesin. tis sibimet rationibus aptiores videret, vt ad se conciret. „

Idem alibi clarius de descensu ipso trad[illegible]. Si autem (inquit) etiam in eos, qui non „ peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, mors ista, quæ in inferno ani- „ mas detinebat, regnasse dicatur, intelligimus & Sanctos quosque sub ista morte, „

infernum

etiamsi non peccandi, at certè moriẽdi lege decidisse. Christum verò idcircò in infernum descendisse, non solùm vt ipse non teneretur à morte, sed vt eos, qui inibi, non tam præuaricationis, vt diximus, crimine, quàm moriendi cõditione habebãtur, absolueret: sicut scriptũ est, Quia multa corpora Sanctorũ dormientiũ surrexerũt cũ illo, & ingressi sũt in sanctã ciuitatẽ. In quo Prophetæ dicta cõplentur, qui ait de Christo, Ascendens in altũ, captiuã duxit captiuitatẽ. Et hoc modo per resurrectionẽ suam mortis quidem iam regna destruxit, & captiuitatẽ scribitur liberasse. Eodem in libro paulò pòst annectit: Per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberauit eos qui tenebantur à morte. Hic enim alligato forti, & in cruce sua triumphato, perrexit etiam in domum eius, in domum mortis, in infernum, & inde vasa eius diripuit, id est, animas quas tenebat, abstraxit. Et hoc erat, quod ipse per ænigmata loquebatur in Euangelio, dicens, Quis potest introire in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit forte? Prius ergo alligauit eum in cruce, & sic ingressus est domum: id est, infernum, & inde ascẽdit in altum, captiuam duxit captiuitatem, eos scilicet qui cum ipso surrexerunt, & ingressi sunt sanctam ciuitatem Hierusalem cœlestem.

CYPRIANVS. Velut si quis Rex pergat ad gentem, in qua proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, deuictáque carcerem intret, in qua vincti detinebantur: soluat catenis vincula, & claustra comminuat, & vinctos in remissionem educat, & eos qui sedent in tenebris, & in vmbra mortis, luci ac vitæ restituat. Ergo dicitur Rex quidem fuisse in carcere, non tamen ea conditione, qua cæteri, qui tenebantur inclusi, sed illi quidem vt pœnas soluerent, hic verò vt absolueret pœnas. Cautissimè autem qui Symbolum tradiderunt, etiam tempus, quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt, designauerunt, ne ex aliqua parte velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret. Sciendum sanè est, quòd in Ecclesiæ Romanæ Symbolo nõ habetur additum, Descendit ad inferna, sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quòd sepultus dicitur. Multis postea interpositis subiicit Cyprianus: Sed & quòd in infernum descendit, euidenter pronuntiatur in Psalmis, vbi dixit, Et in puluerem mortis deduxisti me. Et iterum, Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Et iterum, Descendisti in limum profundi, & non est substantia. Sed & quod Matthæus dicit, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Vnde & Petrus dixit, Quia Christus mortificatus carne, viuificatus autem spiritu. In ipso ait, & eis qui in carcere inclusi erant in diebus Noé, in quo etiam quid operis in inferno egerit, declaratur. Sed & ipse Dominus per Prophetam dicit, tanquam de futuro, Quia non derelinques animam meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. quod rursus propheticè nihilominus ostendit impetũ, cùm dicit, Domine, eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.

In Symbolo Apostol.

In Symbolo. quamuis aliquando non haberetur de descensu Christi ad inferos, apud quosdam semper tamen credebatur.

Impossibile quippè erat illam sanctam animam tuam teneri ab inferis, de qua ipse ad Patrem dicis, Quia non derelinques animã meam in inferno, nec corrumpi carnem meam in sepulchro: quia vbi in præsentia illius effractis inferis est captiuata captiuitas, præsentata victrice anima in conspectu Patris, ad corpus suum sine dilatione reuersa est, & appropinquauerunt saluti, qui longè erant à salute, & inter mortuos liber morti obnoxios perpetua libertate donauit.

Cypr. Sermone de passione. & Sermone de resurrect.

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS. Descendit ad inferos, vt & illinc iustos liberaret. Cur enim vellet viuentes quidem frui gratia, quamuis plurimi ex his sancti non essent: qui verò cum Adam à lõgo tempore inclusi erãt, deinceps nõ potiri libertate? Isaias Propheta tanta de illo prædicauit, & non vis vt Rex descen-

Catechef. 4.

F

dens liberet suum præconem? Dauid illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Ioannes, qui ad eum per suos nuntios dicebat, Tu es qui venturus es, an alium expectemus? Non vis vt descendens liberet tales?

De incarnatione Christi. ATHANASIVS Apollinaristarũ hæresim ex descensu ad inferos refellit, quoniã ex illo patefactũ sit, Christum anima humana fuisse præditum. Credite (inquit) animam interiorem hominem esse: quoniam id & à prima plasmatione ostẽditur, & à secũda dissolutione cõmonstratur, quùm nõ solùm in vobis, sed & in Christi morte quoque id ipsũ pateat, corpore nõ vltra sepulchrũ delato, anima ad inferos penetrante, locis ingẽti interuallo discriminatis, sepulchro quidẽ id quod corporeũ erat, quia ibi corpus aderat, recipiẽte, inferno verò id quod incorporeũ fuit. Qua ratione igitur factũ est, vt quum Dominus adesset incorporaliter, pro homine à morte sit agnitus? vt earũ animarũ, quas inferus tenebat, vincula, sua anima, inobnoxia quidẽ vinculis mortis, sed tamẽ quæ quasi obnoxia facta esset, disrumperet? explicans illi modum rationémque suæ resurrectionis, vt plastes ille & cõditor hominis, hominẽ damnationi subiectũ, ipse præsens ad plenũ liberaret in sua forma? Non enim mors præualescẽs subiecit sibi humanam verbi animã, vt vincula illi innecteret, nec corruptio per tyrannidẽ inuadens, in eius corpus vim suã exercebat ad putrefactionẽ, quasi rebus malè curatis. Id enim de eo cogitare prorsùs impiũ est. Sed qui de Adæ inobediẽtia quæstionẽ habuit, iudicióque peracto duplicẽ pœnam in sententia sua complexus erat, dum rei terrestri ita loquitur, Terra es, & in terrã reuerteris: atque ita pro decreto, Domini corpus in terram abscedit: animæ autem dixit, Morte morieris: atque hinc est, quòd homo in duas partes discerpitur, & vt ad duo loca discedat, condemnatur. Ac proinde opus fuit illo ipso iudice, qui hoc decretũ tulerat, vt ipse per se sententiam solueret sub specie cõdemnati, incondemnatũ se, sincerúmque à peccatis ostendẽs, vt hominem Deo recõciliaret, hominémque totũ in libertatẽ vindicaret in nouitate imaginis filij eius Iesu Christi Domini nostri. Iam si mihi alium locũ cõdemnationis præter hos duos ostendere potestis, meritò hominẽ dixeritis tripliciter diuidi, & ex duobus locis reuocationẽ factã esse, & in tertio manere colligatũ in vinculis. Quod si tertiũ aliquem locũ ostendere non potestis præter sepulchrũ & infernum, ex quibus planè ereptus est homo, Christo assertore, per suã speciẽ cum nostri similitudine congruentẽ, eáque verã, & neutiquã imaginariã.

Ibidem nõnullis interiectis iterũ eãdem causam perorat: Quomodo dicitis quòd pro interiore homine, qui in nobis est, supercœlestis in Christo fuerit? Nónne diuisus in duas partes vt homo, & in sepulchro & apud inferos agebat? Neque potuit aliud ꝓ alio in redemptionẽ pẽsari, sed corpus pro corpore, anima pro anima reddẽda fuit, & integrũ aliquid pro integro homine, hoc est Christo, pensandũ permutãdũque fuit. Imò neque infernus sustinuisset nudæ Deitatis accessũ: quod & Apostoli testantur, &c.

De aduentu Christi. & o-rat. 2 in Arrianos. Contra eosdem verbis inuehitur, quibus meritò possumus Caluinistas & Brentianos insectari: Vos quasi qui Apostolis sitis sapiẽtiores, & in mysteriis Prophetis peritiores, grauiores Euangelistis, & quasi maioris authoritatis quàm vel ipse Dominus, ementitia illa vestra in dicenda cautione abnegata veritate, contra diuinitatem gannitis, cùm res ipsa liquidò pateat, & in cruce declarata sit, & sanguinis è carne profluxione confirmata, non vt tandem segregatio deitatis, sed vt corporis mortificatio ostẽderetur, quo tẽpore diuinitas, neque corpus in monumẽto, neque animã in inferno destituit. Hoc enim est quod dictum est per Prophetas, Nõ relinques animam meam apud inferos, neque dabis Sãctum tuum videre corruptionẽ. Quocirca in animam quidem Christi mors deuicta est, resurrectióque ab inferis

deprom-

deprompta,& spiritibus annuntiata est:in corpore verò Dei corruptio abolita est, & incorruptibilitas è sepulchro emicuit. Quapropter non homo à Deo segregabatur,neque Deus hominem dereliquit,neque mortificatio, spiritúsque abscessio, transitus erat Dei à corpore,sed animæ à corpore segregatio.

HILARIVS. Vtrumque ex eo,quòd & homo,& Deus erat,dixit,Si ascendero in cœlum, tu illic es:si descendero in infernum, ades. Humanæ ista lex necessitatis est,vt sepultis corporibus ad inferos animæ descendant: quam descensionem Dominus ad consummarionem veritatis non recusauit. *In Psal. 138. et lib. 10. de Trinitate.*

BASILIVS. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Palàm vaticinatur Christi ad infernum descēsionem,qui vnà cum aliis Prophetæ Dauidis animam sit liberaturus,vt ibi nequaquàm permaneat. *In Psal. 44. et 48.*

AMBROSIVS. Quòd autem ascendit,quid est,nisi quia & descendit in inferiora terræ? Alij homines descenderunt, vt illic remanerent. Ex sententia enim tenebantur apud inferos,quæ sententia tenere Saluatorem nō poterat, quia vicit peccatum. Triumphato ergo Diabolo,descendit in cor terræ,vt ostensio eius prædicatio esset mortuorum, vt & quotquot cupidi eius essent,liberarentur. Nec poterat non ascēdere,qui ad hoc descenderat,vt vi potestatis suæ calcata morte, cum captiuis, quorum causa pati se permisit,resurgeret. Huc ergo descēdens è cœlis in terram homo natus est:pòst mortuus,descēdit ad inferos: ex quibus tertio die resurgēs,ante omnes mortales ascendit super cunctos cœlos, vt illusam mortem ostēderet creaturæ. *In cap. 4. ad Ephes. & lib. 3. de fide cap. 3.*

HIERONYMVS. Quòd autem ascendit,quid est,nisi quia & descendit in inferiores partes terræ? Infernum sub terra esse nemo iam ambigat. Qui descendit cum anima in infernum, ipse cum anima & corpore ascendit in cœlum. *In cap. 4. ad Ephes.*

Tu autem in sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Quod ita intelligitur: In sanguine passionis tuæ eos,qui vincti tenebātur in carcere inferni,in quo non est vlla misericordia,tua clemētia liberasti. Denique postquam Dominus resurrexit,hi qui peccatis Adam,siue(vt quidam volūt)erroris moliti, ac mortis vinculis tenebantur, resurrexerunt cum eo,& apparuerūt in sancta ciuitate. Munitionem,ad quam cohortatur Dominus vinctos,non aliam debeamus accipere,nisi habitationem paradysi,in quam primus cum Domino latro ingressus est. *In cap. 9. Zachar.*

EVSEBIVS. Vsque ad mortē, atque vsque ad ipsos mortuos leges charitatis erga homines ipsum vocabant,vt eorum quoque,qui antea mortui erant, animas reuocaret:quandoquidē omniū,quicunque à cōdito æuo fuissent,salutē ipse curabat, necnon vt sua morte deleret eum, qui habebat mortis imperium. Atqui hoc quoque promiscuè rursus dispensationem obiuit:quippè qui tāquam homo,corpus de more sepeliendū reliquerit,ab eodē verò corpore tanquā Deus discesserit. Quum enim altiùs vocem emisisset, & Patri dixisset,Cōmendo spiritum,solutus à corpore abiit,neutiquā aspectans dum mors ad ipsum accederet,sed illam cunctantē, ac veluti cessantem,ac potius fugitantē,ipse à tergo insequēs atque impellēs,æternásque abditiorum tenebrarū portas refringens,& mortuis, qui illic catenis mortis impliciti erant,remeandi ad vitam iter retrorsum aperiēs. Hac sanè ratione ipsius etiam corpus mortuum excitatum est,& multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt,vnáque cum ipso in sanctam ac verè cœlestem ciuitatem ingressa sunt, vt meritò ex hoc in sacris literis dictum est, Absorpta est mors,quæ inualuerat:& obiurgans mortem in Prophetis inducitur,& animas soluens,quæ illic vinctæ detinebantur, vbi victoriæ hymnum pronuntiat,ipsa hæc planè dicens, De manu inferni eripiam eos, & à morte liberabo eorum animas. Causa verè prima est, vt tam in mortuis quàm in viuis dominaretur. *Lib. 4. de demonstrat. Euāgel. cap. 12.*

Lib. 2. in Symb. CHRYSOSTOMVS. Descẽdit ad infernũ, vt & ibi miraculo non vacaret. Nam multa corpora Sanctorum resurrexerunt cum Christo, quæ postea mortua sunt, sicut Lazarus, sicut filia Archisynagogi, sicut filius viduæ. Quod fecit in istis tribus, hoc fecit per propriam resurrectionem in multis sanctis. Nam multa corpora Sanctorum resurrexerunt cum Christo, de quibus dixit, Apostolus, Ex quibus plures manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt.

De recta fide ad Theodosiu. CYRILLVS. Nullo genere cogente à seipso animam posuit, vt & viuentibus & mortuis dominaretur, carnem quidem suam in redemptionis pretium pro carne omnium impẽdens, & animam suam simpliciter pro omnium anima redemptionis pretium constituens, quamuis iterum reuixerit vita secundum naturam, existens vtpotè Deus. Vnde & D. Petrus ait, Non derelinques animam meam in inferno, neque caro videbit corruptionem. Non enim fas est dicere, carnem vnitam verbo, corruptioni aliquando obnoxiam, & diuinam animam detineri intra portas inferni. Nõ enim derelictus est in inferno, sicut diuinus dicebat Petrus. Minimè dicemus naturam, quæ omninò à morte deprehendi & capi nequit, hoc est, deitatem vnigeniti, à subterraneis specubus remeasse. Neque ea res miraculum haberet, nisi manifestet in inferno verbo Dei, diuinitatis quidem efficacia & natura, mirè & supra captum rationis omnia implens, & in omnibus agens. Ipsum autem à nullo capitur. Admirabile etiam est omnibus, quòd corpus quidem resurrexit natura corruptibile: erat enim proprium corruptibilis verbi. Anima autem ad illud copulam & vnionem sortita, descendit quidem in infernum, diuina autem virtute & potestate vtens, etiam spiritibus, qui illic erant, apparuit. Tale quiddam etiam D. Petrus dixisse videtur de verbo Dei, & anima ipsius secundum dispensatiuam vnionem: Mortificatus est carne, viuificatus est spiritu: in quo abiens, etiam spiritibus, qui in carcere erant, prædicauit, qui inobedientes quondam fuerant. Neque enim, opinor, quisquam dixerit, quòd nuda & per se deitas vnigeniti descenderit quidẽ in infernum, & prædicauerit spiritibus qui illic sunt, quæ omninò est inuisibilis. Sed neque admittimus, quòd ipsa apparenter & figura in animæ speciem transformata sit. Cauenda enim omninò est illa apparentia. Sed quemadmodum vnigenitus cum his, qui adhuc in carne, conuersatus est cum carne, ita & animabus in inferno prædicauit, animam habens sibi vnitam, in qua fuit.

Epist. 99. 57. 59. AVGVSTINVS. Dominum quidem carne mortificatum, venisse in infernum satis constat. Neque enim contradici potest vel Prophetiæ, quæ dixit, Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Quod ne aliter quisquam sapere auderer, in Actis Apostolorum idem Petrus exponit. Quis ergo, nisi infidelis, negauerit fuisse apud inferos Christum? Secundum creaturam, quam ex quodam tempore suscipiendo manens Deus homo factus est, hoc est, secundum animam eum fuisse apud inferos, apertè scriptura declarat, & per Prophetiã præmissa, & per Apostolicum intellectum satis exposita, qua dictum est, Non derelinques animam meam in inferno. Quamobrem teneamus firmissimè, quod fides habet fundatissima authoritate firmata, quia Christus mortuus est secũdum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, & cætera, quæ de illo testante veritate conscripta sunt. In quibus etiam hoc est, quòd apud inferos fuit, solutis eorum doloribus.

DE EXISTENTIA CORPORIS ET SANGVINIS IN Eucharistia, extra vsum eius, & eiusdem asseruatione in ciboriis, & alibi.

CAP. 12.

Quæ

QVÆ de existentia corporis & sanguinis Domini in sacramento antea disputata sunt, quamuis valeant plurimùm etiam contra eos, qui tantùm illam constituunt & agnoscunt in solo vsu sacramenti, extra quem non magis carnem & sanguinem in pane & vino adesse opinantur, quàm in alio cibo: nihilominus ne quid relinquamus indiscussum, demonstremus manere corpus & sanguinem Domini in pane & vino, quādiu asseruari possunt salua & incorrupta: atque ita credidisse Christianam Ecclesiam ab Apostolis ad nos vsque, & contraria sentientes damnasse. Martinus Fellinus, cognomento Bucerus, vir ingenio acri & eruditione non vulgari præditus, cati siue fellis astu & arte, Lutheranorum mysteria, quasi murium latibula, qui panem sacrum arroderent, penetrauit, & intercepit, ipsósque Cinglianis & Caluinistis, atque aliis omnibus Sacramentariis illudendos, ac tandem consumendos prodidit. Nam quasi Cingliani erroris pertæsus, Vvitebergam in Lutheri ædes venit: multis vltro citróque habitis sermonibus ardere se ostendebat incredibili veritatis atque concordiæ studio ac desiderio, & cedere se illi, tāquam rectiùs de sacrosancta Eucharistia sentienti simulabat, modò vicissim æqui aliquid ab ipso impetraret: sed tandem inuentus est fictis verbis negotiari de Cœna Domini, ac Lutherum hominem præcipitem, & inconsideratum magis quàm intelligentem aut prudentem, spe Cinglianos in suam nassam pertrahendi inescasse, eundémque contrà in Cinglianorum laqueum induxisse. Docebat Lutherus iam tum veritatis partiarius (sicut loquitur Tertullianus) in pane & vino, manente eorum substantia, post solemnem consecrationem corpus & sanguinem Domini consistere. Bucerus de sacramentorum proprietate & analogia garriendo effecit, vt & illam cum Cinglianis iterum Lutherus partiretur veritatem, & non amplius in pane & vino diceret corpus & sanguinem Domini subiacere, sed in solo panis & vini vsu atque sumptione. Postea, sicut tenaciùs hærent, quæ deteriora sunt, Lutherus ipse, eiusque coniurati seu protestantes, relicta priore istam amplectuntur, & acriùs tuentur sententiam: sub eáque denique tanquam sub cuiusdam Aiacis clypeo delituerunt, & grassati sunt inter Lutheranos Cingliani. Omnes enim liberaliter cum Lutheranis profitentur sacramenta in solo vsu versari, atque in panis & vini vsucapione corpus & sanguinem Domini esse & percipi: in actione siue vsu Cœnæ Dominicæ idem corpus & sanguinem realiter & substantialiter adesse, atque alia dicēdi genera Lutheranis familiaria non auersantur: sed de intelligentia cum ipsis digladiantur, & Lutherum atque Augustanos eo sensu protulisse contendunt, quem ipsi intelligunt. Cingliani interea tegunt distantiam corporis & sanguinis à pane & vino, quantum distat cœlum à terra: & Bucerani statuunt non coniunctionem corporis cum pane etiam in ipsa manducatione, sed præsentiam & manducationem realem corporis, interea dum editur panis, tametsi non ei copuletur corpus. Id enim videtur Bucerus in suis Retractationibus probare, atque ita inter Cinglianos & Lutheranos media via incedere. Quinetiam Cingliani meritò aiunt non aliis rationibus stare vsuariam illam Eucharistiam, quàm quibus fulciunt suam spiritalem præsentiam corporis & sanguinis Dominici, eiusdémque perceptionem: nempè ex sacramentorum conuenientia & fine, & quorundam verborum de institutione Eucharistiæ violentiori interpretatione atque applicatione. Imò ex hac persuasione momentaneæ Eucharistiæ Heildebergenses impetūt Lutheranos, quod defendāt corpus & sanguinem Christi ad indignos peruenire, in eósque ita ratiocinantur: Creditis extra vsum legitimum institutionis non fieri sacramentum, nec extra vsum legitimum sacramenti capi carnem Christi, eámque ob causam negatis infideles &

Bucerus author opinionis de veritate in solo vsu, anno 1536.

Astutia Buceri, qua Lutherum inescauit.

Tertull. de carne resurr.

Astutia Cinglianorum & Caluinistarum contra Lutheranos.

atheos, si ad Cœnam accesserint, quicquam præter purum panem, ac merum vinum referre. Cur ergo quicquam amplius reportabunt indigni Christiani, qui aberrant à vera actione institutionis, & ab vsu legitimo sacramenti? Proculdubiò confinium istud dissidentium hæreseon non leuem coniecturam & suspicionem ingerit de falsitate vsuariæ Eucharistiæ. Nam veritas non maius habet cum mendacio commercium, quàm lux cum tenebris, vel Christus cum Belial. Pergamus tamen veritatē contra vtramque hæresim asserere. Censent omnes extra vsum Eucharistiæ, sacramentum non fieri, nec corpus & sanguinem Domini extra vsum sacramenti adesse pani & vino. Cum vtraque heresi pugnant institutio, & institutionis verba. Nec enim sacramentorum confectio, multò verò minus præsentia ac fruitio corporis & sanguinis pendere potest à re, quæ ab homine prodeat, & sita sit in eius potestate: cùm vtraque sit inter ea, quæ vires hominum superant. At vsus panis & vini in hominis arbitrio consistit. Igitur & sacramenti operatio, & corporis Dominici participatio, si ex vsu panis perficiuntur: atque inde virtus Dei, verborúmque eius veritas, necnon efficacia, non tantùm à fide hominis penderent, sed ab vtendi placito: nec tantùm incredulitas hominis fidem Dei in verbis & actis euacuaret, sed hominis nutus & renutus, quocũque volet, flecteret, rarámque vel irritã, verámve vel falsam redderet. Ne vlla in re feratur ista blasphemia, fidenter Dauid Propheta in genere pronuntiat, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris: ita vt sermo Dei eo sit efficacior, quo pertinacius homines obluctantur. Quoniam igitur par est, verbis Domini sacramenta constitui, & corpus ac sanguinem Christi coràm sisti, si vtrumque tantum peragaretur in ipsa sumptione panis & vini, oporteret non antè proferri verba Christi, quæ appellamus sacramentalia, quæcunque illa sint, quàm ore manderetur panis & vinum. Est enim in confesso, ad eorum pensum exolutum quodcunque sit, sacramenta conflari. Ob id omnes in baptismo non antè effantur, Ego baptiso te, quàm intinguat aqua, quoniam sacramentum hoc vsu & actione absoluitur. Contrà, ab omnibus etiam Aduersariis, ante panis & vini distributionem, susceptionem atque manducationem, recitantur verba Christi de Cœna, vel pro concione enarrantur. Christus quoque verba ista efficientia & declarantia, *Hoc est corpus meum*, elocutus est, antequàm quicquam susciperent vel ederent Apostoli: quæ si saltem vera fuerunt, extabat sacramentum & corpus ante vsum panis: sin minus, mentiebatur Christus, asserens esse quod nondum esse poterat. Præterea cogemur triplici corruptela vim verbis & testamento eiusdem Christi afferre, nouùmque sensum supponere. Nam loco, Est, erit, & pro corpore, corporis sacramentum substitui oportebit, & absoluta oratio in istam cõditionalem transibit. Si volueritis vti, *Hoc erit corpus meum.* Sed nec Christus dixit, Cœna est corpus meum, vt actionem & vsum demonstrare putetur. Deinde per adiuncta verba, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meũ*, significauit se tradere factum sacramentum ad edendi vsum, non autem vllo pacto innuit tum demùm futurum, si ederetur. Adhæc de eodem poculo existimantur Euangelistæ loqui, cùm efferunt, Accipite, & Bibite ex eo omnes: & Lucas interponit, Diuidite inter vos. Ex quo Didendi verbo cum Paulus Samosatenus inferret corruptibilẽ & passibilẽ esse Christi sanguinem in sacramento, vt hominis puri, illi cùm respondet Dionysius Alexandrinus, non negat, Diuidite, dictum de Christi sanguine, sed ait diuidi singulis, integrum & inconsumptum. Porrò Eucharistiæ sacramentum nec ex ministri, nec ex suscipientis actione coalescit: quandoquidem nec actio, nec verba ministri, nec manducatio sunt signa sacrãmetalia, nec asseri possunt esse corpus Christi, sed ipsæ res consecratæ. Sacramentum insuper id esse debet, quod effectum sacramenti sen-

Cõtra veritatem corporis in solo vsu.

Psal. 50.

Citat Francisc. Turria. lib. 4. de cano. Apo. sto. cap. 19.

ſibus renuntiat: propriùs verò Euchariſtiæ effectus vertitur in eo, vt corpus Chriſti totum hominem alat ad immortalitatem, quod actio miniſtri non innuit, ſed ipſa Euchariſtia, conſtans duabus rebus ad alimoniam hominum idoneis. Nec certè cogitatione aſſequimur, qua ratione dicatur miniſter ſacramentum nondum efformatum exhibere, & alius ſuſcipere ab alio nōdum in rerum natura productum, eóque vti frui. Prius enim ſit, & præbeatur oportet, quàm eo potiamur. Aut ergo miniſter non verè conficit, nec verè exhibet ſacramentum, nec ab eo ſuſcipit communicans, aut ante vſum & ſumptionem ipſum extet neceſſe eſt. Quid ſi eo animo communicaturus accedat, vt ſtatim ſumat? Quoniam verò non temerè dictum eſt illud, Multa cadunt inter calicem, ſupremáque labra, ſi ſubito ac repentino caſu aliquo ne ſumat impediatur, aut animi paſſus deliquium, aut comitiali morbo correptus, aut quicquid tandem eiuſmodi euenerit, quod impedimento ſit, quominus ſumere queat, quid dicent iſti finium regundorum arbitri? Continuò ne Chriſtum à ſacramento diſcedere, an expectare pauliſper, dum ad ſe redeat communicaturus, dum reſpiret, dum vires colligat ad ſumendum? Quòd ſi pro ſua benignitate Chriſtus expectet aliquantiſper, ſcilicet iſti præſcribent morę terminum? Vt vnam horam, mediam, aut quartam, communicaturum impeditum, aut diutiùs expectet? Quæ non modò cum verbo Dei, verùm etiam cum ipſo communi ſenſu pugnare videntur. At (inquiunt Aduerſarij) tota inſtitutio Euchariſtiæ ex actionibus componitur. Accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, dixit, Accipite, comedite, bibite, nec niſi poſt omnes actiones, nec niſi de eo quod in actu erat, protulit, *Hoc eſt corpus meum.* Præterea tota inſtitutio prætendit vſum, & ad eum quaſi ad ſcopum collimat. Igitur (inferunt) non eſt Euchariſtia extra vſum. Tertiò volunt ſacramenta extra vſum non habere rationem ſacramenti, quod baptiſmus comprobat, cuius proprietas in actione verſatur. Nos ſanè agnoſcimus inſtitutionem Euchariſtiæ multis actionibus abundare, ſed diuerſis, quarum aliæ Euchariſtiæ confectionem declarant, vt, Fregit, dedit dicēs, *Hoc eſt corpus meum*: poſteriores de vſu præſcribūt, vt, Accipite, edite, bibite. Cùm igitur inſtitutio commemoret benedictionem ipſam per verbum Chriſti, tanquam cauſam ſingularem effectricē Euchariſtiæ, vſúmque à tali cauſa diſtinguat, clarè oſtendit Euchariſtiæ ſubſtantiam & exiſtentiam à tali cauſa, & nō ab vſu dependere. Quòd ſi cauſam effectricē reticuiſſet, probabiliter fortaſſe litigaſſent Aduerſarij. Falſum eſt & ridiculum, Chriſtum non effatum fuiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, niſi poſt omnes actiones imperatas & adimpletas: alioqui cogerentur Aduerſarij verba conſecratoria, non niſi adminiſtrata Cœna Dominica & abſoluta, efferre atque actum agere. Conſtat etiam Chriſtum duodecim Apoſtolis panem, nec ſimul, nec vna actione, ſed ordine ſingulis impartiuiſſe. An credemus non niſi poſt diſtributionem ſingulis factam, & ſingulorum actionem peractam dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, aut ſingulis ſeparatim tot verba enuntiaſſe, Accipite, edite, *Hoc eſt corpus meum*? Si ſingulorum ſuſceptionem expectauit, priores deglutierant panem acceptum, priuſquàm poſterioribus exhibuiſſet, & elocutus eſſet, *Hoc eſt corpus meum*: atque ita panem purum non conſecratum, iam priores illi conſumpſerant, nec ſacramentum, nec corpus Chriſti manducauerant: nec in multorum millium Cœna Dominica panē conſecrare deceret, niſi poſt omniū communionem. Sin ad ſingulorum manducationem eloquebatur, *Hoc eſt corpus meum*, vt ſignificaret, non niſi vſu ſacramentum perfici, & corpus ſuum dari: igitur & toties iteranda eſſet conſecratio, quoties ſingulis hominibus etiam in eadem Cœna præbetur communio, ac non niſi iam inchoato vſu & eſu, dicendum erit, *Hoc eſt corpus meum*, vt ex vſu ipſo verba vim accipiant. Si iocari licet in ſacris, Lutheranos

Marcialis disticho interpellabo,

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dicite cur vestras inchoat illa dapes.

Dicite, inquam, cur Cœnarum vestrarum initium à consecratione panis & vini per verba Christi faciatis, cùm affirmetis hac clausula Christū Cœnam illam primam finiuisse. Quanto propius ad veritatem accedit, quod vniuersa ab Apostolis confirmauit suo titu Ecclesia, Christum panem & vinum sibi oblatum accepisse, & sanctificasse, dicendo, *Hoc est corpus meum*, atque ita sanctificatum tradidisse Apostolis, aut proposuisse sumendum, atque inter eos distribuendum, dicendo, Accipite, edite, seu diuidite inter vos: quod Lucas de poculo ait. Cùm ipsi Euangelistæ non eodem contextu & ordine actiones ipsas disposuerint, admonuerunt nos, non tam seriem verborum attendere, quàm rerum conuenientiam, & consequentiam. Non imus inficias, institutam esse Eucharistiam, vt edatur, sed non assentimur propterea nullā esse, nisi quamdiu editur, aut donec edatur. Omnia Deus creauit propter hominem, ipsique omnia subiecit, atque in cibum instituit, & produxit: an ideò non suam non sortiuntur & retinent naturam, antequàm in vsum vertantur? Aquam in vinum Christus, propter conuiuarum potum transmisit: an tamen vinū non priùs extitit, & apparuit, quàm de eo architriclinus gustasset? Ac ne in eam laberemur opinionem, ante gustum Christus ait, Haurite nunc: & subiecit. Ferte architriclino. Imò verò contra quàm faciunt Aduersarij, sic ratiocinari decet. Eucharistiam in vsum nostrum Christus constituit: Igitur prius ipsam esse iussit, & curauit: quia quod non est, in nullius venit vsum. Alibi disseruimus de similitudine & analogia sacramentorum vberiùs, nec natura cuiusque metienda ac petenda est aliunde, quàm ex sua institutione, & non ex alterius comparatione. Quantum verò discrepet Eucharistia à baptismo & aliis, vel indè liquet, quòd aliter egit Christus in illius quàm in aliorum institutione: aliter locutus est, & aliter nominauit. In baptismo non aquam cepit, non benedixit, non dixit de ipsa, Hic est spiritus meus, aut, *Hic est sanguis meus*, quoniam aqua non est sacramentum baptismi, sed lotio siue ablutio, quæ non res est, sed actio: & ob id sacramentum istud in actione ponitur, nec de ipsa quidem ablutione dixit, *Hic est spiritus meus*, aut, *Hic est sanguis meus*, tametsi ablutio ipsa illorum sit sacramentum & signum, sed non illa continens, vt Eucharistia corpus & sanguinem Domini, ad quam constituendam panem cepit, benedixit, & esse corpus suum exposuit. De re quam acceperat, non de actione aliqua, ea verba fecit. Sacramentum quoque Eucharistiæ duabus rebus constare prædicatur, nō actionibus, quarum vna terrena sit, & cœlestis altera: nec de esu & actione in panem & vinum rectè diceretur, *Hoc est corpus meum*, sed cum Apostolo, Huius panis fractio & distributio est participatio corporis mei & sanguinis, vt actio circa rem actioni circa signum respondeat, quemadmodum Paulus vtramque cōtulit, quando ait, Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Christi est? At antequàm vlla suscipientium exerceretur circa signum actio, de re absolutè posita in signo, Christus affirmauit, *Hoc est corpus meum*: vt ex collatione sermonis Christi & Apostoli perspiciamus Eucharistiam ante vsum & actionem suscipientium sacramentum esse, ac verè corpus Christi. Porrò aliorum sacramentorum appellationes actionem enunciant, quia propriè actione constant: vt baptismus ablutionē significat, manuum impositio, vnctio, absolutio, actionem quoque designant. At cibus hic, panis hic, calix Domini, mensa Domini, corpus & sanguis Domini, sacramentum corporis & sanguinis Domini, rem non actionem propriè efferunt: nec quisquam antea audiuit, vel legit vocari sacramentum manducationis. Eo certè loco,

Quamuis Eucharistia fuerit instituta propter vsum, non tamen in solo vsu consistit.

Eucharistia sacramentum nō in actione consistit vt baptismus & alia.

loco,quo Apoſtolus putatur Cœnam nominare,pro actione accipi nequit,ſed pro
cibo ad actionem præparato.Iam non eſt (inquit) Cœnam Dominicam manduca-
re.Non enim ritè dicimur manducationem manducare.Verùm(aiunt)Benedictio,
& Eucharistia,ſeu Gratiarum actio nuncupatur,quæ actionem denotant. Hîc de-
tegitur Aduerſariorum fallacia. Neſciunt diſtinguere,aut nolunt, inter cõſtitutio-
nem Euchariſtiæ,& naturam iam cõſtitutæ.Non dubium certè, quin actione opus
ſit, vt fiat ſacramentum, & in rerum natura producatur:Ideò ab actione illa, tan-
quam à ſua cauſa efficiente, ſacramentum hoc appellatur Benedictio & Euchari-
ſtia.Sed non hic quæritur de cauſa efficiente,aut conſtitutione Euchariſtiæ, ſed de
natura & exiſtentia eius iam productæ, an actione contineatur, & vtentium ope-
ratione.Alia ſacramenta non tantùm aliqua operatione conflantur,ſed eorum tota
ſubſtantia & exiſtẽtia in actione & vſu verſatur. Baptiſmus aquæ effuſione,ac pro-
latione verborum, Ego baptiſo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, con-
ficitur, quæ actiones ſunt. Sed inſuper eius propria natura in ablutione baptiſandi
conſiſtit,quæ eſt altera actio,in qua ſacramentum exiſtit. Non ita res habet in Eu-
chariſtia: quoniam licet actione efformetur, efformata tamen non concluditur
actione,ſed extat in rerum natura duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti. Præ-
terquàm quòd hæreſis iſta aperit feneſtram omnibus aliis prioribus, vetus Eccle-
ſia ipſam multis modis proſcripſit, & damnauit. Cyprianus enim,quaſi ſatisfaciat
Aduerſariis obiicientibus, ab infidelibus, vel alioqui indignis, ſacramenta non ſu-
ſcipi,eámque ob cauſam tantùm in legitimo vſu haberi,diſtinguit inter ſacramen-
ta,& eorum fructum atque gratiam,qua priuantur indigni, cùm interea ſacramẽ- *A patribus damnatur expreſſe hereſis de ſolo vſu Euchariſtiæ. Cypr. de cœna.*
„ ta re ſua non exinaniantur.Sacramenta (inquit) quantum in ſe eſt, ſine propria vir-
„ tute eſſe non poſſunt, nec vllo modo diuina ſe abſentat maieſtas myſteriis: ſed
„ quamuis ab indignis ſe ſumi vel contingi ſacramenta permittant,non poſſunt tamẽ
„ ſpiritus eſſe participes,quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contra-
„ dicit.Recitat D. Thomas de Aquino, notari Neſtorium etiam à Cyrillo de hæreſi
iſta tanquam de aliqua inſania. Sed quoniam Cyrillus Neſtorio maximè ſe oppo-
ſuit,D.Thomas putauit,quicquid in ſcriptis Cyrilli inueniretur contra hæreſes, ad
Neſtorianam pertinere. Quod autem de Cyrillo citat,ſcriptum fuit cõtra Anthro- *Cyrill. epiſt. ad Caloſyr. ca. 2.*
pomorphitas ad Caloſyrium Epiſcopum: quæ priùs epiſtola non extabat impreſ-
„ ſa,ſed hoc anno in lucem exiit opera Bonauenturæ Vulcanij Flandri. Sic autem ha-
„ bet:Porrò alios etiam eſſe audio, qui myſticam benedictionem nihil ad ſanctifica-
„ tionem proficere dicant,ſi quid ex ea fiat reliqui in alium diem.Inſaniunt verò qui
„ hæc aſſerunt. Neque enim alteratur Chriſtus,neque ſanctum eius corpus immuta-
„ tur, ſed benedictionis vis ac facultas, & viuificans gratia perpetua in ipſo exiſtit.
Oecolampadius ſuo more mentem Cyrilli detorquet, quaſi tantùm velit reliquia-
rum vſum ſanctificationi ſeruire poſſe, modò fides adſit,non autem innuat in reli-
quiis illis remanere Chriſti corpus. Prius quidem Cyrillus aſſerit: ſed à poſteriori *Oecolamp. lib. 3. Epiſtol.*
dependere oſtendit,vt ideò reliquiæ ſumptæ ad ſanctificationem conducant,quia
quod ipſis ineſt corpus Chriſti non abſceſſit, nec in ipſis fuit immutatum. Grego-
„ rius Nyſſenus eandem opinionem his paucis & acutis verbis ferit:Panis hic (vt ait *Niſſen. in Cathec.*
„ Apoſtolus) per verbum Dei & orationem ſanctificatur, non quia comeditur, eò
„ progrediens, vt verbi corpus euadat,ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt
„ dictum eſt à verbo, *Hoc eſt corpus meum.* Patres quoque ex profeſſo docent, conſe-
crationem & confectionem ſacramenti antecedere vſum: ſicut Clemens Alexan-
„ drinus,cùm ait:Seruator cùm panem accepiſſet, primùm locutus eſt, & egit gra- *Clem. Alex. lib. 1. Strom.*
„ tias:deinde cùm panem fregiſſet, appoſuit, vt comedamus ex ratione. Eodem in

libro ait: Eucharistiam cùm quidam diuiserunt, vt mos est, permittunt cuique ex populo partem eius sumere. Iustinus idem clariùs explicat, hoc textu: Ei qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua & vino temperatū: quæ cùm accepit, laudem & gloriam omnium parēti, Filij, Spiritúsque sancti nomine tribuit, gratiásque diu agit, quòd ab eo his dignus sit habitus. Quibus ritè perfectis, precibus & gratiarum actione, populus qui adest, acclamat, dicens, Amen. Posteaquàm & is, qui præest, gratias egit, & populus omnis comprobauit, ij qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorū qui adsunt, percipiēdum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt perferunt. Nec certè is qui sacramentum conficiebat, etiam præsentibus sacramentum distribuebat, sed Diaconus, qui potestate conficiendi carebat: iam cōsecratum & absolutum accipiebat, & aliis vtēdum tradebat: imò ad absentes à cœtu & Ecclesia deferebat, quorum vsus à sacerdotis & populi congregati vsu fortassè multis horis distabat: non enim definiebatur statum tempus. Diaconi calicem circumferebant etiam volentibus accipere in ipsa Ecclesia, sicut ex vita D. Laurentij Archidiaconi Ambrosius recitat, & Cyprianus sermone de lapsis ostendit, & apud Brucardum ex Cōcilio Carthagin. statuitur, vt Diaconus Eucharistiam corporis Christi iussus eroget. Diaconi tamen non habebant potestatem consecrandi panem vel calicem, vt in ipso vsu efficerent sacramentum, sed iam effectum distribuebant populo: alioqui populus, & non ministri sacri vel sacerdotes efficiunt sacramenta. Patres insuper ex quatuor capitibus planè refutant & improbant istam opinionem ex sacrificio & oblatione Eucharistiæ, quæ fiebat ante vsum: ex adoratione, quæ sacramento, quādiu in rerum natura supererat, deferebatur: ex asseruatione, quæ variis ex causis tum in ipsa Ecclesia, tum extra ipsam, sanctè & reuerenter mandabatur: atque ex delatione ad infirmos, vel ad priuatas ædes extra Ecclesiam, pluribus quoque de causis. Obseruetur verò in his quatuor capitibus panem & vinum citra vsum pro consecratis haberi & nominari passim à scriptoribus Christianis corpus & sanguinem Domini, quæ pro sacramento corporis & sanguinis Cingliani & Bucerani, pro ipsomet verò corpore & sanguine Lutherani solent accipere: ita vt ex ista tam frequenti appellatione apud Patres Aduersarij cogantur fateri sacramentū hoc & corpus Christi re vera antecedere vsum & sumptionē, posteáque perstare, si quid de sacramento relinquitur. Profectò Patres omnes meminerunt sacrificij huius ante omnem sumptionem, & Nicena Synodus prima cum plerisque aliis exprimit, Agnum Christum in altari stare, ibíque incruentè offerri, atque indè populis dispensari: ipséque Apostolus Paulus non nisi priùs oblatum in vsum Christianorum hoc sacramentum cedere scribit, sicut in Repetitione De sacrificio Missæ tractatur. Adorabatur etiam præcipuè in ipso sacrificio, & quocunque locorum circumferebatur: neminíque (ait Augustinus) corpus illud & sacramentum sumere fas est, nisi quis priùs adorauerit: adeò vt oporteat priùs esse corpus Domini atque eius sacramentum, quàm capiatur, ne ex delata ante vsum adoratione admittatur idololatria. Asseruatū ad multos mēses ex Tertulliano, Cypriano, Basilio, Ambrosio, Hieronymo, atque aliis, cū de communione sub altera specie agetur, probabimus. Apparet certè vtramque speciē in plerisque Ecclesiis reponi solitā ad vsum ęgrotorum, peregrinorum, atque aliarum repentinarum necessitatum. Nam Gregorius Nanzianzenus vtramque speciem ad altare relinqui, & componi, in historia de sorore sua Gorgonia patefacit, quæ alibi excutitur, & in Oratione de se & Arrianis ita confirmat: Quos psalmorum cantione, tubarum clangore compressi, quorum mysticum sanguinem cum mortifero sanguine permiscui. Ex Chrysostomo cognoscitur, milites

Iustin. apolog. ad Antonin.

Ambros. lib. 2. Offic.
Brucard. lib. 5.

Argumēta de patribus pro existentia corporis Christi in sacramēto extra vsum.

Nanz. Orat. de se & Arrian. & Orat.

lites contra ipſum, ipſiúſque defenſores immiſſos, ne quidem ſacro calici pepercisſe, quin omnia diripiendo ipſum effunderet. Ipſi magno (inquit) ſabbatho iam ad veſpetã vergente, in Eccleſias, vbi iã ad baptiſmũ parabãtur homines irrupiſſe, & multos vulneribus affeciſſe, adeò vt baptiſteria ipſa purpureo ſanguinis colore inficerẽtur. Sed ne quidẽ (ait) in hoc ærumna iſta conſtitit. Vbi ſanctum repoſitũ eſt, eò milites ingreſſi ſũt, quorũ nõnulli, ſicut accepimus, Chriſtianis ſacris initiati nõ erant, penitus omnia perluſtrarunt, & ſanctiſſimus Chriſti ſanguis in tanto ſcilicet tumultu, in eorum militũ veſtimenta effuſus eſt. Porrò quoniam quædam videtur diſcrepãtia inter veteres de Reliquiarũ aſſeruatione poſt cõmunionem, quoniã alij ſcribunt edendas eſſe à miniſtris, vel in nocẽtibus paruulis, alij recõdendas, alij igne conſumẽdas, arbitror diſtinctione opus eſſe. Nam aut ſacrabãtur ſeorſum reſeruãdæ hoſtiæ, & ſeorſum aliæ populo diſtribuendæ: aut ex indifferenter conſecratis reponebatur, quantum eſſe putabatur caſibus repentinis: & quod de communione vltrà ſupererat, manducabatur à miniſtris vel pueris. Quòd ſi repoſitæ Reliquiæ vel ſitum, vel cariem, vel vermes, vel aliquid aliud impuri contraxiſſent, igni tradebãtur. Reponebantur verò aut in pixide, aut in turricula, ſeu capſa ſeu arcula, quam Græci vocarunt κιβώτιον ſeu κιβώριον, id eſt, arculam, quam vocem Latini & Galli de Græcis retinuimus, ac Ciborium nuncupamus: quo in ſignificatu ipſum interpretatur Germanus Conſtantinopolitanus in rerum Eccleſiaſticarum Theoria, & ipſum vſurpat Zonaras, cùm in hiſtoria Iuſtiniani Imperatoris narrat, ex Conſtantinopolitana maiore Eccleſia partem collapſam, eóque caſu Ciborium ſacræ menſæ comminutum fuiſſe. Certè ex hoc loco, & Iuſtiniani Nouellis cõſtat Euchariſtiam tum temporis fuiſſe aſſeruatam, & Liber Pontificalis in Symmacho Papa & aliis, Ciborij non ſemel meminit. Ea voce videntur ſcriptores profani, Græci & Latini (vt Dioſcorides, Athenæus, Horatius & Plinius) intellexiſſe folia vaſculorum, vel vaſcula foliorum inſtar. Ex quorum alluſione, & ſimilitudine fortaſſe, Exuperius Tholoſanus narratur ab Hieronymo circumtuliſſe Chriſti corpus in caniſtro, ſeu vaſculo vimineo, & ſanguinem in vitro. Arcula autem illa vel in quodam thalamo, ac ſecretiori repoſitorio concludebatur, vt factum tempore Apoſtolorum Clemẽs hoc textu demonſtrat: Diaconi reliquias inferant εἰς παστοφόρια, id eſt, in thalamum ſic enim vocat Sacrarium, in quo collocatur verus ſpõſus animarum noſtrarum, itémque conuiuium nuptiale myſticum, cuius communione diuinæ naturæ participes efficimur. Eadem arcula aut in altaris ipſius armario includebatur, aut ad baſim crucis medio in altari erectæ collocabatur, aut intra imagines columbarum de auro & argento ſupra altare appendebatur. Is enim fuit ad honorem tanti ſacramenti progreſſus. Noſtra ætate pixis, vel nudum linteamen, quo hoſtiæ inuoluuntur, in turriculæ vel calicis effigie includitur atque appenditur: quod poſt Calixtinorũ hæreſim arbitror inoleuiſſe, ad eam refellẽdam, publico illo ritu, quo teſtamur rem calicis, & ſanguinem Chriſti, etiam ſola panis forma intus incluſa contineri. De priori ait Brucardus: Super altare nihil ponatur, niſi capſæ & reliquiæ, aut fortè quatuor Euangelia, aut pixis cum corpore Domini ad viaticum infirmis. Apud eundem Tutonica Synodus ita ſtatuit: Vt omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto ſacramento dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus à ſeculo, ſempérque ſit ſuper altare obſerata, propter mures & nefarios homines, & de ſeptimo in ſeptimum diem ſemper mutetur: id eſt, illa à presbytero ſumatur, & alia quæ eodem die cõſecrata eſt, in locum eius ſurrogetur, ne fortè diutius reſeruata mucida, quod abſit, fiat. De poſteriori, Lateranenſe Concilium ita habet: Statuimus vt in Eccleſiis chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia

In fun. Baſilij. Chryſ. epiſt. ad Innoc. Papam. Nicephor. lib. 13. cap. 19.

De ciborio & capſa in qua aſſeruabatur Euchariſtia.

Zonar. tom. 3. Hiſtoriæ.

Iuſtin. in Nou. 115.

Hier. ad Ruſticum monachũ.

Clem. lib. 8 cõſtitut. Apoſtolic.

In qua parte altaris recondebatur Euchariſtia.

Brucardus initio librorũ. In admoni Syneſ. per Epiſc.

clauibus adhibitis conseruentur, vt non possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefanda exercenda. De eodem, ac de tertio, innuit secũda Turonica Synodus, hoc canone: Vt corpus Domini in altari, non in armario, sed sub crucis titulo componatur. De postremo narrat Amphilochius in vita Basilij, ipsum accessisse ad altare, ac celebrasse officium, post finémque orationum exaltasse panem, & eum inde in tres diuisisse partes, quarum vnam communicarit cum timore multo, alteram reseruarit secum sepeliendam, tertiam verò imposuerit columbæ aureæ pendenti super altare. In Actis quintæ Synodi generalis, quæ Constantinopoli habita fuit, accusatur Seuerus hæreticus, quòd neque sanctis altaribus pepercisset: præsumpsisset etiam columbas aureas & argẽteas, in formam Spiritus sancti super diuina lauacra & altaria appensas, vnà cum aliis sibi appropriare. Harum columbarum & turrium in libro Pontificali non semel fit mentio: Et libro De gloria martyrum Gregorius Turonensis, verus scriptor, eiusdem turriculæ his verbis meminit: Lecta passione, cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit, acceptáque turre Diaconus, in qua mysterium Dominicum habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque est templum, vt eam altari superponeret: quæ elapsa de manu eius, ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedentem, numquam eam manus Diaconi potuit assequi. Huius autem sacramẽti asseruationem etiam à prima Synodo Nicena approbari memoriæ prodiderunt nonnulli hoc canone: Sed & innotuit, quòd quidam Diaconi etiam ante Episcopos sacramenta sumunt. Hæc igitur omnia amputentur, & accipiant secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo vel presbytero, sacram communionem. Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel presbyter, tunc ipsi proferant, & edant. Hæc postrema sententia nec Græcè legitur, nec in Decretorum farragine, nec in priore editione Conciliorum: in posterioribus tamen habetur, & apud Ruffinum ita recitatur: Ne Diaconi presbyteris præferantur, néve sedeant in concessu presbyterorum, aut illis præsentibus Eucharistiam diuidant, sed illis agentibus solùm ministrent. Si verò presbyter nullus sit in præsenti, tunc demùm ipsis licere diuidere: aliter verò agentes abiici iubent. Ne verò videamur Nicenis Patribus imponere, Acta illius concilij, & alius eiusdem indubitatus canon De existentia corporis & sanguinis in sacramento extra vsum, planum faciunt, ex eo, quòd Agnum iacentem in altari fide perspici iubent, & quòd præcisis à communione illam reddi mandant in extremo vitæ actu. sic enim decernunt: De his qui excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque seruabitur: vt si quis vita excedat, vltimo & maximè necessario viatico ne priuetur. Si autem deploratus, & communionem assecutus, rursus in viuos relatus sit, cum iis agat, qui orationum sunt tantummodò participes. In summa autem de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petẽte, Episcopus cum examinatione eum oblatione impartiat. Hoc decreto multa digna obseruatione comprehenduntur. Ait enim ægrotis necessariam esse communionem: quod vtique intelligi debet, si adsit facultas. Ait de communicandis ægrotis legem esse canonicam & antiquam, quę vtique vel ipsos Apostolos, vel Apostolis vicina tempora attingeret, ante ipsum Concilium Nicenum. Eius fortassè præcipuè meminit Iustinus, quando deferri Eucharistiam ad absentes dixit. Damnantur autem hîc Aduersarij, qui fraudant de industria infirmos necessario viatico, & qui legem illam Apostolicam non tantùm violant, sed vituperant, propter hæresim suam de sacramento in vsu. Ob alias quidem necessitates retineri & reseruari cœpit Eucharistia: sed ob eam maximè, vt haberetur semper in prõptu ægrotis omni hora periclitantibus administranda. Propter huius necessitatis rationem

Turon. 2. can. 5.

Gregor. Turonens. lib. de gloria martyr. ca. 85.

Ex can. 14. Nicena Synodi.

Ruffin. lib. 1. histor. cap. 6.

Nicen. can. 13.

Ab Apostolis lex de deferenda Eucharistia ad ægrotos.

Cal. lib. 4. ca. 17.

nem Vvormienſis Synodus ſtatuit, vt preſbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, vt quãdo quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur. Quòd ſi alia neceſſitate diſtinebatur preſbyter, cuius etiam puero vel mulierculæ potiùs deferendam ad ægrotum præbebat Euchariſtiam, quàm eum ſineret emori ſine tali viatico, quemadmodum conſtat ex Serapionis hiſtoria. Cùm verò talis libertas cuilibet in neceſſitate tradendi deferendam Euchariſtiam euaſiſſet in abuſum, cautum fuit à Concilio Rhemenſi, ne preſbyter puero vel mulieri committeret tantum ſacramentum, ſed ipſemet deportaret. Aliarum etiam legum Apoſtolicarum cum hac neceſſitate collatio aſtruit ab Apoſtolis emanaſſe conſtitutionem de conſeruanda Euchariſtia, & ad infirmos deferenda. Ad honorẽ enim huius ſacramenti edixerunt, ne priuatis in ædibus, & ne à pranſis ſacerdotibus conſecraretur: quemadmodum tacita extant harum conſtitutionum apud Paulum & apud primos Chriſtianos expreſſa veſtigia, quibus poſteriora Cõcilia inſtiterunt. Quoties ergo morbi cogebat neceſſitas, aut ad lectum ægroti, & quacunque hora diei vel noctis ſacrare oportuiſſet Euchariſtiam, aut ægrotũ neceſſario viatico priuare, niſi prius parata ad repentinos hos caſus depromeretur. Prius Apoſtoli, atque eorum ſucceſſores improbarunt, & poſteriori vt occurrerent, de reponenda pro ægrotis Euchariſtia prouiderunt: quod longè certius ac decentius eſt. Reponebatur itidem Euchariſtia ad peregrinorũ & repètè aduenientium vſum, in eorumque occurſũ pro fraternitatis teſſera mittebatur, aut in ipſa Eccleſia, quacũque hora acceſſiſſent, miniſtrabatur, ſicut ex Ireneo atque aliis docebimus in Repetitione De communione ſub altera ſpecie. Aduerſarij iactãt à Clemẽte præcipi, nõ plus panis apparari, quàm numero communicãtium ſufficiat, & quicquid ſuperfuerit, ſtatim à clericis edi vel ignibus tradi, ſicut apud Hyſichiũ legitur: quaſi nefas putaretur quicquam de ſacramento in craſtinum relinqui, vel ſeruari. Profectò Clemẽs innuit, de eodem ſanctificato ſacramẽto reliquias aliquando recondi ad incertas neceſſitates; & aliquando à preſbyteris conſumi, cùm aliis vſibus iam eſſet per reconditas proviſum. Eius textus eſt: Tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, preſbytero, diacono, & miniſtro, qui cum timore & tremore clericorum reliquias fracmentorum corporis Dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſi negligenter erogetur, & preſbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plagæ feriatur. Certè tanta in altario holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint in craſtinum, non reſeruentur, ſed cum timore & tremore clericorum diligentia conſumantur. Qui autem reſidua corporis Dominici, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes cibos accipiendo conueniant, ne putent ſanctæ communioni commiſceri cibum, qui per aqualiculos digeſtus, in ſeceſſum funditur. Quod ſi de aliis reliquiis in priori parte textus non aggret, quàm de quibus in poſteriore, quid tanta cautione opus fuiſſet, ne qua earum putredo in ſacrario inueniretur, cùm prohibeantur poſteriores etiam in craſtinum reſeruari. Quandiu inter Chriſtianos valuit opinio, pueris piè diſtribui Euchariſtiam, adoleſcentibus huiuſmodi reliquiæ dabantur manducandæ, vt in Occidente factitatum conſtat ex Concilio Matiſconenſi, quod citamus libro De communione ſub altera ſpecie: & in Oriente patet ex Euagrij hiſtoria de Iudaico puero, cuius Gregorius Turonenſis & Nicephorus meminerunt, atque ſic habet: Vetus conſuetudo Conſtantinopoli eſt, vt vbi multæ

1. Cor. 4. Clem. epiſt. 3. ad Iacob.

Baſil. in Pſal. 115. & Serm. 2. de baptiſm. Aug. ep. 119. Conc. Carthaginen. 3. & Afric.

Euſeb. lib. 2. cap. 8.

Cle. epiſt. 2. ad Iacob.

Quod de reliquiis Euchariſtiæ fier... poſt communionem.

Euagrius lib. 4. cap. 36. Niceph. lib. 17. cap. 25.

Gregor. Turon. De glor. martyr. cap. 9. admodum particulæ immaculati corporis Christi superfuerint, pueri impuberes ex iis qui scholas frequentant, accersantur, illísque absumendæ detur. Hoc cùm factũ esset, accidit, vt cum huiusmodi pueris cõgregatus fuerit cuiusdã vitriarij Hebræi filius, qui parẽtibus suis de causa moræ quærẽtibus, quid factũ esset, & quid cũ aliis pueris comedisset, significauit. Pater illius ira & furore commotus, in furnũ ardentẽ, in quo vitrum formare solebat, eum inclusit. Cùm autem filium mater quærens inuenire non posset, passim in vrbe circuibat, Deum obtestans, & eiulans. Tertiò die ad ostium officinæ mariti stans lacera, vt cum lamẽtis puerum ex nomine inclamabat. Ille agnita matris voce, è furno respondit. Mater ruptis foribus ingreditur, introque constituta, videt puerum stãtem in medio carbonum, & ab igne intactum. Qui interrogatus, quomodo illæsus permansisset: Mulier (inquit) purpura vestita, crebro ad me veniens aquam porrexit, illáque vicinos carbones extinxit, cibumque mihi dedit, quoties esuriui. Hoc cùm Iustiniano narratum esset, filium quidem ac matrem lauacro regenerationis illuminatos seruauit: parentem verò, quoniam Christianis accenseri non sustinebat, in Sycis, tanquam homicidam filij sui, cruci affixit. Hoc prodigio ac miraculo Deus contestari voluit Eucharistiæ reseruatæ propter consecrationem remanere diuidi aliquid, quod communi pani desit: vt etiam contestatus est in Gorgonia Gregorij Nazianzeni sorore, quæ sanitatem recepit ex adorata & oculis applicata Eucharistia, quæ iaceret in altari reposita. Annales omnium, vt arbitror, nationum Christianarum referti sunt historiis miraculorum, quæ acciderunt propter consecratas historias violatas. Impium verò semper habitum, integras & illæsas ipsas species in ignem conicere, sicut definit Concilium
Brocard. lib. 5. Aurelianense his verbis: Illud etiam annectendum videtur, vt oblationes, quæ in altari offeruntur, de sabbato in sabbatum semper innouentur: quia panes propositionis, qui super mensam Domini proponebantur à sabbato in sabbatum, semper mutabantur, ne diu seruati mucidi fiãt, & vt quidam sæuiunt, igne concrementur. Quod si aliquis diabolo instigante hoc facere præsumpserit, anathema sit, &c.
Hysich. lib. 2. in Leuit. cap. 8. Quod autem Hysichius, aut alius narrat, alicubi de more reliquias sacramenti igne consumi, id certè nos interpretari oportet de iam corruptis speciebus, quas nemo vnquam existimauit temerè & quouis abiiciẽdas, sed in honorem corporis Dominici, cuius tanquam velamentum sunt, igne omnium elementorum purissimo cõsumendas, earúmque cineris sacratiori in loco reponẽdas. Ita enim post Clementẽ ac Pium Papam plura Concilia iusserunt, & Aurelianum potissimum, quod ita lo-
Brocard. lib. 5. quitur: Omne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis iuxta altare sepeliendus, &c. Quamuis Hysichius videatur absolutè verba facere de incendendis reliquiis, & excludere causam solius vetustatis, attamen subindicat, non igni tradi solitas, nisi quia ex aliqua causa incidente edi non possint, & cõsumi ab homine: vt ostẽdat se nõ nisi de corruptis, nec idoneis ad esum loqui. Textus est: Sed hoc, quod reliquũ est de carnibus & panibus, in igne incẽdi præcepit. Quod nũc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi, quæcũque remanere cõtigerit incõsumpta, non omnino ea, quę vna die vel duabus, aut multis seruata sunt. Sicut enim apparet, nõ hoc legislator præcepit, sed quod reliquum est, incẽdi iubet. Dies autẽ nõ cõmemorauit, vt quæcũque cuiuscunque rei causa emergẽte remãserint incõsumpta, siue tẽpus in causa sit, siue quid aliud fuerit, ignis opus & cõsumptio fiat. Ergo ex hoc quod agitur sensibiliter, significatio cuiusdã intelligibilis rei, eis qui intẽdunt, prouenit: vt quãdo ad comestionẽ sacrificij deficimus, & comedere illud integre nõ possumus, mẽte forsã lassescẽte, siue deficiẽte: vtrum ea quæ videtur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec Angeli possunt

prospicere

prospicere nō relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet spiritus, vt ea comedat, quæ nobis sunt ex infirmitate insibilia. Quomodo autē comedat, quū cogitauerimus virtuti spiritus esse possibilia ea quę nobis impossibilia videntur. Ex redditione cōparationis inter spiritalē manducationē & corporalē, aperit nō tradendā igni sensibiliter, nisi quòd sensibiliter fuerit insibile quæcunque ex causa, & interim ea quæ videtur, affirmat esse corpus Domini verū, etiamsi non edatur. Nec certè Hysichio Gregorij discipulo ignota potuit esse Eucharistiæ per Ecclesias asseruatio, cùm eā oculis intueretur prostare in altari, ad quā noctu Gregorij Nanzianzeni soror sanitatis recuperādæ causa cōfugit. Origenem & Cyrillū in subsidiū aduocant Aduersarij, à quibus scribitur, Christum non iussisse Eucharistiam seruari in crastinum. Mirum est Cyrillum adduci, cùm opinionem de veritate corporis in solo vsu sacramenti expressè repellat. Non quidem iussit Christus asseruari, vt manducetur: alioqui nemo ederet, nisi reseruatam Eucharistiam: sed vicissim non interdixit reseruari: ob idque in arbitrio ac prudentia Spiritus sancti & Ecclesiæ declarauit se id relinquere, ex eo quòd nullo modo prohibuerit, sicut de similibus iudicat Augustinus. Imò Christus ipse videtur prior præcepisse de collectione reliquiarum in miraculo quinque panum, quod D. Ioannes pręponit sermoni Christi de Eucharistia, quasi eius isagogē quandā & delineationē, & in fine ait, Colligite fragmenta, ne pereāt. Destituti Aduersarij omni antiquitate, cauillātur eam, quæ pro nobis facit, atque vsum sacramenti apud illam durasse ait Martinus Cemnicius, quandiu post consecrationē, longo interposito spatio precationū & postulationū, sumeretur ab omnibus cōmunicantibus in Ecclesia, & foras ad absentes deferretur. Hoc quidē fortasse omni probabilitate non careret, si dixisset Christus, Orate, accipite, comedite, ad alios deferte. Et si omnia illa de vsu consistunt, nō nisi ergo omnibus peractis sacramentū coalesceret: nec diceretur per consecrationem potius perfici sacramentū, quàm delatione ad absentes, & aliis adiacētibus: imo minus, quoniā consecratio antecedit vsum sacramēti nec propriè in eius vsu potest numerari, cū inquā, præcedat vsum sacramēti, & in eius vsu iam desierit, nec propriè sacerdos cōmunicans, & post eum proximè suscipiētes reputarētur frui sacramento, quoad complectetur totus vsus, quo perficitur ipsum sacramentū, & omnes etiā absentes cōmunicassent: quandoquidē (vt illis placet) singula ista omnia ad vnam sacramenti confectionem concurrunt. Nec antiquitas consistit intra delationis tempus, statim post Missam, vt asserat Eucharistiā manere extra vsum, sed in multorū dierum, vel etiam mensiū atque annorū spatiū fidem suā protendit, quādiu perstāt saluæ & incolumes species, quarum nonullæ per Ecclesias collūtur illæsæ à trecētis annis, & quingētis: vt Lutetiæ Parisiorū, & apud Diuiones, atque aliis in locis quā plurimis, sicut testantur nationum Christianarū fide digni Annales. Quapropter ex Aduersariis nōnulli victi veritatis perspicuitate, cōcedunt ad aliquot dies repositā Eucharistiam pro sacramento. Nam recitat doctissimus Episcopus Lindanus D. Ioan. Leisentriciū, Ecclesiæ Budissinēsis Decanū scripsisse Casparē Creutzingerū Vuittebergæ Doctorē, & Fridericū Miconiū publica disputatione D. Melchiorē Rudeliū, Misnēsis Ecclesiæ Vicariū, anno trigesimo nono, die vigesima Iunij, inuadentes tādem rei veritate superatos, in magna clarissimorū virorū corona cōfiteri coactos Eucharistiam pro vsu infirmorū posse ad tres vsque dies reseruari. Sed si ad triduum, cur non ad octiduum, & quandiu poposcerit vsus?

Orig. hom. 5. in Leuit. Cyrill. lib. 5. in Leuit.

Aug. ep. 118.

Aduersarij quādiu manere corpus Christi in Eucharistia concedant.

Doctiss. Episc. Lindan. tom. 2. Apol.

REPETITIO QVINTA, DE MANDVCATIONE REALI ET CORPORALI CARNIS DOMINICÆ IN SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

EX NECESSITATE CONIVNCTIONIS CARnalis & corporalis inter corpus Christi & nostrum, atque ex Sanctorum communione, ac carnis resurrectione probatur vera, realis ac corporalis carnis & sanguinis Dominici perceptio in Sacramento.

CAPVT 1.

HACTENVS DE PRÆSENTIA & existentia corporis & sanguinis Dominici in sacramento diu multúmque concertatum sit: non leuior pugna recrudescit de eiusdem manducatione ac potione, veráne fiat, realis ac corporalis de carne Christi naturali atque de sanguine, an spiritalis tantùm mente tenùs ac fide, sicut placet Sacramentariis: vt non propiùs cõtingamus ore corpus Domini, quàm digito cœlum ipsum. Credimus à nobis tam verè per corpus excipi, quàm sedet ad dexteram patris, atque indè longè ampliores atque vberiores fructus ad nos peruenire, quàm si solo animo ac fide amplecteremur. Quamuis autem dissideamus cum aduersariis in modo & definitione manducationis, quoniam hi per eam nihil aliud significari volunt, quàm diuinam quãdam cum carne Christi per fidem communionem & coniunctionem: nos verò non in eo consistere manducationem dicimus, sed in aliqua actione: cuius sit ille effectus: conuenit tamen inter omnes, quemcunque esum & potum corporis & sanguinis Dominici eò tendere, vt nos efficiat vnam carnem cum Christo, ipsíque coadunet. Proinde facilè ex effectu licebit coniicere & concludere veritatem ac conditionem, seu modum mãducationis, an spiritalis tãtùm existat, an etiam corporalis. Edocemur à Patribus per scripturas, nos non solis animis, nec sola fide aut charitate consociari oportere cum carne Christi, sed re vera vnum reddi cum ipso corpus naturale ac substantiale, non tantùm corpus mysticum & spiritale, quod quasi secundarius effectus ex priori, si piè exercetur, exuberat. Ergo, inferunt aduersarij, efficiemini Iesus Christus, & eritis corpus eius naturale, quod fuit traditum pro nobis. Sed ne quidem huic obiectioni defuit Cyprianus: nec aduertunt illi variis modis multa in vnum corpus redigi. Nam Pomponius Iurisconsultus tria statuit corporum genera: vnum,

Differẽtia Catholicorũ & Sacramẽtariorum de carnis manducatione.

Quomodo efficiamur vnum corpus cũ carne Christi.

l. Rerum mixtura. ff. de vsur.

Triplex vnitas rerum.

vnum, quod continetur vno spiritu, quódque græcè ἡνωμένον vocatur, vt homo, lignum, lapis, & similia: Alterum, quod ex contingentibus, hoc est, pluribus inter se cohærentibus constat, quod συνημμένον dicitur, vt ædificium, nauis, armarium: Tertium, quod ex distantibus componitur, vt corpora plura non soluta, sed vni nomini subiecta, veluti populus, legio, grex. Ad eam similitudinem scriptura & Cyprianus tradunt, rem vnam, aut vnum corpus censeri, per consubstantialitatem, seu per vnitatem substantiæ, cuiusmodi pater, filius ac spiritus sanctus vnus Deus creduntur: alio modo per connexionem & cohærentiam realem, vti nos euadimus vnum corpus cum Christi corpore per Eucharistiæ manducationem, sine aliqua confusione nostræ cum Christi substãtia, ex nostræ carnis cum Christi carne reali contactu ac cohærentia. Tertiò, per naturalem huius secundæ vnitatis efficientiam, quodam diuinitatis influxu, absque vlla substantiarum commixtione omnes inter se pij copulantur, ac diuersa veluti membra in mysticum corpus Ecclesiæ conuenientia Christo capiti suo coadunantur. Propterea Cyprianus concludit effectum secundæ vnitatis non esse tam corporalem transitionem quàm spiritalem, nec pertingere vsque ad vnitatem substantiæ cum Christo, sed vs- »que ad participationem spiritalis ac diuinæ efficientiæ, per quam coalescit tertium »illud corpus mysticum. Cypriani verba sunt: Fidei nostræ infirmitas edocetur visi- »bilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum: non tam corporali quàm spiri- »tali transitione Christo nos vniri vsque ad participationem spiritus: non quòd »vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem eius germanis- »simam hæc vnitas peruenisset. Solus quippè filius patri consubstantialis est, nec »diuisibilis est nec partibilis substantia Trinitatis: nostra verò & ipsius coniunctio »nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates. His Cypriani verbis solent aduersarij abuti, quasi non aliam cum Christo coniunctionem agnoscat quam spiritalem, quoniam eius meminit nominatim: sed non attendunt ab eo subiici hanc tanquam corporalis coniunctionis effectum, nec omninò tolli etiam transitionem corporalem, sed tantùm affirmare effectum coniunctionis corporalis non tam esse transitionem corporalem quàm spiritalem, cu- »ius tanquam necessariam causam, contactũ corporalẽ per hanc clausulam præmit- »tit. Christus est panis, & caro, & sanguis: idẽ cibus & substantia, & vita factus est Ec- »clesiæ suę, quã corpus suũ appellat, dans ei participationẽ. Et nos quidem cùm caro »essemus, & sãguis, corrupta & infirma corporis animæque natura, reformari nõ po- »teramus, neque ad similitudinem Dei reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur »malagma conueniens & in curatione desperatæ infirmitatis contraria remoueren- »tur contrariis, & similia similibus conuenirent. Hic Cyprianus explicat necessitatem corporalis coniunctionis, cuius effectum subdit non permixtionem substantiarum, sed influentiam spiritalem. Cyprianus itaque satisfacit obiectioni, negátque nos effici corpus naturale Christi vnitate seu confusione, aut partitione substantiæ, sed vnitate corporalis & substantialis cohærentiæ ac copulationis: sicut Apostolus ait vnum corpus effici, qui adhæret meretrici: eámque vnitatem Tertullianus indiuiduitatem à corpore Christi videtur vocare, naturalem verò coniunctionem, participa[illegible]nem, conglutinationem & cõmixtionem Hilarius, Chrysostomus & Gregorius Nissenus nominant, vt Cyrillus Alexandrinus naturalem vnionem, corporalem & substantialem cum carne Christi, quam à nobis non aliter acquiri, quàm per corporalem & realem carnis ac sanguinis Domini in Eucharistia manducationem & potum. Coniunctionem autem illam veteres Christiani probant multis modis. Per scripturas per comparationem

Cypr. de cæna.

Tertull. de oratione.

Vnitate contactus caro nostra coniungitur, & cõmiscetur carni Christi.

Quot modis probant

Patres nostræ carnis contactum cum carne Christi.

cum paribus coniunctionibus, per similitudines, per distinctionem aliarum coniunctionum, quas hîc solas fieri negant expressè: per huius propriis verbis & exquisitis inculcationem: per confutationem eorum, qui solam spiritalem introducebát: per damnationem eorum, qui carnem nostram capacem huius coniunctionis negabant: per causas, finem, & necessitatem eiusdem. Porrò nos eam assequi per realem & substantialem carnis & sanguinis Dominici in Eucharistia præsentiam & perceptionem, scripturis, rationibus, similitudinibus, aliísque modis astruunt, támque certò id in Ecclesia semper fuisse creditum monstrant, vt ex ea fide, tanquam ex indubitato principio ac fundamento religionis Christianæ articulos de consubstantialitate filij cum patre contra Arrianos, & diuinitate in carne Christi residente contra Nestorianos, déque carnis nostræ immortalitate atque resurrectione contra Valentinianos & Marcionitas asseruerint. Quæ omnia excutiamus ordine, & expediamus. Scripturam igitur imprimis omnes ferè Patres allegant, quæ habet: Viri, « diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro- « ca. Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Nemo vnquam carnem suam « odio habuit, sed eam fouet & nutrit, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra su- « mus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo « patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramen- « tum hoc magnum est: dico in Christo, & Ecclesia. Libenter aduersarij subscribunt « huic sententiæ: sed interpretantur vinculum matrimonij contrahi fide interposita, nec opus esse corporali commixtione, quoniam nuptias consensus faciat, non concubitus, constaréque inter absentes matrimonium propter fidem mutuam. Nos autem cum Patribus ex hac scriptura contendimus exigi copulationem corporis nostri cum carne Christi, tum ex ratione matrimonij, tum quia scribatur nos esse os ex ossibus & carnem de carne eius. Nam Apostolus Christi cum Ecclesia coniugium non simpliciter comparat cum matrimonio, sed cum illo quod inter Euam atque Adamum intercessit, in quo dupliciter Eua fuit vna caro cum carne Adami: prius origine, quia de viro sumpta fuit, ob idque dixit, Os ex ossibus meis, & caro de carne mea: postea commixtione cum Adamo. Vt Eua ergo ab Adamo carnem suscepit ad suæ carnis formationem, ita ad reformationem & innouationem carnis nostræ decet nos à Christo carnē mutuari, vt prius origine inueniamur os de ossibus, & caro de carne eius. Euáne tantùm spiritali contactu carnis Adami formata est, an ad eam tantùm peruenit spiritalis à carne nescio quis tantùm influxus, an propter fidem, aut per eam aliquam desumptam perfectionem, sine carnis substátia potuit haberi & reputari os & caro de ossibus ac carne Adami? Sic Irenæus, Cyrillus Alexandrinus, atque alij, applicant textum Apostoli, vt oporteat nostra corpora carnem Christi capere, vt ad immortalitatem & incorruptionem vegetemur, efficiamurque membra de membris, & os de ossibus eius. Ac ne sufficere causentur aduersarij, si animus aut spiritus noster participet cum carne Christi, aut cum eius spiritu & diuinitate, respondet Irenæus, nec in Christo, nec in nobis, spiritum carnem & ossa habere, sed agi de ea quæ secundum hominem est, carnis & ossium substantia. Concedamus insuper de communi hominum matrimonio Apostolum verba facere. Matrimonij statui debet definitio. Intra mutuam fidem, aut fidelitatis promissionem contineri putant aduersarij: nos inficiamur. Filius enim matri fidem, filia patri aut fratri dare potest, & se astringere iuramento, aut alia obligatione, ad contubernij & mutui adiutorij vicissitudinem ac fidelitatem, non tamen ad matrimonij contractum & vinculum. Consistat igitur oportet in alio quàm in simplici & absoluto fidei consensu, nimirùm in consensu mutuo tradendi potestatem cor-

Ephes. 5.

Ex ratione matrimonij Adami cum Eua probatur corporalis coniunctio nostra cū carne Christi.

In fine huius capitis habes omnia Patrum hic notata.

Quæ sint de ratione veri matrimonij.

poris sui, ita vt natura matrimonij potestatem & consensum carnalis commixtio-
„nis importet, quemadmodum Apostolus innuit, cùm ait, Nemo vnquam carnem *Ephes. 5. & 1.*
„suam odio habuit: &, Mulier nō habet potestatem corporis sui, sed vir. Itaque ante *Cor. 7.*
consummatum matrimonium vir & mulier ex fœdere connubij iam sunt vnum corpus & vna caro, sed potestate duntaxat & habitudine, nondum ip so facto & re ipsa. Proindè si quod constat verum matrimonium inter Christum & Ecclesiam, oportet Ecclesiæ suppetere potestatem carne contingendi carnem Christi, quæ reduci possit ad actum: alioqui nec matrimonij ratio inter Christum & Ecclesiam vigeret, & potestas per impotentiam matrimonium irritaret. Potestas enim spiritalis tantùm contingendi carnem alterius, matrimonium non efficit ratum, sed potiùs irritum. Mirum est aduersarios suis legibus tam facilè dirimere matrimonia, etiam propter trimestrem aut minus diuturnam viri ab vxore absentiam, & non aliud ratum & inuiolabile matrimonium inter Christum & Ecclesiam constituere, quàm in perpetua carnis vnius ab altera absentia. Quale coniugium, & qualis amor coniugatorum existimabitur, si perpetuò carnaliter diuertere & abesse velint ac conētur ab inuicem? Probatur quidem continentia etiam inter cōiugatos puritatis causa. Quæ autem impuritatis suspicio in cōgressu corporali carnis Chisti cum nostra, imò quæ non sanctimoniæ maior causa? Deinde ex contracto matrimonio, & fide data ac consensu nondum perficitur & consummatur matrimonium, nec realis est copula & vna caro re vera, sed tantùm habitudine quadam ac potestate. At inter Christum & Ecclesiam, sicut inter Euam & Adamum, perfici conuenit & absolui verum matrimonium. Propterea non satis fuit filio Dei despondisse sibi naturam humanam ab origine mundi, & in eius nuptias consensisse, sed oportuit re vera & de facto eam sibi commiscere: ita ex parte nostra vicissim tam verè carnis Christi cum nostra commixtio desideratur ad complementum matrimonij & realis copulæ, quàm fuit, inquam, necessarium ex parte ipsius nostram carnem cum eiusdem diuinitate commisceri. Hanc vicissitudinem naturalem, substantialem ac corporalem ad veri matrimonij inter nos & Christum consummationem, Ireneus, Cyprianus, Hilarius, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus inculcant. Verùm nefas aiunt aduersarij commixtioni cōiugali comparare eam quæ nobis cum Christo intercedit coniunctionem. Apostolus quidem comparationem ducit ex matrimoniali copula, quoad effectum illius coniunctionis, nempè quoad vnionem realem & corporalem, sed non quoad modum: quia quamuis talis coadunatio sit par cum ea quæ fit in matrimonio, non tamen facta est in Christo, nec in nobis fit per actum matrimonij, aut venereum concubitum: sed in Christo per incarnationem & assumptionem naturæ humanæ, in nobis verò per mādụcationem & assumptionem carnis Christi sacramentalem, quemadmodum scriptura verbis istis exposuit: *Nostra copula cum Christo quatenus differt à matrimoniali.*
„Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in
eo. Quoniam verò tam arctus est, aut etiam arctior mutuus carnis Christi & nostræ *Iren. lib. 5. cap. 20. & lib. 5.*
contactus quàm in matrimonio, ideò scriptura illum matrimonio confert, & Pa- *Aug. ep. 3.*
tres ad similitudinem matrimonij commixtionem appellarunt. Hac enim dictione delectantur priores illi Ireneus, Augustinus, & alij pro qua interdum viuendi verbum vsurpant quod posterioribus Christianis placuit magis. Ab eisdem aliæ quo-
„que scripturæ in huius corporalis vnionis probationem afferuntur, sicut hæc, Qui *Ioann. 6. 1.*
„manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: &, *Cor. 10. et 15.*
„Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus. Et sicut in Adam om- *Ioan. 15.*
„nes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: &, Ego sum vitis vera, & vos
„palmites. Sed ne sæpius repetantur, suis locis in hoc capite examinabuntur. Porrò

Nostra coniunctio corporalis probatur ex collatione cum realibus & substantialibus vnitatibus.

illam conferunt, non solùm cum matrimoniali nexu & copula, sed non vnitate quam habet filius Dei cum Patre, & cum vnitate quam habet humana natura in Christo cum diuinitate. Catholici enim & Arriani consentiebant eadem vnitate, licet impari, patrem & filium vnum dici, qua nos cum Christo vnum censeremus. At Arriani subiungebant cum Christo solius voluntatis, fidei & charitatis spiritali vinculo nos consociati, ac proinde non aliam vnitatem in patre & filio conquirendam. Catholici Hilarius & Cyrillus Alexādrinus retorquēt responsum in authores, grauissiméque disputát in nobis manere Christū corporaliter, carnaliter, naturaliter, secūdum veritatē naturę & carnis, vti nos in ipso manemus eodē pacto per eius incarnationem, quia scribitur, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: ita vt oporteat, inquam, eius carnem nostræ cōglutinari, sicut nostra caro eius diuinitati conglutinatur, & ex eo sequi non solam spiritalem vnitatem inter eius naturam & patris, sed realem, naturalem, & substantialem. Cyrillus quoque testatur se sequi fidem Patrum & Ecclesiæ, vt Christum secundum carnem vitem esse, & nos palmites secundum eandem intelligat: atque ita carnaliter ab ipso pendeamus, & ipsius carni carne adhæreamus. Horum textus in fine huius capitis recitabimus. Quapropter nec secundum scripturas vera incarnatio Christi & realis, nec vnio patris & filij in substantia defendi inuictè potest, quin prius stabiliatur corporalis nostra cum Christi carne coniunctio, non quòd non arctiorem vnitatem scriptura & Patres agnoscant in Trinitate & incarnatione, sed quòd realis & naturalis cuinci nequeat ex scripturis, nisi prius talis in nobis fieri credatur: quoniam ex nostra cum Christo ad earum excellentiorem indiuiduitatem demonstrandam scriptura sumat comparationem, & ex ipsis ad nostram: ita vt vtrinque eiusdem generis vnitas tenenda sit, quamuis impar, vt apta redundet comparatio, sicut Hilarius indicat. Tertiò ex similibus rem etiam elucidant Patres, ne quis verba propria, quibus talis vnio declaratur, in alienum sensum transferat. Cyrillus ait: Quemadmodum si quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum ex vtrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Aliam cum Gregorio Nisseno & Chrysostomo idem Cyrillus accommodat de fermēto, quod farinæ priùs commiscetur, quàm ei vim vllam impartiat. Cyprianus malagmati & emplastro confert, & Gregorius Nissenus antidoto, quæ corporalia corporibus, & similia similibus ipso facto sunt applicanda, vt remedium afferant: ita carnem Christi nihil nostræ carni profuturam ex scripturis colligunt, nisi ipsi re vera, vt par pari, applicetur. Quoniam verò distinctæ ac diuersæ reperiuntur coniunctiones cum Christo, Patres effugiis exitum obstruunt, illásque diuidunt in coniunctionem corporalem & spiritalem. Priorem collocant in corporum & carnium naturalem & substantialem contactum, posteriorem quadrupliciter explicant: aut ex parte coniunctionis & vinculi, si non corporale sit, aut ex parte subiecti, vel obiecti, aut ex parte rei quæ vnionem facit: quæ rursus dupliciter spiritalis vocatur, aut quia qualitas sit purè spiritalis, aut quia natura & substātia spiritalis. Ex priori tradit Cyrillus nos Deo & Christo vniti spiritaliter per voluntatum consensionem, fidei & charitatis habitudinem: Ex secūdo, nostros animos & spiritus spiritaliter deuinciri cum diuina natura & persona: Ex tertio, id fieri per gratiam spiritalem: Ex quarto, per inhabitantem Spiritum sanctum in nobis nos vniri Deo & Christo spiritaliter. Tot modis Cyrillus exprimit nos iungi Deo, & Christi diuinitati spiritaliter, sed eius humanitati & carni spiritali etiam modo, sed non solo, cùm per carnem & corpus insuper naturaliter, substantialiter, carnaliter, corporaliter oporteat nos eius carni adunari.

Ex nostra reali coniunctione in Christo probarunt Patres Trinitatis vnitatē, & Christi incarnationem.

Nostra coniunctio probatur ex similitudinibus.

Ex distinctione corporalis & spiritalis communicationis. Quæ sit corporalis vel carnalis coniunctio, & quæ spiritalis.

Quot modis dicamur vniri spiritaliter Deo et Christo.

adunari. Non sola fide, ait, atque dilectione, nec sola habitudine per charitatem intelligitur, sed participatione naturali, nec solis animis, sed carne, quod spiritalis cõiunctionis genus tantùm vt excluderet ante Cyrillum Ireneus interfatur, spiritũ carnem & ossa non habere, vt carnalem coniunctionem exhibere possit. Hilarius vnitates illas etiam minutatim diuidit & secernit, atque enumerat vnitatem per fidem, per voluntatis concordiam, per eandem baptismi renascentiam & gratiam: per charitatem, & eiusdem muneris functionem: per eiusdem naturæ & substantiæ spiritalis identitatem, quam inter patrem & filium stabilit: per carnalem & corporalem communicationem, quam versari disputat in mutua sumptione & inhabitatione carnis humanæ inter nos & Cristum, vt vnum nobiscum sit, & habitet in nobis tam verè, ac re ipsa, quàm nos sumus & habitamus in ipso, & vnum cum patre, atque habitat in ipso per spiritalem naturam. Vbi copiosè ac vehementer probat tam verè possidendam in carne nostra carnem Christi, quàm nostram in se possidet, & vnà patris naturam ac diuinitatem. Ex Patribus itaque & scripturis alia est purè spiritalis copulatio, quæ intra habitudinem aut colligationem tantùm spiritalem corporalium aut spiritualium naturarum consistit: alia realis & naturalis, quæ non sola habitudine fit, aut rerum quacunque confœderatione, sed per rem veram & naturam aliquam interpositam, siue spiritalem, siue corporalem: alia non solùm realis & naturalis, sed & substantialis, cui non sufficit contrahi per rem & qualitatẽ aliquam, sed postulat naturam & substantiam, siue spiritalem atque incorpoream, aut corpoream: alia non tantùm realis & substantialis, sed & carnalis, quæ carne aut corpore initur, & corporali contactu inter corpora. Superiores omnes appellantur impunè spiritales: postrema non admittit istam appellationem, nec in natura rei quæ coniunctionem facit, nec in natura rerum quæ coniunguntur, nec in ipsa coniunctione quæ etiam corporalis est & carnea quoad rem. In modo coniungendi aliquid spiritalitatis non renuit, vt modus dicatur inuisibilis, insensibilis & spiritalis. Idcircò Hilarius concedit filium vniri cum patre naturaliter & substantialiter secundum spiritum seu spiritaliter, quia natura vniens Spiritus est, nempè ipsa diuinitas: & nos itidem naturaliter ac substantialiter adhæremus Deo, ac spiritaliter, quando Spiritus habitat in nobis, aut filius Dei: quia natura nos agglutinans tum spiritalis est, vt etiam innuit Cyrillus. Cum eiusdem filij verò humanitate & carne assentiuntur Hilarius & Cyrillus spiritaliter quoque nos vinciri, tum quia spiritus noster & animus, tum quia fides nostra, spes & charitas, in ipsam feruntur, ipsique inserimur baptismo & aliis sacramentis, ab ipsaque spiritales gratiæ in animos nostros & corpora effunduntur. Sed negant, inquam, ex scripturis Ireneus, Hilarius, Cyrillus & Chrysostomus, ita tantùm aut spiritaliter duntaxat, quoquo modo interpreteris, nos cum Christi carne vnum corpus euadere: sed contrà affirmant naturaliter, substãtialiter, corporaliter, & carnaliter id effici: ita vt non tantùm caro & corpus re vera interueniat, cui quoquomodo coniungamur, sed vt ad eam vnitatem tria exigantur, caro nostra quæ coniungatur, caro Christi cui coniungamur, & coniunctio ac contactus vtriusque corporalis. Admittunt quidem libenter spiritalem connexionem cum carne Christi: sed negant sufficere, atque affirmant insuper necessariam corporalem, quæ puræ spiritali opponatur. Non ergo satisfiet scripturis & Patribus, nisi constituantur nou solùm res esse corporales quæ coniungũtur, sed cõiunctionem & contactum esse corporalem. Vt enim Christus factus est caro nostra, non quia habitudinem aliquam spiritalem accepit ad carnem nostram, sed quia insuper carnali & corporali cohærentia substantiam carneam & corpoream assumpsit, sic vt viciſsim efficiamur eius caro, non sufficit carnẽ nostrã

Quæ contineat cõiunctio corporalis.

Quot modis vniamur carni Christi spiritaliter.

quadam ſpiritali habitudine ipſi colligari,ſed oportet vinculum & contactum carnalem eſſe. Quicquid ergo finxerunt aduerſarij,quo transferant talem coniunctionem in aliquam ſpiritalem ſine illa,violant ſcripturas, & incarnationis myſterium, ac Patrum euidentiſſima teſtimonia. Quin ipſe Hilarius & Cyrillus Arrianos maximè ob id damnant & inſectantur, quòd aliam quemadmodum Sacramentarij noſtri, non agnoſcerent noſtri cum Chriſto coaleſcere vnitatem,quàm ſpiritalem, in eóque tanquam fundamento ſuperſtrui totam hæreſim contra ſanctam Trinitatem oſtendunt, indéque certiſſimas ſcripturas atque omnē fidem Eccleſiæ peruerti. Antè Ireneus damnauit Valentinianos, qui etiam ſolis animis ac ſpiritu nos hærere Chriſto,& conſortium nanciſci cum illo aſſerebant,nec carnem noſtram talis conſortij, aut carnis Chriſti,aut diuinæ alterius donationis capacem eſſe. Porrò ex cauſis, fine, ac neceſſitate, carnalem illam ſocietatem magno conſenſu per ſcripturas idem Patres comprobant: vtpotè ex peccato carni noſtræ inſito & innato, quod carnis applicatione curari decuit: ex reſurrectione carnis noſtræ,quæ cōmixtione carnis vitalis eget: ex ratione matrimonij inter Chriſti carnem & noſtram, de qua anteà fuit habitus ſermo: & ex perfectione amoris ac charitatis Chriſti erga nos: ex omnium noſtrûm requiſita congregatione, ac ſanctorum omnium communione,quæ ad vnitatem quam Chriſtus habet nobiſcum & cum patre ac Spiritu ſancto nos reducat, vt ſimus omnes vnum,ſicut illi vnum ſunt, & abſoluta ſit omnium in Deum ſynaxis,id eſt collecta & coaceruatio. De priori docemur à ſcriptura,ita omnes in Chriſto viuificari,ſicut in Adamo moriuntur. Exemplum hoc (ait Tertullianus)non componitur ex diuerſitate,ſed ex parilitate. Homines itaque viuificari carne oportet in Chriſto,ſicut in Adam carne moriuntur. Conſiderandum verò reſtat, quomodo carne in Adamo moriamur,vt hoc exemplo diſcamus,quomodo in Chriſto carne viuificemur. Non obimus mortem ex Adamo,quia credamus ab illo noſtri corporis fluxiſſe ſubſtantiam,ſed potius,quod re vera ex eo transfundatur & propagetur caro noſtra, vt efficiamus os ex oſſibus eius,& caro de carne. Itaque vt ſimilitudini relinquatur locus,in Chriſto non viuificabimur, niſi re vera,& non credendo duntaxat,eius ſubſtātia noſtræ carni admiſceatur, vt reddamur os de oſſibus,& caro de carne. Ex hac per Apoſtolum Adami & Chriſti diſſimilitudine Ignatius, Cyprianus, Gregorius Niſſenus, Chryſoſtomus & Cyrillus Alexandrinus admonent, carnis noſtræ corruptionem atque infirmitatem curari aptiſſimè,ſi contraria contrariis remoueantur, & eodem modo depellatur morbus quo ſucceſſerit. Adamum contemplantur fructum vetitum, non ipſius ſolum ſignum ore comediſſe, & ipſa manducatione interitum ſibi peperiſſe, mortémque ſuo corpori ingeneraſſe,& ingeneratam ad poſteros tranſmiſiſſe:ideò cibo à nobis vitam repetendam eſſe, & de fructu vitæ ore in remedium mortalitatis, quæ ineſt corpori,edendum eſſe,ita vt vita in nobis eum locum recuperet, quem mors occupauerit,carnem nimirum & corpus hoc terreſtre pondus. Hanc couenientiam allatis priùs ſimilitudinibus illuſtrāt. Quoad carnis reſurrectionem, Gregorius Niſſenus & Cyrillus exaggerant ex ſcripturis & natura rei impoſſibilem eſſe, niſi priùs caro noſtra carne Chriſti viuifica imbuatur ac perfundatur, atque ita vitam habeat in ſe habitantem,quoniam fieri nequeat,vt hoc corpus noſtrum omni corruptioni obnoxium ex ſua natura, vitam immortalem producat, ob ídque neceſſarium ſit Chriſti carne fermentari, & ad vitam excitari,maximè quoniam dicatur à Chriſto, Amen,Amē,dico vobis,niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis.&, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Patres pro hæreticis habuerunt, qui tantū ſpiritaliter nos vniri Chriſto dixerunt.

Corporalis cōiunctio probatur à cauſis & fine.

„die. Audis (inquit Cyrillus) apertè clamantem non habituros vitam, nisi sanguinem „eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis dicit, id est, in „corpore vestro. Vita autem iure, ipsa vitæ caro intelligi potest. Tanta verò fuit in primitiua Ecclesia de eo consensio, vt ne quidem iudicarent paruulos sine Christi carne recepta in corpus ad vitam peruenturos, quemadmodum videbitur cùm de sexto Ioannis capite suscipietur disputatio. Hic aduersarij multa obiiciunt. Initio quidem corpus cum Marcione & aliis non abdicant à salute, sed non ei prouenire vitam & resurrectionem putant, nisi ab animæ exuberantia: ob idque pertinere ad animam carnis Christi participationem, & nō ad corpus propter resurrectionem. Verùm scriptura & Patres ita animam & corpus inter se deuinciri ostendunt, vt neutrum sine altero vitæ humanæ, quæ totius sit hominis, siue in hoc seculo, siue in futuro, sit capax, licet interdum ab anima proficiscatur vita illa, interdum à corpore incipiat. Firmissimè tenemus animam seorsum à corpore viuere, sed de totius hominis vita disputamus. Certè scriptura viuificationem hominis naturali morti semper opponit, illámque seorsum à corpore aut nunquam, aut rarissimè animæ ascribit. Vitam quidem temporalem anima corpori elargitur, sed immortalem scriptura nec animæ refert acceptam, nec alteri creaturæ, sed spiritui & carni Christi „viuificatrici. Qua de causa ait Apostolus: Primus homo factus est in animam viuētem, secundus in Spiritum viuificantem: ita vocans etiam carnem spiritu & diuinitate præditam: ex quo subiungit, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Corpora in Adamo mortua, in Christo & ab eodem viuificari, non ab anima, hîc testatur Apostolus, vbi de corporum resurrectione disserit: quod illis aliis locis manifestiùs explicat. Spiritus qui suscitauit Iesum à mor„tuis, suscitabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in „vobis. Deus pacis sanctificet vos perfectos, vt integer vester spiritus, anima, & cor„pus sine querela seruentur in aduentum Domini nostri Iesu Christi. Pari loco ducit animam cum corpore, vt à Deo siue à spiritu viuificationem hauriat. Ac ne quidem in Christo animæ tribuit vitam & resurrectionem corporis, sed diuinitati inhabitanti, & carni diuinitate perfusæ. Quinetiam Ezechielis Prophetia patefacit „inchoari resurrectionem à corpore per spiritum sanctum, non ab anima. Ecce (in„quit) commotio, & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, & „vidi, & nerui, & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum „non habebant. Vides ante reditum animæ ad corpus futuram membrorum repa„rationem. Sequitur verò paulò pòst: Hæc dicit Dominus. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super mortuos istos, & reuiuiscāt. Ergo vi spiritus Domini mortui reuiuiscent, non animæ prærogatiua & beneficio. Lege ex Ireneo ita persuasum fuiss[illegible] statim à nascēte Ecclesia. Lege ex Tertulliano, Cypriano, Theophilo, Cyrillo Alexandrino, Gregorio Nisseno, atque aliis, à quibus demonstratur prius sacramenta corpori adhiberi, vt in animam à carne vita se insinuet, eáque de causa carnem p[illegible]us Eucharistia refici, vt anima de Christi corpore saginetur, & corpus immortalitatem à Dei donatione induat, non ab anima, vti Ireneus, Cyrillus atque alij postea citandi profitentur. Propterea aduersarij amplificant grande nefas à nobis committi, qui à resurrectione & vitæ perpetuitate videamur arcere veteris legis fideles, atque omnes, quibus non licuit, antequam è vita decederent, corporaliter, siue in corpore per Eucharistiam, aut alio quouis modo potiri carne Christi: præsertim cùm Apostolus colligat per baptismum nos complantari similitudini mortis Christi, & resurrectionis eiusdem per ipsum consortes fore. Respōdemus breuissimè omnium corpora vitam receptura: omnes enim resurgemus, sed

Aduersarij putāt corpori vitam non dari, nisi per animā.

In resurrectione vita corporenon est ab anima.

Rom. 8.

1. Thessal. 5.

Ezechiel. 37.

Quomodo resurgent nō baptisati, aut etiā baptisati, qui non gustarunt Eucharistiam.

non omnes immutabimur: Resurrectionis verò nostræ & immutationis triplicem causam reddunt scripturæ. Primum locum obtinet Dei potentia, & vox filij Dei, quæ impios æquè ac pios exuscitabit & segregabit. Secunda causa nobis immanet sed est alterius generis quam caro excitanda. Ipsa est spiritus sancti virtus qui nobis donatur de quo Apostolus. Qui suscitauit Iesum à mortuis, suscitabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Spiritus ille inhabitans intus alit ac fouet membra nostra ad immortalitatem resurrectionis, etiam sine reali perceptione corporis Christi, modò eam excluserit non contemptus, sed necessitas. Inserit etiam nos carni & corpori Christi, sed spiritali participatione duntaxat. Tertia resurrectionis nostræ & immutationis causa traditur, quæ à Græcis dicitur Homogenea, id est, eiusdem generis & naturæ cum carne nostra. Ipsa est caro Christi suscepta, & carni nostræ per Eucharistiam infusa, quæ ipsamet propter diuinitatem, cum qua in persona filij Dei subsistit, vita & resurrectio corporis est, & corporea vitæ causa, atque ita verbum Christi interpretamur: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis existentem, scilicet in vobis corpoream ad corporis æternitatem. Solet enim D. Ioannes præ aliis Apostolis exactè loqui & propriè, cuius sermo quia extra materiam subiectam sæpè ampliatur, mirabiles difficultates parit. Itaque neque nos, neque veteres Christiani spem gloriosæ resurrectionis his adimimus, qui ex legitima excusatione sine esu corporali carnis Christi mortem oppetierunt in fide Iesu Christi, modò aliis non fuerint destituti necessariis: sed negamus perfectissimam & intimam causam resurrectionis vllos assecutos, nisi quibus accesserit Christi caro, cuius immortalitate mortua caro nostra ad parem immortalitatē restauretur, & quasi quodam fermēto nostra massa corrupta augeatur, vt omnia disponantur suauiter, & in primum innocentiæ atque incorruptionis statum reparetur homo, vt spiritus eius spiritu Christi, eiúsque carne hominis caro suum consequatur finem. Quod verò producitur ex Apostolo, nos excitandos cum Christo, quia baptismo complantemur similitudini mortis eius, non hîc causas resurrectionis nostrę propriè describit Apostolus, sed finem & significationem baptismi: finem, vt quia simus regeniti, in nouitate vitæ ambulemus, per quam resurrectionis Christi viam ingrediamur: id quod significatur in baptismo, cùm immergimur, tāquam sepeliamur cum Christo, & cùm attollimur siue emergimus, tanquam à morte cum ipso excitemur. Non tamē inficiamur nos baptismo copulari Christi carni, sed spiritaliter duntaxat, nondum corporaliter. Fatemur quoque resurrectionis causam nos adipisci per baptismum, sed spiritalem, & vt scholasticè loquar, virtualem, nondum verò absolutissimam illam & realem causam vitę, quę vita ipsamet corporea existat, & resurrectio, cuiusmodi caro Christi creditur & defenditur à Patribus nobis in Eucharistia administrari. Deinde ad incorruptionem excitantur omnes fideles à carne Christi, seu extiterint sub lege, seu paruuli in noua, aut alij aliqua necessitate ab Eucharistia exclusi, quoniam fide illi colligantur, & ab ea vim hauriunt, vt de matre sua mortua scribit Augustinus, nec ad vlteriorem participationem eos obligauit Deus: non tamen eandem & æqualem vitæ causam in se residentem habent, atque hi qui pascuntur eadem carne corporaliter, vt iam pluribus exposuimus: sed sicut spiritaliter tantùm capiunt, ita tantùm spiritaliter ipsi connectuntur, & spiritaliter vitam mutuantur, non autem corporaliter manentem in se possederunt vitæ causam, ad cuius necessariam susceptionem obligat omnes suos Christus, quibus suppetit facultas in pœnam nō obtinendæ immortalitatis ad gloriam. Cur ergo (olim arguebant hæretici) non statim à perceptione illius carnis viuificæ transferuntur & immutantur corpora nostra

Triplex causa nostræ resurrectionis.

Rom. 8.

Rom. 6.

nostra ad immortalitatem ? Respondet Ireneus, vitæ seminarium recondi in corporibus nostris, quæ suo tempore sit emersura & apparitura, sicut in seminibus vigor quidam, flos ac fructus delitescunt, qui suo tempore erumpunt. Pro quarta corporalis vnionis causa Chrysostomus atque alij proferunt abundantiam charitatis Christi in nobis, per quam verbum caro fieri, & corporaliter habitare in nobis non tantùm voluit, sed permanere nobiscum decreuit, non contentus nobiscum communicasse carni & sanguini, & per mortem destruxisse eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, omniáque nostri causa gessisse, atque omnia nobis, & seipsum multis modis spiritalibus ac naturalibus dedisse, omnésque creaturas in alimentum nostrum procreasse: quod solum reliquum erat ad amoris effusionem, suamet carne tota totam carnem nostram alere instituit, adeóque intimè nobiscum manere & coniungi, vt intra nos penetret, ac se insinuet commisceátque corporaliter, quę dilectionis vehementia matrum omnium ac parentum charitatem omnem superat. Ex quinta non ipsi satis fuit se nobiscum tam familiariter atque arctè in vnum corpus colligere, sed nos omnes in vnum corpus voluit coaceruare, non tantùm spiritaliter: qui effectus est carnalis coadunationis omnium nostrum cum Christo, non autem est ipsa coadunatio carnalis, quę per corporum nostrorum in vno suo corpore naturali contactum, ex nostris omnium fidelium corporibus, cum suo etiam realiter ac corporaliter vnitis, vnum corpus re vera componit. Hoc Hilarius, Cyrillus Alexandrinus, Cyprianus, atque alij ex Apostoli dicto confirmant. Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Quòd si tantùm spiritaliter participaretur ille panis & caro Christi, non naturaliter nec carnaliter vnum corpus conflaremur, sicut ex illo textu Patres nos fieri probant, sed tantùm spiritaliter. At quoniam, inquit Cyrillus, id assequimur per naturalem carnis Christi participationem, oportet vt singuli nostrum carnem illam totam participent, quia partibilis non est caro Christi, & ita omnes per eam carnem participatam in vnum corpus conueniamus, & vnum ex ipso reddamur. Postremò magno consensu vetus omnis Ecclesia coniunctionem illam corporalem necessariam esse asseuerat, vt non tantùm cum Christo vnum simus naturaliter, sed cum tota Trinitate, non spiritaliter duntaxat, aut habitudine, sed realiter & substantialiter, sicut pater & filius vnum sunt, & vt ad vnitatem redigantur omnia, inueniatúrque vera ac realis Dei atque omnium fidelium ac sanctorum perfecta synaxis, id est, collecta & communio inter se & cum Deo: vt sint, inquam, omnes vnum re vera corpus contactu & commixtionę, concorporales & consanguinei Christo, ait Cyrillus Hierosolymitanus, & diuinæ consortes naturæ, vti hîc fieri ex D. Petro recitat Cyrillus Alexandrinus. Nam sicuti in Christo homo cum Deo re vera vnum est, non habitudine quadam spiritali, & connexione, vt placebat Nestorio, sed naturaliter & substantialiter, propter naturarum & substantiarum naturalem copulationem & realem: ita nos reddimur vnum re vera cum Deo, si carnem Christi re vera sumimus & participamus, quæ nos ad vnitatem substãtialem cum Deo reducit, sicut vna est cum ipso. Tametsi realis vnitatis inter trinitatem ipsam, & inter diuinitatem atque humanitatem Christi, atque inter nostram cum Deo & Christo maxima sit imparitas: nihilominus nostra realis & substantialis per contactũ & connexionẽ cum ipsis sit oportet, vt cum eorum vnitate conferri possit: alioqui per scripturas inepta proponeretur collatio, si toto genere esset diuersitas ac nulla conuenientia, nec re vera omnia recapitularentur in vnitatem diuinam. Post magnum Dionysiũ Christiani magnoperè cõmendarunt ex scripturis causam hãc necessariæ nostrę cũ

Christo carnalis & corporalis societatis, vt patebit ex testimoniis, quæ in fine huius capitis digeremus. Quòd autem ea, inquam, coadunatio cum Christo non aliter nobis contingat, quàm per esum corporalem carnis eius & potum sanguinis, testatur Christus ipse: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: atque aliis locis, quibus innitunrur Patres. Testatur & Apostolus, vbi ait, Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Ex his atque aliis scripturis liquidò constare scribit Hilarius, per sumptionem Eucharistiæ nos in vnitatem carnalem & corporalem cum Christo coagmentari. Chrysostomus ait per corpus Christum in illo cibo se nobis immiscere. Hilarius repetit non semel verè, naturaliter, corporaliter, & per carnem quam sacramento commiscet, Christum se nobis vnire. Cyrillus inculcat per mysticam benedictionem nos assequi cum Christo corporalem vnionem, naturalem participationem non tantùm spiritaliter, sed & corporaliter, secundum carnem substantialiter, secundum veritatem carnis & re vera, non sola fide, aut alia spiritali vnione, vti facit Chrysostomus, & ipse Hilarius: ita vt postremus hic, quisquis id negauerit, pro atheo ducat & eum qui non credat Christum Deum esse, & in sermonibus suis veracem. Tam certa, vera, atque indubitata fides ea de re valebat in Ecclesia, vt dubitandi locum nemini relinqui Hilarius asseueret, & ad scripturas negandas & peruertendas impudentissimi Valentiniani, Arriani & Nestoriani contrà hiscere non auderent, indéque Catholici tanquam ex immoto fundamento probarionem peterent ad quatuor fidei articulos præcipuos asserendos, de carnis resurrectione, de filij essentiali vnitate cum patre, de diuinitate habitante in Christi carne, ac naturali sanctorum communione. Sic enim ratiocinabantur: Per Eucharistiam corpora nostra aluntur carne Christi, quæ resurrectio est & vita: quomodo igitur vim vitæ in se non retinerent? Contra Arrianos verò sic: Per Eucharistiam corpora nostra vnitatem substantialem & carnalem acquirũt cum Christi carne, vt vnum simus cum eo, non tantùm spiritaliter, sed naturaliter: quî fieri ergo potest, vt saltem eadem vnitas non inueniatur in patre & filio? Nestorianos iactantes diuinitatem non edi, & rem Christi quæ manducaretur in sacramento, esse carnem filij hominis, non filij Dei, etiam ita redarguebant: Edimus carnem in sacramento, quæ vitam afferat etiam corporibus nostris. Ideò edimus carnem plenam diuinitate, & de diuinitate ipsa participamus: oportérque eam carnem non puri hominis existere, sed filij Dei, vt illam vim viuificandi gerat & possideat. Contra Arrianos non aliam ex scriptutis colligentes sanctorum communionem, quàm spiritalem, agebant eo quoque pacto. Si tantùm omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus, vnimur cum Christo spiritaliter solum, igitur & ille vicissim nobiscum se vniuit tantùm spiritaliter, nec re vera carnem assumpsit. Si tãtùm Eucharistia esset signum corporis & sanguinis Christi, ac nudum sacramentum sine corpore Christi re vera in se existentis: Si tantùm in ea per fidem spiritaliter ederetur caro Domini: Si tantùm animi nostri perciperent carnem illam, & non nostra corpora, labascerent ac ruerent omnia veterum contra hæreticos argumenta, vtpotè ruinoso fundamento innixa, nec naturaliter, nec carnaliter, nec corporaliter vniremur Christo, nec inter nos. Consentiunt enim omnes manducatione carnis illius talem vnitatem comparari & manducationis modo respõdere. Imprimis ex Sacramentariorum dogmate sic disponamus cõtra Valentinianos & Marcionitas de carnis resurrectione antiquorum Patrum argumentum. In Eucharistia traditur terrena res ac cœlestis, panis, & corpus Christi: sed

Corporalis cõiunctio cũ carne Christi fit tãtum per corporalem manducationem illius carnis.

Hilarius habet pro atheo, qui negat Christi carnem à nobis corporaliter edi.

Corporalem carnis Christi esum nõ audebant negare heretici primi.

Ex fide mãducationis corporalis de carne Christi probabant præcipuos fidei articulos.

Spiritalis mãducatio fauet erroribus veterum hæreticorum.

ſed anima ſola percipit corpus Chriſti, & caro noſtra ſolo pane ſacramentali veſcitur: idcircò non tantùm anima, ſed etiam caro noſtra viuificabitur contra Marcionem. An non verius ipſe Marcion inferret & concluderet: Ergo ſola anima, quæ paſcitur corpore Chriſti, viuificabitur, & ſpiritaliter duntaxat, non corporaliter, continget reſurrectio, imò nullo modo quoniam, corpora, ſicut antea dictum eſt, non ab anima mutuantur reſurrectionis fermentum. An reſpondebunt aduerſarij ſpem vitæ noſtris corporibus conſtitui in panis ſigno, ac ſacramento corporis viuifici? Cur igitur in deſerto Hebræi non acceperunt incorruptionis cibum per tot annos Manna, ſatiati eiuſdem corporis viuifici ſymbolo & ſacramento longè præſtantiore, quàm ſit panis? Cur Dominus Ieſus tali ſigno omnem ademit vitæ facultatem, cùm dixit, Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto, & mortui ſunt? Cur vitæ æternitatem in eſu panis deſcendentis de cœlo, & carnis ſuæ quam daturus erat pro mundi vita, collocatam affirmauit? Scriptum eſt, Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Si caro ſine ſpiritu ad viuificationem non prodeſt, quomodo ſigno ſpiritu & diuinitate vacuo audebimus corpora in ſpem reſurrectionis erigere? Non dubitamus omnes, carnem Chriſti à verbo Dei viuificationis facultatem imbibiſſe. Quomodo ergo panis, niſi ſpiritu ſancto impleatur, & fiat caro filij Dei, hanc quam prædicamus vim & naturam aſſequetur? Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Indè Patres prudenter animaduerterunt ei reſurrectionem promitti, qui carnem, non qui ſignum carnis comederit. Itaque carnis ſalutem à Marcione oppugnatam rectè tuentur hac ratione, quòd non ſolus homo ſpiritalis, vel mens noſtra, verumetiam corpora veſcantur viuifica carne Chriſti & ſanguine in Euchariſtia. Vnde pateſit eos veram & ſubſtantialem præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia ſtatuiſſe, qua in vitam æternam alerentur corpora noſtra. Spiritalis inſuper aduerſariorum perceptio tam fauit Arrianis, vt ei potiſſimum inſiſterent, & ex ea ſpiritalem vnitatem ſolam inter patrem & filium deriuarent: quam vt naturalem eſſe Patres euincerent, prius toti incumbunt, vt oſtendant à nobis non ſpiritaliter tantùm, ſed naturaliter & corporaliter in Euchariſtia à nobis ſuſcipi carnem Chriſti, & ipſi conglutinari. Nec illa ſpiritalis perceptio offendiſſet Neſtorianos, qui vltro aſſenſi fuiſſent diuinitatem ſpiritaliter, & per fidem edi poſſe: ſed quoniam de eſu corporali carnis veræ in Euchariſtia agi inter ipſos & Catholicos conueniebat, rectè ſibi videbantur Neſtoriani ab illa ſemouere diuinitatis manducationem, quàm contra includi Catholici demonſtrabant, quia corporaliter caro ederetur, quæ diuinitatis concomitantia egeret ad effectum ſuum, nempè ad vitam corporibus noſtris ingenerandam. Fauit etiam illa ſpiritalis participatio Arrianis, ſolam ſanctorum ſpiritalem communionem de ſcriptura agnoſcentibus, quos confutarunt antiqui ex Apoſtolo, qui non re aliqua ſpiritali, ſed corporalis eſu illam coaleſcere doceat. Omnes, inquit, vnum corpus ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Conſiderandum quis ille ſit panis tam ſingularis & admirabilis, vt vnus & idem omnes paſcat, & in vnum eundémque panem & corpus conflet. Certè nec communis panis eam habet vim, vt vnus & idem plures homines alat: quanto minus vt vniuerſos in vnam maſſam, idémque corpus coagmentet? Nec ſanè panis Euchariſtiæ ſi ſola ſacramenti & ſigni ratione ſegregatur à communi pane, tanta ſupra communem panem ſingularitate pollebit, vt vnus & idem omnibus Chriſtianis ſufficiat. Nam alius eſt quoad ſingularitatem panis domi meæ,

& alius domi tuæ, & aliud sacramentum in vna Ecclesia, & aliud in altera, si tantùm spectemus panem & vinum, & qua afficiuntur, sacramenti rationem. si quidem ista & locis & singularitate naturæ seiuncta non conueniunt nec coadunantur, vt vnum & idem dicantur & efficiant, nisi fortassè specie, aut toto genere. Verũ existimarũt Patres aliam singularitatem commendari ab Apostolo, quam in genere aut in specie, cùm ex vno pane nos mandere affirmat, vt in vnum panem & idem corpus coalescamus. Nam ex quali, & ex quanta panis singularitate comedimus, in talem ac tantam panis & corporis singularitatem redigimur. In hoc enim versatur ratiocinationis Apostolicæ subtilitas. Igitur si ex pane, qui tantùm vnus esse specie deprehenditur, vel genere communicans, etiam in panem & corpus solo genere vel specie vnum & idem euadimus. Quod si fit, non nos magis Eucharistia, quàm communis alius panis & idem corpus componit. Nam ex communi cibo in eandem specie & genere massam efficimur. Quid ergo tanto verborum apparatu opus fuit Apostolo, vt aliquam nobis singularitatem per Eucharistiam accedere demonstraret? Quamobrem Patres benè subductis scripturis & rationibus in eam omnes descenderunt sententiam, vt ex vno corpore Christi naturali, pane cœlesti nutriri etiam corpora nostra oporteat, quo in ipsum vnum & idem corpus Christi naturale congregemur & associemur, atque ita naturalis necnon corporalis existat sanctorum communio, non spiritalis duntaxat. Caluinus ac Petrus Martyr in hac disputatione aiunt Patres hyperbolicè locutos, quasi minus intellexerint quàm enunciarint, ac veritatem excesserint. Certè Patres, qua potuerunt verborum emphasi, studuerunt solam spiritalem præsentiam & perceptionem corporis ac sanguinis Dominici ab Eucharistia semouere, & corporalem & carnalem, quatenus rem ipsam denotant, confirmare. Si vocant hyperbolas quicquid eò spectat, falluntur: alioqui Patres non ex veris, sed ex hyperbolis hæreticos confutassent, & eorum esset vitiosa ratiocinatio, nec hæreses indè profligassent, sed potius promouissent. Sin quasdam locutiones excerpunt ad rei maiorem expressionem, ex sensibilibus comparationes ducunt, aut dictiones obseruant, quarum rigor & proprietas in his mysteriis stare nequeat: facilè patiemur ad eam significationem temperari, quæ rei dignitati conueniat: cuiusmodi est commixtio, & commisceri, quibus Patres vtuntur, vt intimum rerum contactum designent, ac tollant prorsus omnem distantiam, non solùm tantam quanta est inter cœlum & terram, quantam ponunt aduersarij inter nos ac Christi carnem, sed vel minimam intercapedinem nostræ à Christi carne. Si quis illas voces pertrahat vsque ad confusionis significatum, quasi Patres inducant quandam nostræ cum Christi carne confusionem & permixtionem, imponit Patribus, aliorsúmque rapit voculas quàm à Patribus proferantur. Itaque quàm arctissimam possunt Patres, affirmant corporalem fieri coniunctionem & contactum, non per actum matrimonialem, aut generationis viam: sed Cyrillus Alexandrinus interfatur, Deum inuenisse modum sapientiæ suæ conuenientissimum per mysticam benedictionem & Eucharistiam, in qua manducatur ipsa Christi caro corporaliter, vt eo pacto nostræ vniatur: sed quoniam in vsu ciborum esca conuertitur in manducantem, ne quis ex eo hallucinaretur, cauent Patres atque admonent, non ita fieri in hoc sacramẽto: imò contrà manducantem conuerti in cibum manducatum, carnem scilicet nostram in carnẽ Christi: ac ne rursus quis indè labatur & decipiatur, declarant, licet corporalis ac substantialis sit copulatio, non tamen intercedere substantialem transitionem, aut corporalem

Fieri nõ potest vt Patres fuerint in hac materia hyperbolicè locuti.

ralem

ralem conuerſionem, quaſi ſubſtantia corporis noſtri transmutetur in ſubſtantiam carnis Chriſti, ſed potius, vt antea ex Cypriano audiuimus, intra ſpiritalem conſiſtere, vt noſtra caro vim ac virtutem vitæ, atque alia à Chriſti carne per coniunctionem, ſi non ponatur impedimentum ex indignitate & indiſpoſitione, ſugat & imbibat, ſicut ferrum admotum igni calorem contrahit, non ignis fit ſubſtantia, & membra noſtra, niſi fuerint mortua ac putrida, ex coadunatione cum capite vigorem ac ſenſum mutuantur ab eo, ſalua & incolumi eorum ſubſtantia. Quapropter quid elucidationis in hac materia poſſis deſiderare, quod non fuerit à Patribus allatum, & ante hæc noſtra tempora illuſtratum? Verùm attentiùs legantur eorum quæ ſequuntur ordine teſtimonia, & omnia ſuis locis à nobis propoſitis accommodentur.

MAGNVS DIONYSIVS inter cauſas inſtitutæ à Chriſto Euchariſtiæ ita loquitur: Inſuper prouidens, vt nos qui per negligentiam noſtram atque deſidiam diuinis deſerti atque deſtituti muneribus ſumus, paratis atque ad id inſtitutis bonis in antiquum ſtatum, dignitatémque reuocet, perfectáque noſtrorum aſſumptione exactiſſimam propriorum munerum participationem tradat, & tandem nobis Dei diuinorúmque communionem largiatur. Propter iſtam verò cum Chriſto ac Deo colligationem concludit Euchariſtiam Synaxin nominari.

Dionyſ. cap. 3. Eccleſiaſt. hierarch.

IRENEVS. Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eſt eius, quemadmodum Apoſtolus ait in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola, Quoniam membra ſumus corporis eius de carne eius, & de oſſibus eius. Non de ſpiritali aliquo & inuiſibili homine dicens hæc: Spiritus neque carnem neque oſſa habet: ſed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carnibus & neruis & oſſibus conſiſtit, quæ de calice qui eſt ſanguis eius nutritur, & de pane qui eſt corpus eius, augetur.

Iren. lib. 5.

CYPRIANVS præter allata ſubiungit: Dixerat ſanè huius traditionis magiſter, quòd niſi manducaremus eius carnem, & biberimus eius ſanguinẽ, non haberemus vitam in nobis. ſpiritali nos inſtruens documento, & aperiens ad rem adeò abditam intellectum, vt ſciremus quòd manſio noſtra in ipſo ſit manducatio & potus, quaſi quædam incorporatio ſubiectis obſequiis, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Eſus igitur carnis huius quędam auiditas eſt & quoddam deſiderium manẽdi in ipſo, per quod ſic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato noſtro, & viſceribus ſapor dilectionis infuſus penetrans & imbuẽs omnes animæ corporíſque receſſus.

Cypr. de cœna.

CYRILLVS Hieroſolymitanus: Præbetur corpus in ſpecie panis, præbetur ſanguis in ſpecie vini, vt ſumpto corpore & ſanguine euadas σύσσωμος & σύναιμος, id eſt, concorporalis & cõſanguineus. Sic enim efficimur Chriſtophori, id eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus eius & ſanguinem in membra noſtra recipimus: ſic ſecundum D. Petrum diuinæ conſortes naturæ reddimur.

Cyrill. catheches. 4.

HILARIVS, poſtquàm multis verbis de modis vnitatis ſpiritalibus, quos anteà attigimus diſſeruit, Arrianos qui tales ſolos inter patrem ac filium, & inter nos atque Chriſtum ponebant, ita tandem redarguit. Eos nunc, qui inter patrem & filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrúmne per naturæ veritatem hodiè Chriſtus in nobis, an per concordiam voluntatis. Si enim verè verbum caro factum eſt, & nos verè verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimãdus eſt, qui & naturam carnis

Hilar. lib. 8. de Trinit.

nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitas sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse: quia in Christo pater, & Christus in nobis, vnum in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis Christi Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, cùm naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit vnitatis. Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait, Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. An ne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum Deum esse negant. Est ergo in nobis ipse per carnem & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Quòd autem in eo per sacramentum cõmunicatę carnis & sanguinis simus, ipse testatur, dicens, Et hic mundus iam me non videt: vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis: quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis tantùm vnitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atque ordinem consummandæ vnitatis exposuit, nisi vt cùm ille in patre per naturam diuinitatis esset, nos contrà in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, ac si perfecta per mediatorem vnitas doceretur, cùm nobis in se manentibus, ipse maneret in patre, & in patre manens, ipse maneret in nobis & ita ad vnitatem patris proficeremus, cùm qui in eo naturaliter secundum natiuitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quod autem in nobis naturalis hæc vnitas, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tantùm in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem huius vnitatis sacramentum superius iam docuerat, dicens Sicut misit me viuens pater, & ego viuo ptopter patrem: & qui mãducat meam carnem, & ipse viuet pet me. Viuit ergo per patrẽ, & quomodo per patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, vt id de quo agitur, secundum propositum exemplum assequamur. Hæc verò vitæ nostræ causa est, quòd in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se patrem habeat, cùm viuat ipse per patrem. Hæc autem idcircò à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantùm inter patrem & filium hæretici mentientes, vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo, tanquam nobis ad filium, & per filium ad patrem, obsequio tantùm ac voluntate religionis vnitis, nulla per sacramẽtum car-

„ nis & ſanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, cùm & per hono-
„ rem nobis datum filij Dei,& per manentem in nobis carnaliter filium,& in eo no-
„ bis corporaliter & inſeparaliter vnitis,myſterium veræ ac rationalis vnitatis ſit præ-
„ dicandum. Placuit prolixam hanc Hilarij diſputationem ad verbum tranſcribere,
tum quia multis modis non probat ſolùm, ſed explanat coniunctionem illam corporalem,quæ fit inter nos & Chriſti carnē per Euchariſtiam, tum quia ſola lectione confutat figmenta Petri Martyris, quibus fruſtrà conatur tantam Hilarij authoritatem eludere, quaſi dixerit carnem illam admiſceri nobis tantùm ſub ſacramento,id eſt,ſigno tenus,aut non penitùs nobis communicari quàm in baptiſmo, cùm lectio oſtendat ſacramentum non pro ſigno & figura capi, ſed pro arcano ac ſupernaturali atque inſenſibili modo. Nam & ſacramenti voce in incarnatione vtitur, & prohibet verba de carnis Chriſti eſu à Chriſto prolata figuratè & pro ſigno capi:& ratiocinatio vana eſſet,ſi ex ſuſceptione ſigni,aut figura carnis accepta,naturalem inferret vnitatem,cùm non ampliorem poſſet colligere quàm quæ fieret,nēpè figuratam & imaginariam, ac multo minus ex ſigni manducatione, aut ex imagine carnis comeſta ritè concluderet ſequi vnitatem eſſentialem inter patrem & filium, & non ſolam ſpiritalem aut figuratam,quæ potius colligeretur ex carnis figura accepta.Nominatim verò Hilarius remouet figuram à verbis Chriſti, atque ab eſu carnis,& coniunctione noſtra cum Chriſto, figuratam aut ſpiritalem vnitatem, quæ fit per baptiſmum per honorem collatum duntaxat, aut alio quouis ſpiritali modo ſolo. Calumniatur etiam Martyr admiſcendi verbum, quo Hilarius vtitur: quaſi aliud ſignificet, quàm copulare & adunare, cùm ipſi ea ſit phraſis familiaris, ſicuti aliis, vt illud verbum frequentet pro arctiſſima coniunctione. Alibi enim ait Chriſtum admixtione carnis atque animæ ſibi facta,hominem & Deum eſſe,& animam corpori permixtam,ipſum viuificare. Aequè ridiculum,quod Martyr allegat ab Hilario dici, nos eſſe in Chriſto, cùm corpora noſtra non ſint in cœlo cum eo:ſed ſi ipſe in nobis manet per Euchariſtiā corporaliter, quid obeſt quin eodem modo viciſſim etiam in nobiſmet ipſis ſimus in eo corporaliter, cùm in nobis ſit præſens,& ei vniamur ibi corporaliter,ſicuti nobis vbi præſens vnitur. Berengariani olim eo artificio quo Petrus Martyr ſtudebant vim & impetum Hilarij declinare: ſed Guitmundus grauiſſimè elabendi exitum ipſis intercluſit.

Hilar.lib.De Trinit.

Guitmundus lib.3.

Lib. 2.cap.9.in aduerſarios leg.et Prophet.

„ AVGVSTINVS. An & contra Apoſtolum propoſiturus eſt cathedram peſti-
„ lentiæ,& diſputaturus de qualitate figurarum, atque dicturus,non eum debuiſſe fi-
„ guras rerum honeſtarum de rebus turpibus ducere? vt quod ſcriptum eſt de maſcu-
„ lo & fœmina, Erunt duo in carne vna: quibus additur, Sacramentum hoc ma-
„ gnum eſt, dico in Chriſto & Eccleſia. Itáne verò vbi eſſent cognoſcenda tantæ rei
„ ſacramenta,id eſt ſacra ſigna,& in re pudenda,atque in eis verbis,quibus verecun-
„ dia debetur,cognoſci non debuiſſe,nec dici homo iſte ſciebat?& beatus Apoſtolus
„ neſciebat? Eat planè iſte retrò cum ſuis ſimilibus,qui dixerunt, Durus eſt hic ſermo,
„ quis eum poteſt audire? Nos autem audiamus, & intelligamus duos in carne vna,
„ Chriſtum & Eccleſiam, ſicut mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum
„ Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendúmque ſanguinem dantem, fi-
„ deli corde atque ore ſuſcipiamus.

Cyrill.lib. 4.in Ioan.cap.26. & 27.

„ CYRILLVS ALEXANDRINVS. Nequeo negligere, quæ aliquis ex hoc
„ Euangelij loco contra veritatem contexuit. Rectè (dicebat ille) vnigenitus deriſit
„ omnes, qui ſe patri conſubſtantialem opinantur. Ecce enim, ecce vitem ſeipſum
„ nuncupauit, patrem verò agricolam. Quemadmodum vitis atque agricola vnius
„ naturæ non ſunt, ſic filius conſubſtantialis patri non eſt,ſed naturaliter & longè ab

eo separatus. Nec rationabiliter quidem ad humanitatem Christi conferunt: non enim caro eius, sed deitas, vitis ab eo nūcupata est. Patet enim quia corpora nostra non depēdent à carne Christi, vt palmites à vite, nec sanctorum fructus corporeus est, sed potius spiritalis. Deitas ergo filij vitis est, vnde per fidem pendemus. Hæc ille Arrianus astutè simul atque impiè, aliáque eiusmodi euomuit. Nos autem Patrū & Ecclesiæ fidem sequentes, eius loci rimemur intellectum. Verùm quoniam nos nulla ratione humanitati Christi posse ita attribui existimat, quasi fide atque dilectione, non carne illi coniungamur, age pauca de hoc dicamus. Non negamus rectà nos fide charitatéque sincera Christo supernaturaliter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, ídque à diuinis scripturis omninò alienum dicimus. Quis enim dubitauit Christum etiam sic virem esse, nos verò palmites, qui vitam indè acquirimus? Audi Paulum dicentem, Quia omnes vnum corpus sumus in Christo. Quia etsi multi sumus, vnum tamē in eo sumus: omnes enim de vno pane participamus. An fortasse putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat, nónne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, membra Christi sunt? Nescitis quia membra fidelium membra sunt Christi? Saluator ait, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verumetiam & paticipatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactā ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum ex vtrísque factum videatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Cur igitur secundum carnem nos esse palmites pernegat? An non connenienter dici potest, vitem eius humanitatem esse, & nos palmites, propter identitatem naturæ. Eiusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. Ita & spiritaliter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis.

His adiicit idem Cyrillus. Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret, quamuis corpore & anima simul distemus, modum tamen adinuenit, consilio patris & sapientiæ suæ congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos vnum corpus nos efficit. Quis enim eos, qui vnius sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam si omnes vnum panem manducamus, omnes vnum corpus efficimur. Diuidi enim atque seiungi Christus non patitur. Idcirco etiam Ecclesia corpus Christi facta est, & nos singuli membra Christi secundum Paulum. Vni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum, qui est indiuisibilis, accepimus, ipsi potius quàm nobis membra nostra accommodantes. Quòd autem Ecclesia corpus ex singulis hominibus tanquam membris compositum, Saluator verò caput sit, Apostolus ostendit, dicens. Vt iam non simus paruuli, fluctuantes, nec circumferamur omni verbo doctrinæ in nequitia hominum, veritatem autem sequentes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in Charitate. Quòd autem corporalis hæc vnio ad Christum participatione carnis eius acquiratur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis disserens, testatur. Quod aliis generationibus, inquir, non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo.

„ Si omnes inter nos vnum ſumus corpus in Chriſto, nec inter nos ſolùm, verum-
„ etiam cum eo, qui per carnem ſuam ad nos tranſiuit, quomodo vniuerſi & inter
„ nos & in Chriſto vnum non erimus? Chriſtus enim eſt huius vnionis vinculũ, qui
„ Deus ſimul & homo eſt. Sed de vnione corporali ſatis. De ſpiritali autem eandem
„ viam ſequentes, dicimus, quia Spiritu ſancto recepto, & inter nos quodammodò,
„ & cum Deo vnimur. Nam quamuis vnicuique noſtrum Chriſtus patris & ſuum
„ ſpiritum diſtribuit, indiuiſibilis tamen ſpiritus eſt, & diſtributus ſingulis ſpiritus
„ in ſeipſo vnit, & omnes quibus diſtributio facta eſt, vnum in ſeipſo efficit. Et ſicut
„ virtus ſanctiſſimæ Chriſti carnis vnum corpus facit participantes, eodem arbitror
„ pacto, in quibus indiuiſibilis Dei ſpiritus habitauit, eos omnes ad ſpiritalem
„ vnitatem conducit.

„ Corporaliter filius per myſticam benedictionem nobis vt homo vnitur, ſpirita- *Lib. 2. cap. 27.*
„ liter autem vt Deus, ſui ſpiritus gratia noſtrum ad nouam vitam, & diuinæ naturæ
„ participationem ſpiritum reintegrans. Nexus igitur vnionis noſtræ ad Deum pa-
„ trem Chriſtus eſt, nobis quidem vt homo, Deo autem patri vt Deus naturaliter
„ vnitus. Non erat poſſibile corruptioni ſubiectam hominis naturam ad immortali-
„ tatem conſcendere, niſi natura immortalis atque incommutabilis ad eam deſcen-
„ diſſet, ac communione participationéque ſui à mortalitatis noſtræ terminis ad
„ ſuum bonum reformatos eleuaret. Conſummati ergo ſumus, reductíque ad vnita-
„ tem Dei patris, mediatione Saluatoris, id eſt Chriſti. Filium enim Dei natura patri
„ vnitum corporaliter, ſubſtantialiter, vt dictum eſt, accipientes, clarificamur, glori-
„ ficamúrque ſupremæ facti naturæ participes.

„ Dicebat Neſtorius: Memoramini quia ſermo fit de carne, & quia non à me ad- *Cyrill. Anath.*
„ iectum eſt carnis nomen, ne videar malè interpretatus, Qui comedit, inquit, carnẽ *2. & ad Re-*
„ meam, & bibit meum ſanguinem. Non dixit, Qui comedit meam diuinitatem, & *gin. de recta fi-*
„ qui bibit meam diuinitatem. Reſpondet Cyrillus: Non quia diuinitatis non come- *de.*
„ ditur natura, propterea ſanctum corpus Chriſti commune eſſe quilibet affirmat.
„ Scire autem neceſſarium eſt, quoniam ſicuti prædiximus, proprium eſt corpus om-
„ nia viuificantis verbi. Quia enim corpus vitæ, ideò viuificans eſt. Per ipſum nam-
„ que mortalibus noſtris corporibus vitam largitur, vt etiam deſtruat mortis im-
„ perium.

Multa garrit Petrus Martyr: ſed omnia ſua ſponte concidunt, cùm repugnantibus literis & ſyllabis ſtatuere vult ſolam ſpiritalem carnis Chriſti participationem, quam nominatim confutat Cyrillus: & ea admiſſa, malè Neſtorius fuiſſet ratiocinatus diuinitatem edi non poſſe, quod Cyrillus concedit, cùm tamen non neget ſpiritaliter illam comedi poſſe, imò aſſerat, ita vt ſit neceſſarium ab ipſo aſtrui corporalem & realẽ carnis Dominicæ mãducationem, qua diuinitas comedi nequeat.

CHRYSOSTOMVS. Neceſſariò dicendum, quàm admiranda myſteria, & cur *Chryſ. ho. 45.*
„ data ſint, & quænam eorum vtilitas. Vnum corpus ſumus, & membra ex carne & *in Ioan. & ho.*
„ oſſibus eius. Vt autem non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem con- *61. ad popul.*
„ uertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cùm enim ſuum in nos *Antiochen.*
„ amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſ-
„ cum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè eſt.
„ Hoc Iob ſignificabat de ſeruis, à quibus cùm maximè amaretur, dicebatur, Quis
„ det nobis, vt carnibus eius ſaturemur? Quod Chriſtus fecit, vt maiori charitate nos
„ aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe videri tantùm permit-
„ tens deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & carnes carni ſuæ infigi. Veſter e-
„ go frater eſſe volui, & communicaui propter vos carnem & ſanguinem, & per quæ

vobis coniunctus sum, ea rursus vobis exhibui.

Chrys.ho.83. in Matth.ho. 60.ad popul. Antioch. NON sufficit ei hominem fieri, flagellis cædi, sed nos secum, vt ita dicam, in vnam massam reducit, neque id fide solùm, sed reipsa nos corpus suum effecit. Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pauore, propter fulgorem qui indè resilit, aspicere possunt, & nos in vnam cum illo massam reducimur. Quis loquetur potentias Domini? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt alendos, quod ipsæ facere nolunt: sed ipse proprio corpore nos alit, & sibi coniungit atque conglutinat.

Chrys.ho.24. 1.ad cor. Non simpliciter corpus suum tradidit, sed cùm prior carnis natura à terra formata, à peccato mortalis facta, à vita deserta esset, aliam, vt ita dicam, massam & fermentum induxit, hoc est, carnem suam, natura quidem eandem, verùm à peccato liberam, & vitæ plenam, quam omnibus tribuit, vt participes fierent: vt ea nutriti, & priore abiecta quæ mortua erat, per hanc mensam viuentem & immortalem commisceremur.

In cap.10.1.ad Corinth. PHOTIVS citatus ab Oecumenio. Vndè planum est, quòd panis quem frangimus, sit communicatio corporis Christi? Indè nimirùm, quòd nos in communionem corporis Christi agglutinet. Vndè verò istud patet? Quoniam vnum atque idem corpus sumus, ac dicimur omnes Christo coagmentati, instar communis corporis capiti. Si igitur corpori eius ac sanguini in communionem non copulamur, cum quonam altero vnum simus corpus, ac vocati sumus?

In cap.5.ad Ephes. THEODORETVS. Sicut Christus Ecclesiam ipsam nutriens & fouens, & ei suum dans corpus & sanguinem, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Sic enim Eua ex Adam facta est, ita nos ex Christo Domino. Cum eo enim in baptismo consepelimur, & corpus eius comedimus, & sanguinem bibimus.

Theodor.in Cantica. OSCVLETVR me osculo oris sui. Neque verò offendi quis debet verbo osculi: siquidem in ipso mysterij tempore membra sponsi prēdimus, osculamur, & amplectimur, & veluti sponsali coniunctione cum eo copulamur.

Serm.14.de passion.& ep. 23. LEO PRIMVS. Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id quod sumimus, transeamus, & in quo mortui & sepulti & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus.

Theophyl.in ca.6.Ioann. THEOPHYLACTVS. Quemadmodum viuo propter patrem, hoc est, sicut natus sum ex patre, qui est vita, ita & qui mãducat me, viuit propter me, dum quodammodò miscetur mihi, & transelementatur in me.

TESTIMONIA PATRVM AD CARNIS RESVRRE-ctionem confirmandam ex Eucharistia.

Ignatius epist. ad Ephes. IGNATIVS. Festinate frequẽter accedere ad Eucharistiam & gloriam Dei. Frangite panem qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed viuendi per Iesum Christum in Deo, catharticum expellens malum sit in vobis.

Lib.4.cap.34. IRENEVS. Quemadmodum qui à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Iren.lib.5. Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostrę substãtia.

Quomodo

"Quomodo carnem negant capacem donationis Dei, qui est vita æterna, quæ corpore & sanguine Christi nutritur? Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Dei spiritum, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam Dei in vsum hominibus veniunt, & fiunt ex vino & pane corpus & sanguis Christi: sic & corpora nostra ex eis nutrita, & reposita in terram, & resoluta, resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei patris.

"TERTVLLIANVS. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. *Tertull. lib. De carnis resurr.* Certè si tantùm caro nostra vesceretur signis exterioribus corporis & sanguinis Christi, tam facilè potuisset Tertullianus ei accommodare signorum vocabula, quàm in aliis sacramentis fecit, in quibus carni non adaptat nomina rerum significatarum, sed tantùm signorum, ita vt regulam sacramentalem in illis non agnoscat, cum ait, Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima confortetur: caro signatur, vt anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur. Aequè, inquam, potuit dicere, Caro pane & vino vescitur, vt anima de Deo saginetur. Insuper si caro solis signis vesceretur, non ob id certè conuinceretur immortalis, quia signa nihil afferunt virtutis & vigoris ex aduersariorum sententia.

Concilium primum Nicenum in secunda Repetitione productum, Eucharistiam nominat Resurrectionis symbolum, id est, pignus & arrabonem: non quia signum præberet resurrectionis nostræ, sed semen atque radicem, vnde resurrectio pullularet.

"CYPRIANVS. Et nos cùm caro essemus & sanguis, corrupta infirma corporis animæque natura reformari non poteramus, neque ad Dei similitudinem reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & desperatæ infirmitatis curatione contraria remouerentur contrariis, & similia similibus conuenirent. *Cypr. de cæna.*

"GREGORIVS NISSENVS. Quemadmodum qui per insidias venenum hauserunt, alio medicamento vim illius exitialem extingunt: Oportet autem vt ad veneni similitudinem medicamentum in viscera ingrediatur, vt per illa totum in corpus auxilium diffundatur: ita nobis faciendum est, vt cùm venenum, quo natura nostra dissoluitur, degustauerimus, medicamentum quo illa contrahitur, suscipiamus, vt virus illius & opportuna eius vi repellatur. Quodnam est hoc medicamentum? Nullum aliud, nisi corpus illud, quod morte præstantius declaratum est, & nostræ salutis causa. Quemadmodum enim parum fermenti (vt inquit Apostolus) totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud quod à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens, totum in se transfert atque commutat. Nam vt pestiferum cum salubri commixtum, illud efficit perniciosum, sic & corpus immortale reddit totum illud in quo susceptum est, naturæ similis immortale. In corpus autem ingredi nō potest, nisi per cibum & potum visceribus immisceatur. Itaque necessarium est, vt natura nostra, quoad eius fieri potest, vim salutarem intra corpus admittat. Cùm autem nullum aliud corpus, nisi diuinum, eam gratiam susceperit, demonstratúmque sit, fieri non posse, vt corpora nostra consequantùr immortalitatem, nisi cum immortali corpore coniungantur, atque ita incorruptionem acquirant: Deus qui nobis se patefecit, idcircò naturæ mortali seipsum coniūxit, vt eam coniunctione sua diuinam redderet: Ideo cunctis credentibus gratiæ dispensatione seipsum impertit per carnem, quæ ex vino & pane constituitur, fideliúmque corporibus cōiungitur, vt ea cōiunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat. *In orat. catech. De Eucharist.*

Lib.10.in Ioã. cap.13.

CYRILLVS ALEXANDRINVS. Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti, Christo fidem præbe. Amen, Amen, (inquit) dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Audis apertè clamantem non habituros vitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis dicit, id est, in corpore vestro. Vita autem iure ipsa vitæ caro intelligi potest: hæc enim nos in die nouissimo suscitabit. Et quomodo dicere non grauabor. Caro vitæ facta vnigeniti caro ad virtutem vitæ traducta est: non potest igitur morte superari. Propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus filius Dei. Vnde, quia vnus est cum carne sua: Ego enim (inquit) suscitabo eum in nouissimo die.

Lib.4.in Ioan. cap.14.

Recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita, æstuat. Hoc sanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate nostra reuocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur. Oportuit enim, vt non solùm anima per spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verumetiam vt rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur. Quoniam igitur Saluatoris caro, verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est, quoniam eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est: hac de causa in mortuis exuscitandis, non solùm verbo atque imperio, vt Deus vtebatur, verumetiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificã esse, atque fideles doceret suum, non alterius corpus esse.

Cyr.ll.lib.4.in Ioan.cap.15.

Quemadmodum si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum indè ignitum necessariò fiet: sic verbum Dei tãquam scintilla in naturam nostram immissum, totam indè inflammabit, atque ad vitam, interitu penitùs destructo, reduxit.

CORPORALEM MANDVCATIONEM CARNIS DOminicæ probari per esum infidelium & indignorum, licet indè non efficiantur vnum corpus cum Christo. CAP. 2.

ANTEA præfati sumus ex Caluino atque aliis, duo potissimùm ab aduersariis intendi contra existentiam carnis Dominicæ in sacramento: Naturæ humanæ scilicet proprietatem, ac Christi gloriam, cuius se vindices & assertores ostẽtant. Eadem etiam contra illam quam astruximus corporalem manducationem in summa opponunt: sed vt contra existẽtiam, maximè humanæ naturæ limitibus & angustiis insistunt, ita vicissim ad respuendam manducationem, illam gloriam Christi vehementius vrgent, quam mirum in modum imminui & conculcari lamentantur, si eius caro & sanguis immundis labiis vt visceribus indignorum atque impurorum hominum obiiciatur & immergatur, mortémque dicatur ipsis afferre, quæ resurrectio est, & vita. Proinde melius caueri & consuli Christi honori cõtendunt, si non nisi pura mente ac fide à piis & dignis ipsa caro & sanguis degustari cõcedatur, atque ab ea homines profani, tanquam canes abigantur. De Christi gloria respondebitur sequenti capite: nunc de re ac de indignorum esu exordiamur

quid

quid veri ſit, inquirere. Quoniam effugere nequeunt aduerſarij, quin ab Apoſtolo tradatur aliqua carnis Dominicæ ab indignis manducatio, nec tantæ puritatis eſſe poſſumus, vt nos illius eſu dignos audeamus iactare, rectè omnes diuerſa indignorũ genera diſtinguunt. Lutherani alios conſtituunt planè infideles ac iuratos Chriſti hoſtes, vt Atheos, Turcas, Apoſtatas & Paganos: alios verò qui ſermoni Chriſti de manducanda carne illius fidem habent, alioqui vita ac moribus, aliíſque religionis partibus profligati, ac fide ipſa iuſtificante deſtituti, quales cenſentur hypochritæ, hæretici, aut grauioribus peccatis onerati. Ab illis nolunt de Euchariſtia quicquam capi poſſe, quàm ſignum externum: quoniam non niſi ſuis Chriſtus carnem ſuam & cœnam appararit & appoſuerit, quam ab iſtis ſermoni de Euchariſtia credentibus, & Chriſto mancipatis, quantumlibet alias indignis, annuunt verè comedi. Heildebergenſes atque alij Sacramentarij ne quidem ab iſtis poſterioris modi indignis ferunt carnem illam attingi poſſe: quoniam fide iuſtificante, qua ſola prehenditur, careant: ideóque tertium indignorum genus ſubſtituunt fide illa præditi, non ea tamen attentione, pietatis ſtudio, ac conſcientiæ puræ, qua debent ſollicitudine Chriſti carnem per illam fidem amplectuntur, ob ídque indignitatis culpam & maculam contrahunt circa carnem Domini, & temporarium indè ſibi aſciſcunt ſupplicium. Sed de his egimus in priori Repetitione ad dicta Apoſtoli de Cœna Domini, cum quibus probauimus, nec figmenta iſta, nec alia Caluini de indignis cohærere poſſe. Catholici non refragantur, quin plura recenſeantur indignorum genera. Indignus enim eſt quiſquis ad hoc ſacramentum alia mente atque ratione, quàm ſit traditum à Domino, accedit. Primò, quando deeſt fides, ſiue quæ firmiter credat verbis, quibus proponitur à Domino carnis ſuæ manducatio, ſiue illa quæ cum aliis requiſitis iuſtificat. Deinde, quando non ſeruatur inſtitutio Euchariſtiæ, ſed deprauatur in his quæ ad ſubſtantiam pertinent. Tertiò, ſi non maiori reuerentia venitur ad eam quàm ad menſam communem, quo crimine Apoſtolus Corinthios accuſat. Quartò, ſi ſine recognitione ſordium & infirmitatum noſtrarum, ad quarum purgationem & expiationem ſuſcipitur hoc ſacramentum. Quintò, ſi ſine pœnitentia perſeueratur in peccatis, aut animus perſeuerandi retinetur. Nam ad deletionem peccatorum ex paſſione Chriſti ſpectat Euchariſtiæ ipſius inſtitutio. Poſtremò, ſi negliguntur, aut non adhibentur, quando non excuſat neceſſitas, media à Chriſto relicta pro peccatorum expurgatione, vt poteſtas eſt clauium, & confeſſionis ſacramentum. Horum nullum à vera & corporali perceptione carnis Dominicæ in ſacramento ſecludimus, ſiue ſit atheus, ſiue Turca, aut alioqui infidelis & hypocrita: imò etiamſi eſſet Diabolus incarnatus. Numquid duodecim (inquit Chriſtus) vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt, Iudas ille quouis infideli deterior. Nec ſcriptura vllum indignorum genus eximit, ſed ait, Quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Sicut enim Chriſtus cùm apud nos viueret in ſtatu naturali omnium indignorum contumeliis & iniuriis exponi voluit, vt ſuam potentiam atque maieſtatem oſtenderet, quæ nullorum conatibus aut ſordibus violari aut contaminari poſſet, quin indè fieret illuſtrior: ita eidem placuit in ſacramento omnium ludibriis ſubiacere in reſurrectionem ac ruinam multorum, atque in ſignum cui contradiceretur, vt de multorum cordibus reuelarentur cogitationes, & vt iuſtificaretur ipſe, cùm iudicatur & opprimitur. Certè quoniam ex antea diſputatis caro & ſanguis pani & vino cohærent re

Aduerſarij diſſident in deſcriptione indignorum.

Plura genera indignitatum circa ſumptionẽ euchariſtiæ.

Omnes indigni ſuſcipiunt re vera corpus Chriſti.

Luc. 2.

Pſal. 50.

vera, vt ſacramentum conficiatur, ſicut qui apparent panis & vinum, in omnium indignorum verſantur poteſtate ad ſumendum, ita caro & ſanguis in ipſis contenta: nec (vt ait Cyprianus) ſe abſentat diuina maieſtas, humani furoris aut impietatis metu. Scimus quidem non inſtitutum ſacramentum pro infidelibus: ſed nec inſtitutum fuit pro hypocritis & hæreticis, aut aliis indignis. Chriſtus enim mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium: ſed ſacramentum hoc conſtituit, vt omnes ſumentes vitam habeant, modò faciant quæ mandauit, vt ad vitam ingrediamur. Non creauit Deus lignum vitæ ad interitum, ſed in medio poſuit ad libertatis humanæ experimentum: non obtruſit inuitis, nec præcepit, ſed non ſubduxit malè volentibus vti & frui. Quamobrem ſublato diſcrimine indignorum, quorum nullis etiam perditiſſimis legimus ſubtrahi à ſacramento corpus Chriſti, conſideremus quid inter nos & aduerſarios relinquatur controuerſum. Illi aſſerunt ab indignis per infidelitatem ſeu hypocriſin & nequitiam, tantùm ſacramenti ſigna exteriora panem & vinum ſumi: nos autem credimus ab illis etiam cum ſignis rem ſacramenti, carnem & ſanguinem Dominicum percipi. Ante omnia ſignis inſunt, vt antea abundè probatum fuit, nec per indignitatem ſuſcipientium expelluntur. Nam fides aut dignitas ſumentis non facit ſacramentum, nec conſtituit vel præſentiam, vel mãducationem carnis & ſanguinis, ſed ipſius Chriſti inſtitutio atque eius verbum. Sicut de integritate ſacramenti nihil decedit propter indignitatem perſonæ adminiſtrantis, ita nec ſumentis indignitas illam imminuit, nec Chriſtus potentiam ſuam alligauit fidei aut puritati ſumentium, quia non dixit, Accipite, edite, ſi digni eſtis, aut aliquid ſimile. Ideo cum Apoſtolo concludamus oportet: Numquid incredulitas eorum fidem Dei & Euangelij aſſertionem euacuabit? Abſit. Eſt enim Deus verax, vti iuſtificetur in ſermonibus ſuis: omnis autem homo mendax, vt etiam in conſcientia falli poſſit. Hoc idem contra Donatiſtas ex ſcriptutis euicit Auguſtinus. Vt enim aduerſarij noſtri rem ſacramenti tantùm fide obtineri ſibi perſuadent, ita Donatiſtæ eandem planè tuebantur ſententiam: quibus Auguſtinus reſpondet, fidem deſiderari, & dignitatem ad fruendum ſacramenti effectu, & fructum teferendum, ſed non ad cõfectionem, aut rerum quibus conſtat ſuſceptionem. Verba ſunt. Non intereſt, cùm de ſacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide ſit imbutus ille qui accipit ſacramentum. Intereſt quidem plurimùm ad ſalutis viam, ſed ad ſacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, vt homo habeat integrũ ſacramentum, & peruerſam fidem, &c. Confundunt aduerſarij ſubſtantiam & vſum rei. Sæpè interit relatio manente ſubiecto. Fides diſcernit inter perſonas ſumentes, & ſumptionis finem, non conſtruit aut deſtruit rem ipſam. Ad conſtructionem quidem ſacramenti aliqua fides hiſtorica requiritur, qua credunt verba quædam à Chriſto cum materia aliqua fuiſſe inſtituta ad efficiendũ hoc vel illud ſacramentum: ſed iſta reſidet in Eccleſia, & in intentione facientis aut adminiſtrantis ſacramentum, nõ in ſuſcipiente: & cum illa ſtat infidelitas etiam cõtra ipſum ſacramentũ & effectum eius, immò contra totum Chriſtianiſmũ. Iudęus enim & Turca, aut quiuis infidelis, credens materiam hanc, & verba à Chriſto decreta ad abluẽdum in remiſſionem peccatorum, etiamſi actionẽ & opus atque effectum irrideat, nihilominus baptiſmũ operatur & adminiſtrat, ſi ſic abluere aliquẽ nondum ablutũ tentauerit. Quid mirũ ergo, ſi ſemota omni alia fide ſacramentum ita confectum dicatur verè ſuſcipere, ſicut conficere. Sed poſt conſtitutum in rerũ natura ſacramẽtum, nec illa fides hiſtorica amplius in vllo neceſſaria eſt ad veritatẽ ſacra-

Sapien. 1. Gene. 3. Rationes probantes ab indignis mãducari Chriſti carnẽ. Rom. 3.

sacramenti, nec in ministrante, nec in accipiente: quia tantùm illa opus erat propter verba & materiam ad sacramenti constitutionem. Itaque Turca & Iudæus, aut alius infidelis, si raperet Eucharistiam consecratam, nulla fide opus esset, ne quidē historica, vt in ea carnem Christi iam existentem, & totum sacramentū habeat, sed in suæ damnationis incremētum propter indignitatem & infidelitatē illi cederet. Propterea in Cœnæ structura, & sacramēti exhibitione, nō alio sermone alloquitur immūdum & nefariū Iudam fide priuatū, quàm Ioannem, vel alios Apostolos. Omnibus ex æquo dicit, Accipite, manducate, *Hoc est corpus meum*. Bibite ex eo omnes, *Hic est sanguis meus noui Testamenti*. Cùm ex ea ordinatione statui necesse sit quid præbuerit Christus discipulis, & quid illi acceperint, sequitur non minus perfidum Iudam excepisse de manibus Domini corpus & sanguinem eius, quàm vel Petrus, vel quisquā alius inter eos. Nam Lucas Iudam inter duodecim discubuisse narrat, & post institutam Eucharistiam cum aliis adhuc ibi resedisse, de quo Christus dixerit, Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Iudæ ergo cum aliis imperauit Christus, Edite, bibite omnes: & cum aliis obediuit, præsertim cùm Marcus subiungat, Biberunt ex eo omnes. Certè quòd iussit Christus omnes bibere, & quòd omnes bibisse scribitur, à Domino affirmatur esse suus sanguis, nō solùm id quod obtulit bibendum, sed quod re vera biberunt omnes. Ioannes etiam Iudam cum aliis permansisse, donec completa esset Cœna declarat, in ipsáque à Christo de Iuda verba habita reperit, ac de offula ipsi oblata mentionem facit, quæ alij Euangelistæ memorant inter cœnandum dicta ac facta: sed non egressum Iudam, nisi completa Cœna, Ioannes etiam annotat, sub cuius finem fuerit instituta Eucharistia. Eam ob rem antiqui Christiani communiter ex Euangelistarum historia tanquam manifestum tradunt, proditorem Iudam corpus Domini manducasse, ac sanguinem bibisse. Tertiò, ab indignis corpus illud manducari Apostolus astipulatur, non solùm per ea quæ in prima Repetitione attulimus, sed cùm expressis verbis etiam ait indignitatis crimen incurri, cùm cibus qui editur, non diiudicatur esse corpus Domini, & ex eo reatum eiusdem corporis irreuerentiùs accepti contrahi: sed cùm Corinthios arguit, qui indifferentiùs vescerentur Eucharistia & idolothyto. Etenim eos indignè facere increpat, quòd mensam Domini & mensam Dæmoniorum commiscerent: & tamen eosdem ostendit ex perceptione panis Eucharistici participare de corpore Domini vero & substantiali. Panis quem frangimus, inquit, nónne cōmunicatio corporis Christi est? Ex esu panis, perceptionem corporis infert etiam indignis & indispositis, quibuscum habebat sermonem. Non ergo ex fide, sed ex sacramento panis per Apostolum fit participatio corporis Dominici. Quartò, Sacramentariis placet Israëlitas omnes inter se ac nobiscum eandem escam spiritalem comedisse: sed in pluribus eorum (ait Apostolus) non fuit beneplacitum Deo: siquidem prostrati sunt in deserto. Cùm ergo inter ipsos indigni fruerentur spiritali esca & potu, non tantùm exteriùs Manna, & aqua de petra, cur inter nos indigni censebuntur arcere à spiritali esca & potu, cùm omnia ex Aduersariorum sententia quoad rem inter nos & ipsos constituantur paria? An elabetur Caluinus, ac dicet oblatam quidem indignis Israëlitis escam spiritalem, sed non susceptam & manducatam? Cur ergo Apostolus omnes eandem escam spiritalem manducasse, ac potum spiritalem bibisse inculcat? Vtrine potius sit habenda fides, Paulo an Caluino, æstimet lector: atque hîc obseruet ferocem Caluini audaciā ad cōtorquenda diuina oracula. Quintò, nemo inficiabitur indignos cum dignis aspersos fuisse sanguine fœderis antiqui à Mose: cur nō & eosdē de sanguine noui testamēti participes fieri posse credemus? Sextò, cùm ab indignis recipi sacra-

Iudas cum aliis Apostolis sūpsit corpus Christi.

Ex Apostolo Paulo indigne capiūt carnem Christi.

A figuris probatur indignos sumere carnem Christi.

mẽta & Circumcisionis & baptismi, atque alia nemo ausit negare, duas res sumãt oportet, terrestrem vnam, & alteram cœlestem, quæ in Eucharistia caro est Domini ex communi intelligentia. Nihil interest modò an corpus illud insit pani, an aliunde concurrat, cùm sufficere dicant Aduersarij ad compositionem sacramenti rem aliquam diuinitùs accedere, etiamsi seiungatur à re terrestri. Per me quidem valeat hoc loco falsitas ista, modò ad constitutionem & receptionem sacramenti deceat conuenire carnem Domini cum terrestri pane. Non enim sacramentum vllum suscipitur, nisi confectum, nec sine re diuina qua constet conficitur, multò verò minus suscipitur. Postremò à Patribus exploditur Aduersariorum opinio, & in genere, & in specie, multísque modis verè corpus Christi ab indignis quibuscũque comedi probatur: ab ipsísque obiectiones quæcunque diluuntur. Nam Donatistæ non negabant signa sacramentalia Baptismi dispensari & suscipi ab indignis, sed opinabantur illa duntaxat, & non partem cœlestem ab ipsis attingi, vti nunc de Eucharistia mentiuntur Aduersarij. Cùm illam Donatistarum hæresim confutat Augustinus, integritatem & sanctitatem Baptismi, & aliorum sacramentorum indignis conferri, nec sola signa & elementa ab ipsis capi pronuntiat, támque certum id in Eucharistia duxit, vt ex ea passim argumentum trahat ad declarandum etiam sanctificationem, in baptismo indignis fide carentibus, aut vitio pollutis impartiri, sed eos ipsa abusi eius fructu fraudari. Ex quo concidit Aduersariorum speciosa obiectio, qua sicut in baptismo & circumcisione tantùm ab indignis iactant exteriora signa possideri, & non internam sanctificationem, ita nec in Eucharistia rem cœlestem, seu Christi carnem. Origenes item exprimit cibum incorruptibilem, qui de signis non dicitur in indignorum ora intrare: Hilarius ait, panem de cœlo ab indignis edi: Hieronymus scribit ab indignis non pollui panem, seu panis signum, sed ipsum corpus Christi, quando accedunt ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibunt. Augustinus ait, Iudam inter innocẽtes discipulos sumpsisse pretium nostrum, & vnicum sacrificium salutis ab impiis percipi. Chrysostomus expresse testatur, peccare quidem qui regis purpuram contaminat, sed non ita vt qui regem ipsum conspurcat: nec qui regem terrenum contumelia aut iniuria afficit, tam grauiter offendit, quàm qui ipsimet Christo & eius carni illudit, sicut faciunt qui ipsum indignè in Eucharistia audent attrectare, & sumere. Hieronymus, Augustinus, atque alij, profitentur de eodem corpore Domini Apostolos, & Iudam participasse, tantùm in merito & effectu discrepasse. Origenes & Hieronymus comparant id quod intrat in os & cor indignorum, cum Christo viuente, aut visibili, quem Centurio exceperit intra domum suam, & quem mortuum Ioseph ab Arimathia inuoluit in sindone munda, quem contra indigni ore atque corde immundo capiunt, & polluto in vase recondunt, Quæ omnia certò demonstrant infideles atque indignos participes effici carnis & sanguinis Dominici re vera ac corporaliter, sicuti & signi. Sed nec Aduersarij quicquam contra hoc hiscere aut excogitare possunt, quod non præuiderint, & cui non satisfecerint Patres. Exprobrant Aduersarij à nobis carnem Christi spoliari virtute sua & gloria, cum eam sine vitæ efficacia in indignis residere doceamus. Imò à nobis infici exprobrant diabolico veneno, cùm ab ea mortem indignis gigni & damnationem promanare dicamus. Fieri non potest (clamat Caluinus) vt viuificus Christi spiritus à carne eius separetur. Cùm itaque infideles non accipiant Christi spiritum, concludit nec carnem Christi ab illis in Cœna contingi. Hoc idem argumentum olim Donatistarum fuit, negantium verum baptisma apud hæreticos. Sic enim argumentabantur. Spiritus sanctus non potest seiungi ab integro baptismi sacra-

Indigni suscipiũt integrum sacramentum: ideò & rem contentam.

Aduersariorũ opinio damnata à Patribus.

Aug. lib. 3. in Donat. et cõtra Cresconium.

Hæresis Donatistarum & Aduersariorũ similis.

Horum omniũ textus erunt in fine capitis.

Aug. ep. 162. lib. 2. cap. 15. in Crescon.

Propositiones ex Patribus, quibus probatur indignos edere carnem Christi.

Hiero. in ca. 3. Lament. Hiero. & in ca. 2. 1. ad Cor.

Summum argumentum Aduersar.

ſacramento. At omnes extra Eccleſiam ſunt expertes ſpiritus : ergo nec extra Eccleſiam baptiſma ſtabit. Reſpondet Auguſtinus his verbis. Quapropter ſi baptiſma ſine ſpiritu eſſe non poteſt, habent & ſpiritum hæretici, ſed ad perniciem, non ad ſalutem, ſicut habuit Saul. Totidem verbis reſponſum ſibi audiat Caluinus. Si Chriſti caro ſine ſpiritu non extat, habent & ſpiritum cum Chriſti carne indigni, ſed ad perniciem, non ad ſalutem : ſicut lux Chriſtus ipſe in tenebris lucet, ſed tenebræ eum non comprehenderunt ad ſalutem, habuerunt tamen præſentem & illuceſcentem. Ideò etiam illic Auguſtinus de Eucharistia hæc adit: Indignè quiſquis ſumens dominicum ſacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit. quod alibi planius etiam explicat, cum ait, Sancta poſſunt obeſſe. In bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt, in malis ad iudicium. Certè enim, fratres, nouimus quid accipiamus, & vtique ſanctum eſt quod accipimus, & nemo dicit non eſſe ſanctum. Et quid ait Apoſtolus, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit? Non ait, quia res illa mala eſt, ſed quia ille malè accipiendo, ad iudicium accipit bonum quod accipit. Non enim mala erat buccella, quæ tradita eſt Iudæ à Domino. Abſit: medicus non daret venenum. Salutem medicus dedit: ſed indignè accipiendo, ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit. Hîc Auguſtinus carnem Chriſti vocat ſalutem, & ſanctum in quo ſpiritus vitæ inhabitet : atque ita à Iuda & malis excipi per Apoſtolum comprobat: obidque non ſeparatur ſpiritus à Chriſti carne, vt ſumatur ab indignis, imò damnantur idcircò, quia dignum non fiunt habitaculum carnis ſpiritu plenæ, alioqui ſic non perituri, ſi carne ſpiritu vacua indignè veſcerentur. Deus ipſe pater, filius, ac Spiritus ſanctus numquam amittunt vim ſuam ad viuificandum, ſed ipſam ſecum vbique circumferunt. Habitare tamen in locis & hominibus dupliciter dicuntur, vbique per diuinitatis præſentiam ac potentiam, ſed non vbique per habitationis gratiam: non quia deperdãt aut deſerant aliquo in loco virtutem conferendi gratiam, ſed eam non exerunt certis ex cauſis, aut ex voluntatis arbitrio. Quamobrem non rectè colligitur de Deo patre, ac Spiritu ſancto, & de Chriſto. Hîc præſtò ſunt. Igitur effundunt hîc omnem vim ſuam, aut hîc ea priuantur. Neutrum enim neceſſe eſt, ſed diuerſæ efficientiæ in hoc atque alio loco cauſæ ſunt indagandæ & perpendendæ. Ita faciendum monent Patres de præſentia Chriſti per Euchariſtiam in bonis & malis. De duplici illa præſentia ſic loquitur Auguſtinus : Illud eſt multò mirabilius, quòd cùm Deus vbique ſit totus, non tamen in omnibus habitat. Non enim omnibus dici poteſt, Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Vndè contrà de quibuſdam ſcribit, Quiſquis autem ſpiritum Chriſti non habet, non eſt eius. Quis porrò audeat opinari, niſi quiſquis inſeparabilitatem penitus Trinitatis ignorat, quòd in aliquo habitare poſſit pater aut filius, in quo non habitat ſpiritus ſanctus, aut in aliquo ſpiritus ſanctus, in quo non & pater & filius? Vnde fatendum eſt, vbique eſſe Deum per diuinitatis præſentiam, ſed non vbique per habitationis gratiam. Probant ergo Patres nulla re priuari Chriſtum in malis, ſicuti nec in bonis: ſed adhibent diſtinctionem de duplici præſentia, quarum vna ſit ſubſtantiæ & naturæ, altera efficientiæ: vt aliis verbis Gregorius idem quod Auguſtinus protulit. Sed hic cùm de ſolis perſonis diuinis ageret, pro ſubſtantia præſentiam diuinitatis poſuit: ille verò, quoniam etiam de Chriſto incarnato ſermonem habebat, ſubſtantiæ præſentiam, quę cõmunis eſſet ad diuinã & humanam naturam, expreſſit, & efficientiã

Aug. lib. 5. de baptiſ. in Donatiſt.

Aug. tract. 6. in Ioan.

Caro Chriſti etiã in indignis eſt viuifica.

Duplex Dei et Chriſti præſentia.

Aug. epiſt. ad Dardanum.

Greg. can. ſpecies de conſecr. diſt. 2.

subiunxit pro eo quod Augustinus appellauit habitationis gratiam. Pro solutione alterius dubij, quo quæritur, quî fieri possit vt Christi caro vitalis generet mortem, atque effectum sibi contrarium pariat & afferat, Patres omnes causam referunt in dispositionem suscipientium Christi carnem, ipsáque abutentium, atque in Dei & Christi eminentem potentiam, quem nemo potest offendere, & eius manus effugere: qui sicuti vitæ, ita necis inferendæ habeat potestatem cum iustitia & æquitate coniunctam: Nec quicquam absurdi esse ostendunt, si ab eadem re & causa vita & mors, ac contrarij effectus promananr pro diuersa conditione & affectione subiectorum, rémque multis similitudinibus illustrant. Idem ignis in Babylonis fornace (ait Arnobius) pios recreabat, & adurebat impios: Idem sol (ait Theophylactus) ægris oculis grauis & molestus, quos excæcat, & sanos exhilarat, quorum aciem illuminat. Eadem potio (subiicit Arnobius) vt ex Origene & Chrysostomo idem cibus salubris fit benè habentibus, qui ægro stomacho fit perniciosus. Causam allegant, & obiectioni occurrunt. Quid ergo (inquit Chrysostomus) tantorum bonorum „ causa, & quæ vitam exhibet mensa, fit indicium? Minimè propter eius naturam, sed „ propter accedentis voluntatem. Ac ne mireris. Sicut enim cibus naturaliter nutritorius existens, si in eum qui prauis cibis corruptus est, incidat, omnia perdit & corrumpit, & efficitur occasio morbi: sic etiam ista, quæ ad hæc terribilia pertinent sacramenta. Sic Hieronymus ad diuersa merita, sic Augustinus ad eiusdem rei bonæ diuersum vsum relegat, ab eadémque Christi carne vitam & mortem eo pacto proficisci per scripturas probat, quarum vna clamat, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: & altera habet, Quicunque mãducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, & iudicium sibi manducat, & bibit. At (inquiunt Heildebergenses) Apostolus non ait, Quicunque manducauerit carnem, sed panem. Verùm Augustinus, atque omnes ad vnum Patres, qui huic dicto Apostoli innitũtur, ex textu non aliud per panem illum, quàm eandem carnem, cui scriptura apud Ioannem vitæ facultatem omnem tribuit, intelligere potuerũt: maximè cùm Apostolus in eo crimen cõstituat, quòd non diiudicaretur esse corpus Domini id quod ederetur: ac nisi eadem planè eiusdem rei & carnis sumptio atque applicatio vitam & mortem, propter repertam in sumentibus diuersam ac pugnantem dispositionem operaretur, omnes similitudines Patrum ineptæ forent, & omnia argumenta, quibus ostẽdunt eadem re quę sancta sit ac salus ipsa & vita, bonos ac malos vti, sed in contrarios effectus. Si enim pij carne ipsa fruerentur, & mali solo signo, non eadem re potirentur, nec eadem res ab inæqualibus capta, contraria produceret, sed à rebus diuersis diuersi erumperent effectus. Propterea Patres distinguunt diuersos modos edẽdi rem eandẽ à dignis & indignis, nec inter eos discriminãt per esũm signi, & per esũ rei, aliáque simul soluũt Aduersariorũ obiectionẽ, qua exaggerãt infideles & indignos fore vnũ corpus cũ Christo, si carnẽ eius corporaliter participẽt. Augustinus eam sibi proponit difficultatem, quam ita explicat, vt neget indignos manere in Christo, fieri corpus eius, quamuis edant corporaliter carnem eius: sed non edunt eo modo corporaliter, qui præscribitur à Christo, vt maneatur in ipso, & vniamur corpori eius eo modo quem describit apud Ioannem, nempè vt vitam hauriamus ab ipso, & simus viua membra eius. Ille manducandi modus corporalis fidem desiderat, & dignam Christo in nobis mansionem, vt nõ tantùm corporalis sit, sed & spiritalis. Augustini textus est: Illud etiam quod ait, Qui manducat „ meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo: quomodo „ intellecturi sumus? Numquid etiam illos hîc poterimus accipere, de quibus ait „

Quî fieri possit vt caro viuifica generet mortem.

Chrys. ho. 28. 1 ad Cor. & ho. 17. ad Hebr.

Si verum esset indignos solũ vesci signo, & non re, Patrum omnia argumẽta & similitudines essent ineptæ.

Quare indigni nõ fiant corpus Domini.

Aug. serm. 2. de verb. Domini.

" Apostolus, quòd iudicium sibi manducant, & bibunt? Numquid & Iudas magi-
" stri venditor & traditor impius, quamuis primùm manibus suis confectum sacra-
" mentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Euan-
" gelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi
" denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel
" cùm manducauerint & biberint, apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut
" Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bi-
" bendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet,
" & Christus in eo: sed certo quodam modo, quem modum vtique ipse videbat,
" quando ista videbat. Scio ab aliquibus non omninò indignos præscindi à corpore
" Christi, quia ipsi vniantur per corporalem eius manducationem, ac concedere fieri membra corporis eius propter contactum corporalem, sed mortua membra, licet vigorem non eliciant à viuo capite, cui in corpore re vera copulantur: sed ab ipso propter stuporem & vitium non vegetantur: & quamuis peccare dicant indignos inuadendo ac percipiendo carnem Domini, re vera tamen propter contactum fieri vnum corpus cum illo existimant, quemadmodum qui alterius vxori commiscetur, quamuis adulterium committat, re vera tamen vnum corpus cum illa efficitur, authore Apostolo, cum ait, Qui adhæret meretrici, vnum corpus cum illa efficitur. Eo modo nonnulli viri docti defendunt, Apostolum velle indignos & infideles vnum corpus dici cum Christo, quotquot participant de carne Domini in Eucharistia sine fide ac iusta dispositione. Nihilominus si propiùs ad mentem & intentionem Christi statuentis, ac declarantis modum manducandi carnem suam, quo euadamus in vnum corpus cum ipso, inspexerimus, & Patrum interpretationem, satius est, & Christianæ pietati conuenientius credere non ex solo corporali contactu & esu nos transire in carnem Christi, & in vnum corpus cum eo, nisi induamus carnis eius qualitates, vitam ac spiritum per fidē ac puritatem spiritalem. Nec istud à Paulo secluditur, cùm testatur nos vnum corpus effici cum Christo, quotquot de vno pane manducamus: sed apparet intelligi & cum illo corporalem esum requiri, quoniam spiritalis non sufficit ad corporalem vnionem. Ex vtroque isto modo copulationis videtur ipse Apostolus pronuntiare: Non potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum. Nam non statuit hîc solùm spiritalem esum in vtraque mensa fieri, quia de externo esu idolothyti & Eucharistiæ agit, atque externo esu de vtraque mensa indignus participare potest, etiamsi tantùm panem sacramentalem Eucharistiæ, & non ipsam carnem Christi participaret: quoniam panis talis sacro vsui mensæ Domini deputatus, illius mensæ participationem æquè efficeret, vt caro dæmoniis immolata & oblata, seu sacro dæmoniorum vsui & mēsæ destinata, quam vnà cum pane sacramentali indigno cuique licet ac facile est edere, atque ita simul mensæ Domini & Dæmoniorum participem esse promiscuè & indifferenter: nec si ponatur caro Christi loco panis, aut cum panis specie, vt vult Apostolus, in mensa Domini, externo sacro vsui apparata, sicut caro dæmoniis immolata proponebatur in mensa ipsorum, erit absurdius indignum externo vsu vtraque carne vti frui, quàm vesci simul pane sacro, & carne dæmoniis consecrata, neç erit magis impossibile. Itaque cùm Apostolus impossibilitatem fruendi vtraque mensa proferat, aliquam etiam designet cum externa & præter ipsam necesse est, nempè spiritalem ac decentem ex fide ac conscientiæ puritate, quæ stare nequeunt cum infidelitate atque animi pollutione, quibus dæmoniorum cibis consociamur. Quemadmodum igitur ex spiritali esu solo, antecedente capite probatum fuit, pios non effici re vera vnum corpus cum Christo, nisi adhibeatur & corporalis esus car-

Aug. distinguit de modo circa esum indignorum.

Cur Augustinus aliquando neget corpus Christi edi ab indignis.

nis Dominicæ: ita vicissim non sufficiet ad idem opus sola corporalis manducatio eiusdem carnis, quoniam ad constitutionem eiusdem corporis veri & naturalis, etiam per contactum spiritu vegetante ossa & neruos ac membra opus est. Deinde quemadmodum Hilarius, Cyrillus Alexandrinus atque alij, propter defectum corporalis modi negabant re vera à nobis sumi corpus Christi, ac re vera nos coadunari Christo, etiamsi Arriani concederent nos fide ac spiritali modo amplecti mysticam benedictionem ac carnem Christi, ipsique copulari: ita Augustinus solet ex aduerso propter defectum spiritalis modi inficiari re vera manducari carnem Domini, etiamsi corporaliter edatur ac prematur dentibus, nec nos re vera vniri Christo, nisi vitali eius spiritui etiam vniatur spiritus noster, quoniam omnis perfectio & affirmatio ex integra causa constet, ex singulis autem defectionibus imperfectio & negatio. Huiusmodi autem locis Augustini abutuntur Aduersarij. Nam quod ait de manducatione carnis Dominicæ, & cum ea copulatione, applicant ad veritatem Eucharistiæ in se existentis & consideratæ, vt si scribat non re vera, sed sacramento tenus edi carnem Christi, nisi animus per fidem ac puritatem ipsi hæreant, interpretātur: quasi in Eucharistia tantùm subesse signum corporis significet, quo gaudeant indigni, & non carnem Domini, qua solos pios potiri volunt per fidem.

Quomodo Augustinus intelligat indignos non accipere rē sacramenti.

Verùm Augustinus non de ipso sacramento in se disputat, sed de carnis Christi manducatione, quæ dupliciter editur, in ipso sacramento, corporaliter, vti existit in re corporea, & à corpore comprehenditur, & spiritaliter, vt à solo spiritu per fidem & sinceritatem attingitur, quæ externè ad sacramentum & sacramenti sumptionē adueniūt, sine quibus caro existēs in ipso sacramēto, sacramēto tenus percipitur, & nō spiritali modo ac re vera, quæ pars est non ipsius sacramenti, in se inquā existentis, sed ipsius veræ manducationis dicatur. Ita ab Augustino intelligi patet, tùm ex eo quòd integrum sacramentum duabus rebus conflatum, pane, ac re sancta, bona, ac sanctificatione ipsa, id est carne Christi non semel affirmauit: tùm ex eo, quòd eadem re, id est carne ac sanguine Domini Apostolos & Iudam pastos non dissimulauit: ita vt apud eum sicut sacramentum altaris duabus rebus constat, pane ac carne ipsa: ita & ipsa manducatio Eucharistiæ duabus itidem rebus perficitur, totius & integri sacramenti manducatione, & spiritali eiusdem carnis participatione ac fructu. Negat autem re vera Christo inseri, & vnum fieri corpus cum illo qui defecerit à spiritalis vnitatis modo: sicut non manducare re vera ait, qui nō eo etiam modo comederit. Antequam Augustini textum edamus, sciendum est, hæreticos quosdam promisisse omnibus Eucharistia vescentibus liberationem ab igne æterno, siue in hæreses, vel in detestanda flagitia, siue etiam ad gentium idola relaberentur, abutentes dicto Christi, Qui māducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hanc à Christo institutam manducationem ad solam sacramenti ipsius receptionem referebant. Refellit Augustinus, ac docet, non esse satis ad viuificationem & liberationem ab igne æterno, sumere in Cœna corpus Domini, nisi accedat spiritalis manducatio, quæ per fidem Christum ipsum cum spiritu & vita in nobis manere, & ad salutem operari facit, atque hoc nominat

Aug. lib. 21. de ciuit. cap. 25.

carnem Christi manducare. Porrò textus ita habet: Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi, & membra meretricis. Denique ipse dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: ostendit quid sit non sacramento tenus, sed re vera corpus Christi manducare, & sanguinem eius bibere. Hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. At rursus obiiciunt, ab eodem dici bonos accipere sacramentum,

mentum, & rem sacramenti, malos verò sacramentum, & non rem. Respondemus ab Augustino & aliis variè sacramentum nominari, aliquando pro signis panis & vini appatentibus, aliquando pto existente composito ex duabus rebus, terrena & cœlesti, pane, & carne, sicut in sententus Prosperi de Augustino citatur: aliquando pro manducatione integri sacramenti cum proprio effectu, cuius tanquam rei cœlestis totum sacramentum integrum est signum: quo in sensu ita hîc appellatur ab Augustino. Propterea sicut sacramentum ipsum in se existens, duabus rebus coalescit, ita & hoc sacramentum: sed tes, quibus tum conficitur, sunt diuersæ ab aliis quibus in se componitur. Illic enim sunt totum & integrum sacramentum pro terrena te, & sacramenti efficacia pro cœlesti: hîc sunt panis species, & caro Christi sub illa contenta. Sic Augustinus rem sacramenti pro integro sacramento accepti, pro efficacia eius & virtute explicat, vbi ait, Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur: Vnde dicit Apostolus, Iudicium sibi manducat, & bibit. Ista posteriore intelligentia Ireneus tradidit Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cœlesti, vt in terrena species panis & vini cum carne ipsa & sanguine contineantur, & in cœlesti vitalis spiritus Christi & efficacia diffluens in pios, vt libro De Transsubstantialitate docuimus: ita vt mira sit Augustini cum Ireneo consensio, hócque genus dicẽdi Augustinus à Cypriano didicit, & mira sit atque effectata in Aduersariis perueniendi Ireneum, Cyprianum & Augustinum cupiditas & cæcitas. Ex eodem Augustino sibi videntur itidem Aduersarij canere triumphum contra indignos, quia scripserit Apostolos manducasse panem Dominum, Iudam verò panem Domini: quasi hic signum sine re abliguerit, illi verò signum cum re. Verùm si Augustinus sacramentum profiteretur non tantùm esse signum Domini, cùm tale cõmederit etiam Iudas, sed esse ipsummet Dominum, causa caderent, concedendo ex Augustino, panem quem acceperint Apostoli in Cœna, non tantùm fuisse signum & sacramentũ Domini, ac carnis eius, sed ipsummet Dominum extitisse. Cæterùm hîc Augustinus cõfert duo genera panis planè diuersa, quorum Christus in sexto capite Ioãnis meminit: Vnum minimè materialem, sed totum diuinum ac spiritalem, qui dat vitam mundo, & est Christus ipse filius Dei, ac Dominus, qui se profitetur panem de cœlo descendisse. Alterum materialem & sactamentalem, qui non fide per se, sed ore manditur, nec ptoprie est panis Dominus, quamuis sit quoddam subiectum carnis Dominicæ, de quo dictum potest intelligi, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Ideò Apostoli quia vitam fide, siue in sacramenti susceptione, siue extra de Christo hauserunt, manducauerunt panem Dominum, illum spiritalem de cœlo: Iudas verò, quia impius mãsit intra panem sacramentalem, pœnam acquisiuit, & quia panem illum sacramentalem Domini contra Christum malè accepit, periit: nec Dominum panem spiritalem attigit, quia fide & puritate caruit, qua delibatur panis ille. Vt Augustinus Christum sub panis appellatione dupliciter considerauit, ita Origenes eundem sub verbi nomine & ratione triplicitet distinxit, vt existens apud patrem, & verbum incarnatum, atque ita ab vllo scelerato edi posse negat. Deinde vt in sacramẽto proponitur in altari & mensa sacra, quod vocat verbum, non solùm incarnatum, sed sacramẽtale: verbum, inquam, de Deo verbo procedẽs, & panem de pane cœlesti. Tertiò, Christum verbum in verbo prædicationis ponit, quod tanquam semen in variam terram, sic in varios spargitur, neque vtroque isto posteriori modo indignis subtrahitur. Ita Hilarius panem cœli indignis communicari annuit, non in se, aut in nuda diuinitate, aut etiam incarnatione, quæ sola fide participatur, sed in sacramento, túmque non

Augustinus diuerso modo sacramentum duabus rebus constare.

Aug. tract. 26. in Ioann.

Cypr. de cœna Domini.

Aug. tract. 59. in Ioann.

Quid sit manducare panem Dominum.

purè fit panis cœlestis, quamuis talis maneat, sed fit insuper panis sacramentalis, sicut de Verbo Origenes scripsit. Velitant insuper aduersarij contra veritatem hanc, quamuis non sine blasphemia: quasi filius Dei mortem non oppetierit pro impiis & indignis, nec ideò Cœnam suam illis apparari: quæ sanè blasphemia repellitur à scriptura, quæ testatur apud Esaiam, Deum posuisse in eo peccata omniũ nostrum: & apud Ioannem, ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi. quæ sanè correctio non adderetur, nisi Ioannes contra Caluinum & alios ostendere vellet, Christum mediatorem non pro fidelium peccatis tantùm, verumetiam pro damnatis peccatoribus pœnam exoluisse sufficientem, vt hanc ipsam ob causam tantò grauius sint subituri iudicium, quòd propitiationem per sanguinem Christi partam sint aspernati. Nec dubitandum à Christo Iudam cum aliis fuisse interpellatum, cùm dixit, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*. Pro omnibus quidem gustauit mortem sufficienter, sed non efficaciter: applicatione opus est, quæ fide fit ac pietate. Ac quamuis res spiritales atque inuisibiles, quasi est caro Christi in Eucharistia, ad fidem & salutem sine fide capi nequeant, sine eadem tamen ad interitum illa percipitur, quemadmodum omnia spiritalia quæ appellamus charismata, siue dona gratis data, in quibus est prophetia, quæ in perditissimis mansit Caypha, Balaam atque aliis. Testimonia veterum prælibata enarremus.

Esai. 53. 1. Ioann. 2. Blasphemia aduersariorum contra sanguinem Christi.

ORIGENES. Iudicium Dei paruipendis, & commonentem te Ecclesiam despicis: Communicare non times corpus Christi, accedens ad Eucharistiam, quasi mundus & purus, quasi nihil in te sit indignum: & in his omnibus putas, quòd tu effugies iudiciũ Dei. Non recordaris illud quod scriptum est, quia propterea in vobis infirmi & ægroti & dormiunt multi, quoniam non seipsos iudicãt, neque seipsos examinant, neque intelligunt quid sit communicare Ecclesiæ, vel quid sit accedere ad tanta & tam eximia sacramenta. Patiuntur hoc quod febricitantes pati solent, cùm sanorum cibos sumunt, sibimetipsis inferentes exitium.

Orig. in Psal. 37.

Quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini: tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hũc Centurionem, & dicito, Domine, nõ sum dignus vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.

Orig. in Matt.

CYPRIANVS. Quandiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati, à conuescẽtibus Apostolis sumebantur, veteris Paschæ agebatur memoria: necdum Iudas ad veterem viam pertinens, diabolo inuadente & occupãte, animum eius egredi cogebatur: sed vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti sacramenti non sustinẽs, quasi palea de area exufflatus est. Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis: sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Ideóque aliis sunt hæc munera odor vitæ in vitã, aliis odor mortis in mortem: quia omninò iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mãsionem. Hic Cyprianus & Iudam, & impios ore atque mente sacrum cibum plenum diuinitate atque gratia Christi & spiritu cõtingere docet, Aduersariorúmque occurrit obiectioni, ac distinguit, ab indignis rem quidem sanctam & spiritalem sumi, sed non eius gratiam & fructum, nec ad vitam ipsis Christum vitalem cedere, sed ad mortem.

Cypr. de cœna.

Arno-

» ARNOBIVS. Sicut ignis iustis proficit ad splendorem, ad vsturam infer-
» tur iniustis: fæx tamen calicis non est exinanita, vt bibant non pauci, sed omnes pec-
» catores terræ: quòd vno eodémque poculo aliis salus, aliis interitus veniat etiam
» hodie, qui indignè gustauerint. *Arnob. Psal. 74.*

» HILARIVS. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: quem qui indignè se-
» cundum mandatum Apostoli ceperit iudicium sibi acquirit. *Hilar. in Psal. 127.*

» BASILIVS. Si qui fratrem per cibum contristat, à charitate excidit, sine qua
» magna quoque charismata & iustificationes operantia nihil prosunt, quid de eo
» dicendum est, qui otiosè & inutiliter edere audet corpus, & bibere sanguinē Do-
» mini nostri Iesu Christi, & hac ratione plus aliquādo contristat Spiritum sanctum,
» dum sine socia charitate vescitur. *Basil. de baptis. cap. vlt.*

» AMBROSIVS. Quomodo quisquam conculcat filium Dei? Quando eo indi-
» gnè participatur per sacramentum, nonne grande peccatum committit? nónne illū
» conculcat, nónne illum contemnit? *Ambr. in cap. 10. ad Hebr.*

» HIERONYMVS. Apponis mihi gomer Mannæ, vnámque mensuram, & vesti-
» tum, & capillos, & calceamenta ex æquo fuisse Israëlitarum, quasi non & nos Chri-
» sti corpus æqualiter accipiamus. Vna est mysteriis sanctificatio Domini, & serui
» nobilis & ignobilis, quanquam pro accipientium meritis diuersum fiat quod vnū.
» Qui enim indignè manducauerit & biberit, reus erit violati corporis & sanguinis
» Christi. Numquid quia & Iudas de eodem poculo bibit, de quo & cæteri Apostoli,
» vnius erit cum reliquis meriti? *Hieron. lib. 2. in Iou.*

» Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, &
» sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus, Mensa Domini despecta est, nō
» quòd hoc aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat scelerata voce proferre, sed
» opera peccatorum despiciunt mensam Dei. *Hier. in ca. pri. mū Malach.*

» CHRYSOSTOMVS. Tu verò ad oblationem accedens, quam & Angeli exhor-
» rent, temporum circuitu rem tātam metiris. Quomodo comparebis ante tribunal
» Christi, qui labiis & manibus immundis, ipsius ausis corpus attingere? Regem tuū
» nolles ore fœtido deosculari: Regem verò cœli animo graucolenti osculatis. Con-
» tumelia est ista. *Chrys. ho. 3. ad Ephes.*

» Nemo sit Iudas in mensa. Hoc sacrificium, spiritalis cibus est. Nam cibus corpo-
» ralis, qui ventrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, amplius ledit, magis
» nocet, & nullum præstat auxilium: ita & ipse spiritalis cibus si aliquem reperit pol-
» lutum malignitate, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio. *Chrys. hom. de proditione Iuda.*

» Quòd si hominis vestem nemo temerè attingeret, quo pacto omnium Domini
» corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps est, propter
» quod & sumus & viuimus, propter quod portæ inferi fractæ sunt, & cœlorū aper-
» tæ, tanta cum ignominia accipiemus. *Hom. 24. in primā ad Cor.*

» AVGVSTINVS præter allata ait. Quid de corpore ipso & sanguine Domini
» vnico sacrificio pro salute nostra, quamuis Dominus ipse dicat, Nisi quis manduca-
» uerit carnem, & biberit meum sanguinem, non habet in se vitam. Nónne & Apo-
» stolus docet etiam hoc perniciosum malè vtentibus fieri? Ait enim, Quicunque
» manducauerit panem, & biberit calicem Domini ingnè, reus erit corporis & san-
» guinis Domini. Ecce quomodo obsunt diuina malè vtentibus. Cur non & hoc mo-
» do baptismus? *Aug. lib. 2. cōtra Crescon. cap. 25.*

» Qui aliquid de Ecclesia furatur, Iudæ proditori comparatur. Talis erat iste Iu-
» das, & cum sanctis discipulis vndecim intrabat & exibat. Ad ipsam Dominicam
» Cœnam pariter accessit, conuersari cum eis potuit. De vno pane Petrus & Iudas

accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas autem ad mortem. Quomodo enim odor bonus, ſic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita cibus bonus bonos viuificat, malos mortificat.

Aug. lib. 5. de baptiſ.

SICVT. Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, nō malum accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumēs Dominicum ſacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & ſanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus Apoſtolus dicebat, Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.

Cyrill. lib 9. in Ioan. cap. 19.

CYRILLVS ALEXANDRINVS. Diabolus Iudam cùm poſt panem omninò ſeparauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens ne ſcintillam in animo eius accenderet, ac indè illuminaret, & ad meliora retraheret, magna præcipitem agit celeritate.

In cap. 2. 1. ad Cor.

THEODORETVS. Non ſolùm vndecim Apoſtolis, ſed etiam Iudæ proditori pretioſum corpus & ſanguinem impertiit.

Sed. lib. 5.

SEDVLVS. *Nec Dominum latuere doli, ſcelerîſque futuri*
Prodidit Authorem, panem cui tradidit ipſe
Qui panis tradendus erat.

In cap. 2. 1. ad Cor.

THEOPHYLACTVS. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Non ſanè ob myſteriorum naturam id dixerim, quippè quæ vitam in ſe habent, & largiuntur, ſed ob adeuntium myſteria indignitatem, quibus haud ſecus illa officiunt, ac ſolet oculorum valetudine laborantibus ſol ipſe obiectus officere.

CORPORALEM MANDVCATIONEM CARNIS DOminicæ confirmari ex eo quòd dicatur corpus Chriſti dentibus atteri, non conſumi tamen, aut diuidi. Hic de Anthropophagia, aliîſque quæ ſolent ſubſannare atque inſectari cum Paganis Aduerſarij, explicatúrque quadruplex eſus corporis Dominici.

CAP. 3.

PRINCIPIO tertiæ Repetitionis præfati ſumus tribus argumēntandi generibus verbum Dei ab infidelibus impeti, quorum tertium in ſcurrilitatem deſinebat, tametſi pietatis ſpeciem prætexeret. Ex eo à nobis Chriſti gloriam imminui exaggerant Aduerſarij, ſi non ſolùm eius caro redigatur ſub terræ viliſſima elementa, ſed dentibus arteratur, in ſtomachum mittatur, atque in ſeceſſum egeratur: quæ neceſſariò conſequi clamant ad eiuſdem carnis corporalem māducationem. Petrus Martyr nihil diſcriminis interceſſurum inter nos atque Capernaitas affirmat, ſi dentibus dilaniari Chriſti corpus etiam inuiſibiliter faſſi fuerimus. Beza magno ſtudio contendit, comedere ac bibere, ſi propriè ad ipſum corpus pertinere defendantur, exigere dentium, ſtomachi ac ventris officium: alioqui ſi ſumatur ore, & non dentibus comminuatur, vorari potius ac deglutiri quàm comedi. Alio loco ſubiicit, ſi carere voluerimus metonymiis & hyperbolis, oportere corpus Chriſti propriè & ſine tropo conſumi, cadere in terram, videri, tangi, palpari, dentibus atteri, & ſanguinem Chriſti nūc quoque ex latere eius hauriri. Nos denique in Apologia contra Examen doctrinæ Caluinianæ, ſtolidiores Ægyptiis inſectatur, quòd id quo veſcimur, Deum noſtrum eſſe dicamus. Ideò ex Cypriano, Origene, Auguſtino, atque aliis, corradunt Euchariſtiam cibum eſſe mentis, & non ventris,

Quæ cōtra corporalem carnis Dominicæ māducationem ſoleant Aduerſarij obiicere.

ventris, ad cuius sumptionem non opus sit dẽtes acuere, sed fidem præparare. Putidis insuper inuectiuis proscindunt Confessionẽ Berengarij Romæ in Cõcilio corã Nicolao Papa editam, in qua maximè ipsis displicent verba ista: Post consecrationem verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sensualiter nõ solùm sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, & fidelium dentibus atteri. Si nunquam es expertus, quid Christus voluerit significare, cùm cauendum nobis edixit, ne mittamus margaritas ante porcos, aut Sanctum canibus permitteremus, lege Sacramentariorum aduersus Eucharistiam & sacrosanctum Missæ sacrificiũ, satyras, anatomias, & quæcunque scripta, atque imprimis Bezæ impurissimi poetæ Asininos libros De re sacramentaria, vt caninam, porcinam & stercorariã facundiã de rebus sacris ac summis mysteriis, quæ venerari magis silentio deceret, quã etiã casto ac sancto sermone efferre in vulgus, magno tædio ac fastidio cognoscas, & execreris, si vllo afficeris pietatis sensu. Abhorrent certè aures à cõmemoratione spurcitiarum, & inuerecundarũ obscœnitatum, quibus Sãctum Domini sues immũdi & canes cõtaminant. Blasphemias euomunt sceptro ac gladio magistratus potius refutãdas, ait Melãchthon, quàm stilo. His quidem obscœnis hæreticis Algerus scribit: Periculosum est super hoc aliquid respõdere, magísque dignum aures nostras obturare, nisi periculosius esset eos in scãdalum Ecclesiæ talia proponere, & tantam eorum falsitatẽ nos nullis fidei Catholicæ rationibus reuerberare. Illis enim blasphemiis auram popularẽ maximè captãt, simpliciores obrũdunt & perturbãt, aliis risum mouẽt, aliis bilem ac furorẽ acuunt. Hoc vnum est classicũ, quo ad asserendã Christi gloriã, si Deo placet, latrones omnes ad sacra omnia diripiẽda & proculcãda armãt, atque ad omne flagitiũ impellunt. Nos interea in fide verborũ Domini nostri Iesu Christi de carnis manducatione maneamus immoti, cũ etiã ex his, quæ per blasphemiã exprobrant Aduersarij, eorũ hæresis cõfutetur, & nostra religio cõfirmetur, sicut hoc capite cognoscetur. Quòd si cœlũ terræ miscuerint, si fractus bellis & tumultibus illabatur orbis, transitura scimus omnia, verbũ autẽ Domini perseueraturũ in æternũ. Si durus est sermo (ait Augustinus) durus sit impio: tibi verò pietate moliatur, quia quandoque soluetur. Cùm credideris, intelliges: ac nisi credideris, non intelliges. Petrus prius credidit, pòst cognouit. Credimus (exclamauit) quòd tu es Christus ille filius Dei. Qui propter duritiam in verbis, & manducationem carnis scandalisati à corpore pedem referunt & retrò abeunt, nec scismate facto amplius in Ecclesia versantur, quíque fratres quondam suos huius sacramẽti occasione tot conuitiis aspergũt, habẽt quos hîc imitãtur Iudęos, Capernaitas, Paganos, Nestorianos, Auerroas & Berengarios Gręcos & Latinos. Lanienam & quandam carnis suę viscerationem Capernaitę Christo imputabant. A gentibus traducebantur primi Christiani, qui Thyesteas cœnas & Cyclopicas instruerent. A Philosophis vt amentes subsannabantur: de quibus Cyprianus hęc narrat: Quàm præclarus est calix iste, quàm religiosa huius potus ebrietas, per quam accedimus Deo, & quę retrò sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis pręparari delicias contemnentes cruci hęremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriúsque rubricati à sapientibus huius seculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum, vsqueadcò retrò abeunt, & à secretis diuinis omniũ intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt & recedunt. Qui manducat ex hoc pane, vltrà non esurit: qui bibit, vltrà non sitit: quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicũque tantę rei innotuerit plenitudo, omnis cõsummationis fine inuẽto,

Aduersarij canes sunt & porci cõtra sãctum Domini.

Melanchthon in præfat. corporis doctrinæ suæ.

Alger. lib. 2. de sacr. Euchar. cap. 3.

Cur oporteat respondere Aduersariorũ blasphemiis.

August. in Psal. 54.

Aduersarij imitantur Iudæos, Paganos, et alios impios.

Cypr. de cœna.

Phylosophi existimabant Christianos amentes, qui dicerent se manducare Deum suum.

Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Nec Cyprianus ergo nec alij Christiani desciuerunt à veritatis confessione propter impiorum conuitia ac mẽdacia, sed professi sunt interiùs atque exteriùs se sanguine Christi aspergi, ác carne pasci, vt pectore atque mente intra se Deum possideret. Auerroës omnium religionũ explorator potius quàm vllius assertor, pro stolidis quoque ducebat Christianos, quos valere iubebat, quoniã Deũ suum, quem adorassent, manducarent. Mũdum (ait) peragraui, multásque, ad eóque omnes regiones circuiui, varias sectas inueni, sed Christiana deteriorem, aut etiam tam fatuam non reperi, quia Deum suum quem colunt, dentibus deuorant. Nestorius etiam de Anthropophagia cœlum & terram propter Eucharistiam suggillabat, vt author est Cyrillus Alexandrinus. Græci Berengariani, seu Sacramentarij, duce Niceta, Stercoranistæ ob id cognominati, iactabant participatione corporis & sanguinis Christi solui Ecclesiastica ieiunia, vsque ad crapulam & ebrietatem, ventrísque distensionem, putantes cœlestem escam, velut terrenam indifferenter accipi, & in sordidum ventris secessum emitti: quos Latini Berengariani affectabantur, impietatem suam, vti nostri faciunt, etiam testimonio Christi astruentes: Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Berengarium quoque ferunt Andegauis cum quibusdam agentem dixisse, Si Christi corpus tantæ fuisset magnitudinis, quantæ turris hæc, quæ in conspectu nostro immensa mole surgit, à tot totius orbis populis comestum ante multa tempora defecisset. Nec quicquam noui faciunt Aduersarij, cùm se vindices in his blasphemiis, gloriæ quæ Christo debetur, mentiuntur, aut cùm absurda quæque ac putida in Sanctum Domini eructant. Omnium hæreticorum commune est istud artificium, cùm tandem nulli magis comperientur honoris diuini oppressores, & de suis sordibus Dei ac Christi mensuram agentes. Sadducæi per absurditatem septemuiræ mulieris illudebant resurrectioni, atque Origenistæ eadem de te pueriles nugas in vulgus spargebant. Valentinus, Marcion, Manicheus dicebant Christum carnem non induisse, sed tantùm circumtulisse figuram ac phantasma corporis, ne excrementorum secessui, aliísque similibus videretur obnoxius, vt Epiphanius commemorat. Tertullianus narrat Marcionem eadem methodo oppugnasse incarnationem Christi, qua nunc Sacramentarij labefaciunt Eucharistiam. Exorsus ab impotentia in absurditates, fœditates, atque artem ludicram desinebat. Itaque (inquit) iam neque vt impossibilem, neque vt periculosam, Deo repudias corporationem: superest vt quasi indignam reiicias, & accuses. Ab ipsa quidem exorsus natiuitate perora: áge iam spurcitias genitalium in vtero elementorum, humoris & sanguinis fœda coagula carnis ex eodem cœno alendæ per nouem menses describe, vterum de die insolescentem, grauem, anxium, nexum totum incertum libidinibus fastidij & gulæ. Inuehere iam, & in ipsum mulieris enitẽtis pudorem, vel pro periculo honorandũ, vel pro natura religiosum. Horres vbique infantẽ cum suis impedimẽtis profusum & oblitũ: dedignaberis quod pannis dirigatur, quod vnctionibus formatur, quod blanditiis deridetur. Hác veneratione naturę, ô Marciõ, despuis, & quomodo natus es odisti: nascentem hominẽ & quomodo diligis aliquẽ? Te quidẽ planè nõ amasti, cũ ab Ecclesia & fide Christi recessisti. Sed videris, si tibi displices, aut si aliter natus es. Et certè Christus dilexit hominem illum in immunditiis in vtero coagulatũ, illum per pudenda prolatũ, illũ per ludibria nutritũ. Propter eũ descẽdit, propter eum prædicauit, propter eũ omni se humanitate deiecit vsque ad mortẽ, & mortẽ crucis: amauit vtique quem

Auerrois sententia de Christianis, ex comment. in Metaphys.

Cyrill. Anathem. 11.

Alger. lib. 2. cap. 1.

Petr. Vener. lib. epist. 2.

Omnes hæretici blasphemiis articulos fidei solent lacessere, & se iactare in his diuinæ gloriæ assertores.

Matth. 22.

Epiph. hæres. 77.

Tertull. de Christi carne.

„ quem magno redemit. Si Christus creator eius est, suum meritò amauit:
„ si ab alio Deo est, magis adamauit, quando alienum redemit. Amauit ergo cum
„ homine etiam natiuitatem, etiam carnem eius. Nihil amari potest sine eo per quod
„ est id quod est. Aut aufer natiuitatem, & exhibe hominem: adime carnem, & præ-
„ sta quem Deus redemit. Si hæc sunt homo quem Deus redemit, tu hæc erubescen-
„ da illi facis quæ redemit, & indigna quæ nisi dilexisset, non redemisset. Arriani
quoque maiestatis diuinæ se assertores haberi volebant, & generationis atque
incarnationis mysterium in Christo conuitiis & iocis conspurcabant. Si pater, *Epiphan. in Arr.*
dicebant, filium ex essentia genuit, vel intumuit, vel sectionem subiit, vel in
gignendo dilatatus aut contractus est. Hos Hilarius ita reprimit: Nec Apostoli- *Hilar. lib. 2. de Trinit.*
cis nec Euangelicis prædicationibus eruditi, ad impiæ professionis suæ vsur- *Nanzianz. or. 2. de Pace.*
pationem, magnificentiam Dei patris, non religionis fide, sed arte impietatis ex-
tollunt, vt dum incorruptibilia omnia esse naturæ eius edisserunt, degeneris infir-
miorísque naturæ vnigenitum Deum per exceptionem comparationis affirment.
„ Non tacenda quæ idem scriptor contra Constantium & Arrianos loquitur: Non *Quare hæretici exôrnant Dei gloriam.*
„ omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit
„ voluntatem patris mei. Agnosce diuinæ Prophetiæ in te veritatem, & Dominicæ
„ sententiæ fidem, qua non professio nominis in cœleste regnum, sed obedientia pa-
„ ternæ voluntatis admittitur. Attende tu si præferas nomen Dei in verbis, volunta-
„ tẽ efficias Dei patris in rebus. Clamat ille, Hic est filius meus, in quo mihi cõplacui:
„ & tu decernis nõ esse filium, nec esse patrem, sed adoptionis nomina, externam nũ-
„ cupationem, & simulãtem omnia Deum, nouus religionis persecutor inducis. An-
„ tea patres tui in solum Christum hostes fuerũt. Tu autem ad patrem Deum certas,
„ vt mẽdax sit & fefellerit, vt hoc de se professus sit quod non esset, quasi non posset.
„ Clamat filius, Ego & pater vnum sumus. Tu patrem arguis professionis. Emendas
„ Deum homo, vitámque moderaris corruptio, mox Lucem illuminas, promulgas
„ fidem infidelis, pietatem impius mentitis, & profanum orbem simultate commit-
„ tis, negans hoc de Deo, quod esse professus est. Nestorius similiter vt negaret ho- *In Actis syn. chalced.*
minem natum de virgine nominari Deum, vereri se fingebat, ne sub elementa mũ-
di Deum redigeret, & diuinitatis maiestatem læderet. Numquam vociferabatur,
Bimestrem & trimestrẽ appellabo Deum: Deum ab homine generari impossibile
est. Non glorieris Iudæe, non crucifixisti Christum. Quamobrem rectè scribitur à *Cyrill. Alex. lib. 2. de Trinit.*
Cyrillo Alexandrino, quòd astutè simulent hæretici se nullo modo gloriæ Christi
obluctari, cùm interea illorum verba sicut acuta iacula molestæ & blasphemæ
linguæ vulnerent, & ipsam diuinam maiestatem discerpant. Denique si aures Por-
phyriis, Iulianis, Celsis, aliísque contra Christum apostatis, & Philosophis, mimis ac
scurris præbueris, non deerunt scommata ex nostris rebus & actionibus petita, qui-
bus omnes fidei articuli dissoluantur in risum. Nihil enim tam sanctum, tam firmũ,
tam diuinum credit Christiana religio, vnde sapiẽtes secundũ carnem non colligãt
multa quæ sibi videãtur inepta, vt araneæ ex optimis floribus venena. Placuit enim
Deo ferè in omnibus per stultitiã saluos facere credẽtes: sed quod stultum est Dei, *1. Cor. 1.*
sapientius est omnibus hominibus: & quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt cõfun-
dat fortia, ne glorietur in conspectu Dei omnis caro. Nos Christum, & totum eius
Euangelium prædicamus gentibus, atque huius mundi sapientibus stultitiam, ac
Iudæis scandalum: his autem qui salui fiunt, Dei virtutem. Non itaque ex rationi-
bus sensui ridiculis facta subsannemus, sed quiduis potius commentemur ad di-
scutiendas & purgandas absurditates, quàm verbo Domini simplici & absoluto

quicquã propter huiuſmodi ineptias derogemus. Quoties verò perturbarint animum noſtrum quædam indigna Deo, quæ teſtificatur ſcriptura, tantum abeſt vt illa inficiari debeamus, quia parum diuinæ maieſtati conuenire appareant, vt in his deceat nos amplecti & reuereri magis Dei bonitatem, & in homines charitatem, quorum cauſa non dedignetur ſe demiſſius abiicere, quàm audeamus ſperare, aut poſſimus comprehendere, quemadmodum Tertullianus paulò antè Marcioni reſpondebat. Deinde tantum abeſt, vt de ipſis factis offendi, aut ſcandalum pati nos oporteat, quòd inde potius animari debeamus, & incendi ad diligendum Chriſtũ noſtrum & colendum, quem nihil pudeat noſtri cauſa ſubire ac perferre. Chryſoſtomus tantum abeſt, vt illas locutiones, quas execrantur Aduerſarij, repudiet, aut tanquam indignas Chriſto abhorreat, aut tanquam hyperbolicas leniat, vt rei veritate inferiores eſſe contendat, nec ferat vllis figurarum præſtigiis eludi & imminui, ſed potius deeſſe verba conqueratur, quæ rei veritati reſpondeant, totúmque id cedere in Chriſti gloriam & commendationem commonſtrat, & ad noſtram erga illum pietatem ac deuotionem excitandam: nec ſemel ille contentus eſt dixiſſe, ſed quoties de Euchariſtia incidit mentio, totus in eam deſcriptionem rapitur. Quis loquetur (inquit) potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues paſcit proprio ſanguine? Et quid dico, paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe proprio nos paſcit cruore, & per omnia nos ſibi coagmentat. Ipſum corpus in ſupremum thronum extulit, quod etiã nobis exhibuit, & vt teneremus & vt mãducaremus, quod maximũ dilectionis ſignũ eſt. Quos enim amamus, aliquãdo morſu petimus. Quare Iob, vt ſeruorum in ſe amorem oſtenderet, dicebat illos ſæpè nimio in ſe amore dixiſſe, Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur. Quod Chriſtus fecit, vt nos maiori charitate aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantùm videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes repleri. Et hîc & in cœlo manduca me, dixi, bibe me, & te ſurſum habeo, & deorſum tibi cõnector. Non ſatis eſt tibi, quod tui primitias habeo ſurſum. Hoc non tuum ſatiat deſiderium, & deorſum rurſus deſcendi, nec ſimpliciter tibi commiſceor, mãducor, paulatim attenuor, vt magna fiat temperies, commixtio, & vnio. Nam quæ vniuntur, in propriis permanent terminis: ego verò tecũ contexor. Nolo deinceps quicquam eſſe interualli. Ac ne quis hyperbolas hîc excuſet, aut alias figuras, alibi ſic reiicit: O miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe tradit volentibus ipſum accipere, & complecti: fit autem nullis præſtigiis, ſed apertis & intuentibus omnium circunſtantium oculis. Itaque etiamſi omnia illa, quæ obiiciunt Aduerſarij, concederemus eſſe vera, non tamen magis eſſent pudenda & horrenda, quàm quæ Chriſto acciderunt, quando non horruit virginis vterum, & quando traditur Dominus gloriæ crucifixus ac mortuus: nec magis detraherent eius gloriæ, quàm illa, imò ipſam magis amplificarent & commendarẽt, ſicuti & illa. Cæterùm non omnia quæ impudenter Aduerſarij cumulant, Patribus aut nobis vnquam venerunt in mentem: quæ verò in ſcripturis & Patribus leguntur, vera ſunt, nec vllis figuris egent quibus mitigentur: ſed non debent ex rebus alienis & ſenſibilibus expendi, contrà verò ex ipſius rei, de qua agitur, proprietate & dignitate conſiderari ac iudicari. Cogitemus autem tria in ſumma: rem ipſam quæ editur, quæ & quanta ſit, ipſa, inquam, caro Chriſti. Deinde modum quo exiſtit

Propter abſurda quæ putantur verbo Dei, non eſt deroganda veritas.

Quæ improbãt hæretici, cedũt in Chriſti gloriam, & ad excitãdam noſtram pietatẽ.

Chryſ. ho. 60. & 61. ad pop. Antiochen. 83. in Matt. 24. in 1. ad Cor. 45. in Ioan. & hom. ad Neophyt.

Chryſ. ho. 55. ad pop. Antioch.

Chryſt. lib. 3. de ſacerdotio.

Tria proponũtur diſcutiẽda.

existit in sacramento, & speciebus panis ac vini coniungitur. Postremò manducandi modum huic sacramento proprium. Si distinctè singula discutierimus, suis locis quæque reponentes & accommodantes, animaduertemus Patres suo more Aduersariorum tela præuidisse, ac depulisse. Imprimis extra controuersiam est, carnem Christi re vera corporeã esse, ac nostræ similem substantia & natura. Verùm qualitatibus ac proprietatibus à nostra atque ab alia quacunque longè latéque discrepat, quoniam in Christi carne habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, cuius qualitates sibi permixtas habuit, quarum causa spiritalis planè ac diuina euasit vita prædita, à corruptione & omni violentia, nisi quantum voluit, aliena. Sine diuinitatis immanẽte perfectione & qualitate caro illa mãducata non prodesset quicquam, nec aliud esse quàm cõmunis caro omnibus iniuriis, sectionibus, ac partitionibus quibuscunque obnoxia. Ac accessione diuinitatis, quæ spiritus est, ad ipsam, non desiit quidem esse caro vera, sed vna cœpit esse caro spiritalis: nec pugnãt in ea, imò nec in nobis, esse corporeum, & spiritalẽ, modò diuerso respectu intelligatur, vt in substãtia quidem corporei reperiamur, & in qualitate ac proprietate spiritales. Ita ab Apostolo nostra corpora post resurrectionẽ spiritalia nominãtur, nõ propter immutatam sentẽtiam, sed qualitatem ac proprietatem, qua corpora nostra futura Christus promisit, sicut Angelos Dei ac spirituũ instar. Qua de causa apud Ioannẽ nato scandalo, quî fieri posset, vt caro Christi ab omnibus ederetur, nec moreretur, sed viua vitam offerret, manducaretur, nec consumeretur: respondetur carnem illam esse alterius generis & perfectionis, quàm sit alia quæcunque caro: ídque propter inhabitantem diuinitatem quæ spiritus sit & vita. Caro (inquit) non prodest quicquam. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Caro, inquam, manet corporea: propter diuinitatem tamen insitam spiritus ac vitæ induit proprietates, vt reddatur inuisibilis, incorruptibilis, inconsumptibilis, agilis ad cœlum vsque, & viuifica: nec contentus Christus ipse solo verbo id affirmare ab effectis se probaturum, pollicetur diuinam esse suam carnem ac spiritalem, nec communem. Hoc vos (inquit) scandalisat, quia dixi comedendam esse carnem meam ad vitam. Quid si videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. Quicquid ergo attribuit scriptura Christi carni, credendum quidem de carnis substantia corporea: non metiendum tamen est ex proprietatibus carnis naturalis, sed diuinæ ac spiritalis, omniáque ad modum spiritalem quę de ea dicuntur, sunt referenda, quamuis illi modo semper subsit substantia corporea. Si quæritur ergo de modo existentię & præsentiæ talis carnis in sacramento, quam Christus asseruit, non corporeus est, quãuis res ipsa corpus sit, sed spiritalis, & ad modum spiritus, ac ne quidẽ creati, sed ipsius diuinitatis, quæ huic carni immanet: modus, inquã, est inuisibilis & incõprehensibilis, quem sola fides credit, nec mens intelligit. Si de mãducatione itidem illius carnis quæritur, vtique carnis corporeã substantiã re vera mãducari minimè ambigendũ est: sed modus ad illius diuinitatis & spiritus proprietatẽ refertur, vt sit inuisibilis, spiritalis, & incomprehensibilis: quamuis à dẽtibus nostris verè circa carnis illius substantiã exerceatur actio, sed spiritali inquam modo arcano & incõprehensibili, sicut diuinitatis proprietatẽ, quæ Christi carni inhabitat, nequimus cogitatione assequi. Scimus à perfectione illa carnem effici inconspicuam, incorruptibilẽ, inconsumptibilem, vti diuinitas est: manducabilẽ tamẽ relinqui, quoniam corporea substãtia est. Itaque corporea est & spiritalis alimonia: corporea quidem, quia corporis est substãtia, & caro spiritalis, quia caro sub proprietatibus spiritus & diuinitatis existẽs, à corporibus nostris capitur, & comeditur. Ita ruit Petri Martyris & aliorum sophisma. Spiritalis, inquiunt, esca vulgo à Patribus prædicatur: ergo dentibus

Qualis sit caro Christi, vt corporea permaneat, sic tamen spiritalis.

Quia spiritalis caro & viua et incorruptibilis & consumptibilis editur.

non cõtingitur, nec à corpore sumitur, sed à solo spiritu per fidem. Nam vt audies, Patres confirmant corporalem esse escam, sicuti verè carnem, sed simul etiam spiritalem, propter spiritus & diuinitatis annexam proprietatem: nec aiunt solo animo per fidem edi, sed sola fide intelligi, sicut Cyprianus statim loquetur. Ita quoque satisfactum à Christo Patres scribunt Capernaïtarum scandalo de lanianda ipsius carne, ac tandem consumenda, nec non de promissa vita ex carne manducata, quoniam tali carni proprietas inest, quæ illam ab omni laniena & corruptione vēdicet, ac vita refertam ostendat. Cyprianus ergo ea de re sic concionatur. Orta aliquando de nouitate hujus verbi quæstione, ad doctrinam mysterij huius obstupuerunt auditores, cùm diceret Dominus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retrorsum: quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius elixam vel assam, sectámque membratim edere docerentur, cùm illius personæ caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta videtetur interiisse religio, cui nequaquam victima superesset. Sed in cogitationibus huiusmodi caro & sanguis non prodest quicquam: quia sicut magister exposuit verba hæc, Spiritus & vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantę profunditatis penetrat, nisi fides accedat. Vniuersa ad has epulas inuitatur Ecclesia: æqua omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, non iniuriatur, recipitur, non includitur: cum infirmis habitans non infirmatur: fides pura, mens sincera, hunc habitatorem delectat, nec immensi & omnipotentis magnitudinem pauper Domus nostræ angustia vel offendit, vel arctat. In capite De ascensione ab Athanasio alimoniam spiritalem, camem illam propter allatam rationem dici narrauimus. Augustinus eandem sequitur sententiam pluribus in locis. Camem (ait) Christi manducandam carnaliter sic intellexerunt, sicut in cadauere venditur, aut in macello dilaniatur. Sic illum putarunt erogaturum corpus suum, particulas quasdam de illo præcisurum, membra sua consisurum, & sic per partes discerptum sese illis daturum. Quibus respondit, non eo se modo illud eis donaturum, sacramentum in se commendare, quod spiritaliter intellectum illos viuificaret. Quod etsi necesse esset visibiliter celebrari, oporteret tamen inuisibiliter intelligi, sic vt quod in sacramento visibiliter sumeretur, in ipsa veritate spiritaliter manducaretur & biberetur. Inuitat Dominus seruos suos, vt cibum eis seipsum præpararet. Quis audeat manducare Dominum suum? Ait tamen, Qui manducat me, viuit propter me. Quando manducatur, vita manducatur. Ne timeamus manducare panem hunc, ne finiamus eum, & postea quod manducemus, non inueniamus. Non occiditur, vt manducetur, sed mortuos viuificat. Cùm manducatur, reficit, non deficit: viuit manducatus, qui resurrexit occisus. Neque quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit. Norunt fideles, quomodo manducent Christi carnem, vnusquisque partem suam, vnde & ipsa gratia, partes vocantur. Per partes manducatur, sed manet integer totus in cœlo, totus in corde tuo. Veniebat in camem, vt homines eum manducarent: manebat integer apud patrem, vt Angelos pasceret: factus homo, vti panem Angelorum manducaret homo. Ergo quia Christum vorari dentibus fas non est, nec magis eius gratia morsibus consumitur, voluit is panem hunc & vinum in mysterio verè carnem suam & suum sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari: vt quia nos similitudinem mortis eius in baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus, ita vt & veritas non desit in sacramento, & ridiculum nihil fiat Paga-

Quia non cõsideratur caro spiritalis, errãdi fit occasio, et blasphemãdi, & quia de ea iudicare volumus ex humana ratione, et non ex fide.

Aug. tract. 27. in Ioan. Psal. 54. & 98. Serm. 2. de verb. Apostoli. Ex Beza in ca. 10. 1. ad cor. De cõsecr. dist. 2. can. Prima quidẽ. can. Inuitat can. Qui manducat. can. Vtrum.

» nis, quaſi cruorem bibamus occiſi hominis. Si enim diſcipuli patiẽter ferre nequi-
» uerunt quod dixit Dominus, Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſangui-
» nem, in me manet: ſed dixerunt, Durus eſt hic ſermo: quo ergo hæc modo ferrent increduli? In horum plurium locorum verbis Auguſtinus primùm ait, Chriſtum apud Ioannem Capernaïtarum ſcandalo mederi de Anthropophagia: tùm quia manducatio non eſſet metienda ex ſenſu, ſed ex ſpiritu & fide, tùm quia proponeretur caro manducanda non in ſe, ſed ſub ſacramento, in veritate tamen ſpiritaliter, quod opponit aduerbio viſibiliter: tùm quia morſu vel laniena conſumi non poſſet, tùm quia vitam in ſe contineret. Vnde verò prærogatiuæ iſtæ illi carni accedant à diuinitate filij Dei reſpondet, qui præſtò eſt pluribus in locis, & plures ſine diminutione paſcit, & caro factus eſt, vt illam virtutem carni ſuæ conferret ad homines alendos pluribus locis & ſeculis, ſine carnis illius corruptela. Hæc planè eſt Auguſtini ſententia. Ac ne quis tergiuerſetur, quaſi carnem illam ſpiritaliter tantùm ex fide in ſacramento comedi innuat, duo obſunt. Nàm ideò ait diuinitatem filij incarnatam fuiſſe, vt edi poſſet ab homine: ſed fide edi ac ſpiritaliter, etiam ſine incarnatione poterat: igitur de corporali eſu intelligit. Deinde ait panem & vinum in myſterio potentialiter conſecratione Spiritus ſancti verè carnem & ſanguinem creari, vt veritas carnis non deeſſet ſacramento, & caro ibi ſpiritaliter, in veritate tamẽ ſumeretur. Quid expreſſius affirmari poteſt? At, inquit ſpiritaliter carnẽ edi: ſed ſeipſum explicat per oppoſitum viſibiliter, & cùm addit in veritate carnis, cùm ſpiritus noſter in veritate nequeat carnem recipere & manducare, quod corporis eſt officium, vt ex Ireneo & aliis antea docebamus. Sicut Cyprianus paulò antè citatus, apud Ioannem ſpiritum capit pro fideli ac ſpiritus intelligentia ſeu cõſideratione: Athanaſius verò pro ſpiritali atque inuiſibili carnis exiſtentia: ita Auguſtinus vtroque modo exponendum ſignificat. Circa tempora Auguſtini Neſtorius diuidebat perſonam Dei à perſona hominis, addebàtque ſolùm carnẽ perſonæ humanæ promiſſam à Chriſto ad eſum, non autem diuinitatem. Epheſina ſynodus & Cyrillus illum repellunt duabus rationibus potiſſimùm. Vna eſt, ſi tantùm caro Chriſti humana ſeparata à filio Dei manderetur, nec viua nec viuificatrix cùm manditur perſeueraret: quoniam nihil aliud eſſet quàm caro communis hominis, id eſt, non præſtantioribus dotibus & qualitatibus prædita, quàm alia quæuis caro, quæ per eſum conſumitur. Alia ratio eſt, ſi comeditur pura caro hominis, anthropophagia exercetur: quoniam nihil intererit inter hanc & alterius hominis carnem, quæ ſine anthropophagia & cyclopica viſceratione mandi nequit. Quoad poſteriorem

Cyrill. Alex. Anathem. ij.

Niſi caro Chriſti eſſet ſpiritalis, in eius eſu anthropophagia locum haberet.

» rationem Cyrilli, litera ſic habet. Num igitur aſſeris eſſe quendam alium filium &
» Chriſtum præter verbum ex Deo quod apparuit, cui & ſoli attribuitur Apoſtola-
» tus negotium? Num anthropophagiam ſiue hominis comeſtionẽ, noſtrum hoc ſa-
» cramentum pronuntias? & irreligioſè ad craſſas cogitationes vrges eorum mentem
» qui crediderunt, & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ ſola pura & inex-
» quiſita fide accipiuntur? Quoniam enim minimè editur, diuini verbi natura, pro-
» pter hoc dixerit quis non ſanctum corpus Domini. Ex verſione Oecolampadij deſcripſit, vt Aduerſariis hac in re gratificarer. Non ignoro de hac verſione ortũ certamen inter Gardinerum Vintonienſem Epiſcopum, atque Petrum Martyrem. Vulgaris editio Latina fert humanam commixtionem, non hominis comeſtionem quaſi legatur in Græco exemplari Ἀνθρωπομιγνία, & non ἀνθρωποφαγία. Vintonienſis priorem dictionẽ retineri vult, Martyr poſteriorem: cui magis aſſentior, ac præter ab ipſo allata argumenta cogit textus de Anthropophagia, ſiue de humanæ carnis manducatione intelligere, quia de ſacramento Euchariſtiæ agitur, in qua diſſe-

Myſterium incarnationis & Euchariſtia ſola fide nõ ratione cognoſcendum.

rebatur inter Nestorium & Catholicos, quale corpus comederetur, Deíne an hominis puri,& non quale corpus commisceretur:nec vsquam facta est mentio in illa tota controuersia de commixtione hominis in sacramento isto. Deinde responsio de obiectione fidem facit. Cyrillus respondet, non sequi, si diuinitas non manducetur, vt propterea vulgaris sit, & anthropophagiæ obnoxia caro Domini, quoniam non communis sit cum aliorum hominum carne, sed sancta, siue spiritalis, ac filio Dei propria, qui non finit carnem sibi vnitam more aliarum comminui aut corrũpi, quamuis in esum porrigat. Vt textus Cyrilli aliquãtulùm elucidetur, obiicit Nestorio, Eucharistiam fore Anthropophagiam, si caro Christi diuidatur à persona filij Dei, quoniam nihil altius de ipsa & ipsius esu sapere oportebit, quàm de cuiuslibet hominis carne. Deinde eidem exprobrat, quòd de corporis Christi manducatione ex sensu communi & modo carnali iudicaret, nec ex fide attenderet corpus hoc longè ab aliis corporibus discrepare, modúmque quo manderetur singularem ex persona filij Dei, cui innititur, nactum esse, ne barbaræ, cyclopicæ atque immani voracitati subiiciatur. Qua in re Cyrillus nostros Aduersarios ferit, qui cum Nestorio mentiuntur nos anthropophagiam in Eucharistia committere,& ad morem puræ carnis humanæ atque communis realem manducationem corporis Dominici exigunt. Quinetiam Petri Martyris fallacia cernitur, qui locum Cyrylli ad spiritalem esum per fidem contorquet, atque alios redarguit, qui quoties legerint in Doctoribus Eucharistiam fide percipi, aut similes locutiones confestim ad spiritalem sumptionem ex fide pertrahunt, cùm expressè hîc Cyrillus fidem carnali cogitationi opponat, & asserat, peccare Nestorium, & cum illo Aduersarios nostros, qui de carne Domini atque eius mãducatione ferunt iudicium ex sensibus, & comparatione aliarum carnium, nõ autem ex fide, per quam mysteria & sacræ res comprehenduntur. Sed nec Cyrillus Nestorio concessisset diuinitatem edi posse, si tantùm spiritali esu per fidem carnem Christi comedi credidisset: simili enim esui diuinitas subiacet. Negamus itaque Petro Martyri hoc tantum discriminis inter nos & Capernaïtas inueniri, quòd nos videamur inuisibilem statuere lanienam, & anthropophagiam cyclopicam carnis Dominicæ, illi verò tanquam in macello spectabilem. Nam nos nullam, ne quidem occultam, suspicamur fieri dilaniationem siue confractionem corporis Dominici in se, seu immediatè, vt eius sumptio cum anthropophagia & Capernaïtarum opinione conueniat: sed illæsam, saluam, & integram atque inconsumptam illam profitemur à nobis percipi, quoniam caro est filij Dei, à quo prærogatiuas spiritales & vitales suscepit, ne dum editur examinetur, cõminuatur, vel consumatur. Video quid Petrum Martyrem fefellerit. In Repetitione secunda recensuimus veteres, qui inter causas inuenti sacramenti allegãt, ne horrori esset cruor & manducatio carnis: atque inde colligit Martyr, nihil ergo differre nostram lanienam à Cyclopica, nisi quòd hæc manifesta sit, nostra velata & operta. Verùm, vt paulò antè ex Augustino protulimus, sacramenti velamen Christus carni suæ prætendit etiam vt Paganis & simplicioribus consuleret, qui nequeunt corporalem carnis mãducationem concipere sine cruore ac horrore: quibus vt hanc eriperet opinionem, carnis per se esum non proposuit, sed sub tegumẽto, vt ita non horrerent carnem edere, cuius cruor non appareret, non quòd sine cruore caro Christi per se edi non valeat: sed hoc persuaderi Capernaitis & hominibus carnalibus non potest, ac ne quidem commemorari quin horreant. Hac de re Ambrosius ista clarissimè. Vbi non tulerunt sermonem eius: sed audientes quòd carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum daret, recedebant. Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia

Aduersarij abutũtur sæpè Patribus, qui dicunt Christi carnem fide percipi.

Ne quidem occultam exercemus anthropophagiam et lanienam.

Quare Christus proposuit carnem suam sub sacramẽto, & sub velamẽto.

„tia redemptionis, ideò in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ „naturæ gratiam virtutémque consequeris. Et quia idem Dominus consors est diui„nitatis & corporis, tu quia panem accipis, diuinæ eius substantiæ in illo alimento „participas. Vt enim verus est filius Dominus noster Iesus Christus ex substantia „patris, non vti homines per gratiam, ita vero quam accipimus caro. Fortè dicas, „Quomodo vera? Carnis & sanguinis similitudinem video, non speciem aut verita„tem. Sicut mortis similitudinem sumpsisti, ita pretiosi etiam sanguinis similitudi„nem bibis: vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. „Didicisti ergo, quia quod accipis, corpus est Christi. Hic vides ab Ambrosio horrorem ex manducatione carnis Christi duplici de causa tolli, tùm propter solam similitudinem, & sacramentum quo tegitur caro ipsa: quæ si sola esset causa, locum haberet ratio Petri Martyris: nec minus anthropophagiæ crimine teneremur, quàm si cruor vndiquaque intuentibus omnium oculis ex manducata carne difflueret. Ob id Ambrosius, Augustinus, atque alij alteram causam annectunt, qua caro illa consors diuinitatis credatur, & sub sacramento, & absque illo inuiolabilis & inconsumptibilis. Propter hanc causam ne quidem sub sacramento à nobis laniena agitur, vt malè Petrus Martyr ratiocinatur. Verùm non solùm ad pusillorum euitandum scandalum caro sub sacramento traditur, sed vt piè ac verè corporaliter comedatur Nam caro in proprietate & apparentia corporali sine horrore piè manducari non poterat: ideò corporalis qualitas in spiritalem à diuinitate vertitur, vt maneat vera caro, & tamen spiritalis & inuisibilis in se existat, nec oculis nec sensibus aliis subiaceat. Iam verò in eum statum reducta, capi quidem poterat à spiritibus & animis nostris, & intra corpus nostrum tanquam spiritum residere: attamen nec dentium nec aliis ad manducandum corporis actionibus non magis quàm spiritus erat obuia. Sicut ergo vt manderetur ab homine, spiritalis diuinitas caro effici debuit, ita inquit paulò antè Augustinus, carnem illam spiritalem quoque effectam, rursum panem fieri decuit, & sacramentum, vt ita non solùm spiritibus atque animis nostris suppeditaret cibum, sed etiam corporibus. Nam corporaliter (ait Gregorius Nissenus) in corpus caro illa ingredi non poterat, nisi per cibum & potum visceribus immisceretur. Quamobrem continetur sub sacramento, non solùm vt piè ac sine immanitate degustetur à nobis, sed vt verè ac reipsa manducetur à corporibus nostris, quæ alioqui circa ipsam manducationis officio defungi non poterant, quia spiritalis est, atque instar spiritus. Hæc igitur alia causa sacramenti constituti. Nunc restat inuestigandum, quonam modo verè ac realiter, necnon corporaliter, caro illa manducetur, & dentibus atteratur. Hoc pender ex intima coniunctione carnis & specierum sacramentalium, quæ sanè tanta est, vt proximè accedat ad vnionem personalem & hypostaticam, eíque à Patribus frequentissimè comparetur. Panis ac vini substantia conuertitur in substantiam corporis & sanguinis, atque in sacramento destitura proprio subiecto, accidentia relinquit, quæ non tantum circumstant intimè corpus & sanguinem Christi, sed ab horum præsentia ac virtute diuina fulciuntur & sustentantur: & quamuis non inhæreant diuino subiecto, nec ipsum afficiant per se, quoniam tamen nullum aliud habent, ipsíque proximè assident, atque ab ipsius præsentia in rerum natura sustinentur, quandiu manet saluum sacramentum, quicquid circa illas species geritur, circa subiectum illud geri, & ipsi euenire dicitur. Quoniam vice proprij subiecti sua præsentia erga species illas fungitur, nó mirum si illæ instar accidentium illius subiecti vicissim censeantur, totúmque ex carne Christi, & panis forma, quasi vnum aliquod suppositum non naturale nec personale computetur, tale tamen quod maximam conueniétiam cum huiusmodi

Ambr. lib. 4. de sacram. cap. 4. & lib. 6. ca. 1.

Quatenus dicatur caro Christi dētibus atteri, ratione accidētium panis & vini.

Quomodo caro Christi gerat

vicem suppositi erga species & accidentia panis & vini.

habeat. Vnde Chrysostomus vnitatem istam longè arctiorem statuit, quàm Regis, & purpuræ Regi impositæ: & Augustinus sacramentum Eucharistiæ definit, corpus Christi, quod in tali specie & effigie oculis mortalium apparere voluit. Itaque quoniam in sacramento facta transsubstantiatione panis, corporis Christi vnicum subiectum & suppositum manet præsens quod non in se propriè, sed in sua præsentia quodammodò afficitur speciebus relictis panis & vini: ideò quicquid ipsis accidit, redundat in præsens subiectum, & verè de ipso affirmatur, vt natura postulat subiectorum & accidentium. Quòd si panis & vini superessent à consecratione supposita, non sic quicquid pani & vino contingeret, referri posset in carnem Christi & sanguinem, quoniam tum distincta ac diuersa extarent in sacramento supposita, nec accidẽtia panis & vini insiderent corporis & sanguinis præsentiæ, sed propriis subiectis, quibus communicarent omnia sua & non illorum præsentiæ. Insuper subiecta dicuntur esse sensibilia, quorum accidentia sensibus patent: vt homo videri propriè iudicatur, cùm eius lineamenta ac colores oculis cernuntur, & propriè omnia pati sensualiter ac visibiliter, quæ circa eius accidentia sensibiliter perpetrantur. Scriptura igitur & Patres vt innuant corpus & sanguinem Christi in sacramento præsentissima, ac panis & vini substantiam in illorum naturam trãsire, quorum præsenti subiecto, tanquam vnico totius sacramenti supposito innitantur relicta panis ac vini accidentia, communicationem proprietatum fieri significant inter carnem & sanguinem Christi, ac panis & vini reliquias, & indifferenter vni attribui, quod alteri propriè competit. Sic Lucas scripsit pro nobis potionem effundi, quod sanguini Christi est proprium: Sic Paulus corpus frangi, quod pani conuenit: sic Chrysostomus carnem Christi omnibus in hoc sacramento ait proponi, vt cernatur, tangatur, gustetur, manu diuidatur, dentibus frangatur, atteratur, idque nullis præstigiis aut fictione, sed ad sensum. Sic Augustinus ait, corpus Christi in terram decidere. Quæ omnia propriè pronuntiantur, & non figuratè neque hyperbolicè, quoniam ista omnia sensibiliter fiunt circa ipsas species panis & vini, quæ propter sustinẽtiam, quam accipiunt à præsentia carnis Dominicæ, eius quodammodò habentur accidentia, illique tanquam suo subiecto suas affectiones & qualitates propriè, vt facerent suo naturali subiecto, & non figuratè communicant.

Quatenus propriè dicatur corpus Christi in sacramento videri, tangi, comedi etiam sensualiter.

Ad eam propriam huic sacramento vnius suppositi cum quibusdam à se suffultis accidentibus vnitatem designandam & exprimendam, contra duplicem Berengarij hæresin, quarum vna transsubstantiationi, altera præsentiæ carnis & sanguinis aduersabatur, synodus Romana sub Gregorio septimo rectè decreuit, corpus Christi & sanguinem sensualiter manibus sacerdotum tractari, frangi, dentibus atteri. Nam sensualiter, vt diximus, suppositis cõueniunt, quæ fiunt etiam sensualiter circa accidentia illis inhærentia, aut ab illis tanquam hærerent suffulta. Quoniam verò illius Berengarianæ confessionis varianr exemplaria, libet hîc illam varietatem ascribere. Sic à Gratiano producitur: Ego Berengarius indignus Ecclesiæ sancti Mauritij Andegauensis Diaconus, cognoscens veram, Catholicam & Apostolicam fidem, anathematiso omnem hæresin, pręcipuè eam de qua hactenus infamatus sum, quę astruere conatur panem & vinum, quę in altari ponuntur, post consecrationem solummodò sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctę Romanę Ecclesię, & Apostolicę sedi, & ore & corde profiteor de sacramentis Dominicę mensę eandem fidem me tenere, quàm Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hęc sancta Synodus authoritate Euangelica tenendam tradidit, mihíque firmauit,

De proprietate Berengarianæ confessionis, in qua dicitur corpus Christi sensualiter dentibus atteri. Apud Gratia. dist. 2. de cõsecr.

„ firmauit, ſcilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem nō „ ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu „ Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm ſacramentum, ſed in veritate manibus ſacer- „ dorum tractari, frangi, & fidelium dētibus atteri, &c. Guilielmus verò Monachus, & Bibliothecarius Malineſberienſis De geſtis Anglorum, poſteriora illius Confeſſionis verba ita paulò aliter narrat: Panem ſcilicet & vinum quæ in altari ponuntur, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter conuerti in veram ac propriam & viuificantem carnem & ſanguinem Domini & poſt conſecrationem verum eſſe Chriſti corpus natum de virgine, & verum ſanguinem fuſum de latere, non tantùm per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed etiam in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ. Quæ poſteriora verba vt omnes hæreſes noſtri temporis de ſacramento à Berengario poſt Marcionem cœpiſſe, ita vnà cum illo damnatas fuiſſe declarant. Contra Lutherum Tranſſubſtantiationem aſtruunt, contra Cinglium reprobant ſolum ineſſe ſignum, & contra Caluinum virtutem efficacem ſolam eſſe ſacramenti, affirmántque carnem Chriſti per panis in ipſam conuerſionem adeſſe in proprietate naturæ & veritate ſubſtātiæ. Quatenus ad præſentem quęſtionem attinet, Lutherus de illa Confeſſione fert hanc cēſuram: Quod pani fit, idipſum verè & propriè corpori Chriſti tribui propter ſacramentalem cō- „ iunctionem. Errant ergo Schuermeri (ſic Sacramentiperdas vocat) ac Gloſa in iure „ Canonico, cùm Nicolaum Papam reprehendunt, cùm Berengarium coēgit ad cō- „ feſſionem, qua dicit ſe atterere dentibus verum Chriſti corpus. Atque vtinam Pa- „ pæ omnes tam Chriſtianè egiſſent, ac Pontifex ille cum Berengario in Confeſſione „ iſta egit. Eſt enim vera hæc ſententia, quòd quiſquis panem comedit, is comedit id „ quod eſt verum Chriſti corpus, non tantummodò vt Vvicleuus docet: &c. Certè Lutherus proprio ſe iudicio condemnat. Si enim in ſacramento duplex eſſet ſubiectum & ſuppoſitum panis & corporis, vt illi placuit, falſum eſſet propriè & verè corpus Chriſti frāgi & comedi, cùm frāgitur aut comeditur panis. Sic enim Epheſini Patres aduerſus Neſtorium, ponentem in Chriſto duo diuerſa ſubiecta inferebant, ex eo non fuiſſe dicendum, propriè Dominum glorię fuiſſe crucifixum, atque alia, quæ propter vnitatem ſuppoſiti ſcriptura Deo & homini facit communia. Patres quidem tangi, videri, frangi, & corporaliter comedi corpori Chriſti attribuunt, non in eius nuda ſubſtantia per ſe, & naturalibus accidentibus conſiderato, ſed vt eſt præſens huic ſacramento, & ratione ſpecierum panis, quas ſua pręſentia ac virtute ac ſi eſſent propria accidentia ſuſtentat, & vnicum exiſtens in ſacramento ſuppoſitum, nihilominus obit vices alterius in ſe conuerſi ſuppōſiti erga panem & vinum: ideóque propriè quicquid circa illas ſpecies fit, in corpus Chriſti pręſens, tāquam eſſet proprium earum ſubiectum, recidit. Sic Chryſoſtomus diſcutit cur ab „ Apoſtolo corpus Chriſti dicatur frangi. In Euchariſtia (inquit) videre licet, in cruce „ autem minimè: ſed omninò contra. Os enim eius nō comminuetis ex eo. Sed quòd „ in cruce paſſus non eſt, hoc iam in oblatione patitur, ac ſuſtinet, cùm propter nos „ frangitur, vt omnes ſanet: fractus, vt nos ſibi coniungat. Atque vt ipſas ſpecies panis intimiùs ad ipſum pertinere in ſacramento, quàm veſtis aut operimentum homini „ quadret, cui imponitur, exclamat: O quot modò dicunt, Vellem formam eius, fi- „ guram, ſpeciem, veſtes, calceamenta videre! En ipſum vides, tangis, mandu- „ cas. Tu quidem illius veſtimenta videre cupis: is verò ſeipſum ita tibi tradit, vt non „ tantùm eum videas, ſed vt tangas & comedas, & intra teipſum habeas. Tangamus „ ergo nos non iam fimbriam veſtimenti eius, imò verò ipſum totum. Ipſum enim ſi „ volumus, corpus eius, non iam veſtimentum propoſitum eſt, non vt tangamus ſo-

Luther. in confeſſ. maiore.

Chryſ. ho. 10. 1. ad Cor.

Chryſ. ho. 24. in 1. ad Cor. ho. 60. & 61. ad pop. Antioch.

lùm, ſed vt comedamus atque ſaturemur. Sícque Cyrillus Alexandrinus vocat panis fragmenta, Clemens Papa nominat corporis Dominici fragmenta. Sic Auguſtinus aiebat ſuperiùs, quoniam diuinitas, nec caro ipſa Chriſti morſibus patere poterat, aut dentibus vorari, panem factum Chriſti carnem, vt in ſacramento id accidat carni, quod ſeiuncta & in ſe conſiderata non admittit. Propter hāc diuerſam conſiderationem corporis Chriſti ſecundum ſe, etiam quandiu eſt in ſacramēto, & ſecundum rationem, qua ſubeſt ſpeciebus panis, videtur plerunque loqui pugnantia Patres, non ſolùm inter ſe, ſed vnus à ſemetipſo diſcrepare. Ex Chryſoſtomo auditum eſt, nullo medio carnem omnibus ſenſibus percipi, videri, tangi, guſtari, frangi, manducari: alibi contrà non ſemel ait nihil hic Dominum ſenſibile nobis tradidiſſe, ſed in rebus ſenſibilibus omnia inſenſibilia. Et ſi quidem incorporeus eſſes, nuda tibi ea & incorporea tradidiſſet: quia verò anima tua corpori coniuncta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia hæc tibi præbet. An non iſta ſibi aduerſantur, niſi attēdas eum loqui hîc de corpore ſecundum ſe conſiderato, quod eſt in ipſo ſacramēto intelligibile atque inuiſibile, prorſúſque inſenſibile per ſe: illic verò de eodem, quatenus induitur & operitur panis accidentibus, quæ ſua præſentia fulcit, eorúmque proprietatibus denominatur, & quodammodo afficitur. Interea reddit prius allatam rationem de inſtituto ſacramento, vt per illud caro Chriſti corporali manducationi obiiceretur. Auguſtinus item prima facie iudicaretur contraria effutire in his. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illū ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Contrà, ſermone ad Neophytos ait, Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc accipite in calice, quod fuſum eſt de Chriſti latere. An non contrarietas eſt manifeſta, Hoc, & Non hoc: Ipſum, & Non ipſum? Verùm ipſemet Auguſtinus cōtradictionem adimit, vt idem ipſum ſit ſubſtantia, non qualitate, identitate naturæ, non diuerſitate formæ: non ipſum in nuditate naturæ, ſeu in ſe acceptum, ſed ipſum in pane & calice. Quamuis ergo corporalia illa opera, quæ in manducatione peraguntur, nequeant carni Chriſti adaptari, ſi à ſacramento ſeparetur, aut ſeparata concipiatur: nihilominus cùm ei in ſacramento accommodantur, non eſt Caluiniana metonymia, vt vult Beza, qua rei etiam abſenti attribuuntur quæ eius ſigno conueniunt. Fortaſſè quædam ſynecdoche non erit aliena, qua quod parti congruit, toti aſcribitur. Sed ne hæc quidem Patribus ſatisfecerit, qui ſubiecto & ſuppoſito carnis Chriſti & ſanguinis, quatenus ſubſunt accidentibus panis & vini, illa opera deputant ſine vllis præſtigiis & figuris, quemadmodum propriè ac ſine figura aſſignarentur proprio illorum accidentium ſubiecto ſi maneret, cuius vices gerit præſentia carnis Chriſti. Neque verò magis horrere debemus, ſi ab indignis carnem Chriſti edi, frangi, deglutiri fateamur, quam quòd Deus in alia carnis effigie & à Iuda oſculari, & à Iudæis atque gentibus capi ac crucifigi non eſt dedignatus. Quid etiam magis impium, ſi dicatur caro Chriſti dentibus atteri, non quidem in ſe, ſed in panis proprietate, quàm ſi dicatur Deus vulnerari, flagellari, mori, quod non in propria diuinitate paſſus eſt, ſed in carnis peccatricis velamine. Porrò vt de tribus propoſitis vltimum expediamus, quadruplex obſeruatur carnis dominicæ manducatio. Phyſica, ſeu naturalis, quæ fit officio dentium. Sacramentalis, quæ ore fit ſine ſenſu, ſine conſequentibus phyſicis actionibus, motibus, aut tranſmutationibus, quas Aduerſarij malitioſè ex carnali quotidianorum ciborum vſu ratiocinantur, nobíſque obiectant. Quæ manducatio quoniam plenè ac clarè qualiſnam omninò ratione totius ſuæ formę ſit, explicata à Spiritu ſancto non eſt, nec à nobis quidem inueſtigari debet, aut explicari poteſt. Cōcedunt ſanè & ipſi Aduerſarij rationem modúmve manducationis corporis Dominici

Chryſ. ho. 60. ad popul. Antioch. & ho. 83. in Matth.

Aug. in Pſal. 98. ſerm. ad Neophyt. Tractat. 31. 40. 45. 65. in Ioan.

Vt nō ſit horrendum carnē Christi dētibus atteri.

De quadruplici manducatione etiam carnis dominica.

minici peruestigari non posse. Hanc nos tantùm in Cœna Domini institutam esse & fieri asserimus, & extra Cœnæ vsum haberi negamus. Tertia spiritalis, quæ etiam Mystica nominatur: quòd Paulus talem nostri totiúsque Ecclesiæ coniunctionem cum Christo appellet magnum mysterium: & ea est, qua fimus spiritaliter caro de carne, & os de ossibus eius, ipsique Christo inserimur in baptismo, aut etiã extra Cœnam per fidem. Quarta spiritalis per fidem, quæ propriè est participatio meriti Christi, & aliorum spiritualium beneficiorum, ex eius passione ac merito nobis prouenientium. Hanc solam Cingliani admittere voluerunt: cui Caluiniani prætulerunt antecedentem, & vtrique suam pro Sacramentali & vera supponere adnixi sunt. Ex primo modo species panis franguntur, digeruntur, & egeruntur. Caro verò Christi de illo modo ea tantùm sustinet sibi tribui, quæ fiunt, quandiu saluæ & in statu naturali supersunt species panis & vini: ac ne modum illum caro secundum se recipit, sed mediante sacramento cui subest. Secundo modo caro ipsa in se corporaliter editur, non physico aut capernaïtico more, sed sacramentali: id est, caro Christi corporea in substantia existens, & simul quoad existendi modum spiritalis vehiculo panis suscipitur à corpore nostro per organa esus, & secundum se manducatur verè, non tamen corporali modo, seu dentium officio, sed mystico, arcano, inuisibili, spiritali atque insensibili modo, vero interea & reali. Priori modo caro Christi non solùm quoad rem, sed quoad modum carnaliter & corporaliter, etiam sensualiter manducari dicitur, frangíque atque atteri, non in se, sed in sacramento, seu per accidentia panis & vini quibus subest, & quorum proprietates excipit, propter vnionem, non personalem aut hypostaticam, sed huic proximam, & quæ cum hac multa similia habeat, quoniam licet species panis & vini non inhæreant Christi supposito, & eius carni, ab eius tamen præsentia & virtute continentur in rerum natura ac si ipsi hærerent. Eam verò vnionem appellamus sacramentalem, ac propriam huic sacramento, per quam duobus modis, inquam, caro ipsa edi prædicatur: naturali modo, non in se, sed ratione accidentium, quibus inquam subiacet: altero modo in se, sed non nisi quatenus obuoluitur materiali ac visibili sacramẽto: Ideò sacramentalis mãducatio vocatur, quoniã per se fit de carne operta tamen sacramẽto. Cæterùm illa specierum & carnis vnio, ac proprietatum communicatio, certis finibus coërcetur, nec latiùs extenditur quàm species in sua proprietate & natura manent. Postquàm enim effigiem & formam panis & vini amiserint consumptæ, iam cessat ratio sacramenti, atque cum illis vnio sacramentalis corporis & sanguinis Dominici, quæ ab illis etiam desinunt accipere denominationem, vt antea faciebant. Naturaliter autem mutant formam, & panis ac vini effigiem species illæ in stomacho per concoctionem, & in aliam naturam transeunt: ob ídque hucusque à Patribus pro corpore & sanguine Domini iudicantur, sicut his verbis testatur Clemens: Qui residua corporis, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conueniant, nec sanctę portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Hoc itidem testantur concilia, quæ de ægrotis atque aliis prouident, à quibus per vomitum Eucharistia emittitur. Immutato sacramento desinit præsentia carnis Dominicæ ab eo, ac propterea non amplius per cõmunicationem idiomatum ea possunt carni illi applicari, quę fiunt in speciebus corruptis, vt est cõuerti in carnem & sanguinem nostrum, in secessum effluere, & egeri, aliáque quorum amplificatione deliciantur Aduersarij stercoranistæ. Si dignè quidem homo perceperit sacramentũ, illo consũpto non diuellitur animo aut corpore à societate & cõmunione carnis Dominicę, quandiu in gratia & puritate perstat. Per cõtactum

Quæ sit propriè manducatio sacramentalis.

Quatenus sunt attribuenda carni Christi, quæ speciebus conueniunt.

Clem. epist. 2. ad Iacob.

exteriùs rubefieri. Ex secūdo declarat panem Angelorum consistentem sub sacramento, carnem ac sangninem ipsum Domini integrum erogari, æquam portionē omnibus dari, nō demēbrari, atque alia quæ antea recitauimus. Pro tertiò, postquā multa narrasset, quæ pia mens circa hoc sacramentum meditari debet, ita quodam epilogo finit. Hæc in Christi cōmemoratione retractantur à fidelibus, & defæcatis animis carnis eius eduliū non est horrori, sed honori, potiùque sancti ac sanctificātis sanguinis spiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordēdum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, dum qnod diuinum, est & humanū, distinguimus & separamus: itēque simul separata iungētes, vnū Deū hominem fatemur. Augustinus verò etiam manifestè candē distinctionem in locis paulo antè ex ipso notatis sequitur. Partiri carnem concedit in sacramento & panis māducatione, sed nō in se: edi visibiliter in sacramēto, sed in se ac veritate spiritaliter, in ipso tamē sacramēto: nec consumi, quia morsibus in se non pateat. Etiā quarto modo spiritaliter edi exprimit ad vitā, si quod in sacramēto visibiliter sumitur, in veritate & ex fide spiritaliter edatur: quia quod prodest in carne Christi, est spiritus & vita, vt ipse testatus est: ob idque nec externa manducatio visibilis, nec sacramētalis quicquam iuuat nisi fides adsit, & spiritalis per fidem participatio. De quarto illo modo spiritali etiam extra sacramentū alibi quoque Augustinus proclamat: Vt quid paras dentē? Crede, & māducasti: nō quòd illos alios modos excluderet, sed maximè necessariū, ac sine quo alij sunt inutiles, nec afferunt vitā, sed potius mortē cōmēdauit. Quòd si Patres nō sensissent corpus Christi in se re vera, sacramētaliter tamē comedi, cùm sumitur sacramentū & editur, cur timebāt vbi nō erat timor, ne populus crederet tandē corpus illud consumptū iri. Certè si solū per fidē ederetur, aut tantùm in signo, & nō in se, nulla nasci posset suspicio de cōsumptione corporis Dominici. At cùm omnes retrò Christiani laborēt in amoliēda ea suspicione, reddendáque ratione cur cōsumi nequeat: certissimū est argumentum de vera, reali ac corporali māducatione carnis illius, sacramētali tamē atque inuisibili, sine vlla corruptione & laniena fuisse persuasos. Ioānes Apostolus ad eam fidē confirmandā, antequā de tali esu verba faceret, præmittit miraculū de quinque panū māducatione, qui à tot millibus exesi, nō fuerūt tamē consūpti, sed affatim multiplicati: Interserit multo minus id mirandū de Christi carne, quæ suam prærogatiuā esset demōstratura per ascensionē in cœlū, causásque prærogatiuarū explicat. Caro nō prodest quicquā. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Mentē atque intentionem verborū Christi Apostoli nobis per manus tradiderūt: Veteres Christiani Cyprianus, Athanasius, Gregorius Nyssenus, Augustinus, Cyrillus Alexādrinus, aliíque explicarunt, quos partim capite De ascensione produximus, partim isto, partim alio de illo Ioannis Apostoli dicto, quod postea habebitur. Coram Aegea Tyranno Andreas Apostolus olim dixit, Quotidiè sacrifico agnū, cuius carnes posteaquàm omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est integer, perseuerat & viuus. Insuper Patres totum & æqualiter impartiri omnibus ac singulis profitentur, quod nec de signi distributione, nec de spiritali esu propriè demōstrari potest. Neque enim æquā sacramenti portionē singulis distribuere fuerit facile, nec præcipitur, nec æqualiter per fidem Christum participamus, sed pro mensura fidei distributiones gratiarum sunt: nec fuisset difficile concipere animo ipsum à pluribus participari, & nō diuidi re vera: sed vt re vera ab omnibus edatur, nec diuidatur & æqualiter sumatur, hoc opus, hic labor est, quod fit in sacramentali sumptione: id quod Cyprianus & Emissenus ex Manna comprobant, quorum posterior sic habet: De Manna vetus narrat historia, nec qui plus colle-

Quando patres prædicant corpus Christi cū edi tur nec diuidi, nec consumi argumentū est de reali esu corporis.

Ioann. 6.

Corpus Christi non consumi.

In epist. diacō. Achaiæ.

Emiss. ho. 5. de Paschate.

collegerat, amplius, nec qui minus parauerat, minus, eò quòd Eucharistiæ sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod corpus sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto: quod cùm Ecclesia fidelium sumit, sicut plenũ in vniuersis, ita integrum esse probatur in singulis. De quo sensu Apostolica sententia deriuata est, dicens, Qui multum non abundauit, & qui modicum non minorabit. Si fortè panes esurientibus apponeremus, non totum perueniret ad singulos, quia particulatim & minutatim pro portione sua vnusquisque præsumeret. De hoc verò pane cùm assumitur, nihilominus habent singuli quàm vniuersi totum, vnus totum, duo totum, plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi.

(corpus Christi in qualibet parte hostiæ totũ omnibus distribuitur. 2. ad Cor.)

Gabriel Biel ex Hieronymo citat: Singuli accipiunt Christum Dominum, & singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed se in singulis præbet. Cyrillus Alexandrinus in Ioannem scribit: In quatuor partes diuisa sunt vestimenta, & tunica solùm indiuisa remansit, quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reducti, indumentum eius impartibiliter inter se partiti sunt. In singulos enim partibiliter trãsiens vnigenitus, & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integrè in omnibus est, cùm vnus vtique sit nullo modo diuisus. In eandem sententiam Repetitione secunda produximus Cesarium, Gregorij Nanzianzeni fratrem.

(Biel. lect. 39. in can. Cyrill. in ca. 21. Ioan.)

Narrat Nicetes Choniates in vita imperatoris Alexij Angeli motam quæstionem à nequam monacho Sindite, Vtrum Christi corpus post sumptionem incorruptibile maneat, quale post passionem & resurrectionem fuit, an corruptibile, vt ante passionem tẽpore Cœnæ vixit. Alij (inquit) dicebãt incorruptibile esse, quòd mysteriorum perceptio cõfessio sit & recordatio quædam Domini propter nos mortui & rediuiui, vt magnus in Theologia Cyrillus tradit: & quam partem quisque acceperit ab eo, integrum Christum percipi, quem Thomas palparit, eúmque comedit post resurrectionem, vt Ioannes Chrysostomus affirmat his verbis: O rem mirandam! qui ad dexteram patris sedet, in nostrum peccatorum manibus inuenitur. Item, Quancunque partem accipis, eum totum accipis qui à Thoma palpatus est. Et alio loco, Floruit in lege, adoleuit in Prophetis, maturuit in cruce, comeditur post resurrectionem. Neque enim aliud id est quod percipitur, quàm illud corpus quod morte superata vitam nostram auspicatum est. Vt enim parum fermenti totam massam fermẽtat, & sibi similem ac parem reddit, sic immortale factum Dei corpus, cũ in nostro corpore fuerit, totum id in se commutat, & transfert. Air & magnus Eutychius: Totum igitur sacrosanctum corpus & pretiosum sanguinem Domini homo accipit, & si horum aliquam partem acceperit. Distribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immixtionem, vt vnum sigillum omnes imagines suas imprimit, & vnum manet etiam post communicationem, non imminutum, non mutatum in ea, in quibus impressum est, etsi numero, plura fuerint. Eódémque modo vna vox ab aliquo prolata, & in aëre diffusa, in eo qui eam protulit, tota manet, & per aërem tota ad aures perfertur, nemine auditorum plus minúsue percipiente: sed tota est indiuisibilis, & integra apud omnes, etsi decem millium numerũ superent, quãuis ipsa corpus sit. Neque enim aliud est vox, quàm aër ictus. Nemo igitur ambigat, quin incorruptibile post mysticum sacrificium, & sanctam atque immortalem resurrectionem, sanctum & viuificum corpus & sanguis Domini per sacrificia in res solidas impositus, minus quàm commemorata exempla suas vires minuens exprimatur, & totus in totis inueniatur. In primitiua Ecclesia Paulus Samosatenus Christi corpus in Eucharistia corruptibile asserebat quia diceretur diuidite

(Nicetas lib. 3.)

inter vos, cui respondit Dionysius Alexand. vt in secũda Repet. annotamus. In summa, quare nec cõsumatur corpus Christi, nec diuidatur, tres rationes Patres afferũt, quia spiritale corpus ac diuinum existat, quia non conuertatur in nostram substantiam per esum, sed contrà nostra corpora in se attrahat, & trãsmutet, spiritali magis transitione quàm corporali, quia nobis exhibeatur in sacramento per conuersionẽ panis in ipsum, ita vt nõ alteretur corpus Christi, nec mutetur, sed panis transiens in ipsum, sicut corpora nostra nõ consumũtur nec imminuũtur, cùm panis naturaliter in ipsa conuertitur, sed contrà panis ipse consumitur. Quam postremam rationem Gregorius Nissenus pluribus verbis amplificat, quæ propter prolixitatem omittimus, & ea conuenit cum sigillo, quod se imprimit omnibus ceris sibi applicatis, immutatum & incorruptum permanens. Aduersatij nos premunt ex Augustino, apud quem hæc leguntur: Infantes non norunt, quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur: & si numquam discant experimento vel suo, vel aliorum, & nũquam speciem illam rerum videant, nisi inter celebrationem sacramentorum, cùm offertur & datur, dicatúrque illis authoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de tali latere percusso liquorem illum omninò fluxisse. Ibidem quoque additur: Aliquando ad significandum fit eadem species, vel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in eremo, sicut possunt & literæ, vel peracto ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur. Ex his inferunt aut corpus Christi vnà cum pane consumi, aut non ibi esse, nisi metonymicè & significatiuè: quia totum quod in altari ponitur, peracta pietatis celebratione consumitur. Verùm de vtroque magna fit Augustino impostura. Nam si per metonymiã illa rerũ species tantùm esset corpus & sanguis Christi, non adiecisset Augustinus, grauissima authoritate infantes doceri corpus esse Christi, & sanguinem. Nisi enim ita esset, authoritas falsum asserentis grauis esse nequiret. Sed ad tropicè loquendum, non grauissima authoritate, sed tantùm hominum etiã leuissimorum consuetudine & vsu opus est: nec ex locutione tropica fuisset seriò credendum infantibus Dominum in specie panis oculis apparuisse mortalium, & ex latere percusso effusum talem sanguinem. Certum itidem est ab Augustino non creditum tale corpus & sanguinem consumi, aut in secessum egeri. Duobus enim locis contrarium apertissimè tuetur. Cùm enumerasset triplex genus panis benedicti, vnum qui ad mensam communem à Christianis benedicitur: alterum, qui in Ecclesia pro catechumenis sanctificabatur, quem vocat Sacramentum corporis Christi, sed nondum corpus ipsum: tertium, qui in altari benedictione solenni consecraretur, fieretque corpus Christi: ex tribus alios corrumpi assentitur, & in secessum ire, non autem corpus Christi, ad cuius escam ait, vt ad eam quæ non corrumpitur, nos Dominus apud Ioannem inuitat. Cibos (inquit) istos, quibus ad necessitatẽ sustentandæ vitæ huius alimur, sanctificari idem Apostolus dixit, per verbum Dei, & orationem qua oramus, vtique corpuscula nostra refecturi. Sicut autem ista ciborum sanctificatio non efficit, vt quod in os intrauerit, non in ventrem vadat, & in secessum emittatur, per corruptionem qua omnia terrena soluuntur, vnde ad aliam escam, quæ non corrumpitur, nos Dominus exhortatur: ita sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptisatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum. Excipit etiam nominatim, ipsum corpus Christi ab egestione in secessum, vti faciunt omnes alij Patres, quos recitauimus capite primo libri secundi De Transsubstantialitate: & in dicto nunc allato Augustinus rationem reddit, quare excipiat ipsum

Tres rationes, quare non diuidatur aut cõsumatur corpus Christi.

Gregor. Nissẽ. in Catechis. de Eucharist.

Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 10.

Aug lib. 2. De peccat. merit. cap. 26.

Quare corpus Christi non in ventrẽ vadat, ex August.

Aug. serm. 28.

corpus Domini, quia videlicet fuerit exceptum ab ipsomet apud Ioãnem, vt quod non subiaceat corruptioni, quoniam non inter terrena sit ponendum, quæ omnia (inquit) corruptione soluuntur. Ex eadem verò ratione spectandum est, quatenus Augustinus intelligat consumi quod in altari ponitur, vtique quatenus terrenum est & terrenum relinquitur, quod ex terræ frugibus accipi dixit, & aliud fieri, nempè, corpus Christi specie ac signo panis conuestitum, quam speciem ac signum ait peracta pietatis celebratione cõsumi, quia terrena manet illa species, quamuis terrena eius substantia in carnem Domini, operante Spiritu sancto per ministerium hominum transierit, quæ quidem caro esca incorruptibilis in illa specie panis est, ad quam Christus nos hortabatur. Ea est recta ac plena Augustini sententia, aliis Patribus & sanæ doctrinæ apprimè consentiens.

de verb. Domini.

Quatenus corpus Christi dicatur consumi.

Aug. lib 3. De Trinit. cap. 4.

AD ARGVMENTVM DE MVRIBVS ATQVE ALIIS animantibus, quæ aliquando exedunt Eucharistiam, & de eius conculcatione.

CAP. 4.

REFERT D. Augustinus contra resurrectionem carnis fœditates atque infinita propemodum absurda cum horrore atque irrisione Philosophos blaterasse. Sed inter hæc omnia (inquit) quæstio difficillima ab illis proponitur, quomodo reditura sit caro, quæ à belluis, siue ab alio homine consumitur, cùm in carnem conuersa sit eorum, quibus in alimentum cessit. Vtrum ergo reuiuiscet ea caro in eo qui exedit, an in eo qui exesus perierat. Vtrum etiam, apud Tertullianum dicebant, resuscitabuntur pisces & cæteræ bestiæ aiquæ alites carniuoræ, vt reuomant quos comederunt, quia & apud Mosem legitis exquiri sanguinem de omnibus bestiis. Ad hoc autem ista percõtantur (subiicit Augustinus) vt fidẽ resurrectionis illudant. Sacramentarij profectò non dissimili ingenio philosophantur & nugantur in Eucharistia. Tanti siquidem faciunt vnum argumentum de arrosa à muribus, aut vorata ab aliis animantibus, aut adusta Eucharistia, vt alio ariete expugnari Lutherus non potuerit ad reponendam in solo vsu carnis Dominicæ præsentiam, vt non alio Melantho magis inclinauerit ad resecandam omnem etiam vsuariam eiusdem carnis in pane existentiam. Haberi volunt piissimi erga Christum, cui contumeliosum fore existimant, si bestiam inhabitet, quã immortalitatẽ & carnis resurrectione donãdam affirmant, si vescatur Christi carne. Ista sanè ratio, quoniam speciem pietatis præ se fert, & oculis spectatur, non solùm incautos plurimos, qui non conseruant omnia Christi mysteria, vt ea conferant in corde suo, à fide Eucharistiæ alienauit, sed nonnullos sanè doctos homines & Catholicos perturbauit, vt opinarentur corpus Christi auolare à pane, quoties incideret res, quæ panem Eucharisticum à legitimo vsu, cui destinatur à Christo, impediret, vel in profanum conuerteret, quamuis crederent etiam extra actionem vsus legitimi, & perceptionem sacramenti, corpus Christi in pane perdurare. Eam ob rem ipsum negant infidelis os, siue non baptisati, aut gulam belluæ ingredi, aut ignem, aut permanere in specie panis, quæ vermibus scateat, siue ita mucida fiat, vt nequeat exedi. Id sibi persuaderi aiunt multis miraculis à Deo ostensis, & Cypriani authoritate, qui recitato miraculo alicuius, qui Eucharistiam in manibus acceptam cùm edere conaretur, cinerem ferre se apertis manibus inuenit: vbi statim acclamat Cyprianus, documẽto vnius ostensum Dominum recedere, cùm negatur, nec immerentibus ad salutẽ prodesse, quod sumitur, cùm gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mute-

Lib. 22. cap. 12. De ciuitat.

Cur Lutherani dixerũt corpus Christi versari in solo eucharistia vsu.

Cypr. de lapsis.

tur. Sed tutior est atque constantior fides Ecclesiæ ab antiquis Patribus excepta, quæ corpus Christi, per verbum & potentiam Domini pani præsens factum, tandiu perstare asseuerat, quandiu species panis in sua integritate perseuerat, vbicunque locetur & reponatur, siue in pyxide, siue in homine, siue in bellua, siue in cœno, siue in igne, aut quocunque loco. Nihil itaque offenditur gloria Domini, & veritas, si quandiu reperiuntur in aliquo animante species panis saluæ, confitemur in eodem corpus Christi existere: sed negamus ab eodem sacramentaliter percipi, aut manducari, siue cum speciebus dilaniari, cùm arroditur panis forma, aut deglutitur, quoniam spiritalis existēdi sub pane modus obest, ne à corpore patiatur, nec capax fidei vt sacramentaliter edere possit & intelligere. Imprimis an dicemus versatilem Domini virtutem, atque infirmam secundum locorum varietatem, decorem aut indignitatem? Incredulitas hominum fidem Dei euacuare nequit, vt irritum reddat ipsius verbum, & locorum parùm conueniens honestas, quoties accesserit, toties hominem Christum abigat, & Dei potentiam impediat? Qui non horruit virginis vterum, cuius pudore offensi Marcionitæ & Manichæi filium Dei incarnatum non credebant, si ventrem & belluæ gulam non horruerit, an cum Sacramentariis negabimus Dominum & Deum nostrum, tanquam facinus indignum commiserit, quòd propter nos ad os vsque bestiæ se abiiciat? Cui non fuit locus cum hominibus in diuersorio, quando nascebatur, quia natum expauescimus in stabulo, siue specu, in medio duorum animalium, neque opera eius consideramus, an ideò negabimus cum Iuliano atque aliis Apostatis Christum & Regem nostrum, quasi decuisset eius maiestatem non nisi in aula nasci, & non in caula fastu Principum excipi, sumptibus Imperatorum nutriri, & ornamentis honorari? Tertullianus profectò retundit Marcionem exaggerantem, vt rem indignam Deo, humanæ sortis initia & incrementa, quæ Christus subiit, ac respondet ne quidem nostrum esse obmurmurare Christo nostro, si se belluæ immiscuisset, aut vilissimam atque infimam omnium creaturam assumpsisset. Si re vera (scribit) de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, & feræ aut pecoris corpore indutus regnum cœlorum prædicaret, tua, opinor, illi censura præscriberet? Turpe hoc Deo, & indignum Dei filio, & stultum propterea, qui ita credat. Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum. Sed circunspice, Marcion, si tamen non delesti, stulta mundi elegit Deus, vt cōfundat sapientes, &c. Adhæc Ionas in ventre Cæti incolumis vixit, & ad Dei gloriam viuus indè emersit. Christus plusquàm Ionas hic viliùs tamen quàm Ionas per animam in inferno, & in corde terræ siue sepulchro, per corpus habitauit. Quid fœdius, obsecro, bellua, an infernus quem tribus diebus anima Christi incoluit? Videmur planè ex illis esse iuuenibus, qui dediti carni & carnalibus epulis, metimur omnia ex sensu, nec sapimus, priusquàm edoceamur à Samsonis Dalila, id est, Christi Ecclesia, problema & inauditum paradoxon fieri posse, vt etiam ad literam de comedente exeat cibus, & de amaro dulcedo, hoc est, vt in Leonis ore deprehendatur hominum esca, Domini caro, & in feræ voracitate dulcedo nostra Christus. Quis purior insuper? Iudásne, in quem post corpus Christi (vt scriptura innuit) intrauit Diabolus, an mus, an Leo, quos nō possideat Satan, aut peccatū, sed Deus, qui est omnia in omnibus? Certè Brentius cum assεclis, ad statuendā præsentiam Christi in Eucharistia, humanitatem eius tam latè diffundit, quàm diuinitatem, vt vtraque vbique sit. Cùm diuinitas itaque omnia peruadat locorum spatia, & bestiarum ac ferarum omnia latibula impleat, & indè potiùs augeatur eius maiestas quàm lædatur, quid est quòd repente mutata sententia inter os & offam, atque in solo vsu, carnis existentiam in Eucharistia Brentius defigat, ne si præsens in pane esse perrexerit,

Cur in esu sacramēti à muribus sumatur corpus Christi. Dominic. a Soto in 4. sentent. dist. 12. quæst. 1. Ar. 4.

Cyrill. lib. 3. in Iulian.

Tertull. de carne Christi.

Iud. 14.

xerit, aliquando etiam in muris ore esse possit: Quid piaculi secum affert, id confiteri, quod de diuinitate confessum, nihil de eius maiestate ac dignitate imminuit? Solis radij cœnum ingrediuntur, nec inquinantur, respondebant Christiani Manichæis, quòd pudebat fateri filium Dei de mulierculę sanguinibus incarnatum. Hoc idem sibi habeant responsum Sacramentarij, nec putent Christum, iustitiæ ac mūdi solem, vllis locis contaminari, præsertim cùm iam non moriatur, nec mors illi vltrà non dominetur, sed corpus habeat in sacramento gloriosum, quod nec lædi, nec vllis sordibus aspergi possit. Neque verò ita loquimur, quasi assentiamur Christi corpus verè manducari à brutis, aut eorum carni admisceri: sed quemadmodum Tertullianus inquit à scriptura nominari bestias & pisces in redhibitionem carnis & sanguinis, quo magis exprimatur resurrectio etiam deuoratorū corporum, cùm de ipsis deuoratoribus exactio edicitur: ita magis exprimitur corporis Christi in specie panis præsentia, si etiam cum esu panis Eucharistici ab ipsis brutis caro Domini edi quodammodò concedatur, quia panem affectatur & concomitatur, ne Eucharistiam adhuc saluam, corpore Christi vacuam fateamur. Certè antiquitas ita locuta est in Synodo Arelatensi in hæc verba: Qui benè non custodierit sacrificiū, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Nequaquam tamen suspicati sunt boni illi Patres sacrificium Ecclesiæ comedi à muribus, vt Christi caro, quæ sacrificium dicitur, verè ab ipsis discerpi, confringi atque atteri putauerint, quod ne quidem ab homine fieri fassi sunt. Nequaquam etiā cum suo fructu & effectu vesci animalia corpore Domini somniarunt, vt immortalitatem & incorruptionem, siue mortem & iudicium ipsis afferret. Ne quidem sacramentalem esum rationis expertibus animantibus concesserunt, quibus Dominus nec sacramentum instituit: nec nascuntur, vt habeant partem cum Christo, nec eorum fert natura, vt huius sacramenti vim & vsum intelligant: ideò nihilo plus percipiūt, aut exedunt de corpore Domini, quā alius locus, in quo sine detrimento carnis Dominicæ, panis ac vini species aliquo casu siue aliqua violentia corrumpātur. Sed quoniam actiones, quæ circa species exercentur, propter indiuiduam corporis Christi cum ipsis coniunctionem, quandiu saluæ & integræ supersunt, attribuuntur etiam carni Domini subsistenti in ipsis: ideò si arroduntur à muribus, arrodi caro Domini dicitur: si dentibus arripiuntur à bestiis, & ipsum arripi: si exeduntur, etiam illud exedi: sed vltrà progredi non licet, quoniam tum desinit specierum integritas, & succedit earum corruptio. Nihilominus si propria & vera desideratur locutio, à brutis nullo pacto manducatur in se corpus Christi: quoniam, inquam, nec quicquam ab illis patitur, nec quicquam in ipsis operatur, sed circa solas species feritas occupatur. Corpus tamen Domini in belluarum gula subsistere, quandiu, inquam à sua natura immutatæ permanent species, nos compellit credere ratio scripturis consentanea, ac Patrum authoritas. Nam ex quo accesserit verbū Domini ad panis elementum, fieri oportet sacramentum, duabus rebus constans, terrena specie significante, & cœlesti corpore Christi significato. Effectum verò sacramentum dissolui non liquet ex scripturis, nisi per panis manducationem, aut aliam consumptionem. Quandiu itaque panis natura siue species fuerit superstes, tandiu superesse sacramentum, & corpus Christi adesse oportet. Itaque & vbicunque saluus panis Eucharisticus ostendi potest, siue in cœlo, siue in cœna, siue in homine, siue in pecude, ibi sacramentum esse, ac corpus Christi præsens iudicari & recognosci debet. Nam nulla est in scripturis ad constituendam vel soluendam veritatem Eucharistiæ, locorum, personarum, aut comedentium panem hunc expressa distinctio, per quam internoscamus pro illorum diuersitate abire ac redire, adesse

Basil. de natiuit. Christi.

De cōsecr. dist. 2.

Cur mures sacramentaliter edere nequeant Eucharist.

& abesse ab Eucharistia verbo Domini consecrata corpus Christi. Patres profectò sententiam istam confirmant, qui vbicunque saluas species animaduerterunt, religiosè pro corpore Domini duxerunt. Cyprianus sanguinem Domini non dubitat existimare, qui ex puellæ stomacho per vomitum exiisset, quoniam adhuc appareret vini species. Sanctificatus (inquit) in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Optatus miraculo comprobat Eucharistiam absumptam à canibus, carnem Domini retinuisse, quæ ipsos in vltionem contumeliæ contra hæreticos exagitarit. D. Bernardus non existimat propter morsum muris carnem illam euanescere, sed piè atque eruditè respondet, non vltra species animantium impetus progredi. Tria debes (inquit) in sacramento altaris attendere, speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Vsque ad speciē panis sensus pertingit exterior, ad veritatem carnis fides interior, ad virtutem gratiæ spiritualis, charitas superior. Speciem panis rodit aliquādo sorex paruissimus, veritatem carnis Christianus recipit etiam pessimus, virtutem gratiæ spiritualis non nisi prædestinatus recipit. Quod itaque videmus, species est panis & vini: quod autem sub specie illa credimus, verum corpus est, & verus sanguis Christi, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Patres insuper nefas expiandum existimarunt, si quid de Eucharistia in terram sineretur elabi, & si quid elaberetur, iusserunt honorificè colligi, siue radi, atque inter reliquias reponi, aut comburi. Iusserunt studiosè sacramentum recludi, aut post communionem reliquias à puris clericis aut infantibus exedi, ne per aliquod infortunium fieret contumelia corpori Domini. Ne idem sæpius repetatur, requirantur alia, quæ ex antiquitate citari hîc conueniret: sed ad Tractatum de asseruatione Eucharistiæ remittimus.

Melāth. de vsu integri sacram. Scio Aduersarios post Melanthonem ista omnia vt ridicula ac superstitiosa despicere, & habere ludibrio: sed nos Ecclesiæ Catholicæ per vniuersum mundum diffusæ fidem & religionem, scripturis ac miraculis fundatam amplectimur, & ex ea hæreticorum impietatem detestamur, ac risus despuimus. Interea tamen non alligamus Christum sacramento, quin cùm libuerit, seipsum ac gratiam suam ab illo subtrahat: sed de lege ab ipso lata, ac voluntate, quam scripturis & sanctorum Patrum responsis prodidit, agimus. Sed de ipsius singulari potentia, & ferè quoties legimus ipsum se subduxisse, ne ab indignis sumeretur, toties comperiemus species immutasse, sicuti cernitur in Cypriano illas in cinerem conuersas fuisse: quo in loco Cyprianus scribit, Dominū recedere à sacramento, quoties negatur: quod sanè non intellexit quoad præsentiam corporalem, sed quoad gratiam spiritalem, quoniam in textu alios lapsos commemorat manibus atque ore cepisse corpus Domini, atque etiam comedisse, quorum aliqui ad alios admonendos non impunè tulerint.

Postremò, quòd pedibus conculcant Eucharistiam impij, conspuunt, & indignis modis proterunt, sibi videntur ratiocinari ex patientia iniuriarum Christum ibi non adesse, non tantùm facto, sed sermonibus Iudæis similes, qui Iesum per tormenta explorare voluerunt an esset filius Dei. Gloriatur (inquiunt) patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum. Eadem sanè verba sunt, quibus vlulant effetati canes, & grunniunt Sacramētarij, ac tanquam apri despumant in Eucharistiam, quam tanquam margaritum Domini discerpunt, in Ecclesias ingressi. Beatus ille est, qui non fuerit scandalisatus in humilitate Christi: quam etiam in hoc sacramento abundare Augustinus ait, & iterum post gloriam & exultationem, quasi cum Dauide, iam rege creato simulet insaniam,

Sap. 2. *Psal. 33.*

insaniam, sinat se premi, impelli, opprimi, percuti, lacerari, & omnibus sordibus cõspurcari, vt videamus eum quasi leprosum non habentem faciem, ac ne speciem, quidem panis, quasi vestem sua maiestate dignam, sed cœno, sputo, vermibus, putredine, atque omni immũditia deturpatam ac deformatam. Desinant tamen (praeclarè scribit Guimundus) homines mente corrupti ac putridi corruptelam & putredinem opponere sacramentis Dei: quia sicut assumpta peregrini, & hortulani, vel leprosi species, fidelium negligentiam vel increpuit, vel corripuit, vel fidem dilectionémque probauit, veritatem tamen essentiæ Christi non euacuauit: ita si quãdo putredo, vel aliud simile indecens, in Ecclesiæ sacramentis appareat, ad negligẽtiam ministrorum puniendam vel corrigendam, vel certè ad fidem dilectionémque probandam, vt diximus, valet, veritatem tamen essentiæ Dominicæ carnis & sanguinis euacuare nequit. Proinde ergo nec istas hæreticorum versutias Ecclesia Dei metuat, quæ ipsam etiã totam carnalem in terris dispensationem Domini sui, sibi quidem salutem, scandalum autem semper fuisse reprobis non ignorat. Quoties sanè hæc sacrilegia admissa fuerunt, constantissimè Patres conqueruntur corpori Christi præsenti iniuriam inferri, & scelus Iudæorum sceleri par incurri. Tertullianus de his, qui manibus violant corpus Christi, & indignè attrectant, scribit: *Lib. de idololatr.*
„ Semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus hoc lacessunt. O ma-
„ nus præcidendæ! Optatus verò in Donatistas ita inuehitur: Iudæi manus iniece-
„ runt Christo in cruce, à vobis percussus est in altari. Hîc nõ repetam ex Athanasio, Nanzianzeno, Chrysostomo, Victore Vticensi, Leone Papa, atque aliis, variorum hæreticorum historias, qui similia flagitia perpetrarunt, & ab omnibus rei corporis & sanguinis filij Dei conculcati peraguntur: ac ferè sanè populi, apud quos ista acciderunt, simili cum Iudæis exitio, aut alia insolita graui vltione, non longo tempore post huiusmodi impietatem, animaduertuntur tanti sacrificij luisse pœnas. Habentur illorum descripta testimonia in Liturgiarum Proëmio, & in libello etiam à me edito Gallicè, De Ecclesiarum per hæreticos excidio. Postremò sæpè miraculis Christus comprobauit istas ad se pertinere contumelias, quamuis suum corpus nihil læderent. Ideò ex compuncta Eucharistia sanguis miraculosus, quasi ex naturalis corporis vulnere, non semel ad sceleris indicium fluxisse visus est, quemadmodum fide digni narrant Historiographi, & Theologi disputant. De hac tota contumeliosa in Christum controuersia præclarè contra Berengarianos ita perorat
„ Algerus: Quia (vt ait Augustinus) ideò sacramenta dicuntur, quia in eis aliud vide- *Alger. lib. 2. cap.*
„ tur, aliud intelligitur. Sicut enim in quolibet corpore sine detrimento substantiæ
„ albedo nigredine, vel quælibet qualitas superueniente contraria qualitate dispelli-
„ tur: sic in sacramento Christi, quicquid mutationis, specie tenus, vel formæ, vel cæ-
„ terarum qualitatum, seu soricum corrosione, seu vetustatis mucore, vel quibuscũ-
„ que modis fieri videtur, ad sacramenti substantiam, Christum scilicet, non attinet:
„ quem certissimè scimus incorruptum manere in cœlis, quicquid in eius sacramẽto
„ contingere videatur in terris. Sicut enim in proprio corpore modò hortulanus,
„ modò peregrinus, modò phantasma, prout fides erat intuentium, apparuit: extrin-
„ secus autem alapas, sputa, flagella sustinuit: sic etiam ad probationem fidelium, &
„ scandala infidelium, vsque in finem seculi talia fieri permittet in suo sacramento,
„ vnde electi exerceantur, reprobi indurentur. Dum enim Christus in sacramento
„ occultatus, tantáque sua indignitate dissimulatus, non minus tamen ibi creditur
„ esse, nec minore reuerentia à fidelibus colitur: fides hoc modo probata, dum con-
„ tra hoc quod videt, de Deo sentit, maiora meretur: infidelitas maiori suo scãdalo in-

durata, damnatur, quæ ibi contemnit Christi reuereri substantiam, vbi in repellenda sui sacramenti indignitate, nullam viderit eius potentiam. Sed si ibi Christus vel sine præsentiæ euidentia innotesceret, vel suæ potentiæ miraculis claresceret, quod fidei esset meritum, cui suæ cognitionis tam manifestum daret experimentũ?

REPETITIO SEXTA DE FALSA ET FALLACI DOCTRINA ADVERSARIORVM CIRCA COENAM DOMINI, ET CARNIS EIVS SPIRITALEM MANDVCATIONEM PER FIDEM.

PRÆFATIO,

QVA PROPONVNTVR EA QVAE SVNT SPECTANDA in doctrina Aduersariorum de Cæna Domini.

Quid agendũ Christiano in statu cõtrouersiæ de Cæna Domini.

QVONIAM NOBIS VIDEMVR propulsasse omnes Sacramentariorum, aut saltem validissimos impetus, quos fecerunt in Ecclesiam Catholicam, cui cõnantur veram fidem de sacrosancta Eucharistia eripere, consentaneum est, vt eorum nouam opinionem expendamus. Non satis est aures præbere argumentis contra veritatem Christianam, quam vocant Papisticam: sed multò magis explorare oportet, & diu multúmque cogitare, an sanctioribus ac firmioribus nixam radicibus & fundamẽtis doctrinam substituant, antequàm deserta Patrum religione fidem tuam illis addicas & mancipes, ne aurea ac pretiosa Christi verba & dona æneis commures, & te leuitatis ac credulitatis aliquando pœniteat. Vnde excidas certum habes: quò delabaris attende, ne te præcipitem agas, vnde Dei iusto iudicio nequeas emergere. Memineris Satanam etiam Christo dicere ausum, Mitte te deorsum, vt ad deserendam imprudentiùs stationem sanctam hortaretur, cùm interea securiorem non ostenderet, sed Angelos custodes ementiretur ille, qui sanctæ Ecclesiæ desertoribus nescit subministrare nisi spiritalia nequitiæ. Memineris te à Tertulliano præmonitum, omnes hæreticos egregios esse sanæ doctrinæ euersores, sed nullius, aut eius, quam sibi opinionis errore confinxerint, imperitissimos esse constructores, ita vt inter omnes hæreses bonorum omnium vnum sit votum, & cum Augustino tale suspirium: Vtinam hæc quæstio tot haberet inuentores, quot habet contradictores! Hoc quidem in Sacramentariorum libris & colloquiis semper eram expertus, sed non mihi persuadebam eò impudentiæ progressu-

Quid maximè conẽtur hæretici cõtra sanã doctrinam.

Tertull. de prescript.

Aug. in Proœ. lib. 3. de Trinit.

ros illos, vt iuberent non tam examinari sua, quàm quomodo nostra proscinderẽt, attendi, donec mihi consideranti & indaganti inter multas pugnantias & ambiguitates, quibus huc & illuc aberrat Caluinus, quid tandem decerneret per verbum Dei expressum in cœna Dominica nobis conferri, eò summarum rediit, vt postquam plurima nescio quæ extra rem profudit, quasi raperetur ad tertiũ cœlum, & audiret verba de ipsa cœna, quæ non licet homini loqui, exclamet, Experior magis quàm intelligam: vt Bezas suos & bestias propius montem accedere religione deterreat, iubeátque oraculis quæ ediderit acquiescere, atque attonitos vociferari, Non loquatur nobis Dominus, sed Caluinus. Audiemus omnia quæcũque dixerit nobis: tantũ non loquatur nobis Christus verbis illis, quibus Eucharistiã instituit. Quid enim est aliud quod factitãt Caluinistæ, dum omissa Christi voce, *Hoc est corpus meũ: Accipite, comedite*, occinunt magistri cantilenas de abstractione substãtiæ à carne Christi, de efficacia & vigore ac virtute carnis, de defluuio carnis, & carnali Spiritus ac carnis illius, de inspiratione vitæ & haustu ab eadem carne, aliáque portenta verborum & inuolucra, quæ qui effutiuit, ne quidem intellexit. Postea Bezam video passim fidẽ & religionẽ in puriputo scripto Dei verbo fundare: attamẽ in suo de re sacramẽtaria Asino, postquã quæ potuit refutauit, cũ ventũ est ad constituendam nouã doctrinã seu confirmandã, sine expresso Dei verbo, ac ne quidem verisimili aut apparenti, sua & magistri deliria nudè & audacter dictare miraberis, atque ex depulsione sanæ doctrinæ suam fidẽter asseuerare, Dei opem & fidẽ contestari, atque implorare, ad Dei potentiã eiusdémque tribunal post hoc seculũ prouocare, imaginationis Caluinianę altitudinẽ & profunditatẽ excusare & cõmendare, atque ita sine planæ & simplicis sacræ scripturæ probatione effugere & elabi. Demus falsam esse nostram sententiã, ac ritè ab illis cõfutari: non tamẽ consequitur, quam voluerint obtrudere loco nostræ veram esse, nisi pluribus ac clarioribus scripturis cõprobarint, quàm ostenderimus nostrã. In hoc causæ versatur cardo, in quo torpent Aduersarij: sed quia nec patienter, nec consideratè eorũ scripta & dicta pensitamus, vbi multa garrierint aduersũ nos, & effascinauerint verbositate, maledicẽtia, argutia, oculos lectorũ, quiduis sumũt proponũt, & contendũt per impudentiã verũ esse. Inter Palatinos & Vvirtẽbergenses nouos Theologos & ministros fuerũt theses positæ, atque habitæ disputationes, quod Mulbrunense colloquiũ inscripserũt. Pro Caluinistis assertiones de cõtrouersia sacræ synaxeos emisit Heildebergę Vvielmus Klebitius: in quibus cùm ad apices Caluini nec scripturis nec rationi consentaneos „ peruenit, tanquã axioma cõcludit: Etiãsi pręcisè definiri nõ potest quid sit cœna, a„ liqua tamẽ ex parte dici potest quid non sit. Ita loquitur homo in Caluini schola edoctus, vt audiatur in suis refutationibus, & interim Caluinismi figmẽta hominum iudicio subducat, fucũque pro arbitrio faciat. Gloriãtur quidẽ audacissimè de verbo Domini, sed cũ expressũ ab ipsis quæritur, digrediũtur aliò. Caluinus modò ait suã de cœna opinionẽ scripturis esse cõsẽtaneã, modò scripturas pollicitus ad refellendũ decurrit: modò, quasi dictator aliquis, leges fert sine vlla scripturę sacræ syllaba: modò in Vvestphalũ affirmat, se de cœna Domini nihil aliud quã puriputũ verbũ scriptũ proferre. Cũ verò flagitaretur huiusmodi, sic magistri dictũ mitigat Beza, vt nõ apertè, neque his verbis, quibus asseritur cõtineri in Bibliis doctrinã Caluini, defendat, sed illic haberi eius sententiam sensúmve: ita vt sit Caluino puriputũ Dei verbum, quæcunque falsitas, quam sacris literis potuerit affingere. Experientia semper docuit, hæreticos magno artificio idola sua fabricare, elegantíque tectorio verborũ etiam sacrorũ illinire, vt lupus & diabolus sub ouina pelle lateat: sed fuerũt perpetuò deprehẽsi pauca quędã & obscuriora de scripturis, nihilque aut parũ ad rẽ

Cal. lib. 4. Instit. cap. 17. nu. 32.

Beza in Dial. cõtra Heshus.

Mos hæreticorum

M

in asserẽdis suis dogmatibus.

pertinentia corradere, atque ex his veritati apertissimæ proscribere velle, violentiúsque scripturas planas peruertere & opprimere, non aliter agentes quàm exerescens flumen, cupiénsque liberè per prata & sata, pecoráque & villas vagari ac grassari: si ripis coërceatur, vbique vel minimas rimulas aut foramina vestigat, vbique aggerem pertentat, & quia imbecillissimus est, perrumpere conatur. Quòd si ei contingat, vt primùm vel minimam rupturam reperiat, faciátve, mox ingentem hiatum violenter aperit, & omnia vertit atque deuastat. Sic prorsus isti aut in verbis cœnæ, alicuius tropi occasionem alicunde quærunt, aut in reipsa alicuius spiritalitatis speciem ex incerta & tenebricosa aliqua scriptura indagantur, & postea pro libito de figuris & spiritalitate in omni parte Cœnæ ludunt, ac recta Christi verba & toties repetita variè inflectunt, suísque inuentis seruire cogunt. Veteratoriam illam hæreticorum artem Irenæus ita describit: Aptare conantur his quæ dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut sermones Apostolicos, vt figmentum illorum non sine teste esse videatur. Ordinem quidem & textum scripturarum supergradientes, & quantum in ipsis est soluẽtes, membra veritatis transferunt & transfingunt, & alterum ex altero facientes, seducunt multos ex his quæ aptãt ex dominicis eloquiis malè composito phantasmati. Quomodo si quis imaginem Regis, imaginem bonã fabricatam diligenter ex gemmis pretiosis à sapiẽte artifice, soluens subiacentem hominis figurã, transferat gemmas illas, & reformans faciat ex his formam canis, vel vulpeculæ, & hanc malè dispositam dehinc conformet, & dicat hanc esse Regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricauit, ostendens gemmas quæ benè quidem à primo artifice in Regis imagine compositæ erãt, malè verò à posteriore in canis figuram translatæ sunt, & per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant, & suadeat quoniam hæc turpis vulpecula figura illa est bona Regis imago. Eodem modo & hi anicularum fabulas assumẽtes, post deinde sermones & dictiones & parabolas hinc inde afferentes, aptare volunt fabulis suis eloquia Dei. Deinde profiteri solent hæretici lucem se tenebris inferre, sinéque inuidia arcana Dei detegere, cùm interea nihil aliud studeant, quàm tenebras offundere Christianorum animis & iudiciis, & ambigua quæque concinnare, ait Hieronymus, vt aliter audiat Catholicus, aliter hæreticus: ita vt plus laboris sit insumendum in eruendo dogmate, quàm in refellendo, & ipsum detexisse fuerit magna ex parte conuincere. Irenæus, Tertullianus, atque alij, ob id hæreticos vulpeculas nominãt, qui sibi laribula per anfractus & diuersos exitus effodiunt, aut Sepias, quæ ne intercipiantur, atramento quodam infuscant aquam. Irenæus ita habet: Delectatio autem eorum hæc est, siue aduersus eos victoria, est sententiæ eorum manifestatio. Quapropter conati sumus vniuersum malè compositum vulpeculæ eius corpusculum in medium producere, & apertum facere manifestum. Iam enim nõ multis opus erit sermonibus ad euertendum doctrinam eorũ manifestã omnibus factã. Quemadmodum bestiæ alicuius in sylua abscõditæ, & inde impetum facientis, & multos vastantis qui segregat & denudat syluam, & ad visionem adduxit ipsam feram, iam non elaborabit ad capiendam, vidẽtes quoniam ea fera, fera est: ipsis enim adest videre, & cauere impetus eius, & iaculari vndique, & vulnerare, & interficere vastatricem illam bestiam: Sic & nobis, cùm in manifestum redegerimus eorum abscõdita, & apud se tacita mysteria, iam non erit necessarium multis destruere eorũ sentẽtiam. Tertulliani verò textus est: Sepiæ isti, quorũ figura illud quoque pisculentũ de cibis Lex recusauit, vt traductionem sui sentiunt, tenebras huic blasphemiæ interuomũt, atque ita intẽtionem vniuscuiusque iam proximã dispergunt, iactãdo & affe-

Iren. lib. 1. ca. 1.

Hæreticorum fallacias nosse, ferè est conuicisse.

Iren. lib. 1. cap. vlt.

Tertull. lib. 2. in Marcionem.

asseuerando ea quæ relucentem bonitatem creatoris infuscent. Sed & per istas caligines sequemur nequitiam, & in lucem extrahemus ingenia tenebrarum. Caluinus quidem ea de cœna blaterat, quæ fatetur ne quidem à se intelligi. Eò tamen impudentiæ progreditur, vt audaciùs iactet se non videre, cur tam iniquis iudiciis sua recipiatur de cœna sententia, quæ nihil in se habet quod offendit, nisi quòd seculis aliquot, cùm in Ecclesia (inquit) regnaret Sophistarum inscitia & barbaries, oppressa fuerit. Certè, inquit, scripturis per omnia optimè côuenit, nihil habet vel obscuri, vel absurdi, vel ambigui, à vera pietate & solida ædificatione minimè abhorret. Nouam esse causantur, sed falsò: habet enim multa & firma veterum testimonia, &c. Sed, vt apud Horatium est, Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Quæ fundamẽta suæ doctrinæ iactat Caluinus, quæ vera sunt in contrariũ. Lib. 4. Inst. cap. 17. nu. 19.

Horat. de arte poëtic.

Offendit certè meritò pios quosque hæresis ista omnibus Ecclesiæ seculis explosa & damnata, vt ne quidem habere locum potuerit etiam cùm regnaret in Ecclesia hæresis & barbaries Arriana, quæ solam spiritalem per fidem constituere cupiebat nescio quam cum carne Christi participationem, cùm tamen nihil omninò audiretur de canalibus, defluuiis, aut contrariis haustibus, & abstractionibus carnis Dominicæ. Reliqua quæ ille iactat, si vertas in contrarium, verissima comperies. Pridem enim quæritur vel vnicum de scripturis illorum figmentorum testimonium. Adeò verò omnia perplexa & inuoluta tradit, vt ne quidem ipse intelligat, aut vsquam secum consentiat. Porrò si attenderis fundamenta, quibus superstruit sua deliramenta, pauca de scripturis torquet, eáque incertiora, quàm valeant ad faciendá vllam fidem. Quid verò pietatis, aut solidæ ædificationis doctrina habere potest, quæ Christum non magis in cœna quàm in cœno statuit, quæ Dei potentiæ omnia derogat, & fidei hominum arrogat: quæ ad inania spectra, nulla re subiecta, redigit sacrosancta Christianorum mysteria, & sanguinem noui Testamenti multis modis polluit, atque inutilem ducit, Christúmque ipsum irridet, quasi ea nocte qua tradebatur, artem ludicram de crustulo panis exercuerit, suísque per verba sesquipedalia imposuerit. His describendis eundem ordinem sequemur, quem in prima Repetitione proposuimus. De verborum Christi significatione, quàm variè & ambiguè Aduersarij colludant, in Repetitione illa, atque in tertia tractauimus. Nunc de cœnæ appellatione, & in ea Dominicę carnis præsentia, quam innouant illi, disseremus: tandem de re, quam in cœna contẽdunt recipi, ac de recipiendi modo, déque scripturis & rationibus, quibus insistunt, bona fide acturi.

Huius libri propositio.

CVR NOMEN COENAE PRAEFERANT ADVERSarij, & vt sub eo asserant corpus Christi adesse, & abesse: aliáque multa pugnantia.

CAP. I.

RECTE monuit Apostolus, hæreticos fictis verbis negotiari de nobis, & ostentare speciem pietatis, cuius virtutem abnegarẽt. Quod maximè in ea, quam Aduersarij iactant, cœnæ Dominicæ instauratione perspicitur. Profitẽtur plerúque præsentiá veram carnis Dominicæ in cœna: sed recidit tandẽ in maximá absẽntiá, côiunctionẽ cùm illa nobis realem docent intercedere, sed quę separationẽ potiùs significet, vt exhibitionẽ: quæ elongationẽ & subtractionẽ re vera importet, ac denique perceptionẽ, quæ nihil aliud relinquat, quá summá deceptionẽ. Quominus appareat eorũ fallacia, verbis antiquis & in Ecclesia vsitatis de Eucharistia reiectis ac repudiatis quędam speciosa ac minus assueta sibi faciunt familiarissima, sed quæ omnia sunt ambigua & incerta, vt sub perplexitate dolus & venenũ lateat. Præclarè

Contraria inueniuntur omnia quæ Aduersarij pollicẽtur in cœna: et cur omnia vocabula & genera dicẽdi sequãtur ambigua.

ſcripſit Ariſtoteles, Synonyma ſiue eiuſdem ſenſus vocabula Poëtis, Homonyma verò ſeu diuerſæ ſignificationis voces Sophiſtis & impoſtoribus vtiliſſimas eſſe. Cũ itaque meras præſtigias & impoſturas exerceant Aduerſarij in Cœna explicanda, meritò ac propriè à quibuſdam vocantur Dipnoſophiſtæ, quaſi cœnæ Dominicæ interpolatores, ad quod diligunt & adhibent ambiguas quaſque dictiones & phraſes, ne ſtatim eorum fraus & deceptio internoſcatur. In illis primas tenet ipſa cœnæ appellatio, quam ſemper habẽt in ore, abhorrentes à ſacroſanctæ Euchariſtiæ nomine. Verùm nec illa vox inſtitutioni tanti ſacramẽti propriè competit, nec ex ſcripturis prodit, nec purioribus Eccleſiæ ſeculis frequẽs fuit, nec rei de qua agitur benè poteſt quadrare, ſed ad prę̃ſtigiandũ & illudendũ hominibus aptiſſima eſt, atque ad multiplices errores & fallacias inſtruendas ac nectẽdas ſubtiliſſima. Certè quod tradidit Chriſtus accepto pane & calice, non inſtituit neque diſtribuit in cœna. Nam cœna facta ſurrexit à menſa, poſuit veſtimenta ſua, & cœpit lauare Apoſtolorum pedes, atque ita ad menſam rediit, & ſacramẽtum initiauit. Hoc poſt D. Ioannem Lucas & Paulus his verbis inſinuant: Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, *Hic calix nouum eſt Teſtamentum in meo ſanguine.* Non confecit ſanè panis ſpeciem in cœna, & calicis poſt cœnam. Quod verò Matthæus & Marcus ſcribunt, cœnantibus illis ſiue edentibus accepit Ieſus panem, gratias egit, &c. habet rationem veritatis ex eo, quia ſub finem cœnę geſta ſunt omnia, & menſa nondum remota erat, ſed manebat inſtructa mappa pane azymo, vino, & luminaribus, ſicut altaria noſtra manent adornata, quãdo exhibetur ipſa cõmunio: & quia quod parũ diſtabat à cœna, nihil diſtare videtur. Nõ igitur ſi ad inſtitutionis tẽpus attenditur, propriè cœna dicetur. Sin quia ſub cœnã cœpit, nõ iam ea ratione veniet ita nominanda à nobis, ſed potius ientaculũ, aut prandium, quoniam ferè ab omnibus ante omnẽ cibum cõſecratur & ſumitur, & non amplius ſub cœnã. Neque rectè iudicãt Aduerſarij dici cœnã Dominicã ab Apoſtolo Paulo, pro corporis & sãguinis Dominici cibo: quia cœnã talẽ vocat, in qua vnus ebrius erat, alius eſuriebat, quod nõ cõtingebat de ipſo ſacramẽto. Numquã enim cuiquã permiſſum fuit in Eccleſia de eo tantũ epotare, vt inebriari poſſet: ſed cœnã Dominicã interpretatur, quę publica erat, & promiſcua pauperibus & diuitibus, & de cõmunibus cibis apparata, quãque priuatę opponit, quã quiſque prę̃ſumebat ad manducandũ ſingulariter in Eccleſia, nõ expectatis aliis. Solebãt enim Chriſtiani ſtatis diebus conuiuia publica intra Eccleſias ſuas exhibere, tãquã charitatis ac mutuę fraternitatis teſtimonia ac pignora, eáque vocabant cœnas Dominicas, ſiue quia fierent intra ędes ſacras, quę primi illi Chriſtiani nũcupabant Dominica, ſiue quia celebrarẽtur in memoriam Dominicę erga nos dilectionis & humilitatis, ſiue quia guſtarẽtur ſtatim à perceptione corporis & ſãguinis Dominici, ob ídque tota cœna nominaretur Dominica: ſiue quia cõmunis omnibus bonis & malis, egenis & potẽtioribus ſterneretur mẽſa ad imitationẽ Domini, qui omnes ad menſã ſuã adhibuit, & cũ omnibus cibũ ſũpſit: quę ratio Chryſoſtomo placet. Proculdubiò Apoſtolus apertè dãnat huiuſmodi cœnas agitari in Eccleſia: & quãdo ſubiũgit inſtitutionẽ ſacramẽti, tacitè innuit, aut Corinthios cœnas illas habuiſſe pro ſacramẽto, aut ſacramẽtũ illis cœnis cõmiſcuiſſe: quod etiã vtrúque Apoſtolus improbat, neque illi placuit quacũque ratione cœnas illas vocitari Dominicas: eáque de cauſa poſtea à Chriſtianis nomen Agapes, ſiue Charitatis, acceperunt, & in porticibus Eccleſiæ annexis, aut vicinioribus locis ſternebãtur, ſicut ex Tertulliano, Clemente Alexandrino, Paulino, & priſcis Chriſtianis apparet. Chryſoſtomus atque alij probè viderunt per cœnam Dominicam illas epulas intelligi à Paulo, atque ab Eccleſia expelli. Nuſquam verò Apoſtolus, quod poſt cœnam

Aduerſarij ſunt veri ſophiſtæ circa Cœnam Domini.

Vt Cœna nomen minus conueniat altari ſacramento, et cur.

Qua Cœna Dominica vocetur ab Apoſtolo.

Chryſ. ho. oportet hæreſes eſſe, poſt 1. ad Cor.

Tertull. in Apolog.

Clem. Alex. in Pedagog.

Paulinus in natali felicis Martyris.

cœnam dedit Christus Apostolis, Cœnæ nomine designat, sed corporis Dominici re & nomine insigniẽdum prædicat: vocat Eucharistiam, vocat benedictionem, seu Benedictionis poculum: vocat mensam Domini, vocat fractionem panis, nusquam Cœnam. Primi Christiani has ex Apostolo didicerunt, & frequenter vsurparunt nomenclaturas, atque ex his vnam esse popularem, & quasi propriam voluerunt, vtpote Eucharistiam. Porrò alimentum hoc (inquit Iustinus) apud nos appellatur Eucharistia. Irenæus idem restatur, & ait: Quando mixtus calix, & fractus panis percepit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Et quemadmodum qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Alia quidem vocabula huius sacramenti occurrunt apud primos scriptores, sed rarò Cœnæ Dominicæ voce delectantur. Ignatius semel, vt opinor, voce illa vtitur. Sermo quidem, siue tractatus Cypriani De Cœna Domini inscribitur: sed dubito an talis inscriptio à Cypriano data fuerit, an potius Sermo in Cœna Domini titulum habuerit, quemadmodum Sermo Bernardi eiusdem argumenti inscribitur, quoniam habitus fuit in die Iouis sancta, in qua Christus sacramentum hoc instituit. Certè Cyprianus nec in toto sermone, nec alibi, Cœnæ Dominicæ mensionem facit: aliquando Dominicum simpliciter nominat, nusquam Cœnam, communiter verò Eucharistiam. Augustinus aliquando à Cœnæ dictione non abhorret: attamen inter Christianos vsque ad nostra infœlicia tempora vox illa numquam potuit inualescere, aut vsum obtinere, tãquam profanum qnid potius quàm sacrum sonans. Ambrosius sanè appellationem repudiat, quia non pro Cœna Eucharistiam Christus constituerit, tametsi constitutio eius fuerit in Cœna promulgata. Neque si rei Eucharisticæ natura & dignitas spectatur, satis nominatione Cœnæ Dominicæ declarabitur. Cœna enim etiam Domini generaliter comprehendit typicas & vulgares, spiritales & cœlestes epulas, quibus Christus Apostolos aut populum pauit, aut se refecturum beatos metaphoricè in scripturis pollicetur: & ambigua vox est ad enuntiãdum cibum ipsum, apparatum, aut eius vsum & esum: quemadmodum in Euãgelio scribitur, hominem fecisse cœnam magnã, de qua ex vocatis nullus gustauerit: aut etiam conuocatorum numerum & cætũ connotat ex etimologia nominis, quæ aliquid commune pluribus subindicat. Alij etiam extendunt ad temporis cibo capiendo deputati spatium, & inde venire, aut abire, aut aliud agere sub cœnam vel à cœna vulgò fertur. Nullus autem horum significatuum satis exprimit quid Christus propriè & præcipuè in hoc sacramento gessit & dedit. Nam potissimùm quæritur de re & natura cibi, quem Christus in ista Cœna apposuerit, quæ Cœnæ etiam Dominicæ appellatione parùm explicatur & commendatur. Deinde præter illas huius vocabuli amphibologias & flexibilitates, nostræ tempestatis hæreticos omnes videmus illo impendiò delectari, sicut admonemur à Patribus, moris esse Satanæ ministris ambigua quæque sectari, & obscuriora lucidioribus anteferre, vt sagittent in obscuro rectos corde: neque alia de causa experimur omnes nostros Aduersarios vocem illam aliis anteponere, quàm quòd existiment hæresibus suis inde aliquas suppetias ferri, & fortassè ob id ab Apostolo & priscis Christianis, atque his qui post exortas de veritate corporis & sanguinis Domini in sacramẽto dissensiones vixerũt, de sermone Christianorum talis appellatio explosa est. Proculdubiò ex Cœnæ Dominicæ nota pugnãt ferè omnes, qui aliquã hæresim cõtra Catholicã huius sacramẽti administrationẽ inuexerũt. Sunt qui censent ex cõnotatione temporis in Cœna, nõ nisi vesperi ipsam esse celebrandã. Ioãni à Lasco videtur, non nisi multorum accubitu in eadẽ mensa ipsam ritè fieri, quia nõ

Quibus nominibus primi Christiani vocarunt, quam Aduersarij vocant cœnam Dominicam.

Iustin. Apol. 2. ad Anton.

Iren. lib. 4. cap. 34. & lib. 5.

Cypr. de lapsis. & de eleemosina.

Ambr. in cap. 2. 1. ad Cor.

Quare cœna dominica non propriè significet Eucharistiã.

Quàm varia cœna significet.

Quare hæretici appellatione cœnæ gaudeãt.

aliter Cœnæ ſpeciem habeat. Lutherus atque eius aſſeclæ, Miſſas angulares & priuatas, atque alij ad decumbentes ægrotos Euchariſtiæ delarionem putant ab Apoſtolo damnari, quaſi iam non ſit Dominicam Cœnã edere, cùm vnuſquiſque ſuam Miſſam aut Cœnam facit, & quia Cœnæ nomine multitudo hominum venit intelligenda. Alij non niſi in panis & vini vtraque ſpecie communionem rectè præberi volunt: quia non verè cœnetur, niſi bibatur ſicuti editur, & ne Cœna canina de Dominica reddatur. Omnes Lutherani, Bùcerani & Cingliani, qui opinantur corpus & ſanguinem non niſi in vſu & eſu ſacramenti cõſiſtere, & percipi, indè confirmãt, quòd Cœna actionem & manducationem ſignificet. Iam verò quis non ad Caluiniſtarum obſtupeſcat præſtigias, ex vna Cœnæ Dominicæ appellatione, quaſi deluſoria virgula conflatas? Cœnam Caluiniſtæ ſacramentum eſſe credũt: ſed quid tum per Cœnam intelligãt, dubitatur: an panem & vinum, quæ tam ſæpè docent eſſe ſacramenta & ſymbola corporis & ſanguinis Domini? Certum eſt non ipſas naturas panis & vini etiam cum Chriſti ad ſignificandum inſtitutione à Caluiniſtis Cœnam dici, ſed fortaſſè eſum & vſum panis ac vini ſecundum ritum à Chriſto præceptum. Verùm eo pacto Cœna non erit ipſis ſacramentum, quia eorum regula ſacramentalis & metonymica cogit, vt ſacramentum & ſignum recipiat nomen ſignati, & ſignatum non auerſetur nomen ſigni. Proindè cùm protulerit Chriſtus, vt interpretantur illi, de ſacraméto & ſigno, *Hoc eſt corpus meum*: ſi Cœna, ſiue actio aut manducatio panis & vini eſt ſacramentum, & ſymbolum corporis & ſanguinis Domini, rectè pronuntiabitur, Cœna eſt corpus Chriſti, & corpus Chriſti eſt cœna: quemadmodum apud illos dicitur, Panis eſt corpus Chriſti, & Corpus Chriſti eſt panis. Deinde numquam ab ipſis extorquebis, vt concedant, corpus & ſanguinem in ſacramento ſeu in ſymblo panis & vini realiter & ſubſtantialiter adeſſe: imò ne audies quidem ex ipſis in eſu & vſu panis & vini illa adeſſe re vera. Liberè verò profitentur, & iactant illa verè, realiter, & ſubſtantialiter in Cœna, & Cœnæ vſu intereſſe & ſumi. Non igitur apud illos eadem ſunt Cœna Dominica, & Sacramentum corporis ac ſanguinis Domini. Propterea, ſacramenta eſſe ſigna & actiones viſibiles atque externas, inter omnes eſt in confeſſo: at Caluiniſtæ Cœnam aiunt eſſe actionem cœleſtem, & homini internam per fidem mentem euehentem in cœlum. Ideò nec ſacramentum Cœna dici poteſt, nec viciſſim Cœna ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, ſiue ipſum conſtituas in ſignorum ac rerum exiſtentia, ſine in actione & exercitio. Quamobrem perperàm omnes Aduerſarij pro ſacramento nomen Cœnæ oſtentant & vſurpant. Nam aliquando ſacramentum hoc, & Cœnam Domini, idem ſonare agnoſcunt: aliquando verò Cœnæ ſacramentum nominant: plerumque Cœnam cœleſtem à terrena ſeparant, & iſta corpoream hominis actionem in ſumendis pane & vino complectuntur, illa verò mentis raptum in cœlum, vbi corpus Chriſti ſitum, fide contingunt. Ex qua Cœnæ ambiguitate, quaſi quibuſdam præſtigiis oculos & animos imprudentium hominum effaſcinant, corpúſque ac ſanguinem Domini modò adeſſe, modò non adeſſe verè, reipſa, ac ſubſtantialiter præſentiſſimum in Cœna teſtantur: quia quando affirmant adeſſe, neſcio quam cœnam cœleſtem ſomniant: quando non adeſſe prædicant, de terrena intelligunt. Aliquando diſtinguunt Cœnam à Cœnæ vſu, & in hoc ſubſtantialiter eſſe & percipi corpus Chriſti faciliùs admittunt, quàm in Cœna. Aliquando fidenter aſſeuerant corpus & ſanguinem reipſa & ſubſtantialiter ſumi in Cœna, non aſſentiuntur tamen adeſſe ibi eodem modo. Aliquando veritate oppreſſi & conuicti, annuunt veriſſimum Chriſti corpus in Cœna adeſſe & percipi, ſed duplicem modum præſentiæ & manducationis tum ſubiiciunt, ſpiritalem vnum, & alterum

Caluiniſtarum ambiguitates ſub nomine Cœnæ.

Malè Aduerſarij Cœnam pro ſacramento dicunt.

Ex ficta amphibologia de duplici Cœna, Aduerſarij aſſerũt adeſſe & abeſſe corpus Chriſti in cœna.

Argutiæ Caluiniſtarum in varijs generibus loquẽdi de

essentialem. Ista verò omnia plena sunt amphibologiis, argutiis, & fallaciis ac contradictionibus: nec minus ineptè aliquando Cœnæ sacramentum vocāt, quia quid tum sacramenti vocabulo & Cœnæ significent, nemo facilè diuinarit. Si panem & vinum vox sacramenti designat, an illa sacramenta sunt & symbola actionis, quæ in ipsorum esu exercetur, & quam Cœna enuntiat? Si verò non panis & vini natura, sed esus eorum & vsus dictione sacramenti effertur: esus ergo exterior erit signum suimet & sacramentum, cùm per cœnam illemet intelligatur: aut Cœnæ prolatio nihil corporeum & externum putabitur, sed nescio quod animi figmentum, ac planè internum negotium. Hîc autem Caluinistæ verè se præ aliis gerunt Diprosophistas, siue Cœnæ Dominicæ caupones & interuersores. Caluinus itaque profitetur nobis offerri, exhiberi, percipi in Cœna carnem Domini verè, reipsa, realiter, & substantialiter, siue in ipsa substantia. His enim dictionibus vtitur, sicut allegamus ex ipso in Examine doctrinæ eius de Cœna Domini. Nec in suis scripris Beza ab illis formulis abhorret. Cùm ex ipsis audirentur huiusmodi locutiones, Catholici & Lutherani colligebanr ita: Si offertur, exhibetur & percipitur corpus Domini in Cœna, ergo in ipsa præsens adest: quia valet ratiocinatio à propositione de tertio adiacente ad propositionem de secūdo adiacente affirmando. Et eo modo quo offertur & percipitur in Cœna, eo modo sit in ea oportet ex eadem ratiocinandi regula. Nec certè fieri potest, imò nec fingi, vt alicubi res exhibeatur certo modo, quin ibi prius eodem adsit. Nam si non adest verè tum cùm exhibetur, & eo modo quo exhibetur, ne quidem cogitatione assequi possumus nihilominus verè & reipsa exhiberi. Sunt igitur antitheta & pugnantia, corpus & sanguinem Domini reipsa præberi in Cœna, & in eadem non esse præsentissima reipsa: & perinde est, ac si res eadem cum Heraclito esse & non esse, & cum Epicuro vnius & eiusdem modi ac rationis enuntiatio vera esse ac falsa defendatur. Cùm sentiret Caluinus ex concessa tali participatione cum aliis Philosophis inter se contraria loquentibus suo se singulari gladio, nonnumquam videtur assentiri, carnis Dominicæ significatæ veritatem illic adesse certò, vbi sunt signa & symbola à Domino instituta, & aliis dicēdi generibus ad præsentiam realem corporis Dominici in Cœna accedere, sed tantùm deprecari & auersari ipsius corporis impanationem. Beza quoque scribit, non longiùs à se carnem & sanguinem à Cœna submoueri, quàm ipsa symbola: & in Colloquio Pissiaceno edita confessionis formula testificatur se credere in vsu Cœnæ Dominicæ verè, reipsa, substantialiter, seu in ipsa substātia verum corpus & sanguinem Christi esse ac sumi à fidelibus spiritali & ineffabili modo. Propter illam præsentiæ & perceptionis necessariam consecutionem, non dubitarunt eius sectatores præsentiam carnis Dominicæ in Cœna collocare, & collocatam à Caluino asserere. Ioānes à Lasco ex Polonia nobilis Baro ita loquitur: Hác quam modo agnosco Christi in Cœna præsentiam etiam corporalem, libri nostri testificantur à nobis expressè semper agnitam fuisse, maximè epistola illa ad Regem meum missa, in qua iuxta Confessionem Augustanam confiteor, vnà cum elementis Cœnæ re vera exhiberi, & verè à nobis percipi verum Christi corpus & sanguinem. Quo enim pacto verè exhiberetur, aut verè perciperetur cum pane Cœnæ corpus Christi, si Christus Dominus corpore etiam Cœnæ suæ non adesset? Neque Caluinus dissentit à Luthero, Vvestphalo, & eorum Ecclesiis, quoniam affirmant Christum in sacramento communionis etiam corpore suo substantialiter adesse, & omnes nos cum Caluino idem sentimus, modò absit calumnia: sed discrepamus in eo, quòd illi in pane Cœnæ includunt, siue connectunt, siue vt immensum expandunt. Numquam negauimus Dominum Christum in communione Cœnæ, vbicunque cele-

Caluin. Instit. lib. 4. cap. 17. num. 19. Cōtra Vvestph. & Heshuß. & in cap. 2. prim. ad Corinth.

Si verè percipitur in Cœna corpus Christi, ergo in ipsa adest. Arist. lib. 2. de interpret. cap. 1.

Quomodo res quæque recipitur, eo modo ibi est.

Cic. de fato. Arist. lib. 4. Metaph.

Cal. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 10.

Coguntur Caluinistæ aut cōtradictoria ponere, simul vera, aut realē præsentiam corporis Christi in sacramēto concedere.

A Lasco contra Vvestph. ann. 1560.

bretur, offerre ſuis corpus ſuum & ſanguinem, & adeſſe corpore ſuo re vera Cœnæ: Neque dicimus à vobis fieri corpus Chriſti infinitū, ex eo quòd aſſeratis Chriſtum corpore ſuo præſentem eſſe Cœnæ ſuæ, & eodem corpore paſcere Eccleſiam, ſed propter immenſam deliteſcentiam eius in pane & corporali porrectione. Hic Alaſco ex Anglia quaſi claſſem aut coloniam Caluiniſtarum in Germaniam deduxit, tum cùm Regina Maria Catholica Philippo Hiſpaniarum Regi nupta, regnum Anglicum hæreticis repurgabat. Hi poſt varios caſus & errores tandem nacti ſunt Francofurti ſedem & Eccleſiam, vbi de ſua Religione inquiſiti, profeſſi ſunt, Chriſti corpus & ſanguinem verè, realiter, & eſſentialiter adeſſe in Cœna: ſed recuſarunt affirmare ſubſtantialiter, ſeu in ſubſtantia, quia modum præſentiæ denotabant. Petrus Viretus colloquia edidit De ſumma doctrinæ Chriſtianæ. Cùm ventum eſt ad Cœnam Domini, interrogat, Nihilne percipimus in ea pręter panem & vinum? Reſpondet, Imò aliud. D. Quidnam cum illis? R. Verum corpus Chriſti & ſanguinem vnà cum ipſis. D. Quonam pacto poſſumus iſta percipere in ipſa cœna, ſi non adſunt? R. Non dico non adeſſe verè in ipſa Cœna: alioqui vera cœna Ieſu-Chriſti non eſſet. D. Quomodo ergo intelligis? R. Quamuis negem corpus Chriſti & ſanguinem adeſſe materialiter & carnaliter, non nego tamen exhiberi & percipi verè ſpiritaliter, ſicut hoc ſacramentum reſtatur. D. Non negas ergo pręſentiam veri corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœna. R. Abſit. D. Quid ergo vis dicere in ſumma? R. Volo dicere tantùm, modum huius præſentię non eſſe carnalem aut materialem, ſed ſpiritualem & diuinum. Ex his, conſtat, adigi Caluiniſtas ad confeſſionem repugnantię & contradictionis, niſi ſtatuerint pręſentiam corporis & ſanguinis Domini in cœna eodem planè modo, quo ipſorum manducationem & participationem in illa fieri dixerint. Nunc indagemus, quibus cuniculis conentur elabi, & pręſtigiis illudere. Quando in Examine doctrinæ Caluinianæ de cœna premebam Bezam, ex formula confeſſionis quam dederat Piſſiaci, quaſi fateretur realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinē Chriſti in cœna, in Apologia non repudiat formulam ſuam, ſed loquor (inquit) de vſu cœnæ, non de ſymbolis: vt aliud intelligamus apud ipſum ſignificare cœnā, & aliud cœnæ vſum, cùm plerunque Caluinus & aſſeclæ indifferenter dicant in cœna adeſſe & percipi corpus & ſanguinem Domini. Attamen cùm emendatiùs & aſtutiùs volunt effari, tum non in cœna dicunt, ne videantur etiam actionem terreſtrem, & ſymbolorum vſum complecti, ſed mentis verſantis in cœlo cogitationem ſuis myſtis & hominibus per cœnæ vſum deſignant. Hęc eadem aſtutia in Ioanne Alaſco deprehenditur, cùm ait, ſępè in vſu cœnæ & cōmunione, vt explicet quid Cœnæ nomine ſubinnuat, quoties ea vtitur & carnis Dominicæ in ea præſentiam conſtituit. Addidi in Examine me neſcio quid ſuſpicari ex illa Bezanæ Confeſſionis formula de cœna cœleſti, quam ab ipſis confingi aſtutè videbam. In Apologia me inſectatur, quaſi dixerim ab illo negari, id cœnam eſſe, quod inter homines ex Chriſti præſcripto geritut. Impudens (inquit) mendacium. Sed ſi præcipua ſui parte illam actionem cœleſtem eſſe dixi, quoniam videlicet corda ſurſum per fidem ſunt attollenda ad rem ipſam, id eſt, ad Chriſtum in cœleſtibus, non autem in terra, quoad carnem attinet poſitum, an propterea externam actionem vel ſuſtuli, vel cœnæ Domini nomine ſpoliaui? Quorſum illud ſurſum corda boâtis, ſi hanc actionem, quamuis in terris celebretur, penitùs aut potiſſimùm terreſtrem eſſe vultis? An temerè ſcripſit Irenæus, duabus rebus ſacramentum hoc conſtare, vna cœleſti, altera terrena? Vis etiam aliquid magis perſpicuum? Audi ſaltem Chryſoſtomum declarantem, cur hæc menſa non ſit Graculorum, ſed Aquilarum. Idem libro tertio De ſacerdotio: Etiámne

Scriptum def. ediderunt ann. 1562.

Viretus edidit ann. 1559.

Cœnam pro actione & cogitatione mentis verſante in cœlo capiunt.

„Etiámne(ait) inter mortales versari, atque in terra consistere censes? an non potius „in cœlum euestigiò transferris? an nô carnis cogitationem omnem abiiciens, nudo „animo, mente pura circumspicis quæ in cœlo sunt? Certè tum nihil minus cogitabam, quàm à Beza negari, cœnam esse actionem illam externam: sed præter eam, alteram ab illo statui putabam, quam cœlestem appellaret: ita vt duas cœnas à me iudicaretur eodem temporis momento facere & edere. Sed postea inspectis eius tanquam sibyllinis libris accuratiùs, perspexi, quoties adesse, vel percipi, vel manducari corpus & sanguinem in cœna apud suos legeret, non aliter cœnam interpretari, quàm pro animi in cœlum abreptione, ita vt apertissimè inficias iret, cœnam esse „quod inter homines geritur. Dicimus(ait) corpus & sanguinem non abesse à cœna, „cuius omnia mysteria nos subuehunt in cœlos vsque, vt ibi amplectamur fide rem, „id est, verû Christi corpus: Non dicimus tamen corpus Christi adesse in pane, quia „modo est in cœlis, quò nos sacramentum reuocat. Non negamus ipsum corpus „Christi & sanguinem offerri & exhiberi in cœna, sed dicimus exhiberi in cœlis, & „fide apprehendi, sicut & sacramenta ipsi coniuncta testificantur in terra. Caluino „obiiciebat Heshusius: Si in cœlo est corpus Christi, non est igitur in cœna, sed „symbola duntaxat. Respondet, Quasi verò cœna veris Dei cultoribus non cœlestis „sit actio, vel quasi vehiculum, quo mundum transcendant. Hæc si pro veris habentur, duas cœnas diuidere oportet, & in sola cœlesti reponere Christi carnem & percipere re vera. Sunt enim diuersissimæ actiones, quæ obiectis & organis toto genere discrepant, neque vna ex talibus dici aut fieri potest, sed actio mentis & fidei circa carnem Domini positam in cœlo, & actio corporis nostri circa panem & vinum in terra varia spectant obiecta, & à variis exercentur subiectis: non igitur vna actio ex his rectè & propriè coalescere potest. Deinde actio illa interna nec cœna, ac ne quidem actio sacramentalis ritè censeri potest: ideò vna & eadem cum externa reputari non debet. Nam vt sacramentum, ita sacramentalem actionem, verbum visibile, seu quid conspicuum externum, & quod sub sensum cadat, existimari ex definitione necesse est. Idcircò Cœna illa cœlestis & interna alia est à sacramentali, nec eadem haberi potest cum sacramentali, aut cœna, quæ sacramenti vices obeat. Præterea diuelli à se inuicem numquam possent, si vnicam actionem & cœnam constituerent. At seiungi frequenter Caluinistæ docent, quàdo vno tempore symbola sumi contingit sine motu fidei, qui præcessit, aut postea succedit, & Christum complectitur. Quòd si esus externus symbolorum, & internus impetus mentis ac fidei in Christum, efficerent vnicam cœnam & actionem sacramentalem, non dicam impij & infideles, sed etiam alioqui indispositi, aut non satis attenti vel feruentes, vel de cœlestibus regionibus, vbi Christi corpus iacet, parùm cogitantes, non solùm priuarentur Christi corpore, sed nec in eorum cœna adesse, nec cœnam Domini fecisse putarentur, nec Caluinistæ distinguere possent inter communicantes, vt aliqui tantùm sumant sacramentum & cœnam sacramentalem, qui fide non petunt corpus Christi in cœlo: alij verò fide alacres capiant ipsum corpus, si ad integritatem & rationem cœnæ sacramentalis & Dominicæ requiratur illa actio cœlestis. Adhæc quæ inscitia, seu potius impudentia Bezæ est, Irenæi dictum de Eucharistia constante duabus rebus, interpretari pro cœna, seu actione quæ fit in cœna, cùm Irenæus expressè de symbolis scribat, panem percipientem verbum & vocationem Dei, fieri Eucharistiam constantem duabus rebus, terrena & cœlesti. Neque absimilis est imperitia, rem cœlestem non putare, nisi actonem quæ fit in cœlo, aut rem quæ fit in cœlo defixa. Pergamus Caluinistarũ technas de cœnæ nomine aperire. Sic vocant non solùm cœlestem illam actionem, sed sæpè id quod inter

Duplicem cœnã simul Caluinistæ statuunt: vt in vna esse et in altera nõ esse, intelligant corpus Christi. Beza in Hesh.

Cal. in Heshuß.

Cœna cœlestis nõ est actio sacramẽtalis nec verè Cœna.

homines ex Christi instituto agitur, atque hoc factitant, vt suis præstigiis viam muniant, atque affirment vel negent impunè corpus Domini re vera esse & sumi in cœna. Nam cùm deprehenduntur in negatione, de terrestri Cœna se excusant: si affirmatio exciderit, aut ad inescandos homines vltrò oblata fuerit, de cœna cœlesti gloriantur. Sed cùm cœna cœlestis nulla sit, aut saltem sacramentaria haberi nequeat, nec corpus Christi iuxta Aduersarios vllo pacto adsit in eo quod inter homines geritur, concludamus oportet nusquam Christi corpus ex Caluinistarum responsis in cœna sacramentali versari, & tantùm nomine tenus apud ipsos Dominicam cœnam celebrari. Nam qua ratione quod inter homines fit, merebitur cœna Domini dici, cùm neque in rebus quas ibi edunt homines, neque in ipsa actione inter homines obita, caro Domini sit, & percipiatur re vera, ac ne quidem spiritaliter per fidem? Proculdubiò sicuti re vera non est secundum illos nisi in solo cœlo, ita nec re vera capi potest nisi in solo cœlo: Igitur nec in rebus terrenis, nec in omnibus quæ geruntur inter homines, re vera adest, nec sumitur. Scio Caluinistas illudere ex cœnæ terrestris vsu, quasi in ipso sistant realem carnis præsentiam, & sumptionem admittant: sed ex amphibologia fallunt, quia vsum intelligunt, non esum terrenarum rerum, sed temporis spatium, quod in actione & esu panis ac vini consumitur, intra quod mentem sursum attolli iubent, & ibi Christi carnem fide prehendere. Quòd si in ipso esu, & actione quæ cernitur in terra, concederent carnem Domini re vera assistere & percipi, tum certè necessariò sequeretur, carnem Domini alibi re vera inueniri & sumi quàm in cœlo. At ne quidem in ista terrestri cœna spiritaliter per fidē corpus Christi attingitur: quia sicuti Caluinistis placet, actio fidei & mentis non exeritur inter homines in terra, nec ibi reperit aut pertingit suū obiectum, sed in ipso cœlo exercetur circa præsentissimum ibi corpus Domini. Frustrà ergò cœnæ Dominicæ titulo honoraris externam manducationem, cùm non propiùs Dominum & Christum assequatur, quàm alia quæuis ciborum cōmunium manducatio, quæ in terris perficitur. Hîc etiam Caluinistę insigni contradictione inuoluuntur. Scribit Caluinus istam piis tenendam regulam, vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent. Idem toties clamitat, signa non à se statui vacua, sed cum ipsis veritatem copulari. Eadem Beza, neque lōgius remoueri à cœna rem significatam, carnem ipsam scilicet, quàm ipsa symbola tradit. Nos autem pugnare arbitramur, rem ipsam carnem Domini non propius accedere ad signa, aut ad eorum vsum in cœna, quàm antea erant (quandoquidem manet in eodem loco cœli vbi prius erat) & tamen veritatem ipsam per cœnam symbolis connecti. Aut enim duplicem cœnam distinguunt quarum vna cœlestis sit, & re potiatur sine symbolis quæ subsident in terra, ideóque cœna non est: & altera terrestris, quæ symbolis abundet sine re quæ cœlo continetur: aut vnicam cœnam componunt ex duabus rebus quàm longissimè toto cœlo & terra disiunctis, & duabus actionibus æquè distractis & dislocatis. Quænam verò per has actiones fit symbolorum & rerum vera copulatio, aut quæ arctior & maior, quàm quæ ante cœnam erat, & sine cœna manet? Quòd si connexio costituitur in eo, quòd per illas duas actiones duæ res vno tempore & momēto arripiantur, licet quidem actiones tempore sint coniunctæ, non tamen re coadunantur, neque res quæ arripiuntur, ob id magis inter se, aut vna alteri propius annectitur, aut minus abest ab altera. Contrarietas igitur & repugnantia in eo cernitur, quòd in cœna verbo concedant cohærere res & symbola, neque longius abesse à cœna rem ipsam, quàm absint symbola: ita vt benè subductis, rationibus, nec res cœnæ, nec rationes propiùs coniungantur, quàm cœlum & terra. Caluinistæ ne irretiantur

Ex Caluinistarum cōfessione Christi corpus nullo modo est in Cœna sacramentali.

Fallacia Caluinistarum de vsu Cœnæ.

Ne quidem spiritaliter Christus est in Cœna Caluinistarū.

Alia contradictio Caluinistarum.

retiantur hoc laqueo, duo prætexunt. Distingunt de variis generibus coniunctionum, de quibus aliàs. Distingunt etiam de variis modis præsentiæ. Sic enim habet Caluinus: Nos indignè grauant, ac si doceremus panem esse signum absentis corporis: quasi non articulatè pridem commonefecerimus lectores de absentia dupli-ci, vt scirent corpus Christi abesse quidem loco, sed spiritali participatione nos frui, quia omnem distátiam superat eius virtus. Quum audimus ascensum Christi, protinus nobis in mentem venit eum procul à nobis remotum esse, & est etiam quoad corpus & humanam præsentiam. Paulus autem admonet ita subductum fuisse corporali præsentia, vt omnia tamen impleat, nempè spiritus sui virtute. Ego quamuis substantia carnis animas nostras verè pasci fatear, substantialem præsentiam, quam imaginatur VVestphalus, non minus hodie quàm tum repudio. Beza verò ait: Hoc affirmo, neque istos (Germanos intelligit) qui vestris quoque in nos flabellis excitãtur, neque vos ipsos transsubstantiatores quicquam amplius in cœna Domini cõstituere posse, quàm statuerit ex Dei verbo Caluinus, quamuis alium præsentiæ & perceptionis modum & vos & illi ponatis. Quum autem hanc alimoniȩ rationem, de qua nunc agimus, spiritualem esse constet, & quidem spirituali æternæ vitæ destinatam, quî fit, vt spiritualis modo præsentiȩ non contenti, essentialem, præterea ipsius realem nescio quam prȩsentiam ac manducationem, fidei analogiæ ex diametro repugnantem, adeóque prorsus altera posita superuacaneam somnietis? In Heshussiũ inquit: Quatenus dicamus Christi sanguinem & corpus Christi abesse, iá antea sum testatus: Hactenus videlicet, vt sciamus nũc illa in cœlis, & non alibi, nos autem in terris & non alibi, & tamen virtute spiritus fieri, vt corpore & sanguine Christi pascamur, quia fidei est præsentissimum, quod tanto locorum interuallo est disiunctissimum. Alibi scribit: Abesse igitur corpus Christi & sanguinem tanto interuallo dicimus, quanto abest terra ab altissimis cœlis. Ex his perspicitur, tolli ab ipsis realem carnis Dominicȩ præsentiam: hícque conuincuntur, iam non ab ipsis Cœnam accipi pro actione cœlesti, quoniam in ista caro illa residet in substãtia, in qua sedet in cœlo. Propterea sicut non dubitant fateri in Cœna tali realiter interesse corpus Christi, ita nihil ipsis imminet periculi, si etiam admiserint in illa naturaliter corporaliter adesse, quia etiam hoc modo cœlo concluditur. At in terrestri Cœna, ne quidem spirituali illo, ac sine re subsistente modo, qui à Caluinistis ponitur, aderit, quoniam vbicunque est tali modo, aut sumitur, id totum efficientiæ & actioni fidei debetur. Atqui per ipsos actio fidei, quamuis ab homine prodeat, tamẽ versatur in cœlo, nec inter homines perficitur: idcircò nec fides præsentem Christum inter homines sistit, aut capit. Nec suis distinctionibus Caluinistæ declinant obiectam repugnantiam, quoniam non re vera, ac ne quidem spiritali modo, ex ipsorũ sententia, caro Christi symbolis copulatur: quoniam fides carnem illam loco non dimouet, nec actio fidei symbolis hæret aut insistit, sed ab ipsis tam longè recedit, quàm est cœlum à terra, & caro sita in cœlo à pane & vino in terra. Quamobrem frustrà de calumnia nos illi accusant, quasi improbè à nobis iudicẽtur, nihil in Cœna ponere præter panem & vinum, cùm ex scriptis & cõfessis non magis Cœnæ admoueant carnem Domini, quàm cœlum ipsum. Frustrà causantur à se signa vacua rebus significatis non reponi in Cœna, cùm tam sint ipsis vacua quàm cœlo ipso: cùm ex ipsorum sententia priùs oporteat cœlum nobis & signis applicari quàm possit caro Christi ibi affixa, re vera contingi, aut etiam spiritali modo per fidem.

Alia fallacia Caluinistarum de duplici præsentia.

Cal. in Heshuß.

Cal. in epist. ad Ephes.

Cal. in 2. defẽs. in VVestphal.

Beza in Apologia contra Examen.

Caluinistæ tãtum abesse à sacramẽto corpus Christi aiunt, quantũ cœlum à terra: ac iam Cœnam non vocant actionẽ cœlestẽ. In summa de sacramento.

In Cœna cœlesti corpus Christi omni modo carnali est, idcò nihilo plus distinctione de modo. In terrestri cœna ne quidem est spiritali modo.

Distinctiones caluinistarum nihil eos iuuãt.

Cœna Caluinistarum est purus panis.

AMBIGVITATES ADVERSARIORVM DE RE QVAM dicant in Cœna sumi, & de modo spiritali per fidem. CAP. 2.

QVEMADMODVM ex cœnæ dictione præstigias agunt Aduersarij, ita alia omnia apud illos ferè sunt incerta atque ambigua, vt ludificentur potius simpliciores, quàm quicquam certi credant, aut definiant. Vulgò magnam sibi fieri iniuriam & calumniam conqueruntur, quasi negent verum Christi corpus à fidelibus in cœna sumi. De re sibi nobiscum optimè conuenire etiam atque etiam testantur, sed de modo solo contentionem & controuersiam restare, nec tanti esse modi diuersitatem, vt propter eum scindi debeat Ecclesia, charitas & pax abrumpi, atque ipsi à communione ac fraternitate Christianorum repelli. Audies quidem confitentes, corpus Christi natum de virgine, passum sub Pontio Pilato, atque alia in symbolo Apostolico contenta, à se in cœna suscipi & comedi. Verùm perspectis & euolutis eorum labyrinthis atque ambagibus, tandem depreheduntur non magis in cœna corpus natum de virgine, ac passum, quod ascendit in cœlum, sedétque ad dexteram patris, statuere, quàm si nusquam cœna fuisset instituta, nec vsquam fieret, & quàm si, ipsum corpus Christi numquã in lucẽ prodiisset natũ de virgine, aut nusquam extitisset. De quo fidem faciet quod ex Apostolo falsò citant, Patres in lege veteri eandem nobiscum escam spiritalem manducasse, atque eundem potum spiritalem bibisse, nósque in cœna præ illis nihil amplius de carne Christi participare, nec alio modo. Ex quo luce meridiana clarius cõsequitur, nihilo magis carnem illam à nobis delibari in cœna, quàm si omninò non fieret, vti nec tempore Patrum fiebat, & quàm si Christus nusquam in rerum natura extaret, nec vnquam extitisset. Propterea ne quidem secum consentiunt de re quam in cœna velint adesse, & prehendi. Sæpè prædicant & inculcant, non aliud se cõfingere corpus Christi, quàm carneum ac natum de virgine, nec aliud se edere: sed cùm premuntur, quòd tale corpus ex eorum sententia exigat, vbicunque sit, omnes suas proprietates corporis naturalis, quæ nec in cœna terrestri, nec in nobis esse possunt, cùm dicitur mãducari, nec in pluribus locis esse queat, vt pluribus in locis & in nobis existat, vbi cœnam agimus: quod requiritur, antequàm capi & manere ibi verè affirmetur. Et cùm Aduersariorum aliæ multæ contradictiones è tenebris in lucem extrahuntur, quibus ipsi præpediuntur, tum quatuor aut plures significationes alienas à corpore Christi naturali, aut ex his aliquam proferunt, atque ita se à contradictione expediunt. Vnus Caluinus nescius quò se vertat, aliquãdo inculcat, verissimum Christi corpus à nobis capi. Scribit enim: His absurditatibus sublatis, quicquid ad exprimendam veram substantialémque corporis ac sanguinis communicationem, quæ sub sacris cœnæ symbolis fidelibus exhibetur, facere potest, libenter recipio: atque ita, vt non imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentia percipere, sed vt reipsa frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur. Aliquando tam clarè id negat, quàm affirmarat. Nam (inquit) efficaciter dixi exhiberi corpus Christi in cœna, non naturaliter: secundum virtutem, non secundum substantiam. Cùm argueretur leuitatis ac repugnantiæ, se manere in eadem sententia iactat. Clamant (ait) me esse corruptorem Augustanæ Confessionis, quia negem nos in sacra cœna participes fieri substantiæ carnis & sanguinis Christi. Atqui plus centies occurrit in scriptis meis, adeò me non reiicere nomen substantiæ, vt ingenuè ac liberè profitear. Vbique etiam admitto substantialiter nos pasci Christi carne & sanguine. Tripliciter verò dicta sua contraria conciliat. Fatetur imprimis se aliorum communi more loqui, sed aliter intelligere. Loquor (ait) vulgari more, sed intelligo substantia corporis pasci animas nostras, vt verè vnum efficiamur cum eo: ita vt ipsi substantia carnis Christi pasci, nihil aliud sit, quàm habere consortium etiam spiritale cum eius substantia.

Aduersarij iactant se conuenire nobiscum de re, sed de solo modo contendi.

Ex aduersariorum dogmatibus nec verum Christi corpus potest in cœna sumi, nec magis manducari, quam si nunquam natum esset.

Cal. lib. 4. Instit. cap. 17.
Cal. contrarietas.
In 2. defens. cõtra Vvestphal.

Cal. in ca. 2. 1. ad Cor.

Quid sit Caluino edere substantiam carnis Christi.

ſubſtantia. Deinde participationem ſubſtantialem interpretatur per quandam analogiam, quòd ſicut ex panis ſubſtantia alimur, ita quædam vis à carne Chriſti in nos effluat, ad nos enutriendos in vitam æternam, non quòd ipſa ſubſtantia ad „nos perueniat. Textus eſt: Sentio carnaliter nos fieri carnis Chriſti participes, „non quòd fiat carnalis quædam mixtura, vel quòd caro Chriſti è cœlis elicita in „nos penetret, vel quòd ore degluriatur: ſed quia non ſecus animas noſtras viuifi„cet Chriſti caro, quoad vim & efficaciam, ac panis viníque ſubſtantia corpora „aluntur. Tertiò contendit, virtutem illam, ſubſtantiam meritò cenſeri, quia ſit quid abſtractum à ſubſtantia. Proinde ait, Vt è cœlo ad nos penetret vita ex carne Chriſti: quæ vis & facultas viuificandi non incommodè abſtractum aliquid à ſubſtantia dici poſſet. In eo Pharmacopolas, Medicos & Coquos imitatur, qui ſuccum eliquatum à carnibus aut herbis nuncupant earum ſubſtantiam. Quæſitum verò eſt, quid illa vis, & quid illud abſtractum eſſet à ſubſtãtia. An putaretur verum corpus ſubſtantiale & integrum, quod quodam defluuio ſugeretur in cœna, alterum ab illo corpore quod maneret in cœlo, atque ita duo Chriſto affingerẽtur corpora: An eſſet pars ſubſtantiæ corporis ſiti in cœlo, ita vt eius vna pars ibi hæreret quaſi fex, & altera magis ſucculenta ad nos percolaretur per canalem Spiritus ſancti, quem Caluinus excogitauit. Si poſterius, inferendum eſſet ſubſtantiam corporis Chriſti diuidi, cuius portio cœlo teneretur, & altera ad nos deflueret, corpúſque Chriſti fore conſumptibile, ac tandem conſumendum. Si enim per partes & guttatim diſtillatur, tandem diminuetur, ac proſus conſumetur. Eóque magis hæ rationes preſſerunt Caluinũ, quod de corpore Chriſti & eius accidentibus non aliter quàm de aliis corporibus, ex naturæ legibus voluit iudicari. Quæ abſurda vt vitaret, corporis Chriſti ſubſtantiam iterum magis percolauit & eliquauit, atque à corporali ſucco in ſpiritalem gratiam, vigorem & virtutem à carne illa defluentem illa immutauit, nihilque ſe alienũ ab hoc ſenſu protuliſſe defendit, quoties corpus Chriſti & ſanguinem in ſubſtãtia ſeu natura nobis præberi ſcripſit, quoniã (inquit) etiã Hieronymus duplicem carnem Chriſti & ſanguinẽ ex ſcripturis colligit, vnã quæ fuerit affixa cruci pro nobis, alteram de qua dictũ ſit, Niſi mãducaueritis carnẽ filij hominis, nõ habebitis vitã in vobis: quaſi caro crucifixa corpoream ſubſtantiã exiſtentem ſignificet: quæ verò præcipitur edi, deſignet ſolã viuificãdi vim. In eum finem alij citãt ex Clemente Alexãdrino duplicem eſſe ſanguinem Chriſti: alterum carnalẽ, quo redẽpti ſumus ab interitu, & alterũ ſpiritalẽ, quo (inquit Clemens) vn„cti ſumus: hócque eſt bibere Ieſu ſanguinẽ, eſſe participẽ incorruptionis Domini. Ex „ea intelligentia Caluinus hæc habet: Abeſt Chriſtus à nobis ſecundũ corpus: ſpiri„tu autem ſuo in nobis habitãs, in cœlũ ad ſe ita nos attollit, vt viuificũ carnis ſuæ vi„gorem in nos trãsfundat, nõ ſecus ac vitali ſolis calore per radios vegetamur. Beza nominatim vtrumque improbat, neque fert virtutem ſubſtãtiam dici, aut aſſeri tãtùm efficaciã corporis nobis communicari: attamen ipſemet benè perſpectis rationibus nihil amplius ponit, eóque recidit omniũ Caluiniſtarũ & Cinglianorum cõſenſio. Sed rurſus controuertitur, quid Caluino ſit illa virtus, & efficacia carnis Chriſti. Nam in illa contradictione ab Heshuſſio deprehenſus, quòd modò ipſam ſubſtantiam corporis, modò viciſſim eius tantùm efficaciam à nobis manducari aſſerat, non vult concedere idem eſſe efficaciam corporis Chriſti ac meri„tum paſſionis. Ita enim ſe purgat: Cuius ambiguitatis me Heshuſſius conuin„cet? Fatetur me aſſerere verum & ſubſtantialem eſum carnis Chriſti, & ſangui„nis potum. Sed ſi quis mentem meam perſpiciat, me loqui de perceptione „meriti, fructus, efficaciæ, virtutis, & potentiæ de cœlo defluentis. Hîc verò,

Lib. de ration. concord.

Ex ſubſtantia carnis Chriſti nos ali tripliciter exponit Caluinus.

Caluinus pro Chriſti corpore ſupponit ſpiritalẽ gratiam.

Clemens Alexãd. lib. 1. Pædag. cap. 2.

Caluinus in Conſenſu.

Beza contra Heshuſſ.

Iterum ambiguitas eſt, quæ ſit illa gratia ſpiritalis quam pro carne Chriſti volunt percipi Aduerſarij.

Caluinus in Heſhuſſ.

non in speculo, sed cotàm, perspicitur maligna eius insulsitas, dum virtutē & potētiam cum merito & fructu cōmiscet. Contrà ipse Caluinus non solùm idem esse fatetur, sed probat: nec sanè posset aliquod ostendere discrimē. Eius verba sunt: Diligenter obseruandum est, potissimam ac penè totam sacramenti energiam in hisce verbis sitā esse, Quod pro vobis traditur, Quod pro vobis funditur. Neque enim Christo rite vescimur, nisi crucifixo, dum efficaciam mortis eius viuo sensu apprehendimus. Non facit sacramentum, vt Christus panis vitæ esse primùm incipiat: sed in memoriam reuocat panem vitæ esse factum, quo assiduè vescamur, eiúsque panis gustū & saporē nobis præbet, & vt vim illius panis sentiamus facit: pollicetur enim nobis, quicquid fecit aut passus est Christus, id ad nos viuificandos factū esse: deinde hanc viuificationē æternā esse, qua sine fine alamur. Si quidē vt panis vitæ nobis non fuisset Christus, nisi nobis natus & mortuus fuisset, nisi nobis resurrexisset, ita nunc minimè esset, nisi eius natiuitatis, mortis, resurrectionis efficacia & fructus res æterna foret ac immortalis. Quod totū elegāter his verbis expressit Christus: Panis quem ego dabo, caro mea est quā ego dabo pro mundi vita. Quibus haud dubiè innuit, suum nobis corpus ideò pro pane futurum ad spiritualem animę vitam, quia in morte pro salute nostra exponēdum erat. Vnde manifestum est, iuxta Caluinum, efficaciam corporis Christi, quam pro eius substantia substituit, nihil aliud esse quā efficaciam & meritum passionis. Interdum Caluinus per efficaciam illam, vitam intelligit, quæ primùm in essentia diuina resideat, quæ prius in carnem Christi, pérque illam, velut per canalem, postea in nostras animas effluat. Dubitatur, an vita illa in nobis sit eadem quæ est in Deo & Christo, an alia. Nostra conditio non fert, vt eadem sit, ne fiamus Dij per essentiam & diuinitatis vitā in nobis essentialem, in nobis manētem, vt factus est Christus. Aliam ergo esse oportet, & creaturam, sicut ipsa etiam caro Christi, cuius vices in nobis gerit. Si creatura, quomodo tot in locis & personis, quæ eius fiunt participes, habitare potest, & idem posse, ipsi carni Christi, à qua dimanat, non indulgetur? Sin non eadem omnibus vita distribuitur, sed singulis diuiditur, vt non eadem vita numero omnibus donatur, nec eadem numero caro Christi ex illa vita conferetur, aut dicetur. Aliquando Caluinus & Beza, sicut & ipse Cinglius, efficaciam illā interpretātur pro diuinitatis ac Spiritus sancti potentia ac gratia, nos viuificantis ac renouantis. Nā licet Caluinus interpretationē hanc nonnūquam in Cinglio reprehēdat, quemadmodū capite De manducatione spirituali recitabitur, nihilominus eodē ferè relabitur, & peius errat, cùm ait, Ideò caro Christi viuificat, quia Spiritus sanctus vitā, quæ in ea residet, in nos diffundit. Blasphemat Caluinus in Spiritū sanctū: quasi nobis passione Christi impetratus nō sit per se viuificus, qui mox initio totā rerū creaturā fouit, & vnà cū patre ac filio omnia creauit & sustētat. Passione quidē & merito Christi impetratur Spiritus, sed interim aliunde vitā non sumit, sed ex se regenerat nos, & vi sua viuificat. Proptetea Beza piè magis ea de re sēsit ac scripsit, in hęc verba: Hìc ergo sequitur altera donorū species, eorum videlicet, quæ à Christo nobis donata conferuntur. Primū vita ipsa spiritalis ex Christi Dei & hominis carne in nos ipsius mēbra promanās, cuius vi regeneramur, & sustētamur in vitā ęternam. Hìc per vim ex carne Christi profluētē, nō aliud intelligere potest, quàm Spiritū sanctū, cuius est propriū homines regenerare. Posttemò, si aduersariorū opinio sibi cōstare velit de imputatiua iustitia, sāctificatione, ac renouatione, ne quid videatur de Osiādri dogmate sapere, de immanēte intra hominē iustitia Dei & vita, quod valdè execrātur, ob ídque nō solū de ipsa carne, sed de efficacia aut vita aut gratia in eorū animis nihil quicquā recipietur, aut hærebit, sed omnia perficiētur per imputationē. Et hoc est fortasse,

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 3. 4. 5.

Caluin. lib. 4. Institut. ca. 17. num. 8. & 9. In cap. 6. Ioan. In cap. 10. & 11. ad Corinth.

Cal. in 6. cap. Ioann.

Blasphemia Caluini in spiritum sanctū.

Beza in summa doctrina.

fortasse, quod Caluinus & Beza innuunt, cùm docent manducari Christum, cùm noster fit, ac nostri iuris. Cui accedit quod ingenuè fatetur Beza, nō ad Cœnā se venire vt ex ea quicquā reportet, sed vt iam parta & acquisita obsignet, quéadmodū capite de manducatione spirituali repetetur. Caluinus itē & Beza, cùm edere corpus Christi non aliud esse certius definiant, quàm in ipsum spiritaliter incorporari, & fieri mēbrum eius, tum rē quæ datur, & corpus quod editur, pro mystico accipere cogūtur. Nā corpus, cuius pij sunt solùm spiritaliter mēbra, Christus autē caput, est propriè Ecclesia, de quo ad Romanos & ad Corinthios agitur. Ex his planū fit, nō de modo manducādi carnē tantùm quæri, & dubitari, sed de re quæ in cœna accipitur neque quicquā certi de ea ab ipsis statui. Verū ne quidē in tanta incertitudine eorū doctrina cū verbis Christi potest consistere. Nā docent verba Christi de cœna rē significare, quæ in ipsa percipiatur, ob ídque sacramentū esse signum significatiuū & efficax illius rei percipiēdæ. Christi verò verba non aliam rē demōstrant & significant, quàm ipsum corpus Christi natum de virgine, ac passum. At cùm tale corpus in nobis non recipi, sed manere in cœlo affirment, ipsa verba Christi nō designabūt efficaciter id quod à nobis verè ac reipsa in Cœna sumitur. Deinde quicquid illius corporis loco suffecerint, seu sit substātia ab illo abstracta, seu quidā vigor & qualitas, vel efficacia, seu corpus quodcunque præterquàm Christi naturale, & in rerū natura existens, id non erit, quod Christi verba enunciant, & cuius signum debet esse sacramentū. Nam cùm verba ipsa demonstrent etiam, vt placet aduersariis, tātùm corpus Christi passū: siue sacramentaliter, siue metonymicè, siue alias figuratè demonstratio fiat, non significabunt substātiam abstractam, nec aliam quācunque qualitatem aut effectum, nec corpus mysticū: nec hoc sacramentū erit illorū signū efficax, quia nullum illorū fuit passum pro nobis. Nam pro corpore mystico corpus Christi naturale passum fuit, & ipsi fideles patiūtur: quemadmodum ait Apostolus se adimplere ea quæ desunt passionibus Christi pro corpore eius quod est Ecclesia: nec in efficacia sola, vel qualitate, vel effectu, corpus Christi naturale passionem luit pro nobis, sed in substātia & existētia naturali: atque ita oportet nobis cōmunicari, ne falsa sit verborum Christi significatio, & ne sacramentum mendax sit signum & fallax. Quotquot voluerint igitur Aduersarij, affingāt Christo corporū & sanguinū genera, tātùm naturale in substātiali existentia, qua pertulit mortē pro mūdi vita, promittitur, & demonstratur in cœna nobis donari. Scimus quidē Hieronymū atque alios ex scripturæ phrasi propter varios modos existendi, idē corpus & sanguinē, quasi diuersum, distinguere, vt aliàs disseruimus: sed retinēt semper vnicā veram & substantialē existentiam, attamen per allusionem ad ipsam alios & differētes modos existendi declarāt. Demus qualitates & effectus nonnunquā substantiarū appellationibus efferri: Demus substantiarū signa & figuras, illarū nominibus exornari: Nihilominus quoties apponuntur ea, quibus vera & essentialis existētia illarū explicatur, siue esse, siue solùm significari dicantur, tum oportet in isto, & non in alio existentiæ modo, illas accipi. Itaque etiamsi verbis Christi de cœna tantùm significaretur eius caro, tamen quia additur, Quam ego dabo pro mundi vita, seu, Quod pro vobis datur, quæ denotant carnis & corporis verā, atque essentialē existentiā, in qua mortē subiit, non in alia existentia aut existēdi modo capi debet, aut potest. Cùm itaque assentiātur Aduersarij, oportere corpus & sanguinem Christi percipi, quatenus verbis Christi significātur, necesse fuerit sumi in vera atque essentiali existentia in qua significantur. Aut ergo vana ac falsa est Aduersariorū de sacramentis regula, qua volunt exhiberi & recipi, id quod ab ipsis significatur & figuratur, aut nō aliā rem in cœna præberi, & à nobis excipi debēt scribere, quā quæ significatur,

Rom. 12. 1. Cor 12.

Aduersariorū opiniones de re quæ sumitur in cœna, nō cōuenire potest cum verbis Christi de ipsa.

Coloss. 1.

N ij

& aliæ omnes quas temerè ſubſtituunt corpori Chriſti naturali,aut ſunt alienæ à re propria cœnæ Dominicæ, aut ad eā cōſequentes & acceſſoriæ,vt ſuo more Aduerſarij in omni parte doctrinæ, principali depulſo&deiecto, acceſſoriis toti immorātur & incumbūt. Cæterùm vt retinerent aliquam veritatis ſpeciem,& de ſacramentorum ſignificatione atque efficacia aliquam conſtantiam, cautiores Caluiniſtæ perſtiterunt in aſſerendo,verum corpus Chriſti à ſe percipi in cœna, ſed de modo litigari,quem nos corporalem eſſe prædicemus,illi ſpiritalem, quo nihilominus ſimulant re vera & in ſubſtantia corpus Chriſti à fidelibus ſuſcipi,quaſi eorum ſpiritalitas nihil de corporis exiſtentia, præſentia ac perceptione detraheret. Olim quidē omnium, qui ſcripturas ac præcipuos fidei articulos violarunt & oppugnarunt, ſpiritalitas illa fuit tanquam commune aſylum. Alexander & Hymeneus,pro reali & corporali aſſerebant ſolam ſpiritalem reſurrectionem per fidem à Chriſtianis iam acceptam: Sabelliani tres in Trinitate nominatos, non reali exiſtentia diſtingui putabant,ſed quadam ſpiritali & intellectuali ſola differentia. Ebion, Cerinthus & Arriani,Chriſtum puram eſſe creaturam opinati, cùm legebant filium Dei vocari, id quidem ſpiritaliter & per adoptionem explicabant. Arriani Patrem & filium itidem vnum eſſe ſpiritali quadam vnitate prædicabant, vt ſubſtantialem tollerent. Valentiniani,Marcionitæ, vt de Chriſti carne ac corpore ſcripturas effugerent, ipſi carnem quandam ſpiritalem & imaginariam relinquebant. Noſtro hoc infœlici tempore, ſpiritalitas illa tantum promouit, vt beatorum ſedes,atque his contrarios inferos occuparit. Cùm enim Brentiani non aliam Chriſti aſcenſionem definiant fuiſſe quàm ſpiritalem, nullas beatis ſedes certas & cœlos quàm ſpiritales poſſunt ſtatuere. Cùm verò Caluiniſtæ non aliter Chriſtum ad inferos deſcēdiſſe tradunt, quàm ſpiritaliter in cruce, vbi animam eius terroribus & doloribus inferni per apprehenſionem excruciatam imaginantur planè deſperaſſe, nec alios inferos,nec alias pœnas inferorum indè decernunt, quàm ſpiritales & imaginarias. Nec ſolùm videas illos omnia Religionis Chriſtianæ ſacramenta, ac ferè dogmata,cultúmque omnem in illam ſpiritalitatem diſſoluere,ſed ſe totos ſpiritales,quaſi carnem exuerint iactare, & de particulari inſpiratione gloriari. Verùm Chriſto ſpiritaliter vti volunt paſti, an carnales atque animales eſſe deſinant, facilè licuerit ex fructibus carnis ac ſpiritus ab Apoſtolo propoſitis iudicare. Manifeſta" ſunt (inquit) opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, lu-" xuria, idolorum ſeruitus, veneficia,immunditiæ, contentiones,æmulationes,iræ," rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ,homicidia, ebrietates, comeſſationes. Fructus" autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longa-" nimitas, manſuetudo, fides, modeſtia,continentia,caſtitas. Aduerſus huiuſmodi" non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis &" concupiſcentiis. Si viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis" gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Vtinam qui ſe præ aliis" ſpiritaliter Chriſto viuere gloriantur,ſpiritu Chriſti ambularent. Spiritaliter quidem per hypocriſin & fictionem aut phantaſiam ſe alieniſſimos oſtentant à fructibus carnis, ſed realiter magno orbis Chriſtiani malo nullum prætereunt. Spiritaliter ac verbo ab omni immūditia & idololatria abhorrent,ſed re vera nulli tam ſeruiunt ſuæ libidini,nec hominū figmētis ac propriæ opinioni ſe addicūt, quàm ſpiritales illi,vt de aliis fructibus taceā,qui ab omnibus in illis cōperiuntur: Spiritaliter fructus ſpiritus proferunt,ſed re vera fructus carnis pariūr,ſpiritaliter reformati, re vera deformatiſſimi: ſpiritaliter Deo & Principibus fideles, ſed re vera peruicaciſſimi rebelles: ſpiritaliter prædeſtinati,ſed re vera reprobi, in veris inferis reipſa, nō tā-

Spiritalitas omnium hæreticorum aſylū.

Aduerſarij etiā paradyſum et inferos ſua ſpiritalitate abolent.

Aduerſarij toti ſpiritales in operibus carnis maximè deprehēduntur. Galat. 5.

tùm

tùm ſpiritaliter cruciādi: ſpiritaliter diuinæ gloriæ ac pacis publicæ amātiſſimi, ſed re vera à quibus & propter quos nomen Dei blaſphematur inter gētes, & trāquillitas publica perturbatur: ſpiritaliter habentes ſpeciem pietatis, ſed re vera virtutē eius abnegantes, cauteriatam ex ſua ſpiritalitate habētes conſcientiā, ſed re vera omni flagitio proſtitutā & profligatā. Valētiniani olim eadē planè impietate, qua noſtri ſpiritales ſe nominabant, quia ſola fide & cognitione expiari ſe & perfici credebāt ac redimi. Propterea nec baptiſmū neceſſariū ducebāt, nec diuina myſteria per res quæ videntur, peragi volebant, interim volutabantur in cœno carnis & flagitio, aliſque peccatis impudentiſſimè. Meſſaliani ab omni opere feriati, ſe itidem ſpiritales prædicabant, ac ſe ſenſu Spiritus ſancti in ſe aduentum percipere, ſicut noſtri iactant de omnibus in ſe ſentire particulares inſpirationes. Sec nec Aduerſarij in vno ſpiritalitatis ſignificatu conueniunt: imò tanquam vulpeculæ ad hanc velut ad latibulum ſe recipiunt, quòd plures elabendi exitus præbeat, cùm eorū peruerſum dogma intercipitur: nos interim tanquam ſycophantas accuſant, & traducunt, quaſi imponamus eorū ſpiritalitati alium ſignificatum, de quo ne cogitarint quidē. Spiritalitas autem vel rem incorporeā denotat: vel qualitatē, vel modū rei etiā corporeæ ſpiritalem ac inſenſibilem: vel ſpiritus ſiue increati ſiue creati potentiam & actionē cū corporis excluſione: vel finem atque effectū incorporeū & ſpiritalē. Caro Chriſti, & eius māducatio, numquam à Catholicis Patribus dicitur ſpiritalis, ex priori ſignificatu, ſed contrà carnalis & corporalis, quemadmodum in præcedenti Repetitione declaratū fuit. Cæterùm nonnumquam Auguſtinus & alij attendūt in Chriſti carne rem ſpiritalem, qualitatem, & proprietatē diuinitatis, cuius participationem vocant manducationē ſpiritalem ex primo ſignificatu, & tum carnē Chriſti ſpiritaliter edere, quando non participatur in ſacramēto ſola eius caro, ſed vna eius ſpiritalitas, ſiue cùm editur vſque ad participationē ſpiritus. Ex ſecundo ſenſu contrà ſpiritalis ab illis affirmatur, & carnalis negatur, dicitúrque ab Auguſtino & Paſchaſio atque aliis caro illa non carnaliter ſeu corporaliter edi, ſed ſpiritaliter, quoniam in ſacramento nec eſt, nec editur modo carnali & corporeo, ſed inuiſibili, inſenſibili ac ſpiritali: ita tamen vt maneat & manducetur vera ſubſtantia corporis. Ex Athanaſio, Cyrillo, Auguſtino iam citauimus, eo pacto carnem Chriſti exiſtere, ac cibum fieri ſpiritalem: quibus adiunges hæc pauca Ambroſij: In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritalis. Corpus enim Dei, corpus eſt ſpiritale. Ex tertia intelligentia etiam ſpiritalem eſcam appellant Patres, eo quòd Spiritus ſancti opera ac virtute fiat & comparetur. Spiritalem quoque manducationem carnis Dominicæ cōſtituunt illi, quæ à ſpiritu & animo exerceatur, de qua iam egimus, & poſteà fuſiùs agemus: ſed non excludunt ab ea corporalem, ſiue ſubſtantiam corporis deſignet, ſiue etiam actionem corporis, quæ cum animi operatione poteſt interuenire. Ex quarta ſignificatione ſpiritalitatis, Euchariſtiam totam, & ipſam in ſe carnem Chriſti, vocant alimoniam ſpiritalem, & non corporalem: quia quamuis etiam corpus reficiat, non tamen effectu corporali, ſed ſpiritali ac ſupernaturali. In eum ſenſum ſcribit Cyprianus: Manifeſta eſt ſpiritalis cibi & corporalis diſtantia, aliud fuiſſe quod prius eſt appoſitum & conſumptum, aliud quod à magiſtro datum eſt & diſtributum. Ex effectus & finis diſcrepantia, Auguſtinus tradit, Chriſtianorum ſacramenta eſſe omnia ſpiritalia, Iudæorum verò carnalia, & illa ſpiritaliter ſuſcipi, cùm vnuſquiſque, percipit quò referuntur, vt ea non carnali ſeruitute, ſed ſpiritali potiùs libertate veneretur: ob ídque ſacramentum altaris à Patribus Sacrificium ſpiritale nuncupatur,

Iren. lib. 1.

Theod. lib. 4. haeret. fabul. cap. de Meſſalianis.

Significationes Spiritalitatis.

Quot modis caro Chriſti dicatur ſpiritalis, et eius māducatio.

Ambr. de his qui initiantur myſteriis. ca. 9.

Cypr. de cœna.

Aug. lib. 3. de doctr. Chriſtiana cap. 9.

ſicut in Repetitione De ſacrificio enarramus. Aduerſarij ſpiritalitatem accommodant aliquando pro opera & efficacia Spiritus ſancti: vt cùm manducationem ſpiritalem dicunt, quæ Spiritus ſancti omnipotentia venientis toto cœlo ſeparata contingat: Aliquando pro re & actione ſpiritali, oppoſita corpori & rebus corporeis, ita vt & res ipſa, & modus, & actio, & finis, in ſpiritalitate conſiſtant. Atque in tali ſignificatu tota continetur Aduerſariorum hæreſis, quæ tuetur Chriſti corpus non eſſe in cœna terreſtri, nec in ea ſumi niſi ſpiritaliter, id eſt, vt non verum Chriſti corpus ſumatur, ſed quædam res ſpiritalis ab eo defluens, nec à noſtro corpore illa ſuſcipiatur, ſed à ſolis animis, ita vt ſpiritalitas illa tollat ab actione cœnæ & verum Chriſti corpus, & noſtrum, ſitque incorporeum totum negotium quoad rem & quoad modum. Aliquando non pro re ſpiritali, paſſiuè, vt in proxima ſignificatione capiunt, ſed actiuè, pro animi apprehenſione & operatione, quemadmodum intelligitur, cùm prædicant à ſe ſpiritaliter per fidem edi corpus Chriſti. Aliquando non pro re aut qualitate ſpiritali & incorporea, ſed pro re intellectuali, & quæ in ſola apprehenſione conſiſtat, illa phraſi vtuntur: vt cùm affirmant corpus Chriſti tantùm ſpiritaliter eſſe in cœna, & ſuſcipi. Profectò quid ipſi tum ſignificent, ſi diligenter conſideretur, nulla nec natura corporis exiſtens ab ipſis indicari cognoſcetur, nec qualitas re vera etiam exiſtens, ſed purus mentis conceptus & apprehenſio, & aliquid purè intellectuale. Non enim ſentiunt amplius quicquam de Chriſto exiſtere aut percipi, quàm exiſtebat & capiebatur, cùm Patres ante natum Chriſtum de ipſo fide communicabant: cuius ſola intellectuali præſentia & ſumptione fruebantur. Ex tot ſpiritalitatis ambiguitatibus eadem ſententia & propoſitio vera ac catholica eſſe poteſt, & eadem falſa atque hæretica, propter diuerſam interpretationem & intelligentiam, quæ ſpiritalitati attribuitur. Naturale Chriſti corpus in cœna exiſtere, & ſumi ſpiritaliter, veriſſimè aſſeritur, ſi dictio illa dicit modum exiſtēdi corporis Chriſti, & modum ſumendi. Corpus enim illud in cœna modo ſpiritali conſiſtit, ac ſpiritali modo percipitur: ſed ſi ſpiritaliter rem corpoream & præſentiam atque exiſtentiam rei corporeæ ſubmoueat, & rem ſolùm intellectualem apponat, aut non aliam rei corporeæ quàm ſpiritalem præſentiam & participationē relinquat, excludátque corporalem manducationem à corpore noſtro, quia ſpiritaliter exponatur paſſiuè & actiuè, vt oppoſitum rebus corporeis, tum dupliciter etiā hæretica eſt ac ſacramentaria locutio: paſſiuè, quia rem omnem corpoream adimit: actiuè & paſſiuè, quia actionem corporis, & corpus ipſum à participatione corporis Dominici repellit. Ex illa ambiguitate plerúque ludunt Aduerſarij, atque ingenuè videntur profiteri, præſentiam & manducationem naturalis, ac veri corporis Chriſti in cœna, ſpiritalem tamen, quaſi tantùm modum carnalem exiſtendi & manducandi repudient. Cùm increpantur, per ſpiritalitatem non ſolùm modum negare carnalem, ſed rem omnem corpoream abigere, ſubſtituereque veri corporis intellectualem tantùm aut ſpiritalem quandam qualitatem atque incorpoream, quæ ſolùm à ſpiritibus noſtris & animis capiatur: tùm quidem vltrò annuunt, carnem illam ſolius animi cibum eſſe & alimoniā, ſed recriminantur nos de calumnia, quòd falſò ipſis impingamus, per ſpiritalitatem realitatem omnē corporis auferri, quaſi ſpiritalitas rem & ſubſtantiam ſecum perpeti nequeat. Propterea aliquando Aduerſarij audent etiam in ſuis De cœna formulis, adducere verè, reipſa, realiter, & ſubſtantialiter, ſiue in ſubſtantia, corpus Chriſti nobis dari, & recipi, ſpiritaliter tamen & per fidem. Et in Confeſſione Piſſiaci oblata ſpiritalitatem afferunt, non tollere veritatem, aut ſolam imaginationem ponere. Propterea Beza me hominem imperitiſſimum clamat, qui ſpiritaliter repertum in libris Caluini, interpreter intelle-

Quatenus intelligatur ſecūdum Aduerſarios præſentia ſpiritalis, et manducatio carnis Chriſti.

Quatenus ſit verū, & quatenus falſum corpus Chriſti eſſe in cœna, et capi ſpiritaliter

Aſtutia aduerſariorū ex ſpiritali modo.

Vt repugnet re vera ſumi corpus Chriſti, et ſpiritaliter, vt exponunt Aduerſarij.

ctualiter & per imaginationem, nulla rei veritate subiecta, cùm spiritalitas rerum naturas non excludat. Profectò si intra lineas illarum formularum consisterent, in eáque significatione retinerent, quam à Patribus didicerunt, vt spiritalitas secum ferret carnis Christi substantialem existentiam in cœna terrestri, & susceptionem, ac modum tantùm incorporeum adderet, sentirent vtique cum Ecclesia Catholica, sed tum cogerentur telam retexere, & axioma reuocare, quo nusquam vllum corpus etiam Christi in rerum natura manere posse contẽdunt, sine omnibus suis corporalibus accidentibus, quæ mutari in spiritalia oporteret, vt in substantia corporali spiritaliter existere & sumi corpus posset. Sin voluerint nihil naturalium accidentium immutari, saltem passiuè spiritaliter in modo corpus Christi non percipietur, quoniam inquam per ipsos, ne modus quidem existendi de corpore potest variari etiam per Dei potentiam. Proinde quandiu tenuerint corpus re vera seu in substantia participari, pro modo corporis ipsius spiritaliter, vsurpare non poterũt, ob ídque verum erit spiritaliter, ab ipsis passiuè intellectum, rem corporis ac substantiam excludere. Quòd si spiritaliter actiuè capiunt pro suscipiente spiritu nostro, cum exclusiua corporis nostri, quod carnis Christi inficiantur esse capax, necessariò conuincuntur per suam spiritalitatem, rem ipsam, substantiam, atque existentiam veram, & sumptionem carnis Dominicæ etiam de cœna abolere, ac nihil aliud quàm quid prorsus incorporeum, pro Christi corpore in cœna ac spiritibus suis ponere. Imprimis est in confesso, nihil existens in cœna ab Aduersariis statui aut sumi, nisi quod intra animum recipi queat. At ex ipsorum dogmatibus corpus Christi nec admitti in animum nostrum potest, nec in eo contineri. Nam ne quidem situm in Dei potestate volunt, vt à vero corpore Christi quantitatum dimensiones ac proprietates naturales subtrahat, vt sine his verè extet corpus illud. Itaque si re vera ac substantialiter ab animo sumitur, oportet vt in ipsum introeat cum dimẽsionibus & proprietatibus re vera, cum ipsísque in eo maneat, atque ita, vt non corpus animam contineat, sed anima corpus, & res spiritalis rem corporeã, quod nemo cogitatione assequetur: imò oporteret videri in anima, palpari, aliáque documẽta corporalia dare. Quod si non reipsa, quale ac quantum est in sua natura, corpus Christi in anima residet, non re vera & substantialiter ab ipsa excipitur. In eo enim suorum argumentorum proram & puppim reponunt Aduersarij, quòd nec corpus Christi manere possit corpus, quin omnes proprietates corporis gerat & exhibeat. Sin per fidem spiritui nostro insinuari & comprehendi responderint, nihilo plus agunt, quoniam fides naturam & proprietates corporis non immutat, vt re vera aliud sit quàm patiatur eius proprietas. Non igitur fides efficiet, vt re vera corpus existens, immittatur animæ. Deinde si re vera percipitur etiam à solis animis nostris, necessariò requiritur percipientes ipsum esse illi præsentes re vera, & ipsis etiam illud esse in præsentia: quia tum mutua intercedit realis præsentiæ ratio & necessitas: quandoquidem nihil dici aut cogitari potest re vera præsens alicui, re vera interim absenti, nec fieri etiam potest, vt aliquid re vera recipiatur ab aliquo, cui re vera non coniungatur. Si enim re vera etiam sine locorum vllo interuallo nõ coniungitur, nec re vera recipi potest, quia priùs adsit oportet quàm recipiatur, & eo modo quo recipitur. Quare fuerit necesse, aut ibi esse re vera animos nostros, vbi re vera extat corpus Christi, aut contra. Si non nisi in cœlo corpus illud in substantia ac reali existentia inuenitur, pari existentia cõuenit animos nostros eò trãsferri, aut eodem modo corpus illud illabi animis nostris, & ipsis inesse: quod nusquam, sat scio, concesserint Aduersarij, ne pluribus in locis, quibus separantur animi nostri, naturali & substantiali existentia, cogantur eadem præsentia corpus illud

Aduersarij negans omnino corpus Christi posse spiritaliter existere.

Ex opinione Aduersariorũ ne quidem spiritale Christi corpus potest recipi ab anima nostra.

Fides non immutat naturas rerum.

Re vera nõ potest percipi, quod re vera non est presẽs.

Non potest re vera animus percipere corpus Christi, quin ipsum re vera sit in pluribus locis.

ſiſtere. Reſtat ergo tranſportare animos noſtros re vera eò, vbi ſedet corpus Chriſti, antequàm ab animis noſtris re vera capi dicatur. Non ſatisfacit, quod ad effugiū comminiſcuntur Aduerſarij de Cœna cœleſti, quaſi ſufficiat animos fide & cogitatione in cœlum rapi & euehi, vt ibi amplectantur corpus Chriſti re vera ibi præſens. Nam etſi vis ac virtus actionis illius cœlos penetret, non tamen propriè ac re vera in cœlo, ſed in animis noſtris peragitur, qui multo minus re vera & reali exiſtentia degunt in cœlo, quàm illa actio: ſed nec ſeiunguntur propter illam actionem à ſuis corporibus re vera, quibus tenentur incluſi: ideò nihilomagis copulantur corpori Chriſti, aut ipſum recipiūt re vera, ſeu reali ac ſubſtantiali præſentia. Propterea anima quoties de cœlo, aut de Chriſti corpore ibi poſito philoſophatur & contemplatur, non ibi eſt ſubſtantiali præſentia, ſed tantùm per operationem & effectum, qui nec loco dimouet corpus Chriſti, nec animas ipſas, vt vnum ſit in altero, aut fiat pręſens alteri reali exiſtentia. Quòd ſi per actiones fidei & contemplationis anima re vera efficeretur præſens rebus quas apprehendit, eodem temporis momento re vera pluribus locis adeſſet, in quibus verſantur res quas concipit: quod tam aduerſariis videtur abſurdum, quàm idem corpus re vera ſimul pluribus in locis contineri. Quis Apoſtoli textum, Abſens corpore, ſpiritu præſens vobiſcum, explicabit de reali ſpiritus præſentia? Si ſpiritus eius realiter cum Corinthiis erat, & realiter in corpore eius Epheſi abſente, aut reali exiſtētia ſpiritus eius duobus in locis agebat, aut illa exiſtentia ſimul erat abſens & præſens, aut aberat illo modo realis exiſtentiæ à corpore Pauli, atque ita moriebatur Paulus, cùm viueret: quādoquidem mors nihil aliud eſt, quàm realis ac ſubſtantialis animæ ſeparatio à corpore. Solent hîc Aduerſarij ſpecioſis vocabulis veritati tenebras offundere. Annuūt corpus Chriſti, & animas noſtras, toto cœlo ac terra diſtare: attamē fingunt realem interuenire eorum coniunctionem, ſed ſpiritalem, quam duobus modis interpretantur, per omnipotentiam Spiritus ſancti, qui diſſita nouit intimè coniungere, & per fidem, quæ res abſentes præſentiſſimas facit: de qua ſequenti capite. Sed iſta verba ſunt ac nugæ. Talem enim ſpeculantur fieri etiam à Spiritu ſancto realem præſentiam & coniunctionem, quæ tamen res ipſas nihilomagis realiter coniungat, quàm erant antea, nec propiùs approximet, quàm ſit maxima diſtantia cœli & terræ. Non enim ſecūdum Aduerſarios etiam per omnipotentiam Spiritus ſancti nobis admoueri propius dicitur corpus Chriſti, quàm cœlum terræ, nec nos illi, quàm terra cœlo. Mirabilis profectò, aut potiùs phanatica realis coniunctio rerum prorſus ac longiſſimè ſeparatarum, & in longiſſima reali ſeparatione omninò manentium, interim dum realiter dicuntur coniugi. Ex ea quoque conſequitur realis & ſpiritalis, prorſúſque phanatica carnis Dominicæ perceptio, quoniam pugnant inter ſe realiter coniungi & percipi, ac minimè realiter coniungi & ſumi. Quòd ſi diſtantia locorum non impedit, quominus res diſſitas omnipotenti virtute Spiritus realiter coniungātur, igitur nec eadem diſtantia impediet, quominus eadem virtute efficiantur realiter præſentes, vt illo pacto coniungantur: quoniam rerum coniunctio, earum priorem exigit præſentiam. Non enim, ſi vniuntur in ſpiritu, tanquam in tertio, propterea coniunguntur inter ſe, niſi earum debita fiat approximatio. Ad realem autem præſentiam, coniunctionem, & perceptionem, duo potiſſimùm requiruntur: Vnum, vt rei ſit actualis exiſtentia, atque ob id res futuræ realiter præſentes nequeunt affirmari. Sic Abrahæ Chriſti incarnatio ſpiritaliter tantùm, & non realiter pręſens erat, quoniam nondum actu extabat Chriſtus. Deſideratur inſuper pręter actualem exiſtentiam, vt res ſecundum propriam naturam & ſubſtantiam ibi exiſtat, vbi dicitur præſens, antequàm realis præſentia defendatur & aſſeratur. Qua de cauſa res diſtan-

Ne quidem per fidem re vera poteſt ſumi corpus Chriſti in cœlo.

Ne quidē Spiritus ſancti omnipotentia poteſt realiter coniungere, quæ realiter manēt ſeparata.

Vt ſit realis præſentia & perceptio, duo requiruntur.

tes

tes & diſſitæ, tametſi ſuos effectus longiùs exerant & emittant, non tamen locis, quos ſolis effectis attingunt, poſſunt aſſeuerari præſentes re vera, & ſecundum ſubſtantiam, ſed tantùm ſecundum efficaciam, virtutem & operationem, ſicuti ſol inferioribus corporibus præſens dicitur, non ſubſtantia, nec re vera, ſed operatione atque effectu, quoniam licet actu exiſtat, non tamen ſubſtantiam ſuam habet exiſtentem in inferioribus iſtis. Pari modo ſi corpus Chriſti affigitur cœlo, nec indè diſlocatur ſecundum propriam naturam & ſubſtantiam, vt placet Aduerſariis, qua ratione ſine contradictione tueri poterunt, ipſum ſecundum ſubſtãtiam nobis donari, & in nobis recipi? Aut quî fieri poteſt, vt tantũ ſpiritaliter ſuſcipiatur, & inueniatur in nobis ſecundũ ſuos ſolos effectus, & tamen prædicetur realiter, atque in veritate à nobis ſumi? Hoc eſt rem ſine re collocare, & realiter ſine re, potiri tamen re ipſa, quæ ſunt pluſquam ægrorum ſomnia. Propterea Patres Chryſoſtomus, Cyrillus, Hilarius, atque alij, tanquam oppoſita conſtituunt prudenter, reipſa frui corpore Chriſti, ipſique vniri, ac ſpiritaliter veſci, ſi aduerbium hoc excludat corporalem exiſtentiam, & præſentiam in ſacramẽto atque in nobis. Cingliani itidem pro oppoſitis exiſtimant, realiter, vel ſubſtantialiter, & ſpiritaliter, abhorrẽtes ab omni præſentia & perceptione reali corporis illius, contenti ſola ſpiritali per fidem. Ideò Caluinus iuſſus ac coactus fuit ab illa quacunque realitate abſtinere, aliiſque aduerbiis idem ſonantibus, antequàm ad conſenſionem cum Tigurinis admitteretur: in qua oportuit eum profiteri, corpus Chriſti tam remotum eſſe à nobis & à noſtra reali manducatione, quàm cœlum à terra, Ideò veriùs, ac magis ingenuè, Petrus Martyr ferre non potuit Bezam in Colloquio Piſſiaceno, præſtigiantem ex realitate & ſpiritalitate, ſed faſſus eſt pro ſua parte, corpus Chriſti nõ eſſe reipſa alibi quàm in cœlo, non inficiari tamen ſpiritaliter in Cœna à fidelibus mãducari. Ac certè, quantumcunque tergiuerſentur aſtutiores Caluiniſtæ, eò redit ſumma doctrinæ eorum de Cœna, vt non magis in ea ſit, & ſumatur reipſa corpus Chriſti, quàm ſi nuſquam in rerum natura conſtaret. Conſentiunt enim omnes in Cœna, nec nobis præſentiùs, nec propiùs à nobis attingi, aut ampliùs percipi, quàm ſoleret à Patribus per fidem, antequàm incarnaretur ex virgine Maria, & procrearetur in lucem. Sin placet penitiùs eorum myſteria ſcrutari, cõperies in ſumma, cùm pluribus verbis amplificarint, à ſe credi præſentiſſimum in cœna corpus Chriſti & ſanguinem, atque re vera & in ſubſtantia capi non aliter intelligere, quàm obiectiuè, id eſt, vt ipſiſſimum Chriſti corpus in ſubſtantia ſit obiectum, & materia circa quam verſatur eorum mens & fides, quod attendunt, ſpectant & contemplantur fide, etiamſi nuſquam eſſet in rerum natura, & apprehendunt atque amplectuntur etiam fide & cogitatione, ita vt in eorum cœna cœleſti vel terreſtri ſolùm requiratur carnis Dominicæ imaginaria exiſtentia & præſentia, tantum abeſt vt in eorum animis ponatur in ſubſtantia ſubiectiuè & realiter, id eſt, vt ſit in cœnæ terreſtris ſubiecto, ſiue ſit ſacramentũ ipſum, ſiue animus cœnam facientium, cùm illud corpus Chriſti ſubiectiuè alicubi exiſtere, vt verè recipiatur in cœna, more Patrum nõ putẽt neceſſarium: in ſacramento verò collocent figuratiuè ſolùm, & in ſuis animis imaginariè, etiamſi nuſquam eſſet, aut effectiuè ſeu per effectum quendam ſpiritalem, & qualitatem incorpoream, quæ ſola exhibeatur in cœna, & recipiatur ab animis cœnantium per fidem.

Cõtradictio eſt corpus Chriſti manere in cœlo, & realiter ſumi.

Realis et ſpiritalis perceptio & præſentia, vt exponunt Aduerſarij, repugnant inter ſe.

Cal. ſandè negare coactus fuit, corpus Chriſti realiter ſumi.

Ex Aduerſariorum opinione non magis reipſa ſumitur corpus Chriſti, quã ſi nuſquã extaret.

Quomodo aduerſarij intelligant corpus re vera ſumi.

AMBIGVITATES ET ERRORES ADVERSARIORVM de fidei efficacia ad nos coniungendos Deo & Chriſto, & ſtatuendam præſentiam carnis eius in Cœna. CAP. 3.

EX speciosis vocabulis, quibus incantant mentes hominum imperitorum Aduersarij, fides est, quam omnibus in rebus prætexűt & prætendunt Deo & hominibus perfidissimi, quę quoniam multiplici significatione abundat ad struendam fallaciam, cum aliis concinnè quadrat, & ex ea ludunt in manducatione carnis Dominicæ. Aliquando fidem capiunt pro contemplatione mentis, quæ fertur in cœlum, ibíque amplectitur carnem Christi, & ipsi apprehensione adhæret. Ita Cinglius fatetur à se intelligi, atque inquit: Credo quòd in sacra Eucharistia, id est, gratiarum actionis cœna, verum Christi corpus adsit, fidei contemplatione, hoc est, quòd hi qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in filio suo collato, agnoscunt illum veram carnem assumpsisse, in illa passum esse, verè peccata nostra sanguine suo abluisse, & sic omnem rem per Christum gestam illius fidei contemplatione, velut præsentem fieri. Petrus Martyr eundem sensum sequitur, cùm ait: Si quis præsentiam, fidei nostræ perceptioné intelligit, qua ipsi ascendimus in cœlum, & Christum in sua maiestate gloriáque mente & spiritu amplectimur, cum illo facilè consentiam. Caluinus & Beza in eandem fidei interpretationem recidűt, cùm de Cœna cœlesti nugantur, tametsi aliquando videantur imaginariam illam apprehensionem detestari. Aliquando fidei nomine eam, quæ iustificet, & hominem coram Deo perficiat, ad manducandam carnem Christi, exigunt non solam mentis conceptionem, veluti cùm negant ab infidelibus, impiis & hypocritis carnem illam attingi, quia fide careant, non quidem mentis in cœlum eleuatione, sed fidei iustitia & iustificatione. Aliquando cum Apostolo interpretantur pro certa persuasione & fiducia in Dei promissione, verbo, eiúsque effectu: ideò fidé profitentur innixam verbo & promissioni, res præsentes & carnem Christi in cœna coram sistere. Aliquando pro inuiolabili promissione & pacto capiunt: sicut quando coniunctionem nostri cum carne Christi comparant cum illa quæ fit per matrimonium inter virum & vxorem, quam vtramque sola fide iniri & contrahi dicunt. Tum fidem pro promissione inuiolabili explicent oportet, quia non nisi talis vinculum matrimoniale conciliat. Ex illa amphibologia quoduis figmentum & idolum per fidem compingunt: Deinde pręposteri sunt rerum æstimatores & iudices. Nam cùm passim fidem in bucca habeant, quouis infideli sunt deteriores. Nihil enim cum Thoma de corpore Christi credere volunt in sacramento, imò nec in rerum natura, vt manducetur, nisi quantum oculis conspexerint, ac manu contractauerint, vel lingua gustarint: Dei verò ac Christi sermonibus non plus habent fidei, quàm ratio aut sensus conuicerit, nec fidem adhibent vbi fide opus est, & res proponuntur ex verbo Dei, quæ pertinent ad fidem, ac naturam superant. Nusquam verò tam necessariam prædicant, quàm vbi res sine fide transigi aut omninò, aut aliquo pacto potest: contrà vbi requiritur, plus illi quàm deceat tribuunt. Quoniá sine fide impossibile est placere Deo, omnia fidei deferunt, quibus Deus nobis propitiatur: modo sanè ac rectè accommodarent, vtique ferri possent. Nam quoniam prima in adultis dispositio ad excipienda omnia dona Dei fides est, omnia verè ascribi possunt fidei: sed in eo peccatur, si per exclusionem aliorum omnium, quibus Deus in nobis operatur, sola fides omnia pręstare & perficere dicatur. Fides iustificat, nos coniungit Deo, Christum amplectitur, & eius carnem, aliáque obit salutis nostræ officia, sed non sola, cùm alia Deus instituerit in suo ordine atque gradu æquè necessaria ad ista munia atque fides est. Erratur itaque, si fidei datur quod non ei debetur, aut si aliter quàm debetur: si soli, quod sine illa fit: si soli, quod etiam per alia fit, aut si maiori gradu atque ordine collocatur quàm meretur aut operatur.

Varia significationes fidei, quibus ludunt Aduersarij.

Cingl. in Confess. ad Carol. 5.

Petr. Martyr in epist. nuncupat. Operis de Eucharistia.

Aduersarij fidē iactantes, sunt quouis infideli deteriores.

Errores Aduersariorū de efficacia fidei.

tur. Tot modis in manducatione carnis Dominicæ circa fidem hallucinantur Aduersarij. Assignant fidei vim omnem sacramentorum,& præsentiæ carnis Dominicæ,atque eiusdem realis perceptionis: quæ omnia à potentia Dei per verbũ diuinũ, etiã sine fide cõmunicantiũ adueniũt:aut saltem nec ei soli nec præcipuè competũt, & si quid in his valet, non tantum habet momenti,vt potiores ferat, nec eo ordine præcellit, nec eos effectus affert qui iactantur. Quò melius verò Aduersarij suam adornent fabulam,hoc tanquam fundamentum iaciunt: Esu carnis Dominicæ id agi,vt iungamur Deo & Christo etiam corporaliter,& dicamur verè os de ossibus, & caro de carne: Id autem sola fide acquiri posse, eáque de causa fide sola talem esum fieri. Conuenit inter nos de effectu illius esus, sed de modo non ita. Falsum enim ducimus sola fide nobis intercedere cũ Deo & Christo consortium & coniũctionem:Falsum insuper corporalem consociationem cum Christo per fidem cõtrahi. Neutrum habet scriptura, sed Aduersarij suo more ex quibusdam affirmatiuis quascunque inferunt, & exclusiuas eruunt: sicut ex eo quod Apostolus scribit, Christum habitare per fidem in cordibus nostris,addũt id sola, ac nõ nisi fide accidere. Nos contra ex scripturis tuemur, nec sola fide, nec primò semper Christũ per fidẽ habitare in nobis,& nos ipsi copulari. Nõ enim Euãgelia id soli fidei tribuunt, sed dilectioni, mandatorum obseruationi, & sacramẽtis. Sic enim Christus apud „Ioannẽ loquitur:Si quis diligit me,sermonẽ meũ seruabit, & pater meus diliget eũ, „& ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Qui manet in charitate, in „Deo manet,& Deus in eo. Qui seruat mandata eius,in illo manet, & ipse in eo. Per „tealem esũ carnis Dominicæ idem nos assequi testatur,cùm ait:Qui mãducat meã „carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hunc verò esum,atque inde cum Christo copulam,per sumptionẽ Eucharistiæ præstari in superiori Repetitione copiosè probauimus. Ac ne quidem primæ partes iustificationis nostræ,& coadunationis cum Christo,fidei possunt ascribi in paruulis baptisatis quos regenerat,& Christo inserit,nõ fidei actio,sed sacramẽtum baptismi,vt latiùs declarabitur capite,quo cõtra spiritalẽ Aduersariorum manducationẽ differemus. Sed nec quidẽ adulti sola fide ineũt societatẽ cum Deo,cùm baptismus necessariò requiratur ex „lege lata ac posita. Dictum est enim, Qui crediderit,& baptisatus fuerit, saluus erit. Sicut enim adultum solus baptismus nõ cõfederat Deo ad salutem, nisi comitetur fides,ita nec ipsa sola nisi baptismo sociata maximè si nõ excusat necessitas, quẽadmodum ex illa scriptura Augustinus, Chrisostomus,atque alij testificantur. Quinetiam apparebit falsum,nos Deo cõiungi per ipsam fidẽ, si recipitur quã tradit Caluinus fidei definitio:vt sit certa cognitio bonæ voluntatis diuinæ erga nos propter Christum. Antequàm enim cognoscatur aliquid, prius sit oportet,nec ex cognitione res nascitur,sed contrà ex rei veritate atque existentia eius certa habetur cognitio. Idcircò priùs decet nos esse in Dei gratia,& per eam cum illo vniri,quàm id scire & cognoscere possimus. Ex quo sequitur,nos priùs vniri Deo,quàm fidem assequamur,quæ iuxta Aduersarios est cognitio talis coniunctionis:nec fides huius erit causa, sed inuenietur posterior,ac tantùm de illa testificari, ac nos certos reddere, aut fides non est cognitio gratiæ initæ apud Deum. Nec solùm controuertitur de societate cum Deo per solam fidem,sed de genere cõiunctionis, quam fides potest efficere,cum carne Christi. Aduersarij realem & substãtialem fieri respõdent, vt simus re vera os ex ossibus,& caro de carne eius. Verũ spiritalis præsentia nõ profert „nisi spiritalem coadunationem, quemadmodũ Apostolus ait, Qui adhæret Deo,v„tique fide ac spiritu,vnus spiritus est cum eo, nõ caro,quoniã spiritus carnem & os„sa non habet. Ideò ad cõstituendam realem & carnalem copulationem corporum

Fundamentum Aduersariorũ de perceptione carnis per fidẽ.

Non sola fide coniungimur Deo & Christo.

Ioann.14.

1.Ioan.4.

Ioan.6.

Marc.16.

August.tract. 13.in Ioan. lib.4.de Baptismo cap.22. Chrysost.hom. 24.in Ioan.

1.ad Corint.6.

exigitur præſentia, non ſpirituum, quorum ne quidem realis copula & præſentia ſtabiliri poteſt, ſi eorundem concederetur maxima realis diſtantia, quoniam pugnát è diametro, realiter coniungi, & realiter ſeparari. Cùm itaque Aduerſarij immutabilem aſſeuerent vſque ad conſummationem ſeculi, realem & corporalem carnis Dominicæ à nobis ſeparationem tantam, quanta iacet inter cœlum & terram, quî cogitari poteſt nihilominus realem coniŭctionem interuenire, ſiue dicatur id per fidem fieri, ſiue alia virtute? Aduerſarij vt faciant fucum, tria comminiſcuntur. Rerum abſentium reale vinculum conglutinari aiunt per fidem, vocántque in eius rei probationem, matrimonij ligamen, quod realiter vinciri inter virum & mulierem per fidem ſolam commemorant, vt mulier re vera efficiatur caro viri, & os de oſſibus eius, etiam abſens à viro longiſſimè. Deinde fundunt verba inania de potentia Spiritus ſancti, quæ diſſita nouit re vera concatenare. Tertiò victi veritate, annuunt rerum tam procul abſentium tam propinquam coniunctionem non inueniri, ſed fidem res abſentes præſentes reddere, atque ita præſentiam carnis Dominicæ priùs nobis exhibere, quàm nos ipſi vniat, & re vera commiſceat. Quanquam fides multa impetrare poteſt, quæ aliàs non erant, & omnia ad nutum Spiritus ſancti verſantur & aguntur, cui nihil eſt impoſſibile, attamen fides, imò nec Deus ipſe & Spiritus eius tantum valent, vt contradictoria, quæ appellantur in ſcholis & quæ aſcendunt ad impotentiam Dei, efficiant ſimul vera, & aliquid quod re vera maneat abſens, re vera ſiſtant in præſentia, & re vera coniungant alteri, quod re vera interea magno interuallo diſiungitur, nec ipſum re vera contingit, quoniam ineſſet apertum mendacium. Nec ſi fides & Spiritus potentia veniunt inter duo toto cœli & terræ interuallo ſeiuncta, propterea verè ac realiter putabuntur coniuncta, niſi vnius ad alterū fiat maxima & realis approximatio, qua poſita, non amplius manent realiter toto cœlo & terra diſtracta. Nec ſi fides aut Spiritus vtrunque in ſua ſeparatione attingit, ideò dicuntur ſe mutuò contingere, aut inter ſe vniri re vera, quia continguntur ab vno tertio. Non enim quæ vniuntur etiam re vera vni tertio, inter ſe vniūtur verè, ſed habitudine tantùm, & ratione tertij, ita vt in ipſis nulla fiat realis mutatio, vel approximatio, vel contactus, vt eſt videre in cœlo & terra, quæ copulantur per interpoſita elementa vtrinque ſibi contigua: non tamen ob id magis re vera inter ſe coadunantur, quàm ſi remouerentur interiecta elementa. Qua de cauſa cùm per Aduerſarios in cœlo maneat immota caro Domini, nec illius vlla ad nos habeatur realis vicinior appropinquatio per fidem aut Spiritum ſanctum, per iſta nō illi magis cōiungi re vera comperiemur, quàm ſi nulla fides aut operatio Spiritus accedat. Nec ſanè ſola fides aut mutua promiſſio nuptias facit, niſi præcedat poteſtas realis copulæ & coniunctionis, quæ non priùs habetur actualis ac realis, quàm vir & mulier in præſentia corporali ac reali congrediantur & commiſceantur, quemadmodum primo capite ſuperioris Repetitionis docuimus. Quibus rationibus in anguſtias redacti Aduerſarij, coguntur fidei neſcio quam latentem vim affingere, quæ res abſentes coràm ſtatuat, ac præſentes exhibeat, antequàm nobis realiter coniungat, vt effugiant manifeſtam illam repugnantiā. Verùm initio contentionis de Euchariſtia, contrà ex fide probabant abeſſe carnem dominicam ab ipſa, quoniam dicebant fidem eſſe rerum abſentium, ſiue non haberi, niſi de rebus abſentibus, & nō apparētibus. Hoc modo ſolitos ratiocinari narrat Zacharias Prætorius in confeſſione Eccleſiarum de comitatu Mansfeldenſi, ipſiſque ita reſpondet, partim fidem eſſe rerum abſentium & ſperandarum, partim autem etiam eſſe rerum præſentium, ſed non apparentium, vt in iſto ſacramēto, cui per verbum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, vera caro eius ſubeſt, ſed nō cernitur, ideóque creditur. Diſtinguit etiam rem eandē rationi

Aduerſarij vt cōtradictoria efficiant ſimul vera, & abſentia realiter dicant realiter coniungi, comminiſcuntur Spiritus potentiam & fidei efficaciam.

An fides res abſentes faciat præſentes.

Initiò Aduerſarij probabant carnem abeſſe ab Euchariſtia, quia fide ſumeretur: nunc cōtrà.

tationi humanæ absenté iudicari, quoniã eam non potest comprehendere, quæ in veritate & fidei cognoscitur præsentissima, vt est caro Domini in hoc sacramento. Idcirco fides rectè prędicatur esse rerũ absentiũ, siue non apparentiũ, non ipsi fidei, quæ illas intuetur, sed sensui & hominis captui. Nunc cõtrà Aduersarij ex fide præsentiã carnis Christi studẽt in cœna extorquere, idque generali axiomate, quasi cõmune sit fidei officiũ res à Deo promissas pręsentes facere. Hîc non erubescũt fidei suæ virtutẽ Dei potentiæ & eius verbo anteponere, cùm in ipsis sitũ negent corpus Christi in cœnã præsens adducere, quod sua fide, quoties libet, euocant præsentissimum. Sed iterũ præstigiantur de præsentia, quæ ambigua vox est & multiplex. Nã veram, realem, ac substãtialem præsentiã rerum à Deo promissarum fides nõ affert. Ab origine mundi fides nõ defuit Patribus de incarnatione Christi promissi. Si per fidem re vera fiebat præsens, igitur re vera & in naturali existentia ac præsentia degebat, antequàm cõciperetur: imò ante matris, auorũ, ac proauorum vitam atque ortũ, infánsque prior matre, omnibúsque progenitoribus edebatur in lucẽ. Et qui credunt futurã resurrectionẽ corporis, ea potirentur præsenti per fidẽ suã, dicerentúrque corpore rediuiui, antequã mortui, eodẽque temporis momẽto verè affirmabuntur viui, mortui, & resuscitati. Deinde si promissa omnia per fidẽ veniũt in rem præsentẽ, igitur fideli nihil erit futurum de his, quæ diligentibus promisit Deus, sed omnia erunt corã, & ante pedes posita. Cur ergo scriptura fidelibus in futurũ pollicetur ferè vniuersa? vt, Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbũt, &c. Cur quorum fides tantũ cõmendatur ab Apostolo, scribuntur decessisse non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes? Quinetiam hæresis ista spem omnẽ perimit in fideli, quasi cũ fide nullo pacto stare queat. Si enim fides omnia futura & absentia efficit præsentia, desinit spes quæ de præsentibus nulla est. Nam (ait Apostolus) spes quæ videtur, nõ est spes, & quod videt quis, quid sperat? Nec solùm spei virtutem eneruat, sed cõtradictionem de præteritis & futuris implicat. Si fides præterita & futura in re præsenti constituit, iam cessant esse præterita & futura: quia nihil ita pugnat cum præsenti, quàm præteritum aut futurum, ex eo, quod si est, non præterit, & si futurum est, adhuc non habetur in præsentia. Sin responderint Aduersarij tantùm à se intelligi fide res existentes, quæ absint, coram sisti, ne sic quidem aberunt à manifesta absurditate & pugnantia. Credimus carnem Christi in cœlo sedere ad dexteram patris, credimus in domo patris beatorum multas esse mansiones, credimus Inferos & Inferorum ignẽ alicubi reponi: an ideò caro illa fit animis nostris intima, & alia possidentur præsentissima? Si sic est, igitur caro illa, & omnia quæ fide apprehẽdimus, simul pluribus in locis versabũtur & extabunt: aut repugnabit manere absentia, ac re vera nõ adesse, & tamen reipsa per fidẽ reddi præsentia. Quòd si cauillentur, carnẽ illã atque alia loco moueri, nec ibi manere, vbi antea erãt, cùm ad nos fide eliciuntur & pertrahuntur, igitur caro illa cœlũ derelinquet, & Inferi à propria sede ad nos transferẽtur, & omnia quæ fide cõcipimus, nõ alibi quàm in nobis consistent, ac nihilominus pluribus in locis eodẽ tẽpore continebũtur: quandoquidẽ in singulis fidelibus per fidem statui præsentia asseruntur. Tantũ verò abest, vt fides inuehat in rerũ naturã & existentiã præsentẽ ea quæ absunt, vt ne quidem in apprehẽsione sua præsentia iudicet & credat. Nam fidei nec decet, nec potest subesse falsum: alioqui iam nõ fides est, sed opinio, & hallucinatio. Quòd si apprehẽderet præterita aut futura, aut absentia pro præsentibus, quæ tamẽ nõ ita se habẽt re vera, falleretur & erraret. Itaque res amplectatur oportet, vt eas in natura & existẽtia cõperit, nec actione sua & apprehẽsione, qua sola fertur in res sibi obiectas & propositas, quicquã in

In Confess. Islebij impressa, anno. 1560 tit. de sacram. cõfutatione 34.

Fides nõ efficit res præsentes in existẽtia naturali & reali præsentia & vera.

Matth. 5.

Rom. 8.

Ne quidem fides facit res præsentes in apprehensione.

illis immutat, si non vult labi & decipi: multo minus valebit illarum existentiã variare, & in ipsa contradictoria simul vera ostẽdere. Abrahã credidit filij Dei incarnationẽ, & fide ipsam apprehendit, non præsentẽ, quia nondũ acciderat, sed futurã, & pro tẽpore quo foret in rerũ natura: nec eam præsentẽ sine errore cogitare potuit, per fidẽ, aut sibi persuadere: quanto minus per eandem potuit incarnationẽ ipsam in rerũ natura præsentẽ offerre & exhibere? At, inquiũt Aduersarij, Apostolus definit fidẽ esse ὑπόστασιν ἐλπιζομένων, id est, substantiã rerũ sperandarum, & argumẽtum nõ apparentium: quam substantiã interpretantur pro existẽtia rerũ quam fides operetur: sic enim vertit Beza: Est autẽ fides, illud quod facit vt extent quæ sperantur. atque ex Græco paraphraste citat, fidẽ esse quandã substantiã & essentiã rerum quæ nondum extant. Sed certè nec Beza dictionis allatæ ab Apostolo vim assequitur, nec ea existentia rerũ sperandarũ, quam Græcus paraphrastes attingit, causam Aduersariorũ adiuuat. Nec Erasmus, nec Philippus Melantho, acutiùs perspexerũt mentẽ Apostoli, cùm illã hypostasin, per fiduciã expectantem verterũt. Apostolus ait, accedentẽ ad Deũ oportere credere: ait fide credi aptata secula verbo Dei: quid hîc loci habet fiducia, cùm tamen fide opus sit? Non ergo fides fiducia est, sed benè ex fide ac certa persuasione & assensu, qui adhibetur Deo & eius verbo, nascitur fiducia. Propiùs ad veritatẽ Caluinus, cùm fidẽ hypostasin esse definit, ac fulcrũ cui pia mens innitatur & incumbat: sed errat in eo, quòd fidẽ putet certã quandã ac securã possessionem eorũ quæ nobis à Deo promissa sunt. Nã in promissorum possessione fides cessat, sed non in promissorũ certitudine, siue firma persuasione & assensu. Apostolus autẽ per hypostasin expressit significatũ fidei apud Hebræos, quibus scribebat. Apud illos *Aemuna*, id est, fides, à firmitate & soliditate deriuatur, ac significatũ accipit. Vnde in Exodo, sicut annotat Aben Esra, scribitur, quòd cùm brachia attolleret ad orationẽ Moses, manus eius essent fideles, id est, firmæ atque eadẽ etymologia Ioãnes in Apocalypsi hortatur singulos: Esto fidelis vsque ad mortem, id est, stabilis ac constans. Sic Paulus ad Colossenses vocat στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, id est, soliditatem fidei in Christum, quemadmodum Beza rectè transtulit, seu, vt vulgaris interpres, firmamẽtum fidei, id quod in epistola ad Hebręos hypostasis appellatur, id est, basis, fundamentum, ac firmamentũ rerũ sperandarum, siue assẽsus, cui omnis nostra spes de diuinis promissis, tanquã solido & immoto fundamento, inhęret & insistit. Ex qua phrasi scripsit Iacobus, Postulet in fide nihil hæsitans: & Augustinus solet dicere, Firmissimè crede, ac nullatenus dubites. Hypostasis quidem plura significat, & pręcipuè cuiusque rei existentiã: sed quo minus in eo significatu capiatur, impedit materia cui applicatur. Fides enim etiamsi efficeret rerũ sperandarũ existentiã, nõ tamen est earum existẽtia, nec fides eas in lucem producit, sed Deus ipse qui promisit, & repugnat res sperandas iam habere aliquã existentiam propriè. Quanto enim magis quicquam de earũ existentia statueris, tanto plus de proprietate rerũ sperandarũ detraxeris, quarũ propria existentia à futuro pendet, non à pręsenti. ἔλεγχος insuper, id est, redargutio, conuictio, probatio & demonstratio, atque assensio, cum hypostasi fidei attributus, etiã declarat nihil hîc agi de existentia rerũ, quę subsunt fidei, sed de earũ certitudine, certitudinísque fundamento & argumẽto, quod solidissimũ fides est. Nec fides potius sperandarũ rerum existẽtia, aut eius causa existimari debet, quàm pręteritarum, aut adhuc existentium, quę omnes ęqualiter subiacent fidei, & fides parẽ vim erga omnes habet sine temporis discrimine. Si futurarum ergo pręberet aliquam existentiam, eodem pacto daret & pręteritarum atque absentium, quę adhuc existunt, & sola fide cognoscuntur. Cęterùm demus fidẽ dici & haberi existentiã rerũ omniũ, ad quas se extendit, quoniã & Grecus

Hebr. 2. Explicatur textus Apostoli, de fidei definitione.

Theoph. in ep. ad Hebr.

Philipp. in locis communib. ca. de fide.

Cal. in Instit.

Exod. 17.

Apoc. 3. & 2. Coloss. 2. ibi Chrysost.

Iac. 1.

Græcus paraphraſtes ita putauit quid fides apud Hebræos ſonaret, non animaduer-
tens, & hypoſtaſin communiter apud Græcos exiſtentiam & eſſentiam denotare
intelligens, quod quia in aliquo ſenſu defendi poteſt, videamus in quo veritati con-
ſentaneum erit. Præter actualem & ſubſtantialem rerum exiſtentiam ac præſentiam, *Varia eſt rerũ*
quædam ſunt ſpiritales, analogicæ, vel metaphoricæ, quæ non conſiſtunt in re- *præſentia.*
rum natura, ſed in agitatione animi & fidei. Primam ponamus certitudinis, quæ tá-
tam faciat fidem de rei exiſtentia, quam ſi coram cerneretur oculis: imò quæ nos
de re certiores efficiat, quàm ſi manibus teneremus, & contueremur. Talem rei
exiſtentiam parit, ac ſibi proponit fides, quæ res quas credit, certiùs confirmat
veras eſſe, ac verè extare pro tempore ſuo, quàm ſi ſenſibus obiicerentur. Pro-
pterea ſcriptura res futuras, quæ ſub fidem cadunt, deſcribit, vel tanquam præ-
teritas, vel tanquam iam præſentes & exiſtentes, non quia ita ſe habeant in rerum
„ natura, ſed in certitudine & fide. Ex eo dicendi genere ita loquitur Apoſtolus: *Epheſ.2.*
„ Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua
„ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, & con-
„ reſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu: quæ omnia nondum
„ ſumus adepti, ſed tum certò fore fide perſuademur, ac ſi iam potiremur. Auguſti- *Auguſt.lib.2.*
nus propter huiuſmodi ſcripturas diſtinguit duplicem exiſtentiam & præſentiam, *cap.7.in Fauſt.*
in re, & in ſpe, & illam quam fides affert, vocat in ſpe, non in re, ex Apoſtolo, qui ait, *et in Pſal.129.*
„ Spe ſalui facti ſumus. Ea de cauſa fides rectè hypoſtaſis rerum futurarum ſeu exiſté- *De varia præ-*
tia exponi poteſt, non in re, ſed in ſpe certa ac ſolida: & hoc eſt quod fides addit ſpei *ſentia in re &*
rerum futurarum, nempè certitudinem & ſoliditatem tantam, ac ſi aduenilſent & *in ſpe.*
eſſent. Hoc eſt quod Apoſtolus alibi iubet nos tenere firmiſſimam ſpem tanquam
anchoram, ita vt eodem redeát, fidem eſſe exiſtentiam in ſpe, & non in re, rerũ ven-
turarum, & eſſe ſoliditaté, firmitatem, ac certitudinem ſpei: quæ vtraque vera expo-
ſitio nihil ſuffragatur hæreſi Aduerſariorũ, qui ſtudent imperitis imponere, quaſi fi-
des abſentes in ré præſentem adducat, aut corá ſtatuat: cùm fides nihilo plus de re in
lucé producat, quàm erat, antequá haberetur ipſa fides, ſed plus gignit certitudinis
ac ſpei de rebus futuris & abſentibus. Deinde quædam eſt præſentia & exiſtentia re-
præſentationis, per quam imagines & lineamenta rerum abſentium aut oculis aut a- *De exiſtentia*
nimis noſtris imprimũtur, aut proponũtur, táquam in ſuo naturali ſtatu eſſent. Ita a- *repræſentatio-*
micitia à Cicerone traditur tantam animorum conſociationé deuincire, vt abſentes *nis.* *Cic.de amicitia*
ſemper adſint, & mortui viui appareant. Sic Bernardus ait, animũ intimiùs habitare,
„ & præſenté eſſe, vbi amat, quàm vbi animat. Sic Apoſtolus ſcribit: Etſi corpore ab- *Bernard.lib.de*
„ ſens, tamen ſpiritu vobiſcum ſum. Fides itaque, quæ per dilectioné operatur, abſen- *precept. &* *diſpenſat.*
tes res tanto magis & expreſſiùs iubebit adeſſe præſentes, quanto vehemétiori dile- *Philipp.3.*
ctioni & charitati cóiungetur: ſed in repræſentatione tátùm, memoria, affectione & *1. Corinth. 5.*
deſiderio erit illa exiſtétia & præſentia, non in re ſeu ſubſtátiali exiſtétia. Tertiò fides
eſt oculus, non corporis, ſed animi, non rerum naturalium, quæ ſenſibus ſiue iudi-
cio humano videri & capi poſſunt, ſed ſupernaturalium, & earũ quas oculus non vi-
dit, nec auris audiuit, & quæ nec in cor hominis aſcenderunt. Excedit illa mundũ, &
intra Dei lumen, quo cernũtur omnia, recipitur, atque ad ipſum attollitur. Ideò mu-
tat quodammodò exiſtere humanũ, & in quoddam exiſtere diuinũ prouehitur: ob
ídque non ineptè fides iudicatur hypoſtaſis, ſeu exiſtentia, quæ nos conſtituit in eſſe
& exiſtere rerum ſperandarum ſupra mũdum. Sicut ergo Deus omnia videt, omnia
luſtrat, & cuncta habet aperta corá oculis ſuis atque præſentia: ita fides cuncta ſibi à
Deo reuelata, ſuo intuitu ſupernaturali & lumine, cuncta hominibus non apparétia,
ſiue futura, ſiue præterita, ſiue præſentia, ſpeculatur, ſibíque efficit præſentia, non

Præsentia visionis.

in re seu naturali existentia, sed in spe, vel solius speculationis, visionis ac contemplationis existentia & præsentia, atque ita nominatur potius quàm in re. Ac ne quidem fides res illas in sua natura & naturali existentia attingere potest: quanto minus nostris animis præsentes importare? Deus enim ac beati soli res fidei subiectas intuentur facie ad faciem, seu in aperta rerum existentia & natura, pro tempore quo consistunt: Fides verò in speculo & in ænigmate, quadámque figura & vmbra tantùm prospicit: imò oblata rerum naturali præsentia ac visione, fides desinit ac perit, authore Apostolo. Demus igitur fidei & tertiam hanc facultatem præsentandi res in visione ænigmatica ac figurata: sed ea nec realis est, nec substãtialis, sed tantùm specularíua, spiritalis, ac figurata existentia. Quasi verò fides sua speculatione res subiiceret oculis, Petrus Martyr atque alij audent pro præsentia reali per fidem citare, Abraham exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. De visione & aspectu solius fidei licet certè interpretari, sed non satis excellenter pro dignitate tãti Patriarchæ. Erat enim non solùm pater omnium credentium, sed & Propheta, sicut regi Abimelech Deus indicauit. Quamobrem non sola fide perspexit diem Christi, sed lumine Prophetiæ clarius & amplius vidit, quàm fide. Prophetæ per excellentiam vocantur à scriptura videntes potius quàm credentes: quia quamuis infra comprehensionem & apparentiam, qua fruuntur cum Deo, Angeli & beati cognoscerẽt, atque intuerentur arcana Dei, & ita adhuc inter viatores & fideles numerarentur, tamen adeò supra alios fideles eorum mens, & nonnumquam oculus corporis, illustrabátur rerum notitia, vt eas videre, ac præsentes habere, meritò censerentur. Nam eorum animos & oculos spiritus diuina luce perfundebat, cuius vi rerum intelligẽtiam & visionẽ assequebantur, próque tempore quo erant præsentes perficiebant. Nam eadẽ spiritus virtute, eorũ inquam animis atque oculis, nõ propria existẽtia, sed vmbræ & imagines obiiciebanrur, quæ res venturas delinearent. Ita Lactãtius satisfacit quærẽti, cur Prophetæ de rebus futuris vaticinarentur, & loquerẽtur tanquã de præteritis: Quoniam, inquit, eorum oculis rerum visiones obuersabantur, sicut iam præsentiũ. Addit Athanasius, ita Prophetas res futuras contemplatos vt præsentes, nec potuisse non videre quæ fiebant, quemadmodum oculis non aliter cernimus, & aliter res fit, sed sicut geritur, ita contuemur, & contrà. Quocirca Abraham vidit diem Christi fide, vt nonnulli Doctorum scripserunt, in quibus est Augustinus, sed non sola fide, imò manifestiùs Prophetiæ dono, & spiritus fulgore; quo mens & oculus corporis supra naturã illustrabantur, vt idem Augustinus atque alij testificantur. Veruntamẽ quantumuis à longè vetè fuerint intuiti Prophetæ res futuras, vt præsentes & existẽtes pro tempore quo erant futuræ, non tamen eorum fides aut visio prophetica res visas producebat in existentiam, aut præsentiam actualem, sed præsentes tãtùm erãt in visione & speculatione, quoad rem verò ipsam & substantialem existentiã, tantũ in certissima spe. Nec solùm aspectu ipso non adducebant in mediũ, sed ne quidẽ in veritate & existentia eorũ oculis proponebãtur, sed in vmbra & figura, vt posteà sumus lariùs explicaturi. Quapropter quodcũque viderit Abraham, & quantacunque maxima vmbra, per illã visionem tamẽ nec Christum, nec eius vllũ mysteriũ in præsentia & veritate exhibuit, vt re vera extaret. Nec igitur fides, nec Prophetia absentes res promissas in præsentia præbet, nisi in sola contemplatione, cognitione, & vmbra ac figura, & non in veritate. Quid ergo? nihílne fides prodest, nisi ad cognitionem, aut nihil offert & affert, quod præsens re vera possideatur à nobis? Certè fides præter notitiam res notas apprehẽdit, & facit suas, sed iure ac merito, certáque spe, nondum in re: contrà in re, non in sola spe rerum futurarum & non apparentiũ effectus arripit, hísque præsentibus nos potiri procurat & impetrat. De priori scribitur: Certa

Ioan. 8.
An Abrahã sola fide vidit diem Christi.
Bernard. serm. 6. in vigi. Natiuit. Domini.
1. Reg. 9. & Orig. lib. 1. in Celsum.
Prophetarum visio excedebat fidem.
Euseb. l. b. 5. de demonstr. Euãgelica.
Lact. libro 7. cap. 24.
Athanas. de passione & cruce.
August. tract. 43. in Ioann.
August. lib. 3. cap. 26. contra Maximinum.
Ambros. lib. 1. ca 3 de Abra.
Hieronym. li. 2. in Ioann.
Hila. li. 4. de Trinit.
Quid fides præter cognitionẽ nobis afferat in præsentia.

Ad Timoth. 1. cap. 6.

Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam: merito scilicet ac iure, & certa spe, nondũ in re. Ex posteriori modo dicimur per fidem in Christum accipere remissionem peccatorum, gratiam, aliáque quæ fidelibus conferuntur à DEO. Ex his fallacias consuunt Aduersarij. Nam quoniam iure, merito ac spe, per fidem Christus totus fit noster etiam actu, malè colligunt, re vera carnem eius haberi præsentẽ, cùm inde non magis habeatur, quàm si nondũ fuisset incarnatus. Sed quoniam rei vox ambigua est ad naturã & naturalẽ existentiã rerũ, ad earum effectus, & ad actualem habitudinem, siue ius acquisitum ad rem, siue in re, ludũt Aduersarij ex illa ambiguitate, & realem præsentiam, seu coniunctionem, seu possessionem, seu participationem nuncupant, cui subsit aliqua relatio actualis, non purè imaginaria, ad rem vel præteritã vel futuram, vel aliàs absentem, aut cuius in promptu & actu obtineatur aliquis effectus. Ne fallamur itaque ex realitatis perplexitate, attẽdere decet, quo in sensu quadrare possit. Concludendum autem est, fidem res substantiales non efficere præsentes, nec nos illis coniungere reali existentia, sed solùm in certa spe, vel actuali habitudine: Ideò à veteribus Christianis & modernis semper negari per fidẽ realem præsentiam aut copulationem cum carne Christi, id est, in naturali existẽtia, sed solùm concedi in præparatione, spe, vel alia habitudine effectus ad causam, vel repræsentatione, vel contemplatione, vel alioqui quouis spiritali modo, seu actuali, seu tantùm intellectuali, quibus realem, substantialem & corporalem opposuerunt, Irenæus, Hilarius, Cyrillus, Chrisostomus, atque alij ad expressam distinctionem.

Quoniam Rei. dictio ambigua est, ex ea fallunt Aduersarij.

DE AMBIGVA ET INCERTA PER ADVERSARIOS definitione manducationis spiritalis per fidem: quænam sit, & eam solam non in Cœna fieri, multis modis probatur. CAP. 4.

DISCVSSIS vocabulorum nebulis, quibus veræ manducationi carnis Dominicæ tenebras offundunt Aduersarij, videndum tandem est, quid sit ex eorum sententia manducare carnem Christi spiritaliter per fidem in cœna: atque an ea sola manducatio fiat, nec præter eã aliam Christus instituerit, cùm Eucharistiam tradidit. Ea verò mentis vertigine percelluntur illi, vt nec inter se, ac vix vnus secum consentiat in definiendo manducationem illam. Modò nihil aliud esse decernunt, quàm credere in Christum, modò quàm communicare eius passionibus, vt ex Augustino allegãt: modò, quàm spiritui eius & diuinitati communicare, quasi caro non prosit quicquam: modò, quàm incorporari Christo, & eius carni per fidẽ: modò, quàm huiusmodi incorporationẽ iam factã obsignare: modò, aliud atque aliud comminiscũtur. Priora tria opinati sunt Cingliani, posteriora ac multa alia Caluinus & Beza, prioráque improbant, tanquã non satis institutioni Cœnæ conuenientia. Sic igitur Caluinus scribit: Sunt qui manducare Christi carnem, & sanguinẽ eius bibere, vno verbo definiũt, nihil aliud esse, quàm in Christũ ipsum credere: sed mihi expressius ac sublimius quid videtur voluisse docere Christus præclara illa cõcione, vbi carnis suæ mãducationẽ nobis cõmẽdat, nẽpe vera sui participatione nos viuificari. Verũ hoc inter mea & ipsorũ verba interest, quòd illis mãducare est duntaxat credere, ego credẽdo mãducari Christi carnẽ aio, qui fide noster efficitur, eámque mãducationẽ, fructúmque & effectũ fidei esse dico: aut si clarius velis, illis mãducatio est fides, mihi ex fide potius cõsequi videtur. In verbis paruum, sed in re est nõ mediocre discrimen. Beza fidem fungi officio dentium in esu spiritali fingit, vt magna dexteritate distinguat inter fidẽ & spiritalẽ actionẽ, sicut inter dẽtes & esum.

Aduersarij nõ possunt definire, nec certò statuere. Quid sit edere carnem Christi spiritaliter.

Cingl. epist. ad Norsbergenses.

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17.

At Cinglij definitio ſcripturæ magis cõſonat, & piis omnibus, qui ſpiritalem mãducationem non eſſe effectũ, ſed fidei actũ norunt: Ipſam verò nutritionem, & per ſpiritum viuificationem, vt fidei, ita ſpiritalis eſus effectum eſſe. Nam Chriſtus edere, credere, & bibere, vt indifferentia permiſcet, & Patres nihil aliud iubent, quàm piè credere, vt ſpiritaliter quis manducet, ſicut ex Cypriano & Auguſtino audiemus poſtea. Contra ſecundã opinionẽ idẽ Caluinus hæc loquitur: Videamus quomodo nobis detur corpus Chriſti. Quidam nobis dari exponũt, dum participes efficimur omnium bonorũ, quæ nobis Chriſtus in corpore ſuo acquiſiuit: dum fide, inquã, amplectimur Chriſtum pro nobis crucifixum, à mortuis excitatum, eóque modo efficaciter omnibus eius bonis communicamus. Qui ſic ſentiunt, fruantur ſanè illo ſenſu. Ego autem tunc nos demum participare Chriſti bonis agnoſco, poſtquam Chriſtum ipſum obtinemus. Obtineri autem dico, non tantùm cum pro nobis factam victimam eſſe credimus, ſed dum in nobis habitat, dum eſt vnum nobiſcũ, dum eius ſumus membra ex carne ipſius, dum in vnam denique & vitam & ſubſtãtiam, vt ita loquar, cum ipſo coaleſcimus. Præterea audio quid verba ſonent. Neque enim mortis eius tantùm & reſurrectionis ſuæ nobis Chriſtus beneficia communicat, ſed corpus ipſum, in quo paſſus eſt, & reſurrexit. Hoc eſt verè nobis dari in cœna corpus Chriſti. Contra tertiam ab eodem dicitur: Neque illi mihi ſatisfaciunt, qui nonnullam nobis eſſe communionem agnoſcẽtes, eam dum oſtendere volunt, nos ſpiritus modò participes faciunt, prætерita carnis & ſanguinis mentione quaſi verò illa omnia de nihilo dicta forent, carnem eius verè eſſe cibum, ſanguinem eius verè eſſe potum: Non habere vitam, niſi qui carnem illam manducarit, & ſanguinem biberit, & quæ eodem pertinent. Quare ſi vltra eorum deſcriptionem ſolidam Chriſti communionem progredi conſtat, quouſque pateat, & ſeſe proferat, paucis perſtringamus. Dico igitur in cœnæ myſterio, per ſymbola panis & vini, Chriſtum nobis verè exhiberi, adeóque corpus & ſanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis iuſtitia adimpleuit, quo ſcilicet primùm in corpus vnum cum ipſo coaleſcamus. Deinde participes eius ſubſtantiæ facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque ſentiamus. Caluino itaque manducari carnem Chriſti in cœna, eſt per fidem carni eius incorporari, & ex ea ſugere vitam, ac beneficia accipere, tanquam fructum & effectum manducationis ſiue cœnæ: Verùm non in eadem ſemper manet ſentẽtia. Nam plerumque aſſeuerat mãducationem in cœna ſpiritalem, & ſacramentorum ſubſtantiam in eo conſiſtere, vt nos ad Chriſtum adducant, ad quod ſequatur incorporatio illa. Verba ſunt ipſius: Hîc demum verus ac rectus ſacramenti vſus eſt, rectà nos ad Chriſtum manu ducere. Et in Catechiſmo docet ſacramentorum efficaciam eſſe communicationem Chriſti, vt per ea vniamur Chriſto. In Harmonia verò aſſerit potione ſanguinis ſanciri hoc fœdus ſeu ſacramentum, vt ſit efficax. quod idem eſt ac ſi diceret, potionem ſanguinis ſpiritalem omninò efficaciam huius ſacramẽti antecedere. Proinde ex Caluino tantùm abeſt, vt manducatio carnis & potio ſanguinis ſit incorporatio in Chriſto, quod nõ eſt proximus eius effectus, ſed antequàm ad eum veniatur, plurimi interponuntur, vt eſt per ipſam manducationem carnis ſeu ſacramentum ipſum excitatio fidei, acceſſio ad Chriſtum, & per eum ad patrem & gratiæ thronum, à quo beneficia remiſſionis peccatorum atque alia impetramus propter Chriſtum, tum demùm illi inſerimur, & manet in nobis, & nos in eo. Hæc ſeries recta eorum quæ fiunt in cœna per fidem ſpiritaliter, quæ nec Caluinus potuit inficiari. Beza quidem mordicùs incorporationi illi, tanquam veræ mãducationi carnis, quæ decreta ſit in cœna, inſiſtit. Textus eſt: Chriſtum manducare nihil aliud declarat, quàm fide

Caluin. in 6. cap. Ioan.

Calui. in 1. ad Corinth. cap. 2.

Varia opiniones Caluini in definiendo quid ſit edere carnẽ Chriſti ſpiritaliter.

Caluin in cap. 5. ad Epheſ.

Caluin in cap. 6. Ioann.

Beza in 10. ſo-

„ Chriſtum in ſacramento oblatum apprehendere, ſiue Chriſto incorporatum eſſe, „ ad vitam æternam ex eo hauriendam, cuius rei gratia tota hæc myſtica actio eſt à „ Chriſto inſtituta. Iſtam Chriſti manducationem meritò illud eſſe dicimus, quo externa illa omnia reſpiciunt. Attamen in ſumma de ſacramentis idem Beza teſtatur, & aſſerit, verbum & ſacramenta eſſe media aut inſtrumenta ad fidem, & fidem eſſe medium aut inſtrumentum ad Chriſtũ apprehendendum cum ſuis meritis. Quinetiam in Confeſſione ſcribit, ſacramenta eſſe inſtrumenta in eum finem decreta, vt vniamur cum Chriſto. Propterea cum Caluino priorẽ retractat de incorporatione ſententiam, illámque manducationis finem & effectum potiùs eſſe agnoſcit, quàm ipſam carnis manducationem, quemadmodum fateri omnes etiam inuitos veritas compellit. Intereà quid propriè ſit eſus ſpiritalis, certò definire nequeunt, ſed huc & illuc vagantur. Quot certè opiniones prodiderunt antea de re quæ in cœna ſumatur, tot diuerſitates ſunt de manducatione illa. De ſpiritus participatione, & paſſionum Chriſti communicatione, nonnumquàm in Cinglianorum deſcendunt ſententiam, vt antea quoque recitauimus. Bezæ inſuper aliquando, Edere Chriſti carnem idem ſonat, quod Chriſtum in nobis habitare: aliquando, quod nos fieri carnẽ de carne, & os de oſſibus eius: aliquando, quod ius conſequi in corpore Chriſti, ſicut ait Patres ante natum Chriſtum ipſum comediſſe: aliquando, idem quod Chriſtum fieri noſtrum, ac donatum vt noſter ſit, ſicut ſi quis mihi agros in Saxonia aut Sicilia donaret. Quæ ratio manducationis non requirit immenſam Spiritusſancti potentiam, quam faciunt cauſam efficientem ſuæ manducationis, niſi quatenus fides nobis donatur. Nam quiuis homuncio poſſet mihi ſua aliqua bona vel remotiſſimè ſita donare. Qua etiam ratione Patrem cœleſtem comederemus. nam & ille fit noſter, & viciſſim nos eius filij. Quinetiam cœlum ipſum, ac totum mũdum: ſiquidem illa fiunt noſtra. Pertæſus incertitudinis ſuæ Beza, tandem cogitur profiteri, in cœna nihil noui manducari aut acquiri, ſed acquiſita iam per ſolam fidem tantùm „ obſignari. Neque enim (inquit) ad cœnam accedimus, vt tum primùm Chriſto in- „ corporati percipiamus ipſius bona, quũ iam antea in baptiſmo ipſum induerimus, „ vt in ipſo ablueremur ab omnibus peccatorum ſordibus, & peccato mortui in no- „ uã vitã reſurgeremus, & poſtea verbo vitæ per fidem apprehẽſo, rurſus propiùs cũ „ eo coaluerimus, ſed vt Chriſti magis ac magis participes facti, in ipſo adoleſcamus, „ ſiue vt quod obtinuimus, in nobis magis ac magis obſignetur. Antequàm autem Aduerſariorum præcipuas fictiones & falſitates repellamus, primùm doceamus in inſtitutione Euchariſtiæ à Chriſto duplicem, aut etiam triplicem eſum carnis dominicæ contineri & commendari: Phyſicum & naturalem, per communicationem proprietatũ panis & vini, quæ ibi comeduntur. Sacramentalẽ, quo caro ipſa ſub ſacramento viſibili panis & vini inuiſibiliter ſumitur. Nam ex verbis Cœnæ conſtat à Chriſto dari panis ac vini formam, & corpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum, cùm illa nominatim iubeat accipere, edere, & bibere. Præcipitur etiam ibidem externa percipiendi actio. Nã verba, Accipite, Comedite, neceſſe omninò eſt de externa acceptione intelligi, vt ex textu ipſo euidẽtiſſimè patet. Sicut enim dominus externo modo dedit, ita etiam accipi voluit. Quod ſi ſic illa verba intelligenda non ſunt, ſed tantùm de interna quadam cogitationis & fidei acceptione, tum planè tota ſacra cœna aboletur. Quis enim audebit cœnam talem peragere, ſi non inſtituitur ac iubetur à domino? Alio modo ac tertio verba cœnæ oſtendunt, Chriſtum ſeſe fidei noſtræ offerre, cùm ibi dicitur, Quod pro vobis datur, Qui pro vobis funditur, & Hoc facite in meam commemorationem. Non enim ibi otioſa aut inutilis memoria præſcribitur, qualem abſentium hominum fruſtrà peragimus, ſed planè operoſa

Ibi. contra Matth. Illyric.

Beza in ſolutionibus contra Illiricum.

Beza in 23. ſolut. contra Illiric.

Ex verbis cœnæ rationes multæ contra ſolam ſpiritalẽ manducationẽ per fidem.

Triplex eſus carnis Dominicæ in verbis cœnæ continetur.

Si verba Cœnæ nõ intelligũtur de externo eſu fruſtrà ſit Cœna.

Quibus verbis cœnæ præcipiatur ſpiritalis eſus.

Christi apprehensiua, nobísque salutaris, qua videlicet credimus, ac certò statuimus eum nobis à Patre donatum, pro nobis nostráque salute passum esse, nósque ingentibus bonis sua morte partis ditare, quaque eum verè apprehendimus, & non sola fide, sed per debitam omnem obedienriam, præparationem, & dispositionem applicamus, propriúmque reddimus. Modus etiam atque instrumenrum verbis cœnæ monstratur, quo ipsum in hac posteriori exhibitione capere debeamus, nempè per fidei memoriam, non otiosam quidem, sed talem, qua certò credimus eum olim nobis à Patre suo donatum venisse in mundum, nostri boni causa incarnatum, passúmque esse, & resurrexisse, ac in cœlum ascendisse, sempérque se atque omnia bona à se acquisita nobis per hanc fidei memoriam distribuere & applicare. Hæc est interna ac spiritalis carnis Dominicæ sumptio, ac manducatio per fidem, quæ fit & requiritur in Cœna, vt dignè celebretur. Hic primus Aduersariorum error, quòd per posteriora verba facta in Cœna, priora studeant abolere, & in nihilum redigere, in eorúmque locum posteriora intrudere, necnon per assertionem spiritalis manducationis sacramentalem & realem excludere. Nos contrà & singulis verbis Christi suam proprieratem retinere volumus, & vtramque manducationem verbis illis distinctam agnoscere atque distinguere. Præter allatas rationes in capite octauo Repetitionis primæ circa finem, ista nos mouent. Imprimis sacramenta omnia duas inter se diuersissimas partes habēt, duásque multum à se inuicem diuersas res proponunr & tractant. Primùm enim ipsam essentiam corpúsve sacramenti describunt, postea eius vsum, finem atque effectum. Ideò in eorum descriptione diligenter ac perspicuè ipsa essentia, & quasi corpus sacramenti explicatur, postea eius finis ac scopus indicatur. Sic fit in descriptione Iridis, Circuncisionis, sacræ cœnæ de agno paschali, & nostri baptismi. Cœnam sacramentorum præcipuum esse nemo Aduersariorū dubitauit. Duas igitur partes & membra inconfusa contineri oportet, & in eius descriptione distinctè tradi. At si verba, Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*, propriè, vt placet Aduersariis, ad spiritalem manducationem pertinent, quæ ad finem & fructum sacramentorum necessariò referenda est, relinquetur planè nihil textus in Cœnæ narratione descriprioni essentiæ sacramenti, & deficiet potissima pars huic sacramenro, quæ est eius essentia, si nihil in eo percipirur aut significatur quàm finis & fructus. Sin in eo, sicut in aliis, diuidi essentiā à fine par est, & separatim enarrari, prior pars Cœnæ, quæ habet Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*, essentiam sacramenti significabit, & mādurionem sacramentalē carnis Dominicæ: & alia verba, quæ ad fructū & finem talis manducarionis pertinent, vt est, dari, & accipere in remissionem peccatorum, & Cœnam sumere ad Christi memoriam, de posteriori parte sacramenti, & spiritali esu dicentur, nec poterunt ad antecedenria verba applicari, & manducarionem realem carnis illius à Cœna submouere. Caluinus & Beza aliquando concedunt talem textus distinctionem & expositionem, aliquando cauillantur. Comprobat Caluinus, cùm ait: Quod pro vobis datur, est secundum membrum promissionis: quod leuiter prætereundum non est. Neque enim simplicirer & sine adiectione Christus corpus suum nobis offert, sed quatenus pro nobis immolatum est. Prius ergo membrum significat nobis corpus exhiberi, hoc secundum exprimit quis indè fructus ad nos perueniat. Aliquando Beza narrat, testari Caluinum à priori parte sacramenti ipsam eius essentiam describi, & ipsemet ita esse sic scribit: Prioribus verbis illis, Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*, dicimus & signum, & rem significatam, panem videlicet, & corpus per panem significatum sacramentaliter, ac præterea etiam quod nobis ex parte nostra sit agendum, declarari: posterioribus verò illis, Quod pro vobis traditur, vsum ipsum & fructum istarum rerum

Errant aduersary, cùm per posteriora verba cœnæ volūt abolere priora.

Sacramentorū descriptio. substantiam eorū distinguunt à fructu & fine.

Beza in 15. folius contra Illyricum.

explicari. Aliquando contrà non aliam esse tradit sacramenti essentiam, quàm fru-„ctum, vt cùm inquit: Internam, siue rem ipsam sacramenti iam diximus à nobis sta-„tui, non tantùm quicquid à Christo in nos deriuatur, sed ipsum imprimis Christũ.„Quod enim tandẽ discrimen est inter ista duo, Materia, seu res, seu substantia sacra-„menti est ipse Christus, cum omnibus suis bonis in nos deriuatis: &, Sacraméta sunt„ipsa spiritalia bona à Christo accepta, seu spiritalis eius manducatio? Aliquando Caluinus & Beza cauillantur de substantia sacramenti, eámque duplicẽ faciunt, externã & internã, Christúmque ponunt pro interna & spiritali materia, vt spiritals eius mãducatio constituat in parte substantiam sacramẽti. Verùm cum substantia hoc loco intelligi debeat ipsa existentia sacramenti, seu corpus eius, & res existens in ipso, falsum est duplicem substantiam eius requiri, externam & internam. Oportet enim vnicam eius existantiam & substantiã ponere, quia etiam authoribus Caluino & Beza sunt sacramenta externa symbola seu signa, ac visibilia testimonia de diuinis promissis.

Beza in 5. solu. contra Illyric.

Calu. in 2. defensio. contra VVestpl. Beza in summa De sacrament. & in solut. 5. & 7 cõtra Illyric.

Quid sit substantia sacramenti.

Idcircò vnica est eorum externa & visibilis existentia ac substantia, quamuis in se res inuisibiles continere possit, ac re vera contineat, & mirum videretur internam habere substantiam, quæ definitione ne quidem significaretur, cùm definitionis sit officiũ rerũ esse & existere designare. At non pronuntiatur à Christo, Hoc ego sum, accipite, & comedite: sed, *Hoc est corpus meum*. Nõ igitur Christus esse, seu essentiã externam, vel internam huius sacramenti possidet, sed eius corpus in accidente & signo visibili.

Christus non est substantia Eucharistiæ, sed eius corpus

Antea quoque ex Caluino & Beza citauimus, sacramenta nos ducere ad Christum, & efficaciam eò spectare, vt per ipsa vniamur Christo. Qua de causa Christus est finis & scopus huius sacramẽti, nõ essẽtia. Postremò, toties ingeminãt sacramenta esse signa, quæ non sint commiscenda cum rebus significatis, ob ídque tam longè corpus Christi à sacramento segregant, quàm cœlum à terra. Cùm verò in rebus significatis à sacramento etiam Christum ipsum numerent, itidẽ non oportebit ipsum sacramẽto commisceri. Quod si rursus Christus ipse pro materia interna substantia, essentia, ac re sacramenti haberi debet, necessariò commiscebitur cum illo. Cum quo enim magis necessariò cogitur commisceri quidpiam, quàm cum propria, internáque materia & substantia? Quomodo enim res vlla potest à sua existentia & essentia separari? Siue ergo Christus ipse, siue caro eius, ad essentiam huius sacramenti pertineat, vt institutionis verba ostendunt, sacramento inerunt, & externo esu percipientur, atque alio quàm spiritali & interno animi per fidem. Porrò multipliciter otiosa tautologia in sacræ cœnæ contextu incideret, si Aduersariorum valeret opinio. Nam cum velint in verbis, *Hoc est corpus meum*, spiritalem manducationem contineri, cogentur etiam eandem in mox sequentibus admittere, Quod pro vobis traditur: &, In memoriam mei facietis. Quare idem sæpiùs inculcatur. Cùm insuper velint tantùm agi de spiritali sumptione corporis & sanguinis, & illa perinde in alterutra parte aut specie habeatur, necesse est idem dici, ac esse reipsa, cùm profertur de pane, Edite, *Hoc est corpus meum*: ac cùm profertur, Bibite, Hic est sãguis meus. Quare illa térque quatérque iterata repetitio, planè otiosa, deformis, & ad imposturã idonea esset tautologia.

Si in verbis cœnæ sola spiritalis manducatio intelligeretur, esset tautologia.

Nec magis, *Hoc est corpus meum*, Hic est sanguis meus, monstrabunt corpus & sanguinem Christi existere, non dico in sacramento, sed nec in rerum natura, quàm si nusquam extarent, si sola per ea monstratur spiritali communio: quoniam hæc fit, etiamsi illa non extarent. Hîc repetenda sunt omnia, quæ de fœderibus sanciendis in prima Repetitione disputata sunt, in quibus res exterior, & frequentiùs sanguis adhiberi consueuit, & vtrique parti contrahentium externo vsu offerri: vt per tesseram externam obligatio mutua fiat, & omnibus innotescat ad

fructum aliquem & finem. Præterea in ipsa Cœnæ locutione manducatio dicitur fieri in, seu ad memoriam passionis eius. Non autem spiritalis esus carnis aut passionis Christi fit in, vel ad, vel propter notitiam memoriámve, sed contrà notitia mandatur propter illam spiritalem fruitionem. Omnis enim cognitio boni, est veluti aditus quidam aut via ad consequendum agnitum bonum. Ita & hîc memoria est via ac medium quoddam ad spiritalem manducationem Christi. Falsò igitur Aduersarij ante memoriam ponunt spiritalem fruitionem, vel manducationem.

Quid per memoriam Christus intellexit, cũ ait, Hoc facite in meam cõmemorationem.

Hîc quæritur, quid per memoriam significarit Christus, cùm iubet sacramentum agitari in sui memoriam. Ista sanè vox duplicem habet intelligentiam. Aut enim designat reminiscentiam, seu rei iam antea scitæ recordationem, aut personæ alicuius siue rerum gestarum cognitionem ad posteros propagatam. Non in priori, sed in posteriori significatu Christus eam adhibuit. Nam ideò sacramentum hoc & alia etiam instituit ac reliquit, vt omnis posteritas veram piámque memoriam, id est cognitionem ipsius, ac rerum ab ipso gestarum, & maximè quas pro nobis perpessus est, habeat, colat, & celebret. Sic Apostolus declarauit, cùm ait, Mortem Domini annuntiatis donec veniat. Eò enim spectat publicus ritus sacrosanctæ Missæ & Eucharistiæ, vt nos commonefaciat de Christo & passione eius, déque his in nobis cognitionem fidei, seu fidem gignat & excitet. Memoria igitur in sermone Christi fidem, seu fidei scientiam & confessionem indicat: quod inter Aduersarios præcipui non inficiantur.

Calu. in capit. 2. pri. ad Cori.

Pet. Martyr. in 2. solut.

Beza in Scolio ad 1. Corinth. cap. 2.

Alasco lib. de sacr.

Sic enim Caluinus habet: Cœna est quoddam, vt ita loquar, memoriale, „ quod perpetuò durare in Ecclesia debet vsque ad vltimum Christi aduentum, „ in hunc finem institutum, vt nos Christus de beneficio mortis suæ admoneat, „ & nos coram hominibus id recognoscamus. Vnde & nomen Eucharistiæ ha- „ bet. Itaque vt ritè Cœnam celebres, memineris abs te requiri fidei tuæ pro- „ fessionem. Petrus Martyr verò ita loquitur: Christus, ne beneficium mortis „ suæ nobis intercideret, hoc sacramento voluit memoriam nostram refricari, vt „ per fidem in animo volueremus corpus suum fuisse pro nobis traditum in mor- „ tem, atque ita credendo corpus illud manducaremus. Annuntiare mortem „ Domini (inquit Beza) est vera fide ipsius verbo & institutioni assentiri. Sub- „ scribit & Ioannes Alasco. Quapropter cùm manducatio corporis Dominici in Cœnæ institutione sit causa huius memoriæ & fidei, quæ Christum atque eius beneficia apprehendit, etiam ex eadem institutione alia est manducatio corporis illius, quam spiritalis per fidem. Sic in Cœna mystica Agni Paschalis verus esus præcedebat memoriam & fidem, qua Israëlitæ beneficia sibi per talem Agnum in Ægypto collata, & per Christum verum Agnum conferenda celebrabant. Certè in vtraque Cœna prior & verus esus rei, per quam parta sunt illa beneficia, est signum, testimonium, monimentum, arrabo, & quædam causa posterioris eius esus, & spiritalis fruitionis. Quòd si res ipsa, causa illius boni spiritalis, priori manducationi deesset, testimonium posterioris & signum non esset consentaneum, nec viuum, nec efficax, sed potius alienum sine vlla conuenientia cum spiritali tali esu & bono. Sic empturus & possessurus agrum, & ius in ipsum acquisiturus, tum demum se securum iudicat, si glebam illius agri in arrabonem ac certum testimonium traditæ possessionis à domino agri aut iudice acceperit: nec prius in realem possessionem reputabit se missum, quàm per rei gustum aut contactum in veræ possessionis ac iuris acquisiti fidem & memoriam. Quamobrem in verbis Cœnæ prior describitur vera & realis corporis manducatio, vt testimonium, signum ac memoria certa & efficax, ac causa & arrabo

Cœna non esset sacramentũ esus spiritalis si non in ea verè ederetur prius caro Christi.

arrabo ſpiritalis manducationis, quæ fit, ſi fide ac digna cognitione res cum ſuis beneficiis in priore manducatione propoſita apprehenditur, & iſta in poſteriori parte Cœnæ explicatur. Poſtea Aduerſarij impingunt in alium errorem. Commiſcent myſticam manducationem, per quam incorporamur Chriſto, cum ſpiritali, quando aiunt nihil aliud eſſe carnem Chriſti edere, quàm ipſi ſpiritaliter vniti, & cùm aſſerunt ex antiquis Patribus non aliter edi in cœna carnem illam, quàm in baptiſmo, & verbo diuino. Contrà ſæpè contendunt carnem illam non percipi, niſi per motum & actionem fidei, qua mentes noſtræ attolluntur ad Chriſtum in cœlo poſitum vbi exigunt ad eſum ſpiritalem, operationem fidei. Nos autem longè differre probamus myſticam perceptionem, & ſpiritalem per fidem: quandoquidem illa non poſtulat fidei actionem, ſed ſolius ſacramenti ſuſceptionem. Imprimis hoc in paruulis cernitur, qui ſine fide propria participant & inſeruntur Chriſto per baptiſmum. Quotquot enim baptiſati eſtis (inquit Apoſtolus) Chriſtum induiſtis. Deinde qui poſt baptiſmum torpent in peccatis ſuis ſine fidei motu, remanent in Eccleſia, nec deſinunt eſſe membra Chriſti, os de oſſibus, & caro de carne eius, ſed præcluduntur peccato ab influxu, quandiu ſtupent in peccatis ſine fide. Huiuſmodi etiam participant Chriſti carnem, & ipſi incorporantur, non ſpiritali modo per fidem, & influxu ad vitam, ſed myſtica ratione & renaſcentia per baptiſmum, quem exceperunt, & cuius virtute vera ſunt membra corporis Chriſti, quamuis non viua, corpori tamen adhærentia & annexa. Tertiò ſi eadem eſſet participatio myſtica & ſpiritalis, quotquot myſticè participarent Chriſtum, ex illa participatione haurirẽt vitam & ſalutem, vt fit ex participatione ſpiritali per fidem. Sed Aduerſarij ne paruulis quidem ſanctificationem tribuunt ex ſuſceptione baptiſmi, ſed ex origine fidelium parentum etiam ſine baptiſmo, per quem tamen vniuntur Chriſto, etiam ſine fide propria, ac myſticè ipſum participant, & adulti qui ſine fide baptiſmo perfunduntur, etiam Chriſto coadunantur myſticè, non tamen ſalutem & vitam conſequuntur. Ideò plurimùm diſcrepãt myſtica, & ſpiritalis Chriſti participatio. Porrò circa ſpiritalem manducationem per fidem, peccant & hallucinantur multis modis Aduerſarij. Ante omnia ſuo more ex affirmatione illius ſecũdum ſcripturas, excluſiuam alterius manducationis præpoſterè concludunt, perindè ac ſi nos contrà ita ratiocinatemur: Ex ſcripturis realis & corporalis alimonia carnis Dominicæ habetur: igitur nulla ſpiritalis per fidem inueſtigati debet, aut credi. Similis eſt ipſorum hæc ratiocinatio. Spiritalis eſus carnis illius ex fide docetur à ſcriptura: ergo nulla relinquitur carnis illius realis & corporalis ſumptio in cœna. Benè futuris ſeculis conſuluit ſpiritus ſanctus, qui in cœnæ mentione, nulla in ſcriptura, fidei aut ſpiritalis manducationis expreſſè meminit, ſed tantùm illam circumlocutione quadam ad externæ fructum & vtilitatem ſubindicat, ne ſi nominatim etiam ſola fidei vox in cœnæ deſcriptione fuiſſet inſerta, ex illa conarentur Aduerſarij aliis verbis pluribus & planioribus præſcribere. Præterea iam credentibus, ac ſpiritaliter ipſum edentibus, iterum Chriſtus panem & cibum de carne illa quam eſſet daturus pro mundi vita, pollicetur. Poſtquàm enim dixit, Ego ſum panis vitæ: Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet, atque alia: ſubiecit tamen vltra, Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. In illa pollicitatione Apoſtoli iam credebant in ipſum: & nihilominus inſuper credere, ac ſperare ab illo in eſcam carnẽ verã oſtenderũt: de cuius promiſſo cũ murmurarẽt infideles Iudæi, Apoſtoli reſponderunt, Domine, ad quẽ ibimus? verba vitæ æternę habes, & nos credimus, &

Aduerſarij malè cõfundũt myſticã mãducationem cum ſpiritali.

Aliæ rationes contra ſpiritalẽ manducationẽ.

cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui. Idcircò alia est carnis Christi manducatio quàm spiritalis per fidem, quæ in Apostolis, & omnibus fidelibus etiam antecedit sacramentalem & veram. Adhæc dispositio & præparatio requisita ad rem aliquam & actionem, alia est à re & actione: spiritalis verò comestio internam operatur dignitatem & apparatum, quem Apostolus desiderat in percepturo corpus Christi: eam ob causam præter spiritalem alia realis ac corporalis perceptio decernitur. Sunt qui existimant non eam fidem in præparatione exigi ab Apostolo, quæ in sumptione spiritali, & fruitione Christi postulatur: sed qua scriptura, quáve ratione moueantur, ipsi viderint. Certè quantauis fide Christum homo amplectatur & charitate, vix dignam Christi corpore tamen in se habitationẽ adornabit. Tertiò si sola fide corpus illud manderetur, numquam sine diiudicatione mandi posset, cùm tota fidei actio in eo versetur, vt diiudicet, attẽdat, & amplectatur corpus illud. At Apostolus peccari scribit à quibusdam cœnam Domini facientibus, quòd sine diiudicatione talis corporis, quod ipsis præbetur, edant. Idcircò alio modo edatur corpus illud oportet quàm spiritali modo, & illo edi posse necesse est sine attentione & delectu, non autem isto. Ille verò est exterior & corporalis, qui per se iudicio rationis & fidei, atque omni discretione, præterquàm gustus caret. Nec caro Christi insuper, nec ipse Christus cœnæ suæ magis interesset, aut sumeretur, quàm Diabolus, & damnationis iudicium, nec verius enuntiaretur, *Hoc est corpus meum*, quàm, Hic est Diabolus, aut, Hoc est iudicium. Si enim sola fide pręstò est Christi corpus cœnæ, per illámque tantùm participatur, eodem modo per infidelitatem, atque aliã indignitatẽ Diabolus se cœnæ immiscet, & ab infidelibus atque indignis recipitur, vnà cum dãnationis iudicio, sicut de Iuda scribitur, quòd post buccellam introiuit in eum Satanas: & multis aliis idem accidisse testantur historiæ, vt recitamus in Tractatu de præparatione ad Eucharistiam. Hæc etiam hæresis omni priuilegio & particulari dono cœnam Domini spoliat, ipsique nudum putamen ablato nucleo, & verba propria sine proprio effectu relinquit. Nullum enim retinebit, non dicam singulare donum aliquod, sed nec vllum proprium effectum. Nam nec in cœna incipit perceptio aliqua singularis carnis Dominicæ, nec cum illa desinit, si in cœna per solam fidem illa potimur: quandoquidem per eandem in baptismo, & in auditione Euangelij, aliisque rebus, quibus fides excitatur in Christum, etiam ex Aduersariorum concessione, caro Christi spiritaliter comeditur & participatur, & quod cœnæ tribuunt obsignandi ac confirmandi participationem illam, non ipsi singulariter competit, sed commune est cum baptismo, atque aliis signis & sacramentis institutis à Christo. Quinetiam bene perspecta re, spiritalis ista manducatio sacramentalem omnem tollit, nec cœnæ vllam de carne Christi tribuit, ne spiritalem quidem. Si enim accedens ad cœnam, nihil de carne Christi comedit, nisi per fidem, hanc præcedere necesse est, & domo eam ad cœnã afferre, quæ cùm adest, spiritalem esum etiam ante cœnæ sumptionem implet, qui pro mensura fidei peragitur, non pro cœnæ diuersa quãtitate: nec cœna fidem, nec carnem Christi præbet, nec eius esum spiritalem: sed ne quidem fides cœnæ inhæret, aut insistit, vt carnem illam percipiat, nec per cœnã de ea plus acquiritur, quàm ad eam affertur, & quàm sine ipsa & extra ipsam per fidem perficitur. Idcircò nulla omninò sacramentalis manducatio carnis Dominicæ ab Aduersariis agnoscitur, non tantùm nulla, quæ huic sacramento sit peculiaris & propria, sed quæ in ipso, aut per ipsum fiat. Quod si quicquam ad spiritalem esum conferre cœna prædicatur, quia de Domino nos commonefaciat, & fidem excitet ac confirmet: nec cœnæ institutæ à Christo id erit peculiare: sed ne quidem aliis cœnis communibus, & Euan-

gelij

gelij auditioni in eo fuerit excellentior. Baptismus sanè atque alia sacramenta idem negotij ex sua institutione habent, & præcipimur, siue edamus, siue bibamus, omnia in gloriam Dei facere: quod quid est aliud, quàm Domini in cibo & potu piè ac sanctè meminisse, animũque nostrũ & fidẽ in eius cultũ atque obsequiũ exuscitare? Lectio verò assidua Euangelij, vel eius frequens ac studiosa auditio, an non per se magis memoriam Christi ac passionis eius refricat, nostrámque fidem erga ipsum prouocat, quàm cœna illa, quæ nesciretur in eum vsum instituta, nisi per verbum Euangelij edoceremur? Si nihil ergo amplius cœna illa prodesset, satius foret attentiùs & frequentiùs Euangelio audiendo quàm cœnæ illius sumptioni operam dare, quæ nihil magis nobis carnem Christi exhibeat, aut fidem afficiat, quàm alia pia & communis Christianorum cœna, quæ in gloriam Christi capi iubetur, & cui sacra lectio aliqua de Christo, aut sermo permiscetur, qui fidem ædificet. Nihil itaque spiritalis sola manducatio per fidem magis pertinet ad cœnam dominicam, quàm si nusquam fuisset cœna illa instituta, aut nunquam fieret, ac nusquam omninò extaret caro Christi, sicut ante incarnationem non extabat, cùm tamen spiritaliter per fidem ab origine mundi sine vlla peculiari cœna à Patriarchis edebatur. Postremò ipsa ratio & analogia panis sacramentalis cum corpore Christi periret, quia panis non alit corpora per ipsius apprehensionem solam, sed verè ac reipsa. Vt maneat igitur aliqua conuenientia carni Christi, decet nos ipsa ali, non per solum fidei conceptum, sed in veritate atque substantiali existentia, eámque ita nobis admoueri. Adeò verò antiquis Christianis fuit odiosa hæc hæresis, vt ex eius contrarietate obuias quasque hæreses profligarent, quemadmodum capite De manducatione corporali monstrauimus. Quòd si verisimilitudinem vllam præ se ferret, diuinitas in se æquè ac caro Christi edi posset in Eucharistia: quod fieri non posse consentiebant Catholici & Nestoriani. Animus noster per fidem tam facilè rapi potest in Christi diuinitatem, quàm in ipsius carnem. Nec si tantùm spiritali esui per fidem pateret illa caro, fuisset locus obiectioni de diuidenda Christi carne & consumenda, nec de horrore & laniena in eius manducatione: quam ita diluunt Patres, vt ad solum esum per fidem non confugiant, sed verum & corporalem profitentur, cui euenirent illa omnia, si non alterius priuilegij & dignitatis esset caro Christi, quàm caro communis. Nec inter singularia Dei miracula manducatio in cœna numeraretur, nec iure incomprehensibilis duceretur, si committeretur tantùm spiritaliter per fidem. Fides quidem supernaturalis est, & quodam miraculo supra naturam nobis donatur à Deo: sed fide comparata, non est mirum si complectatur, & fruatur Deo & Christo. Hoc enim est ipsi ingenitum, quemadmodum per miraculum Christus cæco visum restituit: Sed vt recuperato visu cerneret, & aspectus fungeretur officio, non fuit opus nouo miraculo, ita nec fideli, vt per fidem iam habitam carne Christi spiritaliter potiatur. At Patres inter summa Dei miracula plerunque recensent & præsentiam carnis illius in sacramento, & mãducationem. Impiè etiam Patres olim tradidissent paruulis Eucharistiam, si in ea tantùm per fidei actionem edi carnem illam credidissent, cuius infantes minimè capaces videbant. Imprudenter atque ineptè studuissent ab eadem Eucharistia arcere pænitentes & catechumenos, quos fide præditos, & spiritaliter per fidem ardentiùs sæpè quàm alios ferri in Christũ & eius carnem cognoscebant. Qua enim rei singularitate & præstantia eos priuabant aut fraudabant, si in Eucharistia nihil de carne Christi exhibetur, nisi quantum fides impetrarit, quæ aliundè aduenit? Alia propè infinita ex dictis Patrum & sententiis colligi possunt, illi soli spiritali per fidem manducationi contraria. Quinetiam ipsemet Christus fide caruit.

Attamen dicitur à Chrysostomo, Cypriano atque aliis, priùs in cœna seipsum edisse, quàm Apostolis traderet. Quapropter, sicut in antecedente capite disseruimus, nec pura fide editur corpus Christi, nec sola spiritalis manducatio per fidem sancitur in institutione Eucharistiæ, nec sola fit in eius sumptione. Imò, si credere dignum est Aduersariis, nullo modo in cœna ederetur corpus Christi, nec re vera, nec spiritaliter, sed tãtùm coleretur ritu quodam externo propriè eius memoria. Porrò vt intelligatur plenius ac certius, quid sit edere solùm spiritaliter, quid falsi habeat communis Caluinistarum opinio de incorporatione cum Christo, indagari debet. Præter allata initio huius capitis, & confessa à Caluino & Beza, incorporari carni Christi, siue realiter, siue Spiritaliter, non potest idem esse quod ipsum manducare: quia vniri & coniungi passiones sunt potiùs, & fines ac fructus actionum, quàm actiones. At manducare etiam spiritaliter actio est tendens ad incorporationis finem. Deinde manducatio præcipitur: ideò non in fine consistit, sed in modo & via consequendi finem, qui est incorporatio, quoniam finis non cadit in præceptum, sed via & ratio ad finem. Nam gratia & vita æterna non præcipiũtur, quoniã fines sunt: sed credere & operari iubemur, quia modi sunt adipiscendæ gratiæ & vitæ æternæ. Nec si scribitur, Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo: idcircò rectè concluditur, manducare esse idem quod manere, & incorporari Christo: alioqui similiter diceretur, idẽ esse manducationem spiritalẽ, & vitam æternã, eo quòd scribatur, Qui mandcat meam carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ, habet vitã æternam. Deinde ratio, qua Caluinistæ constituunr incorporationem, Osiandrina est & impia, atque passioni Christi omninò derogat. Nam Caluinus cum Osiandro fingit vitam residere in essentia diuina, à qua defluat in carnẽ Christi, & ab ea in nos percoletur, atque ita regeneremur, iustificemur, & incorporemur Christo, non per vitam aut qualitatem creatam, sed per diuinam & Deo essentialem, in nobis habitantem. Sic enim Caluinus blasphemat: Obiicitur contrà, Christi carnem non posse vitam dare, quæ & morti fuit obnoxia, & nunc per se immortalis non est. Deinde hoc minimè competit in carnis naturam, vt animas viuificet. Respondeo, quamuis hæc virtus aliundè quàm ex carne proueniat, nihil tamen obstare, quin aptè competat in eam hic titulus. Nam sicuti æternus Dei sermo, fons vitæ est, ita caro eius, veluti canalis, vitam, quæ intrinseca, vt loquuntur, in diuinitate residet, ad nos diffundit. Atque hoc sensu dicitur viuifica, quòd vitam, quam aliundè mutuatur, nobis communicat. Id minimè obscurum erit, si reputemus quænam sit vitæ causa, nempè iustitia. Atqui quamuis à solo Deo iustitia fluat, non alibi tamen plena eius exhibitio nobis cõstabit, quàm in carne Christi. Alibi concludit: Ingenuè confiteor mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem, qualis ab ipsis docetur, me repudiare, quia nobis sufficit Christum è carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare, imò propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro. En clarè audis iustitiam, & vitam Christi, qua viuificamur, & iustificamur, esse illi propriam, quæ ex diuinitate in humanitatem eius, & per eam porrò, vt canalem quendam, in nos defluat, in nobísque resideat. Illa alia esse non potest quàm essentialis Deo, quam cum Osiandro in nobis statuit, vt iustificemur, iam nõ per imputatã aliquã iustitiam, vt aliàs solet prædicare, vel per qualitatẽ aliquã creatã in nobis hærentẽ. Insuper hæc hæresis totum passionis Christi meritũ pessundat & aboler. Nam si viuifica, aut etiam saluifica virtus, non venit ex merito & passione Christi, quemadmodum expressè testatur cõtra Heshussiũ Caluinus, vt antea citabamus, sed tantũ rectà atque immediatè ex ipsa carne Christi, tanquam ex canali diuinitatis

Spiritaliter edere, nõ est incorporari, aut vniri Christo.

Blasphemia Caluini de vita quæ sit Deo essentialis, habitãte in nobis. Caluin. in 6. capite Ioann.

Calu. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 32.

Blasphemia Caluini, contra meritum passionis Christi.

diuinitatis in nos promanat, tum sanè frustrà Christus mortuus est: quandoquidem poteramus per istam viuificam virtutem carnis Christi etiam sine merito passionis eius viuificari, & saluari. Sed nec sola passio Christi omni merito & virtute fraudabitur, sed tota eius humanitas, vita, & sacerdotium eius in cœlis. Si enim diuinitatis iustitia saluamur, quæ nec per humanitatem Christi, nec per vitam vel per sacerdotium eius noua acquiritur, sed tantùm per carnē ipsius, veluti per canalem eius in nos trāsfluit, quis tandem vsus aut vtilitas nobis erit, non solius passionis Christi, sed totius obedientiæ ab ipso præstitæ, & sacerdotij quo defungitur in cœlo & in terra? Vt autem tandem definiamus quid sit propriè spiritalis manducatio, illa est, quæ gratiam nobis passionibus Christi partam, ac vitæ æternæ semen priùs nobis insitum fouet & nutrit, non verò quæ primùm accipit cœlestis vitæ originem & causam, & quæ nos Christo primùm spiritaliter incorporat: quam mysticam antea vocabamus manducationē, cùm tamē propriè māducatio nō sit, sed potius regeneratio. Etenim Augustino teste, aliud est nasci de spiritu, aliud pasci de spiritu: sicut aliud est nasci de carne, quod fit cū parit mater, aliud pasci de carne, quod fit cū lactat infantē, ad hoc cōuersum, vt cū voluptate biberet, vnde natus est vt viueret: vt inde acciperet viuēdi alimentū, vnde accepit nascēdi initiū. Profectò non propriè manducat, nisi qui viuit, nec manducat spiritaliter, nisi qui prius in se habuit vitam spiritalem, qua manducandi officium exerceret. Quæ cùm ita sint, illa propriè erit tantùm spiritalis manducatio, qua gratiam prius acquisitam, & Christum ipsum iam habitantem in nobis, interiore charitatis actu, absque vllius sacramenti, non quidem voto, sed reali perceptione, fouemus, atque inde magis ac magis etiam nutrimur. Nam spiritalis actio manducandi semper in se complectitur desiderium, aut expressum, aut tacitum, sumendi Christi sacramenta, nec vllos modos negligit, quos Christus instituit. Sin autem cœlestè illud donum, quo pascimur, per signum externum & instrumentum corporeum, præbeatur Baptismo, Eucharistia, atque aliis sacramentis, fit, vt à nobis nō solo corpore, sed etiā spiritu participetur, éritque māducatio sacramentalis, propter signum externum, & spiritalis propter internum effectum. At illa manducatio, qua sacramentū solo corporis ministerio absque spiritus operatione indignè atque inutiliter suscipitur, quamuis etiā multis modis antea cōmemoratis spiritalis vocari posset, attamen distinctionis gratia non malè sacramentalis manducatio appellatur. Itaque vel solo sacramento, absque spiritus fructu, vel solo spiritu, numquam tamē sine fructu, vel tam spiritu quàm sacramento, idque summo cum fructu, panem vitæ & carnē Christi manducamus. Cùm verò homines natura ex animo & corpore coalescāt, id opus hominis fuerit longè perfectissimum, in quo tam corpus quàm anima in cultum Dei consentiunt & conspirant. Spiritalis porrò esus materia seu obiectum est Christus passus, & caro quæ data est pro mundi vita ac sanguis qui pro nobis effusus est. Ideò effectus eius est passionibus Christi communicare, meritóque earum ipsi magis ac magis incorporari, atque aliis ipsius beneficiis perfrui. Hos effectus etiam Augustinus & Gregorius Nanzianzenus, necnon alij, sacramentali manducationi tribuunt, sed quatenus spiritalem habet annexam, cum qua tamen nō spiritales solos effectus affert, sed etiam corporales, vt corporalis est. Nanzianzenus de Iuliano scribit: Mox incruenti sacrificij oblatione manus commaculat, per quod nos Christo vnimur, necnon passionis eius ac diuinitatis participes reddimur.

Quid sit propriè spiritalis manducatio, et in quo cōsistat.

Augustin. ser. 2. de Verbis Domini.

Distinctio mānducationis sacramentalis & spiritalis.

August. lib. 3. De doctr. Chr. cap. 16.

Gregor. Nanzianz. orat. 1. in Iulianum

DE SEXTO CAPITE IOANNIS, QVO PLERIQVE abutuntur: quasi de solo esu carnis spiritalis scribatur, & non de reali, ac de ipsa Eucharistia.

CAP. V.

Aduersarij nullam scripturam habẽt pro spirituali manducatione.

DVDVM flagitantur ab Aduersariis scripturæ, in quibus legatur aliqua expressio de sola manducatione spiritali carnis dominicæ per fidem in Cœna, cùm in huius institutione, illarum vocum nulla fiat mentio, & res per illas significata, nec sola, nec nisi sicut accessoria contineatur. Ipsi ne videantur omnino obmutescere, quod ex scriptura nequeunt planè & perspicuè demonstrare, conantur argumentis violentius de scriptura corrasis probabile facere. Proferunt ex Ioannis sexto capite, clarè à Christo reiectam, damnatámque esse corporalem aut externam manducationem corporis Christi, cùm Capernaitæ quærunt, Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducandum? Ac contrà contendunt ibidem asseri solam spiritalem manducationem fidei, cùm Christus respõdet, Caro non prodest quicquam: spiritus est qui viuificat. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Sic colligunt, repudiata nostra, & comprobata ipsorum sententia, controuersiam præsentem iam olim dilucidissimè à Christo decisam.

Pugnantia aduersariorum circa cap. Ioan.

Quamuis passim huic capiti, tanquam firmissimæ munitioni fidant, attamen non id illis perpetuò placere potuit. Nam eorum plerique suis in Ioannem Commentariis, vel aliis sctiptis, fatentur nihil ad Cœnam pertinere totam disputationem Christi de esu carnis ibi contentam: & Petrus Martyr caput hoc habendum esse ait, non pro fonte veritatis, sed pro cardine erroris. Ita porcus & canis immundus omnia, quæ pro margarito & sancto domini faciunt, audet proscindere & blasphemare. Interea verissimum est à secretariis caput ilud vrgeri pro cardine erroris.

Cinglius in Ioan. Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17 num. 33. Petr. Martyr 3. parte.

Lutherani assentiuntur in eo tantùm sermonem haberi de spiritali esu Christi. Nam Luthetus ipse suo more debacchatur in Ecclesiam Romanam, quæ sanctißimum Christi corpus anniuersaria celebritate colat, in eóque Ioannis caput sextum sacrosanctæ Eucharistiæ accommodet, & diuinæ iracundiæ atque implacabilis odij iudicium esse arbitratur, quòd patiatur Papistas in scripturæ sensu tam turpiter errare diuináque verba inexpiabili scelere peruertere.

Luther. Sermone De corpore Christi.

Eius iuratißimi asseclæ nec de sacramento Eucharistiæ intelligi posse, nec de manducatione carnis dominicæ reali, quæ in eo fit, multis rationibus nituntur probare. Nihilominus aut veritatis fulgore perculsi, aut potius vt communioni vtriusque speciei ferant suppetias, tandem Magdeburgensis historiæ authores, quibus præfuit Matthias Illyricus, recognoscunt de reali ac substantiali manducatione carnis suæ Christum apud Ioannem loqui ab illa clausula, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sic enim scribunt: Hîc demùm videtur Christus ob crassitiem Capernaïtarum, orationem suam ad Cœnam deflexisse, & quasi de ea quam esset instituturus prophetasse, qua partes Cœnæ distinctè & apertè exprimuntur: & priùs non sic fuerat locutus, quasi diceret, Docui vos quod ex me habituri sitis vitam æternam fide: nunc insuper hoc affirmo, vos omnes oportere etiam Cœna mea vti, qua amplius testabor me vobis meum meritum applicare ac donare. Confirmant autem verba Christi sic intellecta egregiè doctrinam de causa materiali & formali, vt vocant, Cœnæ Dominicæ, nempè quòd sit caro & sanguis filij hominis.

Pugnant inter se etiam Lutherani circa cap. Ioann.

Matth. Illyric. Demonst. 26. in Bezam. Hist Magdeburg. Cent. 1. cap. De Cœna.

Veteres omnes Christiani à Ioanne, de sacramento altaris agi, & de manducatione substantiali carnis Christi comprobant: sed vna etiam de spiritali, partim separatim ante clausulam, Et panis quem ego dabo, caro mea est: partim in reliquo capite cum sacramentali. Ex quo accidit, vt veteres illi ad Ioannis imitationem aliquando seorsum textum omnem de spiritali alimonia explicent, quo comprehenditur, sed non sola:

Veteres Christiani Ioan. caput intelligunt de reali esu, et de ipsa Eucharistia.

ſola: ob ídque nuſquam realem eſum carnis illius & ſacramentalem à Ioãnis litera excludunt, imò præcipuè de illo intelligunt & exponunt. Quæ Lutheranorum cõmuni enarrationi proſus oppoſita ac cõtraria eſt ſententia: Caluiniſtis verò & Sacramẽtarüs in eo aduerſa, quòd hi de eſu, qui in cœna fit, ſcribi à Ioãne facilè cõcedũt, ſed eſum ſolum ſpiritalẽ ab eodem tradi falſò exiſtimãt. Recentiorũ, qui in Eccleſia Catholica deceſſerunt, communis conſenſio ſubſcribit veterũ antiquitati, & Eccleſiæ proponentis hoc caput Ioannis, tanquã pro Euchariſtia ſcriptũ, authoritati accedit. Non deſunt tamen magni viri, qui trepidarũt timore, vbi non erat timor, & via Lutheranis contraria ingreſſi ſunt. Hi enim pedibus ac manibus enituntur docere à Ioanne dicta omnia ad ſpiritalem manducationem ſpectare, niſi quoties ferè incidit diſputatio de communione ſub vtraque ſpecie. Tum enim obnixè ſolent contendere, vtramque ſpeciẽ apud Ioannem exigi, & de reali eſu carnis tractari. Contrà ex Catholicis valde eruditi frequentiùs ſuis in libris antiquam & communem de Ioannis capite Eccleſiæ ſequuntur fidem & intelligentiam: nihilominus cũ de cõmunione vtriúſque ſpeciei ſubeundum eſt certamen, quaſi Ioannis »clauſula, Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, nõ ha»bebitis vitam in vobis, quicquã pro illa faciat, malũt totũ Ioannis textum ad ſpiritalem ſenſum & eſum torquere, quàm vllam apparentẽ ſpeciẽ illi cõmunioni relinquere. In his habentur Nicolaus de Cuſa Cardinalis, Thomas Vvaldenſis, Ioannes Gerſon. Longiùs prouehitur Cardinalis Caietanus, vt vix etiam ſpiritali manducationi locum ſuum ſaluum faciat, & reali vehementius bellum inferat. Ruardus Tapper, Louanienſis Decanus, de Eccleſia optimè meritus, putatur ſibi parum con»ſtare, ac tandem liberiùs ita pronuntiare: Caput ſextum Ioannis principaliter & »propriè de ſacramento Euchariſtiæ non diſſerit. Ioannes Heſſel à Louanio eruditus admodum doctor, in libro De veritate Euchariſtiæ, Ruardi magiſtri dogma non tantùm collaudat, ſed ſtudet ſtabilire. Piè magis ac verè Roffenſis Epiſcopus martyr, non dubitat hominem deſertum, reiectum, ac reprobatum à Deo, qui diutiùs aut pertinaciùs defenderet, aut nõ eſſe Chriſti veram carnem & ſanguinem in Euchariſtia, aut verba Ioannis minimè ad ipſam pertinere. Duo libris ſingularibus editis, de hoc Ioannis Euangeliſtæ teſtimonio fidem Catholicam propugnarunt: Gallicè Gabriel Saconeus, & Latinè Sanderus Anglus: ex quo multa, ac ferè omnia, vt ex illo nonnulla, hoc loco repetemus, eóque referemus, vt euincamus à Ioanne, de ſacramento Euchariſtiæ, & de reali carnis Chriſti perceptione, quæ in illo fit, & non de ſola ſpiritali per fidem, dictum ac ſcriptum eſſe; poſtea ſoluturi quæ contrà producũtur. Vt autẽ breuiter proponamus diſputata à Chriſto de mãducatione apud Ioannẽ, quædã pertinẽt ad cõmunem eſũ hominũ, quædã ad participationẽ diuinitatis quæ in Chriſto habitabat, quædã ad cõmunionem ſpiritalẽ cum humanitate eius & paſſione, quædam ad realem & ſubſtantialẽ cum ſpiritali perceptionẽ & manducationẽ carnis illius, quã tum promiſit, & in cœna præſtitit, atque in Euchariſtia exhibuit. Verba ad hanc poſtremam pertinentia imprimis iſta »ſunt: Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitã æternã, quem filius »hominis dabit vobis: & iſta, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: aliáque omnia ad finẽ illius capitis. Principiò naturale eſt apud homines, res magni momenti prius ſpondere ac paciſci, quàm tradere: atque ita etiam Deus & Chriſtus erga homines agere conſueuerũt. Nihil enim ferè vnquam diuinitùs alicuius pretij geſtum eſt, aut mundo collatũ, quod non prænũtiarint Prophetæ: & Chriſtus mortem ſuam, reſurrectionem, aſcenſionem & aduentum Spiritus ſancti, omninóque iſta, atque alia eò libentiùs prædixit, quò magis inuſitata diſcipulis videri poterãt.

Veteres Chriſtiani & Lutherani ſunt contrarij in expoſ. Ioan. Caluiniſtæ in parte.

Quidam recentiorum Catholicorum conſentiunt cum Lutheranis, ſed modo contrario.

Communio ſub vtraque ſpecie, prima cauſa diſſidij circa cap. Ioan.

Qualis habendus, qui pertinaciter defenderit cap. Ioan. non eſſe de reali eſu.

Roffenſ. in fine Proœmij lib. 5.

Diuerſi eſus in cap. Ioan.

Quæ pertinẽt ad eſum realẽ.

Rationes pro reali eſu.

Cùm ergo valdè insolitum esset, vt carnem filij hominis, æternæ vitæ causa, in sacramento reipsa manducarent homines, consentaneum erat prædici à Christo, ne re noua & insueta horrerent & obstupescerent in vltima cœna Apostoli, quemadmodum Chrysostomus & Cyrillus admonent. Nusquam autem aliàs, aut saltem expressiùs, quàm hoc loco promisisse Christum constat, vt opinor. Quocirca par est accipere hoc promissum, de eadem carnis manducatione, quæ exercetur in cœna, vt potè de reali, essentiali, ac corporali. Alia omnia, quæ in textu habentur, & ex eo colliguntur, huic intelligentiæ & propriæ verborum significationi maximoperè patrocinantur. Ante omnia in naturali sensu accepta à Capernaïtis & aliis discipulis, verborum interpretatio non reprehensa à Christo, cùm eam inuertendi ac mitigandi propter scandalum haberet iustam occasionem. Variè insuper cōmendatus verus ac realis carnis suæ cibus, & ratio cur manducari posset sine scādalo, & deberet, reddita: Deindè diuersitas ac distinctio ciborū, quos Moses, Pater & Christus dederūt præter eū, quem ipse postea pollicebatur se donaturum: Incōmoda quoque & absurditates, quę affectantur de solo spiritali esu & sensu expositionē: Postremò, egregia concinnitas & cōuenientia dictorum & factorum hîc à Christo cum dictis & factis in cœna, facilè quod credimus persuaserit, præsertim cùm nusquàm aliàs inueniri possit pollicitationis hîc à Christo factæ singularis ac genuina adimpletio. Vt autem quod primum propositum est expediamus, regula ac certa moderatio hîc valere debet, quam in verbis examinandis obseruandā in prima Repetitione monuimus, vt primus locus meritò detur magis propriæ, magis receptæ, magísque eximiæ cuiusque vocis significationi. Etsi autem in rebus diuinis, quæ tū intelligentiā, tum orationē humanā superāt, vix vlla oratio penitùs, & omninò propria esse queat, tamē aliter quàm humano modo apud homines dici aut agi non potuit: ideò in rebus sacris illa oratio ex præiudicio propria cēsenda est, quæ ad communem loquendi consuetudinem proximè accedit. Christus apud Ioannem dixit, Et panis quē ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mūdi vita. Qui manducat meam carnem, & bibit meū sanguinem, habet vitam æternā. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ex naturali verborū proprietate danda in cibū caro Christi promittitur, & māducari tum posse, tum oportere iudicatur. Donatio rei corporeæ, vt est caro, apud homines de manu in manū fieri solet, & māducatio carnis, aut alicuius cibi, propriè ac naturaliter oris officio exercetur. Omnes verò auditores Christi eo in significatu verba acceperūt, tā Capernaïtæ detractores eius & inuidi, quàm rudiores atque dubij discipuli, quàm Apostoli cōstantes in fide. Priores murmurāt: Quomodo potest hic nobis dare carnē suam ad manducandū? Medij retrò abeunt, de scandalo conquesti: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Apostoli cur sermoni acquiescant, tametsi durus appareret, rationem reddunt Christo roganti, Numquid & vos vultis abire? Respondit Petrus pro omnibus, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ ęternę habes: & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, qui possis sine duritia & immanitate explere sermonē tuum vt sonat. Si non iudicassent aliter quàm per solam fidem ex Christi verbis carnem eius dandā esse & accipiendam, sine controuersia non adeò durus illis visus fuisset sermo Christi. Neque enim litigabant, cùm prius in se credi postularet, etiamsi non obedirent voci eius: nec minimè credendi, nec murmurandi apparentē arripuissent occasionem, nec Christus Apostolos interrogandi, an & ipsi vellent abire. Nulli enim, cùm Christus intulit, Patris opus esse, vt in eum crederent, exhorruerūt: imò audientes à Patre dati panem de cœlo verum, mox dixerūt, Domine, semper da nobis panē hunc: post carnis verò promissionem statim litigarūt.

Chrys. ho. 83. in Ioan. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 37.

Omnes auditores ceperūt pro esu reali, nec sunt reprehēsi.

Ex quo planum fit, ipsos nō in eo fuisse deceptos, quòd putarint Christum carnem suam reipsa daturum vt manducaretur, sed in eo, quòd nolebant credere rectè dari posse, aut expectare quomodo eā daturus esset. Nec redarguuntur in suo murmure, quasi non assequerētur verba illius, sed quia non eis crediderunt. Sunt (ait) quidā ex „ vobis qui non credunt. Bis quidem murmurarunt: primùm, quia dixisset, Ego sum „ panis viuus qui de cœlo descēdi: Deinde quia adiecisset, Panis quem ego dabo, ca„ ro mea est, quā ego dabo pro mūdi vita. Eorum querimoniis Christus diuerso modo satisfecit. Cùm obstreperenr de filio hominis, prout is à patre datur, Christus nihil aliud respondit, quàm se panem vitæ esse, atque ad se venire neminem posse, nisi Pater traxerit eū. Attractio verò Patris tota spiritalis intelligitur: Non enim corpora Pater, sed corda ad filiū trahit. Quapropter ex eo, quòd filius in sola spiritali attractione orationem concludit, de sola spiritali manducatione ibi egit. Longè autem aliter se res habet, vbi Christus ad eos, qui de suo proprio dono futuro murmurabāt, respondit. Iam enim nō tantùm aliquid spiritale intulit, qualis est attractio Patris, sed omnia subiecit, quæ verborum suorū proprietatem, & verā ac realem manducationem carnis suæ confirmarent, & modum ac potestatem declararēt, de quo litigauerant. Nam qui post simplicem enūtiationem, postea id in mediū affert, quo sermo pręcedens ad certam & indubitatā significationem restringitur: quíque idipsum quod profert, iuratus asseuerat, & qui sæpius idem repetit, causámque prioris dicti affert, ac per similitudinem quandam animi sui sensa elucidat: id vtique fecisse animaduertitur, vt quod priùs sua verba significabant, magis magísque confirma- *Christus cōfirmat verborū proprietatē & realem vsum.*
„ tum esse existimetur. Cùm igitur Christus proposuisset, Et panis quem ego dabo,
„ caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita: viderétque Iudæos intellexisse de carne
„ sua in cibū capienda, adeò de priore dicto nihil immutauit, vt iuratus diceret, Amē,
„ Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sangui„ nem, non habebitis vitā in vobis. Non iuramento contentus, nomen carnis & mā ducationis sæpiùs iterat, genere dicēdi septem aut octo vicibus paululū immutato: vt meritò liceat accōmodare, quod Augustinus cōtendit, laborē & operationē manuū non aliter quàm litera ferebat, intelligi debere, ob id quod toties Apostolus illā *Aug. de opere monach. ca. 13.*
„ repeteret. Neque enim (inquit) aut vno in loco, aut breuiter dictū est, vt possit cu„ iusuis astutissimi tergiuersatione in aliam traduci, peruertíve sententiam. Tertiò
„ Christus causalem Coniunctionē non frustrà interseruit: Caro enim mea verè est ci„ bus, & sanguis meus verè est potus: quasi dicat, Ne miremini quòd manducandam esse asseram carnem meam, & potandum sanguinem, cùm caro mea verè sit cibus, & sanguis meus verè sit potus. Quo ex loco ita licet cū antiquis Christianis ratiocinari: Quod verè cibus est, verè, seu in veritate, sicut veteres paraphrasticè interpretantur, comeditur. Sed caro Christi verè est cibus. Igitur caro Christi verè, seu in veritate manducatur. Verè autem manducare, apud homines qui ex corpore & spiritu consistunt, est & corpore & spiritu manducare, vt ita totus homo impleat mā„ ducationis officium. Postremò similitudinem hanc Christus attulit: Sicut misit me
„ viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter
„ me. Hìc manducatio Christi describitur, qua qui manducat ipsum, sic debet viuere propter ipsum, quemadmodum ille missus à Patre, viuit propter Patrem. Christus autem in carne missus, viuit propter Patrem, non veluti particeps vitæ per fidei, spei, aut per cætera Spiritus sancti dona, sed vitā habet ex ipsa Patris substantia naturaliter præsente, & corporaliter in carne sua habitāte. Ergò etiam expressè docetur, nos manducantes Christum, viuere propter ipsum: non tam quia per fidem viuam participamus de illius carne extra nos agēte, sed de carne corporaliter in nobis ma- *A similitudine Christus probabat realē vsum.*

nente. Tolle hãc corporalẽ Chriſti in nobis præſentiam, eius ſimilitudo planè claudicabit. Nam ſi nos Chriſtũ ſola fide ac ſpiritu percipimus, propter illũ tantùm ita viuemus: ſtatímque indè Arrianus ritè colliget, etiam filiũ à Patre miſſum non aliter quàm fide ac ſpiritu propter Patrem viuere. Sin illud certum fuerit, filium in carne miſſum, propter Patrem, non fide, ſed ſubſtantia præſentem viuere, vtique & illud conſtat, nos, dum Chriſtum manducamus, non fide iam ſola, ſed etiam per naturalem filij ſubſtantiam nutriri ad vitam æternã. Ex illa quippè ſubſtantia Chriſti, tam ore quàm ſpiritu percepta, fit, vt Chriſtus alat nos, tanquam verè cibus, quia cibi natura eſt per corporalem præſentiam eum alere, qui ipſum reipſa capit. Ab effectis quoque Chriſtus illam manducationem in textu probat, & commendat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed de his abundè tractauimus capite primo Repetitionis quintæ, de aliis quibuſdam effectis poſteà tractaturi, quæ à reali manducatione prouenire poſſunt, & non à ſola ſpiritali. Quoniam modus ac poteſtas dandi illius eſus angebat valdè auditorum animos, explicantur his verbis: Sciens Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis, Hoc vos ſcandaliſat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs? Spiritus eſt qui viuificat: caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Hîc ſanè de corporali aſcenſione loquitur & reali, vt vel ipſo rei corporeæ exemplo demonſtraret ſe etiam de corporali quadam manducatione loqui, quaſi innuat non mirandum carnem illam dari in cibum, quæ non cõmunis caro ſit, ſed adeò diuina ac ſpiritalis, vt virtute inhabitantis diuinitatis ac ſpiritus aſcenſura ſit in cœlum, & indè cognoſcenda alterius virtutis ac proprietatis, quàm alia caro. Quemadmodum igitur aſcenſus in cœlum ſuperabat quidem vires naturæ grauis & corporeæ, nõ tamen excedebat facultatem illius carnis diuinæ & ſpiritalis: ita caro cõmunis nec poteſt re vera ſine horrore comedi, nec prodeſt quicquã: caro nihilominus vnita diuinitati alia virtute pollet, vt edatur ſine cruore, & omninò proſit. Nam ſpiritus, id eſt diuinitas inſita tali carni, viuificat, ſine qua caro non prodeſt quicquam. Idcircò verba quæ locutus ſum vobis, ait, ſpiritus ac vita ſunt, id eſt, ſpiritalia ac vitalia: de quibus ſequenti capite fuſiùs. Si tantùm manducationem de illa quæ fide fit, intelligeret, quid pertinuiſſet ad rem aſcenſionis exemplũ? Quid enim commune corporali aſcenſioni cum ſola ſpiritali manducatione? Sin de reali capitur, nihil aptius commemorari potuit pro poteſtate, modo incruento & fine, quàm eius generis eſſe carnem, quę diuina poteſtate & qualitate ſit perfuſa: quod in aſcenſione patuit. Tertiò loco propoſuimus, ex diſcrimine panũ & donorum, quæ à Moſe, Patre, & Chriſto erogata Euangeliſta narrat, deprehendi neceſſariò veræ illius & corporalis manducationis de carne Dominica promiſſionẽ. Moſes dedit panem de cœlo, ſed non verum, nec qui veram vitam ſuppeditaret. Cùm Manna tantũ eſſet figura veri panis corporalis, tamen erat eſca ſpiritalis. Priori modo, propter externam eius manducationẽ: poſteriori verò, propter mirabilẽ eius affectionem, vel propter internam ſignificationem, qua prouocabat Iudæos, vt de Meſſia futuro per fidẽ ſpiritaliter manducarent. Ideò duobus illis modis figura impleri debuit: Spiritali modo, cùm re vera in Chriſtũ credimus, de quo dicitur in hoc capite: Nõ Moyſes dedit vobis panẽ de cœlo, ſed pater meus dat vobis panẽ de cœlo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitã mũdo. Nec ſic planè Mannæ figura perficitur, quia tam corporalis quàm ſpiritalis eſca, vt erat Manna, ſolo ſpiritu,

Ab effectis idẽ probat.

Modus realis eſus explicatur à Chriſto.

Realis eſus ab exemplo.

A differentia donorum per Moſen, per Patrem, & per Chriſtum.

non omninò adimpletur. Exigitur ergo veritas corporalis cibi respondens Mannæ, quatenus cibus erat corporalis, nec alia inueniri poterit, quàm corporalis esus carnis filij Dei: qui cibus refert vtramque Mannæ qualitatem perfectissimè, si animo per fidem & corpore comeditur, quemadmodum vt ita fiat datur, & ita sumptus animã & corpus ad vitam reficit atque alit, quod Mannæ non licebat. Post Mosis panem Ioannes commemorat duplex Patris donum & panem: demissionem Filij in carnem, & fidem cordibus infusam, qua participetur spiritaliter, vt prolixè cõtinetur in textu. A filio verò quinque genera panum & donorum erogari hominibus recitantur: Duo, quatenus Deus, & operatur cum patre, cum quo & Spiritu sancto incarnationis suæ & fidei est author, qua credimus in ipsum incarnatum. Tria, quatenus Deus & homo, quorum primũ locum tenet miraculum, quo de quinque panibus tot populos pauit: in altero dedit carnẽ suam pro mũdi vita, vt quisquis fide passionibus eius communicarit, non pereat, sed habeat vitam æternam. In tertio dicitur eã carnem, quam tradiderat in mortem, iterùm collaturum in cibum, corporaliter vtique, vt in mortẽ præbuerat. Ex hac distinctione panum & donorum inter Patrem & Filium, & inter dona Filij, necessariò sequitur vltimum, quod promisit Christus, & quod nondum contulerat, veram esse ipsius carnem, quæ verè, seu in veritate comedi deberet. Nam huius postremi doni polliciti talis interpretatio quærenda est, qualis penitùs non cadat in vllum Patris aut Filij aliud donum: quia si illud eodem acciperetur modo, quo aliquod aliorum, numquam adeò distinctè & accuratè proponeretur, nec negaretur cum aliis datum priùs. Dandum verò bis inculcatur, & à datis secernitur. Operamini (inquit) cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Eum vt separet ab aliis, tum à Mose, tum à Patre, tum à se, vt Deo iam distributis, quos panes Moses, Pater, & ipse quatenus Deus, iam impartierint, enumerat: postea redit ad explicandum illum panem, quem Filius erat daturus, ac subiicit, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Et, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et, qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Quæ verba idem planè enuntiant, quod clausula superior. Illic enim dicitur cibus, quem Filius hominis dabit vobis: hîc, quis ille sit cibus, exponitur Panis quem ego dabo, caro mea est. Illic operari cibum iubemur, hîc manducare, quod circa cibum est opus & officium. Illic cibus permanere significatur in vitam æternam: hîc carnem manere in manducante, & vitam æternam ingenerare declaratur. Omnes sanè appositæ ab Euangelistis circumstantiæ in talium ciborum differentia describenda plurimùm conducunt ad postremi dicti declarationem. Quoniam Pater, Filius, ac Spiritus sanctus, vnus Spiritus sunt, competit eis nos tantùm spiritaliter pascere, ob idque ipsis spiritales tantùm cibi meritò apud Ioannem attribuuntur. Filius verò quoniam spiritus est, & carnem insuper assumpsit, decet ipsum spiritaliter quidem nos alere, sed non tantùm, imò etiam carnaliter, quia caro est. Ideò cùm de proprio cibo, quem singulariter daturus erat, agit, se Filium hominis nominat, vt indicaret se panem porrecturum, vt homines hominibus solent porrigere: id est, non solo spiritu, sed corpore & carne, modo tamen diuino ac spiritali, quia non pura caro erat, sed spiritus & Deus. Deinde quem ministrat Pater, verus cibus est, quemadmodum & quem Filius cum Patre etiam vt homo donat. Totum Christum, tam Deũ quàm hominem, verum panem, Pater & Filius, quatenus Deus & homo, nobis distribuunt: sed quamuis vbique sit verus cibus, non tamen vbique est verè cibus, sed duntaxat cùm carnaliter & corporaliter à Christo Deo & homine præbetur. Nam sicut vera vidua dicitur, etiam ditissima fœmina, quæ viro orba-

Vt decuerit Christum dare cibum corporalem & spiritalem.

Quis sit verè cibus.

ta est, non autem verè vidua, nisi quæ viro ac cæteris adiumentis careat prorsus deserta: ita Christus ipse quoad diuinitatem & humanitatem totus, quantus est, verus est cibus, sed non verè cibus, nisi cùm modum & proprietatem naturalem aliquatenus cibi naturalis retinuerit: quandoquidem quæque res eo veriùs ac perfectiùs cibus est, quo magis ad proprium esum naturalem accesserit, quamuis verius ac perfectius non sit alimentum. Sic Manna negatur verus cibus: non tamen negari potuit verè cibus, quia in veritate & vero modo naturalis cibi sumebatur. Quam promittebat Christus in escam carnem suam, verè cibum esse affirmat: non quia verior esset alimonia & dignior, quàm quæ offerebatur à Patre, cùm esset planè eadem: sed vt supra modum, quo à Patre dabatur, verè cibus esse prædicetur, oportet vt ad modum & proprietatem cibi naturalis propiùs accedat: modus autem ille est, vt corporis ore excipiatur. Hanc phrasin præclarè Chrysostomus examinat, cùm ait, Quid autem signat, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus? aut quòd is est verus cibus, qui saluat animam, aut vt eos in prædictis confirmet, ne obscurè locutum in parabolis arbitrarentur, sed scirent omninò necessarium esse, vt corpus comederent. Sic igitur, authore Chrysostomo, Christi caro verè cibus appellatur, vt cibus absque parabolis esse intelligatur. Quòd autem non parabolicè est cibus, omninò comedendus est reipsa, & modo aliquo corporali. Deus verò ac diuinitas non est cibus absque parabola. Ideò Ephesini Patres concedebant Nestorio, diuinitatem edi non posse, quia verè non ederetur, nisi quod editur propriè, & non parabolicè, seu per quandam similitudinem, quo posteriori modo diuinitas edi facilè admitteretur. Quamuis ergo res eadem sit, quam Pater & Filius elargiuntur, discrepantia tamen est maxima in modo, quia Pater dat Christum Deum & hominem in cibum tantùm parabolicè, vt pascat animam nostram ad eam similitudinem, qua cibus pascit corpus nostrum: Filius verò, vt homo & Deus, dat carnem suam verè ac propriè in cibum, modo naturali ore corporis capiendum. Quam significationem huius loci sequuntur Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, atque alij, qui in veritate & reipsa, naturaliter, corporaliter, ac substantialiter, & non solùm spiritaliter ac per fidem, carnem Christi à nobis comedi, ex ista phrasi Ioannis indubitanter asseuerant. Præterea filius, vt homo duo dona connectit: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Bis se daturum carnem suam pollicetur, semel nobis, atque iterum pro nobis, & prioris donationis intelligentiam peti vult à posteriore, cùm vtramque dedita opera coniungat. Itaque qui absque errore cupit scire, quo pacto prior donatio compleri debeat, animaduertat quo pacto posterior completa sit. Christus autem non spiritu solo, sed per interpositam ipsius rei substantiam, impleuit posteriorem. Dedit enim atque obtulit Deo carnem suam reipsa ad mortem vsque pro mundi vita. Promisit igitur eandem carnem, non spiritu solo, sed per interpositam ipsius rei substantiam à nobis manducandam. Nam quæ ratio patitur, vt priorem donationẽ à posteriore separemus, cùm posterior ideò sit adiecta, vt priorẽ interpretaretur & exprimeret? Panis (ait) quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Ista quoque connexio habet allusionem ad antiqua sacrificia: ex qua etiam conuincitur necessariò, eandem carnem in substantia corporaliter à nobis comedendam, quæ oblata fuit in sacrificio. Hostia pro peccato partim Deo offerebatur in altari, partim non solo spiritu, sed corpore à sacerdote & offerentibus edebatur. Christus ergo sicut non spiritaliter duntaxat se litauit Deo, sed in substantia, ita pollicetur carnis suæ manducationem, non spiritalem solùm, sed substantialẽ, qualis de re sacrificata fieri solebat. qua de causa in eodem sensu vtramque oblationẽ promisit, & differentiæ omnes à Ioanne dispositæ inter Mosem, Patrem, & Christũ, atque

Chrys. in cap. 6 Ioann.

Cyrill. anath. 1.

atque inter eorum panes & dona, eò spectant, vt demonstretur à Christo caro promissa in esum verum, naturalem & corporalem, ac non tantummodò spiritalem. Quartũ autem de propositis vt persequamur, cohærere non potest interpretatio, quam Aduersarij student promisso Christi assuere, quasi de carne per solam fidem, seu spiritaliter tantùm, sumenda feratur. Nam ab initio mũdi caro illa in cibum spiritalem per fidem percipiẽdum omnibus iustis exposita fuit, etiam antequàm procrearetur, quia non in aliquo alio salus cõstituebatur, præterquã in Christo Deo & homine, ita vt ipsi Patriarchæ cum gaudio viderint diem Christi. Nec verbũ Dabo pati potest, vt pro Dedi, aut Do, capiatur, cùm adiũxerit Christus, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: vbi ex eadem figura orationis, Dabo in priore parte qua in posteriore collocatur. Sed nondum dederat, aut dabat carnem suam in mortem pro mũdi vita eo modo quo loquebatur. Spiritaliter quidem iam dederat, quia sic Agnus occisus fuit ab origine mundi, nondum tamen realiter, quomodo se daturum spondebat. Quemadmodum igitur verba, Dabo carnem meam pro mundi vita, necessariò pertinent ad futurum tempus: sic & illa, Panis quem ego dabo, caro mea est. Scio quidem Latinos codices tãtùm semel legere Dabo, nec talis lectio damnari omninò debet: non tamen habet Ecclesia Dei talem consuetudinem, vt per Latinos codices fidem abroget Græcis, maximè quando vtrique simul constare possunt. Etiamsi verò non bis exprimeretur Dabo, tamẽ bis intelligi oporteret, quia lex sacrificiorum postulabat, ad quam alludit, vt prius non daretur de ipsis in esum populo, quàm Deo oblatum fuisset. Adhæc nihil interesset non solùm inter dona Patris & filij, sed nec inter dona filij, quoniam vterque in textu prædicatur dedisse ac dare Christum incarnatum in cibum spiritalem per fidem. Frustrà ergo ac de nihilo noua pollicitatio succederet, cùm re noua ac nouo fructu careret. Cardinalis Caietanus sperat se euasurum, si concedatur Christum datum fuisse in spiritalem cibum ratione suæ diuinitatis, sed non humanitatis, nisi per verba, Et panis quem ego dabo, caro mea est. Verùm Christus non sola ratione suæ diuinitatis, sed etiam humanitatis, ante istam clausulam se panem verum & viuum antea pronuntiauerat, cùm ait, Ego sum panis vitæ, Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur in æternum. Quid est aliud, panem viuum de cœlo descendere, quàm verbum carnem induere de virgine? Qui descendit, ipse est qui ascendit supra omnes cœlos. Quid est aliud, manducare ex pane qui de cœlo descendit, quàm credere in filium incarnatum, & ita per fidem de humana eius natura vesci? Quomodo cum pane de cœlo misso comparatur Christus, nisi ratione humanitatis, cuius causa descẽdit de cœlo, & in terra visus? & quis est alius, quem Iudæi viderunt, nec in eum crediderunt, nisi Christi caro, quam nõ agnoscebant verbo vnitã esse? Idem Caietanus atque alij assentiuntur, innui priùs donationẽ carnis Christi in escam spiritalẽ: sed in illa posteriore clausula declari, eandẽ carnem nouo modo tradẽdam in cibum spiritaliter per fidẽ, nempè sub ratione passionis ac mortis, vt non tantùm fide complectamur Christũ incarnatũ, sed passum. Hęc sanè argutia in eadẽ absurda cum superioribus reuoluitur. Explicatio sanè quærẽda est in hoc singulari filij Dei dono, qualis penitus non cadat in patris, aut alterũ eiusdem filij Donum: quia si eodem modo plura accipiẽda essent, nũquam adeò distinctè ac variè proponerentur. At si panem filij hominis, quem ipse nobis dedit in cruce, intelligimus spiritaliter per fidem, nihil singulare in filij dono inuenietur, de

De spiritali esu expositio contextu non potest consistere.

quo tamen significanter bis dicat se nobis quendam peculiarem cibum daturum. Quamuis enim ratio, qua filius patri per mortem suam dat se in cruce pro mundi vita, sit valdè peculiaris & propria, tamen ratio, qua per fidem viuam velut crucifixus & mortuus, vel dum crucifigitur & moritur, nobis dat panem mortis suæ, non est illius personæ aut naturæ assumptæ propria, sed vnà cum patre prorsus cōmunis est. Quocunque enim modo filius dat seipsum nobis, dum in cruce moritur, eodem & Pater dat filium nobis, quia vterque dat eum cibum nobis per fidem & charitatem. Cæterùm si nolumus dona Patris & filij, quæ in Euangelio clarissimè distinguuntur, commiscere inter se & confundere, sic interpretandum est donum filij Dei, vt aliqua saltem ratione differat à dono Patris: quod vtique perspicuè in sola donatione corporali carnis suæ cernitur, in qua filius secundum assumptam naturam Patre minor exhibet nobis carnem suam verè in cibum, quomodo Pater non dat. Sed nec nouus esset modus & inusitatus, etiamsi sub consideratione passionis spiritaliter vesceremur carne illa, cùm omnes Patriarchæ & Prophetæ iam inde ab origine mundi carnem Christi etiam illo modo manducauerint. Licet insuper Patri nouo modo in cruce caro illa fuisset oblata, tamen si nobis nō nisi per fidem etiam sub ratione passionis daretur, modus manducandi Christum crucifixum per fidem nouus nō esset, aut in futurū à filio Dei promittendus, cùm omnes Patriarchæ & Prophetæ iam inde ab origine mundi illo modo carnē Christi manducauerint. Denique cùm eodem stilo & orationis filo dicatur, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: si prior donatio pro spiritali duntaxat enarratur, quid ex textu coget nihilominus posteriorē de donatione reali in mortem enarrare? An non contrà necessarium fuerit, ex duplici carnis illius oblatione in textu commemorata, priorem reipsa alibi quàm in cruce & in cibo realiter compleri, sicut posterior in cruce completa fuit, & diuersum modum realem statuere, quo in cruce danda erat caro, ab eo quo in cibum promittebatur? Nunc restat videre, qua in re Ioannes innuat exoluendū promissum illud de esu carnis. Nullibi certè comperietur, non dicā cōmodiùs, sed omninò, quàm in ipsa Eucharistia. Apparet ab Euangelista introduci caput sextū contra hæreticos, qui iam in ipsius senectute irrepebāt in Ecclesiā Gnosticos dico ab Ebione & Cerintho prognatos, qui per arrogantiam aspernabantur mysteria Christianorum: tanquā Deo indignū esset sub elemēta sua dona redigere, atque ita hominibus impartiri, cùm magis deceret id per solam fidem & spiritum præstari. Etiam negabant Christum verè carnē induisse: ob id Eucharistiam, & eius oblationem nihili pendebant, quia non crederent esse carnem veram Christi, quemadmodum ex Ignatio Ioannis Euangelistæ auditore Theodoretus recitat. Propter priorem rationem non solùm ipsam Eucharistiam negligebant, sed baptismum, sicut Irenæus annotat. Vt in baptismi aquam vim cœlestem infundi ad purganda peccata Ioannes monstraret, videtur quintum suum caput scripsisse, & Euangelij scriptis ab illis editis addidisse narrationem miraculi de piscina Iudæorum, & aqua quæ diuinam virtutem imbibebat ad curandum hominem à quacunque detineretur infirmitate: ne miraremur, si virtute supernaturali baptismi aqua perfunderetur ad sanandum omnem peccati paralysin & languorem. Vt mederetur duplici errori de Eucharistia, etiam videtur statim subiunxisse sextum caput, in quo omnia ferè diluit, quæ contra carnis Dominicæ in Eucharistia veritatem, præsentiam, & manducationem obiici possunt. Miraculum de quinque panibus & duobus piscibus statim initio proponit, vt sicut ad probandam vim inditam baptismo miraculum de piscina illi affine & simile protulerat, ita illud producit, in quo fiat per gratiarū actionē & verbū Christi

Promissum de esu carnis, Ioānes innuit exoluendum in Eucharistia.

Iren. lib. 1.

Quo consilio Ioannes videtur cap. 5. & 6. scripsisse.

panis

panis immutatio supernaturalis ad alenda tot hominum milia sine diminutione, vt ex tali operatione visibili & incomprehensibili fidem faceret de immutatione admirabili quæ fit in pane Eucharistiæ per gratiarum actionem ac verbum eiusdem Christi, vt mutatus in carnem ipsius tot seculorum homines nutriat, sine carnis illius noui panis consumptione. In eum finem editum hoc miraculum etiam Christus ipse ait: Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, " & saturati estis. Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternã, " quem filius hominis daturus est vobis. Idémque testificantur Iræneus, Chrysostomus, atque alij, quos libro primo de transsubstantiatione producimus. Nec certè opus hoc vllam habet analogiam cum esu spiritali carnis Christi per fidem, cùm nulla fiat cibi immutatio, nec de eius consumptione vlla subesse possit suspicio, vt est de esu carnis reali per Eucharistici panis mutationem. Vnde autem hęc ipsi accidat, & tanta virtus accedat, Euangelista subindicat: nimirùm ex Christi, & sermo" nis eius omnipotentia, atque ex proprietate carnis eiusdem, quæ spiritalis planè " est ac diuina, nec corruptioni subiacet. Nam Petrus pro omnibus videtur omnem " difficultatem expedire: Domine, ad quem ibimus? Verba vitę æternę habes: & nos credimus & cognoscimus quia tu es filius Dei. De carnis verò conditione Christus ait: Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Sed cur expressè Euangelista sacramenti Eucharistię, vel Cœnę futurę, non meminit? Eadem prorsus ratione id factum fuit, qua nec baptismi in quinto capite expressam mentionem facit: eius tamen naturam ac virtutem totam aperit, quod idem de Eucharistia in hoc capite pręstitit, vt apud populum mysticè ac subobscurè de mysteriis loquatur, quasi soli fideles essent intellecturi: quomodo de iisdem se loqui Apostolus testatur. Ac quamuis Christus nominando panem carnem suam, de pane materiali Eucharistiæ propriè non acceperit, tamen nomen panis non frustrà interpositum fuit à sapientia Dei. Mira autem est inter hîc dicta & facta à Christo, & inter Eucharistię institutę circumstantias, correspondentia, & conuenientia. Principiò tempus anni vtrobique persimile fuit. Sicut Eucharistiam instituit vesperi in Cœna ante diem festum Paschę, ita erat proximum Pascha, dies festus Iudęorum, quando Christus ea fecit & dixit, quę apud Ioannem recensentur: nec longius spatium quàm vnius anni inter duplex Pascha ex collatione scripturę inuenietur, vt anno vertente cùm prębeeretur Eucharistia, faciliùs promissi recordarentur Apostoli. Deinde panum apud Ioannem acceptio, benedictio, & discumbentibus facta distributio, imago quędam putari debet eorum, quæ postea in Cœna gerebantur, maximè si verba vtrobique secuta cum factis pręcedentibus comparentur. Nam vt ex miraculo, quod circa panes egisset, cepit occasionem promittendi carnem suam in cibum, dicens, Operamini cibum, &c. sic in Cœna occasionem nactus ex azymo " pane conficiendi corpus suum, & ipsum sub forma panis distribuendi, vtrobíque transiens à pane ad carnem. In Ioanne scribitur, Panis, non quem accipiam, sed quem dabo, caro mea est. In Cœna dicitur accepisse quidem triticeum panem & azymum, sed nullum alium dedisse quàm carnem suam, inquiens, *Hoc est corpus meum.* Ibi promittebatur in cibum illa caro, quam daturus erat pro mundi vita: hîc porrigitur in cibum corpus, quod pro nobis datur. Ibi proclamatur, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: hîc, Manducate, *Hoc est corpus meum.* Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus. Illic, sicut turbis & aliis discipulis recedentibus soli duodecim à Christo non recesserunt: hîc in Cœna, turbis

Quare Ioãnes expressè non meminit Eucharistiæ.

Comparatio dictorum apud Ioannem, cum Eucharistia institutione.

exclusis, soli duodecim cum Iesu discubuerunt. Illic vnus diabolus appellatur: post Cœnam verò in cor Iudæ Sathanas intrasse narratur. Illic Petrus se non abiturum, hîc se nunquam deserturum Dominum pollicetur. Hæc omnia cùm tam mirificè conspirent, vt nihil aliud propè intersit, quàm quod in Cœna id fiat & præstetur, quod in sexto capite Ioannis verbo promissum erat, & miraculo præfiguratum: ipsa profectò mutua vtriusque loci collatio manifestè probat ea quæ apud Ioannem commemorantur, coniuncta esse cum Cœnæ dominicæ celebratione. Quamuis tot tantisque probationibus destitueremur, & ex proprietate literæ desumptis argumentis, sineremúsque capitis huius multiplicem fingi interpretationem, tamen meritò ea cæteris esset præferenda, in qua & plures, & maiores ingenij, doctrinæ, grauitatisque Patres consentirent. Ad quam etiam interpretationem si vsus & consuetudo insignium populorum & gentium accesserit, iam adeò certa & explorata meritò videtur esse illa explicatio, vt omnino ab ea recedere non liceat. Etenim cùm vel sola doctissimorum Patrum sententia, vel solus illustrium Ecclesiarum vsus, magni per se ponderis & momenti esse debeat, quin hæc duo coniuncta multò pluris facienda sint, nemo sanæ mentis dubitauerit. Non solùm verò complures, sed omnes ferè Patres, tam Græci quàm Latini, sextum caput Ioannis sunt interpretati de Eucharistia, non tantùm in Homiliis, accommodando ad Cœnam Domini, sed in illis Commentariis, quos ita elaborarunt, vt summo studio, & multis precibus vigiliisque, & maiorum traditione, sensum literalem inuestigarent. Nec tantùm verbo simplici hæc de sexto capite affirmarunt, sed necessitatem sumendi Eucharistiam indè collegerunt tam Cyprianus, quàm Cyrillus, atque inde toto orbe dispersa ac primitiua Ecclesia, vt capite de Nisi manducaueritis, paulò pòst declarabitur. Imò Irenæus, Hilarius, Basilius, Augustinus, Cyrillus, atque alij, & Generales synodi, Ephesina, & quæ Generalium authoritatem obtinuerunt Alexandrina, & secunda Nicena, ex eo sensu, qui in caput illud Ioannis per vniuersam Ecclesiam erat receptus, contra hæreticos Valentinianos, Nestorianos, Arrianos, Pelagianos & Iconomachos disputarunt adeò, vt illam de Eucharistia intelligentiam tantùm nuper quidam cœperint impugnare, cum olim ne quidem hæretici auderent contrà hiscere, aut à quoquam fuerit cogitatum ad spiritalitatem solam transferre: adeò vt Hilarius ipse propter verba Ioannis neget cuiquam ambigendi locum relictum de naturali & corporali carnis Dominicæ esu, & tanquam atheum damnet, eum qui non credat Iesum Christum Deum esse, quisquis aliorsum eius verba detorserit. Augustinus ipse rationem explicat, cur Ioannes historiam Cœnæ Dominicæ cum aliis Euangelistis non descripserit: quoniam (inquit) de corpore & sanguine Ioannes planè alibi multò vberius Dominum locutum esse testatur. Chrysostomus & Cyrillus hanc ideò priùs habitam ea de re fuisse concionem iudicant, ne in Cœna horrerent Apostoli ad tantum inusitati doni miraculum. Athanasius affirmat hîc à Christo de mysteriis disputationem institui. Chrysostomus etiam Ioannis contextum distinguit, vt priora ad spiritalem alimoniam referantur, ab eo vero loco, Et panis quem ego dabo, caro mea est, reliqua ad carnem & sanguinem in sacramento Eucharistiæ. Alij ex Patribus conferunt verba Ioannis cum his quæ Euangelistæ de Eucharistiæ institutione narrant, tanquam de re eadem conscripta. De sola spiritali participatione intelligentiam confutant, inquam, Hilarius, Basilius, Cyrillus, Chrisostomus. Realem ac veram carnis dominicæ à Nestorio confessam approbant & confirmant Ephesini Patres. Nam cùm ille diuinitatem esui non subiici clamitaret, ideóque non de filio Dei scribi, sed de carne filij hominis,

A communi consensu totius Ecclesiæ, & doctiorum Patrum.

August. lib. 3. De consens. Euangelist. cap. 1

Chrysost. hom. 83. in Matt.

Cyril. lib. 3. in Ioann. cap. 37.

Athanas. lib. 4. De synopsi.

hominis, Caro mea verè est cibus, Ephesini quod de diuinitate loquebatur, laudarunt, & quod etiam coniungebat de veræ carnis esu, amplexi sunt, nec reclamarunt non ita à Ioanne intelligi, nec de spiritali manducatione ab eo tradi doctrinam responderunt: qua responsione nisi aliter sensissent & credidissent, facilè elusissent Nestorij argumentum, & diuinitatem, sicuti carnem spiritaliter edi posse fuissent causati: sed recepta expositione de esu veræ carnis, negant illam esse communem, aut puri hominis, sed effectam filij Dei asserunt, per quam ipsa diuinitas incarnata verè comeditur, quæ in se sola esui non subest. Quamobrem saltem ex quatuor primis Generalibus conciliis, Ephesinum definiuit caput Ioannis de promissa, carnis Dominicæ manducatione, ad literã accipi oportere, & in cœna perfici. Eius definitio non semel in his Repetitionibus citatur, & proximo capite citabitur. Ruardus Tapper atque alij student Patrum intentionem & mentem detorquere, tanquam non ita sentirent Ioannem de Eucharistia verba fecisse, sed tantùm ipsi accommodasse ad auditorum ædificationem, propter eundẽ Eucharistiæ & Christi apud Ioannem finem & scopum, qui est Christo vniri & incorporari. Verùm si consideretur, quanta cura & diligentia detur ab ipsis opera, vt suis in Ioannem Commentariis literam & sensum germanum elucident & eliciant, quanto acumine, solertia & industria conentur defendere fidem Christi & scripturæ contra hæreticos, quanta sinceritate ac simplicitate agant cum populo, ne in fraudem & errorem abducatur, cùm in his tribus scribendi generibus magna consensione Ioannis verba à nobis disputata, veræ illi manducationi quę in Eucharistia fit, ascribant, potius Patres vbique contenderunt genuinum, purum, ac naturalem sensum literæ accõmodare, quàm literam à naturali sensu ad alium transferre. Quòd si quando spiritali significatui aut perceptioni videntur insistere, meritò quidem id faciunt, quoniam & aliquota pars capitis ipsi soli congruit, & eidem apud Ioannem semper consociatur realis manducatio, vt prosit. Nusquam verò expressè profitentur Patres, aut tuentur, vti nunc faciunt temerè plerique, Ioannis caput nihil ad veram & corporalem carnis Dominicæ sumptionem spectare: imò pro atheo contra Christum duxerunt, authore Hilario, quisquis id auderet, nõ dicam proloqui, sed suspicari. Ista autẽ in summa de Patribus proposita, ex omnibus nostris Repetitionibus sunt coaceruanda, maximè ex capite De mãducatione reali & corporali carnis in Repetitione quinta, atque ex proximis capitibus, cum eo quod de Patrum sententia circa esum spiritalem postea consequetur. Pauca quædã clariora testimonia hîc apponemus, maximè quæ consonantiam Ioãnis & aliorum Euangelistarum de Eucharistia componunt & annotant. Si verò ratio valere debet, quæ ad discernendas scripturas & interpretandas semper plurimùm valuit, vt Ecclesiarum quamplurium & quamgrauissimarum authoritatem sequamur, & eligamus ad caput Ioannis intelligẽdum, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia: procul dubiò in Patrum sententia confirmabimur. Cùm enim Ecclesia festum corporis Christi iamdiù celebrarit, in eóque legat pro Euangelio conuenienti diei festiuitati ea quæ habentur apud Ioannem, ex eo protestatur ipsa Ecclesia à se credi talia ad sacramentum corporis Christi esse referenda. Alioqui absurdum videretur festum Eucharistiæ secundum Euangelium celebrari, pro Euangelio tamen illud legi, quod nihilomagis ad Eucharistiam quàm ad baptismum, aut ad viuam fidem spectaret. Sed iam attendamus ex Patribus collationem Euangelistarum de Eucharistia cum Ioannis Testimonio. Panis (ait Hieronymus) qui de cœlo descendit, corpus est Domini, & vinum quod discipulis dedit, sanguis illius est. Basilius monet ad confirmationẽ eorum quæ inferret, & certitudinem audientiũ, à

Ecclesia definiuit in concilio Ephesino Ioãnis verba de Euchar. intelligi.

Aug. de doctr. Christ. cap. 8. lib. 2. et cap. 59.

Hier. in quæst. ad Hedibiam.

Basil. lib. 1.

De baptis.ca.3. Christo dici repetita voce, Amen, Amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis: & ad finem Euangeliorum scribi, Accepit Iesus panem, gratias agens fregit, & dixit, *Hoc est corpus meum.* Gaudentius Brixiensis ita Ioannem cum verbis institutæ Eucharistiæ conciliat, vti proximo capite recitabitur. Quando (addit Augustinus) *August. in Psal.33.conc.1.* loquebatur Dominus noster Iesus Christus de corpore suo, ait, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam æternam. Caro enim mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Et ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, *Hoc est corpus meum.* *Theodoret. Dialog.1.& 3* Sic Theodoretus vtrunque connectit: Dominus cùm accepisset symbolum, non dixit, *Hoc est deitas mea*, sed, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*: &, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. *Hysich. in Leuit.6.cap.22.* Hysichius verò coniungit ista, Panis quem ego dabo, caro mea est: &, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Augustinus tanquam pugnantia discutit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam: & ex Apostolo, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat: diluítque speciem contradictionis ex diuerso modo edendi, vtroque tamen reali, sed altero etiam spiritali. Nicena secunda synodus *Action.7.* ex aliorum imitatione concludit: Nemo vnquam sanctorum Apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosorum Patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi Domini nostri, & totius suæ dispensationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Nam is qui accepit à Domino, sic non dicit aut confitetur, sed audiunt eum sic dicentem Euangelicè, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. &, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. &, Cùm accepisset panem, & gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, & ait, Accipite, edite, *Hoc est corpus meum.* Huiusmodi plurima licet apud antiquos obseruare.

DE DICTIS CHRISTI, CARO NON PRODEST quicquam, spiritus est qui viuificat: & argumentis Aduersariorum indè sumptis, atque blasphemia contra carnem Christi.

CAP. 6.

Quantum fidant Sacramentarij Christi dicto, Verba quæ loquor vobis. NVLLI magis domus nota est sua, quàm Sacramentariis ista oratio, Caro nō prodest quicquam, spiritus est qui viuificat. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Hanc Oecolampadius murū suū ferreum & aheneum, atque à Deo Angelum contra nos igneo clypeo armatū vocare solebat. Et in postrema Cōfessione Helueticarū Ecclesiarum, illā super omnia in sua doctrina de sacra cœna se sequi profitentur. *Sacramentarij abutuntur dupliciter loco Ioannis.* Duobus autem modis abutuntur: Cùm enim stabilire & commendare spiritalem manducationem gestiunt, & substantialē ac realem execrati, omne negotium hoc breui sermone transigunt: Caro non prodest quicquam: spiritus est qui viuificat. Rursum cùm lucē istius locutionis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, qua Christus Eucharistiam instituit, ad depellendas ipsorum tenebras intuleris, clausis oculis opponunt, Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt: quasi cœnę vocabula spiritaliter exponi deceat, aut quod in cœna editur, tantùm spiritaliter percipi. Atqui, vt à posteriore exordiar, verba cœnæ nondum erat effatus Christus, quia anno post concionem à Ioanne recitatam Eucharistiam condidit. Sicut ergo de esu carnis

carnis in Cœna futuro dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est: ita dicere debuit de futuris verbis Cœnæ, Verba quæ loquar vobis, spiritus & vita sunt. Quòd si tota Cœna spiritalis est, & verba quibus illa concipitur, spiritaliter veniunt transferenda, nec erit exedendus panis in Cœna, nec vinum epotandum, nec omninò externo ritu Cœna celebranda: quandoquidem placet Aduersariis Cœnæ vocabula, panis, vinum, edere, bibere, spiritaliter ac figuratè capi. Constat sanè Apostolos non spiritali illo modo intellexisse, quoniam biberunt omnes & comederunt realiter species panis & vini, non sola animi agitatione. Sin solæ duæ dictiunculæ corporis & sanguinis detorquentur, vnde tale discrimen in Cœnæ locutione designabitur, vt tantùm caro & sanguis verba esse dicantur, quæ Christus spiritum & vitam nuncuparit, cùm sola illa duo non protulerit? At sit ita (inquiunt) vt verba quæ loquebatur Christus, non ad Cœnæ verba spectent, de quibus nōdum quicquam enunciarat: spectant tamen ad clausulas antecedentes Ioannis, in quibus disseritur de carnis manducatione, quæ fit in Cœna, & verba, quibus continentur, affirmantur à Christo esse spiritalia & figurata: quo in significatu etiam verba Cœnæ moderari oportet, cùm eadem de re habeantur. Respondemus clausulas apud Ioannem præcedentes non sic esse verba spiritalia, quasi non sint realia, seu rerum substantiam & naturam significantia. Nam in illis prænuntiatur caro Christi danda pro mundi vita. An tantùm spiritaliter tradita intelligetur, aut ibi carnis nomen, solam carnis figurā indicabit? An caro in illis clausulis modo propriè & realiter, modò spiritaliter exponetur, & realiter data pro mundi vita, sed spiritaliter manducari distinguetur? Ne admittatur talis distinctio, prohibet, quòd promiscuè de omnibus clausulis antecedentibus concludatur: Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt: Aut si non de omnibus ista proferuntur, saltem non dubitabitur proferri de clausula, quæ auditores scandalisauerat, Panis quem ego dabo, caro mea est. In qua si caro non prodest quicquam, & si verba in ea contenta, spiritus & vita sunt, iuxtà Aduersariorum intelligentiam, Christus neque veram suam carnem in mortem obtulit verè ac realiter: & sic frustrà eam obtulisset, cùm non profuisset quicquam. Non enim ratio, aut vlla textus distinctio cogit, vt spiritalitatem referamus ad panem, & ad carnis manducationem solam, cùm eodem genere dicendi vtatur Christus in carnis ad mortem oblatione, & carnis manducatione: imò cùm quater repetat carnem suam comedi oportere, ita vt ad verborum expressionem & inculcationem exhorruerint discipuli. Insuper si verborum proprietate illi exterriti recedebant, certè si per verba, quæ Christus vocauit Spiritus & vita, innueret non propriè accipiendum fuisse suum sermonem, sed spiritaliter & figuratè interpretandum, ex responso omne scandalum sustulisset, nec discipuli postea perrexissent secedere. Verùm quoniam probè animaduerterunt proprietatem verborum dicto Christi non perimi, in scandalo perstiterunt. Postremò, à quo didicerunt Aduersarij spiritum pro figura, & verba spiritalia pro figuratis explicare, cùm spiritus figurarum nebulas discutiat, & pro ipsis veritatem ac rem ipsam soleat inducere? Cur coniungitur Spiritus & vita, nisi ad distinctionem figurarū & figuratarum locutionum, quæ occidunt potius quàm viuificēt? Et quis dicet verba figurata præ aliis esse spiritalia, cùm sic ænigmata & poëtarum figmenta magis essent spiritalia, quàm Christi verba? quæ tamen emphasin, efficientiam, proprietatem & virtutem habere præ aliis omnibus declararentur, quæ Spiritu sancto pleni locuti sunt Dei homines. Persona dicentis exprimitur, Verba quæ loquor vobis. In altera huius clausulæ parte Aduersarij non minus ineptè ratiocinantur, & in Christū valdè sunt blasphemi, cùm eius carnem volunt nihil prodesse. Quàm bella

sanè consecutio, Caro Christi non prodest quicquam: igitur non est in Eucharistia realiter & præsentaliter. Ad eandem formam licebit argumẽtari: Lapis nihil hîc prodest: omninò ergo ibi non adest. Christus in cruce nihil profuit Iudæis & aliis blasphemis: in cruce igitur non pependit. Ac tametsi malis & perditis nihil vtilitatis & salutis afferret, non tamen rectè sequeretur abesse, aut nihil in se prodesse: alioqui & scientia, & opes, & Christi passio, & Deus ipse nihil prodesse censerentur, quoniam profligatis hominibus nihil prosunt. Nec minus insipidè colligunt, carnem Christi deesse sacramento, nec in eo capi, quoniam spiritus & vita ibi promittantur à Christo, & caro nihil prodesse scribatur, sed spiritum esse qui viuificet, quasi spiritus atque eius efficacia carni opposita carnis substantiam excludant. An valeret in homine similis collectio: Anima seu spiritus viuificat hominem, neque quicquam ad hoc confert caro: homo igitur carne & ossibus destituitur? Quanto minus valebit in Christo, cuius caro de Spiritu sancto procreata est, ac tota spiritalis effecta & viuifica? Postquam verbum caro factum est, non desiit esse spiritus & vita, sicuti nec Deus, non tamen ob id desiit esse caro, & carnis vera substantia, nec vtroque priuatur in sacramento. Eodem planè modo Valentiniani & Marcionitæ carnis resurrectionem impugnabant, quo Aduersarij carnis Dominicæ in Eucharistia præsentiam. Isti clamant, Caro non prodest quicquam: illi suggerebant, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: eosdemque addidisse carnem non prodesse quicquam, author est Tertullianus. Isti, quæ dantur à Christo, spiritus & vita sunt: illi, Non resurget corpus animale, sed spiritale. Nos eadem methodo istos, qua illos primi Christiani, refellere debemus. Irenæus ferè totum quintum librum in eo argumento occupat, ac distinguit varios significatus carnis & spiritus, ac spiritalis rei, ita tamen vt ostendat per spiritum, aut per spiritalem nominationem, carnis substantiam non negari, sed potiùs aliqua dignitate ornari, potiúsque poni quàm tolli, quoniã spiritalis qualitas non nisi in aliqua substantia, & in aliquo subiecto consistere possit. Inter alia Irenæus profert: Vos non estis in carne, sed in spiritu: si quidem spiritus Dei habitat in vobis. Hoc autem non secundum iacturam carnis, sed secundum communionem spiritus fit. Non enim erant sine carne, quibus scribebat, sed qui assumpserant Spiritum Dei, in quo clamamus Abba pater. Qui ergo pignus spiritus habent, & non concupiscentiis carnis seruiunt, sed subiiciunt semetipsos spiritui, iustè Apostolus spiritales vocat, quoniam spiritus Dei habitat in ipsis. Incorporales autem spiritus, non erant homines spiritales, sed substantia nostra, id est animæ & carnis adunitio, assumens spiritum Dei, spiritalem hominem perfecit. Cæterùm antequàm progrediamur vltrà, videamus Aduersariorũ blasphemias & nugas in expositione, Caro non prodest quicquam. Cinglius de carne Christi interpretatur, cuius passiones confitetur hominibus ad salutem adiumentum attulisse, sed eius manducationem planè nullum. Hunc Caluinus ita confutat: Nec rectè illi, qui Christi carnem prodesse dicunt, quatenus crucifixa est, comesam verò nihil nobis afferre: quin potius comedere eam necesse est, vt crucifixa prosit. Bullingerus pro carne Christi carnaliter manducata intelligit. Caluinus de eadem sola sine diuinitate, de ipsáque pugnantia loquitur, & horribiliter plerunque in Christum blasphemat. Aliquando enim, sicut antea citauimus, vitam carni Christi insitam, in eáque residere prædicat, vt inde tanquam ex fonte in nos emanet, ac propterea viuificam in se videtur agnoscere, quamuis non ex ipsius carnis natura, sed ex diuinitate illi coniuncta vita scaturiat. Hoc in Institutione latè persequitur, & in eum sensum se cum Cyrillo explicare testatur, quod scribitur, Sicut Pater habet vitam

Quomodo Christi caro nõ prosit.

Tertull. De resur.

Caluin. in cap. 6. Ioan.

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 7. 8. 9.

Repugnantia Caluini et im.

in ſemetipſo, ſic filio dedit habere vitam in ſemetipſo. Contrà ſuis in Ioannē Commentariis, & aliis in locis, vbi de adoratione carnis Chriſti diſputat, negat diuinitatē ipſam & vitam concomitari carnem Chriſti, ſed niſi ſpiritu extrinſecùs viuificetur, manere mortuum Adami ſemen: ita vt ſi ſine fide ſumeretur, iam deſineret eſſe viua, & viuifica. Quoniam fides non euocaret ſpiritum, quo redditur illa caro viua, & viuifica. Qua de cauſa definit, carnem illam tantum prodeſſe, in quantum fide aſciſcimus ſpiritum, qui per carnem vitam percolet, & ad nos diſtillet. Sic ergo carnē illam vocat vitæ canalem, vt ſpiritum poſtea nominat eiuſdem carnis canalem: non quòd in canali rem adeſſe, & hærere conſtituat, ſed quòd illo mediante, & eius quaſi interuentu, ita contingat. Spiritum enim canalem carnis vocat non quia ſpiritus ad nos carnem vehat, ſed quia eius opera per fidem attingamus carnem in cœlo poſitam Sic caro apud Caluinum canalis eſt vitæ, non quia caro vitam in ſe poſſideat, ſed quia illi ſpiritus aut diuinitas vitam quando vult infundat, & illa mediante per fidem excitatus ſpiritus nobis vitam influat. Si penitiùs examinetur in Ioannem Caluinus, iſta quamuis obſcuriùs blaterat, atque ita carnem ſi ſine ſpiritu per fidem aduocato comprehendatur eſſe Adami ſemen, & nihil prodeſſe, blaſphemat. Beza in Heshuſſium exprobrat nos non aſſequi Caluini mentem: quod facilè cōceſſerimus, cùm dedita opera blaſphemias ſuas multis verborum tectoriis ſtudeat illinire. Poſteà Beza docet per ſimilitudinem tātùm per reſpectum ad ſpiritum carnem prodeſſe, vt olim vetera ſacrificia non ſanctificabant ſanctitate ſibi inhærente, ſed relatiua, & reſpiciente Chriſtum à quo ſanctificabantur: ita putat carnem Chriſti viuificare, ac vitam habere, non intrinſecè, ſiue virtute ſibi impreſſa, ſed per reſpectum ad Spiritum ſanctum, à quo caro viuificatur, & ipſa mediante viuificamur. Eam ob rem Caluinus & Beza adeò ſunt dementati cōcomitantiæ hoſtes, vt nec diuinitatem, nec ſpiritum, nec vitam, nec animam, nec ſanguinem velint fateri ſic vniri cū carnis ſubſtantia, vt quoties iſta ſumitur, aut præſens offertur, toties ſit neceſſe illa omnia ſecum ferre, tanquam aliquod habeat ita ſibi annexum, vt ab eo ſeparari nec ſoleat, nec debeat. Ingenuè Beza ſuam & magiſtri ſententiam contra Brentium prodit, vbi negat in triduo ſepulturæ carnem fuiſſe viuificam, quia eſſet mortua, ac ſine anima, quaſi nullam vitæ vim retineat alienam ab anima, ſed ne repugnet inquit eſſe viuificam & mortuam. Ac ne tum quidem addit Caro cum verbo coniuncta, viuifica eſt, quaſi vim illam in ipſius natura recipiat: ſicut exempli cauſa, Magnes vim habet ferrum attrahendi ad ſe: ſed viuifica eſt, quia viuificantis Dei caro, & non „alterius. Confitemur etiam (ait) alia ratione poſſe ac debere viuificam dici, nempè „quoniam λόγος in ea pro nobis tradita vitam omnibus credentibus verè donauit, „& nos quoque non niſi media carne per fidem ſpiritaliter potiti, poſſumus ad „Deum & vitam æternam vſque pertingere: Non eſt caro Chriſti viuificatrix, vel „in ſeſe, vel ex ſeſe, ſed in ea natura, à qua in vnitatem perſonæ aſſumpta eſt. Con„trà verò cum de indignorum manducatione diſſeritur, plenis buccis vociferantur „piaculum magnum committi, cùm vita ſeparatur à carne Chriſti, & viuificandi facultas. Aſininum vocat iſtud figmentum Beza. Nos autem edocti à ſcripturis & Patribus, credimus carnem Chriſti non ex ſe ſeu ex ſua natura & proprietate facultatem vitæ obtinuiſſe, ſed ex diuinitate ſibi coniuncta, in ſe tamen & intra ſe circumtuliſſe hoc priuilegium. Scriptura delectatur admodū antitheſi Chriſti & Adami, quoad mortis & vitæ conſiderationē. Adami carni & ſi mors aliundè ex peccato ingruiſſet, tamen penitus ipſi inſidebat, & viciſſim quamuis vita in humanitatē Chriſti profluat ex Deo, nihilominus oportet ipſi humanitati imprimi, ne plus roboris peccatū in Adamo habuerit ad ingenerandum carni mortem, & hanc per carnem traducen-

pietas de carne Chriſti.

Beza li. 2. de re ſacramen.

Quomodo caro Chriſti ſit viuifica.

à Patre meo. Hanc intelligentiam amplectuntur, aliis non damnatis, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Chrysostomus, vterque Cyrillus, quorum aliqui ad omnem Christi doctrinam in genere accommodant, quæ non nisi fide diuinitùs collata cõprehendi possit: Alij singulariter ad materiam subiectam, & manducationem realem carnis Dominicæ, de qua disputatio fiebat, applicãt, eámque credi, admitti, & cognosci non nisi fide contendunt, quæ verba Christi de ipsa non metiatur ex carnis sensu & ratione, sed ex Christi spiritali diuinitate & potestate, vt prosint. Ita Cyrillus Alexandrinus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, Gaudentius Brixiensis Episcopus, atque alij, propiùs clausulam illam ad mentem Christi temperant. Caluinus conatur intellectum illum reiicere, quonia dicatur spiritus viuificare, ac vitã date, quæ cognitionem superat: Sed non animaduertit in scriptura viuum & viuificum pro efficaci poni, & pro cognitione vitæ & veritatis. Scribit enim Apostolus, Vos estis epistola scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui: &, Viuus est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti: &, Litera occidit, spiritus est qui viuificat: id est, vitæ & veritatis lucem ac notitiam de scripturis promit. Interea verum est cognitionem fidei & spiritalem non tantùm vtilem esse, sed viuificam ac salutarem, ac Spiritum sanctum, cùm afflat fidem, viuificare, modò non cætera desint. Illi verò locutionis huius interpretationi toti hærent Germani Brentius, Matthias Illyricus, Bucerus, atque alij, vt negent totam disputationem Christi quicquam pertinere ad esum carnis, qui peragitur in Cœna. Altera expositio ad veritatem magis accedit, vt non de qualitate carnalis sensus duntaxat, sed de substantia scribatur, carnem non prodesse quicquam, accipiatúrque etiam de carne Christi, vt de quacunque alterius carnis natura. Parum enim Christi & Euangelistarum candori congrueret, in eadem sententia ex amphibologia carnis auditoribus illudere, nec in antecedentibus significatio carnalitatis aut carnalis sensus potest conuenire: quia caro in isto sensu nec data fuit pro mundi vita, nec datur ad esum seu realem seu spiritalem: nec ita intellecta locutio satisfaceret Capernaïtarum murmuri de veræ carnis esu, sed potiùs concederet ipsis ne quidem à Christo dari posse carnem suam ad manducandum, falsóque ac frustrà ab ipso promissam, cùm essent intelligenda verba aliter quàm sonarent. Quæ omnia declinantur probè, si de carnis substantia in genere, siue Christi fuerit, siue alterius, dicatur non prodesse quicquã, nisi ipsi aliquid excellentius fuerit adiũctum. Nec obest, quod antea caro Christi tantum prodesse asseueretur, vt eius mors sufficiat pro mũdi vita, & manducatio vitam æternam & incorruptionem afferat. Prodest quidem, sed non ex sua natura & substantia, sed ex eo, quòd annexa est filio Dei, qui spiritus & vita est, sicuti Deus, & ab ipso mutuatur caro, atque in se habet, vt nata, & crucifixa, & manducata omninò prosit. Hoc est quod Christus simpliciter pronuntiat, carnem ex se & ex sua substantia non prodesse, sed diuinitatem & spiritum carni insitum viuificare, & prærogatiuas plurimas, quibus prosit, ingenerare: ac se antea, cùm de carne loqueretur, verba fecisse, non de carne simpliciter, sed de carne sua, quæ spiritus ac vita esset, quia spiritum ac vitam in se haberet manẽtem. Cur igitur Christus non extulit, carnem etiam suam non prodesse? quoniam falsum dixisset. Ex quo enim caro efficitur filij Dei caro, non potest non prodesse, & viuificare, sed separata aut intellecta sine tali coniunctione, quemadmodum eam concipiebant Capernaïtæ atque alij discipuli increduli, qui tantùm attendebant in carne Christi quod oculis cerneretur, non quod spiritale erat & inuisibile. Vnde eorum errori & murmuri Christus medetur, assentiendo carnem ex se non prodesse, vt manducari possit, & viuere, ac vitam elargiri, sed carnem spiritui viuificanti vnitã, ea vi & facul-

2. Cor. 3. Heb. 4.

tate præditã esse, vt spiritus & vitæ proprietates in se, quamuis non ex se, possideat, per quas inuisibiliter & impartibiliter modo spiritus verè comeditur, & nihilominus manet incorrupta, incõsumpta, viua, ac vitæ in omnes propagatrix. Respondet itaque Christus mumurantibus, se antea sermonẽ habuisse, nõ de cõmuni & simplici, sed de singulari sua carne, quæ spiritus sit & vita, siue spiritalis & vitalis, propter spiritũ & vitã inhabitãtem in ea. Scriptura enim vt totum hominẽ à parte plerunque vocat carnẽ, ita simili phrasi vocat spiritũ. Sic Apostolus scribit, effici vnum spiritum cum Deo, qui ipsi adhæret: multò verò magis caro Christi, spiritus & vita, & Deus, propriè ac verè nominatur, sicut contrà verbum dicitur factum caro, quia personali & arctissima concatenatione colligantur inter se. Ita Ephesini Patres cum Cyrillo de hoc textu definierunt contra Nestorium: ita priùs Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, atque alij deinceps. Tertia interpretatio carnem Christi, siue coadunatam spiritui & filio Dei, non prodesse tradit sumenti & manducanti, nisi vnà de eius spiritu per fidem & pietatem participetur: quia quamuis in se prosit, & sit viuifica, non tamen prodest quicquam alteri sumẽti, imò nocet maximè, nisi cum perceptione reali & corporali spiritaliter etiam, vt spiritus est, percipiatur, & viuificet. Hanc explicationem frequenter Augustinus repetit, Origenes, Gaudentius, atque alij attingunt, & ex ea Sacramentarij, atque imprimis Caluinus, suas impietates & blasphemias deriuant. Quartam intelligentiam Athanasius atque Augustinus adiiciunt, vt per spiritum spiritalem modum existendi carnem Christi in sacramento concipiamus, id est, inuisibilem, & sensibili modo carnis minimè obnoxium. Quoniam vitam nõ dat, nisi credenti & digno, Aduersarij blasphemant, quasi in se non sit caro viuifica, aut vitam non retineat, vt paulò antè audiuimus. Quoniam sumenti nõ prodest, nisi fide & spiritali præparatione suscipiatur, solam inferunt spiritalem manducationẽ hîc à Christo doceri. Verùm ex antecedentibus satis superque probatum fuit, nõ posse verba Christi ad spiritalẽ solam manducationem restringi: nec si reipsa in se caro nõ prodesset, prodesse posset cum fide, quia fides naturas rerum non immutat, sed applicat. Quòd si dicitur saltem non prodesse alteri efficaciter, nisi fide: concedimus sanè, ita tamen, vt lõgè plus prosit realiter, & cum fide sumpta, quàm si sola fide sumeretur: quemadmodũ amplius profuit reipsa ac spiritaliter crucifixa, quàm si sola fide ac spiritaliter fuisset crucifixa: reipsa verò sine fide morti tradita in se profuit, sed non efficaciter alteri applicatur, vt prosit sine fide, qua de spiritu viuificante participatur. Ita est de eius existentia in sacramento & manducatione. Sicut alij corrumpunt carnis significationem, ita Caluinus corrumpit spiritus intelligentiam. Nam in priori loco pro Spiritu sancto ponit, qui carni Christi per fidem accedat, vt illa viuificet: in posteriore pro spiritalitate explicat verba Christi, vt omnis eius sermo ac doctrina spiritalis sit, quæ nos sursum inuitet ad consequendam vitam. Sic illi pro ludo habent verba Christi huc & illuc transuertere. Porrò quadruplex illa interpretatio, quam de Patribus produximus, secum consonat, nẽque textui repugnat, modò vna non separetur ab alia, & reali, veræ ac salutari manducationi carnis Dominicæ planè suffragatur, ad eámque necessariò requiritur. Nisi enim verba de illa facta, & ipsamet manducatio realis ex fide, atque ex Dei virtute iudicetur, & non ex sensibus carnis atque humana ratione, & nisi caro Christi alia esse credatur, quàm vulgaris & cõmunis, alióque modo existere, ac nisi nõ solùm reipsa, aut solo corporis ore, sed fide ac spiritu percipiatur, nec credi, nec in sacramẽto fieri, nec ad vtilitatẽ accipi caro Christi re vera poterit. Quæ ergò separatim de præsẽti clausula scripserunt Patres, non sunt opponenda tanquam contraria, sed ad cognoscendam

Christi intentionem, & perfectam carnis Dominicæ manducationem coniũgenda, quemadmodum vnus Gaudentius eodem orationis filo apparet contexuisse.

" TERTVLLIANVS. Ex materia dicti dirigendus est sensus. Nam quia durum " & intolerabilem existimauerunt sermonem eius, quasi verè carnem suam illis eden- " dam determinasset, vt in spiritum disponeret statum salutis, præmisit, Spiritus est qui " viuificat: atque ita subiunxit, Caro nihil prodest, sed ad viuificãdum scilicet. Exequi- " tur etiam quid velit intelligi spiritum: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus sunt, vi- " ta sunt: sicut & suprà, Qui audit sermones meos, & credit in eum qui me misit, habet " vitam æternam, & in iudicium nõ veniet, sed transiet de morte ad vitam. Itaque ser- " monem constituens viuificatorem, quia spiritus & vita sermo eundem etiam carnẽ " suam dixit, quia & sermo caro erat factus: proinde in causam vitæ appetendus, & de- " uorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus. Nã & paulò antè car- " nem suam panem quoque cœlestẽ pronuntiarat, vrgens vsquequaque per allegoriã " necessariorum pabulorum memoriam Patrum, qui panes & carnes Ægyptiorum " præuerterent diuinæ vocationi. Igitur conuersus ad cogitatus illorum, quia senserat " dispergendos, Caro (ait) nihil prodest. Quid hoc ad destruendam carnis resurrectio- " nem? quasi non liceat esse aliquid, quod & si nihil prosit, aliud tamen ei prodesse pos- " sit. Spiritus prodest, viuificat enim: Caro nihil prodest, mortificatur enim. Itaque se- " cundum nos magis collocauit vtriusque propositionem. Ostendẽs enim quid pro- " sit, & quid nõ prosit, pariter illuminauit, quid cui prosit, spiritum scilicet carni mor- " tificatæ viuificatorem. Veniet (inquit) hora, cùm mortui audient vocem filij Dei, & " qui audierint, viuent. Quid mortuum, nisi caro? & quid vox Dei, nisi sermo? & " quid sermo, nisi spiritus? Hîc Tertullianus initio tradit voluisse Christum auditores auertere à carnali sensu, & modo edendæ carnis in veritate quem solum illi cogitabant, & traducere ad excipienda sua verba, non iudicio carnali, sed spiritali & fidei. Postea addit etiam Christum indicare, quonam pacto caro ex se mortua & fragilis, viuifica reddi possit. Quæ duo non aduersantur veræ manducationi carnis quæ à Christo docebatur, sed ad eam sunt necessaria. Eodem in libro Tertullianus carnis Christi esum valde prodesse ostendit, & vtique ad Ioannis textum alludit, in quo Christus ex carnis suæ manducatione vitam spiritalem & corporalem æternam " dependere significat. Ait ergo, Caro corpore & sanguine vescitur, vt anima Deo " saginetur.

Tertul. De resurr. carnis.

ORIGENES generaliter aliquando verba illa ad omnem doctrinam Christi extendit. Nihilominus vno loco profitetur per ea expressè præcipi Christianis san- " guinis & carnis verum vsum, sed sacramentorum ritu. Sic enim loquitur: Quis " est iste populus, qui in vsu habet sanguinem bibere? Populus Christianus, po- " pulus fidelis audit hæc, & amplectitur, & sequitur eum qui dicit, Nisi mandu- " caueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vo- " bis: quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Et vtique qui " hæc dicebat, vulneratus est pro omnibus peccatis nostris. Bibere autem dicimur san- " guinem Christi, non solùm sacramentorum ritu, sed & cùm sermones eius recipi- " mus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dicit: Verba quæ locutus sum vobis spiri- " tus & vita sunt.

Origen. Hom. 7. in Leuit. ho. 16. in Num. hom. 7. ibid.

CYPRIANVS primam & secundam interpretationem coniungit, ac tertiam " videtur attingere. Verba sunt: Orta fuerat aliquando, sicut in Euangelio Ioannis legi- " tur, de nouitate verbi huius quæstio, & ad doctrinam mysterij huius obstupuerant " auditores, cùm diceret Dominus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bi- " beritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non cre-

Cyprian. De Cœna.

debant, nec poterant intelligere, abierunt retrò: quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci carne humana, existimentes hoc eo modo dici, vt carnē eius vel elixam vel assam, sectámque membratim edere docerentur: cùm illius personæ caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere: Sed in cogitationibus huiusmodi caro & sanguis nō prodest quicquam: quia sicut ipse magister exposuit, verba hæc spiritus & vita sunt: nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat.

Cyrill. Hierosolym. catech. 16. CYRILLVS Hierosolymitanus de priori sensu scribit: De bona doctrina ipse Dominus dixit, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Spiritus sanctus qui loquitur linguis, & viuens est, eloquentiam præbens, & ipse disserit, &c.

Athanas. De verbis Euangelij, Qui dixerit verbū in Spiritū sanctū. ATHANASIVS. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Hîc enim de vtroque, carne & spiritu locutus est, & spiritum à carne distinxit, vt non solùm in eo quod oculis apparebat, sed naturam quoque inuisibilem credentes, disceremus ea quę loqueretur, non carnalia esse, sed spiritalia. Quot enim hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suę in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam, de qua locutus erat, cibum è supernis cœlestem & spiritalem alimoniam, & ab ipso donandam intelligerent. Quę enim locutus sum vobis (inquit) spiritus & vita sunt. Quod perinde est ac si diceret, Corpus meum quod ostēditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritaliter vnicuique tribuatur, & fiat singulis tutamen pręseruatióque ad resurrectionem vitę ętemę. Ita quoque Samaritanam abstrahens Dominus à rebus sensibilibus, Deum esse spiritum pronuntiauit, vt deinceps illa non corporalia, sed spiritalia de Deo cogitaret. Hîc Athanasius initio distinguit carnem & spiritum, ex eo quòd illa per suam naturam oculis cernatur, sicuti ascendit, & mortem subiit: spiritus verò sub aspectum nō cadat. Subiicit carnem Christi mutuari gratiam & proprietatem à suo spiritu, & diuinitate sibi coniuncta, vt contra naturam carnis inconspicua & inconsumpta reddatur, & edatur, & vitam afferat, quas prerogatiuas à spirtu sibi copulato impetrat, ita vt iam habeatur potiùs spiritalis, cœlestis ac diuina caro, quàm corporalis & naturalis, cùm tamen re vera caro sit, sed modum naturalem & carnalem mutauit.

GAVDENTIVS. Pascha est enim Domini, id est, transitus Domini. Ne terrenū putes, quod cœleste effectum est per eum qui transiit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem. Nam quod suprà generaliter exposuimus de edenda carne Agni, spiritaliter in degustandis seruandum est iisdē mysteriis Dominicę passionis, vt nō crudam carnem, crudúmque sanguinem, sicut Iudęus, edi putes, & respuas, dicens, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam manducare? Nec in olla cordis carnei humoribus semper obnoxij, ipsum decoquas sacramentum, commune illud & terrenum esse existimans: sed vt per ignem diuini spiritus, id effectum quod annuntiatū est, credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacrę vitis. Nam cùm panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Credamus, quęso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas: ideò cùm de corpore suo manducando, & sanguine suo bibendo, turbis loqueretur stupentibus, ac mussitantibus, Durus est hic sermo, & quis potest eū audire? vt abstergeret per ignem cœlestē eas cogitationes, quas vitandas esse prędixi, sic adiecit. Spiritus est qui viuificat: nam caro nihil prodest. Verba quę ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et idcircò caput diuinitatis eius cum pedibus incorporationis, & interioribus simul iubemur manducare mysteriis, vt pariter vniuersa

quemad-

quemadmodum tradita sunt, credamus, nõ infringẽtes os ipsius solidissimum: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Si quid autem superauerit, etiam nunc in vniuscuiusque sensu, quod expositione ista non cœperit, ardore fidei cõcremetur. Quoniam Deus noster ignis comburens est, purgans, erudiens, & illuminans corda nostra ad intelligentiam diuinorum, vt & ipsius à Christo instituti sacrificij cœlestis causam, rationémque inenarrabili dono eius sine fine gratias relaturi. Nã verè istud est hæreditarium munus Testamenti eius noui, quod nobis ea nocte, qua tradebatur, crucifigẽdus, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit. Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac via vitæ alimur ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus, de hoc seculo recedentes. Vnde dicebat idem Dominus, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.

CHRYSOSTOMVS. Spiritus est qui viuificat: caro nõ prodest quicquam. Hoc est, Secundum spiritum verba mea audienda sunt. Qui secundum carnem audit, nihil lucratur, nihil vtilitatis accipit. Carnale est dubitare, quomodo de cœlo descendit, & Ioseph filium arbitrari, & quomodo possit nobis carnem suam dare ad manducandũ. Hæc, inquam, omnia carnalia, quæ mysticè & spiritaliter intelligẽda sunt. Et quomodo potuerunt intelligere, quid esset carnem manducare? Expectare igitur oportuit eos, non discedere, interrogare, non desperare. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Spiritus, hoc est spiritalia, nihil carnale, nullã naturalem consequentiam habentia, sed omni hac terrena necessitate, & huius vitę legibus libera. Est & aliꝰ sensus. Sicut in hoc loco spiritus pro spiritalibus posuit, ita cùm carnem dixit, non pro carnalibus, sed carnaliter audire eos significans, qui semper carnalia desiderabant, cùm spiritalia desiderari oporteat. Nam si carnaliter ea quis acciperet, nihil sanè lucraretur. Quid igitur, Caro non prodest quicquam? Nõ de ipsa carne dixit? Absit: sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicũtur. Quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter, vt res dicuntur, neque aliud quippiam excogitare. Non ita iudicanda sunt, quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritaliter. Qui non manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, non habet vitam in semetipso. Quomodo nihil prodest caro, sine qua nemo potest viuere? Vide quòd ea particula, Caro non prodest quicquam, non de ipsa carne, sed de carnali auditione dictum est. *Chrysost. hom. 46. in Ioann.*

ALEXANDRINVM & Ephesinum Concilium. Sanctum ac viuificum, incruẽtúmque in Ecclesiis celebramus sacrificium, non hominis alicuius nobis similis, & cõmunis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinẽ esse, quod proponitur, credẽtes, sed magis tanquã propriũ viuificantis verbi corpus & sanguinẽ accipimus. Cõmunis enim caro viuificare nõ potest. Et hoc ipse saluator testatur, dicẽs. Caro non prodest quicquã, spiritus est qui viuificat. Quoniã enim verbi facta est propria, ob eã causã intelligitur, & est, viuifica, sicut saluator dixit: Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, etiam viuet propter me. *Recitat Cyril. Anathem. 11.*

CYRILLVS ALEXANDRINVS. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Non imperitè omninò viuificam carnem esse negatis. Nam si sola intelligitur, nihil prorsus viuificare potest, quippè quę viuificãte indigeat. Quũ verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantẽ in carne cognoueritis, quamuis nihil penitùs caro per seipsam possit, viuificã tamẽ esse factam credetis, nisi etiam Spiritũ sanctũ non posse viuificare contendatis. Nam quoniam cum viuificante verbo caro coniuncta est, tota est effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam iunctum Dei verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est. Quamuis ergo natura carnis, vt caro est, viuificare *Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 23.*

nequeat,facit tamẽ hoc,quia totam verbi operationẽ ſuſcepit. Corpus enim eſt, nõ cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe quicquã poteſt, ſed ipſius vitæ & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus, in quo deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt. Nam ſi mel, cùm natura dulce ſit, ea dulcia facit quibus immiſcetur, nónne ſtultum erit viuificã verbi natutã putare nõ dediſſe homini, in quo habitat, viuificandi virtutẽ? Quas ob res caro quidem cæterorũ omniũ quicquam verè non prodeſt. Caro autẽ Chriſti, quia in ipſa vnigenitus Dei filius habitat, ſola viuificare poteſt. Spiritum verò ſeipſum appellat, quoniam Deus ſpiritus eſt, &, vt ait Paulus, Dominus ſpiritus eſt. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Totũ corpus ſuum viuifica ſpiritus virtute plenum oſtendit. Spiritum enim hîc ipſam carnẽ nuncupauit, non quia naturam carnis amiſerit, & in ſpiritũ mutata ſit, ſed quia ſummè cum eo coniuncta totam viuificãdi vim hauſit. Nec turbari ꝑpter hoc decet. Nam qui Domino conglutinatur, vnus cum eo ſpiritus eſt. Quomodo igitur caro ſua vna cũ eo non appellabitur ſpiritus? Huiuſmodi ergo eſt quod dicitur, Putatis me dixiſſe viuificum natura ſui terreſtre hoc eſſe corpus? Ego verò de ſpiritu & de vita ęterna locutus ſum. Non enim natura carnis viuificum reddit ſpiritum, ſed ſpiritus virtus viuificam carnem efficit. Verba ergo quę vobis locutus ſum, ſpiritus, id eſt, ſpiritalia & de ſpiritu, & vita, id eſt de viuifica & naturali vita ſunt.

Tract. 27. in Ioann. & lib. 10. de Ciuit. cap. 24.

AVGVSTINVS. Quid eſt quod adiungit, Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquã? O Domine, magiſter bone, quomodo caro nõ prodeſt quicquã, cùm tu dixeris, Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meũ ſanguinem, nõ habebitis vitã in vobis? An vita non prodeſt quicquam? Quid eſt ergo, Nõ prodeſt quicquã? Quomodo ſcilicet illi intellexerũt? Carnem quippè hîc intellexerũt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello vẽditur, nõ quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictũ eſt, Caro nõ prodeſt quicquam, quomodo dictũ eſt, Scientia inflat. Iam ergo debemus ediſſe ſcientiã? Abſit. Et quid eſt, Scientia inflat? Sola ſine charitate. Ideò adiunxit, Charitas verò ædificat. Adde ergo, ſcientiæ charitatem, & vtilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc. Caro non prodeſt quicquam, ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem: quomodo accedit charitas ad ſcientiã, & ptodeſt plurimùm? Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbũ caro non fieret, vt habitaret in nobis. Si per carnẽ nobis multũ profuit Chriſtus quomodo caro nihil prodeſt? Sed per carnẽ ſpiritus aliquid pro noſtra ſalute egit. Caro vas fuit. quod habebat, attẽde, nõ quod erat. Spiritus eſt ergo qui viuificat, caro nõ prodeſt quicquam. Sicut illi intellexerunt carnem, Non ſic ego do ad manducandum carnem meã. Proinde verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Diximus, fratres, hoc cõmendaſſe in mãducatione carnis ſuæ, & potione ſanguinis ſui, vt in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autẽ in illo, cũ ſumus mẽbra eius: manet autẽ ipſe in nobis, cùm ſumus templũ eius. Vt autẽ ſumus membra eius, vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quid fecit, niſi charitas? & charitas Dei, Vnde? Apoſtolum interroga. Chatitas (inquit) Dei diffuſa eſt in cordib⁹ noſtris per Spiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. Ergo ſpiritus eſt qui viuificat. Spiritus enim facit viua membra. Nec viua mẽbra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat, ſpiritus inuenerit. Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quã ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à Chriſti corpore, non eſt membrũ eius: ſi nõ eſt membrũ eius, non vegetatur ſpiritu eius. Spiritus ergo eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquã. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Quid eſt, Spiritus & vita ſunt? Spiritaliter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritaliter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter?

Etiam sic spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

Durum illis visum est, quod ait, Nisi manducaueritis carnem meam, &c. Acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quòd præcisurus es- [August. in Psal. 98.] set Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, nō sermo. Si non duri essent, discerent ab illo, quod illis discedentibus qui remanserunt, didicerunt. Nā cùm remansissent cum illo discipuli duodecim, suggesserũt illi tanquam dolentes illorum mortem, qui scandalisati sunt in verbo eius. Ille autem instruxit eos, & ait, Spiritus est qui viuificat, caro nihil prodest. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Spiritaliter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui. Spiritaliter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter inrelligi.

Tunc vnicuique erit vita, corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibi- [Serm. 2. de verbis Apostoli.] liter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter mãducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum dominum dicentem, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Planum est Augustinum spiritaliter intelligere modo diuerso in istis locis. Nam in priori sonat pro carnis dominicæ spiritali dote ac proprietate, quæ sit cum carne participanda à spiritu nostro, vt caro à nostro corpore in altero loco in duplici significatu capitur, pro tali participatione, & pro modo existendi insensibili.

DE CLAVSVLA, NISI MANDVCAVERITIS, AN sit præcepti etiam infantibus, & cogat de spiritali esu verba Christi accipere.

CAP. VII.

SVPERIORI capite in Sacramentarios dictum sit, quibus placet apud Ioannem de esu carnis Dominicæ, quem in Cœna Christus instituit, scribi, ipsúmque non nisi spiritalem doceri. Nunc agendũ de Lutheranis & Catholicis, qui vt se multis difficultatibus expedirent, maluerunt manducationem in Ioanne promissam spiritalem tantùm agnoscere, & inficiari quicquam ad Eucharistiam pertinere. Ad posterius se impelli aiunt, quia non sit verissimile à Christo doctrinam de ali- [Rationes, quibus plerique mouentur, vt dicta Ioannis negent quicquã ad Eucharistiã pertinere.] quo sacramento tradi, & interea nullam vocem proferri, qua propria eius signa monstrẽtur: cuiusmodi in Eucharistia numerantur panis, calix, benedictio, fractio. Addunt apud Ioannem homines ab externo pane & cibo, quem illi quærebant tantùm, ad spiritalem inuitari. Edere etiam atque bibere in sacra Cœna necessariò de externo esu oris intelligi, & panem ac potum in ptopria significatione capi: apud Ioannem verò in figurata, & non nisi de interna manducatione vsurpari, quæ salutaris sit, & quam qui sumpserint, viuent in æternum, cùm tamen sacræ Cœnæ sumptio, Apostolo teste, sit multis exitio. Respondemus in prædictionibus & promissionibus de re aliqua factis non esse necesse vt modus & species vlla ex parte declaretur, sed satis est vt ipsa rei substantia verbis idoneis exprimatur. Quando Christus promisit Spiritus sancti aduentum, non prædixit quòd repentè fieret de cœlo sonus, quòd apparerent dispertitæ linguæ tanquam ignis. An quia signa prænuntiata non fuerunt, ideò non egit Christus de Spiritus aduentu, qui per hæc signa ostensus est? Christus etiam in hoc capite de resurrectione promittit: Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. An quia speciem

& modum excitationis per vocem Angeli, & tubæ sonum non expressit, idcircò de vera corporum resurrectione non loquitur? Sin ipsam resurrectionem credimus hîc promissam, quamuis resurgentium conditio ab Apostolo descripta non insinuetur, cur non etiã persuadebimur manducationem carnis, quæ in Cœna fit, hîc promitti, quamuis sacramenti species non designẽtur? Insuper quamuis nulla cogat necessitas, vt in prędictione futuri doni species sacramẽtales, aut alia eiusmodi signa nominentur, tamen si verba & facta de Ioannis capite cum historia Cœnæ conferamus, vt antea contulimus, fatebimur neq; de signis planè actũ silentiũ. Absurdũ verò est, cùm Cœna constet rebus & signis, cúmque res ipsæ pluris æstimari debeant quàm signa, vt negetur de Eucharistia mentionem fieri, quia de signis taceatur, & interim non attendatur, quod de rebus ipsis, esu & potu carnis ac sanguinis reali tam significanter disseratur. Falsum est sic homines auocari ab externo cibo ad spiritalẽ, vt spiritalis ille, aut eius manducatio, nullo modo esse queat exterior, cùm præter internam exterior res & eius vsus, tam ad mortem quàm ad cibum tantoperè commendetur. Qua de causa falsum quoque est, edere, bibere, atque alia tantùm hîc de internis actionibus præcipere, aut monere. Nec panis dictio etiã omnibus in locis apud Ioannem figuratè ponitur, sed propriè pro cibo quocunque, siue interno, siue externo, non pro figura panis. Annuimus tamen nõ pro materiali apertè commemorari, sed tacitè subindicari, panem proponendum in Cœna, non purũ fore, sed carnem priùs faciendum, seu in carnem vertendum. Concedimus solum esum salutarem carnis à Christo promitti, vsque ad participationem spiritus, & cum eo fructu, ob quem Christus Eucharistiam instituit. Non enim dedit, aut ipsam instituit, vt indignè comederetur sua caro: quia sicut apud Hysichium est, sanctificationis causa, non contaminationis, proposuit suum mysterium. Non ergo mirum, si Christus eum finem spectans, vitam æternam edenti carnem suam pollicetur: nec mirum, si homines ea abutuntur in contrarium finem & vsum, sua culpa & vitio, quos de hoc Apostolus commonefacit. Post verisimiles illas coniecturas doctissimi quíque clausulam seligunt, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Eam nec Eucharistiæ, nec manducationi carnis, quæ in ipsa perficitur, accommodari posse contendunt, quin errores intolerabiles coaceruet & confirmet. Iam certè magnas turbas in Bohemia, atque vniuersa Ecclesia, peperit de communione sub vtraque specie, cùm vtramque appareat sine exceptione præcipere. Eadem Patres videtur in abusum de Eucharistia paruulis distribuenda coniecisse, cùm omnes illa constringat, ac neminem eximat. Eadem quoq; interminatas ac periculosas quęstiones subministrat de necessitate sumendę Eucharistię, etiam antequàm fuisset instituta, indispensabiliq; pręcepto ad eius sumptionẽ, si desideratur vita, de baptismi inutilitate, quem eneruat, quasi ad vitam & salutem sine Eucharistię perceptione non sufficiat. Quòd si quid de verborum rigore relaxatum fuerit, insidiatur alij, vt eodem iure de regula, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non introibit in regnum Dei, quodcunque placuerit, relaxandum suadeant & extorqueant. Proinde longè satius esse plerią; docti admonent, vt Ioannis caput intra spiritalem escam contineamus, quàm tot difficultatibus prępediamur. Nos verò arbitramur longè conuenientius sensum literę cum Ecclesia, in quo consentiunt Patres, retinere, ac postea videre, an fortè vspiam in applicatione huius sensus & clausulę etiam à quibusdam Patribus, & à recentioribus peccatum fuerit. Peccarunt autem in applicatione maximè, quicunque existimàrunt disertè à Christo hîc imperari vtramque speciem Eucharistię, cùm tamen ipse tantùm pręscribat de vero esu & potu carnis ac sanguinis sui, nec modum attingat. Ideò non pro-

Hysich. li. 6. in Leuitic. cap. 22.

Errores nati ex clausula Nisi manducaueritis.

promulgauit, nisi in pane māducaueritis carnē filij hominis, & biberitis in vino sāguinem eius, nō habebitis vitā in vobis: sed nudè ac simpliciter rem ipsam proposuit. Oratio sanè qualibet secundum subiectā materiam accipiēda est, potissimùm apud Ioannē, qui verba ac syllabas librat, ita vt nihil desit, aut superfluat pro re quā tractat. quādo itaque de rebus cōtentis sub forma sacramentorū narratur, vt in cœna, manducare corpus, & bibere sanguinem, significat distinctam illarū rerū sub diuersis formis perceptionē: Quando autem de solis rebus, & non etiam de modo & forma doctrina datur, vt fit apud Ioannem, tum satis est, vt res ipsæ per corporis ministeriū ab anima percipiātur, siue id perficiatur sub vtraque, siue sub altera specie. Deinde sic ad res in sacramento sumendas obligamur, vt cùm illæ tam sub duplici specie vi consecrationis, quàm sub vna sola vi concomitantiæ adsint, obligationi satisfieri queat, vtrouis modo carnem & sanguinē Domini sumamus. Etenim manducare & bibere in vna siue panis siue vini specie, non minus fieri potest, quàm Apostolus scribit se & lac in potum Corinthiis dedisse, & eum de lacte gregis māducare, qui gregem pascit. Nam vt sub eadē lactis specie, modò quod in lacte solidum est manducari, modò quod liquidū est bibi & potari affirmatur: sic sub eadem panis specie tum Christi solida caro manducari, tum eiusdem liquidus sanguis bibi rectè cēsebitur realiter & spiritaliter, præsertim quoties qui cōmunicat, fidē & cogitationē suam in sanguine Domini, etiam sub specie panis præsentē dirigit. Vnde Irenæus, Cyprianus & Augustinus indifferēter prædicāt, edi & bibi sanguinē, cuius esum lex prohibebat. Et hoc totū quod in Ioanne docetur, ad hoc valeat, dilectissimi (inquit Augustinus) vt carnē Christi & sanguinē nō edamus tantùm in sacramēto, sed vsque ad spiritus participationē māducemus & bibamus. Vbi quod prius ait edere sanguinē in sacramēto, statim pòst vocat māducare & bibere eundē, quoniā sub eadē specie ederetur & biberetur. Propterea fortasse Christus esū carnis & potū sanguinis confert cū Mannæ vnica specie, quæ omnis saporis præberet suauitatē: & idem esse ait, carnē comedere ac sanguinē sugere, quod ipsūmet Christū edere: id quod sub alterutra specie cōsequimur. Qui enim dixit, Qui māducat meam carnē, & bibit meū sanguinē, habet vitā æternā: idem alio dicendi genere extulit, qui māducat me, ipse viuet propter me, & qui māducat hunc panē, viuet in æternum: vt si edere & bibere ad distinctas species volumus referre, pari ratione intelligamus totū Christū in carne & sanguine sub vna māducationis specie sumi, cum eodē fructu & effectu. quapropter Ioannis litera nullā de specieb⁹ mentionē facit, sed de rebus, quæ vel sub vtraq;, vel sub alterutra specie recipiūtur: aut tacitè sic alludit ad māducationis modū & species, vt satis insinuet totū Christū, & carnē eius ac sanguinē sub alterutra percipi. Nec si ferretur præceptū de vtriusque speciei sumptione, sequeretur tamē omnes eo teneri, quemadmodū statim & in Repetitione De cōmunione sub altera specie disputabitur. quod si nōnulli Patrū ad vtrāque speciē esum carnis & potū sanguinis cupidius adaptarūt, sinamus eos in hoc aliquid humani passos esse in applicatione mādati diuini. Præterea generalitas præcepti, quo decernitur vita non habenda sine manducatione carnis Christi, alios induxit, vt ad solū spiritalem esū torquerēt pręceptū, cū is sol⁹ appareat esse necessarius ad vitā, nec ad sacramētalē omnes possint obligari, quādoquidē plerosq; ętas aut necessitas excuset: alios impulit, vt omnib⁹ crederēt necessaria Eucharistię perceptionē, nec vllam exceptionē admitterent ne quidem infantium & lactantiū. Priores à sensu textus & applicatione aberrarūt, posteriores in applicatione excesserunt modū. Licet enim de spiritali esū mādetur, nō tamē solo, & licet omnes inuoluat, ac neminē excipiat, nō tamē omnes indifferēter ad vtrūque esum alligat, sed pro cuiusq; cōditione ac necessitate.

Malè applicatur clausula, Nisi manducaueritis, ad communionem sub vtraque specie.

Irenæus lib. 5. Cyprianus de Cœna. Augustinus tract. 27. in Ioann.

Nisi manducaueritis, præceptum est & quos obliget. *Cypr. de orat. dominica.* *Chrysf. ho. 47. in Ioann.* *Cyrill. lib. 3. ca. 37. in Ioan.*

Certè cùm adulti vix in vita spirituali & cum Christo diù permanere queãt, nisi Eucharistiam dignè frequentent: sicut obligantur ad vitam in se continendam, ita obligantur ad modum perseuerandi in vita, & amissam recuperãdi. Ideò Cyprianus ait: Timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente, Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, &c. Chrysostomus refert Christum frequenter in mysteriis versari, & demonstrare, omninò necessarium esse vt corpus comederent. Cyrillus verò proclamat: Sciant baptisati homines, & diuinę gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spatio per simulatam religionem mysticè

Iustin. ad Antonin. *Ambr. cap. 8. de his qui initiantur mysteriis.* *Cypr. lib. 2. ep. 3* *Quæ fecerunt Christiani propter præceptũ, Nisi mãducaueritis.* *Ambr. lib. 5. de sacram. cap. 4.*

communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Qua de causa in primitiua Ecclesia, ilicò post baptismum ad Eucharistiam deducebantur, sicut ex Iustino, Cypriano, Ambrosio, Cyrillo Hierosolymitano, atque aliis patet, vt vita in baptismo parta conseruaretur. Quinetiam quotidiè perseuerabant cõmunicatione & fractione panis, ex isto præcepto ac pręcepti fine incitati, quemadmodum faciendum monent ferè antiqui omnes qui commentantur, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quos alibi recensuimus: de quo Ambrosius, quem ad verbum imitatur Augustinus, Accipe quotidie quod quotidiè tibi prosit. Sic viue, vt quotidiè merearis accipere. Tu audis, quod quotiensc unque offertur sacrificium, mors domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorũ, & panem istum vitæ non quotidianum assumis. Qui vulnus habet, medicinã requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est, cœleste & venerabile sacramentum. Propter istud, Nisi manducaueritis, primi quoque Christiani periculosum credebant sine Eucharistiæ viatico de hac vita decedere, & pœnitentibus atque præcisis de Ecclesia indulgebatur frui Eucharistia in mortis articulo, ne ipsis via vitæ intercluderetur. Ac ne quidem infantes ab hac generalitate præcepti se-

Dionys. cap. 2. & 7. Eccles. Hierarch. *Cypr. serm. 5. de lapsis.* *Olim pueris dabatur Eucharistia.*

cludebant, quibus statim à baptismo collatam Eucharistiam legimus apud Dionysium magnum, Cyprianum, atque alios, etiam in Ecclesiis Occidẽtalibus vsque ad tempora Gregorij Magni. Nam Romæ vetus eius Missale ostenditur, vbi in publici baptismi ritu, pridie Resurrectionis Dominicæ, de paruulis inseritur, vt statim post baptismum, si opus sit, hac de nutrice sugãt, antequàm apportentur ad Eucharistiam. In Ecclesiis Græcorum modò paruulis pendentibus à collo matrum Eucharistiam comminutam & permixtam sub vtraque specie impartiuntur, sicut hisce oculis vidi, & Thomas suo tempore factitatum narrat. Tantam diligentiam su-

Thom. 3. q. 80. art. 9.

mendæ, atque omnibus dandæ Eucharistiæ, non in alio loco fundabant, quàm in quo Christus ptomulgauit, Nisi manducaueritis catnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis: quo teneri etiam paruulos atque omnes Augustinus ita contendit, vt miretur Pelagianos ausos pueros excipere. Sic enim disputat: Auferatur du-

Aug. lib. 1. de peccatorum meritis. ca. 20. Ep. 106. et 107.

"bitatio: Dominum audiamus, non suspiciones, coniecturásque mortalium. "Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lauacri dicentem, "sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quò nemo ritè nisi baptisatus accedit, Nisi "manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vi-"tam in vobis. Quid vltrà quærimus? Quid ad hoc respondere poterunt, nisi perti-"nacia pugnaces neruos aduersus constantiam perspicuæ veritatis intendant? An ve-"rò quisquam etiam hoc dicere audebit, quòd ad paruulos hæc sententia non perti-"neat, possintne sine participatione corporis huius & sanguinis in se habere vitam, "quia non ait, Qui non manducauerit, sicut de baptismo, Qui non renatus fuerit, sed "ait, Si non manducaueritis, velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, "quod vtique non valent paruuli? Sed qui hoc dicit, nõ attendit: quia nisi omnes ista"

„ ſententia teneat, vt ſine corpore & ſanguine filij hominis vitam habere non poſ-
„ ſint,fruſtrà etiam ætas maior id curat.Poteſt enim,ſi non voluntatem,ſed verba lo-
„ quentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur, quia
„ non ait,Qui non manducauerit,ſed, Niſi manducaueritis. Pelagiani ſine baptiſmo paruulos non ingreſſuros regnum dicebant, quia ſcriberetur,Niſi quis renatus fuerit:attamen ſine baptiſmo vitam aſſequi poſſe.Auguſtinus reſpondet, duplex Niſi in ſcriptura haberi de duobus ſacramentis: atque vt ſine priori,quod eſt de baptiſmo, aſſentiebantur non obtineri regnum, ita aſſentiendum ſine poſteriori, quod eſt de menſa & corpore Domini, non poſſe perueniri ad vitam: Proinde paruulos ſine ſacramento corporis Dominici non habituros vitam ex puris naturalibus, vt opinabantur Pelagiani. Hîc oritur controuerſia de Auguſtini & aliorum Patrum ſententia,an ita exiſtimarint præceptum,Niſi manducaueritis,vniuerſos etiam paruulos inuoluere,vt ad obtinendam vitam oporteret ore proprio paſci Euchariſtia. Videntur ſuperiora verba eò inclinare. Verum quidem,Auguſtinum,Innocentiũ, Euſebium Emiſſenum,atque alios,qui contra Pelagianos decertarunt,tanquam indubitatum ponere,neminem poſſe ad vitam peruenire ſine participatione ſacramẽti Euchariſtiæ,& reali ſumptione carnis Dominicæ, neminémque capacem huius rei,niſi iam baptiſatum & incorporatũ Chriſto. Pelagiani verò & ſine baptiſmo, & ſine Euchariſtia, ex puris naturalibus aſſerebant paruulos vitæ æternæ participes fore. Patres hoc fieri poſſe negabant, quia nulli promitteretur vita, niſi ſuſcipiẽti Euchariſtiam,& Euchariſtia nulli permitteretur niſi baptiſato.Ex quo ſequebatur, nulli vitam patêre ſine baptiſmo,& niſi iam baptiſato, atque Euchariſtiam ſumẽti.Quæritur,an perſonalem ſumptionem Euchariſtiæ cuique etiam infanti neceſſariam tum Eccleſia pronuntiarit. Certè pronuntiaſſe contra Pelagianos ſub Innocẽtio primo apparet,ita vt contrà Pelagiani mutire nõ auderent, quemadmodũ ex multis locis Auguſtini euincit ex noſtris doctiſſimus Eſpencæus, & Auguſtino longè poſterior Rodulphus Ardens, Guilielmi quarti Aquitaniæ ducis concionator, neceſſitatem illam etiam ſuo tempore creditam cõfirmat,in verba,Itaque epu-
„ lemur,vbi ſic loquitur:Monemus & vos,chariſſimi, vt omnes pariter epulemur e-
„ pulum animabus noſtris neceſſarium. Scriptum eſt enim,Niſi manducaueritis.Vn-
„ de ſtatutum eſt, vt pueris mox baptiſatis ſaltem in ſpecie vini tradatur, ne ſine ne-
„ ceſſario diſcedant ſacramento.Et quid ſi diſcedant,numquid damnabuntur?Non,
„ fratres mei,quoniã in fide,etſi non ſua,tamen patrinorum ſaluabũtur. Duo quippè
„ ſunt modi manducandi corpus Chriſti:vnus ſacramentalis, alius ſpiritalis,&c. Credibile eſt etiam tempore Auguſtini inter Catholicos diſcuſſam illam de facto neceſſitatem ſumendæ Euchariſtiæ, propter paruulos & adultos legitimè excuſatos: vbi video ſanè Auguſtinum in hac quæſtione in vtramque partem exceſſiſſe modum.Nam quoniam præceptum, Niſi manducaueritis,duplicem manducationem carnis Dominicę amplectitur,realem,atque eius fructum,quo ſpiritalis eſus cõſtat: Auguſtinus contra Pelagianos adeò ſeuerè realem manducationem exigit, vt ſine ea nullum alteri locum relinquat, vt præcepto ſatisfiat. Contrà, in Donatiſtas ita ſpiritalem vrget, vt ſolam videatur agnoſcere ad expletionem huius præcepti, & re vera comedendum corpus Chriſti, ac realem prorſus contemnat, quemadmodum poſtea capite De Patribus legetur. Veriſimile eſt tum temporis Auguſtinum admonitum, moderationem adhibuiſſe, ac media via ingreſſum eſſe, vt præceptum quidem intelligeretur de vtraque manducatione, & ad finem ſaltem vtriuſque omnes indiſpenſabiliter obligaret, qui eſt vniri & Chriſto incorporari: quo adepto excuſari à præcepto,quibus deeſt poteſtas & contemptus,quoniã per-

Vſque ad tempora Pelagianorũ putarunt Euchariſtiam paruulis præceptã et neceſſariã: ſed ſtatim illo tẽpore moderatio fuit adhibita huic ſententia.

Eſpenc. lib.2. de adorat. Euchariſtia, ca.12

uenirēt eò quò tenderet præceptum, à quo eximi æquum esset per incapacitatem & impotentiam, quam suppleret communitatis corpus, cuius membra efficerentur per baptismum. De omnibus itaque alioqui à reali perceptione Eucharistiæ impeditis Augustinus, cùm agitaretur quæstio de infantibus, ita loquitur: Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippè illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse quod illud sacramentum significat, inuenit. De paruulis verò ista docet: Testimonio diuinorum eloquiorum dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem, ad vitam, salutémque æternam posse quenquam hominem peruenire. Numquid enim illud ambiguum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei? Numquid etiam illud, Quia nisi manducauerint homines carnem, hoc est participes fuerint corporis eius, non habebunt vitam? His atque huiusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis, diuina luce clarissimis, diuina authoritate certissimis, nónne veritas sine vlla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptisatos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui vt incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur? Sicuti etiam paruulos, quandiu sunt in corpore credere aliorum corde & ore, ita oportere comedere corpus Christi, & sanguinem bibere realiter ac spiritaliter, videtur Augustinus docere. Quamobrem non arctat præceptum ad spiritalem esum extra Eucharistiam: sed non nisi de reali in ipsa, ipse atque alij contra Pelagianos exposuerunt (alioqui concideret tota ipsorum ratiocinatio) nec baptismum probassent necessarium infantibus & adultis ad sumendam Eucharistiā, quia ad spiritalem non baptismus, sed fides desideratur, quæ sine baptismo adultis adest, & patribus adfuit, eósque Christo incorporauit, ac spiritalem carnis eius esum ministrauit sine baptismo. Quinetiam in plerisque sentit Augustinus, res sacramentorum, vt est vniri Christo & Ecclesiæ, præcedere interdum ipsa signacula & sacramenta, quanquam necesse sit postea eadem signacula subsequi, vt in Cornelio Cēturione, & aliis. Ideò non de spiritali mādụcatione textum, Nisi manducaueritis, allegarunt Patres contra Pelagianos, sed de ipsa Eucharistia, & reali perceptione, quæ sola necessariò baptismum antecessisse postulat, vt ex Augustino audiuimus, quo exteriùs incorporemur, & nascamur in Christo, antequàm exteriùs alamur de ipso. Pluribus in locis Augustinus eandē textus illius vrget intelligentiam, & baptismi necessitatem, vt eo quo comparat iam credentes cathecumenos & baptisatos Christianos, vt illis Christū verū Manna, nō se edendū committere dicat, sicut istis: quia illi quamuis fide abundent, non tamen mare transierunt, baptismo functi sunt vt isti: quod de spiritali falsum foret, ob ídque de vero ac reali in Eucharistia capi debet. Quinetiam propter illum textum memorat Eucharistiam vulgò in Africa ex Apostolica traditione vocitatam vitam, & baptismum salutem, qua perueniretur ad Eucharistiam, vt ad vitā. Idem in Pelagianos argumentū tractat Eusebius Emissenus, atque ait: Quid adhuc de illa duplici specie inquirere debeas, ipso Domino attestante cognosce, Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis. Quod testimonium contra Pelagij blasphemias euidentissimū ac validissimum est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cœlorū, baptismum paruulis conferendum. Sub his enim verbis, quibus Euangeliū pronū-tiat,

Beda citat in cap. 10. 1. Cor. ex Serm. ad infant.

August. lib. 3. De peccator. merit. cap. 4.

August. epist. 107. li. De peccat. meritis, ca. 20. lib. 1. De nuptiis cap. 20.

August. quæst. 2. ad Simpl. et in lib. expositionis inchoata

Aug. tract. 2. in Ioann.

August. lib. 1. De peccat. merit. cap. 24. lib. 1. contra Cresconi. cap. 24.

tiat, Non habebitis vitam in vobis, apertè intelligendū est, quòd omnis anima munere baptiſmi vacua, nō ſolùm gloria careat, ſed & vita. Porrò Auguſtinus poſt Cyprianum & Origenem, ex pręcepto Niſi manducaueritis, probat imperari Chriſtianis potum ſanguinis, qui Iudęis intercidebatur, non vtique ſpiritalis potus, qui etiā Iudęis permittebatur, ſed realis & verus. Ex quo liquet, quo in ſignificatu pręceptū cum aliis Patribus acceperit. Cęterum quoniā apud Ioannē Chriſtus diſſerit de vera manducatione carnis ſuę, & de ſpiritali eiuſdē cum effectu & fructu dignę manducationis annectit, propterea Auguſtinus aliquando duplicē carnē Chriſti conſiderat, ſubſtantialē, cuius eſus in ſubſtantię ſumptione conſiſtit, & ſpiritalem, propter ſpiritum hęrentē carni Chriſti, qui participatus reddit participes vnam carnē & vnū corpus cum Chriſto, non reale & ſubſtātiale, ſed ſpiritale ac myſticū: Ideò aliquando vocat vnitatē illam, corpus Chriſti, & in vnitate eſſe, idem ac participare de Chriſti corpore, myſtico ſcilicet, vel de vero, ſpiritaliter, ſeu quoad participationē ſpiritus. Aliquando loco duplicis carnis & corporis ſubſtituit duplicem modū ſumendę verę carnis Dominicę, realem, & ſpiritalē: qui poſterior ſi deficit, negat in veritate percipi carnem illam, non quia non realitas eius & natura ſumatur, ſed quia non percipitur, nec cedit ſumenti in veritate, qualis eſt in ſe, ſcilicet ſpiritalis. Propter hoc multę difficultates incidunt in Auguſtini libris, quaſi pręſentem clauſulam ad modū & eſum ſpiritalē flectat, de quibus capite de Patribus circa ſpiritalē eſum in hac Repetitione. Ne autem longiùs digrediamur, rectè cum aliis Patribus vidit Auguſtinus præceptum Niſi manducaueritis, ad omnes etiam infantes de vera ac reali participatione carnis Dominicæ in Euchariſtia ferri & extēdi, ſed re maturiùs deliberata, melius tādem quàm plerique alij applicauit, cùm à perſonali perceptione excuſari ſenſit, quibus dignè percipiēdi deerat requiſita capacitas, aut quibus nō aderat opportunitas, quorum vices ſupplere, & pro ipſis edere, etiam realiter iudicat alia membra corporis myſtici & Eccleſiæ, quæ reipſa Euchariſtia fruitur, & cui per baptiſmum inſeruntur. Nam quemadmodum cætera neceſſaria, vt eſt fidei cōfeſſio, inuocatio nominis Domini, & dilectio Dei ac proximi, per alios explentur pro infantibus, & aliis incorporatis Chriſto, qui ſunt eiuſdem corporis mēbra, participéſque illos faciunt omniū timentiū Deum, & cuſtodientiū mādata eius, quia cōmunio ſanctorū eſt in Eccleſia. Scriptum quidē eſt, Qui nō crediderit, condemnabitur. Attamen infantes non credūt, & ſalui fiunt, quia illis prodeſt fides aliena, quibus per ſacramentum baptimi incorporatis omnia illa cōmunicantur, quę ſunt Eccleſiæ Dei. Quēadmodū igitur infantibus aliena fides, ita & aliena perceptio Euchariſtię prodeſt. Ac quemadmodū pręceptum de habenda fide generale eſt, licet infantes per ętatem nequeāt credere, ita pręceptum de edenda Euchariſtia in genere profertur, licet infantes actu aliquo ſpiritali non ſint capaces edendę Euchariſtię. Qui ergo volunt præceptum Niſi manducaueritis, nullam actionē edendæ Euchariſtiæ, ſiue in re, ſiue in voto, præſcribere, ne infantes à vita æterna excludat, pari modo dicendum erit verba, Qui non crediderit, cōdemnabitur, nullam actionē fidei mandare, ne infantes condemnētur. Vt igitur adulti tenentur credere actu proprio, licet infantibus ſufficiat habitu proprio per ſacramentum baptiſmi acquiſito, & actu alieno credere, ſic etiam præceptum Niſi manducaueritis, adultos iubet, ſi ſuppetit poteſtas, vt actu proprio ſumant Euchariſtiam, licet infantibus ſufficiat effectu per baptiſmum acquiſito, & actu alieno Euchariſtiam percipere. Nam in ſacramento baptiſmi, & in habitu fidei tunc infuſo, comprehēduntur & ſpes, & charitas, & perceptio Euchariſtiæ, & inuocatio nominis Domini, & obſeruatio mandatorum, & quæcunq; vel facere vel pati fidelis debuiſſet, ſi ad eam ætatem & gradum perueniſſet, in quo talia præcepta

Quare Auguſtinus aliquando de ſpiritali, Ioannis dicta interpretētur.

Qui excuſētur à præcepto Niſi manducaueritis.

complenda erant. Omnia enim fecisse iudicatur, cui ius ciuitatis Dei concessum est, & per quem non stetit, quo minus omnia ciuitatis munia obiret. Quamobrem ex phrasi scripturæ pari moderatione præceptum illud infantes & alios fideles impotentes obligat, quo alia generalia præcepta omnibus ad salutem necessaria, & eam moderationem prudenter obseruauit Augustinus. Alij in ea sunt opinione, vt nihil ad infantes pertineat illa præceptio: quorum etiam vera esse inuenitur sententia, nec Augustino contraria, quoniam arbitrantur non infantes personaliter conueniri, aut per se ad percipiédam Eucharistiam cogi, cùm ad adultos Christus sermonem dirigat, & actum adultorum iubeat, qui est comedere & bibere, & de illa manducatione sanciat, per quam vera caro sacramentaliter & spiritaliter suscipitur, per quam in Christo manemus, cuius potẽtes non sunt paruuli. Neque enim ipsi possunt discernere & diiudicare, animóque ac fide apprehendere, quis ille sit cibus & potus, vt sacramentaliter & spiritaliter comedant, & in Christo maneant: nec se probare & præparare, ne indignè edant, nec memoria passionem Domini repetere, & de ipsa cogitare. Imò quamuis non imperaretur Eucharistiæ sumptio, nec manducatio realis extra Eucharistiá, sed tantùm spiritalis, & actio fidei, qua credatur in mortem Christi, & inuocetur, non tamen datur paruulis ea defungi posse, vt actũ credant & inuocent. Postremò dum infans baptizatur, non propriè manducat, sed renascitur: & aliud est renasci, aliud manducare, etiam spiritaliter, sicut antea ex Augustino monstrauimus. Cùm igitur Christus apud Ioannem præcipiat carnis suæ esum, siue spiritalem tantùm, seu insuper sacramentalem, in neutro sensu infantes potest implicare, vt ipsi teneantur per se manducare etiam spiritaliter, sed vt sufficiat per eos id facere, cum quibus in baptismo membra Christi redduntur. Ex quo manifestum fit præceptum Nisi manducaueritis, adultis primùm ac præcipuè, paruulis verò non nisi ex quadam consecutione conuenire & applicari oportere. Tertij verò, qui putarunt necessariò paruulos statim à baptismo pascendos Eucharistia, omninò in applicatione præcepti lapsi sunt, sicut ex disputatis liquet. Hìc Germani veterum Patrum & nostram de toto Ioannis capite interpretationem, quasi vna litura conantur abolere. Si enim (aiunt) errauit vetus Ecclesia in applicatione præcepti, cùm ex eo crederet dandam, ac daret de facto paruulis Eucharistiam; cur non eadem opera errauerit in totius capitis expositione & intelligentia? Respondemus errati, si putetur necessariò Eucharistia paruulis ministranda: sed neminem Patrum legimus ita credidisse, aut scripsisse. Imò Augustinus contratium, quasi ab omnibus confessum, antea ponebat: nec semper, nec vbique ita factitatum fuit; alioqui vsque in hodiernum diem daretur: quod vtique nec iam fit in Occidentalibus Ecclesiis, tametsi retineatur mos paruulos à lauachro ad altare deportandi, quasi ibi Eucharistiam sicut olim suscepturos: nec patrum nostrorum memoria id fortassè vbique frequentatum, vel pro necessario habitum semper fuit. Vbi verò inualuit ea cõsuetudo, ex humana dubitatione, cautela ac prudentia prodiit, quæ vitio & peccato temerè verti non debet, priusquam de certitudine veritatis appareat. Multa enim fiunt consultò, vitandi periculi causa, quæ necessariò facienda non creduntur: sed piarum mentium semper fuit culpam timere, vbi culpa non est. Neque verò ex eo quod cautè fit, imitandi necessitas aliis imponitur. Verùm longè ex alia causa non aliqui, sed vniuersi Patres ac tota Ecclesia in sensum Ioannis de Eucharistia consensit, nempè ex Spiritus sancti assistentia, quæ inducit in omnem veritatem, atque ex verborum proprietate ab omnibus agnita & approbata. Quod autem Caietanus atque alij conquerũtur baptismum eneruari, quasi non sufficiat ad vitam, si eam non sit possessurus, qui non manducauerit realiter carnem

carnem filij hominis:sufficere iam respōdit Augustinus in pueris & adultis, quādo ad ampliora progressum impedit,& intercludit capacitas & impotētia,quibus aliena perceptio Eucharistiæ,& votum percipiēdę suffragātur. Quòd si detrahi de sufficientia baptismi benè colligunt ex generalitate præcepti de manducanda carne, declament eodē argumento contra fidei atque animi motus necessarios in Deum, vt salus obtineatur:in adultorum necessariā post baptismum pœnitentiā, quasi derogent baptismo,cùm in omnibus pronuntietur, Qui non crediderit, sicut qui nō baptisatus fuerit,qui non inuocauerit nomen Domini,&,Nisi pœnitentiā egeritis, omnes similiter peribitis. Declament in omnia quæ obeunda sunt, quoties datur & licet,si volumus ad vitam ingredi. Pueris personaliter sufficit baptismus, quia ad alia non adest facultas, quæ quamprimùm illis accessit,iam illis baptismus non sufficit. At(inquiūt)pari ratione baptismi necessitas indicta per Nisi quis renat⁹ fuerit, patietur exceptionem pro paruulis & aliis,quibus non datur baptismi copia, sicut exceptionem admittit Nisi manducaueritis, & non baptisati censeri poterunt baptisari per alios,sicut & manducare. Verùm secus hîc,secus ibi. Nam mēbrorū operationes non valent aliis opitulari, nisi fuerint corpori adhærentia. Ante baptismū verò paruuli nec interiùs nec exteriùs hærent corpori Christi:ideò ipsis nec alienus baptismus,nec aliena manducatio prodesse potest. Adulti non baptisati,fide pręditi, iam quidem interiùs affines sunt corpori, & eius candidati,sed nondum affixi & conglutinati exteriùs, saltem vt externas actiones membrorum ipsis oporteat imputare,sicut paulò antè locos ex Augustino annotauimus. Deinde alio dicendi genere fertur, Nisi quis renatus fuerit, quo passio potiùs significatur, cuius capaces sunt omnes ex quo nascuntur,quàm actio. Nisi manducaueritis verò actionem indicat, & pro materia subiecta tantùm alloquitur potentes intelligere, edere, diiudicare cibum illum esse carnem Domini,aliásque appositas & requisitas conditiones ac circūstantias ad talis rei dignum,sicut imperatur,esum. Ex quo non soli paruuli soluuntur hoc præcepto, sed adulti baptisati,qui degūt inter Turcas,infideles & hęreticos,quos inopina mors intercipit, antequàm reali perceptione Eucharistię ritè queant perfrui, aut alia occasio retardat. Tertiò aliæ scripturæ non limitant Nisi quis renatus fuerit, ex rei significatæ proprietate, sicut scripturæ exceptiones suggerunt ad Nisi manducaueritis. Nam præter præcipiendi formam ab alia distinctam & diuersam, aliæ scripturæ dictant præceptum hoc benignè explicari ac mitigari oportere. Rei enim sumendæ dignitas non tantùm violenti impedimenti „ causam accipit,sed probationis tempus & spatium poscit. Probet seipsum(inquit) „ homo,& sic de pane illo edat, & de calice bibat. Vnde tantum abest vt hominem in angustias redigat, necessitatémque sumendæ Eucharistiæ imponat, cuius non sit capax, aut cuius copiam habere nequeat, quòd adepta potestate & opportunitate, ac remotis omnibus impedimentis, ei aliquod tempus indulgeat, ac præcipiat se probandi & disponendi, ne indignè edat. Quisquis itaque oblatis omnibus necessariis & requisitis ad salutarem susceptionem Eucharistiæ, non manducauerit in ea carnem filij hominis, & biberit eius sanguinem, non habebit vitam, sed punietur de repudiato corpore & sanguine Domini. Postremò, non reticebo quod mihi probabilius apparet ex aliorum Patrum sententia, Ioannem non sic angustè locutum, vt nullo modo vita participetur absque reali manducatione carnis Domìnicæ,cùm ex sola fide absque carnis esu eam obtineri posse idem Christus apud Ioannem priùs moneat, Qui credit in me,habet vitam æternam: sed certum modū possidendi vitam in pręcepto Nisi manducaueritis,innuit,quo nempè habitet realiter in sumente:ita vt caro Christi habitans in nobis,vitam suam secum affe-

Differentia inter Nisi quis renatus fuerit, & Nisi manducaueritis.

Vera expositio præcepti Nisi manducaueritis.

rat, ac manere in nobis faciat, vitámque insitam nobis impartiat. Ita video Hilariũ, Cyrillum, Chrysostomum, Basilium, atque alios aptissimè Ioannis mentem assecuros. Nam Hilarius expressè disputat vitam acquiri ex fide, charitate ac baptismo, sed vitam ipsammet realem carni Christi inhærentem sine Eucharistia non haberi, vt in nobis resideat, & habitet realiter: de quo modo omnes conueniunt apud Ioãnem à Christo sermonẽ fieri. Hic sensus omnes prorsus Aduersariorũ obiectiones diluit, ac nihil ad rem pertinere ostendit, fidémque veteris Ecclesiæ de Ioannis textu, & vera manducatione carnis Dominicæ in Eucharistia planissimè astruit & cõfirmat. Cæterùm non obligauir hoc præceptum ante Eucharistiam institutam ad ipsam recipiendam, tametsi ex quo prolatum fuit, obligarit ad fidem ipsi adhibendam de futura aliquando necessaria manducatione cárnis illius: quemadmodum cùm Nicodemo pronuntiaretur Nisi quis renatus fuerit, non ilicò omnes ad baptismum astrinxit, qui salutis & regni tenerẽtur desiderio, donec baptismi institutio accessit. Quamuis autem in præsenti subiungatur, Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, non efficit vt in præsenti imperaretur ea mãducatio per Nisi manducaueritis, quia manducari non poterat quod nondum dabatur, sed tantùm promittebatur, licet afferret vitam, quandocunque mãducaretur: nec quicquã facit ad præsentem obligationem, quòd in quibusdam exemplaribus legatur, Nisi manducaueritis carnem, nõ habebitis vitam in vobis. Verum enim est, nisi qui mãducauerint, non habere vitam in semetipsis quocunque tempore, antequàm manducarint. Frustrà vero, siue Aduersarij, siue homines Catholici, laborarint, vt doceãt pleraque de capite Ioannis ad spiritalem etiam solam manducationem referri, cùm id vltrò concedamus: sed probare an omnia, & potissimùm ea, quæ de esu proprio Euchatistiæ scribi affirmauimus, de sola spiritali per fidem participatione scribantur, hoc opus, hîc labor est, Frustrà Patres nonnullos produxerint, qui quæ ad realem manducationem pertinere diximus, de spiritali interpretantur, cùm id liceat, quandoquidem reali per textum connectitur, ob ídque nõ offenditur, si separatim de vna accipitur, quod etiam de altera intelligitur: & scimus plerosque Patrum delectari Euangeliorum dicta à literali sensu, quem tamen non repudiant, ad spiritalem populi ædificationem, aur piam aliquam meditationem solitos vertere: quod Clementi Alexãdrino & Origeni atque aliis nonnullis fuit perquàm familiare. De quibus maior concertatio oriri potest, ad caput De Patribus pro sola spiritali manducatione remittemus. Cyprianus vt pro baptismo inrelligit, Nisi quis renatus fuerit, ita & pro Eucharistia, Nisi manducaueritis. Ambrosius postquàm posterius hoc citauit, Carnem audis, (inquit) & sanguinem, mortis Dominicæ sacramẽta cognoscis. Nos autem quotiescunque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annuntiamus. Leo verò Pontifex omnibus aliis ita subscribit: Dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.

Cyp. lib. 3. in Iud. cap. 25. & 26.
Ambros. lib. 4. De fide, ca. 5
Leo Serm. 6. mensis 7.

AD ARGVM. ADVERSARIORVM. EX APOSTOLO, à nobis edi tantùm spiritaliter carnem Christi per fidem, vt Iudæi comederunt vbi de diuersa manducatione etiam spiritali Patrum, & nostra.

CAP. 8.

QVo magis agnoſcas, quàm ſint Aduerſarij violenti, & malæ fidei ſcripturarum interpretes ac corruptores, qui hoc vnum reſpiciunt, vt quoquo modo malę ſuę cauſæ colores reperiant, poſt Ioannis caput, textum alterum Pauli Apoſtoli excutiamus, cui maximè affiguntur capti ſpiritalitatis vocula ancipiti & incerta, quam quia nullibi in tota ſcriptura magis expreſſam inueniunt, quo iure, quaque iniuria huic hærent mordicùs, & quiduis ſuperſtruunt atque
» affingunt. Textus verò ſic habet: Nolo vos ignorare, fratres, quoniam Patres no- 1. Cor. 10.
» ſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt. Et omnes in Moyſe
» baptiſati ſunt in nube & in mari. Et omnes eandem eſcam ſpiritalem manduca-
» uerunt. Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos Petra: Petra autem erat
» Chriſtus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Nam proſtrati ſunt
» in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes
» malorum, ſicut & illi concupierunt. Ex hoc contendunt eadem ante Chriſtum fuiſſe ſacramenta cum noſtris, & Patriarchas ante Legem, & ſub Lege Iudæos ita manducaſſe Chriſtum in ſuis ſacramentis, quemadmodum cedit nobis in cibum in noſtris, atque ab Apoſtolo modum deſignari vtriſque communem, ſpiritalem ſcilicet, & per fidem in ſignis & ſacramentis. Verùm ſola collatio Ioannis cum Apoſtolo, eorum commenta planiſſimè redarguit, ita vt videatur Ioannes dedita opera contra impoſturam factam Apoſtolo, Moſis panem, cibum & potum, ac nominatim Manna, generalitérque quodcunque alimentum quo veſcerentur Patres, ab æqualitate & comparatione cum cibo quem nobis daturus erat Chriſtus, ſecludere: Sed nec ipſius Apoſtoli litera figmenta illa admittere nec perferre poteſt, vel hoc argumento, quod Aduerſarij nequeunt inde illa extorquere & eruere ſatis probabiliter, niſi literam ſuo more corruperint, ipſíque addiderint. Nam quia concluſio Apoſtoli, Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, &, Hæc omnia in figura contingebant illis, apertum diſcrimen ſtatuit inter Patrum ſacramenta & noſtra, eorum geſta atque actiones, etiam eſus & potus de Chriſto, quorum mentionē fecerat Apoſtolus, ſtuduit Caluinus locum deprauare, & aliter interpretari quàm patiatur veritas. Sic autem legitur: Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. Transfert ille, Hęc autem typi noſtri fuerunt: & explicat pro exemplis quę nobis proponat ſcriptura, non pro figuris & vmbris noſtrarum rerum. Verum quidem eſt, τύποι plerunque ſignificare exemplar, quod datur ad imitandum ſeu fugiendū: nihilominus quando conferuntur vetera nouis, & Iudaïca Euāgelicis, non rectè illa horum exempla nominantur, ſiue reputantur, ſed potius figuræ & vmbrę, quibus veritatis expreſſio deerat, atque eius aderat ſolum quoddam lineamentum, & imperfecta ſimilitudo. Sic ab apoſtolo dicitur vetus Adam typus futuri, non exemplum à nouo Adamo imitandum, ſed figura quandam gerens imaginem, & correſpondentiam cum nouo. Sed nec Mānæ eſus, nec potio de rupe, nec tranſitus maris rubri, quę in typis noſtris numerat Apoſtolus, traduntur nobis in exemplum, vt ipſa ęmulemur, vel ſequamur, vel vitemus. Nec populi peccata & ſupplicia illata tantùm ſunt exempla cauenda vel amplectenda, ſed omnia ſunt eiuſdem generis typi noſtri, ſiue pictę imagines, & vmbrę rerum futurarum, tam ſacramentorum verorum, quàm ſempiternarum pœnarū, quę nobis à peccatis noſtris imminēt. Quod fateri cùm cogeretur Beza, Caluini explicationem deſerit, & ad antiquam de figura recurrit, aliáque via differētiam illam inter res Patrum & noſtras deſtruit, negátque vetera ſacramenta fuiſſe ipſis Iudæis figuras & vmbras, ſed vera ſacramenta, relata verò ad nos & noſtra, annuit nobis eſſe figuras. Mirum eſt noſtra ſacramenta ſecundum Aduerſarios pro figuris à nobis eſſe

Aduerſarij corrumpunt textum Apoſtoli.

Beza in Annotat. in ca. 10. 1. ad Corinth.

æſtimanda: quæ autem Iudæorum erant, nefas fuiſſe pro figuris ab ipſis haberi. Cęterùm vertat ſe quò volet Beza, in idem recidit. Nam ſi noſtris collata figuræ extiterunt, & ſunt etiam nobis: igitur non fuerunt, nec ſunt ducenda à nobis eadem cum noſtris ſacramentis: ſed tantum eſt diſcriminis interponendum, quantum inter vmbram & corpus, inter figuram & veritatem. Quoniam verò nulla in textu Apoſtoli admiſcetur comparatio noſtræ manducationis & potionis cum illis, quibus Iudæi in Manna & rupe defungebantur: addimenta quædam Aduerſarij, cùm citant locum, interferunt, aut ſubintelligi volunt, quibus illa comparatio expleatur: quemadmodum in eo quod ſcribitur, Omnes eandem eſcam ſpiritalem ediſſe, addunt eãdem nobiſcum, ſeu atque nos, vti placet Bezæ. Sed nulla exemplaria ita legunt, & ſcopus quò fertur Apoſtolus, non eam lectionem recipit. Agebatur de vitando gulæ vitio ex appetitione idolothyti, & generaliter de cupiditatibus corporis, quibus frenandis ſuadet operam & ſtudium adhibendum, nec fidendum donis quibus collocupletantur à Deo Chriſtiani. Multa ad eum finem nono capite congerit. In decimo idem probare aggreditur ex Iudæorum populo, Chriſtiani populi typo & figura & receſſet ſingularia dona, quibus à Deo afficiebatur populus ille, cùm omnes liberauerit in tranſitu maris rubri, & omnes cœleſti nube operuerit, omnéſque Manna cœleſti cibo, & potione ſupernaturali de rupe refecerit ac recrearit: nihilominus donis illis affecti, nec deſierunt per cupiditates corporis, quibus indulgebant, perire. Quis hîc locus affirmandi eundem cibum & Iudæis & nobis fuiſſe collatum? quin potius Apoſtolus totus incumbit, vt enarret quæ ſeorſum Iudæis erogarit Deus, quibus illi fuerint abuſi, vt ex eorum figura diſcamus nos maiora, veriora ac diuiniora beneficia accepiſſe à Deo, quibus ſi abutamur, etiã grauiora merebimur ſupplicia & veriora. quod ſi legeretur, aut intelligeretur Iudæos eandem nobiſcum eſcam ſpiritalem manducaſſe, non igitur illis omnia contigiſſent in figura noſtri, nec quæcunque biberunt aut comederunt, ſpiritalia typi noſtri & figuræ fuerunt. Si de ſignis externis eſcam ſpiritalem interpreteris, falſò ſcripſiſſet Apoſtolus eadem eſca nobiſcum illos enutritos: quandoquidem nec Manna, nec aqua de petra, eadem erant cum pane & poculo Euchariſtiæ. quapropter altera pars comparationis, quæ nos reſpicit, non attingitur ab Apoſtolo, niſi cùm ſubiicit, Hæc autem facta ſunt in figura noſtri. Præterea falſò iactant Aduerſarij hîc conferri noſtra & Iudæorum ſacramenta, cùm nullum verbum habeatur de Iudæorum ſacramẽtis, multò verò minus de noſtris. De baptiſmo, niſi nomine tenus, vel de Euchariſtia, nulla recordatio. Quæ verò de tranſitu maris, de Manna, & rupis ſcaturigine commemorantur, non fuerunt Iudæis ſacramenta, ſed neceſſitatis corporalis gratiæ diuinitùs collata beneficia, non religionis partes, vt erant Circuncíſio, & Paſchalis agni manducatio. Certè Moſes non illa recitat aut commendat, tanquam religionis ſacramenta, vel teſſeras, ſed tãquam Dei dona ac diuina opera, in ſalutem temporalẽ populi ſui mirabiliter edita, quemadmodum & Dauid eorũdem meminit. Nec certè tranſitus potuit eſſe ſacramẽtum religionis Iudaicæ, cùm ſemel tantùm acciderit, nec ſatis temporibus & ceremoniis poſſet frequentari: nec ſub nube quicquam agebatur à populo in Dei cultum, nec Manna, nec potio de petra ad religionis ritum inſtituebantur, ſed communes erant tam Iudæis quàm exteris, cum ipſis in deſerto errantibus: imò & iumentis deſtinabatur Dei mandato potio illa, quibus tamẽ ſacramẽtum non obiiciebatur. Ac cùm nullus alius cibus & potus ſuppeteret Iſraëlitis in ſolitudine, in omni cibo & potu indifferenter ſacramẽta celebraſſent, ac ſumpſiſſent, ſacriſq; fuiſſent operati æquè atq; in circumciſione & agno Paſchali in quibus propriè cõſiſtebant Iudæorum ſacramẽta, id eſt, ſacri & externi ritus, in diuinũ cultum

Quæ de Iudæis narrat Apoſtolus, diſcrimẽ faciunt potius inter nos & Patres.

Quæ narrat Apoſtolus Iudæis contigiſſe, non fuerũt vera ſacramenta.

cultum & religionis pactum decreti. Quæ recenset Apostolus, fuerunt quidē signa & figuræ nostrorum sacramentorum: non ob id tamen sacramenta extiterunt propriè, nec omnia Dei beneficia, nec omnia signa, nec omnes figuræ in sacramētis reponi debent, nisi fuerint sacræ quædā ceremoniæ, præter suā significationē in testimoniū fœderis initi cū Deo, in ipsiúsque cultū relatæ & celebratæ: quo in numero scriptura nec populus Iudęorū habuit ea quæ Apostolus perstringit. Insuper nō de spiritali perceptione beneficiorū Christi, aut spiritali manducatione carnis eius hîc loquitur Apostolus. Hoc Aduersarij violenti interpretes ipsi affingunt suo more in duarū vocū ambiguo sensu. Nam quod Apostolus ait, Omnes eandē spiritalē escā manducasse, hoc ita accipiunt, ac si Apostolus de spirirali mādücatione carnis Dominicæ ageret, & suæ intelligentiæ patrocinari volunt quod subnectitur: Bibebant omnes de spiritali cōsequente eos petra. Petra autem erat Christus. quasi inde eliciant, omnes Israëlitas in deserto peregrinantes, participes fuisse spiritalium beneficiorū Christi, & per fidē saturatos fuisse carne & sanguine Christi. Quamuis violētam hanc expositionem concederemus, nostræ tamen sententiæ de vera ac substātiali pręsentia corporis Christi in Eucharistia nihil prorsus obesset, nec bene cōcluderet, nos non aliter quàm spiritaliter de carne illa participare, etiam si; inquā, assentiremur Patres eandē escā spiritalē nobiscū comedisse. Non enim bona cōsequentia colligitur: Patres & nos spiritaliter per fidē mādücamus carnē Christi: Ergo caro illa nō est præsens in cœna: aut, Ergo nos in nouo Testamēto nō fruimur aliter quam Patres carne illa. Spiritalis enim modi affirmatio ex se realem nec de existentia nec de perceptione excludit. Attamen Aduersarios non pudet in Ecclesia Dei, in controuersia tam graui tam insulsè argumentari. Nos contrà longe probabilius argumentum ex textu Apostoli ad mentem Aduersariorum in illos regerimus, hoc pacto. Paulus asserit Patres spiritaliter edisse Christum in figura nostri: Igitur nō illi realiter comederunt, & nos realiter atque in veritate oportet edere, quia amplius & verius necesse est nos participare Christum, quàm spiritaliter, & quàm Patres, qui tātùm spiritaliter participarūt, & in figura atque vmbra nostri. Deinde si in Manna omnes spiritalem escam Christi manducarunt, siue Christū spiritaliter, indigni ederent Christū etiam spiritaliter secūdum Aduersarios, ac multo magis realiter: quod vtrūque solēt Aduersarij pernegare. Certè cōstat indignos plerosque extitisse, qui vescerētur illa spiritali esca, tū ex eo quod Apostolus bis pronūtiat omnes eandem spiritalē degustasse, & omnes eandē potionē spiritalē exhausisse. Inter omnes verò quin plerique mali bonis permiscerentur, dubitatione opinor carere. Illud idē patet ex eo, quod Paulus ex Mose allegat, maximam partem eorū displicuisse Deo, & ira Dei obrutam esse. Caluinus sensit hunc nodum suæ interpretationi aduersari. Ideò sine omni verecundia Pauli vocem inuertere, ac prorsus elidere audet. Manna (inquit) etiam infidelibus esca erat spiritalis: sed quia infidelium os erat tantùm carnale, non edebant quod dabatur. Si creditur Caluino, quomodo Paulus effugiet mendacij crimen? Ipsius verba sunt: Omnes eandem escam spiritalem edebant: Omnes eundem potum spiritalem bibebant. Negat hoc Caluinus. Non edebant (inquit) quod dabatur. Vtri potius sit habenda fides, Paulóne an Caluino, æstimet Lector. Aut ergo omnes indigni etiam spiritaliter edebant in Manna, & edunt in Eucharistia Christum ipsum, quod omninò falsum est, aut esca spiritalis apud Apostolum non intelligitur de esu spiritali Christi: nec ex eius litera Patres per fidem spiritaliter comedisse Christum dicuntur, sed agitur de alia esca spiritali, quàm de cibo carnis Dominicæ, cuius participes potuerunt esse spiritaliter impij omnes & facinorosi. Quærendum itaque

Apostolus nō propriè ait Iudæos bibisse spiritaliter sanguinem Christi nec si bibissent, nobiscum vnà concluderes nos non aliter bibere.

quis cibus ille fuerit, quem omnes æquè exedebant, & cur ſpiritalis nominetur. Cibus ille profectò Manna erat, & potio aqua profluens è petra, res vtique corporales & communes bonis & improbis. Spiritales autem nuncupantur, non quia corpore vacarent, nec quia per eas alia res ſpiritalis caperetur, ne fiat communis malis & infidelibus: ſed ita vocauit Apoſtolus, quia contra naturæ ordinem nouo & cœleſti modo crearentur, quemadmodum Apoſtolus Iſaac nominat filium ſpiritalem Abrahæ, Iſmaëlem verò carnalem: non quòd Iſaac fuerit ſpiritus, & non caro, ſed quia ex miraculo contra naturæ vim ab emortuo Abraham & ſterili Sara iuxta promiſſionem Dei conceptus & in lucem editus erat. Quarum ſanè rerum quia cauſa efficiens ſpiritalis extiterit, ipſas Apoſtolus nominare ſolet ſpiritales. Hæc ſpiritalis appellationis ratio valdè intentioni eius congruit. Statuit enim producere beneficia diuinitùs Iudæis collata de Manna & aqua, quibus ipſi ingrati & abuſi accerſiuerunt ſibi interitum. Spiritaliter quoque hîc recipere poteſt ſignificatum, quem illi tribuunt Aduerſarij, vt opponatur vero & reali: ideóque aiunt ex hoc loco Apoſtoli nos non verè & realiter, ſed tantùm ſpiritaliter, vt antiqui Patres, Chriſtum ſumere. Quorum ſenſui fauet textus, tum ex eo quod ſcribitur, omnes bibiſſe de ſpiritali petra, quæ erat Chriſtus, ſpiritaliter vtique, & non verè ac realiter: tum ex eo quod adiicitur, In figuram noſtri, quibus veritas ac realitas Chriſti & myſteriorum eius illuxit, omnia illis obueniſſe: ita vt ſpiritalis & figuratus pro eodem habeantur, & vero opponantur. Ita Manna erat ſpiritalis eſca, vt petra erat ſpiritalis, quia non cibum & potum verum & realem de Chriſto præbebant, ſed figuratum & ſpiritalem. Nec quiſquam miretur, ſi nunc ſpiritalem cum figurato coincidere dicam, cùm prius viſus ſim refutare, ſpiritum pro figura accipi. Niſi certè circunſtantiæ ſpiritalitati talem ſignificationem imponerent, iniquum putarem ſimpliciter & abſolutè eam ipſi affingere. Sic in Apocalypſi litera impellit, vt ſpiritaliter pro figuratè, & non verè interpretemur, vbi legitur: Corpora eorum iacebunt in medio ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritaliter Sodoma & Ægyptus. Ex vtraque ratione ipſemet Ioannes Euangeliſta Manna eſcam ſpiritalem videtur notare, cùm ait: Non Moyſes dedit vobis panem verum de cœlo: vt ſpiritalis nominetur, quia de cœlo & cœleſti miraculo, & quia non realiter verus panis fuit, qui Chriſtus eſt. Scio me, cùm tractarem de ſpiritali petra in tertia Repetitione, alia de ſpiritalitate locutum, ſed quæ non repugnant his rationibus, quas ex ipſo textu eruimus. Nec ſanè quicquam regulam de ſacramentali locutione, quam iactant Aduerſarij, iuuabit, ſi petram ſpiritalem fateamur eſſe Chriſtum, ſpiritaliter ſeu figuratè, vt ipſemet Apoſtolus indicat explicari oportere: cùm nuſquã in ſacris literis panis Euchariſtiæ vocetur ſpiritalis, aut eſſe corpus Chriſti ſpiritaliter, ſeu in figura, vt vtraque locutio comparari queat. Ambroſius, Theophylactus & Oecumenius, ex priori ratione ſpiritalem eſcam metiuntur; & ad poſteriorem etiam alludunt Ambroſius & Chryſoſtomus, cùm ſpiritalem appellant, quia ſignificaret Euchariſtiam, aut etiam Chriſti carnem verè ſpiritalem. Manna & aqua (inquit) vocantur ſpiritalia, quia non mundi lege parata ſunt, ſed Dei virtute, ſine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in ſe figuram futuri myſterij, quod nunc nos ſumimus in commemoratione Chriſti Domini. Ideò & panis Angelorum dictus eſt, quia virtute, qua Angeli ſubſiſtunt, creatus eſt: hoc ſignificans, quia de cœlis venturus erat, qui ſpiritaliter paſceret. Sequẽs autem petra dicta eſt, quæ intelligitur eſſe Chriſtus. Vbi enim deficiebat humanum ſuffragium, adeſt Chriſtus. Ideò ſequebatur, vt vbi defeciſſet, ille ſubueniret:

Spiritalis eſca pro figurata.

Apoc. 2.

Ambroſ. lib. De Sacram. alij in hunc textũ Apoſtoli.

subueniret: nec enim aquam petra dedit, ſed Chriſtus. Ex posteriori ratione Hieronymus, Baſilius, atque alij citati capite De ſacramentis vtriuſque Teſtamenti, ſpiritalis nomen illi cibo inditum iudicant: Auguſtinus verò, ex eo quòd Chriſtus ſpiritaliter participaretur à Patribus: ſed fundatur in falſa textus expoſitione & additione. Quamobrem tantum abeſt, vt ex Apoſtolo probetur Patres carnem Chriſti nobiſcum, ſeu æqualiter atque nos percepiſſe, vt clarum ſit, ne quidem ibi affirmari ab ipſis ſpiritaliter per fidem fuiſſe perceptam, ſed tantùm in figura & vmbra: quod vltrò fatentur Aduerſarij, cùm petram ſpiritalem fuiſſe Chriſtum explicant figuratiuè duntaxat. Olim quidem Eunomiani eadem fallacia, qua noſtri Aduerſarij, rapiebant præſentem locum Apoſtoli, vt mentirentur Spiritui ſancto non plus diuinitatis quàm Moſi competere. Nam cùm Catholici obiicerent Spiritum ſanctum pro Deo colendum, quoniam baptiſaremur in ipſius nomine, reſpondebant Eunomiani, Patres nobiſcum ſimili tinctos baptiſmo in Moſe, non tamen Moſen venerandum pro Deo. Hos confutat Baſilius, atque oſtendit, tinctos Patres in Moſe, non vero baptiſmo, ſed ſola figura: aliáque oſtendit quæ noſtræ reſponſioni conueniant, & relegenda in illo capite De ſacramentis vtriuſque Teſtamenti. Nunc omiſſo textu Apoſtoli expendamus, an Patres in Manna & rupis fonte, atque aliis figuris & ſacramentis potuerint nobiſcum æqualiter etiam per fidem de carne Chriſti communicare, an potius ex differentia, quæ inter nos & illos intercedere debet, cõuincatur ipſos à nobis excelli, non per ſolam realem manducationem, ſed per ſpiritalem. Cùm nondum caro Chriſti extaret nata, eam non potuerunt antecedentia ſacramenta realiter continere & exhibere, nec Patres ante Chriſtum carnem illam realiter & verè corporis ore accipere. Quemadmodum enim antea probauimus, quod nuſquam eſt, & nuſquam exiſtit, nequit alicubi contineri, vel ab vllo ſumi & comedi verè & in veritate. Repugnat autem, carnem Chriſti habuiſſe vitam ac ſubſtantialem exiſtentiam ante incarnationem: aliàs fuiſſet filius editus in lucem ante matrem & proauos. Repugnat etiam, potuiſſe ſumi & comedi realiter & corporaliter ante incarnationem à Patribus. Talis repugnantia à nobis ſublata fuit poſt incarnationem. Qua de cauſa illius carnis noſtra ſacramenta ſunt realiter capacia, & nos quoque illius realiter capaces ſumus, non autem Iudæi, vel eorum maiores & ſacramenta. Ex Aduerſariis nonnulli prætexunt, temporum diſtantiam non impedire, ſicuti nec locorum, quominus quæ loco & tempore ſunt diſſita, realiter per potentiam Spiritus ſancti coniungantur. Præter priùs diſputata de locorum interuallo, non licet concipere per aliquam potentiam realiter conglutinari, quæ tempore ſeparantur: quia quod non eſt re vera, nulli re vera vniri poteſt. At quæ tempore diſtant, oportet vnum eorum re vera non extare eo tempore quo alterum exiſtit: alioqui tempore in veritate non differrent, ſed in eodem tempore ſimul conſiſterent in veritate. An poteſt fieri re vera vna caro mulier cum viro, quem nondum mater conceperit, nec breui conceptura ſit, & paritura? An mulier manet vna caro cum viro, qui pridem deceſſerit, & tempore ab illa re vera ſeparatus ſit? Ex quo non potuerunt Patres pari vinculo reali Chriſto vniri, quo nos oportet colligari: nec exterius quicquam valuerunt de Chriſto videre, tangere, audire, & ſumere præter figuras, cùm nihil aliud de ipſo in rerum natura & mundo conſtaret. Quæſtio reſtat de ſpiritali participatione per fidem, an parem nobis Patres illi adipiſcerentur. Scriptura inficiatur. Quod enim nondum in veritate & re prodierat, ſed in ſola promiſſione, non poterat in re communicari & participari, ſed in ſola ſpe, vt capite De fidei efficacia explicatum fuit. Idcirco quoad ipſam carnis Chriſti veritatem & exiſtentiam non potuerunt

Baſil. in cap. 4. De ſpiritu.

An Patres potuerint æqualiter nobiſcum communicare de carne Chriſti.

Non potuerũt Patres ſimiliter ſumere carnem Chriſti vt nos.

Quæ tempore ſeparantur, nõ poſſunt re vera coniungi.

Patres illi in te per fidem contingere, sed in sola spe, nos contrà non in spe, sed in re. Sed nec quoad efficaciam promanantem ab ipsa pares esse nobis omninò potuerũt. Quomodo enim à carne, quæ nusquam subsistebat, distillasset aliqua substantia, aut substantialis quædam efficacia? Mihi certè etiam hac in parte videntur Caluinistæ loqui pugnantia. Aiunt à carnis Christi substantia nobis distillari vitam, & tamen nobis adæquãt Patres, quibus vita ex illa substantia defluere non fuit possibile, cùm nondum esset concepta. Ita Christus apud Ioannem Patres à nobis discriminat etiam circa participationem per fidem de Christo incarnato, cùm ait, Non Moyses dedit „ vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Ecce differẽ- „ tia quoad rem, quæ non dabatur per Mosen, cùm nondum esset incarnata. Ego sum „ panis vitæ: Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt: Ego sum „ panis viuus, qui de cœlo descendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æter- „ num. Ecce quoad efficaciam discrepantia. Cùm insuper Christus pergit promittere „ realem manducationem carnis suæ, addit singulares efficacias, quas fide & spiritali perceptione consequimur, quibus Iudęi sub Mose non donabãtur, vt habere Christum, & eius vitã in se manentem, & æternæ vitę semen corporale simul ac spiritale sibi insitũ. Quin etiam veritas ista ab inuitis Aduersariis solet erumpere. Tametsi enim Caluinus & Beza in locum Pauli ad Corinthios, quem excussimus, omnes neruos intendant, vt monstrent non solùm in eiusdem rei perceptione Iudæos nobiscũ conferri, sed etiam ipsorum sacramenta cum nostris componi, nec quicquam discriminis subesse, præterquàm plus & minus. attamen cùm de hoc premeretur Caluin⁹,

Caluin in defens. contra Vvestphal.

Hodie (inquit) substantialis est manducatio, quæ tunc nondum esse potuit, hoc est „ carne sua pro nobis immolata, & in cibum nobis destinata, nos Christus pascit, & in- „ dè vitam haurimus: quam indè Patribus inspirari nõ potuisse paulò pòst asserit, quia „ nondum esset caro. Beza verò ingenuè se profiteri scribit, quoad ipsam carnis essen- „

Beza Dialog. 1.in Hesuss.

tiam attinet, propriam eius communicationem non obuenisse Patribus, cuiusmodi nũc à nobis percipiatur, neq; ab ipsis propriè & ipso actu apprehensam carnẽ Christi, quæ nondum erat. Postea somniat nescio quam participationem, non solùm efficaciæ, sed rei non existentis, conceptæ tamen per fidem, quasi existat. Hîc Caluinus & Beza apparent duplicem manducationem concedere, vnam peculiarem nobis substantialem & actualem, id est, quæ substantiam ipsam carnis per fidem attingat, atque inde vitam effluentem: idque actu faciat, non solo iure & potentia: quo altero modo edebant Patres ante incarnationem, vti Beza in sua cõtra me Apologia explicat: in cuius responsione quid regeram, videat qui volet. Quid ergo quod vulgò fertur, nihil discriminis interesse inter Patrum fidem & nostram, nisi ex circumstantia temporis futuri, præteriti, vel præsentis? Hoc quidem verum, quoad fidei obiectũ, & res fidei subiectas: sed quoad rerum participationem & perceptionem, seu corporalem, seu spiritalem, de re ipsa existente, tantum distat inter nos & illos, quantum inter spem & rem, promissionem & exhibitionem, præsentiã & repræsentationem, realem possessionem atque actualem, & ius ac solam potentiam. Patres igitur per fidem tantùm edebant & sumebant Christum spiritaliter, quoad ius & potentiam sumendi, quam acquirebant sua fide pro tempore quo extaret, & ex illa potentia etiã sibi comparabant ius & potentiam ad efficaciã & beneficia quæ consequuntur corporalem & spiritalem actu participationẽ de carne Christi. Ideò scribitur decessisse illos non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes. Interea propter carnem illã, & ius ad ipsam, ex fide acceperunt omnia sibi necessaria pro suo statu Christi corpori naturali, iure tantùm & potentia per fidem cõglutinati, sed corpori mystico reipsa & actu per fidem insiti, cuius facti membra, in quibus non potuerũt per

ſe conſummari, per alia membra eiuſdẽ corporis tempore debito expleuerunt. Nec corporaliter itaque nec ſpiritaliter Patres nobiſcum eandem aut parem carnis Dominicæ fruitionem & manducationem potuerunt aſſequi, atq; ex differentia ſacramentorum noſtrorum ab antiquis, & noſtri ſtatus à veteri, patefit clariſſimè à nobis longè aliter in ſacramento ſumi carnem & ſanguinem Domini, quàm Patribus ſuppetebat facultas, & diuerſitatem inde colligi, non ſolius ſpiritalis communicationis, ſed realis manducationis, vti nobis datus fuit Chriſtus, & natus, non tantùm ſpiritaliter, ſed vt realiter videretur, tangeretur, audiretur, & nobiſcum iungeretur. Vnus Auguſtinus litigandi præbet occaſionem. Pluribus enim locis, contra omnia Græca exemplaria, & Græcorum interpretationem, Patres eandem eſcam ſpiritalem nobiſcum comediſſe aſſeuerat, quorum primus ſic habet: Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Hunc panem ſignificauit Manna: hunc panem ſignificauit altare Dei. Sacramẽta illa fuerunt. In ſignis diuerſa ſunt, ſed in rebus ſignificatis paria ſunt. Apoſtolum audi: Nolo enim vos ignorare, fratres, quia Patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes mare tranſierũt, & omnes per Moyſen baptiſati ſunt in nube & in mari, & omnes eãdem eſcam ſpiritalem mãducauerũt. Spiritalem vtique eandem. Nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud: ſpiritalem verò eandem quam nos: ſed Patres noſtri, non Patres illorum, quibus nos ſimiles ſumus, non quibus illi ſimiles fuerunt. Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali. Alter verò continet: In ſignis diuerſis eadem fides. Sic in ſignis diuerſis, non modò in verbis diuerſis, quia verba ſonos mutant per tempora, & vtique nihil aliud ſunt verba quàm ſigna: ſignificãdo enim verba ſunt: tolle ſignificationem verbo, ſtrepitus inanis eſt. Significata ſunt ergo omnia. Numquid nõ eadem credebãt, per quos hæc ſigna miniſtrabãtur, per quos eadem quę credimus, prophetata prętiantur? Vtique credebant, ſed illi ventura eſſe, nos autem veniſſe. Ideò & ſic ait: Eundem potum ſpiritalem biberunt. ſi ſpiritalem, eundem: nam corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant de ſpiritali ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Videte ergo fide manẽte ſigna variata. Ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus, quod in altari Dei ponitur: & illi pro magno ſacramento eiuſdem Chriſti biberunt aquam profluentem de petra: nos quid bibamus, norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritalem biberunt. Libro de vtilitate pœnitentiæ quę rit: Quid eſt eũdem, niſi quia eum quem etiam nos? Eundem cibum non inuenio quomodo intelligam, niſi eum quẽ mãducamus & nos: eundem potum quem nos, ſed ſpiritalem, id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. In his Auguſtinus fatetur ingenuè non legi Patres eandem eſcam ſpiritalem nobiſcum comediſſe: ſed opinatur ita intelligendum, & de bonis rãtùm ſignificari ac fidelibus. Sed in vtroque falli perſpicitur ex eo quod ſequitur in textu: Sed in pleriſque non beneplacitum fuit Deo: vbi Apoſtolus etiam malos deguſtaſſe cibum illum ſpiritalem oſtendit. Deinde eãdem eſcam exponit re ſignificata, ſeu ſignificatione, quia Manna & noſtra Euchariſtia conueniãt in ſignificando & figurãdo Chriſtum, quatenus fide ſpiritalis eſt cibus, tam antiquis Patribus quàm nobis. Euchariſtia enim ſignum, ſacramentum, ac figura reſpectu eius ſpiritalis de Chriſto, ſicut & Mãna: ſed quoad ſpeciem viſibilem, & rem corpoream, vt appellat Auguſtinus, longè diſcrepant, non ſolùm propter naturam diuerſam apparẽtem Mannę & panis, ſed propter ſignorum ſeu ſignificandi differentiam: quia Mãna tantùm ſignum Chriſti eſt, panis verò noſter non tanrùm ſignat, ſed eſt ipſemet Chriſtus, qui in altari ponitur (ſicut hîc loquitur ipſe Auguſtinus) & ipſamet ſpirita-

Auguſti. trac. 26. in Ioann.

Fundamenta Aduerſariorũ ſunt ex Auguſtino.

Auguſt. tract. 45. in Ioann.

Auguſt. lib. De vtilitate pœnitent. ca. 1.

August. lib. 3. De Trini. ca. 4. Hom. 27. quinquaginta Homil. tract. 59. et 27. in Ioann.

lis eſca, ſeu panis qui de cœlo deſcendit: id quod non fuit Manna. Hanc mentem eſſe Auguſtini, colligitur ex loco, in quo diſtinguit noſtrum ſacramentum ab aliis ſignis Chriſti: quòd illud ſit etiam corpus Chriſti quod ſignificat, alia verò non: Et ex alio, in quo expreſſè ait, Manna non fuiſſe verè cibum cœleſtem, & verum Chriſtũ, vti eſt Euchariſtia: tum quia ſolet ipſam Euchariſtiam vocare panem cœleſtem, & nonnunquam addere, Qui verè Chriſti caro eſt, quod inficiatur de Manna. Deinde tota contrà ex Auguſtino ratiocinatio progreditur à particulari & ſingulari modo ad omnem, eáque de cauſa ſophiſma eſt in hãc formam: Quodammodo & in re aliqua ſignificata paria ſunt antiqua ſacramenta & noſtra: Ergo per omnia paria iudicanda. Quodam ſpiritali modo ſpiritalem cibum Chriſtum Patres edebant: Ergo Chriſtiani tantùm eodem modo, & non alio. Eundem cibum ederunt illi, & nos, ſed non eodem modo, reali, vel ſpiritali. Exempli cauſa, Abraham vidit diem Chriſti: vidit quoque Iacob. Dixit etiam Eſaias, Vidimus eum quaſi leproſum. Apoſtoli teſtificantur ſe eundem vidiſſe, ob eámque viſionem eorum beati oculi prædicantur. Non dubium, quin eundem Chriſtum Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli conſpexiſſe intelligãtur, ſed non eodem modo. Alij enim in figura, & fidei ſpeculatione: Apoſtoli verò in veritate & exiſtentia actuali. Profectò vt inſanus meritò iudicaretur, qui affirmaret nihil diſcriminis eſſe inter viſionem Prophetarum & Apoſtolorum, aut æqualem vtrinque extitiſſe apparitionem Chriſti: eodem pacto capti mente videntur, qui parem eſum corporis Chriſti largiuntur Prophetis nobiſcum.

AD AVTHORITATES PATRVM, QVIbus Aduerſarij doceri aiunt ſolam ſpiritalem manducationem per fidem fieri in Cœna Domini. CAP. IX.

Vni Auguſtino incumbunt Aduerſarij.

QVEMADMODVM anteà monuimus, obſeruare licet Aduerſarios, ſiue noſtra deſtruendo, ſiue ſua aſſerendo, ſolidis & certis ſcripturis carere, atque in omni controuerſia ad vnum Auguſtinum, tanquã ad ſacram anchoram refugere, nõ quòd ab eorum partibus ſtet, ſed quoniam tam multa ac tam variè ſcripſit pro re nata, vt facilè fuerit omnibus poſt illum hæreticis aliquid de ipſo contorquere, atque aliorſum quàm ipſe dixerit vertere. Ex eodem potiſſimùm (ita tamen vt quaſi ſubſidio alios adhibeant) quinque ſumma argumentorum genera conſarcinant pro ſola ſpiritali manducatione carnis Dominicæ in Cœna. Hîc omitto locum de doctrina Chriſtiana, in quo videtur Auguſtinus ad ſpiritalẽ eſum verba Chriſti de carne ſua transferre, quaſi alioqui flagitium & barbariem ſapiant, quoniam abundè illi ſatiſfactum eſt in tertia Repetitione. Imprimis verò ab Auguſtino ſcriptum iactant. Vt quid paras dentem & ventrẽ? crede, & manducaſti: ob idq; carnem Chriſti vocari ab Hieronymo cibum credentium. Deinde ex eodem Auguſtino citant Sacramentum duabus rebus componi, ſigno, & re ſacramenti ſiue veritate, ſoláque manducatione per fidem rem ſacramenti & veritatem ſumi: ſine fide verò & puritatẽ ſolũ ſacramentum re ſua vacuum. Tertiò ab eodem poni addunt tanquam oppoſita in ipſo ſacramento, viſibile & ſpiritale, ac viſibilis nomine contineri tantùm, quicquid carnaliter ac viſibiliter dentibus premitur, idque ſolum ab indignis ſine ſpiritali re delibari. Quartò probant ex eodem, conuerti atque in idem commeare, edere corpus Chriſti, atque in ipſo manere, ſeu habitãtem in ſe manere: Proinde cùm in nullo Chriſtus habitet ſine fide & ſpiritali participatione, nec ſine illa corpus ipſius comedi. Quintò, ex Origene, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, atque aliis, contendunt

Argumẽta ex Auguſtino pro ſola ſpiritali manducatione.

Calui. lib. 4. Inſtit. cap. 17. num. 34.

tendunt non aliter in ſacramento Euchariſtiæ carnem Chriſti capi, quàm in baptiſmo & Auditione Euangelij, cui tantum honoris & venerationis ſit deferendum atque ſacramēto altaris. Poſtremò, quoſdā textus ſingulares de Baſilio, Hieronymo, & aliis habent in promptu, quibus ſola ſpiritalis mādueatio putari poſſet à Chriſto inſtituta & cōmendata. Hîc libenter contrà recenſeremus breuiter locos ſaltē præcipuos, quibus Patres negarunt à ſe credi ſolam ſpiritalē manducationē, & pro reali ac corporali neruos intenderunt: ſed quoniam in ſecunda Repetitione in aceruum congeſſimus, indè deligendos conſulo, cùm opus erit. Nunc expēdamus propoſita, & textum ſuo quemque loco de Patribus producamus. Auguſtinus pro priori argumento ſic habet: Reſpondit Ieſus, Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum. Hoc eſt ergo manducare cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam ęternam. Vt quid paras dentem & ventrem? crede & manducaſti. Attendebant promiſſa per Moſen, attendebant promiſſa per Chriſtum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, ſed cibo qui periit: Iſte promittebat cibū, non qui perit, ſed qui permanet in vitā æternā. Vel prima literæ auditio & inſpectio impoſturā detegit, quam Aduerſarij Auguſtino faciunt. Explicat textum, Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum: vbi nondum quicquam loquitur de eſu carnis Dominicæ etiā ſpiritali, niſi in genere, ſed de fide qua creditur in Deum & in Chriſtum. Hoc eſt (inquit Auguſtinus) videlicet credere in Deum, & in eum quem miſit ille: eſt manducare cibum qui non perit, & ad cuius eſum nihil neceſſe eſt dentes acuere: aut vētrem parare, aut vllo corporis officio, ſed ſolius animi fide defungi. Iudæi ad cibi quancunque appellationem concipiebant corporalē, qualem Moſes dederat, de ſpiritali nihil ſolliciti: contrà Chriſtus à corporali ad ſolùm ſpiritalem ipſos reuocat, vt inducat & diſponat ad temperamētum & cibum, qui animo & corpore ſuſcipitur, quem ille ſe daturū pollicebatur. Non itaque Crede, & manducaſti, tollit realē eſum carnis Dominicæ, cùm id non protulerit Auguſtinus, vbi ageretur de tali mādueatione, ſed vbi de ſola fidei actione erga Chriſtum. Non contenti Auguſtino imponere, etiam audent eius ſententiā adulterare, per additionem, cùm vulgò tanquā ab illo ſcriptū citēt, Crede, & ipſum ſcilicet corpus māducaſti. Quod quàm alienū ſit à mēte & verbis Auguſtini, lectio indicat, & alius locus, in quo dictum illud Chriſti apud Ioannem exponit de cibo ſpiritali, diſtincto prorſus ab eo qui ſumitur in Euchariſtia. Aut enim (ait) per panē quotidianum intelligimus res ad vitā neceſſarias, aut ſacramentū corporis Chriſti, aut alimētum ſpiritale, de quo Chriſtus dixit, Operamini cibū, nō qui perit, ſed qui permanet in vitā æternam. quod poſtea interpretatur de doctrina cœleſti, & mandatis Dei. Demus tamen quod poſtulant Aduerſarij, etiam id efferri ab Auguſtino de manducatione carnis Dominicæ, quę fit in Cœna: ſaltem ante omnia Caluiniſtę damnantur hîc expreſſè, quibus placet aliud eſſe credere, aliud manducare ſpiritaliter. Deinde ſi, quia fide opus eſt ad eſum carnis illius, dētes & omnem corporis actionē remoueri oporteret, ſequeretur quoque ipſum ſacramentū remouendū, ac prædicandū, vt quid paras ſacramentum, ſicut vt quid paras dentem & vētrem: crede, & manducaſti. Quòd ſi per fidē requiſitam, nō tamen neceſſariò, excluditur ſacramentum, nec propter eandem excludetur realis manducatio carnis illius, nec dentium nec corporis omnis operatio. Cur igitur (ſubiicies) præfatur Auguſtinus, vt quid paras dentē & ventrem? Phraſis eſt ſcripturæ, & ſanctorum Patrum, vt quoties in collatione duarum rerum vnam alteri præferri ſignificant, prælatam tāquam ſolitariam amplificent, & poſtpoſitam omninò videantur ſubmouere. Sic Chriſtus ait, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: non quia recuſaret ipſum, ſed illam pluris faceret. Sic ab eodem præcipitur, Operamini cibum, non qui perit, ſed

Aug. tract. 25 in Ioan.

Explicatio loci & argumenti, Crede, & manducaſti.

Aug. lib. 2. ca. 12. de ſerm. in monte.

qui permanet in vitam æternam: non quia improbet sollicitudinem & laborem de victu quotidiano, vt olim ad suæ pigritiæ excusationem nonnulli textum allegabant, sicut Chrysostomus recitat, sed quia maiorem curam haberi voluerit de spiritali alimento, quàm de corporeo & carnali. Solet autem scriptura ea phrasi vti, quoties homines videt addictos plus æquo minori & inferiori bono, præterito digniore. Itaque cùm Augustinus illius stili scripturam enarraret, quid mirum, si pari dicendi genere sensum expressit? Adhæc familiare est omnibus, cùm vnam rem seorsum tractant, quæ tamen alteri sit annexa, proprietates illius per remotionem aliarum, quæ alteri conueniunt, describere ac distinguere. Cùm igitur in sumptione vnius Eucharistiæ varia ac diuersa mãducatio exerceatur, rectè ad ipsã spiritalẽ secernendam & declarandam, realis & corporalis esus proprietates ablegãtur ab Augustino: non propterea tamen illæ aliæ mãducationes negantur, quin vnà cõcurrant. Denique quoties plurium actionũ vnus est scopus & finis præcipuus, quo neglecto sectamut inferiores, ipsisque immoramur, doctori incumbit à leuioribus illis nos auellere, & ad summũ atque præstantissimũ nos teducere, vt nihil præclarè actũ putetur ab eo, qui in minoribus illis substiterit. Ita Christus se gessit in capite Ioannis cum Iudæis, & propter has causas non solus Augustinus, sed Origenes, Cyprianus, atque alij aliquãdo sic consueuerũt spiritalẽ manducationẽ extollere, vt eam solam videantur agnoscere: imò & aliquando alias reiicere: nihilominus benè perspectis & collatis eorum scriptis, cuique manducationi suum locũ relinquũt & tuentur. Profectò ex Cypriani sermone De cœna Augustinus apparet multa genera dicendi circa Eucharistiam decerpere, quibus abutuntur Aduersarij: veluti est, de quo controuertitur, qui apud Cyprianum sic iacet: Defæcatis animis carnis eius edulium non est horrori, sed honori, potúque sancti ac sanctificantis sanguinis spiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frãgimus & partimur, dum quod diuinum & humanũ est, distinguimus & separamus, itémque simul separata iungentes, vnum Deum & hominem fatemur. Hîc Cyprianus, quemadmodum & Augustinus, spiritalem cõtemplationem fidei circa Christum in sacramento seorsum describit, à qua corporalem & realem manducationem distrahit, vt illam explanet, sicut corporalem cõtrà in sacramento non semel etiam separatim perstringit: veluti cùm ait Dominum vsque hodie hoc veracissimũ & sanctissimũ corpus suum creare, & sanctificare, & benedicere, & piè sumentibus diuidere: Et legẽ esum sanguinis prohibere, Euangeliũ præcipere vt bibatut, ac nos linguam intra eius vulnera figere. De vtraque verò mãducatione mixtim scribit nos Christi sanguine interiùs & exteriùs rubricari, atque alia plura. Vrget autem maximè spiritalem pluribus verbis, quibus finẽ & fructum sacramenti exaggerat. Eadem planè methodo de sacramento docet Augustinus, ita vt Cyprianũ sequatur, non solùm in omnibus generibus dicendi, de quibus litigant Aduersarij, sed in forma docendi: atque indè certo detur cõijcere, Sermonẽ Cypriani de cœna ante Augustinũ fuisse editum nomine Cypriani, cuius Augustinus admodũ studiosus fuit. Hîc cũ Cypriano in cõmendãda spiritali sumptione frequentiùs versatur, propter allatas causas: aliquãdo quoque solam realẽ & corporalẽ tãgit, vt cùm prohiberi in lege sanguinis esum meminit, & cõtrà in Euangelio permitti & mandari ex eodem Cypriano sumit: ac iudicat eum qui nõ audet quotidie cõmunicare, sic honorare corpus & sanguinẽ Christi, quemadmodũ Cẽturio Dominum honorauit, dicens, Domine, nõ sum dignus: Eum verò qui quotidiè cõmunicat, ita honorare, quemadmodũ Zacheus, qui cũ gaudio ipsum excepit in domũ suam: Atque vniuersæ placuisse Ecclesiæ, vt in honorẽ tantu sacramenti prius in os Chri-

Chrys. hom. 45. in Ioan.

August. multa sumpsit ex Sermone Cypriani de Cœna.

Cyprian. Serm. De Cœna.

Per Augustinum apparet Sermonem De Cœna esse Cypriani.

August. in Leuitic qu. 57.

August. epist. n8.

Christiani dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. quæ omnia vtique, velint nolint Aduersarij, de corporali sola sumptione ad verbum dicũtur, ac de oris & dẽtium ac totius corporis præparatione. De vtraque verò perceptione coniũctim loquitur, cùm exprimit, mediatorem Dei & hominum Christum Iesum carnem suã nobis mãducandam, bibendúmque sanguinẽ dare, eáque nos fideli ore atque corde suscipere: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere hominem, & humanum sanguinem potare, quàm fundere: & cùm distinguit edendi modos, quos postea reperemus: necnon cùm nominatim de spiritali cum „corporali ita monet: Videte, fratres, Panem cœlestem spiritaliter mãducate, innocẽ„tiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, nõ sunt mortifera: antequàm „ad altare accedatis, attendite quòd dicatis, Dimitte nobis debita nostra. Si dimittis, „dimittetur tibi. Securus accede. Panis non venenũ est. Aliquando in cohortando ad spiritalem seorsum multus est: quasi ad solam: quia sine ipsa alia nihil prodest, & sine alia, ipsa sola maximum fructum affert. Quemadmodũ ergo Christus sæpè pronũtiat, fides tua te saluum fecit, non quia sola ad salutem sit instituta, sed quia sine ipsa alia nihil conferunt, & sine aliis ipsa sola interdum plurimùm cõducit: eodem pacto, quoniam se habet spiritalis manducatio ad realem, non mirandum, si totus effectus ipsi tribuitur ab Augustino, & aliis Patribus plerunque, cùm tamen non intendant solam statuere, vel aliam excludere. Ad probationem aliorum trium consequẽtium " argumentorum Aduersarij allegant ex Augustino ista: Nec hæretici nec indigni di" cendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt " Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi, & membra " meretricis. Denique ipse dicens, Qui manducat meam carnem, & bibit meum san" guinem, in me manet, & ego in eo, ostendit quid sit, non sacramento tenus, sed re " vera corpus Christi mãducare, & eius sanguinem bibere. Hoc enim in Christo ma" nere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hic dixit, tanquam diceret, Qui non in " me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus " meum, aut bibere sanguinem meũ. Et tũc erit vita vnicuiq; corpus & sanguis Chri" sti, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, " spiritaliter bibatur. Et huius rei sacramentum, id est vnitatis corporis & sanguinis " Christi alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præpa" ratur, & de Dominica mensa sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitum. " Res verò ipsa, cuius & sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitiũ, qui" cunque eius particeps fuerit. Qui non manet in Christo, & in quo non manet Chri" stus, proculdubio nec spiritaliter manducat carnem eius, nec bibit eius sanguinem, " licet carnaliter & visibiliter premat dẽtibus sacramentũ corporis & sanguinis Chri" sti, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi mãducat & bibit, quia immũ" dus præsumpsit ad Christi accedere sacramẽtum. Hæc diluamus eo ordine quo proposuimus. Sciendum est sacramenta in triplici statu cõsiderari, nimirum in statu cõfectionis, existentiæ, & efficiẽtiæ, & vbique duabus rebus constare. In priori, forma verborum, & materia seu elemẽto: In existentia, re externa & interna, terrena & cœlesti: In efficientia, causa & effectu, signo & signato. Augustinus triplicem illum statum ex Cypriano etiam didicit, & deprompsit, & sacramentum ac res sacramẽti, seu veritas, voces sunt ambiguæ & ancipitis significationis apud Cyprianum & Augustinum. Admonuimus antea corpus Christi & rei dictionẽ, in scriptura & Patribus esse pariter amphibola ac dubij sensus. Ex qua ambiguitate imponunt Patribus, & incautos fallunt. Sacramẽtum accipiunt pro solo signo & elemento externo, & rem pro illa, qua in existẽtia constituitur integrũ sacramentũ, & corpus pro solo corpore

August. lib. 2. ca. 9. cõtra aduersar. legis & Prophet. & tractat. 26. in Ioann.

Augustinus in diuersis locis non eodem modo docet de manducatione carnis Christi.

Quare plura scribantur de spiritali manducatione.

August. li. 21. de ciuit. ca. 25.

August. Sermo. 2. De verbis Apostoli. & tract. 26. in Ioann.

Aduersarij falluntur ex ambiguitate dictionũ apud Augustinum.

Christi naturali: atq; in eo significatu authoritates productas cōtēdunt intelligi, cùm apertè contrà Augustinus illa tria ibi sic nolit, nec patiatur intelligi. Sacramentum enim vsurpat pro integro sacramēto in sua existentia duabus rebus conflato, terreno elemento, & corpore ac sanguine Domini, quod ita existens fit signum & sacramentum, non iam rerum contētarum, sed alterius rei, quam significat tantùm, vel etiam efficit, nēpè corporis veri Christi, quatenus visibile est in statu naturali, quod significat ipsum existens sacramentum, aut etiam corporis mystici sacramētum est, cum re verò vtriúsque corporis efficitur rursus integrum sacramentum, non in existentia, sed in efficientia & significatione perfecta: ita vt pro re tum habeat corpus Christi naturale, quatenus est visibile in statu naturali, & mysticum atq; omnes effectus spiritales carnis Dominicæ. Quòd ita ponatur sacramētum, & res, & corpus Christi, in Augustini prolatis testimoniis, ex collatione aliorum manifestè constat. Imprimis existentiam sacramenti duabus rebus conflatam ab illo ita describi, Prosper in Sententiis tradidit: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento, & re sacramenti, id est corpore Christi. Sacramentum vt existens & integrum sentit quoque Augustinus ab indignis sine fide suscipi. Egregium sanè comminiscitur effugium Theodorus Beza. Cùm enim legeret Augustinum affirmare ab indignis corp⁹ Christi capi, Manibus (inquit) sacramētaliter & signo tenus. Sed testatur Augustinus ab ipsis integrū sacramentum sumi. Si manibus solis sumi interpretatur Beza, ergo etiam non sola pars sacramenti, id est, signum, manibus infidelium gestabitur, verumetiam altera pars quę sacramentū integrat, & res ei⁹ est, ac vera caro Christi. Proinde non aberit à signo manibus apprehenso caro ipsa, & res sacramenti. Quid si Augustinus nominatim inculcat, indignos cum dignis de eadem re sacramēti, & de ipsa carne, quæ salus est mūdi, participare? Textus est: Etiamsi iustus & iniquus, sicut Iudas & Petrus, pariter sacramenta communicent, nulla est participatio iustitiæ cum iniquitate. Ex vna quippè re Iudas sibi sumebat iudicium, Petrus salutem. Num mala erat buccella quæ tradita est Iudæ à Domino? Absit. Medicus non daret venenum: salutem medicus dedit, sed indignè accipiendo ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit. Si quoties, vt volunt Aduersarij, de sacramentis agitur, nomen rei pro significata re & integrante sacramentum in sua existentia collocatur, habes ex eadem re Iudam & Petrum pastos fuisse. Ergo pariter carnem Christi comederūt, si ipsam res sacramēti perpetuò designat. Ac ne repentè mutata sententia rem pro signo substitui fingant Aduersarij, nota apud Augustinum ex eadem re haustam salutem à Petro, & à Iuda damnationem: nota non tantùm dici oblatam salutem Iudæ, sed ab ipso acceptam, quamuis ad perniciem: salus verò non ex solorum signorum acceptione sumitur, vt nec in solis signis secundum illos offertur. Quòd si Augustinus per rem sacramenti, seu bonum corpus Christi, quod asseuerat etiam ab indignis excipi, intellexisset solum signum, sacramenti integri partem, vicissent Donatistæ, à quibus obiiciebatur à malis non ministrari aut capi res cœlestes, sed pura ac nuda elementa, tum in baptismo, tum in Eucharistia. Alia de Augustino à nobis citata capite De manducatione indignorum hîc adiungi debent. Nunc quæritur, quomodo igitur Augustinus tam clarè testetur in allatis authoritatibus, non re vera, sed solùm sacramento tenus, corpus Christi ab indignis & hæreticis comedi. Respondemus iam sacramentum ab Augustino, & rei vocem, aliter capi, quàm capiatur in ipsius sacramēti existentia. Confitetur enim expressè Augustinus, sacramentum integrum & carnem Christi, aliarum rerum quas significat aut efficit, esse sacramentum, id est signum & partem integri

De consec. dist. 2. can. Hoc est.

August. lib. 5. in Donat. ca. 8.

Beza Dial. 2. in Heshus.

August. lib. 2. in Petilia. cap. 37. Tract. 6. in Ioann. & contra Fulgenti.

Integri sacramenti, quod integratur ex rebus illis quas significat, vel operatur. Sic enim loquitur: corpus Christi, res sacramenti, & sacramentum. Caro eius est, quam forma panis opertã in sacramento accipimus, & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus: caro videlicet carnis, & sanguis est sacramentũ sanguinis, carne & sanguine vtroque inuisibili, spirituali, intelligibili, signatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus, & palpabile, plenũ gratia omnium virtutũ & diuina maiestate. *De consecr. dist. 2.* Hic integrum sacramentũ in existentia agnoscit esse partẽ sacramẽti, quatenus in significatione versatur, ipsúmque integrari, tanquã ex re, ex corpore eodem Christi, quaten⁹ in statu naturali existit, & est visibile. Alibi eandẽ Christi carnẽ quatenus existit sub sacramẽto & signo panis, ex multis granis aggregato fieri ait: rursus signũ & partem sacramenti, quod tanquã ex re integratur, ex vnitate fidelium, & corpore Christi mystico. De ista sacramenti acceptione dixit: Huius rei sacramentum, id est vnitatis corporis & sãguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierũ, in Dominica mẽsa præparatur. Rem eius vocat ipsam vnitatẽ, vt paulò antè allegabamus. *August. tract. 26. in Ioan.* De eadẽ cõcludit alibi: Sacramenti participatione ac beneficio nõ priuatur, quãdo ipse, quod illud sacramentũ significat, inuenit. *Ex Beda in ca. 10. 1. ad Corin.* vbi loquitur de participatione mystica per baptismũ, qua quis Christo incorporatur, & fit membrum corporis mystici, quod statim repetemus. Tertiò apud Augustinũ, caro Christi sub elemento, & perceptio totius sacramẽti fit signũ & pars alterius totius sacramẽti, quod integratur tanquã re ex fructu & digna cõmunione, seu ex participatione, non solius carnis sub elemẽto panis, sed virtutis eius spiritalis, gratiæ & vitæ, qua caro est prædita, & quam Augustinus vocat rem sacramenti in ea ratione consideratí. Sic dixit, sacramẽto tenus, & nõ re vera comedi corpus Christi ab eo, qui nõ manet in Christo: & in quo Christus nõ manet, & in veritate spiritaliter nõ manducare, qui vitam Christi nõ mãducat. Nõ ait simpliciter in veritate nõ mãducare, sed in veritate spiritaliter: & in his omnibus locutionib⁹ interpretatur, ac citat expressè, Caro nõ prodest quicquã: spiritus est qui viuificat. Vbi ex mẽte Augustini Christus docet carnẽ suã duobus cõstare, carnis substãtia, & diuino spiritu. Vt ergo Christus sine participatione spiritus negat rẽ & veritatẽ suę carnis, quę esset spiritalis, cui tum deesset sua proprietas, licet substantia cõmunis carnis poneretur: eo pacto Augustinus negat eiusdẽ carnis sumptionẽ in sacramento, alludẽs ad Christi dictũ. Sicut autẽ Christus non it inficias veram esse carnem, ac verè sumi etiam sine cõmunicatione spiritus, sed negat verã esse suam carnem, de qua loquebatur: ita Augustinus non inficiatur veram Christi carnem etiam in se spiritalem in sacramento percipi, sed manducanti ait non fieri re vera corpus Christi, & carnem eius, nisi de spiritalitate eius participetur. Eam esse Augustini intentionem patet ex fine expositionis de ipso superius allatæ ad illam clausulam, Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt: vbi concludit verba de esu carnis intelligenda spiritaliter, id est, vt non solùm de ipsa carne, sed de spiritu eius pascamur, & vegetemur. Quod nisi fiat, & solius carnis sumptione fuerimus contenti, sine communicatione spiritus, tum quidem ait carnaliter verba Christi à nobis intelligi: & quamuis in se & in natura ipsius carnis verba sint spiritus & vita, non tamen ita sunt sumenti carnem sine spiritus participatione, nec illi est re vera caro Christi, & in veritate, qualis est in se & per suam naturam in ipso sacramento, sed non ei talis re vera succedit. Augustini conclusio illa sic habet: Si separatur à Christi corpore, non est membrum eius. Si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Spiritus ergo est, qui viuificat: Caro non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt. Quid est, spiritus & vita sunt? Spiritaliter intelligenda *August. tract. 27. in Ioan.*

sunt. Intellexisti spiritaliter? spiritus & vita sunt. Quod autem Augustinus vocat in his authoritatibus rem aut veritatem sacramenti, etiam nominat & veritatē carnis Christi, quoniam carnem ipsam sub elemento & mãducatione appellat sacramentum fidelium & signum, respectu finis quò tēdit, & vitæ spiritalis, quam dignè sumpta affert. Locutus est (inquit) nobis Dominus de corpore & sãguine suo, quod corpus dixit escā, & sanguinē potum, sacramentū fidelium, quod agnoscūt fideles. Alibi eandem rem vocat effectum sacramenti, alibi vitæ sanctificationē, alibi virtutem & spiritus participationem: atque ibi mentē suã planissimè aperit, perfectãque manducationem corporis Christi absolui exprimit, si nō tantùm ipsam carnem in ipso sacramēto existentem delibemus, sed vsque ad spiritus eius participationem penetremus, & eò spectare omnem Christi disputationē de carne & spiritu rursus ita cōcludit: Totum ad hoc valeat nobis, dilectissimi, vt carnem Christi & sanguinē non edamus tantùm in sacramento, quod & multi mali, sed vsque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, vt eius spiritu vegetemur, & non scandalisemur. Caluinus & Beza eludunt, quia in sacramento edi scribatur, quasi signo tenus, & non realiter. Atqui Augustinus in tota illa disputatione agit, non de participatione signi & spiritus Christi, sed de participatione veræ carnis eius, & spiritus qui in ea residet: & toties iam citauimus secundum Augustinum, non tantùm pios, sed & malos, non solo signo, sed toto & integro sacramento frui, & re ipsa sacramenti, qua constat in existentia. Deinde cùm Augustinus distinguit inter bonos & malos, non tantùm vtrisque communia facit signa & elementa, sed ipsam carnem & sanguinē: discernit verò, non quoad modū diuersum accipiendi sacramenta seu elementa, sed ipsam carnem & sanguinem, vt paulò pòst iterū proferemus. Interea nō renuimus à piis carnem & sanguinem in sacramēto & signo, sed nō vacua carne illa, quod respectu sui effectus & significationis fit iterum solum signū & pars alterius sacramenti, quod conflatur ex integro sacramento existente, tanquam ex vna parte, & suo fine atque effectu vt altera. Porrò Augustinus distinctionem inter sacramentum & rem sacramenti mutuatur à Cypriano, qui sacramenti finem etiam rem sacramenti non dubitauit inscribere. A quo & genera dicendi, & propè omnem suam doctrinam de sacramento altaris Augustinus videtur ad verbum trãstulisse, atque id ingenuè profiteri, cùm de pane ex multis granis compacto analogiam ex suis antecessoribus allegat. Cyprianus itaque author est manducationis in veritate pro effectu, quem etiam ita nuncupat, quam protendit vsque ad participationem spiritus: & inter dignos & indignos discrimen ponit, non quoad præsentiam & absentiam, aut participationem veram carnis in sacramento, sed quod digni de spiritu carnis Christi hauriant, non autem indigni: atque ita in sacramento carnem relinquit in existentia, cum qua ipsum sacramentum rursus signum facit corporis, cuius rem esse vnitatem omnium constituit: quæ omnia Augustini dicta obscuriora magnoperè elucidãt. Cypriani verba sunt: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus vsque ad participationem spiritus, non quòd vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem eius germanissimam hæc vnitas peruenisset. Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis: sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit.

August. lib. 5. De baptism. cap. 24. Tract. 26. & 27. in Ioan.

August. Tract. 27. in Ioan.

Cypr. De Cœna.

"In fine verò adiicit: Sed & nos ipsi corpus eius effecti, sacramento & re sacramenti "capiti nostro connectimur, & vnimur singuli, alter alterius membra dilectionis mi"nisterium pro inuicem exhibentes, communicamus charitate, participamus sollici"tudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui de petra spi"ritali profluit & emanat, qui cibus & potus est Dominus noster Iesus Christus. Ecce "Cyprianus primùm ait panem carnem fieri, & cum carne sacramento infundi diuinitatem seu spiritum, atque ita sacramento duplicem Christi naturam subesse, sicut est in Christi persona, vt adorari possit sacramentum, & per eius vsum legitimum perueniatur ad participationem Christi in veritate, tam quoad carnem, quàm quoad spiritum seu diuinitatem. Quamuis indigni audeant irruere ad sacramentum sumendum, non ob id tamen monet Cyprianus vel carnem, vel spiritum à sacramento se subducere, sed non ipsos potiri spiritu, quamuis integro sacramento fruantur, quod veritatis & Christi est corpus, quia panis factus est caro. Digni verò sacramento & re sacramenti, id est, spiritu & effectu pasti, capiti Christo annectuntur, & fiunt vnum corpus cum ipso reale per contactum intimum carnis in sacramento, & spiritale, ac mysticum per participationem spiritus. Sursum ac deorsum misceant omnia dicta Augustini de sacramento Aduersarij, nihil aliud ex ipso reportabunt, quàm prolixiùs disputata, quæ erant à Cypriano breuius proposita. Quoniam verò tempore Augustini Donatistæ seipsos separabant ab Ecclesia, & interea accedebant ad Eucharistiam, huic detestandæ separationi insistit frequentius, & vrget verbosius, non posse in veritate & re quoad carnem & spiritum, in illa separatione Christi corpus recipi. Deinde quoniam mysticum corpus, quod est Ecclesia, vocatur corpus Christi, & significatur ab integri sacramenti mãducatione, nec re vera participatur nisi in vnitate spiritus, quoniã nihil aliud est quã ipsa vnitas, sæpius sermonem facit de hoc corpore Christi, cùm ait, sacramẽto tenus, & non re, corpus Christi sine compage membrorum in Ecclesia, & mansione in Christo, non possideri aut sumi. Quin etiam verba Christi apud Ioannem ad huius corporis significationem extendit, quoniam continetur in effectu, quem de naturalis suæ carnis esu Christus pollicetur, qui est manere & vniri Christo: Ideò sæpè tradit non manducare re vera corpus Christi, nisi qui præter sacramentum ipsum de eius effectu particeps fuerit, ac tum declarat ipsemet, non à se significari de cor"poris naturalis esu, sed mystici. Textus ita fert: Hunc itaque cibum & potum, *August. tract. 27 in Ioann.* "societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia "in prædestinatis, vocatis, iustificatis, & glorificatis sanctis & fidelibus. Si quis "manducauerit ex ipso, non morietur, sed qui pertinet ad virtutem sacramenti, "non qui pertinet ad visibile sacramentum. Norunt fideles corpus Christi, si "corpus Christi non negligant esse: fient corpus Christi, si volunt viuere de spi"ritu Christi. Exponens Apostolus hunc panem, ait, Vnus panis, vnum cor"pus multi sumus. O sacramentum pietatis! ô signum vnitatis! ô vinculum cha"ritatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat: accedat, credat, in"corporetur vt viuificetur: non abhorreat à compage membrorum, quod re"secari mereatur: non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit ap"tum, sit sanum, hæreat corpori, viuat Deo de Deo, nunc laboret in terra, vt post"ea regnet in cœlo. Ex ista duplicis corporis Christi, naturalis & mystici amphibologia, struunt ferè Aduersarij omnes suas fallacias de Augustino, qui ferè semper de mystico scribit, cùm tradit non re vera, sed sacramento tenus, sine vnitate corpus Christi non comedi: quod Aduersarij improbè ad veræ & naturalis carnis Christi in sacramento existentiam referunt. Corpus illud dignæ manducationis,

de vero & naturali corpore est effectus, & ideò manducatio sacramenti ipsum figurat & significat, & est eius signum seu sacramētum, quemadmodum ab Augustino hîc vocatur, & quemadmodū apud Ioannē nō nuda māducatio carnis veræ describitur & mandatur, sed etiam eius effectus, ob id meritò ab Augustino dicitur Christus præscribere, non solius suæ veræ carnis participationem, sed mysticæ. His ita discussis, luce meridiana clariora sunt testimonia, quæ contra nos de Augustino Aduersarij obiiciunt. In libro De ciuitate Dei ait, hæreticos & indignos non re vera, sed sacramento tenus, edere corpus Christi. Verum est de corpore mystico, de quo Augustinus ibi ostendit à se sermonem haberi, cùm infert, edere carnem Christi nihil aliud esse, quàm manere in Christo, & membrum eius fieri. De eodem etiam nominatim se agere declarat, cùm in alia authoritate Eucharistiam vnitatis esse sacramentum & signum, cuius res sit ipsa vnitas corporis Christi. Sed nec respuimus de naturali corpore omnia allegata de Augustino, etiam renitente textu, accipi, & fatemur non ipsum corpus re vera nec in veritate percipi, nisi cum fructu & spiritalitate sua recipiatur, quia non recipitur vti in se est, & in ipso sacramento, quémadmodū explicanr Cyprianus & Augustinus, túmq; participatur sacramento tenus, & nō spiritaliter in veritate: sed negamus has, quas Aduersarij inferūt cōsequentias. Ergo non est re vera in sacramēto, nec re vera simpliciter in sacramento sumitur. Nā Augustinus à Cypriano edoct⁹, postquā panis factus est caro, & existit sacramētum confectum, perpetuò tueur manere in sacramento carnē illam etiam spiritaliter, id est, cū spiritus diuinitate & efficacia viuificandi sumentē: sed nisi per fidē & charitatē apprehendatur spiritalitas animo, sicut caro corpore, tū sumenti non existere spiritaliter carnē illam in sacramento defendit, tametsi in se taliter existat, nec manducari re vera spiritaliter, sed solùm ipsi sumenti indignè carnem inesse sacramento, & ab illo sumi carnaliter, id est, sine fructu diuinitatis, & sine participatione spiritus. Hoc est quod in postrema allegatione Aduersariorum Augustinus concludit: Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubiò nec spiritaliter manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum. Vbi spiritaliter & carnaliter non solùm actiuè opponit pro actionibus spiritus & corporis nostri, sed passiuè pro carne Christi, & spiritu residente in ipsa. quod in sequenti Tractatu apertissimè indicat, in quo explanat, Verba quę loquor vobis, spiritus & vita sunt: ac docet spiritaliter intelligi, quando caro concipitur, & sumitur vsque ad spiritus qui in Christi carne latebat participationem: carnaliter verò, cùm caro Christi sine spiritus participatione degustatur. Et si enim (inquit) in se tum spiritaliter intelligatur, & spiritalis existat, non tamen tibi non sumenti vsque ad spiritus participationem, sed carnaliter recipitur & intelligitur. Idcircò Aduersarij omnia rapiunt ex amphibologia dictionum in alium sensum, quàm à Cypriano & Augustino sunt prolata, vt dictiones rei, veritatis, carnis, & corporis, sacramenti, spiritaliter, & carnaliter. Rē enim & veritatē sacramenti amphibologicè in materia Eucharistiæ Augustinus vsurpauit tū pro carne naturali ac vera Christi, qua cū elemētò cōstat ipsa Eucharistia, vt etiā hoc capite citauimus: aliàs ponit pro spiritalitate in carne manēte, aliàs pro carnis illius vel spiritalitatis effectu, qui est vita & vnitas ac mansio in Christo, quod expressis syllabis profitetur in Ioannē. Ex negatione alicui⁹ significat⁹ in scriptis Augustini cōperta, omnes ab eodē negari & tolli malitiosè colligūt Aduersarij. Eandē cōtra eundē cōmittunt fallaciam in dictione sacramenti, quasi semper pro nudo signo & opposito carni Christi statuar, cùm paulo antè produxerimus ex ipso, etiā sacramentum integrū ex pane & carne Christi conflatū, signum etiā nuncupari, & rei alterius sacramentū. Spiritaliter quoque

Solutio argumentorum de Augustino.

August. tract. 26. & 27. in Ioann.

Ex amphibologia dictionū fallūt Aduersarij.

quoque & carnaliter calumniantur, quasi tantùm actiuè pro operationibus animi & corporis his vtatur Augustinus, cùm præter hanc intelligentiam passiuè duas alias illis aduerbiis soleat attribuere, vt spiritaliter rem significet spiritalem & incorpoream in carne Christi habitantem, siue ex ea fluentem, aut modum spiritalem, insensibilē, atque inuisibilem. De priori modo dicta eius allegauimus paulo „ antè: de posteriori verò scripsit, Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, „ nec bibituri sanguinē, quem effusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentū aliquod „ vobis cōmendaui. Spiritaliter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visi- „ biliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi. Hîc & in Ioannem eadē verba „ Christi explicat. Quod ibi dixit spiritaliter, hîc ait spiritaliter & inuisibiliter: & quod illic carnaliter, hîc repetit per visibiliter: ita vt ibi ostendat per aduerbia illa rem se significare, cùm scribat verba Christi carnaliter intellecta, seu de carne Christi, spiritum tamen & vitam manere in se, sed non intelligenti, aut indignè sumenti. Vbi si carnaliter exponeres pro visibiliter, ne caro quidem tum intelligi posset esse spiritus & vita in se, cùm ista non sint conspicua. De re ergo apud Ioannem, & de modo in Psalmo, Augustinus spiritaliter in diuerso sensu locauit, atque innuit, carnem Christi spiritaliter duobus modis manducari, cùm non sola caro illa participatur, sed eius spiritalitas, & caro illa inuisibili modo & insensibili per se & in se editur: carnaliter contrà edi, cùm ipsa caro editur, & cùm sensibili modo, non in se, sed in sacramento editur. Quocirca in Psalmū illum ratiocinatur optimè non edēdam carnem, quatenus conspicuam, vt cruci fuit affixa, sed quatenus spiritalē & inuisibilem in se, propter verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Rectè autem addit, quicquid dictum fuerit à Christo de manducatione sensibili, id pertinere ad sacramentū quod Christus cōmendabat, quódque visibiliter erat & carnaliter celebrādum ac manducandū. Regerunt Aduersarij, per Augustinum ab indignis tantùm visibile sacramentū recipi, & visibiliter ac carnaliter dētibus sacramentū ipsum corporis & sanguinis Domini premi, certóque inde perspici non nisi signū & elementū, quod oculis cernitur, sacramenti nomine ab Augustino vocari. Nos contrà animaduertimus Augustinū cū Cypriano in huiusmodi disputationibus nō opponere elemēta panis & vini, seu signa corpori & carni Domini, sed carnē ipsā & sanguinē in signo visibili, & spiritalē carnis diuinitatē, & gratiā inde promanantē, carnémq; opponere spiritui & spiritali rei, non elementū carni. Solet etiam aliquando Augustinus Christum visibilem in sacramento statuere, quia sub visibilis sacramenti specie oculis mortalium appareat. Certè Cyprianus panem carnem fictum vocat visibile sacramentū, cui diuina se infundat essentia, & in quo spiritalis atque inuisibilis diuinitas carni se admisceat, ipsūque ita ex carne & elemento compactū sacramētū cōparat cū Christi humanitate, quę suis accidētibus vestita, sub aspectū hominum cadebat, & spiritalitatē quæ carni existēti in sacramēto inest, cū ipsā diuinitate quæ in Christo latebat. Augustinus nusquam ferè à verbis Cypriani recedit. Cōparationem de Christi incarnatione æmulatur, & in sacramento ait Christum sub panis ac vini accidēte & specie oculis apparere mortalium, vti sub accidētibus carnis peccatricis alibi tradit apparuisse in statu naturali. Propterea quoties de sacramento confecto disputat, quicquid agitur circa sacramentū, in carnē ipsam redūdare fatetur, in ipsóque opponit carnem Christi, eiusdē spiritui & diuinitati. Idcircò inquit Christū in sacramēto carnaliter, quaten⁹ rē & modū significat, ac visibiliter dentib⁹ premi, & comedi, nec quicquā relinquit quod possit percipi per fidē & charitatem, quā spiritus participationē qui in carne Christi est. Pro eodē ponit corpus Christi in sacramento, & sacramentum corporis Christi, quoniam vna phrasi vtitur in vno

August. in Psal. 98.

Ex Augustino caro Christi editur spiritaliter duobus modis.

Apud Cyprianum & Augustinum visibile sacramentum, & caro Christi nō opponuntur: nec Augustinus sacrament. capit pro nudo elemento.

Augustinus cũ Cypriano opponit varios modos sumendi carnem eandem. loco, & altera in alio: neutram verò opponit realitati carnis, sed tantùm carnis spiritalitati, quæ sine fide & dignitate non pertingitur. Non distinguit verò vtramque phrasin per diuersitatem rerum quæ recipiantur, sed per diuersitatem proprietatũ & modorum, atque ait, quod in sacramento visibiliter sumitur, vtpotè ipsa caro Christi per fidem & vnitatem, in veritate ac verè spiritaliter in eodem sacramento sumi, seu sacramentum corporis & sanguinis carnaliter & visibiliter dentibus premi extra vnitatem, sed non spiritaliter carnem illam in sacramento, seu sacramentũ carnis sumi. Ista duo ab Augustino non opponi, videlicet sacramentum & carnem Christi, & inter opposita non constitui naturarum & substantiarum in se existentium diuersitatem, sed vnius carnis Christi diuersam proprietatem & differentes modos illam percipiendi, quos res non dubitat nominare, quia rei appellatio ad modos & proprietates extenditur, facilè ex aliis ipsius locis conuincetur, in quibus eandem quæstionem de manducatione indignorum exagitat. In eisdem enim Cõ-*August. tract. 27. in Ioan.* mentariis in Ioannem scribit: Carnem Christi & sanguinem non edamus tantùm „ in sacramento, quod faciunt multi mali, sed vsque ad spiritus participationem. vbi clarè distinguit sacramentum non à Christi corpore, sed à vitæ sanctificatione, & „ spiritus participatione. Non repeto toties iam inculcatum sacramentum integrum ab indignis recipi, & solum effectum in ipsis desiderari. Alibi modos minutatim secernit, vbi ait: Multi vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bi- „ bunt, vel cùm mãducauerint & biberint, apostatæ fiunt. Numquid manet in Chri- „ sto, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi carnem illam, „ & bibendi illum sanguinẽ, quomodo qui manducauerit & biberit, in Christo ma- „ net, & Christus in eo. Non ergo quocunque modo quisque manducauerit carnem „ Christi, & biberit eius sanguinem, manet in eo, sed certo quodã modo: quem mo- „ dum vtique videbat, quando ista dicebat. Profectò Augustinus hìc signorum non „ meminit, nec carnẽ ab illis seiungit vel distinguit etiam in manducatione indigno- „ rum, sed eiusdem carnis variam sumptionem discriminat: modos verò illos alibi declarat, vt vnus ratione rei quæ manducatur, & signi sub quo manducatur, fit carnalis & visibilis: alius ratione proprietatis quæ in carne est, & ratione modi, quo in se considerata caro editur, fit spiritalis, non desinat tamen esse carnalis & visibilis, tum ratione rei quæ caro est, tum etiam modi quo editur per elementum & signũ: sed insuper est manducatio spiritalis ratione iam dicta, quæ locũ non habet in mãducatione indignorum, à quibus etsi caro spiritalis in se & in se inuisibilis sumatur, non tamẽ spiritaliter, vt dicit rem & proprietatem à diuinitate carni Christi insitã, vel actionẽ animi & spiritus nostri. Vt autem denotat modũ, quo caro per se existit in sacramento, & in eo est inuisibilis, etiam secundũ Augustinũ potest concedi, ab indignis capi spiritaliter & inuisibiliter: quibus non repugnat ab eisdem recipi carnaliter & visibiliter pro modo carnali & visibili, sed non ratione ipsius carnis, sed ratione sacramenti, per quod modo carnali & visibili comeditur. Postremò memo-*Quare Patres tantùm videãtur commendare spiritalẽ modum.* riæ mandari debet, Cyprianum, atque eius æmulum, necnon alios, vt Hieronymũ, more scripturæ tam commendare spiritalia, ac spiritales modos, vt præ his & sine his reales alios videantur nullo pacto agnoscere, quamuis interea verè intercedere fateãtur. Sic Christus solum tactum Hemorrouissæ spiritalem per fidem approbauit, ac se sensisse contestatus est, quasi alij ipsum non attigissent, cùm tamen realiter à turbis cõprimeretur. Ita Cyprianus scribit: Dixerat sanè hui⁹ traditionis magister, „ quod nisi mãducaremus eius carnẽ, & biberemus eius sanguinem, non haberemus „ vitam in nobis: spiritali nos instruens documento, & aperiens ad rem adeò ab- „ ditam intellectum, vt sciremus, quòd mansio nostra in ipso, sit manducatio & po- „

tus,quaſi quædam incorporatio ſubiectis obſequiis, voluntatibus iunctis, affecti-bus vnitis. Eſus igitur carnis huius,quædam auiditas & quoddam deſiderium manē-di in ipſo,per quod ſic imprimimus,& eliquamus dulcedinem charitatis,vt hæreat palato noſtro & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animæ corporiſque receſſus. His verbis facilè putaretur Cyprianus non aliam manducationē quàm ſpiritalem credidiſſe, niſi ad præcedētia recurratur,poſt quæ ſubiicit perfici,& omnibus ſuis numeris abſolui realem manducationē, vt eſt inſtituta à Chriſto,per manſionē in ipſo, eóque ex ſua inſtitutione realē tēdere & perfici, ita vt manſio ſit perfecta,& conſummata mãducatio,& finis ac ſcopus eſus realis. Nec propriè in manſione manducationem ipſam veram conſtituit,ſed huius finem, & hanc eſſe quandam auiditatem & conatum ad manſionem: atque ita ex Cypriano exponēdū eſt,quod dicitur ab Auguſtino,comedere carnē Chriſti,eſſe in ipſo manere:præſertim cùm adiungat,non ſimpliciter eſſe idem quod comedere carnē, ſed quod ſpiritaliter carnem comedere:quia videlicet, quemadmodū Cyprianus illuſtrat,ſpiritaliter edere ſit via & modus manēdi in ipſo,eóque tanquā ad vltimū ſcopum collimet & ſpectet tota diſputatio & inſtitutio de manducanda Chriſti carne: ob idque eſt conſummata manducatio, & tanquam ſola commendatur. Ad eum ſenſum Hieronymus hæc loquitur: Omnes voluptaris magis amatores quàm Dei ſanctificari ait in hortis & liminibus,quia in myſteria veritatis nō valent introire,& comedere cibos impietatis,dum non ſancti corpore & ſpiritu nec comedunt carnē Ieſu,nec bibunt ſanguinem eius,de quo inquit,Qui comedit carnem,& bibit ſanguinem meum,habet vitam æternam. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus,qui non foris,ſed in domo vnà & intus comeditur. Et hæretici multas immolant hoſtias & comedunt carnes earum,vnā Chriſti hoſtiam deſerentes,nec comedentes eius carnem,cuius caro cibus credētium eſt. Hieronymus quamuis de more ſcripturæ pronuntiet indefinitè,nō negat abſolutè percipi carnē ab indignis, ſed eo modo & fine,quo manducatio à Chriſto decernitur, quo cibus eſt dūtaxat credentium,& eorū qui vitę æternę compotes fieri poſſunt. Nam alibi eodē genere dicendi,quo in præſentia,aſſeuerat à nobis pollui corpus Chriſti,dū indignè ad altare accedimus,& ſordidi mundū ſanguinem bibimus. Quocirca nō ita ad viuum dicta Patrū reſecanda ſunt,ſed ex animo dicentis ponderāda. Reſtat videre,an aliqui Patrum exiſtimarint non aliter nos per Euchariſtiam refici carne & ſanguine Domini, quàm per baptiſmū & Euāgelij prædicationem. Hi ferè ſunt textus, quibus abutūtur. Ex Origene: Bibere dicimur ſanguinem Chriſti,non ſolùm ſacramētorum ritu, ſed etiam cùm ſermones eius recipimus,in quibus vita conſiſtit, ſicut & ipſe dicit, Verba quæ locutus ſum vobis,ſpiritus & vita ſunt. Et, Noſtis qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis,quomodo cùm ſuſcipitis corpus Domini,cū omni cautela & veneratione ſeruatis,ne ex eo parū quid decidat, ne aliquid conſecrati muneris dilabatur. Reos enim vos creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. quòd ſi circa corpus eius conſeruandū tanta vtimini cautela,& meritò vtimini, quomodo putatis minoris eſſe piaculi verbū Dei negligere, quàm corpus eius? Ex Hilario citant: Non in circuitu conuiuij futuros ait eſſe,ſed mēſæ. Menſa enim Domini, ex qua cibum ſumimus, panis ſcilicet viui, cuius hæc eſt virtus, vt ipſe viuens eos quoque qui ſe accipiunt, viuificet. Eſt & mēſa lectionum Dominicarum, in qua ſpiritali doctrinæ cibo alimur. Ex Hieronymo: Porrò quia caro Domini verus eſt cibus, & ſanguis eius verus eſt potus, iuxta anagogen hoc ſolum habemus in præſenti ſeculo bonū,ſi veſcamur carne eius,cruoréque potemur, non ſolū in myſterio, ſed in ſcripturarū lectione. Verus enim cibus & potus, qui ex verbo Dei ſumitur, ſacra ſcri-

Hieronym. in cap. 66. Eſaiæ.

Hieron. in cap. 9. Oſee. & in cap. 1. Malach.

Orig. in hom. 16. in Num.

Gregor. Hom. 13. in Exod.

Hilar. in Pſal. 127.

Hieron. in cap. 3. Eccleſiaſtæ.

Chrysost. hom. 45. in Ioan.

ptura est. Ex Chrysostomo: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panem verò hoc in loco siue doctrinam & salutem & fidem in se, siue corpus suum dicit: vtrunque enim animam fortiorem reddit. Ex Augustino: Interrogo vos fratres vel sorores dicite mihi, Quid plus videtur vobis, corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus Dei verbum, quàm Christi corpus. Et ideò quanta sollicitudine obseruamus, cùm nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine obseruemus, ne verbum Domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minus erit reus, qui verbum Dei negligẽter audierit, quàm ille qui corpus Domini sua negligentia in terram cadere permiserit. Pro baptismo afferunt ex eodem Augustino: Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participẽ fieri, quãdo in baptismate membrũ Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequàm panem illum comedat, & calicẽ bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat, quoniam quod illud sacramentum significat, inueni. Ad ista remediũ ab eisdẽ scorpionibus, vt ita loquar, petitur. Patres enim exprimũt se cõferre diuersos cibos & mensas, vt Hilarius & Chrisostomus, tãtãmque differentiã ponunt, quantã inter verũ Christi corpus, & eius sermonem, quo alimur quidẽ ad vitam, sed non ita vt de carne Domini. Eandẽ distinctionem cum variorum ciborũ enumeratione sequitur Ambrosius, cùm ait: Habes Apostolicũ cibum, mãduca illũ, & non deficies. Illum autẽ mãduca, vt pòst peruenias ad cibũ Christi, ad cibũ corporis Dominici, ad epulas sacramenti, ad illud poculũ, quo fidelium inebriatur affectus, vt lætitiam induat de remissione peccati, curas seculi huius, metum mortis, sollicitudinésque deponat. Alij cõparant eiusdẽ carnis Dominicæ distinctas mãducationes, realem in sacramẽto seu ritu sacramẽti, in quo & spiritalis esse debet: sed non tantùm ibi esse possibilem affirmãt, quam etiam in scripturarũ lectione & auditione statuũt, atque à se solũ spiritalẽ illã manducationẽ comparari declarãt, non autem omnimodam, quasi alia non fiat in sacramento, quàm quæ alibi perficitur. Chrisostomus cum redarguit suos auditores quod statim pòst concionem recederẽt nec sacrificio interessent vel cõmunicarent ostendit participationem omnem spiritalem ex auditione verbi tantũ esse quãdam dispositionẽ ad solam etiã spiritalẽ de sacramẽto & sacrificio, ita vt non sit eadem. Quoad existentiam verò, quasi aliter non sit in Eucharistia corpus Christi quã in eius doctrina, refellitur ex professo ab Augustino, vbi inquit: Apostolus Paulus potuit significando prædicare Dominum Iesum Christum aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis & sanguinis. Nec linguam quippè eius, nec membranas, nec atramẽtum, nec significãtes sonos linguæ, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinẽ dicimus, sed illud tantùm, quod ex terræ frugibus acceptũ, & prece mystica consecratũ, ritè sumimus ad salutẽ spiritalẽ & memoria pro nobis Dominicæ passionis. Quod cùm per manus hominum ad illã visibilem speciem perducitur, nõ sanctificatur, vt sit tam magnum sacramentũ, nisi operãte inuisibiliter spiritu Dei. Solent autem veteres, ac maximè Augustinus, baptismum & Eucharistiam, atque alia signãtia Christũ, & ipsum nobis vel eius carnem quocunque modo nobis offerẽtia, dupliciter comparare, siue quoad significationem Christi, vel corporis eius, siue quoad eius præsentiã, siue quoad participationem: primùm quoad generalẽ, & illis omnibus cõmunem significandi, præsentandi, & per ipsa sumendi: Deinde quoad particularem ac cuique propriũ modũ, significãdi inquã præsentandi, & in quoque parti-

August. pr. qu. can. Interrogo vos.

Ex Beda in cap. 10. 1. ad Corinth.

An eodem modo sumatur caro Christi in verbo audito, & in baptismo, & in Eucharistia.

Ambros. Serm. 5. in Psal. 118.

Chrysost. hom. 3. De Dei natura.

August. lib. 3. De Trinit. ca. 4

Augustinus solet multis modis communem modum tribuere, ita tamen vt singulis proprium et particularem assignet.

participãdi Christi, & corporis eius. In authoritate statim allata Augustinus illa contulit in modo significandi indistincto, & omnibus indifferenter competenti: in fine verò modum illum significandi promiscuum in singulares diuidit, & peculiarẽ Eucharistiæ attribuit, vt non solùm vulgariter corpus Christi significet, sed alia ipsum significantia excellat, quia fit & dicatur ipsummet corpus, non tantùm eius signum, vt cætera. Alio in loco eorũdem comparationem persequitur, secundum *August. tract.*
modum quendam omnibus promiscuum continendi præsentiam Christi, ita tamẽ *50. in Ioan.*
vt facilè innuat sub vniuersali peculiares modos pręsentiæ, quos alibi expressius di-
" stinguit. Si ad corpus (inquit) Christi pertines, quod significat Petrus, habes Christũ
" & in præsenti & in futuro: in præsenti per fidem, in præsenti per signum Christi, in
" præsenti per baptismatis sacramentum, in præsenti per altaris cibum & potum. An quia in signo crucis indifferẽter dicit haberi Christum, sicut per fidem, & in Eucharistia: eodem prorsus modo, & æquè perfectò sensit haberi in signo illo, atque in fide, baptismo & Eucharistia? Ne quidem (opinor) assentientur Aduersarij, & Augustini scopus & intentio reclamat, qui modos præsentiæ Christi sub vna vniuersali ratione varios studet assignare. Proinde sicut alia est pręsentia in gratia & effectu per fidem, alia in signo & virtute per signum crucis, alia in operatione regenerationis per baptismũ: ita propria aliqua cibo altaris ascribi debet, quę sub communi nec baptismo, nec fidei, sicuti Eucharistię cõueniat. Quę verò ista secerni poterit, nisi substantialis & realis præsentia, spiritalis tamen & inuisibilis, quæ per remotionem aliarum sola relinquetur præter alias Eucharistiæ applicãda? Eodem pacto Augustinus participationem Christi nonnunquam considerat sub aliquo modo multis communi, & sub aliquo generaliori effectu: quem quia vel per multa sacramenta, vel alia à Deo instituta instrumenta acquiri & obtineri vidit, suo more non dubitauit affirmare, per illa omnia participari Christum, carnem eius, & sanguinem. Talis communis effectus est incorporari Christo, ipsique inseri, quocunque modo fiat, siue mysticè vi sacramenti, siue per actum fidei, siue insuper per naturalis carnis Christi sumptionem. Qua ex causa rectè docuit Augustinus, siue per baptismum, siue per fidem, siue per Eucharistiam manducari & participari corpus Christi & sanguinem, quoniam aliqua quędam cõmunis ratio participandi in ipsis reperitur: non tamen ob id voluit nõ esse participandi rationem aliquam cuique peculiarem præter illam communem. Est enim per Eucharistiam
insertio, non in solum corpus Christi mysticum, vt in baptismo, sed in naturale per *August. lib. 1.*
contactum, quod non solum participatur spiritaliter, vt in baptismo, sed realiter *De peccat. merit. cap. 20.*
& corporaliter: Idque probat Augustinus ex eo, quòd nemo nisi baptisatus auderet *& 24.*
ad Eucharistiam accedere, & quod ex traditione Apostolica hæc vocaretur vita, baptismus verò salus: quoniam licet quis consequeretur salutem per baptismum, non tamen vitam, quam exhiberet Eucharistia, haberet sine ipsa manentem in se, & eo
modo quo illa exhibet: ac quamuis per baptismum incorporemur Christo, non ta- *August. tract.*
men perfecta incorporatione spiritali, reali, ac corporali, quę per Eucharistiam para- *7 in Ioann.*
tur, sed sola spiritali ac mystica. Totus in eo versatur contra Pelagianos Augustinus. Ideò catechumenos iam baptismo perfusos, & fide plenos, negat præsentem adhuc possidere Christum, donec ad ipsam mensam peruenerint. Tale discrimen Cyrillus Alexãdrinus quoque enarrat, vt in baptismo spiritalis quædam communicatio car-
nis Christi fiat, in Eucharistia verò realis & corporea: ideóque non nisi præparatos *Cyrill. lib. 12.*
spiritaliter per baptismum catechumenos ad Eucharistiam, sicut ad Domini conta- *in Ioan. ca. 50.*
" ctum, fuisse admissos. Regulam (inquit) accepit Ecclesia. Prohibemus enim à sacra
" mensa catechumenos, quamuis veritatem iam cognouerint, & fidem magna voce

confiteantur, quia nondum collocupletati ſpiritu ſancto ſunt, qui non habitat niſi in eis, qui baptiſmate cõſummati ſunt. Vnde cùm baptiſmum receperint, quia Spiritus ſanctus in illis habitare creditur, à tactu & communione ſalutaris Chriſti corporis non prohibentur. Idcircò & accedentibus ad myſticam benedictionem miniſtri magna voce clamant, Sancta ſanctis: ſolis ſanctificatis ſpiritu tactum & ſanctificationem corporis Chriſti congruere ſignificantes. Mirum eſt non pudere Bezam teſtem vocare Hilarium eiuſdem participationis de Chriſti carne in baptiſmo, & in Euchariſtia: cùm ibi modorum diuerſitatem accuratiùs cõtra Arrianos idem quod Aduerſarij ponẽtes, diſtinguat & explicet. Vnitatis noſtræ cum Chriſto ibi indagatur modos diſcrepantes ex diſcrepantibus ipſum participandi modis. Adiungit à nobis aliquando participari ſola fide, aliquando ſola dilectione & voluntate, aliquando ſolo ſacramento regenerationis, & eadem regeneratione ſpiritali: aliquãdo non ſolis illis modis, ſed vnà etiam verè corporaliter & carnaliter: quod tantùm accidere in Euchariſtia pluribus diſputat. De baptiſmi verò modo ſcribit: Si regenerati in vnius vitæ atque æternitatis naturam ſunt, quòd anima eorum & cor vnum eſt, ceſſat in his aſſenſus vnitas, qui vnum ſunt in eiuſdem regeneratione naturæ. Docet enim Apoſtolus ex natura ſacramentorum eſſe hanc fidelium Dei vnitatem, ad Galatas ſcribens: Quotquot enim in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non ineſt Iudæus neque Græcus, non ineſt ſeruus neque liber, non ineſt maſculus neque fœmina. Omnes enim vnum vos eſtis in Chriſto Ieſu. Quòd vnũ ſunt in tanta gentium, conditionum, ſexuum diuerſitate, nunquid ex aſſenſu voluntatis eſt, aut ex ſacramenti vnitate, quia his & baptiſma ſit vnum, & vnum Chriſtum induti omnes ſunt? Quid ergo hîc animorum concordia faciet, cùm per id vnum ſint, quod vno Chriſto per naturam vnius baptiſmi induantur? Aut cùm qui plantat & qui rigat, vnum ſint, numquid non per hoc vnum ſunt, quia ipſis in vno baptiſmo renatis vna vnius regenerationis baptiſmi diſpenſatio ſit? Nunquid nõ & idem agunt, nunquid non in vno vnum ſunt? Itaque qui per rem eandem vnum ſunt, natura etiam vnum ſunt, non tantùm voluntate: quia & ipſi res eadem effecti ſunt, & eiuſdem rei atque efficientiæ ſunt miniſtri. Hîc Hilarius monſtrat, non per ſolam voluntatem in baptiſmo participari Chriſtum à nobis, & vnum fieri cum illo, ſed per rei alicuiꝰ naturã, quæ eſt æternitatis regeneratio, quæ nobis cõfertur in baptiſmo. Sed poſtea longè alium modum ſubiicit, quo participemus Chriſtum in Euchariſtia, & vnum aliter euadamus cum ipſo, nempè corporis & carnis eius in ſacramẽto veram ſumptionem, per quæ efficiamur vnum cum illo, non tantùm naturaliter ſiue realiter, id eſt, per communicationem alicuius rei & naturæ, ſiue res illa ſubſtantia ſit, ſiue qualitas ſola, virtus & gratia, ſed etiam corporaliter & carnaliter, quia natura participata in Euchariſtia caro ſit & corpus, & modus ſit realis ac verus à carne noſtra & corpore. Quamobrem conſentiunt omnes Patres in diſcrimine baptiſmi & Euchariſtiæ, & in illo ſpiritaliter duntaxat teſtantur Chriſtum indui & capi, in iſta verò corporaliter & verè ac re ipſa: & Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Cyrillus Alexãdrinus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Baſilius, Gregorius, Leo magnus, atque alij edita opera contra Marcionitas, Arrianos, Neſtorianos, Donatiſtas & Pelagianos, refellunt & damnant, tanquam deteſtandam hæreſin, Chriſtum per fidem tantùm ſpiritaliter in Euchariſtia ſumi.

Hilar. lib. 8. de Trinit.

DE VTILITATE EVCHARISTIAE, ET ſumptionis eius, ſupra ſolam ſpiritalem manducationem.

CAP. 10.

Poſtquàm

POSTQVAM Aduersarij dinumerarunt omnia ossa Christi in ipsa Eucharistia, seu nihil reliquerunt intẽtatum, quod non multis cauillis proscinderint, tandem eò recidunt, vt perorent præsentiam realem carnis Dominicæ in Eucharistia, & manducationem non solùm omninò absurdam esse, sed superfluam. Nihil enim necessitatis vel vtilitatis supra spiritalem habere vel afferre: quoniam sine fide illa potius obsit, quàm prosit, & cum fide non plus commodi pariat, quàm fides meruerit. Proinde spiritalem manducationem sufficere, & corporalem superfluere, ac prorsus inutilem esse concludunt. Nos autem vt de vtilitate huius sacramenti aptè disseramus, de fine ac fructu institutæ in ipso præsentis carnis Dominicæ & manducationis per se & absolutè prius dicendum est: postea de eo, qui sumenti potest aduenire. Interea memoriæ mandandum, Aduersarios Messaliano- *Theod.lib.4. cap.10.* rum hæresi affines esse, qui diuinam escam, de qua dicitur à Christo, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, viuet in æternum, neque prodesse cuiquam, neque obesse affirmarunt. Præter allata in præfatione omnium Repetitio- *Vtilitates Eucharistiæ in se considerata.* num ex transsubstantialitatis libro primo in memoria habendum, potentiæ, bonitatis, ac misericordiæ diuinæ summum in Eucharistię opere relucere miraculum: ad *Psal.110.* cuius considerandam magnitudinem & excellentiam Dauid prouocat, cùm accla-
„ mat, Memoriam fecit mirabilium suorũ misericors & miserator Dominus, escam
„ dedit timentibus se. Memor erit in sæculum testamenti sui. Virtutem operum suo-
„ rum annuntiabit populo suo, vt de illis hæreditatem gentium. Mirabilis Christus supra omnia opera diuina in Eucharistiæ de pane efficientia, in corporis sui præsentia & existentia, atque in eiusdem incomprehensibili, reali, & corporali participatione. Bonitas eius & prouidentia in eo declaratur, quòd non est alia natio tam grãdis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis per Eu- *Deuter.4.* charistiam. In spiritu, fide, figuris & vmbris potiti sunt & gauisi Patriarchę eius aspectu spiritali & præsentia: nequaquam tamen, quæ cum reali esset comparanda, vel æquanda: quam promissam non attigerunt in re per fidem Patres, sed duntaxat in spe ipsam à longè aspexerunt, atque in nuda & pura similitudine & imagine. Ideò *Matth.13.* Apostolorum oculi & aures præ illis beantur, quia præsentem tenerent, viderent, *Luc.10.* & audirent in re & veritate, quem Patres sua fide cupierant videre, possidere, atque audire, sed non poterant. Quocirca realis præsentia longè est perfectior spiritali, ac quacunque alia per fidem solam. Cur tantoperè spiritali Christi præsen- *Esai.64.* tia circumfusi antiqui, optabant diffindi cœlos, ac Christum descẽdere, si inutilis *Baruc.vlt.* est & superflua supra spiritalem realis præsentia? Cur in terris visus est, & cum hominibus conuersatus, cur passus in carne Christus, si realis præsentia nihil iuuat, & ad spiritalem nihil accumulat, imò si vacat & superfluit? Agnus quidem spiritaliter occisus fuit, incarnatus, atque apprehensus fide ab origine mundi: non tantam tamen exeruit efficaciam, nec in tanto pretio deputabatur, vt realis ac vera incarnatio, conuersatio, ac passio. Cur lex dicitur solam vmbram rerum assecuta, & non perfectionem, sicut Euangelium, nisi propter differentiam præsentiæ spiritalis & realis de Christo? Cur ipse Christus post promissam spiritalem suam as- *Hebr.10.* sistentiam, vsque ad consummationem sæculi, rediturum se iterum, & cum hominibus versaturum pollicetur, vt eorum gaudium expleatur? Cur beatitudo Angelorum & hominum constituitur in fruitione Christi præsentis & conspecti, *Ioann.16.* si corporalis præsentia spiritali, & visibilis modus corporalis præsentiæ, inuisibili nihil præstat? Vnde verò Christus abundantiùs potuit commendare charitatem suam erga nos, quàm cùm semetipsum exinaniẽs, nõ solam formã serui accepit, sed

panis figuram quodammodò induit, & se ad vilissima elementa abiecit & humiliauit, vt nobiscum maneat, ac benefaciat: nec tantùm pro nobis factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: sed insuper à nobis totus exedi, atque intimè nobiscum, & cũ nostra infirmitate permisceri re vera voluit, sicuti pro nobis nasci & crucifigi. Præter allata in secunda Repetitione de his Chrisostomus declamat: Non sufficit illi hominem fieri, flagellis interim cædi, sed nos secum in vnam, vt ita dicam, massam reducit: neque id fide solùm, sed reipsa nos corpus suum efficit. Ea re nos alimur, quam Angeli tremunt, nec absque pauore propter fulgorem, qui indè resilit, aspicere possunt: nos in vnam cum illo massam reducimur Christi corpus, & caro vna. Quis potentias Domini auditas faciet, & omnes laudes eius? Quis pastor vnquam membris suis oues suas nutriuit? Multæ matres post partum aliis nutricibus suos infantes dederunt: quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, sibi coniungit atque conglutinat. Hac etiam re tibi persuadens carnem illam tuam assumpsisse. Tanta igitur charitate atque honore affecti non torpeamus. Basilius interrogat, quo animi affectu sit adeunda Eucharistia. Illum ardentissimum in nobis excitari respondet, ex fide verborum Domini dicentis, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis traditur. Hoc facite in meam commemorationem: atque etiam ex testimonio Ioannis, primùm de gloria verbi testificante: deinde de modo incarnationis subiungente, cùm dicit, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate: & Apostoli, qui ad hunc modum scripsit, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem esse Deo, sed semetipsum exinaniuit, accepta forma serui. In similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Anima igitur si fidem habeat his verbis, & ex talibus agnoscat magnificentiam gloriæ, admiretúrque excellentiam humilitatis & obedientiæ, quòd cùm talis esset ac tantus, obedierit patri vsque ad mortem pro nostra salute: arbitror illum affectum acquirere ad diligendum, cùm Deum patrem, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit: tùm vnigenitum ipsius filium, qui ipsi ad mortem vsque pro nostra redemptione ac salute obediuit: atque ita obtemperare posse Apostolo, qui velut finem quendam fide sanis bonam ex istis conscientiam ponit, cùm dicit: Nam charitas Christi continet nos, iudicãtes hoc, quòd si vnus pro omnibus mortuus est, omnes igitur mortuos fuisse: vt qui viuunt, non iam sibi ipsis viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, ac resurrexit. Talem effectum, atque animi aptitudinem habere debet, qui de pane ac de calice Domini participat. Præterea quoniam in hoc sacramento fœdus sanciebat cum hominibus de peccatorum remissione, quam pollicebatur, an non fœderis dignitas excellet, ac longè certior fiet eius promissio & obsignatio, si pro tessera eius & pignore interponatur vera Christi caro tradita pro peccatorum remissione, & verus sanguis ad eum finem effusus. Deus in veteri Testamento sæpè accusat Israëlitas, quòd tantum impura vita profanauerunt fœdus suum. At si quis blasphemo ore contempsisset, & exagitasset illum victimarum cruorem, vt inutilem & superfluum, quo eos Moses fœdus sanciens aspergebat, aut illum Paschalem, quo postes liniebantur, aut corpus Agni Paschalis, quod in confirmationem illius Testamenti comedebatur: quantò magis furor Domini contra eum accensus fuisset? Sic Paulus tristissima minatur iis, qui sanguinem noui Testamenti profanum duxerint: quod nemo potest atrociùs facere, quàm si realem præsentiam corporis & sanguinis Domini,

Chrys. hom. 83. in Matth. & 61. Ad popul. Antioch.

Basil. in reg. breuior. reg. 172.

Ad Heb. 10.

Domini, eorundémque sacramentalem manducationem, verum sigillum ac pignus noui Testamenti, vt res inutiles contempserit. Adhæc instiruebatur Eucharistia, tanquam quoddam corporale ac reale monimentum totius dispensationis obitæ à Christo, sed maximè passionis eius. An non multò accuratius & viuidius istarum rerum monimentum iudicabitur, si ipsemet Christus, tantarum rerum author & actor, in præsentia tenetur, sui ac suarum rerum gestarum memoriam refricans, quàm si absente ipso nihil monimento insit, quod de ipso cōmonefaciat, nisi verba exteriùs adhibita, quæ de rebus ab eo actis testificentur? Quòd si res, quæ in Eucharistia existit, spectetur, ipsa nempè caro Christi, quanta impietas dicere, vel cogitare, illam non prodesse, vel frustrà donari & proponi, cùm verè sit omne bonum, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter? Sicut enim, quando Deus tradidit Christum in mortem, non solùm spiritaliter, sed corporaliter, nobis omnia donauit, quæ Christus est, & quæ meruit, atque operatus est: ita quando nobis manducandum Christum non spiritaliter tantùm, sed corporaliter apparauit, omnia quæ Christus, & quæ potest, & quæ egit ac promeretur, realiter & corporaliter profert. Sin quid vtilitatis ad nos redeat ex præsentia corporis, quamuis non suscepti, quæritur, plurimum sanè quod ad fidem & spem ac charitatē, atque alias virtutes in nobis altiùs imprimendas conducat. Quid enim tam difficile ad credendum proponetur, quod non facilè sibi persuadeat animus, fide de illa præsentia imbutus? Ad spem, consolationem, fiduciam, & opitulationē certiorē rogabat Moses, non Angelū sibi ducē dari audiret: Sed nisi (inquit) tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Quò ergo præsentior Deus in medio populi cognoscitur, crescit fiducia, & prouidentiæ ac curæ eius de nobis persuasio & certitudo. Propterea Arca, cui Deus insidebat, cuiuscunque præsidij loco Israëlitis erat, & sufficiebat dici à Deo his, quos forti animo esse iubebat, Ego vobiscum sum. Propterea Dauid Psalmum cecinit de Christianorum spe ac fortitudine contra omnia aduersa, ex Christi „Dei nostri in sacramento nobiscum præsentia & communione. Parasti mensam (in„quit) aduersus eos qui tribulant me. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non ti„mebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. De quo posteà. De peccatorum verò remissione, aut vllius boni consecutione, quis desperabit, qui cogitat ideò institutā Eucharistiam, ad ipsámque Christum se demittere, vt testimonium ferat, & sit in pignus atque arram, ad confirmandam promissionem diuinam de peccatorum remissione, & cuiusuis boni adeptione. qui enim proprium filium sibi non reseruauit, nec ipsi pepercit, quin in mortem & in escā nobis daret, quomodo nō cū illo nobis omnia donabit? Charitatē verò & dilectionem in Deū ac Christum nihil ita potest accendere atque inflammare, quàm si recolamus memoria Christi propter nos acta, atque omnia in nos collata beneficia, præsentiæ denique in Eucharistia abiectionem „& humilitatem atque finem. Ipsum corpus (inquit Chrysostomus) in supremū thro„num extulit, quod etiā nobis exhibuit, & vt teneremus, & vt manducaremus: quod „maximum dilectionis signum est. quod enim amamus, aliquando morsu petimus. „quare Iob, vt seruorum in se amorem ostenderet, dicebat illos sæpè nimio in se a„more dixisse, quis det de carnibus eius, vt saturemur? quod Christus fecit, vt nos „maiori charitate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantū „videri permittens desiderantibus, sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ in„figi, & desiderio sui omnes impleri. Parentes sæpè liberos aliis alendos dederunt: e„go autem mea carne meos alo, me his exhibeo. Quid verò adeò debet fastum omnem deprimere, & nos ad omnem humilitatem frangere, quàm si considere-

Exod. 33.

Psal. 22.

Chrysost. hom. 24. 1. Corint. hom. 61. ad pop. Antioch. & 45. in Ioa.

mus, quò se Christus propter nos in Eucharistia abiecerit, & magis ac magis se a[illegible]ciat, quoties illa sumitur? Nec ab infimis elementis, nec à nostrorum corporũ atqu[e] animorum sordibus abhorret, vt se ipsis permisceat. Attonitus Petrus de pedum la-
Ioann. 13. uachro, magistri officium prę humilitate recusabat. Iam Christus gloria & honore coronatus, se offert, non tantùm vt pedes lauet, vel manus, vel caput, sed vt interna omnia mentis & corporis inquinamenta repurget, & corruptibile hoc per ipsum induat incorruptionem. Quæ tanta animi elatio, quæ non obstupescat, & quę quãtumuis se depresserit, non se agnoscat nullam humilitatis Christi partem consequi posse? Quò frequentiùs ergo & diligentiùs homo animo agitarit pręsentię Christi in sacramento mysterium, fidem suam, spem, & charitatem erga Deum & Christũ acuet, animabit, etiam atque etiam corroborabit, ad omnémque pietatem & humilitatem vltrò se adhortabitur & efformabit: nec teneri poterit, quin quoties oculis & animo eius obuersabitur mysterium, totus quasi extra se positus, in admirationẽ, stuporem, laudem, & gratiarum actionem abripiatur & procidat. Quis autẽ acrior aculeus iniici potest Christianorum cordibus ad charitatem in proximum generandam & augendam, siue ad conciliandos sibi homines siue ad iuuandos, quàm si perpendatur, Christum se in mortem & in escam apparasse, vt filios Dei dispersos congregaret in vnum, in vnúmque corpus coagmentaret, ac propria carne & sanguine aleret? Nec de hoc Chrysostomus siluit. Christus (inquit) ex ęquo mensam
Chrysost. hom. omnibus distribuit. Ille corpus proprium ex ęquo tradidit: tu communem panem
24. 1. ad Cor. distribuere non vis. Profectò pro omnibus pariter traditus est, & pro omnibus pariter corpus effectũ est. Deniq; quoties Eucharistię gestatio sine sumptione profuit, quoties contra dęmonia atque omnia aduersa, eius pręsentia valuit, quoties preces ad Christum in ea existentem fusę, quod postulabant, impetrarunt: quoties non qua decet dignitate habita, pœnas grauissimas inflixit? Quæ omnia Repetitio De Eucharistiæ adoratione, cap. De gestatione eius, & Repetitio De sacrificio, suppeditabunt. Quocirca Augustinus tribus verbis rectè videtur Eucharistiæ finem &
August. tract. vtilitatem comprehendisse, vt valeat ad pietatem in Deum augendam, charita-
26. in Ioann. tem erga Deum & proximum comparandam, & vnitatem ac pacem conseruan-
De vtilitate dam. O sacramentum pietatis! (inquit) ô signum vnitatis! ô vinculum charita-
sumptionis tis. Nos enim admonet potissimum mutuæ dilectionis, quia sumus omnes v-
realis Eucha- vno redempti sanguine, quod eadem omnes pascantur mensa quódque ad ean-
ristiæ supra dem omnes vocati sunt fœlicitatem. Verùm ne videamur plus excellentiæ & vtili-
spiritalem. tatis in Eucharistia seruata, quàm in sumpta agnoscere, omnia quæ ei per se attribuimus, multò magis secum dignè percipienti afferre credimus, atque alia lõgè plura & potiora. Esto, sine fide, digna præparatione, ac spiritali manducatione plus noceat quàm iuuet sacramenti susceptio: an propterea cum fide nihil fructus & commodi ex se cumulabit? Hæmorrouissa ac plerique alij cum fide accesserunt ad Christum: an ideò præter tactum fidei, tactus realis & corporeus fimbriæ vestimenti nihil ad sanitatem contulit, ac non potius sanitatis virtus à re tacta processit? Sensi (ait Christus) virtutem ex me exiisse. Quis cum fide & spiritali
Matth. 9. motu Christum, quamdiu degebat in mundo visibiliter, & ipso facto, vel excepit in domum suam, vel attigit, vel frequentiùs cum illo versatus est, vel cui fidei Christus suam carnem, siue corpus suum admouit, & non illum nouis donis atque insolitis collocupletauit? Magdalena pedes eius & caput sæpiùs, atque ardentiùs eius prehendit, ac venerata est, & singularem charitatem, ac peccatorum
Ioan. 13. remissionem retulit. Ioannes in cœna supra pectus familiariùs recubuit: & inde de plenitudi-

plenitudine diuinitatis corporaliter inhabitantis arcana ineffabilia supra alios Apostolos hausit & intonuit. Sed quorsum (inquiunt) necesse fuerit bis nobis Christum in sacra cœna exhiberi? An non satis est semel eum nobis prorsus donari? Respondemus, vtrámque exhibitionem spiritalem & realem suas habere causas & vtilitates peculiares. Spiritalis sola à fide & hominis bonitate cum gratia suos effectus nanciscitur: quæ verò insuper realis est, habet virtutem priuilegiatam (ait Gerson) quam dicimus vim operis operati, addens plurimum ad propriæ voluntatis meritum. Gerson Serm. & sup. Magnificat. Spiritalis sola, etsi similes alioqui effectus spiritales videtur parere cum sumptione Eucharistiæ, non tamen omnes, nec quos similes gignit, eiusdem sunt ponderis, efficaciæ & dignitatis: imò qui à sola spiritali participatione fluunt, ad fructus realis manducationis spiritali coniunctæ comparati, instar sunt dispositionis requisitæ, & præparationis necessariæ. Sic „enim paulò pòst ex Augustino audies, Panem de altari spiritaliter manducare, „est innocentiam ad altare portare. Porrò causa effectuum emanantium ex ipsius Eucharistiæ communione, prima est res contenta, Christus ipse, omne bonum, & donum perfectum, descendens à patre luminum. Deinde passio Christi, cuius organum & instrumentum est hoc sacramentum, institutum maximè ad efficaciam passionis applicandam, seu cum sua efficacia enuntiandam mortem Domini. Tertia causa, finis est, cui destinatur Eucharistiæ vsus, qui est nos alere, & idem præstare animabus nostris, quod panis & vinum, ac cibus quiuis, corporibus nostris. Ex prima, quicquid est ipse Christus, & quicquid potest, ad finem illum datur nobis reipsa in Eucharistia, vt vita ipsa vera & æterna, sanctificatio, peccatorum & dæmonum depulsio, resurrectio, fortitudo, & gloriæ cœlestis arrabo. Ex secunda confertur, quicquid ad vitam ęternam nobis acquirendam meruit Christus. Ex tertia, quicquid requiritur ad nos fouendos & vegetandos in vitam illam. Itaque quemadmodum ad vitam tuendā corporalem primùm ea sunt remouenda, quæ nocitura putantur, & postea adhibenda, quibus vita conseruatur & augetur: ita ad comparādam vitam æternam primùm per Eucharistiam curantur, quæ illi aduersantur & obsunt, vt peccata, atque vnà inuehuntur omnia, quibus promouemur ad gloriam & vitam immortalem. Contra quæ valeat realis sumptio Eucharistiæ. Causæ quidem & effectus breuiter perscribuntur à scriptura in Eucharistię institutione, ac promissione, atque à Patribus obseruantur. In illa causæ contra peccata explicantur, in ista eædē apponuntur ad vitam nobis intromittendam. Illic enim dicitur: *Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* In promissione verò apud „Ioannem scribitur, Ego sum panis vitæ. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in „æternū. Et, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Et, „Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebi„ris vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet „vitam æternā, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est ci„bus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meū san„guinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter „patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Causas sanè arcendæ mortis à nobis, & vitæ introducendæ, se ac suam carnem esse asserit, & eiusdem carnis in mortem atque in cibum traditionem. Ita ex hoc textu Ephesina Synodus & Cyrillus contra Nestorium definiunt: vitam non priùs nobis affluere, quàm si carnem Christi viuificam degustemus, & mortem eius ac resurrectionem in sumptione annuntiemus: vt ita tres illas causas coniungat ad vitam, ad quam alios effectus oportet antecedere, priusquàm nobis immaneat. At numquid causæ eædem

& effectus ex spiritali manducatione percipiuntur, sicut ex Eucharistiæ sumptione? Nequaquam. Sicut enim in illa non recipitur caro Christi intra nos realiter, & de facto, nec datur in cibum reipsa, sed tantùm aliquid ab eius merito profectum: ita nec passionis subiectum, & meritorum plena ac solida efficacia nobis communicatur, vt in Eucharistia. Ideò etsi in spiritali conferantur nonnulli similes effectus, & aliqua vita, non tamen est eadem cum ea quæ inest, & nobis datur cum carne Christi: quia hîc est ipsamet essentia vitæ & substantia, ipsamet essentia gratiæ & diuinitatis in carne Christi inhabitantis, ipsamet resurrectio, sanctificatio, iustitia, ipsamet lux & virtus, ac denique omne bonum in essentia. In spiritali esu ista non habentur, sed solæ quædam pro mensura fidei, non essentiales, nec reales, sed illarum rerum quædam irradiationes & effectus, qui nec tanti esse possunt, nec in tanta copia ac vehementia, ex quantacunque fide nostra ac virtute, quanti exuberant in nobis cum pari fide, & Eucharistiæ perceptione. Tum enim horum fons & scaturigo in nobis residet, exundat, & intimiùs ac longè vehementiùs & ampliùs in nobis operatur. Quocirca conuenienter cum scriptura ab insita vi contra peccata, Ignatius atque alij inuitant ad Eucharistiæ frequentationem. Frangite panem (ille ait) qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed viuendi per Iesum Christum in Deo: catharticum expellens malum sit in vobis. Cyprianus quoque ab eadem virtute Eucharistiam commendat. Panis (inquit) substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam, salutémque proficit, simul medicamentum & haulocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Ambrosius atque Augustinus propter eundem effectum adhortantur ad quotidianam communionem. Si quoties (ille ait) effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Tu audis quòd quotienscunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitę non quotidianum assumimus. Qui vulnus habet, medicinā requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste & venerabile sacramentum. A Chrisostomo eadem virtus paucis his verbis docetur: Poculum bibamus, quod vermes ac serpentes exitio tradere possit. Dicat aliquis, Quodnam illud poculum, quod huiusmodi virtutem habeat? Pretiosus est sanguis Christi, si cum fiducia sumatur. Hic enim omnem poterit extinguere ægritudinem. Hîc oritur quæstio grauissima. Nam si primarius effectus tanti sacramenti censetur esse condonatio peccatorum, & deletio, cur oporteat eum, qui pro dignitate debet hæc sacrosancta mysteria contingere, quoad eius fieri potest, eniti, vt scelerum omnium veniam à Deo priùs impetret. Apostolus enim pronuntiat, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Et, Qui manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et, Iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Verùm facilè respondetur, vim ad omnia peccata eluenda, non nostra solùm, sed totius mundi, insitam esse sacramēto in se atque absolutè considerato, tum propter rem contentā, tum propter passionis in eo positā energiam & efficaciā: sed in sumente requiritur legitima dispositio, per quam illius virtutis fiat capax, & queat ipsam suscipere. Hoc Cyprianus ferè totidem verbis enuntiat. Sacramenta (inquit) quātum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis: sed quamuis

Ignat. Epist. ad Ephes.

Ambr. lib. 4. De sacr. cap. 6. lib. 5. cap. 4. Aug. serm. 28. de verb. Apostol.

Chrys. hom. 21. ad pop. Antioch. et ho. 4. in Matth.

Si Eucharistia delet peccata, cur oportet ante ipsam purgari à peccato.

ab

„ ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus
„ esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit.
„ Ideóque aliis sunt hęc munera odor vitæ in vitam, aliis mortis in mortem: quia
„ omninò iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratię contemptores, nec in indi-
„ gnis tantę gratię puritas sibi faciat mansionem. Quamuis autem Deus omnia possit, non tamen solet operari, siue in naturalibus, siue in spiritalibus, nisi leges & conditiones apponantur, quas in ordine naturę statuit, & in supernaturalibus præscripsit: quæ si defuerint, non solùm quę Deus potest agere, non fiunt, sed contraria ferè semper in rebus naturalibus eueniunt, vt non miremur, si idem in supernaturalibus contingat. Desideratur autem probatio & conatus ad purganda criminalia peccata ante susceptionem Eucharistiæ, non quia nequeant per ipsam purgari, sed quoniam est indignum & impium illauta conscientia, & in sordida veste, Christo velle se adiungere, & eius sanctitati irreuerentiam atque contumeliam facere: & quoniã Christus non nisi laborantibus, & agentibus quod in se est, promisit suã gratiam, ne vertatur in contemptum & ingratitudinem, potiúsque ita obsit,
„ quã prosit. Propter has causas rectè scribitur ab Augustino: Si mẽs in affectu peccã- *August. De eccles. dogmat. cap. 53.*
„ di est, grauatur magis Eucharistię perceptione, quàm purificetur. Quamuis enim
„ Christus in potestate habeat ac virtute etiã talem expiare, non decet tamen, quoniã
„ impedimentũ obiicit, nec parat viam Christo, sed quantũ in se est, obstruit. Quòd si
„ operam, quã potest, peccator nauarit, vt domum suam Christo recipiendo decorã
„ & cõgruentem reddat, quamuis non qua decet, fulgeat dignitate & munditia, quã-
„ uis etiam aliqua mortifera peccata relinquantur in homine, tamen si eorũ non tãgi-
„ tur cõscientia, nec appetitione, vel quia oblitus est sine lata culpa ac supina socordia,
„ vel putat de ipsis satis se dolere, licet non ad sufficientiam doleat, & interea à Christo
„ præsente precatur veniã, suámque indignitatẽ, quibus potest modis, cõtestatur: tũc
„ sacramentũ hoc creditur illa expiare vi sua: quandoquidẽ homo fecit quod potuit,
„ neq; plus ab ipso Deus exigit, quàm sine fictione valeat præstare. Quinetiam tantæ virtutis esse Eucharistiam Cyrillus Alexandrinus asserit, vt etiam à peccatore ali- *Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 19.*
„ quando sumpta, ipsum ad pœnitentiam adducat. Diabolus (ait) Iudam post panem
„ omninò separauit, tum moram, tum benedictionis virtutem timẽs, ne scintillam in
„ animo eius accenderet, ac indè illuminaret, & ad meliora retraheret. Ideò magna
„ præcipitẽ egit celeritate. Deinde alia sunt peccata, quæ appellamus venialia, sine quibus nũquam, aut vix, degit infirmitas humana: ideóq; ab hominũ contubernio Dei gratiã non repellunt: quandoquidem nouit figmentũ nostrum, quod caro est. Ipse autẽ ignis consumens est, vt illa leuia, tanquã fœnũ vel stipulã, suę pręsentię flamma corripiat & absorbeat, nósque ad charitatẽ accendat, quę operit multitudinẽ peccatorũ. Huiusmodi sanè ad Eucharistię cõmunionem, tanquã ad carbonis cuiusdã applicationẽ, colliquescũt ac diffluũt, maximè si nõ nos & nostra à calore eius abscõderimus, & in illis peccatis animũ nõ obfirmauerimus. Nã Eucharistia opus est singulare charitatis diuinæ in nos, & nostrũ in Deũ prouocãs & acuẽs amorẽ: Ideò vtrinque communio de se ac per se fert, vt illa peccata diluat. Præclarè Damascenus ita de *Damasc. lib. 4. cap. 14.*
„ hoc loquitur: Crucifixi corpus suscipiamus, vt ignis in nobis desiderij ex eo carbo-
„ ne assumens inflammationem, cõburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, &
„ participatione diuini ignis accẽdamur, ac deificemur. Carbonẽ vidit Propheta. Car-
„ bo autem simplex non est, sed igni vnitus. Sic panis communionis, non panis sim-
„ plex est, sed diuinitati coadunatus. Augustinus verò profert ista: Panem de altari spi- *August. tract. 26. in Ioan.*
„ ritaliter manducare, est innocentiam ad altare portare. Peccata, etsi sint quo-
„ tidiana, vel non sint mortifera. Et quàmuis quis peccato mordeatur, pec-

candi tamen de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus ac securus. Sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non grauát.

De consec. dist. 2. can. Quotidie can. Si nõ sunt.

Cui annectitur de Hilario Papa: Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis separare. Quapropter rectè pronuntiat Innocentius tertius, hoc sacramentum venialia delere, & cauere mortalia. Ad hæc, quoniam Christus, atque eius passio, non tantùm propitiatio est pro culpis & peccatorum reatu, sed satisfactio pro pœnis, quisquis dignè, & cum ea qua decet

Eucharistia valet contra pœnas peccatorũ.

pietate ac feruore Christum ac passionis efficaciam per sacramentum hoc reipsa sibi applicat, sicut propitiationem, ita satisfactionem eiusdem quodammodò vnà sibi accommodat. Propterea Chrysostomus benè ac breuiter perorat. Adimus (inquit)

Chryso. hom. 82. in Matth.

vt nos à tormentis gehennæ vendicemus, vt peccatorum indulgentiã impetremus, & intolerabiles pœnæ dissoluantur, vt cœlos & quæ ibi sunt bona, cõsequamur. Postremò sicut consultiùs cauetur malum, & venienti occurritur, quàm præsenti vel

Eucharistia valet ad cauenda peccata & tẽtationes.

inueterato medicina paratur: ita Eucharistia virtutem maximam subministrat ad arcẽda peccata & euitãda: quod Christ⁹ his verbis declarat, Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, nõ moriatur in æternum. Duobus autem modis id operatur, peccatorum flabella & incitamenta repellendo, restinguendo, ac debilitando, vt sunt dæmones, eorúmque administri, & innatus nobis cõcupiscentiæ stimulus, quem retundit: deinde robur & adiumentum carnis præsentis virtutẽ nostræ imbecillitati & fragilitati accumulat, vt peccatis & eorum authori valeat resistere. De hoc Dauid pro Christianis plurimùm gloriatur in Psalmo, Dominus regit

Psal. 22.

me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mẽsam aduersus eos qui

Cyrill. Hierosol. Catech. myst. 4. Orig. hom. 35. in Matth. Euseb Cæsar. lib. 1 De demonstra. Euãgel. cap. 10. Ambros. De his qui initiãtur myste. ca. 8.

tribulant me. Quod hîc dicit (ait Cyrillus Hierosolymitanus) tale quiddam est. Ante tuum, Domine, aduentum dæmones hominibus mensam pollutam & diabolicam contaminata facultate parabant: sed postquàm tu aduenisti, parasti in cõspectu meo mẽsam. Quid aliud significat, nisi mysticam illam & spiritalem mẽsam, quam Deus nobis proposuit, illi aduersariam, quæ nobis antea parabatur à dæmonibus, & cum illis communionẽ habebat, hæc verò cum Deo? Adeò in hoc Psalmo scripta cõsentire cum Eucharistiæ participatione iudicarunt Patres, vt nullus ferè reticeat, & in primitiua Ecclesia caneretur Psalmus ille, quando catechumeni à baptismo ad altare deducebantur, quemadmodum apud Ambrosium est. Quanta verò sit armatura

Ignat. Epist. ad Ephes.

Eucharistia contra dæmones & peccatum, ab Ignatio monemur. Festinate (ait) frequenter accedere ad Eucharistiam & gloriam Dei. Quando enim assiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates Satanæ, qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad

Chrys. hom. 61. ad popul. Antioch.

peccatum. Chrysostomus verò ita probat. Hic mysticus sanguis dæmones expellit, & procul esse facit: ad nos autem Angelos vocat, atque Angelorum dominum. Vbi námque sanguinem Dominicum viderint, dæmones quidem fugiunt, concurrunt

Ambr. psalm. 118. Serm. 8.

autem Angeli. Hic sanguis effusus omnem terrarum orbem alluit. Si figura ipsius tãtam habuit virtutẽ, & in Hebræorum tẽplo, & in media Ægypto super liminaribus inunctis, quomodo veritatẽ ipsam diabolus quæso non timuerit. Ambrosius idem clariùs affirmat, ac scribit: Cùm hospitiũ tuũ aduersarius viderit occupatũ cœlestis

Pallad. in vita Macar.

fulgore præsentiæ, intelligit locũ tẽtamẽtis suis per Christũ esse interclusum: fugiet, recedet, & tu noctem sine vlla offensione transibis. Qua de causa apud Palladium Macarius Ægyptius mulieri à Dæmone obsessæ post curationem declarauit, id illi accidisse, quòd diutius abstinuisset à communione, quódque quinque hebdoma-

dis non accessisset ad intemerata nostri seruatoris sacraméta. Nec solùm Eucharistia à nobis recepta dęmones fugat, sed illata locis, quos dęmones infestât, etiam abigit: sicut capite De circumlatione Eucharistiæ annotamus. De viribus Eucharistiæ in „concupiscentiæ aculeum Cyprianus tradit: Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit „peccatum: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum la-„sciuia. Cùm sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ „videt, inaudita quæ loquitur: quem Agnus iste Paschalis inhabitat, cuius animam „meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat. Denique quantũ illa valeat contra omnem tentationem internam, atque externam à Diabolo, vitiis, & persecutionibus, idem author confirmat, cùm in eius finem factam Eucharistiam, eámque necessariò cuicunque etiam peccatori pœnitenti administrandam tempore persecutionis, & in discrimine mortis suadet: sicut in Concilio Niceno faciendum „posteà decretũ fuit. Quos (inquit) excitamus & hortamur ad prælium, non inermes „& nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Domini muniamus: & „cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse cõtra „aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomo-„do docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fun-„dere, si eis militaturis Christi sanguinẽ denegamus? Porrò vt ad id veniamus, quod secundo loco proposuimus necessarium ad vitam tuendam, sicut panis communis (ait Cyprianus) quem quotidiè edimus, vita est corporis: ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis, Christi vitam cum carne eius in nobis habitare & vegetare faciens, ad gloriosam & beatam immortalitatem nobis conferendam, nósque Deo reipsa consocians, atque alia in nobis operans, quæ in Repetitione quinta, capite De manducatione corporali, disseruimus, ad quæ non attingit spiritalis manducatio. Nec solùm in animã vitam & vim suam ad dona supernaturalia exerit, sed etiam in corpus & carnem nostram, quam nutrit ac fouet ad incorruptionẽ: interea miras actiones in ipsa anima ac corpore nostro exercens, ita vt crebrò ac purè vescentes Eucharistia, iam nec sibi nec mundo viuant, sed Christo, toti extra se positi, & in alios viros mutati, nihil appetentes eorum quæ supra terram sunt, sed in cœlum anhelant, & vitam alterius sæculi degere incipiunt, cuius gustum & arrabonem intra se sentiunt spiritu illuminati, voluntate & charitate in Deum ac proximum feruentes, nonnumquam & oculis corporis supra hominem cernentes, atque ita corde ardentes in cœlestia, vt ad eorum desiderium illachrymentur, sicut in historia duorum discipulorum, quos in die resurrectionis suæ pauit Christus Eucharistia sensibiliter, perspicitur. quod annotant Augustinus, atque alij, citati in repetitione Sub altera specie. De his verò eleganter ista Cyprian. Vident hæc sacramenta pauperes „Christi, & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delitias aspernantur, & „possidentes Christum, aliquam huius mundi supellectilem possidere dedignantur. „Esurientes & sitientes iustitiam, cùm saturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ „loquãtur: quàm sancti odoris sit, quicquid illa eructat plenitudo. Verbum bonum, „mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos illa interior sinceritas vbique „diffundit: ita vt post odoramenta ista, gratiæ huius comparticipes discurrant, & mu-„tuis ad inuicem affectibus complectantur, & quibus vnus est panis, vnum est cor-„pus, & omnium vnum cor, & anima vna, vni Christo adhærens, cętera omnia qua-„si fermentata respuens, in vnius azymi sinceritate lętatur. Panis iste Angelorum, om-„ne delectamentum habens, virtute mirifica omnibus, qui dignè & deuotè sumunt, „secundum suum desiderium sapit, & ampliùs quàm Manna illud eremi implet & sa-„tiat edentium appetitus, & omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium

Cyp. de Cœna.

Cypr. lib. 1. epist. 2.

Bona quæ cõfert Eucharistia.

Cyp. de Cœna.

exuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his, qui Christi commemorãt passionem, intra sacra officia, quasi per quosdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrẽtes, & super omnes delitias lachrymis nectareis anima delectetur: quantam suauitatem animæ inquirenti, vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciunt. Non illos imbres procellosæ tempestatis deponunt: ros matutinus est, de cœlestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat: & inter diem & noctem retrò & antè se affectio intuens, inter data condemnata se diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori: & se sanatam & sanctificatam agnoscẽs, fletibus se abluit, & lachrymis baptisat. De iisdem Chrysostomus ista verba facit: Hæc est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic sanguis effusus est, & cœlum fecit accessibile: & sicut auro liquescẽte, siue quis manum, siue linguam immittat, eam statim auream reddit, ita & hæc proposita pretiosam reddũt animam. Quando corpus Christi tibi propositum fuerit, dic tecum, Propter hoc corpus non amplius cinis & terra ego sum. Propter hoc cœlum, & quę in eo sunt, bona, me accepturum spero, immortalem vitam, Angelorum sedem, Christi consuetudinem. Ipsa mensa animæ nostræ vis est, fiduciæ vinculum, fundamẽtum, spes, salus, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muniti migrauerimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus vndiq; contecti. Et quid futura commemoro? Dum in hac vita sumus, vt nobis terra cœlum sit, facit hoc mysteriũ. Et vos mea came alo, & me vobis exhibeo, omnibus de futuris spem optimam præbeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Nec verò sola illa spiritalis ac supernaturalis vitæ de Eucharistia experimenta interdum produntur in corporibus nostris, sed insuper alia contra dæmones, & contra vitæ huius caducæ corruptionẽ. Nam per Eucharistiæ applicationem de corporibus solent dæmones eiici, sicut in secunda Repetitione, & alibi, producimus exempla, & post illius manducationem homines diutiùs sine alio cibo vitam duxerunt, & in grauissimis morbis ac desperatis sanitatem recuperarunt. De Erone recitat Palladius, quòd sæpè non nisi post tres menses cibum capetet, contentus communione sacramentorum. Idémque in vita Ioannis Anachoretæ repetit, per tres annos hunc nihil comedisse, sumentem dominico die solùm Eucharistiam, quam ei Presbyter afferebat. Theodoretus verò narrat, Simeonem ieiunio quadragendiali confectum, vix à Basso Presbytero spirantem inuentum, nec loqui nec moueri potentem: nihilominus ab eodem illi, cùm os humectasset, oblatam fuisse Eucharistiam, per quam confirmatus statim cõualuerit, & surrexerit. Nec dissimilem euentum Gregorius Nanzianzenus de Patre videtur commemorare: nec mirum quidem. Etenim si propter indignam sacramẽti participationem Apostolus prædicat, Corinthiis morbos ac mortalitatem ingruisse: cur non per dignam susceptionem bona valetudo ab Eucharistia restituetur, si ita expedire iudicarit Dominus? At (obiiciunt Aduersarij) si Eucharistiæ ea vis est insita contra dęmones, vitia & peccata, necnon ad eximia illa dona obtinenda, cur non suppetunt ista omnia his, à quibuscunque deglutitur, & cur deteriores, ac moribus impurioribus experimur sacerdotes, atque alios plerosque, quo sæpiùs communicant? Cur diabolus multos occupat, atque in vitia & peccata grauiora inclinat & impellit vehementiùs statim à communione, & alios morbus corporis, vel etiam mors repentina corripit? Iam priùs causas attigimus. Aut enim antecedunt communionem, aut concomitantur, aut sequuntur. Sol vitæ author, necat multos, quos malis humoribus affectos inuenerit: vt non mirandum, si caro Christi viuifica, vitæ contrarium effectum infligat his, qui malè dispositi & præparati, ausi fuerint ad eam indignè accedere. Sed de his

Chrysost. hom. 61. ad popu. Antioch.

Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinth.

Chrysost. hom. 4. in Ioann.

Ex Eucharistia sumptione vigor quidam apparet aliquando in corporibus.

Theodor. in vitis sanctorum.

Nazianzenus De funere patris.

Cur deteriores fiunt plerique ex frequenti vsu Eucharistiæ.

his copiosè in Repetit. quinta, capite De indignorum vsu. Deinde vt quis probationi & præparationi antecedenti satisfecerit, interdum in ipsa cõmunione deficit, vel interiùs vel exteriùs non ita se gerit, vt appropinquantem Deo decet. Hæc duo genera indignorum, qui malè multantur à Christo propter irreuerentiam, & cum Iuda traduntur Satanæ, Apostolus perstringit ad Corinthios. Tertium genus est eorum, qui à communione redeunt ad peccatorum vomitum, vel non cogitant, nec curãt de vita in melius commutanda, propter acceptum de corpore Christi beneficium, vel sollicitudo diuitiarum, & curæ huius seculi eos transuersos agunt, in ipsísque suffocant verbum & impulsum Christi habitantis in nobis, vt in his meditemur, vel degustemus de suauitate cibi dati. Nec sibi deest Diabolus, qui circuit, quærens quem deuoret, diligentiúsque excubat, quo negligentiores viderit, & violentiorem impetum facit, vt reditum sibi in nos aperiat: túmque habet locum „Christi admonitio: Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca a- *Matth. 12.* „rida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Reuertar in domum meam, vnde „exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mũdatam, & ornatam. Tunc va„dit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, „& fiũt nouissima hominis illius peiora prioribus. De his omnibus præclarè Cypria- *Cypr. de cœna.* „nus inquit: Qui verbo tenus corde sicci, & mente aridi, sacris se interserunt, vel etiã „participant donis, lambunt quidem petram, sed indè nec mel sugunt, nec oleum, „nec aliqua charitatis dulcedine, nec spiritus sancti pinguedine vegetantur: nec se „iudicant, nec sacramenta diiudicant: sed sicut cibis communibus irreuerentes sa„cris vtuntur muneribus, & dominicæ mensæ in veste lutulenta se ingerunt impu„denter, quibus melius erat mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illo„ta conscientia de manu Domini buccellam accipere. Tu si templum spiritus san„cti intra te sacrarium Dei deturbas & fœdas, si cum calice Christi de calice „Dęmoniorum communicas, contumelia est, non religio, iniuria, non deuotio. Ido„lorum seruitus, & horrenda abominatio, velle simul Baal famulari, & Christo. „Abi retrò cum sacellis tuis, qui lucris inhias, & mercedes sectaris: qui opu„lentus in Sion quotidiè crapularis: qui in lectis eburneis recubas, & in stratis „segmentatis lasciuis: qui vestiris mollibus, & in terra suauiter viuentium versaris: „cuius manus plenæ sunt sanguine, cuius lumbi discincti sunt, & sine baltei discur„ris ligamine. Non est tibi pars in sermone isto: quia quod Dei est, aufers Deo, & „imaginem Dei consecras idolo. Pauperes quidem spiritu ad hoc mysterium eli„git, & diligit spiritus sanctus, & eorum qui pompaticè & gloriosè sacris se alta„ribus ingerunt, obsequia detestatur. Quocirca Eucharistia non tantùm medetur vitiis & peccatis ex vi interna, seu opere operato, vt loquimur, sed ab ipsis animum atque omnia corporis membra cohibet & deterret, ex consideratione dignitatis eius & excellentiæ, atque vltionis diuinæ, quæ nobis imminet, nisi animum & corpus digna Christo habitacula apparauerimus, aut si post Chri„stum hospitem illa vitiis & flagitiis prostituerimus. Plerumque versatur in illa „admonitione Chrysostomus. Hei mihi (inquit) quot ad salutem nobis viæ! *Chrys. ho. 61. ad pop. Antioc.* „Nos corpus suum effecit, nobis suum communicauit, & horum nos nihil à ma„lis auertit. O tenebras & profunditatem magnam! ô indolentiam! Quæ sursum sunt „(inquit) sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Et post hæc omnia quidam *Eucharistia sumptio deterret omnia mẽbra à peccatis.* „pecuniarum curam gerunt, quidam gloria ambiunt: ab aliis alij capiuntur cupi„ditatibus. Attendamus nobismetipsis dilectissimi, & cùm aliquid turpe dicere vo„luerimus, aut nos ab ira abripi viderimus, vel aliquopiam eiusmodi vitio, cogite„mus quibus facti digni, & sit irrationabilium motuum correctio talis cogitatio.

Et lupi sumus agnum comedentes. Tanquam oues pasti, more leonum diripimus.
Chrys. hom. 60 ad pop. Antioch. Hoc mysterium non rapina tantùm, verùm & ab omni vel tenui inimicitia atque auaritia purum esse iubet. Est enim pacis mysteriũ: hoc pecunias acquirere nõ permittit. Si enim ipse sibi propter nos non pepercit, quid meremur pecuniis parcentes, & animam negligendo, pro qua ipse sibi non pepercit? Nullus itaque Iudas accedat. Nullus Simon hanc mensam petat. Consideres, cùm mensam tibi sensibilem appones, Cœnam Dominicam. Animum dirige ad discipulorum vigilias in illa sancta nocte. *Chrys. hom. 24 1. ad Corinth.* Audisti sacros hymnos, vidisti nuptias spiritales, regia in mensa discubuisti, impletus es spiritu sancto, simul cum Cherubim in choreis fuisti, socius factus es supernis potestatibus. Noli tãtam lætitiam abiicere, noli thesaurum effundere, noli te ebrietati dedere, &c. Cogita quid manu capias, nec vnquam vllum verberare audeas. *Chrys. hom. 2. & 11. ad pop. Antioch.* Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni auaritia & rapina liberam conserua. Reputa quòd non tantùm manu capias, verùm & ori admoueas, & linguam custodi à cõtumeliis, mundam à turpibus verbis, blasphemia, periurio, atque aliis omnibus huiusmodi. Rursum animaduertens, quòd post manum & linguam cor suscipit horrendum illud mysterium, ne vnquam in proximum sumas dolũ, sed mẽtem tuam ab omni malitia mundam conserua: sic oculos, sic aures munire poteris. *Chrys. De non contemnenda Ecclesia, & Ecclesia mysteriis.* Quomodo enim non est absurdum, post mysticam illam vocem è cœlis delatam, à Cherubim dico, meretriciis cantibus, & fractis melodiis aures inquinare? quomodo nõ extrema pœna dignũ est, oculis, quibus arcana vides, & horrenda mysteria, his meretrices spectare, ea mente adulterium exercere? Mensa spirirali frueris, mẽsa regia, & rursus luto te inquinas? Corpus vnguento vngis, & rursus fœtore reples. Denique sicut Eucharistiæ perceptio corporalis sine spiritali perdit potiusquàm commodat, ita spiritalis participatio sine corporali, aliquando ad salutem non sufficit, quod in hac Repetitione differuimus: quin etiam Eucharistiæ omissio aliquando mortem parit. Ad id probandum iam ex Palladio de muliere energumena historiã protulimus: & ex eodem alia confirmat de Ammona presbytero, qui offerens Deo sacrificium, vidit Angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiã, & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non affuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. Inter vtramque *Bernard. epist. 90.* verò manducationem quanta sit distantia, Bernardus ipse claris & paucis verbis ostendit. Cupio (ait) eum qui dilexit me, & tradidit semetipsũm pro me, quibuscũque brachiis vicariæ dilectionis amplecti: sed oportet me & Agnum manducare Paschalem. Nisi enim manducauero carnem eius, & bibero eius sanguinem, non habebo vitã in memetipso. Aliud est sequi Iesum, aliud tenere, aliud & manducare. Sequi salubre consilium, tenere & amplecti solemne gaudium, manducare vita beata. Caro enim eius verè est cibus, & sanguis eius verè est potus. Panis est Dei, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Quis status gaudio siue consilio absque vita? Nempè haud aliud quàm picturæ absque solido. Ergo nec humilitatis exempla, nec charitatis insignia, præter redẽptionis sacramentũ sunt aliquid. Sciendum vero est solam spiritalem manducationem carnis Christi duplicem inueniri. Vnam seorsum à sacramento, quando in se ac per se considerata caro Christi fide apprehenditur, & Christo inserimur, de quo modo Christus agit apud Ioãnem, ab eoque inchoari disputationem de esu carnis suæ. Alteram quando in eandem carnem fide ac feruore ferimur non per se & absolutè sed vt subiacet sacramẽto, atque ita Augustinus accipit, quando scribit spiritaliter edere Christum qui innocentiam ad altare apportarit: & patres nonnulli ac Tridentinum concilium definiunt id esse spiritaliter non solam Christi carnem edere, sed sacramentum, seu car- *Trident. Con. sess. de Euch. cap. 8.*

nem

nem in ſacramento. Poſterior ſpiritalis manducatio prior perfectior eſt quia ex maiori conſideratione & apprehenſione bonitatis ac charitatis diuinæ erga nos procedit quæ mouet animum ad ardenrius amandum Chriſtum, ipſique præſenti in ſacramento, fide atque omni affectu inhęrendum. Supra vtráſque verò perceptio realis ſacramenti cum ſpiritali perfectionem nanciſcitur tum ex opere operato propter rem contentam & inſtitutionem: tum quia ex nobiliori & præſtantiori animi actione proficiſcitur vtpotè ex maiori dilectione in Chriſtum quem præſentem purè conatur amplecti, eidémque reipſa vniri, tum ex vehementiori deuotione in ipſum ſacramentum. Idcirco primi Chriſtiani quotidiè erant perſeuerantes in oratione & fractione panis ac ſicuti refrixit charitas & abundauit iniquitas, paulatim in deſuetudinem abiit quotidiana ſacramenti participatio.

REPETITIO SEPTIMA DE TRANSSVBSTANTIALITATE PANIS IN CORPVS ET VINI IN SANGVINEM.

DE TRANSSVBSTANTIATIONIS APPELLATIONE, & quo tempore credi cœpit à Chriſtianis, ac doceri.

CAPVT I.

QVOS RES IPSA offendit, languent & nauſeant circa pugnas verborum, & vt veritati tenebras offundant, de appellationibus litigant, & importunus rixatur. Hoc iam expertus Apoſtolus, futurum familiare hæreticis admonet, & Eccleſia per experientiam quoque verum eſſe per omnes ætates comperit. De Tranſſubſtantiationis voce omnes aduerſarij quiritantur, eámque deteſtantur, tanquam exoticam, barbaram & prodigioſam atque imperitorum hominum arbitrio confictam, quę nouum ac nuperum dogma de panis tranſitione in carnem Domini, à quadringentis annis poſt D. Bernardum, vt Caluinus putat, inuexerit. Nos autem tuemur nihil innouatum ab Eccleſia hac in re, quod primis Chriſtianorum ſeculis non fuerit ſecundum ſcripturas creditum, neque actum, quod antea iure, ac ductu Spiritus ſancti non aſſueuerit agi, quoties gliſcerent aut obſtreperent periculoſę contentiones. Quin verò benè ac ſapiẽter actum ſit, ne quidem Caluinus poteſt inficiari, qui ſe ait expertum, & quidem ſępiùs, quòd quicunque de verbis pertinaciùs contra Eccleſiam litigant, foueant occultum virus, vt magis expediat eos vltrò prouocare, quàm in eorum gratiam obſcuriùs loqui, Ex quo iudicet ipſe atque alij

1. ad Timot. 6.

Quæ de cauſa oderunt Trãſſubſt. vocem.

Calu. lib. 4. inſtit. cap. 17.

Lib. 1. Inſtit. cap. 13. num. 5.

Transsubstantiationis hostes, quid opinionis & existimationis de ipsis concipere debeamus, & an sit ęquum ad eorum clamores, Transsubstantiationis nomen abolere. Sed vt ex antiquitate repetantur, & oculis subiiciantur quæcunque possunt contra concilium Lateranense, & Transsubstantiationis nomenclaturam ab ipso proditam, ac noua vocabula per Ecclesiam introducta, dici, & quicquid vicissim à nobis responderi, breue inter Athanasium & Arrium audiatur colloquium coram Probo iudice ethnico habitum. Lecto Nicenæ synodi symbolo Arrius subiecit, Peruides, virorum optime Probe, istius decreta concilij in suggillationem Apostolicæ fidei, ausu temerariæ assumptionis fuisse conscripta. Quid enim opus erat nouum hoc Homousion vocabulum antiquis dogmatum regulis inseri? An non enim Apostoli, vel eorum discipuli, atque omnes per ordinem successores, qui vsque ad illud tempus viuentes in Christi confessione, Homousion vocabulum ignorabant? Vt quid hoc Apostolicæ fidei superadiicitur verbum, cuius nec Prophetæ quidem, nec Apostoli vspiam faciunt mentionem? Quod illud, quæso, nomen est, sine quo fides integra esse non possit? Vnum enim è duobus in hac causa sequi necesse est. Si vera est Homousij assertio, falsa erit Apostolorum prędicatio, quæ sine hoc nomine longa per tempora floruerat. Si verò Apostolica fides huius nominis expers, vera est, sicuti & est, hæc sine dubio falsa erit, quæ antiquæ fidei nominis nouitatem adiecit. Reuolue cuncta noui Testamenti volumina, vtrum alicubi Homousion inditũ paginis poteris reperire. His Athanasius primùm ita satisfacit: An nominis tantùm offenderis nouitate, an etiam ipsius rei virtutem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Quoniam res antiqua nouum nomen accepit, non vocabulo nouo nouę rei virtus accessit: Hoc vtique requiro, vtrum rę, quę antiqua est, simul à te cũ nominis nouitate dãnetur? Probus verò iudex interfatus est ita: Quæ ratio flagitabat, vt res antiqua nomen acciperet nouũ? Nũquid enim, priusquam huius nominis vocabulũ sortiretur, sine nominis proprietate manebat? Athanasius respondit: Ecclesiasticæ semper moris est disciplinę, si quando hęreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & significantiùs rerum naturas exprimere, quę tamen existentium causarum virtutibus congruant, & quę magis easdem antiquitùs fuisse demõstrent, non ortus nouitatem mensurent. Et vt quod dico, planius fiat, vtor exemplo in ipso Christianæ prędicationis initio. Omnes qui credebant Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed discipuli tantummodò nominabantur. Et quia multi nouorum dogmatum authores extiterant, doctrinę obuiantes Apostolicæ, omnes sectatores suos discipulos nominabant: nec erat vlla nominis discretio inter veros falsósque discipulos, siue qui Christi, siue qui Dositę, siue Theodę, siue Iudę cuiusdam, siue etiam Ioannis sectatores, sed omnes vno discipulorum nomine censebantur. Tunc Apostoli conuenientes Antiochiam, sicut eorum testantur Acta, omnes discipulos nouo nomine, id est, Christianos appellarunt, discernentes à communi falsorum discipulorum vocabulo. Hanc ergo ab Apostolis traditam nouis vtendi nominibus formam Ecclesia tenens, contra diuersos hęreticos, vt sanę fidei ratio postulabat, diuersas edidit nominum nouitates. Denique nouum Innascibilitatis nomẽ patri Ecclesia imposuit. Cùm enim Sabelliana hęresis genitum ex virgine patrem voluisset asserere, ingenitum contra hanc confitendo Ecclesia tradidit patrem. Vtique in diuinis scripturis ingenitum nusquã legimus patrem. Potest ergo Sabellius suam audaciam in huius calumnię obuertere quęstionem, & simili, vt tu, propositionis genere vti, quo dicat, Cur diuinis scripturis sine vllo prospectu pudoris violentiam facitis, profitendo innascibilem patrem, quod scriptum ostendere valetis?

Rationes hæreticorum contra noua vocabula Ecclesiæ. Athanas. in disputat. cũ Arrio. ta lẽ ferè Nanzian. lib. De fide.

Quibus rationibus moti sint Christiani ad noua vocabula introducenda.

Acto. 2.

„ valetis? Rursus vos ipsi, qui Sirmio conuenistis, hanc religiosæ confessionis fidem „ de filio statuistis, Deum eum dicentes ex Deo, lumen de lumine. Ostendite mihi „ vtrum in authentico symbolo, quod Apostoli tradiderunt, hoc scriptum legeritis. „ Sed contentus sum, cùm ibi scriptum non fuerit, saltem mihi de Prophetis legatur, „ de Apostolorum literis ostendatur, quis has vocum tulerit nouitates. Item, similem „ patri filium, multis & creberrimis conciliorum vestrorum decretis statuistis. Exur- „ gat nunc Eunomius, qui dissimilem confitetur, & dicat, Vbi hoc legistis, vbi hoc „ reperistis? Vtrúmne pater aut filius hac de se vsus est voce? Ergo tu Arri, qui me „ hodie tali constringis articulo, vt Homousion propriè positum in scripturis o- „ stendam, aut facere contra insolentes & furtiuas hæreticæ intelligentiæ prauita- „ tes quædam confessionis nomina non temerè præsumpra, sed ex consequenti ra- „ tione collecta, fidei authoritatibus fuisse inserta, ita vt tot nouorum verborum re- „ ligioso intellectui extiterint absolutiones, quot fuerint quæsitæ vel subministratæ „ perfidiæ occasiones, &c.

An aliæ nobis intenduntur lites & querimoniæ de re ac nomine Transsubstantialitatis, quàm quæ hîc leguntur ab omnibus hæreticis, aduersus Ecclesiam Catholicam intendi? Accusantur Lateranenses Patres, quasi fidei articulum fabricarint, aut vocem effinxerint, neque in Propheticis neque in Apostolicis literis, neque in symbolis expressam aut traditam. Ab ipsis nihil commissum ante omnia dicimus, quod non commiserint, & facilè sibi permiserint aduersarij. Quæ enim extat sectarum confessio, in qua non inserantur nonnulla dogmata, nusquam ad verbum in scripturis collocata, & vocabula nusquam in ipsis comperta? Principiò Lutherani articulum de Eucharistia in Augustana confessione ita conceperunt: Quòd corpus & sanguis Domini verè adsint, & distribuantur vescentibus: & improbant secus docentes. Animaduersis Cinglianorum subtilitatibus & cautelis, qui se simularent non admodum refragari huic articulo, tanquam suæ opinioni minimè contrario, in Apologia, ad horum technas & effugia præcludenda, articulum in hæc verba conscripse- „ runt: Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur, quòd in Cœna „ Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhi- „ beantur, cum illis rebus quæ videntur, pane & vino, his qui sacramentum „ accipiunt. Quemadmodum igitur ad detegendas & cauendas Cinglianorum astutias, aduerbium Substantialiter, neque de re Eucharistica à scripturis prolatum, neque in ipsis vllo loco positum, excogitarunt, & tanquam sacrum ac veræ fidei symbolum, valere atque in authoritate esse voluerunt: quid peccauit Ecclesia, si Transsubstantiationis dictionem, ad declarationem veritatis, & hæreticorum expressiorem condamnationem atque confutationem, in vsum Christianorum deduxit? Post Berengarium erant, qui clàm eius opinionem fouebanr. Erant alij, qui sibi videbantur acutiores ac meliores, cùm Berengarij auersarentur hæresim, nihilominus rixas serebant de modo, quo caro Domini consisteret in Eucharistia: & iam liberiùs ac longiùs extra limites à Patribus fixos efferebantur: ita vt nonnulli defenderent panem in nihilum redigi, alij cum carne commisceri, alij cum eadem copulari & coniungi: alij etiam audebant panis conuersionem in carnem Domini improbare & refellere. Qui fidei Catholicæ partes tenebant, ferre non poterant has nouitates, neque solùm in Berengarium sed etiam in alios acriùs & asperiùs inuehebantur. Visum est Ecclesiæ quæstiones has compescere, quibus paulatim fides antiqua conuelleretur, & Berenga-

Iustæ rationes innouandi vocabulum Trãssubst.

rianis obloquendi ansa & occasio præberetur. Ita rem habere facilè colligitur ex Innocentio tertio, Lateranensis synodi capite ac præsule, & ex libris eorum qui contra Berengarium scripserunt. Nihil itaque noui designauit, aut aggressa est synodus illa, sed veterum conciliorum exemplum, ac veteris Ecclesiæ morem est secuta. Transsubstantiationis verò dictionem non temerè vsurpauit, sed imitata est Nicenos Patres, quos non puduit consubstantialitatem filij cum patre, & consubstantialem ipsum cum patre pronuntiare: quæ certè voces tam parum inueniuntur in scripturis, quàm ipsa Transsubstantiatio. Quemadmodum à nobis, à Nicenis exigebatur, vt huiusmodi vocabula promerent ex scripturis. Quatuor in summa ab illis responsa video, quæ Athanasius libro De synodis Arimini & Seleuciæ latè persequitur: Licere Ecclesiæ per emergentes occasiones noua nomina cudere, nec quicquam hac in re sibi Ecclesiam permittere, quod non liberiùs audeant eius aduersarij: similia consubstantialitati in scripturis legi, ex quorum imitatione fas sit istud producere, tanquam in scripturis contentum, tum quia fuerit à suis antecessoribus vsurpatum, vt ab Origene, & aliis quos allegat.

Lib. De Dionys. Corinthio, & de synodis Arimini & Seleuciæ.
Lib. 1. in Arrium.
Matth. 6.
Ioan. 6.
Ad Tit. 2.

Pro tertia ratione, post Athanasium Marius Victorinus Afer, Arrianos in hunc modum repellit. Nomen Substantiæ fortè non est positum in sacris scripturis, sed sunt denominata à substantia. Vnde enim deductum ἐπιούσιον, quàm à substantia? Da nobis panem ἐπιούσιον. Quoniam Iesus vita est, & corpus ipsius vita est: corpus autem panis, sicut dictum est, Dabo vobis panem de cœlo. Significat ergo ἐπιούσιον, ex ipsa, aut in ipsa substantia, hoc est, vitæ panem. Sic rursus Paulus ad Titum epistola, populum περιούσιον, circa substantiam, hoc est, circa vitam consistentem populum, vocat. Non hîc disputo, quàm benè Victorinus hos scripturæ locos interpretetur: tantùm insisto ab eo Homousion defendi, quia quamuis non extet in scripturis, in ipsis tamen similia contineantur. Quid vetat pari ratione, quominus transsubstantialem panem, siue μετούσιον, dicamus non esse alienum à scripturis, quoniam illa alia eiusdem compositionis & declinationis in ipsis legantur? Nam Latini consubstantialem purioribus Ecclesiæ seculis dixerunt: & quotquot magni viri prima illa ætate in orationem Dominicam conscripserunt, panem ἐπιούσιον verterunt in supersubstantialem, quorum nomina edentur libro secundo, capite primo. Quapropter Lateranensis synodus tot iustas causas habuit inducendi Transsubstantiationis vocem, quam ad imitationem scripturæ tam venustè conflauit, quàm alij consubstantialitatem. Etsi authores non habeamus in promptu, qui ante Lateranenses ea fuerint vsi, non defuerunt tamen fortasse ipsis, quorum æmularentur diligentiam: vt non deest

Cyprian. De Cœna.
Tertul. De carne Christi, & de resurrect. carnis. Alij apud Theodoretum dialog. 1. Eustachius.

Cyprianus, qui à consubstantialitate non abhorret, cui Transsubstantialitas congruit. Neque desunt Tertullianus, Eustachius Antiochenus, Ambrosius, Emissenus, atque alij, qui substantiam transfigurari, transmutari, transformari in argumento Eucharistiæ, aut incarnationis filij Dei, sine difficultate pronuntiant: quod vno Transsubstantiationis nomine pleniùs & luculentiùs exprimere Lateranenses studuerunt. Græci Latinis præluxerunt, ac viam præmonstrarunt ad innouanda vocabula, quibus naturam ac substantiam panis conuerti in carnem Domini manifestiùs declarant. Theophilactus μεταστοιχειοῦσθαι, id est, transelementari, non dubitauit de pane dicere, cui transsubstantiari proximè accedit. Porrò quid esset ipsa Transsubstantiatio, ante Lateranenses iam

Quid sit Trāsſ-

Christiani definierant. Apud Theodoretum agitatur quæstio, an in Christo

sto diuina natura transierit in humanam, an contrà. De generibus mutationum tra- *subſtant. & quam olim definitum sit de ipsa.*
ctatur, & orthodoxus hæreticum rogat, quodnam genus mutationis suspicetur
accidisse in duarum naturarum coadunatione in Christo: an quòd vna ex ambabus
facta sit, an quòd vna deleta, altera remanserit: an quòd vna alteri cohæserit, an *Theodoret. dia. 2. Polym.*
quòd vtraque qualitates proprias vicissim permutarit? Hæreticus respondet: Non
dicimus esse deletam naturam, quæ assumpta est, sed tantùm mutatam in sub-
stantiam diuinitatis: dicimus mansisse diuinitatem, humanitatem ab ipsa ab-
sorptam esse ac deuoratam. Postea similitudinem & probationem talis conuer-
sionis ex Eucharistia sumit, tanquam ex re Christianis nota & vulgari. Theo-
doretus quidem præfatus initio Dialogi, pro ratione cuiúsque hæresis tempe-
randum esse stilum, & adhibendum medicamentum, quod vnicuíque aptum
& conducibile videatur, deridet meritò humanitatis à diuinitate, quasi cyclo-
picam deuorationem: non tamen audet negare communem atque popularem
fuisse fidem, & doctrinam de panis conuersione in carnem Domini, aut vt no-
uam & falsam siue hæreticam accusare & reiicere: sed vt argumentum similitudi-
nis, cui hæreticus fidebat, perimeret, subtiliùs conatur aliud genus mutationis
substituere, quod fiat per accessionem carnis ad panem, salua huius substantia:
& de hac interpretatione, tanquam noua ac paucis cognita gloriatur: ita vt in-
dè facilè deprehendatur, illam aliam ab hæretico allatam panis mutationem,
fuisse communiter ab Ecclesia creditam. Transsubstantiari igitur panis, aut a- *August. epist. 44. quæst. 1.*
liud dicitur, non cùm ab alia re assumitur, sed cùm absumitur, non cùm pe-
rit, sed cùm in aliud transit, vt cùm vapores in radios solis aut ardorem, & ci-
bus in nostram carnem. Interest tamen, quòd in sole virtus est in mutatione
vaporum absumens: sed in conuersione ciborum virtus est varians & immutans
potius quàm absorbens. Ideò Transsubstantialitas panis similior est vaporum,
quàm ciborum transitui & immutationi. Ac sicut generatio naturalis, propter-
ea quòd illic forma permutetur, transformatio rectè dicitur: ita quando to-
ta substantia transit in aliam, significanter Transsubstantiatio nominatur.
Ex illa verò apud Theodoretum concertatione satis perspicitur, non nouum
dogma Lateranenses confinxisse, & in Ecclesiam recentiùs intrusisse, cùm fa-
teatur ex aduerso nouum dogma ac nouam esse intelligentiam mutationis quæ
fit in pane, eam quam ipse affert de accessione carnis ad panem, & addi-
tione. Ex his etiam, quæ de Ireneo & aliis primis scriptoribus profere-
mus, tantum inualuisse de Transsubstantialitate fidem in Ecclesia planum fiet, *semper fuit credita Transsub. in tota Ecclesia.*
vt ex ipsa, tanquam ex inuicto principio, Patres hæreses confutarint, & præ-
cipuos fidei articulos confirmarint: sicut Christum esse filium Dei omnipo-
tentis, & omnium conditoris, qui creaturas ad nutum verset, & quò ve-
lit agat: vt ipsam quoque in argumentum diuinæ omnipotentiæ & verbo-
rum cœlestium ostentarint: vt eandem cum prima rerum creatione, & ad-
mirandis operibus, quæ Deus per substantiarum alternationem fecit, contu-
lerint: vt ipsam denique tam fide sint amplexi, quàm alia quæcunque eximia re-
ligionis Christianæ capita. Illam verò se omnes didicisse, & accepisse profitentur
ex his verbis Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Qua de cau-
sa quotquot ante Lateranensem synodum libros de Eucharistia ediderunt con-
tra hæreticos, Transsubstantialitatem, vt rem ab omnibus atque omnibus seculis
creditam & receptam commendant. Inter hos Lanfrancus author non pœnitendus,
eo telo tanquam acutissimo Berengarium ferit. Reliquum est, ait, vt fidem sanctæ
Ecclesiæ, atque opinionem tuæ sectæ compendiosè exponamus. Credimus igitur

terrenas ſubſtantias, quę in menſa Dominica per ſacerdotale miniſterium diuinitùs ſanctificantur, ineffabiliter, incomprehenſibiliter, mirabiliter operante ſuperna potentia, conuerti in eſſentiam dominici corporis, reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus, & quibuſdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta horrerent, & vt credentes fidei præmia ampliora perciperent. Hanc fidem tenuit à priſcis temporibus, & nunc tenet Eccleſia, quæ per totum diffuſa orbem, Catholica nominatur. Poſt ſeculum Berengarij, reuocarunt eius hæreſim Valeranus, Petrus de Bruis, & Henricus, in quos calamum ſtrinxit Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacenſis, D. Bernardo viuo, ac de Tranſſubſtantialitate cum illis dimicat, ipſamque controuerſiam ſic proponit. Sed fortè impoſſibile putatur, vt vel panis in carnem, vel vinum commutetur in ſanguinem. Quinetiam Petrus Lombardus agnoſcit Patrum eadē re concordiam, & enatam poſtea occaſione Berengarianorum inter quoſdam diſcordiam. Alij, inquit, putauerunt ibi ſubſtantiam panis & vini remanere, & ibidem corpus Christi eſſe & ſanguinem, & hac ratione dici illam ſubſtātiam fieri iſtam, quia vbi eſt hæc, ibi eſt & illa. Sed quòd non ſit ibi ſubſtantia niſi corpus Chriſti & ſanguis, ex prædictis ſcilicet Patrum dictis apertè oſtenditur. Hîc conſpicitur Lombardus ex Patrum ſententia damnare Lutheranos, & conſubſtantiationem panis & corporis, quaſi copulationem duarum ſubſtantiarum componentes. Ex quo falſi crimen incurrit Martinus Cemnicius, cùm ne quidem à Lombardo creditam, aut tanquam certam traditam Tranſſubſtantiationem non veretur docere. Quòd ſi copioſiùs Lombardi mentem deſiderarit pernoſcere, legat ipſius Commentarios ad caput vndecimum primæ ad Corinthios. Eodem crimine tenetur Caluinus, qui Bernardi ætate ne quidem Tranſſubſtantiationem agnitam audet affirmare, cùm totus in eo ſit Bernardus, ſermone in Cœna Domini, quem Baſileæ prelo commiſerunt aduerſarij, vt admiretur Chriſti potentiam & bonitatem ex immutatione creaturarum in carnem ſuam & ſanguinem, ad enutriendos nos. & inter alia ſic loquitur. Aliud latet, aliud patet. Quemadmodum illic ſpecies videntur, quorum res vel ſubſtantiæ ibi eſſe non creduntur, ſic res veraciter & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies non cernitur. Videtur enim ſpecies panis & vini, & ſubſtantia panis & vini non creditur. Creditur autem ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, & tamen ſpecies non cernitur. Quamobrem extitit ante Lateranenſes, imò ab initio, conſtans doctrina in Eccleſia, de ſubſtantiali conuerſione panis in corpus Chriſti: ſed nondum fortaſſe extiterat definita & lata ſententia plenarij concilij, qualis poſtea edita eſt in celeberrima illa mille ducentorum & quindecim Patrum, in æde ſacra Lateranenſi D. Ioannis, Romæ habita ſynodo. Ex aduerſariis ſunt, qui laudant huius ſynodi modeſtiam, quaſi fuerit contenta ſuam fidem exprimere, ac minimè auſa anathema aliorum contrariis opinionibus dicere. Alij expoſtulant cum illa, quia ſibi arrogarit definire, quod antecedentes tot ſynodi indeciſum, tanquam indifferens, reliquiſſent. Falluntur proculdubiò, qui negant à Lateranenſibus procelli anathemate Tranſſubſtantiationis hoſtes, aut incredulos: nam ſynodus exorditur à tali procemio, firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, &c. Inter ea verò, quę firmiter credi oporteat, & ſimpliciter confiteri, ſubiicit ſecundo loco hoc decretum: Vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſaluatur. In qua idem ipſe ſacerdos, & ſacrificium, Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris, ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, Tranſſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſanguinem, poteſtate diuina, vt ad perficiendum myſterium vnitatis

Lib. 4. Senten. distinct. 2.

In Exam. Tridentin. ſynodi part. 2.

Lib. 4. Inſtit. cap. 17.

Lateranenſe concilium anathemate ferit, & pro hæreticis habet omnes non credētes Tranſſubſt.

tis

„tis accipiamus ipsi de suo,quod accepit ipse de nostro. Tertio postea decreto con-„cluditur: Excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollentem „se aduersus hãc sanctam orthodoxam Catholicam fidem, quam suprà exposuimus. Porrò falsum est, ante Lateranenses non fuisse pronuntiatum ab Ecclesia,&definitũ quicquam de Transsubstantiatione. De ea enim Berengarius primam mouerat quæstionem,vt assentiuntur Magdeburgenses,& constat ex posita à Berengario de „Eucharistia assertione,quæ apud Lanfrancum sic habet. Sacrificium Ecclesiæ duo-„bus constat,duobus confit,visibili scilicet & inuisibili,sacramento, & re sacramẽ-„ti:quæ tamen res,id est,corpus Christi,si esset præ oculis, visibilis esset: sed eleuata „in cœlum,sedẽs ad dextram patris, vsque ad tempora restitutionis omnium, quod „scribit Apostolus Petrus,cœlo deuocari non poterit,si quidem Christi persona cõ-„stat Deo & homine: sacramentum verò Dominicæ mensæ, pane & vino constat: „quæ consecrata non mutantur,sed in suis substantiis permanent, similitudinem ha-„bentia cum rebus,quarum sacramentum existunt. Dubitandum non est, quin hæc doctrina,quinque synodis contra Berengarium conuocatis, discussa & damnata fuerit. Romanam primam coẽgit Leo nonus. Vercellẽsis sub eodem Leone duos Berengarij legatos audiuit, & de hæresi authorem conuicit. Tertia Turonensis in Gallia conuenit sub Victore secundo,& in ea Berengarius hæresim eiurauit. Quarta Romæ à Nicolao secundo habita fuit, & ex formula sibi tradita, quæ nunc extat, Berengarius iterum hæresi renuntiauit. Cùm tamen, quoties sperabat fore clàm, ad ingenium rediret, & contrà palinodiam inter erroris conscios & participes mussitaret, postremò Romam vocatus à Gregorio septimo, perstitisse putatur in renuntiatione & resipiscentia,quam in mortis articulo,cùm animam ageret in fe-„sto Epiphaniorum,ita testatum ferunt: Hodie in die apparitionis suę apparebit mi-„hi Dominus meus Iesus Christus,propter pœnitentiam,vt spero, ad gloriam, vel „propter alios quos corrupi,vt timeo,ad pœnam.

Centur. 10.

Habita synodi pro Transsubst. cõtra Bereng.

Anno 1050.

Guliel. Malmesb. lib. 3. De gestis Anglorum.

Positæ à Berengario assertioni, Lanfrancus, sicut à Vadiano putatur (sed veriùs à Berengario apud Lanfrancum prædicatur Humbertus à Lotharingia, Cardinalis, „vir apprimè doctus) contrariam in hæc verba redegit: Ego Berengarius indignus „diaconus Ecclesiæ Andegauensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem, ana-„thematizo omnem hæresim, præcipuè eam,de qua hactenus infamatus sum, quæ „astruere conatur,panem & vinum quæ in altari ponuntur,post consecrationem so-„lummodò sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu „Christi esse,nec posse sensualiter,nisi in sòlo sacramento,manibus sacerdotum tra-„ctari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem Romanæ & A-„postolicæ sedi, & ore & corde profiteor, de sacramentis dominicæ passionis „eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta „synodus, authoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihíque fir-„mauit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecratio-„nem, non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domi-„ni nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm in sacramento, sed in veri-„tate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Concepta est vtique ista confessio, quæ data opera pugnaret cum toto Berengarij dogmate ex diametro, quò certiùs recantasse videri posset. At Berengarius duo negabat. Vnum erat, in re & veritate fieri corporalem & substantialem præsentiam ac manducationem corporis & sanguinis Domini: Alterum erat, panem & vinum mutari. Hæc retractatio vtrumque vna nouacula resecat, & in re ac veritate nullam substantiam, etiam sensibus obiectam, censet ibi contineri, quàm

Vadian. lib. 1. Aphorism.

corporis & ſanguinis Domini, quamuis ſacramento ac panis ſigno ſiue tegmento
Lib.1. Aphoriſm. opertam. Propter huiuſmodi formulam, Ioachimus Vadianus inſectatur Gallos,
quaſi ab ipſis Tranſſubſtantiatio emanarit, ſed Italis præeuntibus & impulſoribus.
Propter eandem Ioachimus Vveſtphalus in altera defenſione cõtra Ioannem Alaſco, probat Vercellenſem & Turonicam ſynodos, quatenus Sacramentariis aduerſantur, non autem quatenus Lutheranis: quoniam, inquit, illos damnarunt ex verbo Dei, noſtros verò minimè. *Centur. 10.* Neque certè Magdeburgenſes hiſtoriographi inficias eunt ab his ſynodis Tranſſubſtantiationis fundamenta iaci. Quoniam tamen non nominatim formula panis ſubſtantiam tolleret, Berengarius obſtrepebat, & ſibi gratulabatur, panem eſſe ſuperſtitem, ac dictitabat: *Berengarij cauillatio extat apud Lanfrancum.* Profiteor panem & vinum, „ quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentum, ſed etiam „ verum Chriſti corpus & ſanguinem eſſe. Sicut autem qui dicit Chriſtum eſſe ſum- „ mum lapidem angularem, non aufert Chriſtum, ſed omninò conſtituit, ita qui di- „ cit panem altaris eſſe verum corpus Chriſti, panem in altari eſſe non negat, ſed con- „ firmat. Cuius ſententiam confutat Lanfrancus ita, vt facilè appareat, quæ omnium „ illarum ſynodorum fuerit de Tranſſubſtantiatione mens & intentio. Quin etiam in quinta Repetitione capite de Antropophagia citauimus expreſſè cautum de tranſſubſtantiatione in confeſſione Berengarij. Attamen cùm Berengarij ſuffragatores clàm fouerent, aut etiam paulatim propagarent iſtud effugium, & Valeranus ei ſucceſſiſſet, qui panem aſſereret cum corpore cohærere, *Anno 1100. Thomas Vualdenſ. tom. 2. ca. 65. & 66.* iuſta ratione Lateranenſes, ne tergiuerſationi vllus relinqueretur locus, coacti fuerũt rem dilucidiùs & expreſſiùs definire, non tanquam nouam, ſed de qua amplius nefas eſſet dubitare: idéque poſteriores ſynodi plenariæ, Viennenſis, Lugdunenſis, Conſtantienſis, ac Tridentina decreuerunt. *Cap. cũ Martha de celebrat. Miſſ. & Clement. vnic. De reliquiis & ven. ſanctor.* Apparet autem & hanc cauſam in primis illis generalibus cõciliis agitatam fuiſſe, vt Melanchtho rectè coniicit. *Epiſt. ad Miconium.* Nam ex Niceno & Epheſino fragmenta non pœnitenda libro ſecundo citabuntur, & ex Patribus cognoſcitur, ſiue ex virtute requiſita ad Euchariſtiam de pane cõficiendam, ſiue ex panis & corporis duabus naturis integris, aut ex vnius in alteram tranſlatione, ſiue ex noſtra in Chriſtum per Euchariſtiæ ſuſceptionem mutatione & coniunctione, vehementes habitas fuiſſe diſputationes inter Catholicos & hæreticos, vt in illis, ſic in Chalcedonenſi ſynodo damnatos. *A quatuor primis conciliis diſputatũ fuit de Trãſſubſtãt. & definitum.* Horum ſi extarent acta, ac monimenta omnia, omni labore fortaſſe leuaremur: ſed quoniam ita Deo viſum eſt, vt in ſudore vultus veſcamur pane noſtro, commendemus illi animas noſtras, ſtudia & operas, ne ſinat nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed efficiat cum tentatione prouentum. *Græci credunt Tranſſub. nobiſcum.* Porrò ſicut occludunt oculos, ne illuceſcat veritas, ita caligant in ſole aduerſarij, vt negent vnquam à Græcis creditam aut receptam fuiſſe Tranſſubſtantiationem, ac ne quidem paſſos illos fuiſſe, vt in concilio Florentino bullæ Eugenij inſereretur, quæ ſanxit articulos, de quibus inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam conueniret. Contrà verò tam aperta iudicatur à doctiſſimis quibuſque Germanis, *Andreas Fricius & Martinus Cemnic.* Græcorum de Tranſſubſtantiatione confeſſio, vt verba de ipſorum canone, quibus panis conſecratur, in Apologia Auguſtana perferre non potuerint, ne vnà cogerentur panis conuerſionem admittere: vt etiam Ioachimus Vveſtphalus de ipſa excipiat, *Contra Ioannẽ Alaſco.* ne fidem Græcorum penitùs amplectatur circa cœnam Domini. Proculdubiò, vt ferè innumerabiles prætcream quorum libri extant Beſſario, eiúſque æmulus Marcus Epheſinus, inter Græcos coryphæi, qui ad ſynodum Florentinam conuenerunt, tãquam certiſſimum & confeſſum ponunt, panis in corpus Domini transformationem: nec Beſſario abhorret à Tranſſubſtantialitatis non ſemel repetita appellatione: ſed diſſenſerunt à Latinis, & etiam inter ſe, de verborum formula, qua fieret illa

conuerſio: neque de hoc voluerunt decidi à ſynodo, cùm rogarentur colloqui de diuina panis tranſmutatione, quoniam ſe non veniſſe illius ergò prætexebant, nec ad eam quæſtionem ſine Orientalis Eccleſiæ authoritate ſibi eſſe integrum reſpondere. Eam ob cauſam nec bulla quæſtionem illam comprehẽdit. Non igitur in Florentino cœtu ambigebant Græci de panis immutatione, ſed quibus verbis ea coaleſceret: & id tantùm ab ipſis quærebatur.

In Seſſion.25.

QVINQVE CAVSAE GENERALES, PROPTER QVAS fides & doctrina de Tranſſubſtantialitate retinenda ſit.

CAP. 2.

LATE patet modicum fermentum totam maſſam corrumpere, & eum qui minima negligit, paulatim decidere. Quamuis enim leue videatur vnum iota, vel etiam vnum apicem, de ſacra ſcriptura & veritate deprauare: tamen neſcio quo pacto fit, vt vbi à recto aberraris, imprudens te inuoluas labyrinthis, & minimo admiſſo mendacio, ſcripturarum authoritatem & integritatem poſtea tueri non poſſis, neque aliis errandi, & quiduis comminiſcendi viam obſtruere. Lutherus quidem cùm odio Papæ flagraret, vt incommodaret ipſi, cupiebat ſibi perſuaderi in ſacramento altaris nihil eſſe præter panem & vinum: Verùm cùm videret textum Euangeliſtarum nullo modo conuelli aut ſubuerti poſſe, neque haberet quod reprehenderet magnoperè in doctrina de conuerſione, ſeu tranſſubſtantialitate panis & vini, de qua permitteret vtramque valere opinionem: attamen in deſpectum Papæ, ipſam tandem reiecit & damnauit, ne videretur ſententiam in Papatu receptam amplecti, à cuius conciliis & doctoribus ſcholaſticis (inquit) ſine ſcriptura eſſet introducta. Fatetur quidem ipſe, quòd vltrò ſe facturum obtulerit, vt de Indulgentiis taceret, & doctrinam atque ordinem, ac iuriſdictionem Eccleſiaſticam, nõ modò non oppugnaret, verumetiam pro virili ſua tueretur ac defenderet: ſed cùm non audiretur ab Epiſcopis, nec alia conditione reciperetur, quàm ſi recantaſſet, prouocatum ſe fuiſſe ait, vt progrederetur vlteriùs, comminatúſque ſit ſe dicturum, ſcripturum, ac facturum contra Papatum omnia, atque aſſerturum totam illius doctrinam eſſe corruptam. Itaque Lutherus à Tranſſubſtantialitate, tanquam à re, quam nullius momenti putabat, ex odio & impotenti iracundia contra Papam velitare cœpit, & paulatim tantum diſſenſionum, ſectarum, bellorum, atque calamitatum incendium excitauit. Sed iuſtus Dominus iuſtitias dilexit, & effecit, vt peſſimum Lutheri conſilium in conſultoris caput recideret peſſimum. Quemadmodum enim in inuidiam & contemptum Papæ omnia ſe dixiſſe, ſcripſiſſe, ac feciſſe, non vno loco gloriatur: ſic de Carolſtadio quoque narrat Philippus Melãchtho, quòd odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione, controuerſiam de exiſtentia corporis Dominici in ſacramento mouerit. Accidit igitur Luthero, quod Chriſtus aliquando dixit: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Duo Lutherus recepit, quæ Eccleſiæ Catholicæ, & Papatui prior intulerat, odium, & à ſe defectionem. De Donato ſcribit Auguſtinus, quòd ſicut ille Chriſtum diuidere conatus eſt, ſic ipſe quotidiana conciſione diuideretur. Hîc totidem verbis de Luthero dici poſſunt. Neque illi hoc beneficij repenſum fuit à ſolo Carolſtadio, ſed à Cinglio, Bucero, Oſiandro, Caluino, Ioanne Alaſco, Anabaptiſtis, Trinitariis, ac propriis eiuſdem diſcipulis. Cùm ab illo duriùs increparetur Bucetus, nec eius imperium ferre poſſet, in hæc verba

1. Cor. 5.
Eccleſiaſt. 19.
Prima cauſa eſt, quòd quibus rationibus euerti cœpit Tranſſubſtantiatio, eiſdem ſit progreſſum ad alia legis Euang. euertẽda.
Luther. lib. De captiuit. Babylon.
Lutherus odio Papatus omnia fecit ac ſcripſit, & Traſſubſtãtiationem oppugnauit.
Melanchth. in Carolſtad.
Pœna Lutheri oppugnãtis ex odio Papatum & Tranſſubſt.
Matth. 7.
De Agone Chriſt. cap. 29.
Hîc multa de cenſura catholica doctiſſ. Cardin. Oſij in Trinit.

prorupit: Si exigit Lutherus, ne quis vlla in re à se dissentiat, probet se esse Deum. De eodem verò queruntur Caluinus & Ioannes Alasco, quòd non sustulerit, sed potiùs ad se pertraxerit Papæ tyrannidem, quódque pro ligneo Papæ iugo excusso, ferreum ab illo sit impositum. Tantum odij denique, tantum contradictionis, tantum conuiciorum vnus Lutherus sustinuit, vt prodierit libellus, cuius est inscriptio, Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici. Ioannes Spangenbergius pro Luthero libellum quærimoniatum edere coactus fuit, cui titulum dedit, Verax narratio beneficiorum per Doctorem Martinum Lutherum piæ memoriæ, præsertim Germaniæ diuinitùs præstitorum, & detestandæ ingratitudinis erga eiusmodi ingentia beneficia & munera. In eo libro accusat Vuittembergenses, Saxonicos, Lipsenses, & qui sunt sub Duce Vuittembergensi, quòd audeant in decem, aut vndecim doctrinæ capitibus, à Lutheri doctrina dissentire, quódque eum proscindant tanquam Philautum, hoc est, eiusmodi hominem, qui non nisi de se vno præclarè senserit, cuíque nihil arriserit, præterquàm quod ipse dixisset & fecisset. Appellarunt idem Philonicum, & Eristicum, id est, hominem vsque adeò rixosum, vt semper suam tueatur sententiam, & suam duntaxat aucupetur gloriam, nec quemquam præter se ferre sustineat. Doctorem quoque nuncuparunt hyperbolicum, qui ex culice camelum efficeret, qui duplo plus afferat, quàm ipsa veritas habeat. Nominarunt illum etiam Polypragmonicum, qui se procaciter & petulanter omnibus negotiis immisceret: qui plura sibi expedienda sumeret, quàm ipsius posceret prouincia, rebúsque omnibus, quæ tamen nihil ad eum pertinerent, sese ingereret. Tum quoque quasi ingenij ostentatorem traduxerunt, quòd præter necessitatem non nisi ingenij acumen ostentare voluerit. Sed & tanquam Stoicum dutum subsannarũt, qui non nisi suo vixerit cerebro, atque alios tyrannica continuerit & compresserit seruitute. Denique Somniatorem eum vocarunt, & miserandum in modum diuexarunt. Lutherus horum dolorum quidem initia vidit, & pertulit, atque adeò commotus fuit, vt telam retexuerit, ac Transsubstantialitatem plurimùm commendarit, præ Carolstadij aut Cinglij negatione de præsente & existente corpore Domini in Eucharistia: vt Papæ, ac Papatus doctrinam ac disciplinam prædicarit, ac nouis ex se progenitis Euangelistis longè prætulerit: satísque declararit se nusquam ab Ecclesia & Papatu digressurum fuisse, imò quiduis potiùs subiturum, quàm inchoaret istam tragœdiam, cuius adeò impia, turbulenta, & prostituta coram ipso extarent iam primordia. Quid si nunc viueret, & funestos progressus atque actus tam infœliciter ac temerè cœptæ à se tragœdiæ oculis cerneret? Quid si Lutheranismum tota ferè Germania à Caluinismo, aut æquè pestilentibus sectis pulsum, cogeretur intueri? vt vix Vuittebergæ, & in tota Saxonia, quicquam sit reliquum de genuino spiritu Lutheri præter Lutheri sedem. Si tot sectas dissectas, tot indigna facinora & flagitia toto orbe Christiano per earum ministros designata & commissa spectaret, quæ tonitrua verborum eiacularetur, & quantum querimoniarum, ac fortassè etiam lachrymarum effunderet, de deserta à se quondam Ecclesia Catholica, de tot dissidiis per vnius Transsubstantiationis litem seminatis, & de Papatu indignissimè conculcato? Libet enim mihi etiam benè coniicere de homine furioso ac profligato, quid esset acturus, vbi deferbuisset iracundia cum tempore, & ad se rediisset, ex his quæ in medio furiarum ardore dixit. Quamprimùm enim Carolstadij hæresim natam conspexit, ab oppugnanda Transsubstantiatione his verbis se temperauit: Litem mihi non pariet, siue maneat ibi vinum, siue non: mihi satis est adesse

Contra Vuestphal.

Gulielm. Clebicius anno 1561.

Descriptio Lutheri, & scriptoris ab ipso.

Lutherus expertus progressus sui furoris, mitiùs egit contra Transsubstans.

Luther. in Carolstad.

adesse sanguinẽ Christi: de vino fiat sicut vult Deus. Et antequàm vellem cum Suermeris (hoc nomine Sacramentarios insectatur) merum habere vinum, mallem potius cum Papa merum sanguinem tenere. Postquàm verò Anabaptistas animaduertit eodem secum Papatus odio vlteriùs quàm vellet progredi, se atque illos ad modestiorem & saniorem de Papatu cogitationem & sermonem sic reuocat. Audio, & video rebaptisationem à quibusdam vsurpari ex eo fundamento, vt in despectum Papæ faciant, tanquam qui nihil ab Antichristo habere velint: quemadmodum & Sacramentarij merum panem & vinum habere volunt in despectum Papæ, arbitrantes se hoc pacto rectè subuertere posse Papatum. Profectò friuolum est hoc argumentum, supra quod nihil boni ædificaturi sunt. Hoc enim pacto negare eos oporteret totam quoque scripturam sacram, & prædicandi officium: hoc enim totum nimirum à Papa habemus. Stultitia est hoc totum. Nam & Christus in gente Iudaica inuenit Pharisæorũ & Scribarum abusus: non tamen propterea reiecit, quod illi habuerunt & docuerunt. Nos autem fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani: imò omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippè fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum catechismum, vt sunt Oratio Dominica, Articuli fidei, decẽ præcepta. Dico insuper in Papatu verã Christianitatem esse, imò verum nucleum Christianitatis esse. Vix quidem posses à quouis iuratissimo & addictissimo Papista, plura significantem & comprehendentem exigere de fide Catholica & sede Romana confessionem. Attamen hac mitigatione, & quasi retractatione non fuit in potestate Lutheri suos posteros reprimere, aut retinere, quin via per illum sibi facta proficerent in peius, & ad deteriora fierẽt audaciores. Omnes profitentur se habere ducem, & vix commonstratorem Lutherum, eisdémque se principiis ac fundamentis niti, quibus cõuersionem panis, & alia quæ appellant Papistica dogmata debilitarit. Omnes gloriantur se Papatum profligare, & in eius odium noua moliri: solius scripturæ authoritatem iactant, conciliorum & Patrum antiquitatem repudiant, ac dãnant quicquid ab ipsis est traditum. Iam quid Anaptistæ ac primi Sacramentarij Luthero obiicerent, ex ipso auditum est, & à Sleidano copiosiùs recitatum. Caluinus scribit à Luthero rudimenta doctrinæ suæ fuisse posita, viámque sibi ab illo munitã: sed se hominem fore præpostero ingenio dicit, si rectam ingressus viam, vltrà progredi recuset, quia vix demonstrator iter suum reflexit. Proinde negat sibi gloriosum fore, si eodem in luto doctrinæ cum Luthero hæserit, & pedem fixerit, vt eum vltrà non efferat. Addit nihil morari quemquã debere, quid tanto consensu loquantur vetusti scriptores, quòd antiquitas minimè debet impedire, quomin' liberè veritas à mendacio discernatur. Ioannes Alasco VVestphalo exprobrat, nihil sibi à Germanis obiici, quod Papa non maiori iure possit ipsis obiicere, siue Ecclesiarum consensum, siue verbum Dei. Proinde vocat Germanos Lutheropapistas. Palatini ministri sumpta à Luthero argumenta contra panis transformationem, etiam pro sua hæresi in ipsum hac oratione retorquent: Quilibet pius propriam conscientiam consulat, cùm D. Lutherus, vt par est, tot pontifices, concilia, & scholasticos cum ipsorum sanctæ scripturę repugnante sententia negligere, & reiicere non sit veritus: cur ei soli de occultatione corporis Christi in pane, plusquàm illis omnibus de commutatione panis in corpus, credendum sit, & quidem sentẽtiam suam minore cum colore & obtentu scripturę, quàm illi suam defendente? Sanè si ante annos quadraginta humana valuisset authoritas, ne nunc quidem ex densis istis Papatus tenebris emersissemus. Sic igitur ad sacra violanda aditu facto per Lutherum, ipsiúsmet disci-

Luther. ad duos pleba. de anabaptismo.

Summi fundamentum cõtra Transsubst. improbat Luther.

Sub Papatu veram esse Christianitatẽ, & verũ eius esse nucleum agnoscit Luth.

Fundamentis Lutheri cõtra Transsub. pessimæ quæque hæreses nituntur.

Caluin VVestphal.

Calu. in epist. ad Heb. & in 1. Ioan. cap. 4.

In Protocollo disputat. Mulbrunnensis, anno 1566.

puli, & Cingliani, & Caluiniani eue̓cti sunt longiùs. Longiùs etiam proruperunt Anabaptistæ & Suenkfeldiani, donec ventum est ad Campanum & Seruetum, & ad

Dialog. lib. 2.

sanctissimæ Trinitatis blasphematores Polonos, pro quibus Bernardinus Ochinus Italus sic inter alia loquitur: Non negabis expediuisse tempore suo disquiri, sit, nécne, corpus Christi in pane, & sanguis in vino, quamuis & esse, & adorari debere, cōcilia per errorem decreuissent. Et quoniam in Trinitate idem vsu venire possit, expedit negotium explorare. Ex ipsis alius Lutheranos & Caluinistas interpellat, hoc pacto: Hortor & obtestor vos per nomen Dei, & eius filij Domini nostri Iesu Christi, dispicite diligentiùs ea quæ Dominus vobis nondum aperuit. Non dederat omnia Luthero: plura dedit postea Cinglio, & post eum aliis: dat & nunc cui vult. Cauete vobis à Gabaonitis, qui imponebant populo Dei laceris vestibus, & pane mucido. Sub nomine Dei nostri se venire dicebant, & impositum esse ab illis populo Dei scriptura dicit, quod non consuleret os Iehouæ. Non imponant vobis Patres, vetustas, concilia: vetusti enim sunt isti panni, quos vos primi lacerastis in aliis articulis fidei. Vnus sit magister noster Christus. Os Iehouę consulendum, non hominum. Sunt etiam hîc plerique Gabaonitæ, qui vobis imponunt, amicos se profitentur, & nihil interea optant, quàm vt populum ad Ægyptum reducant variis modis, & confessione Augustana: quod vobis postea Dominus patefaciet. Hoc ergo primùm moueat, ne parui esse momenti de Transsubstantiatione fidem putemus, quòd ea nequeat abrogari, quin amplissima fenestra aperiatur ad totius religionis Christianæ perturbationem, & quin sua abrogatione & ruina ad interitum secum trahat eas bases & fundamenta veritatis, quibus conuulsis, nihil restat de fide tenendum: nihil tam sanctum, nihil tam fixum & ratum inter Christianos, quod non violet hominū audacia & argutia, quemadmodum iam ipsa experientia docuit. Nisi profectò Germania ipsa, atque aliç Christianorum nationes eò pedem ac mentem retulerint, vnde

Epiphan.

cœpit deflectere Lutherus, omnibus accidet, quod viatoribus solet euenire, qui offensi publici itineris cœno, aut asperitate aliqua, semitam ineunt primo aditu facilem & amœnam, sed errandi non priùs finem faciunt, quàm in viam regiam, & pu-

Hilarius De synodis.

blicam, à qua declinauerant, redierint: quemadmodum & orta tempestate nautę oram soluentes, quo magis euehuntur in altum, difficilioribus iactantur & agitantur fluctibus, nec quiete perfruuntur, nisi statim regrediantur in portum, à quo fuerant digressi. Hoc certè contigisse omnibus seculis, quibus exortæ sunt hæreses, annotāt scriptores Christiani. Soleo demirari sectarum vęcordiam. Lutherus, & qui cum eo existentiam carnis dominicæ in Eucharistia propugnarunt, Transsubstantialitatem altiùs fundari in scriptura censent, quàm Sacramentariorum hæresim: eos nihilomi-

Aduersariorum imprudētia, qui consentiunt Transsubst. magis fundari in script. quàm dogmata alia sibi contraria.

nùs videas dextras iungere libentiùs cum Sacramentariis, ipsisque Ecclesias apud se tradere, atq; omnem opem ferre, quàm Papę, aut Ecclesię Catholicę. Rursum Cingliani & Caluiniani, non contenti semel scribere Transsubstantiationis doctrinam magis cōsentaneam esse scripturis, quàm Lutheri impanationem, nec sine illa, verba Cœnæ ad literam aptè intelligi posse: attamē Lutheranorum, & quamlibet perditorum hominum societatem & communionem ambire & recipere cernimus potius, quàm cum Papa, aut cum Catholicis redeant in gratiam & concordiam, aut ad eorū partes inclinent: imò vtrosque implacabiliores hostes Papatus & Ecclesia Catholica patiuntur, quàm vnquam se gesserint ethnici vlli aut barbari. Veritas quidem ab vtrisque inuitis & pugnantibus erumpit: sed à Deo huius seculi excęcantur, & Satanæ

Melanchth. contra Oecolāpad.

inseruiunt ad explenda eius desideria, à quo captiui huc & illuc aguntur. Ista quidem communis & generalis ad omnes pertineat pro Transsubstantiatione commonefactio, à qua controuersia orta de tota Cœna Domini, vereor cum Philippo Melanchthone

thone, ne vniuersæ Ecclesię, ac toti imperio Christiano minetur horribilem ruinam. Alia mihi succurrit particularis admonitio, quæ Lutheranis Transsubstantialitati plus æquo infestis aures vellicet. Doctas sanè & varias horum contra panis conuersionem disputationes legi: ad quarum lectionem ingemui plerunque, vel hoc nomine, quòd omnia producta argumenta tam Sacramentariis pro sua opinione contra Lutheranos, quàm Lutheranis aduersum nos animaduerterem esse communia, ac proinde iudicarem vitiosa, tanquam quæ ædificassent destruentia. Lutherani de Transsubstantialitate, & Cingliani de existentia carnis Dominicæ in pane, dogma traducunt, tanquam scripturis ac Patribus primæ Ecclesiæ incognitum, sed à Papa, posterioribus conciliis, & scholasticis inuentum. Hanc enim à sexcentis annis Caluinus inductam, illam Lutherus à paucioribus seculis fabricatam impudenter asseuerat. Lutherus ex Petro de alliaco, & Lutheri sectatores ex Ioanne Scoto, tanquam ex nostris se didicisse glorian-tur, quòd superflua sit & otiosa in sacramento commutatio panis, cùm etiam sine ea tam salua consisteret corporis Dominici in pane præsentia, quàm est illa concessa & posita. Ita passim vrgent & inculcant Sacramentarij frustrà carnem in pane constitui, & manducationem eius realem posci, cùm nihilominus vtilitatis & fructus ex nudo & spiritali esu ad nos prouenire dicant, quàm si credantur & adiungantur illa omnia. Lutherani abhorrent à Transsubstantialitate, ne detur locus nouo & inutili miraculo. Clamant acceptum panem verum à Chtisto, & eundem Apostolis traditum, post benedictionem adhuc panem nominari: eius mutationem sensibus non apparere, sed manere aspectum, gustum, & effectum. Petunt subsidium ex natura ac proprietate rerum, & sacramentorum, quæ docent ex Patribus duabus rebus constare, terrena & cœlesti. Veteres Theologos, sibi planè & apertè aduersarios, vt Theophilactum & Damascenum, non verentur tanquam hyperbolicos insectari: alios verò variis modis interuertere. Quinetiam in vltimo suo Iudicio de Cœna Domini Melanchtho ausus est fingere, in emendatioribus codicibus non haberi testimonium Theophilacti de panis transelementatione, quoniam quomodo se indè extricaret, non inueniebat, sicut vtrique & Lutherani & Cingliani libros Ambrosij atque aliorum quorundam reuocant in dubium, à quibus maximè premuntur. An non Sacramentarij hos argumentorum locos in numerato habent, & dilatant? Plura, ac magis scripturis & naturæ ignota miracula requiri iudicant, vt cum pane maneat caro, quàm ad panis in carnem transitionem. Toties repetunt eum porrigi à Christo, quem priùs acceperat panem, eúmque appellari corpus sacramentali figura. Ex sensibus etiam, rerum naturis & effectis, ex sacramentorum proprietate & Patrum multorum authoritate, sibi videntur victoriam reportare, & quorum dicta nequeunt in suum commodum peruertere, appellant hyperbolica, vt Chrisostomi atque Hilarij nonnulla. Quamobrem quicquid Lutherani responsi dederint ad cauillationes & nugamenta Sacramentariorum, idem sibi à nobis responsum habeant, atque existiment non plus valere rationes suas, vt nos de fide & possessione Transsubstantiationis depellant, quàm ad exinaniendam & spoliandam Eucharistiam carne & sanguine Domini. Vicissim quibus præsidiis carnem & sanguinem in sacramento muniunt, ac defendunt ab iniuriis & impressionibus Cinglianorum, eisdem Transsubstantiationem circumuallari firmiùs ostendemus, siue de scripturis, siue de Patribus, siue de Ecclesiæ definitionibus certamen ineundum sit. Ita enim quodam vinculo colligantur existentia carnis & sanguinis in pane, & panis commutatio, vt vna posita, locum alteri, recta scripturarum interpretatione,

Secũda propugnandæ Transsubst. causa.

Lib. 4. Instit. cap. 17. & lib. De Cœna.

Luther. de capt. Babyl.

Eadem argumenta Lutheranorum cõtra Transsubst. & Cinglianorum contra præsentiam carnis.

Mart. Cemnicius in Examine concily Tridentini, part. 2.

Præsentia carnis in pane non

potest ritè defendi sine Transsubst. neque ista oppugnari, quin illa periclitetur. *Ioann. 6.* *1. Cor. 2.*

carúmque seruata proprietate, ac rerum ipsarum apta inter se & conuenienti connexione, faciat: vna verò labefactata conuellat omnia fundamenta, quibus innititur altera. Ideò quoties ferè de existentia carnis litigatum fuit, aut decisum, toties sua sponte de panis Eucharistici natura disputatio suscepta est, & habitum iudicium. Apud Ioannem Euangelistam litigatur de carnis ad manducandum aptitudine, & de panis conditione simul quæritur. Apostolus Paulus ad componendas de Eucharistia ortas hæreses, carnis præsentiam, & panis discretionem, vnà coniungit, eúmque à naturalis panis essentia ad corporis Dominici substantiam translatum innuit, cùm in eo peccari significat, si non diiudicetur aut discernatur iam non esse panis, sed corpus Domini. Ætate Damasceni & Theophilacti grassari cœpit manifestiùs controuersia de interpretatione verborum Domini, de veritate carnis in pane, & de ipsius panis substantia. Ad hanc dirimendam, sicut ex illis scriptoribus apparet, Ecclesia à verbis Domini figuras exclusit, & per ipsa panem transelementari, nouis, sed expressioribus quàm antea, vocabulis pronuntiauit, vt mutationem panis, & in eius specie veritatem carnis, & simplicitatem ac proprietatem in verbis Domini luculentiùs demonstraret. Berengarij tempora successerunt, qui ad panis quidem conuersionem (teste Guimundo) nihil dubitabat de maximi Dei potentia, sed illam noluisse dicebat: attamen dum in ipsam Transsubstantiationem acriùs inuehitur, & sermonis dominici proprietatem inuertit, nihil certi definire potuit, quin veritatem carnis aboleret, dum panis essentiam mordicùs exigeret. Neque tum Ecclesia solùm de existentia carnis in sacramento fuit sollicita, sed quasi per sermonem Domini, sine Transsubstantiationis fide, carnis veritas in pane non consisteret, tam de panis immutatione, quàm de carnis assistentia sententiam tulit. Hæc igitur secunda ratio habeatur, quæ nobis de Transsubstantiatione fidem faciat, quòd salua proprietate verborum Domini, tam euidenter saltem ipsa inferatur, quàm ipsius corporis Dominici in pane præsentia, & quòd simul vtraque stet, aut cadat, eisdem fixa radicibus, aut argumentorum tempestatibus obnoxia.

Tertia causa retinendæ Transsubst.

Pro tertia verò causa Christianus lector perpendat, quantum etiam rationis humanæ amplius habeat antiquissima Catholicorum doctrina, quàm Lutheranorum noua confessio, aut de veteri Berengariorum errore repetita. Cùm enim illa Christi verba *Hoc est corpus meum*, non humana accipiamus cogitatione, aut nostræ rationis existimatione, sed fidei arbitratu atque iudicio: an non, obsecro, ad analogiam fidei, viciniùs accedit, esse hoc Christi corpus, quod ipsemet Deus omnipotens affirmat esse suum corpus pro nobis traditum, quàm terrenum esse panem, cuius ille demonstratione sua non meminit?

Tolli nō potest Transsubstant. quin violetur Sermo Christi, & Christi dignitas.

Certè si vnquàm aliàs, citra sacrilegam, aut irreligiosam veriùs audaciam, verbo Dei nihil est addendum, quodnam vocabulum sua impietate dignum inueniet scelus hoc, quo temerè adeò tremendis illis & cœlestibus mysteriis admiscent panem? An non est intolerabilis audacia, homunculos diuina mysteria, partim quidem fide Christiana, partim cæcutiente ratione humana, metiri? An non est serpentina audacia, Christo, Dei verbo, hoc suum esse corpus asserenti, refragari non esse hoc eius corpus, sed hoc esse panem cum corpore? Hoc si sensisset, an non potuit, ac debuit effari, Cum hoc pane meum est corpus, aut alio dicendi genere declarare, tam verè panem extitisse in eo quod tradebat, quàm declarauit in eo suum corpus consistere? Si verum est quod censent Lutherani, panem tam necessariò pertinere ad mysterium, quàm ipsum corpus, æquè profectò debuit Christus in mysterij declaratione, panis quàm sui corporis mentionem facere.

facere. Frustrà quęritur, an Deus possit panem in carnem transformare: frustrà quæritur, an corpus hærere possit cum pane: frustrà causæ variæ ab aduersariis confinguntur Transsubstantialitatis inuentę. Nihil ista omnia moratur Ecclesia Catholica: sed hoc vnum semper spectauit, an retenta proprietate verborum Domini in Cœna, panis transiisse significetur in corpus Domini, an verò manere. Transiisse & simplicitas verborum indicat, & incertitudo certę ac immotæ alicuius alterius significationis coarguit, si tantillùm ab ipsa verborum simplicitate digredimur: quoniam quo iure sensum vnum conaberis supponete, eodem alter de alio decertabit. Transiisse absurditates affirmantium hunc panem esse corpus Domini, vt credatur, impellunt. Transisse veteris Ecclesię Patres docent, & in admirationem diuinę potentię atque bonitatis amplificant. Transisse plenaria concilia non semel definierunt: ita vt de Transsubstantialitate dubitare, nihil aliud sit, quàm vniuersa Christianitatis fundamenta penitùs euertere, siue ea colloces in scripturarum simplicitate, & vna eadémque certa ipsarum intelligentia, siue in recta ratione, atque rerum inter se conuenientia, siue in veterum Patrum consentiente sententia, siue in conciliorum generalium responsis, definitionibus & decreris. Quartò, Ttanssubstantiatio astruitur ad statuendam carnis & sanguinis pręsentiam, & existentiam in sacramento: & vt explicetur modus, quo ipsa caro Domini pluribus in locis simul assistat. Nihil enim esse potest, vbi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum vel per creationem: sicut in camino non incipit ardere ignis, nisi vel aliundè inferatur, aut ibidem creetur, vel ex materia gignatur. Corpus autem Christi non subit sacramenrum per creationem, nec per localem motum: alioqui cœlum desereret: quoniam nihil mouetur, nisi permutando locum vnde dimouetur, & nouum acquirendo: tum quia corpus, quod loco mutatur, per media spatia progreditur, ideò à cœlo corpus Christi priùs versaretur in aëre, quàm quiesceret in sacramento: tum quia quod loco migrat, alium sibi certum destinat, quò pergit & tendit. Vsu autem venit, corpus Christi simul pluribus in altaribus consecrari, in quibus simul vno locali motu nequiret se sistere. Fit ergo consequens, adesse sacramento, per conuersionem panis in ipsum, & postea panem non manere: quandoquidem non ferat natura, vt res maneat, & dicatur in aliam transire ac conuerti. Quapropter Lateranenses causam præsentię non aliam afferunt, quàm Transsubstantiationem, cùm decidunt, corpus & sanguinem Christi veraciter in sacramento contineri, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem. Et Damascenus ob id negat, Christum delabi cœlo, vt se præsentem exhibeat, sed id fieri per panis commutationem in ipsum: nec aliam in Patribus talis præsentię deprehenderis causam. Non litigamus quàm latè pateat Dei potentia, ad constituendam rem vnam pluribus in locis, sine alterius mutatione, aut pristini loci & stationis desertione. Satis est modum istum verbis Christi congruere, & rerum naturę consentaneum esse, atque omnibus Christianis & toti Ecclesię placuisse. Cogitent Lutherani quem modum reperient pręsentiæ Christi carnis in sacramento, non deserta cœli statione, si per Transsubstantiationem noluerint id fieri. Postremò Transsubstantiationem aut exigit, aut mirum in modum confirmat adoratio ac veneratio, quę altaris sacramento defertur, vti suo loco differetur. Hęc summa caussarum, propter quas Transsubstantiatio adeò firmiter & constanter credenda & tuenda est, quàm ipsa corporis Dominici veritas in Eucharistia, aut aliud fidei Christianę definitum dogma. An verò ex Lateranensi synodo abierit in fidei

Ex negata Transsubst. omnia fidei Christiana fundamenta conuelluntur.

Damascen. lib. 4. cap. 14.

articulum, ad quem credendum periculo salutis obligentur Christiani, qui priùs liberè poterant hanc vel illam opinionem sequi de genere mutationis, quæ fieret in hoc sacramento, parùm refert contendere. Constabit certè nihil noui à Lateranensibus prærerquàm fortasse ipsum vocabulum fuisse introductum. Quòd si fateremur rem antea pro indifferēti & incerta habitam, ex quo tamen de ea decidit plenaria synodus, iam non licet de ipsa pro arbitrio sentire, aut à synodo dissentire. Hæreticus enim est, authore Origene, qui se Christo credere profitetur, & aliud de veritate fidei credit, quàm habet definitio Ecclesiasticæ traditionis. Licuit Cypriano impunè (scribit Augustinus) de baptisandis hæreticis opinari quod liberet, cùm nondum quæstio esset vlla plenarij concilij decisione eliquata. Sed nos ipsi (inquit) asserere non auderemus, quòd non sint rebaptisandi, nisi vniuersæ Ecclesiæ authoritate firmaremur: cui & ipse Cyprianus sine dubio cessisset, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium concilium solidaretur, cuius certè concilij saluberrima est in Ecclesia authoritas. Nam, sicut alibi scribit, qui manifestata sibi Catholicæ fidei doctrina, resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit, hæreticus est.

Origen. in Cōment. epist. ad Titum. citante Pamphilo in eius Apolog.
August. libr. 2. contra Donat. cap. 4. et lib. 4. cap. 16.

A FIGVRIS ET FINE TRANSSVBSTANTIALITAS panis probatur. CAPVT 3.

Hic multa ex Ioan. Sandero Anglo.

TRIA sunt, quæ magnoperè Transsubstantialitati viam aperiunt, & múniunt: Figuræ huius sacramenti, antiquis Patribus proposiræ: memoria mirabilium suorum, & monimentum, quod Deus per Christum nobis in hoc sacramento, quasi in columna fixit & erexit: atq; veterum sacrificiorum scopus, & recapitulatio facta per ipsum. Apostolus duas figuras, tanquam insigniores commendat, Manna, & aquam de petra. Omnes (inquit) eandē escam spiritalē manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, consequente eos petra: petra autem erat Christus. Manna erat gustu mel, nix verò figura, visu, tactu, ac pondere. Admirandas vicissitudines subibat, præter naturæ ordinem. Nix erat, & ros, & solidus panis, atque alimentum fiebat populo per quadraginta annos. Contra proprietatem panis solidi, qui ad solem obdurescit, ad exiguum solis radium diffluebat. Contra præceptū Domini seruata, in vermes ebulliebat & transibat, quæ secundum præceptum custodita, erat à corruptione libera. Eam quoque scriptura attestatur fuisse in varias ciborum naturas transsubstantiatam. Panem de cœlo (ait) præstitisti eis sine sapore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Dulcedinem tuam illis ostendebas: nam in id, quod quisque cupiebat, substantia tua conuertebatur. Substantiam dixit, non qualitatem, aut proprietatem. Quapropter addit, Omnia transformata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant ad voluntatem eorum, qui à te desiderari sunt, vt scirent filij tui, quos dilexisti, quoniam non natiuitatis fructus, sed sermo tuus pascit eos qui in te confidunt. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo solis radio calefactum tabescebat. Audiamus ex scriptura, natiuitatis fructibus Iudæos non fuisse enutritos, sed Domini sermone. Non ergo niuis natura, sed per verbum Dei ac virtutem facto pane, niuis sub accidentibus alebantur. Hoc autem accidisse, vt esset Eucharistiæ symbolum, fatetur Beza. Cur ergo Omnipotentis verbo denegabimus in panis Transsubstanriatione, quod hominum cupiditati per verbum Dei in eorum cibo audimus esse tributum? De Petræ verò in aquarum

1. ad Corint. 10.
Sapient. 16.
Aug. lib. 3. De Trinit. cap. 1.

rum fluenta emolitione, scriptum est: Eduxit Dominus aquas de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Constat quid sit factum, sed modum faciendi quæro. Verum enim de nihilo creatæ sunt aquæ illæ, an verò è latere montis in apertũ proruperunt, an alius fuit modus aquas illas educendi? Credimus omnes ad virgæ ictũ fluxisse aquas: sed audiamus Dauidem modum rei explicantem. Deus cõuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Cõuersio igitur vnius naturę in aliam, fuit modus educẽdi aquas de petra. Habemus igitur & rem factam, & modum ac rationem eliciẽdi aquas de petra. Accommodemus ad Eucharistiam. Christus petra est, non illa dura & saxea, sed ista mollis & aquea. Potest enim petra intelligi, vel dum adhuc lapis est, & tum dici non debet Christus: vel intelligitur aqua illa, in cuius naturam petra conuersa est, & tum petra Christus esse dicitur. Ait enim apostolus, Omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Illa, inquam, spiritalis & aquea petra, illa quæ facta est potus, non illa naturalis, & quæ erat rupes aut lapis. Illa, quæ sequebatur populum, non illa quæ mansit in monte Horeb. Ita & Dominus Iesus panis est, non ille panis qui nascitur, & coquitur à pistoribus, qui à Diaconis affertur ad altare, quem sacerdos verbo Domini, quasi Mosis virga percutit: sed ille qui ex eo educitur, & in quem naturalis transmutatur, corpus nimirùm & sanguis Domini. Christus ergo panis noster est, non ille vnde fit corpus ipsius, sed in quem conuertitur triticeus panis. Panis vitæ, panis de cœlo verus, non affixus monti ad dexteram patris, sed nos consequens in hac solitudine viaticum nobis efficitur, donec perueniamus ad terram promissionis cœlestem, vbi iam non sub inuolucro panis tritícei panem vitæ comedemus, sed sine sacramento facie ad faciem videbimus eum, sicuti est. Cogitemus interea, quàm indignum sit & Christi honore, & adimpletione legis veteris, & statu Euangelij, vt factum ac dictum Christi de sacrosancta Eucharistia redigatur ad vmbras plusquàm Mosaïcas. Credimus aquas Ægypti in alienas naturas transisse: credimus rupem verè in aquam transformatam fuisse. At cùm ventum est ad tempus illud, quod per illas figuras prænuntiabatur, tum non putamus esse veram, quæ dicitur fieri conuersio. Illa propter hoc facta sunt, an fiunt illa verius quàm hoc? Deus illic operabatur per Moysem: Deus hîc per semetipsum operatur. An superabunt vmbræ veritatem, & seruus præstabit Domino suo? Porrò de secundo capite vt disseramus, Ecclesia, & antiqui Patres amplectuntur tanquam planissima de futura Eucharistia hæc Dei per Dauidem oracula: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo. Ideò Iudæi in cœna Paschali pro concione recensent omnia Dei beneficia, & nos exordimur consecrationem à gratiarum actione, de omnibus acceptis beneficiis à Deo, & admirandis eius actis. Quamuis autem in eo psalmo ad literam de Manna vaticinetur Dauid, attamen quin longiùs ad veritatem Mannæ prospiceret, nemo vt opinor, repugnabit. Deus profectò nusquam magis potentiam suam exeruit, ac suæ diuinitatis & dominationis maius documentum dedit, quàm per rerum transmutationẽ, per quam omnia à suo nutu pẽdere, & in ditione sua posita esse patefecit. Inter summa Dei opificia numeratur homo, & per terræ in carnem transfigurationem fingitur. Misit Moysem, vt coram Pharaone se probaret Deum esse, & manifestam redderet potentiam suam, ac prouidentiam de populo suo. Moyses negabat populum sibi narranti fidem habiturum, quòd apparuisset illi Deus. Cùm

Psal. 77.

Psal. 113.

A fine eucharistia.

Psal. 110.

Iustin. Apolog. ad Anton. Arnob. ibi, & alij.

Deus & Christus suam gloriam manifestarunt maximè in rerum mutatione.

virgam Moysis Deus conuertisset in serpentem, & eandem in pristinum statum de serpente restituisset, causam hanc eius miraculi reddit, Vt credant (inquit) quòd apparuerit Dominus Deus patrum tuorum. Neque illud solum prodigium coram Pharaone, sed alia pleraque ibi edita, per naturarum transformationem contigerunt, ad Dei maiestatem, & præsentem opem ac virtutem commonstrandam. Deinde, an non Helias petens victimæ suæ mutationem, per flammam quæ de cœlo descenderet, causam eius rei istam addidit, Vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum? Quando ad aquas contradictionis voluit incredulitatem Mosis & populi redarguere, & se potentiorem ac præstantiorem esse Deum, quàm animo homines comprehenderent, monstrare, an non rupem in aquam liquefecit? An non ob eandem causam in omnium rerum desperatione & penuria, de Manna per transsubstantiationem populum pauit? In nouo Testamento Christus fecit aquam vinum. An ob eam præcipuè causam, vt conuiuiis gratificaretur, & Architriclino? an potiùs, vt omnes assidentes excitarentur in gloriam Dei, & Christi eius cognitionem & commendationem? Ait enim Euangelista, Manifestauit gloriam suam & crediderunt in eum discipuli eius. Sed quo tempore designauit Iesus hoc miraculum? Hoc fecit initium signorum (ait scriptura) vt innuat cœpisse miracula, quibus ostenditur gloria Christi à creaturarum conuersione. Carnem de virgine assumens, expleuit dictum à Propheta, Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Quod prodigium an non attonitos homines reddidit, quòd sanguis mulieris ilicò coaluit, & transiuit in carnem filij Dei, & hominis, qui de nihilo, aut de vera carne nasci potuit, sed ad gloriam eius non decuit? Natus, in quo efficaciùs gloriam suam, quàm in transfiguratione exeruit? Ob quam verò causam oportuit in rerum transmutatione summam gloriam Dei & Christi comprobari? Primùm, quia sunt illa miracula maxima, quæ maximam operantis potentiam ostendunt. Hoc autem Dei opus in creaturis maximum intelligitur, quod totam rei penetrat substantiam, & non solùm qualitatem afficit. Deinde, cùm Deus requieuerit die septimo ab omni opere quod patrarat, ipsi & filio eius Christo placuit, nullam rem in totum postea condere, sed potius conditis vti, ad gloriæ suæ ostensionem. Proinde restabat, vt Christus totam aliquam creaturam in aliam traduceret, atque ita se æqualem Deo probaret. Nihilo enim ferè minoris potentiæ censendum est, repentè rem totam in aliud vertere, quàm rem de nihilo producere. Præterea finis manifestatæ Dei potentiæ, & aduentus Christi in carnem est reductio, & conuersio ad Deum, vt commigremus à tenebris ad lucem, & de potestate Pharaonis & Satanæ ad Deum. Deus quando cuncta creauit ex nihilo, quando Angelos & homines effecit capaces visionis suæ, dans illis iamtunc dona gratiæ, daturus præmium gloriæ, si perseuerarent in officio & obedientia erga ipsum, tunc opus fecit exterius & interius proprium Deo dum totam rei substantiam inchoauit & effecit. Cùm autem homo lapsus in peccatum, dereliquisset fontem aquæ viuentis, restabat aliud opus faciendum tanto maius illo primo, quantum interest vtrum quis operetur nemine sibi repugnante, sicut Deus mundum fabricauit, an verò in actione qui renitatur interueniat. Porrò Christus missus in mundum, hominem reperit planè refractarium, diligentem magis tenebras quàm lucem. Cùm igitur homo esset per Christum ad Deum conuertendus, sapientia Dei voluit illo genere miraculi ad homines conuertendos vti, quod erat

3. Reg. 18.

August. lib. 83. Quæstion. quæst. 73.

instituto aptissimum & accommodatissimum. Propterea ab hoc genere curriculum gloriæ suæ exorsus est in nuptiis, & in nouissima Cœna in eodem genere desiit. Interea præmisit Ioannem Baptistam anteambulonem suum, vt conuerteret corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Ex lapidibus suscitauit filios Abrahę, per admirabilem ipsorum immutationem. In propria natura morte defunctus, maximam mutationem subiit, resurrectione restitutus in vitam: vnde & nos consepulti cum Christo per baptismum in morte ipsius, postea noua creatura reddimur in ipso. Neque vilis aut exigua mutatio haberi debet, quando de tenebris in lucem, de mundo in cœlum, de morte in vitam æternam transferimur. Rursus de gratia baptismi si excidimus, nónne per pœnitentiam conuerti, & redire ad Deum oportet? Itaque si memoriam mirabilium suorum in Eucharistici sacramenti opere consecrauit Christus, in naturali rerum mutatione consistat necesse est, quoniam illustriora Dei & Christi mirabilia, tam interna quàm externa, in rerum & naturarum conuersione extiterunt. Porrò vt de sacrificiorum recapitulatione, quod erat ex propositis tertium, agamus, D. Paulus ex Dauide corpus Christi substitutum affirmat pro omnibus sacrificiis antiquis. Oblationes & holocausta noluisti, corpus autem adaptasti mihi. A Iustino martyre omnes scriptores Christiani clamant, Eucharistiam omnibus etiam veteris Testamenti sacrificiis, vt quid verius & longè perfectius, successisse: neque id admodum video controuersum inter nos & aduersarios. Nam omnes, vt opinor, facilè concesserint inesse Cœnæ quoddam sacrificium: sed de genere sacrificij decertant, quod nunc prætermittemus, aliàs si Deus dederit, copiosissimè disputaturi. Sit in confesso tantùm, Eucharistiam esse aliquod genus sacrificij, quod venerit in locum omnium veterum, quæ erant instituta in recordationem passionis Dominicæ, sicut etiam creditur esse ipsa Eucharistia. At in omnibus sacrificiis semper intercedebat aliqua mutatio rei, siue materiæ, quæ oblationi destinabatur, & in singulis eò maior, quò sanctius esset sacrificiũ: eáq; de causa in holocaustis maxima mutatio fieri solebat, dũ tota hostia igne cõsumebatur. Deputabantur quidem res ipsę ad vsum sacrum, & ob id reddebantur sanctæ: non tamen sufficiebat ista mutatio, per quam Caluinistæ volunt panem & vinum ritè & sufficienter consecrari, sed præter hanc requirebatur realis quædam immutatio. Animantia occidebantur, diuidebantur, comburebantur. Alia igne absumebantur, aut in sartagine hoc vel illo modo de natura deiiciebantur. Adhæc in extraordinariis victimis & hostiis diuinior quædam expectabatur conuersio. Flamma diuinitùs emittebatur, quę oblata corriperet & absumeret. Sic Dominus respexisse creditur ad Abelem, & ad munera eius: sic ascendit ignis de petra, & carnes atque azymos panes Gedeonis adussit: sic ad Salomonis preces ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta & victimas. Elias erexit altare in nomine Domini, dissecuit per membra bouem, & disposuit super ligna, ac fudit aquam tribus vicibus: cúmque iam tempus esset, vt offerretur holocaustum, vt ignem de cœlo eliceret, orauit. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, ostende hodie, quia tu es Dominus Deus. Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem, & ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Itaque cùm Eucharistia pręcellere debeat his omnibus sacrificiis, & tantum eminere supra illa, quantum Christus supra Mosem, & Euangelium supra legem, rectè ratiocinantur, qui credunt in ea corpus Christi offerri, vt vetera quoad rem oblatam præcellat, & præterea

August. lib. 10. De ciuit. cap. 24. 29.

Ab antiquorum sacrificiorum adimpletione Transsubst. probatur

Psal. 39. & ad Hebr. 10.

Iustinus in Tryphonem.

cœlesti potentia atque actione, naturas ipsas panis & vini, quasi cœlesti igne absorberi, & in rem sublimiorem transferri tradunt, ne vlla in re aut dignitate priscis illis sacrificiis cedat, & verè sit illa holocausti victima, de qua nulla rei oblatę pars relinquebatur ab igne diuino inconsumpta, præter solam pellem, id est, præter panis & vini speciem: quę tamen pellis vt igne consumebatur extra castra, sic ipsa panis & vini species post peractum sacrificium ab his consumitur, qui sacræ mensę communicāt. Eò allusit Ambrosius, quando inquit, Si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elemētorum? Chrysostomus verò argumētum ex Helia, à minori ad maius ita tractat: Leuia meritò nominauit prę his, quę gratię tempus nobis aduexit, dum cōspicimus Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem: tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine tingi, ac rubefieri. O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum patre sursum sedet, in illo ipso articulo omnium manibus pertractatur, fitque id circumspicientibus circumstantium oculis. Adest sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum sanctum. Is preces diuturnas fundit, non quòd flāma cœlitùs dilapsa sacra apposita absumat, sed vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet. Ambrosius & Chrysostomus videntur eadem de re pugnantia dicere. Ille ait, species elementorum inuerti igne, verbo, ac virtute cœlesti: huic non placet sacra apposita absumi per eundem ignem. Sed vtriusq; benè perspectis locis integris nihil est repugnantię. Ille de natura elementorum ostendit se intelligere, quam appellat speciem satis impropriè, & pręter aliorum morem: Hic loquitur de rebus extrà apparentibus, quę, vt accidit in sacrificio Heliæ, nō disparent nec depereunt: quin tamē interiùs mutentur, non negat: imò testatur plenissimè sacrificium influxu Spiritus immutari, & iam non per solam fidem & charitatem, sed per illud sacrificium, quod est corpus Christi, nostros animos inflammari & purgari. Et alio loco clarè testatur, apposita igne diuino absumi: vbi de natura & substantia intelligat, necesse est. Num vides (inquit) panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit, ne id cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantię remanet, nihil superfluit: sic & hîc puta mysteria consumi corporis substantia.

Ambros. De his qui initiātur mysteriis. cap. 9.
Chrysost. lib. 3. De sacerdot.
Chrysost. De Encæniis.

CHRISTVS BENEDICTIONE ET VERBIS IN PAnem & vinum prolatis, eorum naturas mutauit. Hic de vi benedictionis.

CAPVT 4.

TRIA circa panem & vinum gessit Christus, quibus pro suo more mirabilem aliquam mutationem in ipsis perfecit. Accepit panem, eundem benedixit, & effatus ait, *Hoc est corpus meum*. Quoties attigit rem aliquam, obseruatur in ea peregisse aliquid pręter ipsius conditionem, & proprietatem. Leproso manum admouit, & lepram eluit. Filiam Archisynagogi, & feretrum adolescentis attrectauit, qui vnicus efferebatur matri suæ, & illicò in vitam restituit. Digitos misit in aures surdi, & oculos cæci nati, & statim visum atque auditum instaurauit. Panes & pisces prehendit, & prodigioso miraculo conduplicauit. Cùm ergo panem & vinum similiter acceperit, vt aliquid antea intentatum exhiberet, mirum erit, si præter morem suum nulla re noua insignierit, aut si nihil de ipsorū pristina natura inuerterit. Alterum est, quòd solemnem gratiarum actionem ac benedictionem adhibuit: vbi tria rursum considerare ex scripturis admonemur. Imprimis, eadē plerúque in scripturis censeri,

Matt. 8. & 9.
Luc. 7.
Mar. et Ioā. 9.

Benedicere, Gratias agere, & Sanctificare seu consecrare, quæ Græcè dicuntur εὐχα-ριστῶν, εὐλογῶν, ἁγιάζειν: quo postremo Apostolus, cùm de cibis sanctificandis per verbum & orationem agit, vtitur, quibus Græci Patres addiderunt ἐπικαλεῖν, quo Basilius & Theodoretus vtuntur, & Ireneus, quod vetus eius interpres transtulit, vocare, & Inuocare, sicut & Cyprian⁹. Præterea verba illa dici & affirmari de rebus subiectis, easdemque afficere. *Cypr. epist. 75. in edit.* Vix vnquam denique Christum legas vllum ex his vsurpasse, quin res immutarit, & præcellenti aliqua noua conditione exornarit. In scripturis ergo εὐχαριστῶν, & εὐλογῶν, siue benedicere & gratias agere, verba sunt promiscua & indifferentia, transitiua, & accusatiuum regunt: absoluta verò cùm inueniuntur, aliud significant. *Benedicere, & gratias agere, sunt transitiua verba, & panem afficiunt.* Quamobrem Matthæus & Marcus sine discrimine aiunt, quod Christus acceptum panem εὐλογήσας, id est, cùm benedixisset, fregit. *Matth. 26.* Lucas & Paulus, εὐχαριστήσας scripserunt, id est, cũ per gratiarũ actionem operatus esset in pane, siue cùm gratia & virtute affecisset panem, fregit. *Luc. 22. Paul. 1. ad Corinth. 2.* Quod vicissim Matthæus & Marcus dixerunt in poculo, εὐχαριστῶν, D. Paulus inquit εὐλογῶν. Poculum benedictionis, ὃ εὐλογοῦμεν, id est, quod benedicimus: vt sic mihi permittatur accusandi casum verbo benedicendi attribuere. quod Lucas in Cœna εὐχαριστεῖν de pane enuntiarat, de eodem in Emaus historia εὐλογῶν protulit. *Luc. 24.* Imò D. Paulus eodem in loco benedictionem & gratiarum actionem pro eodem indifferenter posuit. *1. Corinth. 14.* Ἐὰν δὲ εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, hoc est, Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo respondebit Amen, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, id est, super tua gratiarum actione siue benedictione. qui textus proculdubiò de consecratione corporis Dominici in Missa intelligitur. Nam post pronuntiata verba, *Hoc est corpus meum*, populus respondebat Amen, aut qui vice populi astabat, sicut ex Patribus obseruare licet. Quòd autem vtrumque verbum in Eucharistiæ institutione ad panem pertineat, eíque aliquam & insitam conditionem imprimat, ex his fidem faciemus. Lucas in Emaus conuiuio εὐλογῶν ad panem refert, quando ait, factum est cùm recumberet, λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, acceptum panem benedixit. *Luc. 24.* Sic ipsemet indubitanter ad pisciculos applicat: Λαβὼν τοὺς δύο ἰχθύας εὐλόγησεν αὐτούς, acceptos duos pisces benedixit. *Luc. 9.* Sic Matthæus in ista locutione, Εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, id est, benedicite execrantes vos, pro transitiuo locauit. *Matt. 5.* Sic D. Paulus, vt iterum repetam, poculo apposuit, cùm inquit, Poculum benedictionis, ὃ εὐλογοῦμεν, quod benedicimus: vt indè facilè deprehẽdatur, quo in sensu & structura ponatur ab Euangelistis in Eucharistiæ institutione. *1. ad Corin. 10.* Quo magis est detestanda Caluini, Bezæ, atque assectarum audacia, qui non contenti intellectum verborum corrumpere, ipsa verba ac textum violant, aut pro Benedicendi particula, Gratias agere substituunt: & Heildebergenses non verentur sic Apostolum non semel citare, Calix gratiarum actionis, cuius causa gratias agimus: aut Benedictionis verbũ nolunt, piscibus, poculo, aut hominibus deuouentibus tribui contra expressas scripturæ syllabas: sed absolutè, & vt ita loquar, intransitiuè construunt, ne cogantur, vt prætexunt, magiam sacramentalem agnoscere, & benedictionem, siue gratiarum actionem, seiungunt à pane, quo accepto, fingunt Christum apud se benedixisse, siue gratias egisse ad deputandum panem ad sacrum vsum, & commendandum tantum mysterium siue sacramentum: nihil autem operatũ in pane, quamuis per allata Matthæi, Lucæ, & Pauli exempla, Benedicendi verbum etiam in materia Eucharistiæ rẽ subiectam respiciat & afficiat. *Caluinistæ omnes corrumpunt verbum benedictionis. Heildeberg. in Protocollo, cũ Epitome colloquy Mulbrun.* Quod cùm Iustinus, vt linguæ Græcæ gnarus & peritus aduertisset, panem Dominicum vocat εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, cibum grationisatum, siue gratia, aut per gratiarum actionem productum Ireneus vtique Græcus author, sic eum panem, vt apparet, expressit: quod interpres Latinus assequi non potuit, sed imitatus est, ac dixit, Panis in quo gratiæ actæ sunt. *Iustin. Apolo. ad Anton. Ireneus libr. 3. cap. 33.* Iuuencus vetus & Christianus

poëta, eleganter εὐχαριστῶν ita pro transitiuo transtulit, quando ita cecinit,

Hinc calicem sumit Dominus, vinóque repletum
Gratis sanctificat verbis, potúmque ministrat,
Edocuítque suum se diuisisse cruorem.

Chrysost. hom. 17. operis imperf. in Matth. Theophilac. in cap. 24. Luc. Hieronym. in vita Hilarion.

Ob id Cyprianus vocat panem solemni benedictione sacratum: Chrysostomus, Hieronymus & Theophylactus, panem benedictum. Non desunt tamẽ viri pij, docti & Catholici, qui verba illa iudicent absoluta, ac pro diuersis ab Euangelistis posita: quod etiam Canon Missæ Latinus videtur innuere, in quo dicitur, Gratias agens benedixit: & magis Apostolus Paulus, cũ ait, percipi cum gratiarũ actione & sanctificari per verbum Dei & orationem, vbi sanctificationẽ putatur ab actione gratiarum dirimere. Sed certè à scriptura & à Patribus non fuisse pro absolutis habita, allata conuincunt, & non esse diuersa etiam Canõ Missæ Grecorum apud Chrysost. & Basilium indicat, in quo tria illa, ἁγιάζων, εὐχαριστῶν & εὐλογῶν, promiscuè leguntur, & pro indifferentibus. Et cùm Apostolus tradit cibum reddi innocuum, qui cum gratiarum actione percipitur, declarat gratiarum actionem idem valere & sonare, quod ipsa sanctificatio. Cur enim fiat salutaris per gratiarum actionem, subinnuit sanctificatione id accidere, quæ expletur per verbum Dei, & orationem, quæ suo ambitu complectitur gratiarum actionem & inuocationem, quæ verbo Dei adiunguntur ad perficiẽdam sanctificationem. Propterea quatuor illa, benedicere, Gratias agere, Sanctificare, Vocare seu Inuocare, in materia consecrationis, pro vna & eadem actione à scriptura & Patribus vsurpantur: quamuis si omnia in consecratione adhibita secernas, singula aliquid singulare denotent. Quæritur modò, cum Benedicendi, seu Gratias agendi, verba sic attribuantur rei de qua affirmantur, an sint otiosa, vana, atque inania, vt nullam ipsi excellentiam ingenerẽt, aut demutent, cùm maximè à Deo & Christo proferuntur. Benedicere sanè in Deo & Christo, non solùm denotat gratias agere, bona precari, laudare, & verbis bona dicere, sed etiã bona promittere, efficere & præstare. Etenim Dei sermo coniunctam habet efficaciam, & efficiẽtiam annexam, vt dicere sit idem quod facere, & benedicere quod benefacere: quẽadmodum ex aduerso maledicere, non solùm mala imprecari, denuntiare & minari, sed etiam ipso effectu mala quæ denũtiantur, infligere. Sic aruit ficus, cùm ei Dominus maledixit: sic terra spinas & tribulos ex maledictione tulit. Proculdubiò quàm longè possumus ex scripturis memoria repetere, nusquam immissa à Deo & Christo benedictio est reuersa vacua, sed rem, cui est collata, noua excellentia collocupletauit, quæ ferè ex verbis adiectis cognoscitur, quibus fit & declaratur ipsa benedictio.

Quid sit Benedicere, quando Deo tribuitur.

Matth. 21.

Effectum benedictionis diuinæ solet à scripturis statim explicari. Genes. 1.

Incipiamus à Genesi. Postquam hominem masculum & fœminam fecit, eis benedixit, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram, ac dominamini omnibus piscibus maris, & reptilibus terræ. Ista benedictio in hominem fertur, Deíque verbo irrogatur, & qualis sit, ipso sermone comprehendirur: quandoquidem secundum Dei verbum homini contigit, quòd creuerit imperio, & generandi facultate, cuius alioqui fuisset impotens. Eadem benedictio piscibus & auibus irrogatur, vtique illius intelligendæ tam parum capacibus, quàm est panis, & quàm fuit maledictionis audiendæ impotens ficus arbor: attamen ipsos alloquitur Deus, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auésque multiplicentur super terram: & benedictionem opere compleuit. Eadẽ ratione in scripturis alias benedictiones metiri licet, vt per verbũ Dei benedictio largiatur aliquid, quod subiecto desit, cui ipsa applicatur. Percurrat qui volet, benedictiones collatas Abrahæ, Iacob, atque aliis: numquam cassæ & futiles comperiantur, sed perpetuò euentus verbis & promissis respondet, & insignem aliquam mutationem affert. Virgo Deipara per internũtium

Benedictio profertur & operatur etiam in res inanimatas.

Luc. 1.

Angelum,

Angelum, benedictione affecta, ex Spiritu sancto cōcepit, sed antea ipsi benedictio
„ significatur: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus: & ilicò
„ verbo collustratur & perfunditur, & ipsius benedictionis effectus exponitur, Ecce
„ concipies, & paries filium. In Euangelio, donata per Christum benedictione, ex- *Ioan. 6.*
creuit paucorum piscium substantia, & quinque panes gratia, seu gratiarum actio-
ne, à Domino imbuti, hominum quinque milia expleuerunt. D. Paulus communē *1. Ad Timot. 4*
cibum sanctificari per verbum & orationem tradit, ac ne quidem carere suo fructu
& effectu vult, sed præstare vt bonus ac purus sit, ac minimè reiiciendus. Inficiari
verò iam non possumus, quin benedictio & gratiarum actio à Christo in panem
Eucharistiæ collata sit. Aliquam ergo vim impresserit pani necesse est, & aliquem
sortita sit oportet effectum dignum Christi potentia & consuetudine, qua semper *Quid benedi-*
aliquid supra hominum existimationem, & naturam rerum, per benedictionem, si- *ctio prolata à*
ue gratiarum actionem est operatus. De ipso porrò effectu quid statui debeat, non *Christo, in pa-*
est relinquendum hominum coniecturis, sed ex Dei verbo concludi cōuenit. Nam *nē, contulerit.*
Apostolus decernit sanctificari, seu benedici res per verbum Dei, & orationem. Et
certè verbo Dei consistat forma benedictionis requiritur: quia si cogitando tan- *Benedictionis*
tùm, vel signando, fieret benedictio, benè cogitauit, vel benè signauit, dici debuit, *forma consistit*
non autem benedixit. Cùm igitur in sacramento altaris pro Christi more & virtute *in verbo.*
in pane benedictio effectus postuletur mirabilis, nec alius ex historia colligi queat
propriè aut verisimiliter, quàm qui describitur istis verbis, *Hoc est corpus meum, Hic*
est sanguis meus, nō est quòd aliam benedictionis formulam comminiscamur. Nam
ista nec dissentanea iudicabitur aliis benedicendi formulis in scriptura contentis,
si quis eas patienter & consideratè inspiciat & conferat: & ex ista tantùm certò de-
finiri potest, quis fuerit benedictionis effectus, qui pani accesserit. Consistamus ita-
que hîc, vt ex benedictione eam mutationem patiatur panis, vt fit corpus Domi-
ni, postea eadem prolixiùs demonstraturi. De tribus propositis restat tertium expli-
candum: An hic sermo Christi, *Hoc est corpus meum*, benedictionis formula compre-
hensus, dirigatur ad panem, & in ipsum tantam vim habeat, vt naturam immutet.
Non dubium sanè, quin sicuti benedictio pertinet ad panem, & ad eum conuerti- *An benedictio*
tur, ita eidem benedictionis sermo applicetur, & parem vim cum illa obtineat. Ser- *immutarit pa-*
mo Christi mare increpat, atque illi tranquillitatem imperat: cadauera mortuorum *nis substan-*
interpellat in Adolescente & Lazarò, vt fiant rediuiua. Arbori diras imprecatur, & *tiam.*
„ loquitur, Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Imò etiam nostris ser-
„ monibus tantumdem virium præstat, Pollicetur, si dixerimus ex fide monti, Tran- *Verba Dei ope-*
„ si, & iacta te in mare, ita futurum. Sic Moses verbo coram Pharaone creaturas ad *rantur in res*
nutum, tanquam Deus, in varias substātias alternauit. Sic dedit Iosue, vt ad eius vo- *inanimatas.*
cem staret sol contra Gabaon, & luna contra vallem Aiabon. Helias similis nobis
passibilis, ignem & pluuias excussit per verbum suum de cœlo, vt ex horum com-
paratione longè superiorem potentiam reseruemus verbo Dei, & Christi. Quam-
obrem sermo à Christo, cùm benediceret, prolatus, non solùm significat id quod
fit, sed operatur id quod designat nimirum mutationem panis, vt transeat in
corpus Domini. Hîc verò totius disputationis cardo panditur. Coacti omnes tum à
scriptura, tum à Patribus, admittunt quidem benedictione panem immutari: sed
Cingliani & Caluinistæ non tantam fieri aiunt immutationem, vt substantia ali- *Caluinistæ po-*
qua pani adueniat, aut quicquam de eius propria decedat, sed satis esse putant, si ra- *nunt duplicem*
tionem nouam sacramenti & sacri signi induat, & ad nouum sacræ Cœnæ vsum de- *mutationem*
putetur: ita vt in pane duplicem mutationem statuant significationis, & vsus. At *in pane.*
Lutherani profitentur realem insuper in pane fieri immutationem, vt naturam car- *Tertiam mu-*
tationem in

Pane ponunt Lutherani, Catholici quadruplicem constituũt, aut vnicam quæ alias omnes superet.

Quid Caluinistis consecrare significet.

Lib. 1. De re sacram.

nis Dominicę excipiat, sed non vt de sua quicquam amittat. Vtrumque verò nos asserimus, & propterea quadruplicem ex benedictione & verbo Dei credimus pani accidere mutationem, significationis, vsus, aduenientis nouæ substantiæ, & pristinæ in aduenientem transeuntis. Cingliani & Caluinistæ in rhetorum & gentilium scholis magis versati, quàm in Christianis, cum Cicerone & ethnicis Iurisconsultis, Consecrare definiunt, rem ad sacrum vsum transferre, ex regula, Quod semel Deo dicatum est, amplius ad vsus humanos transferri non debet: & insuper aliquid sacrum & diuinum significare: quod quidem (inquit Beza) insigne mutationis genus est. Ac nullum aliud stabiliri à Patribus censet: sed quicquid vltra apud illos legitur de efficacia spiritus & sermonis Dominici circa hoc sacramentum, totum ad participationem corporis & sanguinis Domini per fidem refert, atque ita dupliciter Patribus imponit. Nos autem Consectare, à Patribus edocti, cùm de sacramentis agitur, interpretamur, ex terrena & profana rem non tantùm sacro vsui deputare, sed aliquam diuinam virtutem & gratiam acquirere, & habere, per Christi & sermonis omnipotentiam atque institutionem, & actionem siue efficientiam. Patres nusquam vllum verbum faciunt de insigni illa Bezæ & commentitia mutatione ad sacrum vsum & significationem, quando de ea, quæ in hoc sacramento fit, loquuntur. Nam de illa expressè disserunt, cui sit opus Dei omnipotentia, Spiritussancti operatione inenarrabili, diuinæ essentiæ infusione: neque cùm ista requirunt, mentionem vllam faciunt de perceptione carnis, quam impartiatur diuinitùs Christus: quæ cùm extra Cœnam, & Cœnæ panem, à Caluinistis tam verè putetur dari, quàm datur in ipso pane, nulla panis mutatio ad hoc induci debet, nec singularis Dei circa panem operatio. Patres porrò nominatim disputant de naturarum & substantiarum mutatione, non de nouorum modorũ acquisitione in Eucharistiæ materia. Conferunt enim hanc, quæ in isto sacramento fit conuersionem, cum mutationibus quæ in rerum naturis contigerunt. At panis cùm censetur symbolum seu signum, siue cùm destinatur sacro ministerio, nihilo magis in natura, aut intra se, quàm in suo nómine recipit innouationem, nec ad hoc desideratur omnipotentia, aut vlla sermonis siue virtutis supra hominem excellentia. Panis enim sua natura, non mutatione, corporis Dominici participationem quadam analogia atque conuenientia refert. Est enim ipsi ingenitum, vt ex multis granis coaduneturin vnum, ac nos reficiat: & quilibet per fidem suam & pietatem, sermone proprio & oratione, atque etiam suo silentio potest panem seponere, ac vsibus sacris destinare, neque præcellentiori institutione, aut potentia, aut oratione opus habet. Potest eundem ex sua fide cum Christi corpore comparare, & multam inter ipsa conformitatem considerare, quemadmodum secundum scripturas sine noua diuinitùs accepta virtute & institutione cuique licet ex sole, luna, luce, leone, vitulo, agno, lapide, ostio, arbore, vite, flore, & omnibus ferè rebus, aliquam cum Christo analogiam sibi efformare, & ex horum tanquam symbolorum vsu seu cõtemplatione per fidem Christum, & eius carnem amplecti, eáque frui. Quid obest igitur, quominus quisque æquè possit de pane, corporis Dominici symbolum fingere, & illo in panis sumptione per fidem potiri? Nihil ergo nec quoad panem, vt fiat symbolum, aut vt sacro vsui reseruetur, nec quoad corporis Dominici perceptionem ex fide, omnia quæ Patres commendant ad consectandum, erunt Caluinistis necessaria, nec quicquam accedit aut decedit pani, vt affirmetur mutari. Cùm verò consecratio eò pertineat, vt fiat sacramentum, si ex ea inferunt deputationem ad vsum & rationem significandi, iam apud ipsos sacramentum non solo officio significandi cõtinebitur, sed vt sit sacramen-

De qua mutatione panis scriptores antiqui agant.

Contra mutationem panis, quam statuunt Caluinistæ.

cramentum, oportebit insuper aliqua consecratione vsui sacro assignari: & indè cõsequetur sacramentum non fieri, seu consistere in solo vsu, sed in deputatione ad vsum, quæ ipsum vsum antecedat, necesse est. Spectemus obsecrò, Caluinistarum & Cinglianorum amentiam & vertiginem. Saniores ex illis aiunt quidem requiri formam verborum ad consecrandum, seu efficiendum sacramentum Cœnæ dominicæ. Verba nolunt ad ipsa elementa applicari, sed annuntiari & exponi pro cõcione, atque credi, antequàm reddant sacramentum. Contrà quãdo vrgentur de mutatione quæ fit per consecrationis formã, assentiuntur fieri in elementis, quoniam induũt nouam rationem vsus, & significationis. Ergo, inquam, forma cõsecrationis, & verba accommodantur elementis, & in ea operantur: si quidem duplex ille effectus à benedictione proficiscitur, quæ afficit, & consecrat elementa, atque in ipsis duo illa innouat. Quòd si vel ordinationi, atque institutioni Dei, aut fidei, tanquam necessariæ asserunt consecrationem sacramenti, certè nomen Dei in vanũ assumunt: de maiestate & authoritate ordinationis eius plurimùm imminuunt, de fidei dignitate ac pondere non parum detrahunt, cùm per ea nihilo plus agi concludunt, quàm panis sua natura, & quilibet homo sine ipsis agant: & interea ne quidem sacramẽtum, aut etiam nudum signum, sacro vsui inauguratum, infideles sument, quia fide qua consecretur, priuantur. Patres denique inter summa miracula Dei deputant mutationẽ, quæ fit per consecrationem in Eucharistiæ pane. Si tantùm eam collocant Caluinistæ in noua significandi ratione, & noui vsus deputatione, pari modo omnes sacri ritus & ceremoniæ, omnia vasa sacra, omnia dicata Deo, tam in nouo quàm in veteri Testamento, vocabuntur summa Dei miracula, & paria cum Cœna Domini sacramenta. Verùm omissis his Caluinistarum nugis, mandemus memoriæ tria aut quatuor capita, quibus vnus Augustinus eos hac in parte falsitatis redarguit. Imprimis interesse ostendit inter altaris sacramentum, & alia, quæ iuxta Caluinistas Christi & corporis eius signa sunt & sacramenta, ac sacro exercitio etiam consecrata. Paulus (inquit) potuit significando prędicare Dominum Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramẽtum corporis & sanguinis eius. Nec linguam quippè eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pellicullis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica cõsecratum, ritè sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Quod cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, nõ sanctificatur, vt sit tam magnũ sacramentũ, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei. Hîc Augustinus secernit hoc sacramentum ab aliis signis idem significantibus, & sacro officio addictis, quia singularem causam suæ constitutionis habeat, vtpotè potentiam spiritus, ac verbum Christi, ob ídque efficiatur in ipso aliud quod aliis non cõpetat: & istud est corpus Christi, cuius causa dicitur tam magnum sacramentũ, quia non tantùm illud significat, vt alia faciunt, sed in se habet & exhibet, sicut eodem in libro sacramentum hoc distinguit ab aliis signis, quę aliquid demonstrant, sed non continent. Quamobrem effectum consecrationis præter qualitates à Caluinistis cõcessas Augustinus tradit, vt sistat in panis signo corpus Christi. Prçterea notandum venit apud antiquos Patres quatuor panis genera, communẽ, alterum catechumenorum, & quod mittebatur ac tradebatur loco sanctę Eucharistię, ideóque appellatur ἀντίδωρον seu εὐλογία id est, promunus & benedictio, siue panis in sacrosancti doni vicem benedictus. Nam qui non communicabant de Eucharistia in tesseram cõmunionis Catholicæ, sumebant illum panem, & pro communione & amicitiæ tessera Christiani missitabant eulogias ac benedictum panem inter se, vt ex epistolis Pij

Lib.3. De Trinit. cap.4.

Cap.10.

De quatuor generibus panis benedicti.

Papæ Augustini, Hieronymi, Paulini, atque aliorum cõstat. Alius panis benedictione cõsecratus, communis est, qui per verbum & orationem expiatus capitur. De his omnibus ista Augustinus scribit: Nõ vnius modi est sanctificatio. Nam & catechumenos secũdum quendam modum suum per signum Christi & orationem, manus impositionis puto sanctificari: & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est. Verùm & ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustẽtandæ huius vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus dixit per verbum Dei, & oratione, qua oramus, vtique nostra corpuscula refecturi. Sicut autem ista ciborum sanctificatio non efficit, vt quod in os intrauerit, non in ventrem vadat, & secessum emittatur per corruptionem, qua omnia terrena soluuntur, vnde ad aliam escam, quę non corrumpitur, nos Dominus exhortatur. Eorundem benedictorum panum differentiam Chrysostomus, siue eius nomine alius, hoc textu commemorat. Generaliter canibus omne quod sanctũ est, vetuit dare. Sanctum est baptisma: propterea nõ est dandum, nisi iam fidem habẽtibus. Sancta est gratia corporis Christi: propterea illis solis danda est, qui iam per baptismum facti sunt filij Dei, & per impositionem manꝰ. Benedictus panis, sancta sunt sanctis porrigenda, qui capaces fiunt benedictionum per fidem. Sed quia de sanctis cœpimus dicere, non est tacẽdum, quoniam aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat: sanctificatum autem, alterum sanctificare non potest, quamuis ipsum sit sanctum. Vt puta, signas panem tuum quem manducas, sicut ait Apostolus. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem: sanctificasti eum, non fecisti sanctificationem. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum, quia non solùm sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientẽ. Ante hos omnes concilium Laodicenum, cano. 14. eandem differentiam ponit. Non oportet (inquit) τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν, id est, sacra ipsa siue oblationes sanctificatas pro eulogiis feriis Paschalibus mittere. Africanum quoq; concilium, aliarum rerum benedictiones, quæ fiebant in altari, ab Eucharistiæ benedictione sic secernit. Primitiæ (inquit) seu mel & lac, quod vno die solemnissimo in infantium mysterio solet offerri, quãuis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, vt à sacramẽto corporis & sanguinis Dominici distinguantur. Ex his patefit sacramentum, quale fingunt consecrari Cingliani & Caluinistę, non habitum fuisse à veteri Ecclesia pro corpore Domini, seu sacramento Eucharistię, sed pro catechumenorum pane, qui nomine sacramenti cohonestabatur, quia symbolum esset carnis Dominicæ, atque inter res sacras computaretur, non tamen eò dignitatis euehebatur, vt existimaretur esse corpus Domini. Imò ne quidem Caluinistarum panis genus illud excellit, quod Christiani pro charitatis tessera & vnionis missitabant sanctificatum aliqua sacerdotali benedictione: erat enim symbolũ, & sacro vsui seruiebat. Quòd si acta Caluinistarum permittitur cum eorum doctrina comparare, ne quidem pluris faciunt panẽ Cœnę, quàm communem. Solent enim quicquid superest de Cœna miscere cum communi, aut canibus proiicere, aut equis & asinis suis pro pabulo apponere, quãuis Caluinus inter suos fortasse minus profanus id improbet. Sed quid ni ita facerẽt, cùm non abstineant ab hostiâ ritè consecrata, quin canibus aut immũdioribus animantibus obiiciant, tanquam consecratio nihil eam à vulgari pane eximat & secernat? Ad æstimandum insuper precium Eucharistiæ, & contestandam fidem suam, summoperè cauebant primi Christiani, ne quid de pane illo decideret in terram, & ne ab impuris & infidelibus hominibus gustaretur, aut contingeretur: neque adeò erant religiosi in aqua baptismi, cùm ex quaque obuia guttam aspergerent, & quod hac

Aug. lib. 2. De peccato. mer. cap. 26.

Hom. 17. Operis imperfect. in Matth.

Heildeberg. in Conferen.

Calui. lib. cõtra Helandũ.

hac & illac interea effluebat, aut etiam quod baptisando effundebatur, numquam est appellatum pari cum pane Eucharistiæ elogio, vt aqua diceretur spiritus, seu corpus Domini, quamuis esset symbolum spiritalis participationis, & ad sacrum munus obeundum deputaretur benedictionis formula, qua baptismus sanctificatur & confertur. Vnde noscitur aliquid amplius & sanctius Eucharistiæ pani, quàm rationem sacramenti accedere, & benedictionem diuersam esse, qua panis fit corpus Domini, & non solùm eius sacramentum. Beza veritate oppressus, & fulgore verborum Domini perstrictus, videtur dare manus, & in Heshussium concedere, panem mutari in corpus Christi, & ait: Debuisti potius nosse ipsos Papistas non satis intelligere quid illud sit, panem fieri corpus Christi, aut in Christi corpus mutari: quas phrases vetustis patribus, tum Græcis, tum Latinis vsitatas, non mirum est temerè à te reprehendi, qui numquam cognoueris, cuiusmodi sit istud mutationis genus. Nituntur hæ phrases authoritate filij Dei. Nam cùm is dixerit, panem illum esse corpus suum, certè non discedunt à Christi verbis, qui dicunt panem fieri Christi corpus, nisi vis panem semper fuisse corpus, aut id esse quod fiat. Postea secunda editione in nouum Testamentum, genus mutationis definit, & inquit: Hoc certum est, ratam esse in cœlo ceremoniam, quæ ex Dei mandato in sacramentorum vsu peragitur, ac proinde panem & vinum in sacra illa actione qualitate mutari. Atqui, ô Theodore, si panis, vt tibi placet, mutatur in corpus Christi, aut ipsum fit, cur non verissimè panis dicetur idipsum quod fit, aut in quod mutatur, præsertim cùm assentiaris illas phrases Patrum niti authoritate ac verbis Christi? Itaque si panis ex verbo Christi verè fit corpus, igitur panis verè est corpus, & non metonymicè. Præterea quos allegat Patres, vt Cyprianus & Ambrosius, non scribunt qualitate panem immutari, sed natura & substantia, non effigie: cur ergo non idem agnoscit? Nestorisat profectò. Vt enim Nestorius Christum dicebat in baptismo euasisse in filium Dei habitudine quadam, & noua qualitate parta, ita panem fieri iudicat in ipsa Cœnæ actione corpus Christi. Longè augustiùs Lutherani de benedictione per sermonem Domini sentiunt & decernunt. Amplificant diuinorum verborum efficaciam, ac tantum valere in sacramentis credunt, vt res significatas cum ipsis elementis coniungant, & nobis exhibeant. Eorum antesignanus Martinus Lutherus hæc scribit: In Cœna non audimus tantùm ad nostram consolationem corpus Christi dari nobis, & sanguinem effundi, sed etiam hoc corpus & sanguinem vi verbi in pane & vino ad cibum & potum in ora mitti, vt corpora nostra alantur cibo incorruptibili ad vitam æternam. Nisi verbum & mandatum Iesu Christi adueniret, nemo indè acciperet nisi panem & vinum, verũ accedit Christi verbum, quòd qui aliò transferunt, homines sunt perniciosi & impostores: quoniam Iesus accepit panem, gratias egit, fregit, id est, distribuit, dicens, Accipite, manducate, *Hoc est corpus meum.* Verba ista conuincunt omnes Christianos, vt confiteantur edi à se, non imaginariè, vt fanatici illi, sed verè ac substantialiter, quoties comedunt de pane, & bibunt de calice. Horum verborum author est Iesus Christus, quem nefas est de mendacio arguere. Brentius, quando apud se est, & non vbique vagatur, à præceptore Luthero non recedit, sed probat cum Chrisostomo, semel dictum verbum à Christo, non euolasse vacuum, sed quotidie in propositis ad Cœnam Dominicam pane & vino retinere & exercere virtutem ac potentiam suam, sicut sermo Domini, Crescite & multiplicamini, non

Beza fatetur his verbis Christi, Hoc est corpus meũ, mutationem panis significari.

Caluinistæ nestorisant.

Lutherani verborum Christi efficaciam amplificant.

Orat. 1. Funebri Hic multa ex Apol. D. Essentai.

Brent. in Catechism.

Brent. in Syngramm. contra Oecolampad.

semel effudit vim suam, sed quotidiè propagat. Hoc idem confirmat alibi, & ait, Serpens in deserto, non tantum erat serpens æneus, aut signum, sed serpens, & signum sanans, non ea virtute præditum, quia serpens, aut quia æneus, sed quia annexum habebat istud verbum, Qui percussus aspexerit eum, viuet: atque ita exponitura spiritu per Dauidem, Clamauerunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum liberauit eos: misit verbum suum, & sanauit eos. Non dixit, misit serpentem, sed verbum. Quodnam verò? Hoc scilicet, Qui percussus aspexerit eum, viuet. Hoc verbo serpenti adueniente, euasit ille in eandem cum verbo potentiam, vt sanitatem daret. Itaque si verbum virtutem sanitatis serpenti contulit, cur verbum cœnæ Dominicæ non inuehet corpus ad elementum? quandoquidem sicut verbum de serpente prolatum afferebat sanandi facultatem, ita verbum de cœna secum deferr corpus Christi: adeò vt hîc, quemadmodum ibi, totum miraculum debeatur verbo, quo administratur corpus & sanguis per elementa panis & vini, non quatenus elementa sunt, sed quatenus habent verbum, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus:* quo verbo accedente ad elementum, distribuitur corpus Christi, vt alibi pax & remissio peccatorum per verbum erogantur. Vvestphalus eandem doctrinam asserit, & propugnat hoc contextu: Benedicere in sacris literis non solùm est gratias agere, laudare, bona precari, & verbis bona dicere, sed etiam est bona promittere, efficere, & præstare, vbi scriptura loquitur de benedictione Dei, item piorum qui nomine Dei benedicunt. Econtrà maledicere, non est tantùm mala imprecari, denunriare & minari, sed etiam ipso effectu maledicere, & mala quæ denuntiantur super aliquem, adducere: quod fit cùm Deus maledicit, vel cùm sancti eius iussu & nomine maledicunt impiis, Heliseo maledicente pueris, vrsi egressi de sylua dilacerabant eos. Ficus arefiebat, cùm ei Christus malediceret. Syrach scribit maledictionem matris euertere domos filiorum, & benedictionem patris eas ædificare. Dei verbum coniunctam habet suam virrutem & efficaciam. Dei dicere, est facere: benedicere, illi est benefacere, maledicere benedictione & bonis priuare, & cumulare malis. Christus cum Cœnam suā verbo suo instituit, benedixit, & consecrauit, cùm dixit, Accipite, edite, *Hoc est corpus meum.* In verbo Dixit, comprehensa est benedictio & consecratio: verbo eius panis & calix in Cœna consecrantur. Rectè dicitur, dummodò rectè intelligatur. Virtute verborum Christi consecrantur panis & vinum, virtute verborum Christi panis fit corpus, calix sanguis Christi. Hæc enim dicuntur verè, & intelligenda sunt de veritate & virtute verborū Domini, qui præsens operatur & efficit vt sinr, quòd panem & calicem, quem dat, affirmat esse. Virtus benedictionis non est sita in verbis hominis ea proferentis, sed consistit in præsenti operatione & effectione Christi. Ipsemet benedicit, & consecrat: minister benedicendo & consecrando nihil efficeret. Non virtute solemnia verba pronuntiātis adessent Christi corpus & sanguis, nisi ipse instituendo consecrasset, & dixisset, *Hoc est corpus meum:* Hoc facite in mei commemorationem: & nisi idem præsens consecrarct, ac diceret, Accipite, comedite, &c. Consecrat minister virtute institutionis, & iussu eius, quia ea peragit, quæ Dominus instituit facere, & præcepit. Paulus coniungit Christi & Ecclesiæ benedictionem: vocat calicem benedictum, & scribit ministros ei benedicere. Nam ministrorum benedictio prouenit ex Christi benedictione, verbo, institutione, & virtute. Benedicunt pani & calici, quia Christus benedixit, & benedicit. In eandem senrenriam multa loquuntur Mart. Cemnicius, & Erythræus, atque alij. Controuertitur autem inter nos & Lutheranos de duobus, quoad benedictionis,

Vvestphal. lib. recta fide de verb. Cœnæ.

Virtute verborum panis fit corpus Christi.

Cemnicius in examin. Synodi Tridenti.

nedictionis, & sermonis à Christo ediri in Cœnæ consecratione efficaciam & effectum. Asserunt ex benedictione naturam elementorum non inuerti, neque pari in se mutationem, sed aliquid extremè acquirere per accessionem corporis Dominici. Non enim quando Deus initio piscibus benedixit, dicens, Crescite & multiplicamini, & quando benedixit quinque panibus, desiisse naturam piscium aut panum, sed vtrobique aduenisse quod prius non erat, nihil autem eius quod fuerat, detractum fuisse. Addunt non aliam agnosci ab antiquis Patribus panis & vini conuersionem, sed quicquid apud eos legitur, ea de re in eum sensum capiendum esse. Nos vtrumque negamus, & rogamus attendi figuras huius sacramenti, Manna, & aquam de petra, in quibus fiebat mutatio, non rei alterius aduentu, sed ipsarum naturarum in aliud conuersione. Deinde quærimus, cur omnes Patres dixerint, neque diuinam naturam in Christo, neque humanam fuisse demutatam, cùm tamen hæc accesserit, & vnita fuerit personę & naturę filij Dei longè arctiùs, quàm panis corpori Dominico: quia illa assumpta est in personam & subiectum filij, non autem panis substantia in corpus Christi assumitur, tanquam in idem subiectum & suppositum. Oportet vt scriptores Christiani de alio mutationis genere intellexerint, quàm de sola coniunctione, quando tam disertè consentiunt, panem in Eucharistia mutari, & transire in substantiam carnis Dominicæ. Certè Theodoretus tanquam axioma notum & ratū „ inter Christianos ponit, ex Apollinarij libello compendiario: Quod assumit quis, in id non vertitur: & ex eo probatum ostendit, filium Dei minimè in carnem versum, quia eam assumpserat. Quòd si à pane per diuinam potētiam assumeretur, aut etiam reciperetur in idem subiectum, siue naturale, siue sacramentale, caro Christi, vt Germanis placet, nusquam Patres contra naturale ac diuinum illud axioma consultò scripsissent, panem mutari, & verti in carnem Christi. Conueniat igitur inter nos & illos, Benedictionem à dicendo nominari, eámque in Cœna panem & vinum ex textu Euangelistarum afficere, ac dicere in Deo nihil aliud esse quàm facere: quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Propterea cùm Deus creaturis benedixisse legitur, beneficium in illas collocasse intelligitur: quod quia creaturæ sine aliqua sua mutatione recipere non possunt, quoties illis Deus benedicendo benefacit, toties illas in melius mutari fatendum est. Hęc autem mutatio vtrum in ipsa rei natura fiat, an etiam in his, quæ rei extrinsecùs adueniunt, ex eo quod actum dictúmve commemoratur, sciri potest. Benedicuntur pisces vt crescant, & panes vt multiplicentur. Omnis autem accessio, rem quæ augetur in veteri natura, cum noua hac virtute potius manere, quàm ab illa mutari, declarat. Omnis igitur diuina benedictio mutationem creaturæ significat, sed non semper substantiæ mutationem, nisi id ex eo quod agitur & dicitur, probari queat. Christus enim si tantùm benedixisse panem diceretur, vtique in melius mutatum fuisse panem ex eo ipso colligere liceret, non tamen in tota substantia fuisse mutatum. Nunc verò cùm non tantùm in toto genere benedixerit, sed suæ illius benedictionis certam quandam virtutem simul verbo declarans, simul opere perficiens, post acceptum panem palàm pronuntiarit, *Hoc est corpus meum*, tanta per hanc benedictionem facta mutatio cognoscitur, quantum discriminis est inter panem triticeum, qui prius est acceptus, & corpus Christi, quod postea per benedictionem conficiebatur. Tantum valuit ergo benedictio Christi, vt panis propositus, non minus beneficij, dum in melius mutaretur, acciperet, quàm ipsa verba, quæ operandi & significandi animo proferebat, exprimebant, quæ affirmant hoc quod manibus tradebatur ab ipso, esse corpus suum. Fatemur igitur non ex quauis benedictione inferri naturarum immutationē:

Vallet. Erythr. in Tabul. confess. August.

In duobus Lutherani discrepant à Catholicis circa benedictionis efficaciam.

Contra panis mutationem quam statuunt Lutherani.

Dialog. 1. Polymor.

Non quauis benedictione mutatio substantiæ inferri debet.

Quomodo sit

ratiocinandum ex quauis benedictione.

imò non plus inferendum, quàm facto constet, aut dicto. At eùm ex benedictione Dei rem affici aliqua mutatione, nemo in scripturis mediocriter versatus neget: & si post benedictionem ex pane caro, & ex vino sanguis appareret, de genere mutationis nemo ambigeret propter conspectum factũ: sicut Adam pronuntiauit ex facto, Hoc nunc os ex ossibus meis: & Architrielinus cùm gustasset, dixit, Omnis homo primum vinum bonum apponit, tu autem seruasti vsque huc. Dictum verò Christi cùm nos certiores reddere debeat de genere mutationis, quàm vllus sensus aut aspectus, quia hic falli potest, Deus autem verax est in omnibus operib⁹ suis, & fidelis in omnibus sermonibus: quare ex eius dicto benedictionis, & per eam illatæ mutationis enarratorio & operatorio, ita panem fuisse affectum, vt in carnem veram transierit, nõ multò certiùs credemus, quàm si oculis factum contueremur? Est enim affirmatio similis illis affirmationibus, quæ ad sensum conuersionem naturarum ostenderunt: cuiusmodi est, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & aqua vinum facta. Patres enim ex verbo Christi, *Hoc est corpus meum*, pares eũ istis propositiones inferunt, & admonent esse certiores, quàm si sensibus paterent: neque certè si panis conuersio oculis cerneretur, aliter lueulétiùs enuntiari posset, quàm ista planissima asseueratione, *Hoc est corpus meum.* Atque id vt amplius elucescat, queadmodum valde cognata sunt inter se, Vocare & dicere, ita ferè eandem virtutem habent benedictio Dei, & vocatio. Nam vt dicẽdo fecit quæcunque voluit, sicut etiam vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Dicam, inquit, non populo meo, Populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiã consecutam: & erit in loco, vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei. Quicquid igitur Deus creaturã vocauerit, hoc est nomẽ eius: sine pœnitẽtia enim sunt dona Dei, & vocatio. Itaq; vt sciamus quid Deus donauerit, per vocationem animaduertere oportet, quo nomine creaturam vocet. Si populum infidelẽ vocat populum, per illam vocationem de infideli populo fidelem populum facit, non substantiam populi mutans, sed voluntatem conuertens. Attendamus verba Dei, Populo non suo dicit, Populus meus es tu. Populus est, etiamsi à Deo alienus sit & populus est, cùm ad Deum conuertitur: vt meritò hæc vocatio Dei non mutet naturam populi, sed tantùm de alieno & peregrino suum ac domesticum faciat. Contrà verò, si per nomen substantiæ alterius, rem quampiam Deus vocauerit: si dicit lapidi, Panis es tu: si aquæ dicit, Vinum es tu: sine omni controuersia talis vocatio Dei non modò qualitatem, sed & naturam eius rei mutat, cui nomen alterius naturę imposuerit. Cùm igitur in Cœna panem vocauerit corpus suum, pœnitere illum de vocatione sua non potest, sed per ipsam de pane corpus suum facit. Eodem spectant illa Irenei verba, Qui est à terra panis, percipiẽs vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Nam si panis substantia post consecrationem remaneret, frustrà diceret Ireneus, Panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est. Etenim cùm vocatio Dei fecerit, nẽ amplius sit communis panis, & ille vocauerit nomine corporis sui, quod non tãtùm sacram qualitatem, sed aliam sacratissimam substantiam significat, cùm non dixerit, hic panis est figura corporis mei, sed post acceptum palàm dixerit, *Hoc est corpus meum*, nomen alterius substantiæ pani creaturæ attribuens: talis Dei vocatio aut nihil operata est dicendo vocandóque, aut idipsum est quod dixit aut vocauit. Ideò de pane communi, non modò sacrum panem, sed illum verum panem Dei efficit, qui de cœlo descendit: non tamen ita, vt nihil terrenum supersit, sed vt manente specie panis, ipsa eius natura sit mutata. Quod cùm fit, nec panis percipiens

Quomodo per verbũ Christi ex eius benedictione agnoscatur panis benedictæ.

Lib. 4. cap. 34.

piens illam vocationem Dei,qua corpus Christi dicitur,est amplius communis panis,sed id ipsum corpus quod nominatur, & Eucharistia duabus rebus constans, specie panis absque eiusdē naturali veritate,contráque veritate corporis absque illius naturali specie.Talis igitur benedictio,& talis vocatio,qua nouū nomen veteri creaturæ datur, dum diuinitùs aliquid fit, conuersionem substantiæ prioris & facit, & probat: ídque multis sacrarum literarum exemplis confirmatur. Quoties enim res quæpiam priùs nobis nota & familiaris,postea vel sensibus nostris,vel intelligentiæ, alia esse natura apparet,Spiritus sanctus in scripturis diuinis docet modum, quo ab vna re ad aliam transitur,conuersionem esse nominandam.Vxor Lot viro suo probè cognita,subitò dum post se respiceret,desiit à sua forma, in salis statuam visa. Quid hac in re dicit scriptura? Respiciens vxor eius post se, versa est in statuam salis. Dixit Dominus ad Moysem, Quid est quod tenes in manu tua? Respondit,Virga.Dixítque Dominus, Proiice eam in terram. Proiecit, & visus est illi coluber,ita vt fugeret Moyses.quid ergo dicit sermo diuinus in hoc genere? Et versa est virga in colubrum:& extēdente manum Moyse, caudámque eius apprehendente, versus est in virgam.Itidem percusso flumine erat cruor statim & sanguis in tota terra Ægypti. De hac historia sic loquitur scriptura. Aqua fluminis versa est in sanguinem,& fuit sanguis in tota terra Ægypti. Ecce quod fuerat antè aqua,factus est sanguis, modúsque faciendi appellatur in sacris literis conuersio. Ministri nuptiarum in Cana Galileæ impleuerunt hydrias aqua vsque ad summum: & dicente Iesu (qui dicendo facit quæ vult) tulerunt Architriclino:qui cùm gustasset, sponso dixit,Seruasti bonum vinum vsque adhuc.Aqua igitur post Christi iussum, vinum appellatur.Quid in ista causa dicit Euangelium? Gustauit Architriclinus aquam vinum factam,Nihil autem est aliud,aquam vinum fieri,quàm aquam in vinum conuerti. In his igitur omnibus cùm vna res alteri subitò succedit,prior in posteriorem conuersa perhibetur.Panē Christus accepit palàm,benedixit,ac de illo incunctanter dixit,*Hoc est corpus meum.* Quod verbū apud fideles,qui Christo per omnia credūt,plus habet momēti, quàm si oculis corporis viderent in locū panis & vini substitutum esse corpus & sanguinem. Cùm enim hoc sacramentum ministretur non Pharaoni,aut Ægyptiis,non Iudæis aut paganis,sed solis in Christum credentibus, atque etiam, vt Iustinus Martyr testatur,baptisatis, meritò illis idem est post panē acceptum audire,*Hoc est corpus meum*,ac videre in locum panis corpus Christi suffectum. Cæterùm si vel infideles corpus Christi repentè contuerentur adesse,vbi panis antea prostabat, cogerentur sanè panis mutationē in corpus Christi agnoscere, maximè vbi nulla subesset de incātatione suspicio:nisi fortè non obligatū dicam fuisse Pharaonem ad fidem habēdam miraculis per Moysem editis,aut nisi iniustiùs pœnas luit,quòd supra omnes Magorū vires inaudita quædam fieri perspiciens,tamen diuinę voluntati parere recusauerit.Licet ergo post consecrationem videatur panis & vinum,tamen propter authoritatem dicētis non minus indubitanter creditur adesse corpus Christi, quàm si oculis corporis cerneretur. Nam quod beatus Chrysostomus in Capharnaïtas dixit, Christum propterea prius fecisse miraculum de quinque panibus,vt per illud non essent amplius increduli iis quæ postmodùm diceret, hoc idem potest ad nostrum propositum accommodari, præsertim cùm omnia miracula Christus in eum finem potissimùm operatus fuerit, vt tandem soli ipsius verbo absque vlla visibili operatione crederetur. Quo etiam in genere Apostolus dixit,linguas in signum esse infidelibus,non fidelibus.Ex eóque sequitur, vt panis qui priùs aderat,in corpus quod nunc adesse pronuntiatur, per omnipotentiā verbi commutatus intelligi debeat,quamuis nihil tale videatur.At cur igitur in ver-

Vnde probetur fieri Transsub. ex verbis Christi.

Quare Christus non dixit, Panis hic vertitur in corpus meum.

bis Christi nulla mutationis facta est mentio? Quia Christus finem operis, non autem operandi viam & rationem in Cœna demõstrare voluit Ad necessitatem quippè sacramenti spectabat, vt corpus Christi, quod operatio ipsius sermone conficiendum erat, apertis verbis pronuntiaretur. At modus conficiendi operandíque vt exprimeretur, non tam ad institutionem mysterij, quàm ad docendi rationem pertinebat. Quapropter, vt facto ipsius panis mutetur in corpus Christi, hoc proprium Cœnæ Dominicæ opus est: vt autem verbo mutatus dicatur, alterius est temporis atque instituti. Illud enim valdè notandum est, aliud esse rem quæ fit, aliud modum quo fit. Res potest describi & significari, absque eo quòd modus rei declaretur. Percussit Moyses fluuium, & fuit sanguis. Ecce rem, Versa est aqua in sanguinem: Ecce modum rei, Poterat autem fieri, vt aquæ fluuij sanguis successisse commemoraretur, sine conuersionis facta mentione: quod ipsum in cœna fieri videmus. Non enim dixit Christus; Panem verto in corpus meum, aut vinum in sanguinem: sed de pane reipsa faciens corpus suum, dixit, *Hoc est corpus meum*: rem & verbo faciens, & simul factum ostendens: at modum faciendi Apostolos per Spiritum sanctum docens, eúmque nobis ab Apostolis & Ecclesia tradendum relinquẽs. Quod idem ferè in legis typo ad nostram eruditionem contigisse animaduerti potest. Ait « enim Dominus ad Moysem, Tolle virgam in manu tua, percutiésque petram, & exi- « bit ex ea aqua vt bibat populus. Fecítque Moyses ita. Percussit petram, & fluxerunt « aquæ. Sed quo tandem modo acciderit, vt è petra pecussa fluerent aquæ ait alius Propheta: Conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Cõ- « stat igitur quid sit factum: sed modum faciendi quæro. Vtrum enim de nihilo creatæ sunt aquæ illæ, an verò aperta petra emanarũt, an alius quispiã fuit modus aquas illas eliciendi? Credimus omnes ad virgæ tactum erupisse aquas per rupis in eas cõuersionem: Eodémque modo audimus Christum dicentem Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Videmus Apostolorum successores virgam sumere verbũ Dei penetrabilius omni gladio ancipiti, eóque panem percutere: statim vt attigerit verbum elementa, corpus & sanguinem effici. Itaque quoties post rem nobis naturæ lumine cognitam, alia quæ specie differt, per verbum Dei & benedictionem, & præter solitum ordinem naturæ, perspicuè affirmatur succedere, non dubium, quin illa prior in hanc posteriorem conuersa & commutata dici debeat. Hic nodus controuersiæ, quæ inter nos & Lutheranos vertitur. Frustrà negauerint ex quauis benedictione naturas rerum tolli: nõ enim id asserimus. Frustrà produxerint exempla plurima rerum quæ maneant saluæ & illæsæ post receptam ex verbo Dei aliquã benedictionem, aut ex accessione qualitatis, aut substantię mutationem iustam statui. Nihil horum est controuersum. Sed hoc positum est in quæstione, An si feratur benedictio, siue sermo, in creaturam præiacentem, & diuersam substantiam induere, ac nouum nomen substantiæ alterius accipere ex verbo Dei asseratur, nihilominùs prior substantia eius sarta tecta seruetur, nec à suo statu dimoueatur. In eum finem edant hi quæ possunt de scripturis exempla, & diligenter inspiciant, quàm sint propositis & allatis similia. Scripturis productis, earum phrasi & ratione nitimur, vt adueniente noua substantia, & substantię nomine, priorem conuerti aut perire post benedictionem & prolatum Dei verbum credamus. Neque profectò scripturæ, quando meminerunt Deum ipsum, aut Angelum, aut aliquod donum cœleste apparuisse, & coniunctum fuisse cum aliquo corporeo elemẽto, solent benedictionem aliquam commemorare, tanquam causam huiusce coniunctionis. Quapropter si tantum aduenit corpus Christi ad panem, vt ei copuletur sine mutatione panis, nihilo plus effecit adhibita benedictio, quàm si non esset omninò: cùm

Vana sunt argumenta Luther. cõtra catholicos.

Cur credamus fieri Transsubst. & quibus rationibus.

Si maneret panis cum carne,

ſine ipſa in aliis apparitionibus Dei, per ſubiectas creaturas, ipſis Deus ſine ſingulari benedictione præmiſſa adeſſet coniunctus, eo modo quo adeſſe pani Chriſtum ipſum ſcribunt Lutherani. Hoc argumento vtitur Auguſtinus ad vim explicandam benedictionis, & differentiam præſentiæ, qua Deus homini Chriſto & Euchariſtiæ adeſt, & qua aderat antiquarum apparitionum ſignis & ſymbolis, & in eo diſcrimen collocat, quòd vetera ſigna non eſſent id quod ſignificabant, homo verò Chriſtus erat Deus ipſe quem demonſtrabat, & panis virtute ſpiritus & benedictione conſecratus fiat id quod deſignat. *non eſſet neceſſaria benedictio.* *Auguſt. lib. 3. de Trinit. ca. 4.*

DE VERBORVM DOMINI EFFICACIA AD SAcramenta efficienda: & quibus verbis fiat conſecratio, ac conuerſio panis & vini in carnem, & ſanguinem. CAP. 5.

DE formula verborum, quibus panis & vinum conſecrantur in corpus & ſanguinẽ Domini, grauior eſt inter ſectas & Eccleſiam Catholicam concertatio. Comperiuntur enim, qui Papatus (vt loquũtur) odio, nullis verbis adhibitis res ipſas ex inſtitutione & vſu fieri ſacramentum exiſtimant, in quibus nomina ſua profitentur Bucerus, Heildebergenſes, & plerique alij Caluiniani. Bucerus ita ſcribit: *Sunt qui dixerũt ſacramenta fieri ſine verbis.* Hæc noſtra eſt Euchariſtia, & cœna Dominica, vt conuenientes inter nos, panẽ frangamus, & poculũ bibamus Domini, hoc eſt, quibus memores ſimus eius quod ipſe in nouiſſima illa cœna cũ diſcipulis ſuis geſſit, & locutus eſt, prædicantes mortem eius, corpúſque Domini, & ſanguinem pro nobis quoque traditum. Sic verè denique facimus hoc, id eſt, edimus panem, & bibimus calicem, in cõmemorationem Domini, vt ipſe iuſſit. Vt autem nuſquam iuſſit verba iſta ſua repetere, neque promiſit vſpiam, ſi id faceremus, aliquam in pane & vino noſtro fore mutationẽ, ita illorum philoſophiam, qui aiunt verbis iſtis Domini, *Hoc eſt corpus meum*, cùm illa veniant ad panem, afferre illa pani, vt iam in pane exiſtant realiter, nulla ſanè ſcriptuta habet, neque pani & vino, ſed mentibus electorum debent verba afferri. *Bucerus 26. Matth.* Porrò Heildebergenſes hanc dicunt ſententiam: Nuſquam Chriſtus promiſit panem fore ſacramentum, aut ſignum corporis ſui oblati pro nobis, modò verba iſta aut alia proferrentur in ipſum: ſed tantùm inſtituit panem fieri ſacramentum, quando frangitur, diſtribuitur, & editur in ipſius commemorationem. Propterea panis non fit ſacramẽtum, verborum prolatione, ſed vſu inſtituto à Chriſto, id eſt, tota actione & ceremonia cœnæ. *Libr. De conformit. Cœnæ.* Imitantur dæmoniacum illum Cypriani, qui ſe ſacrificium Domino ſine ſacramento ſolitæ precationis offerre iactabat. *Cypr. epiſt. 75. in edit. Panũ.* His poſt Catholicos reſiſtunt Lutherani, & demonſtrant Chriſtum effatum, cùm panem & vinum in vſum & eſum appararet & diſtribueret, benedixiſſe inſuper pani & vino, ac iuſſiſſe, vt idem ageremus quod egiſſet. *Vt verbis ſit opus ad conficiendam Euchariſtiam.* An verò cenſent illi Chriſtum mutis ſignis benedixiſſe, & impingunt in id quod falſò nobis imputant, quaſi ſignaculo crucis omnem vim benedictionis concludamus? Cur panem in cœna ſumere & comedere ſoleãt, niſi quia Chriſtus dixit, Accipite & comedite? At cùm id nõ tantùm dixerit, ſed addiderit, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, quare mandatum hoc, facite, ad factum nudum, aut ad duo ſola antecedentia Chriſti verba contrahemus, & non omnia, ſicuti & illa comprehẽde? Non ſatis eſt Apoſtolo calicem benedictionis appellare, ſed vocat ποτήριον εὐλογίας, id eſt, potionem à nobis benedictam, vt aliqua dictionis ſiue ſermonis formula per homines benedici oſtendat. Nam ſicut in baptiſmo quid eſt aqua, niſi aqua, antequam accedat verbum ad elementum, vt fiat ſacramẽtum: ſic in cœna quid eſt panis, niſi panis antequã accedat verbum ad panis elemẽtum, vt fiat corporis Dominici ſacramentũ? Eò impietatis progrediuntur Heil-

debergenses, vt vsu aquæ non adhibita ex Christi præscripto clausula, Ego baptiso re in nomine patris,& filij,& spiritussancti, baptismi sacramenrum confici & adimpleri métiantur. Apostolus contrà duabus quasi partibus necessariis baptismum cóstat, lauacro aquæ, & verbo vitæ. Et hæc quidem inter inauditas hæreses numeranda. Nemo veterum de ea quicquam etiam per somniũ cogitauit. Augustinus verò ex veteris Ecclesiæ fide eam tanquam omninò incredibilem & absurdam damnat, nó solùm cùm ait, Quid est aqua, nisi aqua? accedat verbum ad elementũ, & fiet sacramentum: & cùm alibi decernit verbis Euangelicis consecrari baptismum, sine quibus nó consecratur, ac ne consecrari quidem potest: sed etiam cùm in Faustum Manichæum de ipsamet Eucharistia inquit, Noster panis & calix certa consecratione fit Christianis non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis. Ex qua plana admodum definitione omnes illi hæretici vescũtur quidem in cœna pane refectionis communi & naturali, sed non sacramento religionis. Licet autem verba ipsa nihil in rebus subiectis efficerent, non tamen indè repelli debent, vt inania & superuacanea. Res enim ipsæ sensibus oblatæ, multa ac diuersa possunt significare: vt aqua promiscuè & refrigerium,& ablutionem demóstrat: sed quo in significatu quoad baptismum intelligenda sit, verbis opus est. Aspersio siquidem aquæ, seu immersio, tam spectat suapte natura ad emundationem designandam, quàm ad æstus temperiem. Adhæc quid tam naturale, quàm vt homines mentis sensum eloquantur per verba, & his si quid sit in animo latens energiæ, declarent? Sermo enim index animi certissimus. Quapropter cùm Christus porrigere,& edere panem ac vinum iusserit, ne attoniti ambigeremus, qua de causa,& in quem vsum id præcepisset, verba indicatiua subiunxit,& subiungi iusta ratione mandauit. Hoc est quod Brentius, cùm sapit, ait: Res definiuntur verbo Christi, vt in ipsis, aut per ipsas corpus & sanguis eius distribuantur. Hoc est, quod alius dixit, significata rerum sensibilium per verba determinari. Iraque tam pudendi erroris pertæsi Caluinus, Beza, & ex Lutheranis Pomeranus, verborum quidem necessitatem ad inaugurationem & sanctificationem panis & vini recipiunt, sed ea prædicari & enarrari atque credi volunt, antequàm quicquam valeant ad constituendum sacramentum, ita vt apud ipsos verbum efficaciam inueniat, non quia dicatur, sed quia credatur, quemadmodum ex Augustino citant. Caluini textus est: Non hîc magicam aliquam incantationem imaginari nos decet, vt satis sit verba demurmurasse, quasi ab elementis exaudiantur, sed verba illa viuam esse prædicationem intelligamus, quæ auditores ædificet, quæ intus penetret in eorum animos, quæ cordibus imprimatur atque insideat, quę efficaciam in complemento eius quod promittit, exerat. His rationibus clarè patet repositionem sacramenti, quam nonnulli vrgent, vt ægrotis extra ordinem distribuatur, inutilem esse: Aut enim sine recitatione institutionis Christi accipient, aut minister vnà cum signo verã mysterij explicationẽ cóiunget. In silẽtio est abusus, ac vitium. Si referũtur promissiones,& mysteriũ enarratur, vt cum fructu recipiát qui recepturi sunt, non est quod dubitemus hanc esse verã consecrationẽ. quorsũ igitur euadet altera, cuius vis ad ęgrotos vsque nó peruenit? Hanc quoque inter nouas hæreses reponimus, cũ teste ex omni antiquitate careat, & scripturæ testimonio. In Paschali cœna pręcipiebatur fieri lectio, & haberi sacra cócio, quod etiam nũc Iudæi sanctè obseruát,& ferè tota insumitur cómemorandis Dei beneficiis, tũ propter liberationẽ de Ægypto, tũ aliàs acceptis, vt testatur apud eos Codex precũ soléniũ. Ac rectè quidẽ istud, quoniã nuda celebrabatur rei antecedẽtis cómemoratio, & nulla noua conficiebatur, vt in Eucharistia efficitur. Christ⁹ ipse longũ sermonem in ipsa

Ephes. 4.

August. tract. 80. in Ioan. li. 6. De baptism. cap. 25.
In Faustũ libr. 20. cap. 16.

Quare verba adhibeantur ad conficienda sacramenta.

Brent. De maiest. diuin. naturæ.
Beza Dialog. 1. in Heshuss.
Caluiniani volunt verba sacramentalia declarari, & prædicari, vt vim habeant.
Lib. 4. Inst. ca. 17. num. 39.

Exod. 12.
Verba sacramẽtalia semper fuerunt distincta à concione, & sunt quædam certa & selecta.

Cœnæ

Cœnæ actione habuit, de quo cùm multa D. Ioannes enarret, non frustrà fortasse tã pauca de Cœnæ institutione, de eius fructu, & aliis ad eã pertinentibus interserit, ne ansam daret futuris Caluinistis illi cõcioni vim ad cõstituendũ sacramentũ tribuere. D.Ioã.à cap.13.
Præter sermonem habitum Christus cùm ad ipsam Cœnam instruendam venit, & eam Apostolis proposuit, conceptis verbis, ad eámque declarandam appositis effari cœpit. Apostolus Paulus die Dominico, cùm Christianorum cœtum conuocasset ad frangẽdum panem, priusquàm ab eis recederet, ad mediam noctem de religione disseruit ante Cœnæ celebrationem, qua peracta exhortationem & concionẽ ad lucem vsque protraxit: ne potius sanctificationem panis antecedenti sermoni & prædicationi ascribamus, quàm consequẽti: neque est credibile, quin ad conficiendam Eucharistiam Christi oratione sit vsus, præter illam interruptam concionem: quandoquidem illam Corinthiis præscripsit ad ritè Cœnam Dominicam administrandam. Iustinus Martyr recitat solitos Christianos die solis, quem nos Dominicum vocamus, conuenire. Initio commẽtaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum legebantur. Deinde lectore quiescente, Præsidens orationem, qua populum instrueret, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortaretur, habebat. Posteà consurgebant communiter omnes, & preces faciebant: quibus exolutis, panis inferebatur & vinum, quę verbis Christi ex institutione Cœnę repetitis sacrabantur. Tertullianus quoque concionum, quæ fierent ante Cœnam Dominicam, meminit, & ait, Coimus ad diuinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinã pręceptorum nihilominus inculcamus. Ex his liquet, cõcionari fuisse in vsu Christianis quoties publicam & communem Eucharistiæ Cœnam adornabãt. Neque nos morem illum repudiamus, imò modis omnibus amplectimur, & restitui ex Tridentinę synodi sanctionibus flagitamus. Desideramus etiam omnes abundè doceri de toto Cœnæ Dominicæ negotio: sed admonemus Caluinistas in eodem semper hærere luto, & in eo peccare maximè, quòd externa & adiuncta, quæ vocamus accessoria, pro internis & præcipuis obiiciant. Porrò tria sunt quæ negamus priscos illos & primos Christianos credidisse necessaria. Primum est, quòd pro cõcione explicetur institutio Cœnæ Dominicæ, cùm videamus ex Christo, Apostolo, Iustino, & Tertulliano, de aliis fidei capitibus & scripturis in huiusmodi conuẽtibus tractatũ fuisse pro rerum opportunitate & necessitate. Et certè cùm quotidie per domos aggregarentur ad frangendum panem illum, tædium attulisset eadem & toties repetita concio. Sin alia de re habebatur, quid ad efficiendum sacramentum Cœnæ potius pertinebat, quàm ad baptismum, aut aliud quiduis Christianũ? Deinde non admittimus, prædicationem publicam traditam fuisse à Christo, pro formula seponendi panem & vinum in vsum sacramenti, cùm ad hoc aliam, & propriam, & effectui conueniẽtem accommodarit orationem, quam postea ad eiusdem Christi imitationem ex professo omnes Christiani seiunxerunt à concione: & cùm Christus, atque eius discipuli, tam facta Cœna quàm ante eam, indifferenter de aliis scripturis, aut de Cœna disputarint, ne quis plus efficaciæ deferret priori parti concionis, quàm posteriori. Tertiò cõcedimus vtilem quidem & salutarem esse de scripturis, seu de ipsa Eucharistia aliquam exhortationem fieri: sed inficiamur esse necessariam, aut pro consecrationis forma æstimandam, cùm præter eam aliã Christus reliquerit, & omnes Christiani sint professi. Præterea cùm cibus cõmunis sanctificatur per verbum & orationem, an interpretabimur de aliqua scripturæ enarratione, ita vt nemo possit, aut ritè debeat victum capere, nisi ministrum præsto habeat, qui luculenta concione cibũ

Act.20. Apolog. ad Anton. Tertul. in Apologet. cap.39. sess.24.

ſanctificet? Ineſcāt egregiè Caluiniani Miniſtri ſuos ſectatores iuratos, quos non niſi pleno ventre ſub finem conuiuiorum ſolent aliqua de ſcripturis exhortatione demulcere, aut ſanctificare. Debuit Apoſtolus ex Caluiniſtarum placito, non calicem benedictionis, ſed annuntiationis aut prædicationis nuncupare. Debuerunt primi Chriſtiani, ſicut Caluinus ipſis vitio vertit, ad ægrotos Euchariſtiam non mittere, quia inſtitutionis enarrationem prę morbo, ſiue abſentia, non valuerunt audire, aut attendere. Debuerunt cathecumenis altaris ſacramētum non denegare, cùm auidiſſimè concionibus de Cœna Domini aurem & fidem præberent, ex quibus potiſſimùm confici ſacramentum Caluiniſtę ſomniant. Vt autē rem propius inſpiciamus, pro concione expoſitio verborum Domini de Cœna effertur in genere, neque applicatur magis huic pani quàm alteri, præſenti potius quàm abſenti: neque definit aut determinat, vt aliorum vocabulis vtar, hunc oblatum panem & calicem deſtinari ſacro vſui & ſacramēto: ob id non magis immutat, aut afficit propoſitum panem, quàm alium longiſſimè remotum, ideóque non magis ex ipſo, quàm ex quouis alio reddit & efficit ſacramētum. Deinde etiam nunc omnes Caluiniſtæ, vt adminiſtrēt baptiſmum, non ſunt contenti publica declamatione de ipſius inſtitutione, ſed cùm accinguntur ad opus, induunt perſonam Chriſti, & ex formula ab eo decreta tingūt, ac dicunt, Ego te baptiſo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: quæ cùm pronūtiant Gallicè, ne quidem abhorrent à dictione Græca, Baptiſo te, quæ à mulierculis non faciliùs intelligitur, quàm alia ab illis, qui quæ ignorant, iactant eſſe Græca, nec poſſe legi. Itidē ipſi atque alij Cingliani, poſtquam ad apparatū & ornatū ſuę Cœnæ multa procōcione effutierint, multa cātillarint, multa fuerint precati, attamē cùm eò peruenerint, vt panis ſit impartiēdus, obliti ſe ad rauim vſque cōcionatos eſſe, inſtitutionis verba proferūt, & præſentē panē eorū prolatione inſigniūt, & ſanctificāt. Nam & Oecolampadius è ſuggeſtu legebat omnia vſque ad verba Cœnæ: quæ ante menſam recitabat: & Tiguri miniſter, ſpectante cœtu, panē accipit in manus, & alta voce verba Cœnæ pronunriat. Abſtineant igitur deinceps poſt conciōnē à formula breui & circumſcripta baptiſmi, & à repetenda prę ſcriptione Cœnæ, aut fateantur neceſſe eſt nos aliis verbis egere ad ſacramentorum cōfectionem, quàm quibus publicè de diuinis oraculis declamatur. Porrò in baptiſmi adminiſtratione, poſt omnē ſiue concionem, ſiue exhortationem, cùm ſubiiciant, Ego baptiſo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſatis innuunt neque per cōcionem, neque per aliam collocutionem, ſed per eam clauſulam baptiſmi ſacramentum conſiſtere. Nam ſi prius conſtaret, & falſò & fruſtrà ea pronuntiaretur locutio, qua baptiſmus in ipſa præſenti ablutione conſtitui & donari demonſtratur. Neque certè hi, quibus Petrus annuntiauit Euangelium, & expoſuit, ideò pro baptiſatis habiti fuerūt, ſed dimiſſa cōcione ad lauacrum deducti ſunt, & vt aqua, ita verbum coniunctum perfecit ſacramentum. Addò quòd ſi ante baptiſmi & ſacri panis exhibitionem ſacramentum ſanciretur per editam concionem, iam non ſacramenta conſtarent in ipſo & ſolo vſu, vt Caluiniſtis placet, ſed priuſquàm aſſumerentur, perorata concione perficerentur. Adhæc ſi non ex auditione & intelligentia fit & ſuſcipitur ſacramentum, cur baptiſmo perfundunt infantulos, quibus tanquam ſurdis fruſtrà canitur veritas, quemadmodum & fabula. Imò Caluiniſtę concedant oportet ingenuè, ſe nuſquam potitos vero baptiſmo, cùm in Eccleſia Catholica ſine prædicatione inſtitutionis recenter nati ipſum exceperint. Proinde nec aliis baptiſmum conferunt, nec Cœnam Dominicam adminiſtrant: quorum collatio non niſi verè tinctis & legitimè creatis miniſtris ex ipſorum doctrina & diſciplina competit. Sed nec Caluiniſtis ſufficit exigere accuratam aliquam commentationem de inſtituta Cœna, vt ſacramētum condatur, imò

Caluin in formula de Cœna administr.

Lauaterus in Histo. de Cœna Domini.

Act. 3.

Caluiniſtæ nō tantùm intelligentiam ver-

imò ne quidem tanti faciunt suas sermocinationes, vt efficiãt sacramentum, nisi fides auditorum accesserit, quæ prædicationem comprobet, & quæ suo assensu panem sanctificet. Ita quocunque te vertas, fides apud ipsos omnem paginam facit, & quodcunque operatur, vt sibi omnia arrogent, & nihil soli Deo relinquant. Non percipitur ex eorum placitis & decretis corpus Domini in cœna, nisi per fidem. Hîc addunt ne quidẽ signum corporis Dominici efformari, nisi illa accesserit. Ita compedes iniiciunt Deo, & eius verbo, vt vtrúque ab illorum fide pendeat. Si enim voluerint fidem Deo præstare, tum poterit corpus suum ipsis elargiri: tum sermo eius, *Hoc est corpus meum*, verum erit, & explicata cœnæ institutio ad sacrandum panem valebit. Sin noluerint credere, Dei ac sermonis eius potentia & veritas fluxa erit & nulla. Telam insuper retexunt, cùm ministrorum sermonibus panis benedictionem retulerint acceptam: tum auditorum fidei imputant, vt horum opera, non autem ministrorum, sacramentum euadat. Donatistarum profligatus error à ministris hæreticis non putabat fieri & distribui vllum sacramentum; Caluinistarum contrà peruersitas, ipsum ne fiat, infidelitate recipientium impediri ponit. Toties isti docent corpus Domini non percipi ab infidelibus, sed tantùm signum & sacramentum: nunc defendunt tantum abesse, vt sacrum etiam signum isti capiant, vt officiant sua incredulitate ne omninò sit. Proindè restat, vt tales nudum panem in cœna sumant & reportent. Vt autem omnia sua mendacia non scripturis, sed vnius ferè Augustini deprauata aliqua sententia fulciunt, ita vtrunque commentum & de concione ministrorum requisita, & de fide auditorum necessaria, eiusdem Augustini authoritate muniunt. Ex eo producunt: Hoc est verbum quod prædicamus, non quia dicitur, sed quia creditur. Verùm operæpretium fuerit textum Augustini audire. Quare non scriptum est (inquit) Mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, saluus eris. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio vt mundare possit, consecratur & baptismus. Mundatio nequaquam fluxo & alibi tribueretur elemẽto, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsum credẽtem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore cõfiteri ad salutẽ. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Hinc eliciunt Caluinistæ, oportere vt verbum institutionis ad formandum sacramẽtum prædicetur. Sed Augustinus verbum prædicationis non intelligit propriè, quod fit de institutione sacramenti: sed quodnam ita vocet, exprimit, Quia si confessus fueris quòd Iesus est Dominus, & quòd Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Qua certè clausula nullum instituitur sacramentum, sed fundamentum est, cui verba sacramentorum sunt innixa, & à quo virtutem suam mutuãtur. Nam ex quo prędicantur & creduntur ab eo inuenta & posita, vim accipiunt propter dignitatem eius, qui talem sermonem, seu qui talia verba locutus est. Augustinus itaque verbo prædicationis comprehendit incarnationis dispẽsationem, & totũ Christi mysterium, quod prædicatum & creditũ est in mundo, ait Apostolus: sed cuius prædicatio virtutem obtinet, non quia profertur, sed quia creditur ab illo emanare

[Margin: Verborum sacramentalium aiũt esse necessariam, sed & fidem.]

[Margin: Tract. 80. in Ioan.]

qui Dominus est. Sub eo verò prædicationis generali verbo sacramētorum formulæ continentur, quæ habent efficaciam, non ex pronuntiatione, seu sono transeunte verborum, sed ex virtute indita à Christo illorum authore. Ideò tales formulæ propter virtutem inditam baptismum consectant, & infantulū mundant, quamuis nōdum valentem, Corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, vt Augustini dictiones repetam. Vnde constat, nec prędicationi, nec sono transeunti verborū, nec fidei recipientium aut ministrantium, vim consecrandi sacramentum ab Augustino tribui, sed fidei publicę de Christo illorum verborum authore ac potere vim illis conferre. Hoc est enim quod intendit Augustinus, ad explicandum Christi dictum, Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Tantum verò discrepat Augustinus ab opinione, quam illi affingunt Caluinistæ, vt contrariū omninò de prædicatione & expositione ministrantium & fide suscipientium sacramentum ex ipsius litera eluceat. Nam ne affigeremus virtutem prolationi verborū, aut concioni, ait, Non quia dicitur: & ne eandem fidei suscipientis daremus, tradit peruenire illā ad paruulos omninò fidei incapaces, sed operari verbū, quia creditur à proferēte, quòd ipsū locutus sit Dominus, & ipsum instituerit, à quo suā vim haurit & excipit. Quod vt magis iterum pateat, sciendum est alibi Augustinum distinguere inter sacramentum & eius fructum, & affirmare ad illius integritatem nec fidem nec puritatem conferentium sacramenta, nec accipiētium, desiderari, nec verborum expositionē, sed sufficere eorum qualemcūque pronuntiationem cum fide *Lib. 3. De baptis. cap. 14.* de eorum institutione & authore, sicut paulò antè dicebamus: nihilominus ad capiendam vtilitatem & fructum sacramentorū requiri ab his qui possunt præstare, & fidem & præparationem, ne in vacuum gratiam Dei & indignè suscipiant, aut eidē resistāt, seu, quemadmodū in scolis loquimur, obicē ponāt. Textus ita habet: Nō interest, cùm de sacramēti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentū. Interest quidem plurimū ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionē nihil interest. Fieri enim potest, vt homo integrum habeat sacramentū, & peruersam fidem, sicut fieri potest, vt integra teneat verba symboli, & tamen non rectè credat, siue de ipsa Trinitate, siue de resurrectione, vel aliquid aliud. Augustinus postea subdit: Quamobrem si Euangelicis verbis in nomi- *Eod. lib. ca. 15.* ne patris, & filij, & spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinātis, quàm Catholica vnitas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, in nomine patris, & filij, & spiritussancti, non solùm Marciō, aut Valētinus, aut Arri⁹ aut Eunomi⁹, sed ipsi carnales paruuli Ecclesię, quibus dicebat Apostolus, Nō potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, si possent singuli diligēter interrogari, tot diuersitates opinionū fortassis, quot homines, numerarentur. *Lib. 6. De bapt. cap. 25.* Eodem in opere Augustinus adiicit: Si non sanctificatur aqua, cùm aliqua erroris verba per imperitiā precator effundit, multi nō solùm mali, sed etiam boni fratres, in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorū enim preces emendantur quotidiè, si doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur cōtra Catholicā fidē. Nūquid si manifestetur aliquos esse baptisatos, cùm illæ preces dictæ super aquam fuissent, videbūtur denuò baptisari? Quid ita? Quia plerunque precis vitiū superat precantis affectus: & quia certa illa Euangelica verba, sine quibus nō potest baptismus consecrari, tantū valent, vt per illa sic euacuentur quæcūque in prece vitiosa contra regulā fidei dicūtur, quemadmodū dæmoniū Christi nomine excluditur. Nam vtique hæreticus afferat precē vitiosā, nec habeat bonū charitatis affectū, quo possit illa imperitia superari: afferat etiā, vt fieri solet, aliquā precem, in qua loquatur

Sacramentalia verba dicuntur circa materiam, & alia preces: & illa valent ex pronuntiatione cum institutio-

„ quatur contra regulam fidei. Multi quippè irruunt in preces, non solùm ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatē, non ea valentes discernere, vtūtur eis, arbitrātes quòd bonę sint: nec tamen quod in eis peruersum est, euacuat illa quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius euacuatur. Si autem ipse malus atque peruersus precem integram, & nulla ex parte fidei Catholicæ aduersam fecerit, non ideò ipse rectus est, quia illa recta est: & si in aliquibus peruersam precem afferat, Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest, & ipse sanctificat sacramentum suum, vt homini siue antequàm baptisetur, siue cùm baptisatur, siue postea quandoque ad se veraciter cōuerso, idipsum valeat ad salutē, quod ad perniciem, nisi cōuerteretur, valeret. Cæterùm quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus symbolū constat, illic defuerint? Sed faciliùs inueniūtur hæretici, qui omninò nō baptisent, quàm qui nō illis verbis baptisent. Ideóque dicimus, non omnē baptismum (nam in multis idolorum sacrilegis sacris baptisari homines perhibētur) sed baptismum Christi, id est, verbis Euangelicis consecratum, vbique eundem esse, nec hominum quorūlibet, & qualiber peruersitate violari. Libuit prolixiùs allegare Augustinum, tāquam in omnibus Caluinistarum hęresi aduersarium. Nusquam meminit in administratione sacramentorum cōsecrationem cuiusquam fidei tribui, sed certis, sicut ait, verbis Euangelicis, quæ emendant quicquid vel in prece, vel in quacunque prauia cōcione per imperitiam aut errorem peccatum fuerit, & quæ sacramentum ita operantur, vt sine illis nullum sit. Deinde tradit verba illa, quibus sacramētum coalescit, nec à fide, nec ab integritate ministrantium aut recipientium pendere, quoniam opus sacramenti per illa verba peractum, in Deum illorum authorem refertur, cuius virtus & potentia nec circunstantiarum, nec hominum proprio vitio frangi aut debilitari potest. Postremò fidem postulat ad salutis viam & fructum sacramenti cōsequendum, in his qui possunt ac debēt seipsos probare & disponere: alioqui in paruulis ne quidem generalem de Christo instituente ponit ad sacramenti perfectionē, aut etiam ad eius fructum & salutem reportandam, vt ex prędictis apparet, cùm interim in aqua baptismali, vt in aliis sacramentis, vim & efficaciam maximā sitam esse agnoscat: quæ omnia Caluinistarum doctrinę sunt opposita. *nis fide & intentione.*

Quoniā ergo euicimus, vt opinor, certis verbis opus esse ad formā constituendam Eucharistiæ, quę neque cōcione, neq; expositione, neque fide aut intelligētia suscipientiū egeant: restat excuriendū, quænā sint illa verba, quę nobis ad hūc effectum pręscripsit Dn̄s noster Iesus Christus. Hîc autem inter nos & Lutheranos cōtrouersiarū seminarium nascitur. Accusantur à nobis, & vicissim accusant nos. Redarguuntur, quòd in suis Cœnis iam non recitent institutionē Domini ex Euāgelistis, à quibus est edita, sed contra omnium Christianorum morem, & omnium liturgiarum ritū, Apostoli Pauli de Cœna enarrationē seligāt, & per eam panē & vinū consecrāt. Deinde quòd toti institutionis enarrationi cōsecrationē deberi opinētur, quasi verba ista Christi solēnia, *Hoc est corpus meum*, nō sufficiāt. Nobis vero impingūt, quòd addam⁹ multa institutioni, quòd de ea etiā detraham⁹ nōnulla: quòd sanctificationē quatuor his dictiúculis alligem⁹, *Hoc est corpus meū*, & ab ipsa excludam⁹, Accipite, comedite, ne cogamur assētiri cōmunionem ipsā esse de natura & integritate sacramēti, & quòd plerīq; ex nostris audeāt aliis formulis quā proprio Christi sermone sāctificationē cōcipere. Vvestphal⁹ aliquā rationē affert, cur potì⁹ institutionē ex Apostolo Paulo, quā ex aliis Euāgelistis repetār: vt admoneatur Ecclesia de modo, quē tenuerint Apostoli in celebratione Cœnę receptū à Domino. De tota verò institutione ita pergit docere: Peculiariter his verbis, *Hoc est corpus meū*, consecratio tribuitur, *Quænam sint verba cōsecrandi panē.* *Errores Lutheranorum circa verba cōsecrationis.* *Lib. recta fides de Cœna Domini.* *Quare Luthe-*

rani legant pro verbis cõsecrationis, cap. 11. 1. ad Corinth.

In 2. parte examinis Trident.

eo quòd Dominus pronuntiet panem quem dat, corpus suum, & calicem sanguinẽ suum esse: & quòd verum & efficax est quod dicit, ideò adsunt corp⁹ & sanguis eius in hoc sacramento. Non tamen ascribitur consecratio his solis verbis, sed toti institutioni, veritati, & virtuti dicentis & operantis Christi. Postea Martinus Cemnicius id exactiùs disputat, ac contra Tridentinos Patres hoc modo concludit: Obseruet lector, quòd inter Pontifices plerique, cùm non possent in vniuersum verba institutionis ex consecratione Eucharistiæ proscribere, magnam tamen eius partem resecarunt, ita vt exceptis illis quatuor verbis, *Hoc est corpus meum*, reliqua in institutione nihil ad consecrationem pertineant, vel faciant. Et hoc ideò ita disputant, vt ex consecratione exterminatis verbis illis (Dedit illis dicens, Accipite, comedite) possent extra vsum habere sacramentum. Sed Paulus traditurus Corinthiis, quomodo possent non vulgarem, sed Dominicam Cœnam celebrare, totam & integram institutionem recitat & præscribit. Iustinus mentionem faciens verbi à Christo traditi, quo Eucharistia consecretur, referre se ad descriptionem institutionis, quæ apud Euangelistas extat. Emissenus dicit sacerdotem in sanctificatione ita dicere, Accipite, *Hoc est corpus meum*, &, Bibite, *Hic est sanguis meus*. Et breuiter in omnibus vetustis Liturgis non quatuor tantùm verba, sed tota & integra institutio in sanctificandis mysteriis recitatur. Hactenus inter Lutheranos vir non indoctus. Imprimis obseruandum desertores Ecclesiæ tam impotenti odio in illam exarsisse, vt omnes ausi fuerint ab Euangelistis descriptam institutionem repudiare, & ei supponere quiduis aliud. Egimus de his quibus placet sacramentum sine vllis verbis confici, & Cœnam ritè peragi. Narrant Erasmus Eberus & Ioannes Sleidanus, Anabaptistas à suis Cœnis repulisse sermonẽ Domini, *Hoc est corpus meum*, ac solitos loco eius dicere, Accipe, ede, memento Domini. Ioannes Matthæus Schmalchadensis apud Heildebergam minister, vult fideles liberos esse quoad benedictionis seu cõsecrationis modum, qua velint vti formula, quæ faciat ad ædificationem Ecclesiæ. Nonnulli caput sextum Ioannis, suis Cœnis institutionis loco adhibent, & inter eos aliqui tantùm legunt & proferũt caput istud vsque ad clausulam, quæ habet, Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. Valdenses à nonnullis scribuntur tantùm vti oratione Dominica, sed in eorum historia nihil annotat Æneas Syluius. Omnes isti aguntur ab illo dæmone qui apud Cyprianum in obsessa puella, mutata formula vera cõsecrationis, alia inquit inuocatione nõ cõtemptibili, sanctificare se panem, & facere Eucharistiã simulabat. Lutherani & Caluinistæ Euangelistas omittunt, & ex Paulo historiam institutionis Cœnæ iubẽt recitari. Certè ex quarta catechesi Cyrilli Hierosolymitani apparet, quòd cùm catechumeni, seu recenter baptisati instituebantur de Eucharistia, textus Apostoli de Cœna proponeretur, quasi de lectione publica exponendus, & quasi esset religio ipsamet Euangelistarum verba in vulgus edere, ac nõ potius pro mysteriis colere, & ad ipsa reseruare. Constat etiam à Iustino Martyre ad nos vsque verba adhibita ad consecrationem Eucharistiæ, nominatim à scriptoribus repeti ex ipsis Euangelistis, & non ex Apostolo Paulo. Ambrosius id apertè indicat. Nam recitans Missæ canonem, ait, Omnia illa verba Euangelistæ sunt vsque ad, Accipite siue corpus siue sanguinem. Indè verba sunt Christi, Accipite, bibite ex eo omnes. Qua verò authoritate Lutheranis aut Caluinistis licuit istud immutare? An ab ipsis Cœna Domini processit, aut ad illos solos peruenit, vt ab ipsis solis legitimos ritus addiscamus? Mirum est à nemine antea tentatum istos ausos quasi suo iure hoc sibi arrogare. Quid tam naturale, quàm rerum institutiones ad sua primordia, & primos authores ac scriptores reuocare? Sed nec ratio, qua fingunt se motos, vera, iusta & idonea est,

Varia formulæ consecrandi apud hæreticos.

Ioan. Matth. lib. editio 1566.
Cinglian. in Confess. ad Regem Franc. in ritibus Tigurinis, & in Liturgia peregrinorum.
Guido Carmelita lib. 9. De hæresib.
Æneas Syluius De Origine Bohemorũ. cap. 35.
Cyprian. epist. 75. in edit. Pamel.

Lib. 4. De sacramen. cap. 5.

Malè à Lutheranis pro consecr. Apostolum sumi.

est,siue sit vt conspiciat Ecclesia modum celebrãdæ cœnæ Dominicæ,quem Apostoli tenerent, sicut VVestphallus ait,siue vt Apostoli docerent totius institutionis relationem esse necessariam,quemadmodum Cemnicius attingit. Verùm Apostolus nec cœnæ rem gestam proponit,tanquam pro legitima consecrationis formula, nec totam historiam institutionis probar, aut affirmat esse sanctificandi panis verã & perfectam rationem: neque de eo inter Corinthios lis erat, sed de rei natura, & Eucharistiæ veritate atque substantia,quam vt definiat ex Dei mente,ad institutionem prouocat.Neque Apostolus insistit vllo pacto in institutionis prolatione, aut omissione,neque in consecratione panis, aut consecrationis sermone, quia id non erat positum in controuersia: sed vrget de panis consecrati esu & diiudicatione, vt intelligatur quid ex institutione intenderet decidere & componere. Præterea in sacramentorum confectione non ipsa institutionis narratio, forma est cõsecrationis, sed hæc ex verbis in ipsa institutione traditis, & ad hoc præscriptis,peti debet. Etenim aliud est verbum institutionis baptismi,aliud verbũ,quo accedente ad aquam, celebratur baptismus. Ad baptismum ministrandum, non ritè depromuntur institutionis ista verba, Eunres in mundum vniuersum docete omnes gentes;&c. aut, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto,non potest introire in regnũ Dei: sed apta forma iuxta regulam huius institutionis exhiberi debet. Eodem pacto statuere oportet de legitima Eucharistiæ consecratione, vt ipsa verbis ab institutione traditis perficiatur,sed non ipsamet institutione. Sit ita, vt ex Apostoli enarratione oculis etiã cernatur legitimus cœnæ vsus, qui sub Apostolis viguerit: an propterea licebit scriptum eius Euangelistarum monumentis anteponere? An satis est cœnam ad Apostolos,an non potius ad ipsum Christum eius authorem referre? Sufficiat sanè ad efformandam religionẽ,videre qualiter cœnam Domini, Apostoli agitarint: si tamen licet & ipsum Christum sua verba resonantem, & cœnam ipsam instruentem,quasi in præsentia spectare, & oculatos testes eius Euangelistas audire, an non ad credendum pleniùs afficit,& ad persuadendum aliquem aculeum relinquit? Cur ergo hoc omisso ad aliud recurretur? Suspicor profectò id quod res est, Caluinistas & Lutheranos potiùs ex D. Paulo quàm ex aliis institutionem petere & proferre, quoniam non tantùm ritum cœnæ ex ipso potiùs, inquam, quàm ex Euangelistis emendicant, sed suæ falsitatis & erroris de cœna doctrinam ex eodem student magis,quã ex illis corradere. Valere iussis Euãgelistis, Caluinistæ participationẽ corporis & sanguinis Dominici separatam à panis specie,conantur in hoc dicto Pauli fundare, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Lutherani vero manere substantiam panis, & panem esse corpus Domini obnixè contendunt: quia expleta consecratione panis nomen cum corpore Domini quinquies apud Paulum reiteretur,quod etiam Caluinistis arridet. Non mirandũ itaque,si quo abutuntur ad proprias hæreses,eodẽ velint defendi patrono ad cõmunes. Cæterùm quòd toti institutioni, vti est ab Apostolo cõscripta,velint consecrationis efficaciã tribuere,mihi videntur obliuisci sui,ac turpissimè labi. Cemnicij verba apponam: „Non est partienda illa siue benedictio, siue consecratio,inter Dei verbum,& inter „verba ab hominibus tradita. Non enim quoduis verbũ, sed Dei verbum requiritur „ad sacramentum. Et verbo Dei,vt sit igne probatum,nihil est addẽdum. Hoc adeò verè scriptum à Cemnicio credimus, vt nolimus æquari Christi verbis Apostolorũ dicta, & negemus vllius Apostoli vocem satis efficacem ad reddendum sacramentum,cùm sit opus diuinum. At subiũgamus in cœnæ institutione non omnia verba haberi tanquã à Christo Deo nostro prolata, sed plura ex sua persona Euangelistas

Formula consecrandi nõ est institutio,sed verba certa de institutione.

Matth. 28. & Ioan 3.

Vera ratio qua moneat Lutheranos Apostolo potius quam Euangelistis vti.

Quare non tota institutionis narratio sit de consecrat.

ipsos proloqui, cuiusmodi est tota ista periodus Apostoli, Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, gratias egit, & dixit, &c. Ista etiam quam subiicit, Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. & quicquid ibidem consequitur. Apud Euangelistas etiam hoc idem accidit. Non ergo tribuenda est illa siue benedictio, siue consecratio, toti narrationi de institutione Cœnæ, ne illam diuidamus in Dei verbum, & verba hominum, & ne sermone hominum sanctificari sacramenta concedamus, quod Christi propriis vocibus fuit reseruandum. Rursum si quæcunque Christus est elocutus in Cœnæ institutione, ad eius consecrationem pertinent, & ad sacramenti confectionem, Lutherani non debent ista præ aliis exigere, Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*: hoc facite in meam commemorationem: ea interim tot alia tum à Christo dicta omittere, vt, Amen dico vobis, non bibam à modò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. &, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar: atque alia multis capitibus à D. Ioanne comprehensa. Quòd si eligenda quædam sunt verba Domini ex tota institutione, non igitur ipsius integra repetitio requiritur ad benedictionem Eucharistiæ, vt Lutheranis placet: tum quòd ad eam nihil conducant, cùm sint ab Euangelistis hominibus profecta, tum quod omnes assentiantur, non omnia etiam de cibo & potu in Cœna à Christo pronuntiata esse necessaria. Quocirca magna attentione opus est, vt illa verba seligamus, ne ignotis pro cognitis, & alienis pro propriis abutamur. Certè verbo Domini vniuersaliter id est ingenitum, vt hoc enuntiet quod efficit, & quod operatur, vicissim significet. Propterea à scriptura & Patribus vocatur sermo Dei viuus, efficax, & operatorius, quia ab omnipotente exit, qui dixit, & facta sunt, qui mandauit, & creata sunt omnia. Ea de re copiosè disseruimus, capite De benedictione. Itaque cùm res per benedictionem pani & vino acquisita, caro sit & sanguis Domini, ídque efferatur per hunc sermonem Domini annexum benedictioni, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, cui dubium erit, quin ex ipso constet illa benedictio, siue consecratio? Atqui non idem affirmari potest de ipsis locutionibus, Accipite, edite, hoc facite: quia benedictio panem & subiectam rem respicit & afficit, vt illic docebamus: ista verò posteriora verba non ad subiectum diriguntur vel pertinent, sed ad homines paratos vesci, aut ad ministrandum deputatos, neque benedictionis in pane & vino proposito effectũ ostendunt, eam ob causam intra benedictionis limites concludi nequeunt, neque de ipsius formula sunt. Rectè quidem rei per benedictionẽ constitutæ vsum assignant, sed ipsam non agũt, imò potius actam iam ponunt, & agendi quod actũ fuit, & eo fruẽdi potestatẽ conferunt & innuunt. Absurdum est autem posteriora pro priorũ causa efficiente statuere. Temerè igitur Lutherani permiscẽt vsum rei benedictæ, ac substantiã benedictam, cum verbis quibus fit benedictio: neque aduertunt, si per imperiũ sumptionis & manducationis, tanquã sua forma efficeretur sacramentũ, iam falsum fore ipsum effici verbo & elemento: quandoquidẽ efficeretur manducatione & elemẽto. Quamobrem sapienter edocti ab Apostolis Patres omnes ad vnum censent, & asserunt, vt in fine huius capitis annotabuntur, consecrari panem & vinum, corpúsque ac sanguinem Domini fieri hac vnica affirmatione, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis traditur, *Hic est sanguis meus*, qui pro vobis funditur. Lutherani etiam propemodum omnes tandem veritate adacti, eò redeunt, vt illa clausula

Quæ verba propriè sint de consecratione.

Lutherani eādem coguntur

ſula fateantur rem ſacramenti diuinitùs geri. Totus in eo eſt Lutherus contra Bucerum, vt probet illa aſſeueratione Chriſti panem in Chriſti corpus & vinum in ſanguinem tranſponi. Alibi non ſemel ait Chriſtum accepiſſe panem, & verbo, quo dicit *Hoc eſt corpus meum*, mutaſſe in corpus ſuum. Brentius eidem verbo inſiſtit, ac ſcribit, Verbum hoc, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, non ſolùm ſpiritus verbi, ſed & litera (abſit verbo maligna interpretatio) affert, offert, apportat, aduehit, præſentia facit, & exhibet ac demonſtrat quæ in ſe continet, conſeruat, includit, quódque illi commiſſum eſt atque commendatum, Chriſti nempè corpus & ſanguinem. Iam antea Vveſtphallum audiuimus colligentem ex eo quod dictum ſit à Domino, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, corpus & ſanguinem re vera ibi ſiſti. Martinus Cemnicius etſi cum Vveſtphallo conſecrationem toti inſtitutioni aſcribit, tamen veritate abreptus, inter verba inſtitutionis diſcrimen agnoſcit, & conſecratoria tantùm illa pauca Chriſti ſolemnia concedit, atque cum Ambroſio ita diſtinguit. Quædam ſunt Euangeliſtarum verba, quæ tamen non vt hiſtoria tantùm recitantur, ſed ſunt tanquam priuilegium, quod nos in actione Cœnæ Dominicæ facere debeamus: vt, Accepit panem, benedixit, fregit, dedit diſcipulis, &c. Alia verò ſunt Chriſti verba, quorum virtute panis eſt corpus Chriſti, & vinum ſanguis eius: vt, Accipite, comedite, bibite, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*. Iterum Cemnicius propiùs veritati accedit, & prætetitis illis verbis, Accipite, comedite, bibite, inquit. Natura panis non eſt corpus Chriſti, nec vinum ſanguis eius, nec vlla creatura, ſed ſolus Dei filius virtute & omnipotentia ſua efficere poteſt, vt panis ſit ipſius corpus, & vinum ſanguis eius. Illud autem in prima Cœna effecit per verbum, dicens, *Hoc eſt corpus meum*. Valentinus Erythræus anteceſſoribus ſuis ſubſcribit, & profitetur formam huius ſacramenti, & cauſam efficientem præſentiæ corporis, in Cœna eſſe Chriſti pronuntiatum, *Hoc eſt corpus meum*, quod pro vobis traditur: quia dictum Chriſti idem ſit quod factum, iuxta ſcripturam, Dixit, & facta ſunt. Ex quo manifeſtum ſit, quàm ad placitum, & ſine vlla credibili probatione, imò cum qua repugnantia totam inſtitutionem pro verbo Chriſti ad conſecrandum deſtinato Lutherani obtrudant. Nam tandem veritate oppreſſi, totam inſtitutionem ad tria verba, Accipite, edite, hoc facite, cum his quatuor *Hoc eſt corpus meum*, contrahunt, & ab ea contractione, eadem veritate coacti, rurſus decedunt, eóque recidunt, vt nobiſcum ſentiant formam conſecrationis his paucis contineri, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*. At, inquiunt, Iuſtinus inſtitutionem producit pro conſecrandi norma. Emiſſenus dicit ſacerdotem in conſecratione ita loqui, Accipite, *Hoc eſt corpus meum*: &, Bibite, *Hic eſt ſanguis meus*. Ambroſium adducunt ita ſentire. A Iuſtino reſpondemus non totam inſtitutionem requiri, ac ne quidem illa verba, Accipite, edite, quibus tam mordicùs hærent Lutherani. Nam poſtquàm propoſuit eam alimoniam eſſe carnem & ſanguinem, ſtatim rationem reddit, quòd Apoſtoli in commẽtariis à ſe ſcriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderint præcepiſſe ſibi Ieſum. Eum enim pane accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc eſt corpus meum:* & poculum ſimiliter acceptum, cùm gratiarum actione affeciſſet, dixiſſe, *Hic eſt ſanguis meus*: ac ſolis ipſis ea tradidiſſe. Vtinam verò Emiſſeni & Ambroſij integras paginas de Tranſſubſtantiatione refertas tam libenter audirent, quàm vnum verbulum imprudenter arripiunt. Eſto: ſcripſerint conſecrari panem virtute horum verborum, Accipite, comedite, *Hoc eſt corpus meum*: an propterea crediderunt coniũctionem horum omnium verborum eſſe neceſſariam, aut ſingulis vim eſſe

fateri nobiſcũ, pauca eſſe verba neceſſaria ad conſecrat.

Luther. Apolog. in Buc. & De abrogat. Miſſæ priuata.

Brentius in Syntagmate contra Oecolampad.

Erythræus in Tabul. de Confeßione Auguſtana.

ascribendam? Iustinus, Cyprianus, atque alij, quando consecratoria verba citant, nõnumquam inserunt, *Hoc facite in meam commemorationem*, & illa prętereunt quę desiderant aduersarij Iustinus idem, atque alij paulò post à me producendi sanctificationem Eucharistiæ precibus imputant, quibus admiscentur verba illa Christi solemnia. An propterea ea breui clausula, *Hoc facite*, & precationum toto cõtextu, benedictionis regulam amplectuntur? an non potius, quid singulis debeatur, perpendere satius est? Quid si iidem Ambrosius & Emissenus alibi verba illa, quæ importuniùs flagitant Lutherani, reticent? an non satis est argumenti, iudicasse tanquam minimè ad consecrationem necessaria, vt communiter veteres omnes fecerunt? Ambrosij textus est: Ipse clamat Dominus Iesus, *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionẽ verborum cœlestium alia species nominatur, post cõsecrationem corpus Christi significatur, &c. Emisseni verò sermo sic habet: Tum per se, nunc per ministros, ait, *Hoc est corpus meum*. Tãta verò est efficacia ac virtus sermonis huius, vt ilicò fiat quod dictum est. Cur verò interdũ scriptores illi, Accipite, edite, hoc facite, verbis aliis cõsecrantibus annexuerint, noster Thomas rationẽ explicat, & non esse quidẽ de forma sacramẽti scribit: attamen quoniã vsus & potestas ipsum conficiendi ad eius perfectionem spectarent, & à Christo emanarent, ideò aliquando Patres omnia verba Christi recitasse, vt per totam illam perfectionem ab illo ortam docerẽt, tametsi primaria sacramenti constitutio & existentia non ab illis verbis, sed ab ipsis, *Hoc est corpus meum*, existentiam sacramẽti indicantibus proflueret, sicut omnes Patres innuũt, cùm distinctè de singulis illis perfectionibus disputant.

Ambros. De his qui initiantur mysteriis ca. 9. Emissen. Dominic. de palmis.

Postremò, vt de nostris hominibus satisfaciamus Lutheranis obiicientibus additionem factam verbis Christi, ac detractionem, atque ad humana commenta trãslatam esse Eucharistiæ benedictionem, necnon cõsecrationis formã ex hominum inuentis, & ex verbis Christi, tanquam ex integro & corrupto consarcinari: sciendum est magnum dissidium ortum, & adhuc feruere inter Græcos & Latinos de cõsecrationis modulo: Græcis per certas precationes, & Spiritus sancti inuocationem eam fieri contendentibus, Latinis verò eandẽ sermoni Christi attribuentibus. De hac lite disceptãt Marcus Ephesinus pro Græcis, & pro Latinis Cardinalis Bessario. Inter Latinos, postquàm magis philosophari, quàm veterum Christianorũ scripta scrutari, & nostris argutiis quæq; perstringere audaciùs quàm primis antecessoribus nostris credere cępimus, alij vocarunt in dubium, quibus verbis Christus benedixerit, & quam formam nobis præscripserit, & quot verba de contentis in institutione ad cõsecrationem essent necessaria, quoniã nihil de his expressè & nominatim scripsissent aut tradidissent Apostoli, sed tantùm rem à Christo gestam narrassent: propterea exclamat Erasmus, Vtinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis ille à Christo. Nam illa (inquit) *Hoc est corpus meum*, potiùs sunt porrigentis quàm consecrantis. Antea Petrus Comestor existimauit ignotum, quibus verbis Christus consecrauerit. Papa Innocentius tertius opinatur, Christum virtute diuina & potestate excellentiæ confecisse suum corpus sine oris prolatione, sed postea formam cõstituisse, qua posteri vterentur. Et eius opinionem nostris temporibus tueri voluit Ambrosius Catarinus, libello de ea re edito. Recitantur alij à nostro Thoma putasse, verba relicta à Christo, bis ab eodem fuisse prolata, cùm sanctificauit acceptum panem, & cùm suos admonuit quid porrigeret. Alij hærẽt in collocatione verborũ ab Euãgelistis posita, per quam videtur Christus prius benedixisse apud Lucam, quàm panem fregerit, aut elocutus sit, *Hoc est corpus meum*. Quinetiam apud Marcum aiũt, priùs Apostolos epotasse calicem, quàm Christus dixerit, *Hic est sanguis meus*: ita vt oportuerit alia forma consecrasse. Magnus Gregorius refert, Apostolos ad domini-

Canonis Ecclesiastici in Missa redditur ratio.

In Annotat. in cap. 11. 1. ad Cor.

cam solummodò orationem, Hostiam cõsecrasse. Proclus suspicatur Apostolos intra diem ascensionis & Pentecostes composuisse Canoné, vt esset consecrationis cõpendiũ. Scotus, vt à Thoma dissentiat, contendit vehementius omnia contenta in Canone Missæ ab eo principio, Qui pridiè quàm pateretur, accipiens panem, ad necessitatem consecrationis pertinere. Accusantur etiam Colonieses Theologi, & doctiss. Episcopus Lindanus à Cemnicio, quasi insanire eos censuerint, qui solius institutionis recitatione cõsecrationem perfici, & non precibus adiunctis de veteri more & canone, quas tanquã necessarias ex Basilio Doctiss. Lindanus exigere videtur. Ambrosius verò Catarinus eò deuoluitur, vt Christi pacto & decreto corpus Christi ex pane reddi postulet, eiúsque inuocatione, nihil conferente verborum pondere & prolatione. adeò multiplex, incertum ac varium est hominum ingeniũ, quoties suæ prudentiæ & cogitationi innititur. Vt autem ordine, quo proposuimus, has opiniones expendamus, sit in confesso, tam apud Græcos quàm apud Latinos, Missarũ Canonem conflari precationibus quibusdam, institutionis Cœnæ enarratione, & potioribus verbis ac certis illis, quibus fit consecratio, & absoluitur sacramentum. Nec solùm in Eucharistiæ celebratione & sanctificatione tria hæc adhiberi solita, sed in omni sacramẽtorũ con fectione & administratione perspicitur ex locis Augustini in hoc capite productis, quando distinguebat inter verba sacramentum efficientia, & concomitãtes precationes. Hoc quoq; vsu fuisse in Eucharistia ostẽdit Magn° Dionysius, qui sacerdotem astãtem altari multa antè precari ait, & tum ad sacra mysteria celebrãda progredi ex diuina traditione, quã à recitatione institutionis inchoat. Sic Iustinus dicit sacerdotem diu multúmque precari, ac gratias agere, tum verò sacrari cibum per verbum à Christo traditum, quod Euãgelistæ literis mandarũt, vbi institutionem breuiter complectitur: interim tamen in istis potioribus verbis totus defigitur, *Hoc est corpus meum*. Illa tria apertiùs annotat & distinguit Ambrosius. Nodus cõtrouersiæ est, quòd plerique Græcorum, & nõnulli Latinorum precationibus & Spiritus sancti inuocationi tribuãt tam frequẽter cõsecrationem ipsam, quàm Christi sermoni. Iacobi, Chrysostomi, Basilij, atque aliorum veteres Liturgiæ testãtur sacerdotem orare diutiùs etiam post adhibitum Christi verbum, *Hoc est corpus meum*, vt corpus & sanguis eius fiant operatione Spiritus sancti: quod periniquè diceretur, si iam essent cõfecta. Cyrillus quoq; Hierosolymitanus ait panem Eucharistiæ post inuocationem sancti Spiritus, non amplius nudum panẽ esse, & simplicẽ, sed corpus Christi. Basilij verò textus est: Inuocationis verba, quũ ostẽditur panis Eucharistiæ, " & poculũ benedictionis, quis sanctorũ in scripto nobis reliquit? Nec enim his cõtẽti " sumus, quę commemorat Apostolus, aut Euãgelium, verùm alia quoque & antè & " pòst dicimus, tãquam multum habẽtia momẽti ad mysterij perfectionem. Nõ quia " dixit Basilius, cùm ostẽditur panis, propterea intelligi debet nõ loqui de cõsecratione, sed de cõsecrati ostensione. Tum enim, cùm inchoabatur consecratio, panis & vinũ depromebãtur, & in altare inferebãtur, atque in ipsa cõsecrationis actione manibus sursum attollebãtur. Certè Basilius hoc suo textu plurimùm cõuenit cũ Græcorum liturgiis, in quibus preces faciunt antè & post institutionis verba, vt ipsum corpus fiat: & ait preces illas habere plurimum ponderis ad sacramẽti perfectionem. Augustinus quoque Græcis apparet suffragari: quia inquit nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica cõsecratum ritè sumimus ad salutem spiritalem. Porrò controuersia hæc facilè componi potest. Nã Græci & Latini etiam ipsa verba Christi, precationis appellatione cõprehẽderunt, & totum Canonem. Ob id Iustinus præfatus alimoniam fieri per pre-

Dionys. De Ecclesiast. Hierar. cap. 3.

De Sacram. li. 4. ca. 4. & 5.

Catech. 3.

Lib. de Spiritu cap. 12.

ces,statim meminit verbi à Christo traditi, & illud esse ait, quod Apostoli suis in Cōmentariis prodiderunt, *Hoc est corpus meum*. Ireneus etiam, cùm vno in loco panem percipere vocationem Dei dixisset, vt fiat Eucharistia, in alio pro vocatione sufficit verbum Dei, ac dixit, Panis percipiens verbum Dei. Nec aliter ferè Cyprianus totum Canonem appellat, quàm precem. Nihil ergo mirum, si tali prece mystica confici carnem in sacramento, apud Augustinum & alios legitur. Sed sciri æquum est, cur Christi verba in precationem fuerint ab Apostolis redacta, & cum ipsis cur alias preces coniunxerint, quibus & Spiritus sancti inuocationi vim impartierint ad efficiendum corpus Christi, sicut eiusdem proprio sermoni. Respondemus institutionem Cœnæ, ac verba Christi duobus modis efferri, aut tanquam lectionem, reíve gestæ & conscriptæ recitationem, vt quæuis alia historia solet. Sic prolata nō sunt operatoria, aut efficacia. Aliter enuntiantur ex mente & intentione proloquentis, vt in rem subiectā exerant eam vim, & imprimant effectum, cui destinata sunt à Christo Deo nostro. Deinde ædificationis est testari publicè verborum illorum efficientiam, virtutem & effectum, neque illis esse insitum & innatum, neque à proloquente proficisci & emanare, sed ab eorum authore Christo, & ipsi ingenita diuinitate. Hoc est quod toties ex Augustino inculcamus, valere verbum, non quia dicitur, sed quia creditur, nec prodesse sonum eius transeuntem, sed virtutem manentem. Propterea ad ista duo coràm & publicè profitenda verba Christi consecratoria, à Græcis & Latinis inter preces & inuocationem diuini Spiritus depromūtur, vt ostendamus à nobis reuerenter applicari & pronūtiari ad mirabilem illum effectum, neque nostris viribus aut verborum sono id conari, sed Christi institutione, ope, ac diuina omnipotentia. Talis verò ritus in consecrando obseruandi non alios authores esse credimus, quàm ipsos Apostolos, cùm Apostolici viri Iustinus & Dionysius huius meminerint, & Basilius, Proclus atque Innocentius tertius eūdem ad Apostolos retulerint, qui verba Christi in formam & canonem ministris conuenientem redegerunt. Quando igitur precibus fieri consecrationem inuenitur, aut Spiritus sancti opera, aut preces magnum pondus habere ad sacramenti perfectionem, aut alia dicendi genera occurrunt, interpretari oportet ex illo veteri ritu, quo inter preces & inuocationem effamur verba consecratoria, quæ ob id etiam nomine precationis & inuocationis à veteribus capi probauimus. Deinde cùm verba ipsa non quouis modo effusa, nec suapte natura operentur rem sacramenti, sed cùm ex animo rei subiectæ applicantur, & virtutem mutuantur à Christo, ac sine his conditionibus non fiat per verba sacramentum, non mirum si precibus & inuocationi perfectio sacramēti imputetur, quoniam illas conditiones palàm faciunt, quæ necessariò quidem requirūtur, sed non necessariò, sicuti illa verba præcipua, pronuntiantur, cùm satis sit ad op⁹ sacramenti illas conditiones penes ministrum esse: sed ad publicam notitiam & certitudinem ritu publico valdè conducit illas manifestas reddere, vt sacramentum fiat irreprehensibile, nec vllis calumniis subiaceat. Possunt etiam plurimùm piæ preces ad impetrandum fructum sacramentorum, & effectum eorum suscipiētibus applicandum, sicut Augustinus hoc capite citatus disputat: sed non tanti sunt, vt si adsint, sacramentum reddant: si desint, ipsum eneruent, sicuti faciunt (inquit Augustinus) certa illa verba Euangelica, sine quibus non potest sacramentum consecrari. Qua de causa Ambrosius ex contentis in Canone Missæ, preces à Christi sermone ita secernit & diuidit: Consecratio quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nā per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi venitur, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos vtitur, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo (cōcludit) sermo

Innocēt. in cap. Cum Marthæ. De celebr. Miss. & lib. 4. cap. 5. de mysterio Missæ.

Lib. 4. de sacramen. cap. 4. & 5.

sermo Christi hoc conficit sacramentum. Augustinus interea dum benedicitur & sanctificatur hoc sacramentum, orationes adhiberi ait, vt fiat votum nostrum Deo gratum & acceptum, & omnes vnum corpus euadamus in Christo: vbi profectò preces distinguit à benedictione & sanctificatione. Sed nec vllæ preces à verbis Christi seiunctæ ad sacramenti confectionem possunt peruenire. Non enim, sicuri iam toties repetimus, inuenta quorumcunque hominum, etiam Apostolorum, æquare debemus verbo Dei, ac sacramentorum, quæ hominum vires superant, compositionem horum sermonibus & statutis subiicere. Bessario in eum finem alias multas rationes affert, quæ ex veterum disputationibus petuntur, & maximè ex Augustino contra hæresin Donatistarum, asserentium integritatem & perfectionem sacramentorum ratam haberi ex sacerdotum ac ministrantium dignitate ac probitate, non autem ex formæ & materiæ à Domino facta institutione. Fiducia imprimis collocaretur in homine & in eius fide ac precibus, pro diuinitatis opere quod est sacramentum. Eiusdem etiam sacramenri impar & inæqualis accideret constitutio, sicut preces pro meritis & præparatione orantium sunt impares, atque ob id interdum laicorum plus virium haberent, quia sępè viri meliores existāt, & feruentiùs orant. Ne in eam perplexitatē rueremus, ait Chrysostomus prouisum à Domino in Eucharistia, quæ eadem sit omninò cum illa, quam ipsemet Christus in illa cœna fecit, quoniam eodem ipsius sermone nostra cōflaretur, sicuti & illa, & non nostro, vt aliqua differētia ex variorum hominum sermonibus statuatur. Deinde vnicam normam vni sacramento conuenire ratio postulat: sed in Liturgiis Græcorum & Latinorum preces admodum discrepant & variant. Nam aliæ imperant fieri corpus Domini, aliæ optant, ac breuiter tot sunt orandi genera, quot liturgiarum scriptores. Vnus verò est sacramenti cōditor, qui vnicum corporis sui sacramētum vnico dicendi genere fabricauit: quod tot Euangelistis religio fuit inuertere. Insuper preces in Liturgiis antecedentes verbum Christi, *Hoc est corpus meum*, sunt quàm simillimæ his quæ ipsum sequuntur, & tamen antecedentibus non alligatur consecrandi potentia. Non enim creditur panem in corpus consecrari, antequàm audiatur illud Christi verbū. Cur igitur quicquam amplius posterioribus precibus concedetur? Propterea quocunque loco positæ precatiūculæ numquam sibi arrogant huius sacramenti operationem, sed inuocant Trinitatem, omnium rerū opificem, vt corpus & sanguis in sacramento, aut nobis, & ad nostram salutem fiant. At inquiunt, prolato Christi sermone, *Hoc est corpus meum*, adhuc Græcorum Liturgiæ precibus deposcunt effici corpus illud & sanguinem, ne iam factum esse per verba Domini causemur, & ne nihil istis attribuamus. Dicimus cum Bessarione, precationum naturam hoc ferre, vt omnia contexant vno filo, & vno spiritu effundāt, quibus id quod intendunt impetrent, ac solitos cōcludere de fine quem spectant, etiāsi iam ipso potiantur, antequàm desinant. Ita enim feruor accēditur, vt impetu rapiatur, nec remittatur, donec omnia animo concepta coram Deo expectorarit, quamuis fortassè ad primam vocem ipsum propitium & annuentem habeat: sed ex zelo vel timore, ne non assequatur quod desiderat, sæpiùs idē postulat. Ita cùm dixisset, Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: nihilominus subiungit, Miserere mei, & exaudi orationem meam: atque his exemplis refertæ sunt scripturæ. Præterea latè patet Augustini regula de prima rerum creatione, vbi quod semel factum est, semel dici non potuit. Nam cùm altissimus ex scripturę testimonio omnia simul creauerit, id tamen vno verbo efferri & declarari non potuit, Moses per dies, quasi per partes, eius narrationem diuisit: quasi quodam temporis curiculo res successissent, quæ vno tamen temporis momento fuerunt conditæ. Hoc idem Euangelistis

Epist. 59. ad Paulinum.

in cœnæ descriptione cernitur cōtigisse. Cū enim Christus simul benedixerit, ac dixerit, *Hoc est corpus meum*, ac fregerit acceptum panē, simul vno verbo id dici nequiuit, licet inquam simul factum fuerit: sed quadam dictionum serie opus fuit. Quid mitum itaque, si idem à Patribus factitetur? Norunt vno puncto temporis, Trinitatis personas simul corpus Domini in sacramento operari, interueniente quasi quodam ministerio & instrumento verborū Christi, *Hoc est corpus meum*. Sed quoniam quod vnà fit, & semel, exprimi nequit, per partes conantur assequi, & temporis successione. Inuocant itaque patrem & filium, huiúsque sermonem in medio collocāt, quasi commune trium personarum instrumentum: & postea de Spiritu sancto subiungunt ad idem opus efficiendum, quod inquam non faciunt, quasi fiat temporis partitione, & successione, sed sciunt fieri à tota Trinitate simul in momento sacramentalis verbi prolati. Attamen non potuerunt id declarare vno spiritu, aut vna dictione, cum ea qua decet veneratione: ideò particulatim ad quamcunque personam suo fuuguntur officio. Deinde quamuis post Christi verba rogent fieri corpus Christi, si penitiùs inspiciātur, non intelligunt, nec petunt vt fiat in sacramento, sed nobis, vti etiam Canon Latinus habet: Vt fiat nobis, inquit, corpus & sanguis Christi Domini nostri: vt, inquam, nobis cedat ad salutem, & pro voto nostro: fiat, inquam, corpus mysticum per naturale, ad quod valere preces Augustinus paulò antè dixit. Eam esse vtramque intelligentiam Liturgiarum patet, ex responso Græcorum in concilio Florentino. Nam quærentibus Latinis, cur Græci post hæc Dominica verba, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum*, quibus sacramentum confici creditur, hac etiam vterentur oratione, Fac panem quidem hunc honorabile corpus Christi tui, quod autem in calice est, honorabilem sanguinem filij tui, & sancto spiritu tuo transmutante: responderunt Græci se firmiter credere, verbis illis Dominicis sacramentum fieri: sed quemadmodum Latini confecto sacramento, hac solent vti oratione, Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum: ita Græcos ista verba proferre, vt sacratissimum Christi corpus & sanguis peccatorum nostrorum remissioni, ac nostris animabus saluti fiat. Hoc in Liturgiis ipsis Iacobi, Clemētis, Basilij, & Chrysostomi apertè designatur, sicut etiam preces valere significant ad mysterij opificem Trinitatem promerendam, cuius opera fit corpus Domini. Nihilominus cùm definiunt, quorum verborum instrumēto ad hoc opus perficiendum vtatur sacrosancta illa Trinitas, non alia agnoscunt quā illa Christi solemnia, *Hoc est corpus meum*, vt in fine huius capitis ex Basilio, Chrysostomo, & aliis Græcis recitabitur. Quamobrem rectè censent illi, qui inuocationi Spiritus ascribunt consecrationem, modò maximè necessaria apponant, nempè illum sermonem Christi, quo virtus Spiritus panem immutat: nec quando precibus mysterium perfici volunt, ineptè faciunt, modò suum cuique ius attribuāt, Spiritui virtutem, verbis instrumētalem actionem, & precibus vtriusque applicationē: quæ tria cùm ad idem opus cōspirent & coadunentur, ipsum singulis iure potest deferri, sed vnicuique suo in genere & gradu. Sed nec fuerunt à Cēnicio tam acerbè redarguendi Colonienses Theologi, & doctiss. Episcopus Lindanus, quòd institutionis commemorationem sufficere ad consecrandum negarint, & Basilium sint secuti, qui preces ad perficiendum sacramentum ex traditione Apostolica exegerit. Etsi enim institutio de contentis in Canone concedatur, non tamen nuda eius recitatio quicquam efficiet, nisi verba illa efficacia adhibeantur & applicētur ad opus Eucharistiæ perficiendum, quod Ecclesiæ non nisi ex adiunctis precibus potest comprobari & innotescere. Quamuis autem consentiant omnes Græci & Latini de prece Canoni inserta, & inuocatione, eíque multum tribuant ad ritè ac perfectè celebrandum

In vlt. Session. conc. Florent.

&

& peragendum sacramentum, nemo tamen est, qui non omne momentum actionis & operis sermoni Christi reseruandum confirmet: & rationes allatæ capite De benedictione, & in præsenti, conuincunt. A quocunque didicerit Magnus Gregorius, Apostolos sanctificasse Eucharistiam per orationem Dominicam, ab eodem deceptus fuit, cùm ex Apostolico viro Iustino Martyre, & ex Basilio contrà clarius sole elucescat. Sed fortasse est, quod ipsum fefellerit, seu alios à quibus accepit, quòd cùm ex præsanctificatis, siue ex hostiis asseruatis, fieret Missa, & oblatio, aliquando propter prementes persecutionum necessitates vtique sola oratio Dominica, Canonis ac precis loco recitabatur: quemadmodum etiam retinetur vsus in die Passionis Dominicæ, & hoc à Græcis sumpserunt Latini. Aut Gregorius intellexit, præter verba Domini nō preces in Canone positas habuisse Apostolos, sed earum vice vti solitos oratione Dominica: quod opinari etsi tolerabile videatur, nihilominꝰ ex Basilio & aliis iudicatur tanquam falsum. Sed vt tandem disputatio hęc cōcludatur, si institutio, si preces, si inuocatio, aut quid aliud esse de forma consecrationis ab vllo asseratur, distinctione opus est, cùm esse de consecratione, aut de eius forma dupliciter legatur & intelligatur. Nam aliquando quàm latè patet Canon, & omnia quæ à publica gratiarum actione inchoantur, nomine consecrationis, & appellatione formæ eius continentur: aliquando, ac propriè quidem, forma benedictionis censetur, quæ opus & effectum in rem subiectam inducit: & pauca illa verba Domini talem nomenclaturam merentur. Nam cùm sola ista effectum significent, eundem sola producunt. Alia dispositiones & antecedentia quæ requiruntur ad effectum, important & denuntiant, aut consequentia, ideóque extra formam propriam reputantur, nec eius complexu tenentur. Deinde dupliciter labitur Scotus, tum quòd totum Canonem propriæ formæ adiudicat contra æquum & iustum, atque omnem antiquitatem, tum quòd dubitandum suadet, an singularis illa Christi locutio, *Hoc est corpus meum*, sit sufficiēs & idonea forma, tum quod nihil periculi esse existimat, si ignoretur certa huius sacramēti forma. Si enim ignoraretur, quodnam esset, & quando fieret sacramētum? Neque sunt audiendi qui scribunt nesciri quonam pacto Christus consecrationem expleuerit, quasi de hoc Euangelistæ nihil egerint. Certè ridiculum foret Apostolos minuta illa, Accepit panem, benedixit, fregit, dedit, ac dixit, *Hoc est corpus meum*, eáque tam accuratè expressisse, & interea reticuisse quod erat præcipuū, quibus nimirum verbis Christus benedixerit, seu quonam pacto ibi effecerit corpus suum. Quicquid præterea de lege ac more benedictionum attigimus, impellit vt credamus appositum fuisse benedictionis sermonem. Denique Patres non ob aliam rationem contendunt, ex illa Christi locutione sanciri consecrationis legem, quàm quod eadem ipse panem acceptum sacrarit. Quapropter Innocentius tertius argutior est hac in re, quàm par sit, cùm à diuina virtute, qua etiam fatemur panem corpus effectum à Christo, eiusdem verba, quæ virtutis sunt instrumenta & enarratoria, secludit, & inuoluitur earumdem confutationum laqueo, quo opinantes incertum, qua verborum conceptione Christus ad benedicendum effatus sit. Nec verum prius Apostolos hausisse calicem, quàm Christus dixerit, *Hic sanguis meus*: sed per præoccupationem dixit Marcus, Biberunt ex eo omnes: vti constat ex Matthæo, qui ait Christum effatum, Bibite ex eo omnes, *Hic est enim sanguis meus*, vt annecti ostendat. Nec mirum simul Christum benedixisse, fregisse, ac dixisse, apud Lucam, *Hoc est corpus meum*: sed quod simul factum fuit, simul dici non potuit. Pactum verò Ambrosij Catarini illorum hæresin sapit, qui nullis verbis opus esse aiunt ad Cœnam celebrandam, aut verba nihil proficere ad sacramentorum constitutionem. Relinquitur vt discutiamus nebulas, quas nostræ fidei Marcus Ephesinus atque alij obtē-

Greg. epist. 65.

dunt. Aut significario, inquiunr, huius clausulæ *Hoc est corpus meum* attenditur, aut tanrùm sonus & prolatio. Si posterius non plus valenr istæ dictiones quàm aliæ quęcunque ad corporis Dominici in pane exhibitionē, & à quocunque pronuntiarentur, tantundem possent, si omne robur nanciscantur ex recitatione. Sin in propria significatione capiunrur, pertinere aiunr ad panem à Christo acceptum, & nihil afficere panem prehensum à sacerdore. Quòd si dici ex persona sacerdotis voluerimus, indicarent ergo verba huius proprium corpus, & non Christi exhiberi. Neganr eriam formam hanc esse conuenientem in sacramenro, quoniam non in actione versetur, sicut ea qua baptismus irrogatur. Respondemus verba non inrelligi neque vsurpari à nobis pro sono rrāseunre, sed in propria significatione, eáque valere ex institutione Domini & virture: ideóque ex eius persona efferri circa panem propositum, vt ipsemet per ea nostro ministerio illum immuter. Hìc nos legatione fungimur, & pro legatis nos gerimus, à quibus regum ipsissima dicta & mandata deferuntur, & ex eorum ore ac persona recitantur, atque ita pacem interea vel bellum indicunr ac faciunr, ac si reges ipsi in præsentia eloquererur. Ita Moses coram Pharaone ad edenda prodigia, ita Prophetæ plerúmque personam Dei induunr, & præfati, Hæc dicit Dominus, iam non suum, sed eius sermonem proponunt, qui sic pleniùs afficit, & multò certiùs operatur, quàm si iidem ipsimet denuntiarent: eodémque modo interpretari verba Christi, quæ in panem proferimus, nos edocuerunr Parres infrà citandi. Porrò non debuir actionis genere & stilo sacramentum hoc efformari, quoniam non in actione circa hominem suscipienrem & communicantem primò consistir, sed in panis & vini sanctificatione, eorumdémque in corpus & sanguinem cōuersione. Oporter verò discrepantium sacramentorum discrepanres esse formas & naturas. Calumniantur nos Germani, quasi de verbis instirutionis multa prudenres omittamus: sed legatur diligentiùs noster Canon, & regula qua consecramus, & inuenietur de institutione plura à nobis adhiberi, quàm consecrarionis necessitas exigat, ac ne verbum quidem ferè de institurione præreriri. Rursum ab eisdem rraducimur, quasi multa exotica & profana verbis Domini assuamus. Sed quoniam ista ad rirus, quibus in Missa vtimur, pertinenr, prolixior disputatio de Canone Missę eò est remittenda.

Apolo. ad Anton. IVSTINVS cùm dixisset sacratam alimoniam per preces sermonis Christi esse eiusdem corpus & sanguinem, subiicir: Apostoli enim in Commentariis suis, quæ Euangelia dicūtur, ita sibi Christum præcepisse rradiderunr. Eū accepto pane, cùm grarias egisset, dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est corpus meum.* Dixisse eriam accepto poculo, cùm egisset gratias, *Hic est sanguis meus*, sibiq; solis dedisse.

Lib. 4. cap. 32. ca. 57. & li. 5. IRENEVS frequenrer quidē scribir per ea verba sępè Christum confessum esse, panem esse suum corpus, & vno in loco exprimit, arque air, Christum eum accepisse, qui ex crearura panis est, & gratias egisse, dicendo, *Hoc est corpus meum*: & panem & vinum percipiendo hoc verbum Dei, fieri Eucharistiam corporis & sanguinis sui.

Lib. 4. in Marcion. & lib. de oration. TERTVLLIANVS: Panem corpus suum fecit dicendo, *Hoc est corpus meum*, & corpus Christi in pane censetur. Si quidem Dominus air, *Hoc est corpus meum.*

ORIGENES. Celsus, vt Dei ignarus, gratias dæmonibus reddir, nos verò condirori rerum morem gerenres, pro eius in nos collatis beneficiis, vbi & gratias diximus, oblatis panibus vescimur: qui vrique ex oratione & precibus in sanctius quoddam corpus conflantur, quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integriore *Homil. 9. in Leuit.* hoc ipso vranrur. Explicar alibi quæ sinr illæ preces, & ait, Disce sanguinem verbi, & audi ipsum ribi dicenrem, Quia hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissio-

remiſſionem peccatorum.

CYPRIANVS. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacraměta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius ſummus ſacerdos panem profert & vinum: *Hoc eſt*, inquit, *corpus meum*. Manducauerant & biberant de eodem pane, ſecundum formam viſibilem: ſed ante verba illa cibus ille commodus tantummodò nutriědo corpori erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictũ eſt, *Hoc facite in meam commemorationem*, *Hæc eſt caro mea*, & *Hic eſt ſanguis meus*: quotieſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis ille ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutémque proficit. *Cypr. De Cœna. & epiſt. ad Cæcilium.*

CYRILLVS Hieroſolymitanus. Deum benigniſſimum oramus, vt ſuper illa propoſita ſanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Chriſti, vinũ verò ſanguinem Chriſti. Omninò enim quod attigerit Spiritus ſanctus, hoc ſanctificatur & tranſmutatur. In alia Catecheſi, quod ſuperiori dicto ſit coniungendum, ait, Accepit panem, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens, Accipite, manducate, *Hoc eſt corpus meum*: & accipiens calicem, agénſque gratias, dixit, Accipite, bibite, *Hic eſt ſanguis meus*. Cùm igitur Chriſtus ſic affirmet, atque dicat de pane, quis deinceps audeat dubitare? *Cateche. 5. et 4*

EVSEBIVS Emiſſenus. Inuiſibilis ſacerdos inuiſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis ſui & ſanguinis, verbo ſuo, ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens, Accipite & edite, *Hoc eſt corpus meum*: & ſanctificatione repetita, Accipite & bibite, *Hic eſt ſanguis meus*. Alio in loco ſcribit, Qui dixit tunc per ſe, modò dicit per ſuos miniſtros, *Hoc eſt corpus meum*: & tanta eſt eius verbi virtus & efficacia, vt ſtatim fiat quod dicitur. *Hom. 5. De Paſch. & Hom. in ramis Pal.*

GREGORIVS Niſſenus. Corpus Chriſti naturale panis erat potentia, ſanctificatum eſt autem habitatione verbi, quod in carne habitauit. Itaque qua ex cauſa panis in eo corpore naturali mutatus, in diuinam virtutem tranſiit, eadem de cauſa nunc etiam idem fit. Vt enim illic, verbi gratia ſanctum efficit illud corpus, cuius firmamentum ex pane cõſtabat, & ipſum etiam quodammodò panis erat: ſic etiam hic panis, ait Apoſtolus, per verbum Dei & orationem ſanctificatur: non quia comeditur, eò progrediěs vt corpus Chriſti euadat, ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt dictum eſt à verbo, *Hoc eſt corpus meum*.

THEOPHILVS Alexandrinus. Non recogitat panem Dominicum, quo Saluatoris corpus oſtěditur, & quem frangimus in ſanctificationem noſtri, aut ſacrum calicem, quæ in menſa vtique Eccleſiæ collocantur, & inanima ſunt, per inuocationem & aduentum ſancti ſpiritus ſanctificari. Et libro ſecundo oſtendit, id fieri per verbum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, cuius auditores non poſſint eſſe dæmones, quia corporis edendi non ſint capaces. *Lib 1. Paſch.*

DE Ambroſio iam nonnulla produximus, plura producturi poſtea, quorum epilogus iſte ſit. Si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicemus de iſta conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini ſaluatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur.

CHRYSOSTOMVS totus incumbit in aſſerendo præſenti argumento. Sacra ipſa oblatio, ait, ſiue illam Petrus, ſiue Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, & quam ſacerdotes modò conficiunt. Nihil habet iſta quàm illa minus. Cur ita? quia non hanc ſanctificant homines, ſed ipſe Chriſtus, qui illam antè ſacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus eſt, eadem ſunt quæ nunc ſacerdotes pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt. Non ſunt humanæ virtutis hæc opera: quæ tunc in illa *Hom. 2. 2. ad Timoth.* *Hom. 83. in Matth. & 60.*

ad pop. Antioch. Cœna fecit ipſe, nunc operatur, ac perficit. Miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui verò ipſa ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt.

Hom. De proditione Iudæ, ex Beſſar. verſione. ADEST nunc quoque Chriſtus, qui illam menſam fecit, ille ipſe nunc etiam ornat. Non enim eſt homo, qui hæc munera facit, corpus & ſanguinem Chriſti, ſed qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Figuram quidem adimplens, aſtat ſacerdos, verba illa pronuntians: poteſtas verò & gratia tota Chriſti eſt. *Hoc eſt corpus meum,* ait. Hoc verbum res propoſitas tranſmutat. Nam quemadmodum vox illa, qua dictum eſt, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſemper autem fit, naturæ noſtræ vim præbens ad generandum: ita hæc quoque vox ſemel dicta, in ſingulis aris ex eo tempore vſque præſentem diem, & vſque ad Chriſti aduentum hoc ſacramentum integrè perficit.

Lib. 2. cap. 8. ISYCHIVS. Niſi Chriſtus rogatus ore ſacerdotum ipſe venerit, & Cœnam ſanctificauerit, & initiauerit ea quæ aguntur, nullatenus ſacrificium Dominicum fiunt.

Lib. 6. cap. 22. QVINTA quæ additur, ſermo eſt qui prolatus eſt ab ipſo Chriſto ſuper Dominicum myſterium. Ipſe enim liberat nos ab ignorãtia, remouétque nos additus carnale quippiam & terrenum de ſanctis arbitrari, ſed diuinè ea & ſpiritaliter accipi ſancit, quod Quinta propriè nominatur: quia qui in nobis diuinus ſpiritus & ſermo quem tradidit, qui in nobis ſunt, componit ſenſus: & non ſolùm noſtrum guſtum producit ad myſterium, ſed & auditum & viſum, & tactum & odoratum: ita vt nihil in eis minori rationi & infirmæ menti proximum, de his videlicet quæ valdè ſuperna ſunt, ſuſpicemur. Sanctificationem enim myſtici ſacrificij, & à ſenſibilibus ad intelligibilia tranſlationem ſiue commutationem, ei qui verus eſt ſacerdos, videlicet Chriſto, oportet dari, id eſt, ipſi de eis miraculum cedere & imputare, quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ vidẽtur, tam ſanctificata ſunt, quàm cunctum carnis excedunt ſenſum.

Epiſt. ad Euagrium & in cap. 14. Marci, citante Campano. HIERONYMVS ait ad preces ſacerdotum, corpus à Chriſto confici, & panem, dicendo, *Hoc eſt corpus meum,* in que corpus transfigurari.

Sermon 28. De verb. Domini. Iſta citat Beſſar. lib. De ſacram. Euchariſt. AVGVSTINVS. Memini ſermonis mei, cùm de ſacramentis tractarem. Dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur: vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur.

Diuini corporis conſecratio à Catholica Eccleſia creditur, non magis à bono, non minus à malo ſacerdote confici: non enim merito conſecrantis, ſed creatoris efficitur verbo.

Credendum, Chriſti verbis ſacramentum confici. Cuius enim potentia creata ſunt ea quæ ſunt, huius certè verbo ad melius mutantur.

Vocatur & caro Chriſti, quod caro continere non poteſt. Conficiunt autem illud carnis verba, quæ ipſius carnis Chriſti verba fuerunt. Ait enim, *Hoc eſt corpus meum.*

Alibi tamen ſcribit, prece myſtica & operante inuiſibiliter Spiritu ſancto, corpus Chriſti ad eam viſibilem ſpeciem panis perduci: vt intelligamus non loqui pugnantia aut diuerſa ſcriptores noſtros, quando precibus aut inuocationi attribuunt quod Chriſti verbo fit: ſiquidem inter preces & inuocationem verbum illud operatorium adhibetur, ob ídque propter ipſum precibus inquam aliquando opus imputatur.

AN VERBA CONSECRATIONIS, SPECIEM MAGIÆ PRÆBEANT: & de quibuſdam generibus dicendi, quæ calumniantur aduerſarij.

cap.

CAP. 6.

ANTEQVAM progrediamur vltrà, eluamus maculam oportet, qua Sacramentarij & Lutherani conantur Ecclesiam Catholicam contaminare, quasi magiam quandam per verbum Domini, & crucis signacula in consecratione exerceat, & Christum quasi Iouem quendam Elicium colat, cœlóque eliciat, aut deducat in panem: ex quo nostri scriptores creari, cõfici, in eúmq; delabi, & descẽdere ad preces sacerdotum non vereantur asserere. Nihil certè morabamur Petri Vireti scurrilitatem, qua consecrationem, tãquam veterum comœdiarum magodiam, id est, magicam cantionem impudens canis discerpit. Nihil mouebamur de Caluini & Bezæ maledicentia, cùm ab ipsis potiùs quàm à nobis magorum effascinamentum cudi & obiici in Cœna videremus. Nam cùm profitentur se sistere, & offerre corpus Christi in ipsa Cœna, & eodem momento tantum abesse à cœnantibus, quantum cœlum à terra, quid aliud est quàm nuptiarum epulum exhibere, quam Lamia Menippo amasio olim per magiam instruxisse fertur, quódque ad primum aspectum euanuit, & hiantes atque famelicos delusit? Ægrè est à Germanis nos tãquam magos traduci, cùm eadem nobiscum implicentur damnatione. Euocant enim è cœlo Christum, si euocamus, cùm de ipsius præsentia idem nos & illi sentiamus, & eodem Domini sermone vtamur, ac de eiusdem efficacia, quoad existentiam carnis Dominicæ in sacramento conueniamus. Tantùm interest, quòd illa alta pronuntient, quæ nos submissa voce recitamus verba: quod non tanti opinor, vt magos à legitimis Dei ministris secernat. Quicquid sanè ad tollendam opinionem de magia pro se attulerint, id pro nobis facit. Brentius posteaquàm ex vbiquitate priorem suam fidem irritam fecit, qua per verba adesse corpus Christi in sacramento, quod antea non erat, asseuerabat, consecrationem tanquam magiam etiam contra Germanos insectatur: quod illi Bullingerus exprobrat. Euocent sanè Christum è cœlo Lutherani oportet in panem, cùm nolint ibi adesse per panis conuersionem in ipsum, sicuti nos credimus. Non dubium quin Christus ipse, Apostoli, atque primi Christiani fuerint suspecti de magia propter verborum formulas, quibus sacramenta administrarent, miracula perficerent, & sanitates donarent. Has voluerunt imitari, & mutuari veri magi, quasi ex verborum præscripto effecta consecuturi. Sic illi Iudæi tentarunt dæmones depellere. Sic insignis magus ille Simon, quia ex baptismo & manus impositione cernebat Spiritum sanctum, eiúsque admirabilia dona per Apostolos effundi, quasi nescio quid artificij & latentis magiæ, sermoni & gestuum actioni inesset, studuit id rescire, & addiscere pecunia. Sic Marcus eius discipulus, quasi non aliter Christiani sanguinem in calice, quàm per verborum illusionem efficerent: vt haberetur illis excellentior, per magicas imprecationes, sanguinis speciem & formam præbebat, tanquam Domini in Eucharistia sanguinem. Sic, inquit Origenes, populus Dei putabatur per inuocationes maleficas victoriam de inimicis reportare: quia precibus potiùs dimicabat quàm viribus. Ideò rex Balach conduxit pretio Balaam, vt esset quasi amuletum contra Israëlitarum fascinamentum. Ibi Origenes rationem reddit, cur populi precationes pro incantamentis non potuerint æstimari, & ait: "Nullus sanctorum spirituum obtemperat mago. Non potest inuocare magus Michaëlem, aut Raphaëlem, aut Gabrielem: "multo minùs potest inuocare omnipotentem Deum, aut Filium eius Dominum "nostrum Iesum Christum, aut Spiritum sanctum. Nos soli accepimus potestatem "inuocandi Deum patrem, & vnigenitum eius filium. Quamobrem non inconsultò

Lib. 5. De adulterata Cœna. cap. 37.

Philostr. lib. 4.

Brent. lib. De Dei maiest.

Bullinger. in Repetit.

Matt. 12. Actor. 19. et 7

Iren. lib. 1. cap. 20.

Orig. hom. 13. in Num.

Ex quibus discernatur Dei virtus à magia

Quare consecratio incipiat ab inuocatione Trinitatis.

Christiani,vt opinor,decreuerũt, vt consecrationẽ exordirẽtur à precibus & inuocatione sanctissimæ Trinitatis,ne de magia nasceretur vlla suspicio, si nuda verba & circumscripta efferrent: nec poruetunr illam suspicionem meliùs remouere, quàm cùm rotum se expectare à parre & filio & spiritu sancto, magorum potiùs vltoribus quàm opitulatoribus,ostenderunt. Deinde creditum est semper cum Augustino, effectũ, aur efficiendi vim, non prodire à verborũ sono aut natura, sed à Dei omnipotentis ordinatione arque institurione proficisci, qui cõmittit,cõmunicat,ac delegat virturem suam, quibus placet vocibus & hominibus, nec illi quisquam porest iure dicere,Cur hoc facis.Tertiò Chrysostomus,arque alij producti,expendunt benedictionem fieri verbis ex pectore & ore Christi depromptis, quæ eriam nunc ex persona ipsius proferũtur:ne si aliena essenr,tanquam à Dæmonibus inuẽta quisquã insectetur, & ne ipsis magiam impuret, quin eadem opera Christum Iesum eorum aurhorem & præceptorem de magia condamnet.Ac ne cuiquam mirum videatur, verba illa tantam præ se ferre efficaciam,cogiret ex pleno fonre diuinitaris & porestatis,quæ in Christo residebat,effluere, vnde vim sibi insitam retineanr. Quartò, ne quilibet remerè in ipsa verba irrueret,hisque tanquam magicis à quocunque arripiantur,putaret opus,cui sunr consecrata,peragi,Dionysius atque alij agnoscunt,vt certis verbis,ita certis hominibus,Christum ministerium porestatis suæ, institutionis,& sermonis credidisse,ne illotis manibus sacra attinganr, quos ad hoc officium seligit & destinat,ex iniunctà & impressa Apostolis, & ab ipsis ad nos per manuum impositionem & alios ritus traducta spiritali quadam facultate, quam Sacerdotium nominarunt:de quo disserendi erit locus,cùm ad sacrificium venrum fuerit.Postremò,ne his quidem licet aut datur,verbis illis ad libitum abuti, vt quoties submurmurarint,aut effutierint,per ea præstent quæ significant(tum enim specimen magię aliquod darent) sed non operanrur, nisi rirè creatus sacerdos adhibeat omnes proprias functiones hominis,animum videlicet,linguam & manum,sicut quodam loco Cyrillus Alexandrinus notat,vt animo intendat facere quod Christus iussit & instituit,& hac fide secundum Cyprianum & Augustinum manum extendat,ad agẽda quæ Christus egit & linguam moueat ad dicẽdum quæ Christus dixit.Ita catena quadam è cœlo propendẽte,omne donum optimum,& hoc singulare sacrificium, desursum est descendens à parre luminum, à quo deriuanrur porentia & institutio materiæ,formæ,ministri,actionis, & operis, ob eámque causam omnibus vim impartit.Si quam ergo magiam hîc exercemus,diuina sit oportet,à Deo instituta,& agendi arque efficiendi porestare cœlitùs prædita. Sed Deo laudem & gloriam debitam retineamus, magiæ nomen proprer infamiam respuamus. Quò magis aurem confirmetur,omnia quæ ex Deo sunt,hîc esse efficacia,nihil verò eorũ quę particularitet rexeunt ab homine,necessariò requiri,duo homo ex se ad sacramenti administrationem potest afferre,fidem particularẽ,quam habet apud se de roro, seu de aliqua parte sacramenti,& inrelligentiam eorum quæ gerit.quamuis neutrum horum in homine sanum esset & rectum,imò quamuis homo nihil omninò particulariter crederet,aut inrelligeret,modò animo inrendat exequi quod Christus præcepit & decreuit,& ea dicat arque agat quæ sunr mandata, nihilominus sacramenta conficit & administrat. In eo consistit tota Augustini cum Donatistis contentio de perfectione ministrorum,cuius rextum superiùs audiuimus,cùm de prædicatione verbi contra Caluinistas ageremus. Ex his nata est contra Ecclesiam de magia calumnia. Nam ad incantamentum accedit,qui quodam verborum præscripto, quæ nec credit,nec inrelligit,res supra naturam positas operatur.Quod certè verum est,si pactũ & facultas à Dæmone procedat:secus aurem,si vtrumque à Deo emanet. Nam tum

Vide cap. 5. præcedens.

Quare fiat consecratio ex persona Christi.

Quid sacerdos ex se afferat ad consecrationẽ.

Cyrill. Alex. in cap. 21. Ioann. Ibid. Chrysost. Vide cap. 5. præcedens.

Qualis intẽtio sacerdotis requiratur, & quale ministerium.

res

res tota diuina est, licet hominis ignorãtis ministerio geratur. Huiusmodi verò fuerunt prodigia edita à Mose coram Pharaone, quibus aliqua similia ediderũt magi: quæ non diuina miracula, sed diabolica & magica ludibria debuerunt nominari, tametsi operum quæ fiebant, saltem primorum, fortassè maior esset in Mose, quàm in magis ignoratio. Quamobrem prudenter Origenes admonet, vt Christiani assuescant de scripturis diuinis multa proferre: quia quamuis non intelligant, probè tamen intelligantur ipsi ab Angelis, sicut à Dæmonibus magorum carmina benè sentiuntur etiam ab ipsis non intellecta. sed satius fuerit textum Origenis ascribere. Si creditum est (ait) à gentibus, quòd quædam carmina, quas precationes appellant, quibus istud est artis, vt nominibus quibusdam compellatis, quæ ne illi quidem, qui inuocant, norunt, ex solo vocis sono vel sopiantur serpentes, vel etiam de cauernis protrahantur abstrusi, sæpè autem & in corporibus humanis tumores, aut alia huiusmodi, voce sola reprimere dicũtur, interdum etiam animæ quendam sensus stuporem infligere, vbi tamen Christi non restiterit fides: quantò magis præcantationibus & carminibus validiorem & potentiorem ducendam credimus quamcumque illam scripturæ sanctæ, vel sermonum, vel nominum appellationem? Sicut enim apud infideles contrariæ virtutes audientes illa vel nomina in carminibus vel præcantationibus adsunt, & exhibent famulatum, & dant operam in hoc, ad quod inuocari se ex illo vel ex illo nomine senserunt, eò magis vtique cœlestes virtutes & Angeli Dei qui nobiscum sunt, sicut & Dominus de paruulis Ecclesiæ dicit, quia Angeli eorum semper vident faciem patris, libenter & gratè accipiunt, si semper verba scripturæ, & horum nominum appellationes, velut carmina quædam & præcantationes ex nostro ore promamus. Quia etsi nos non intelligimus quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adsunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ, adesse nobis, & ferre auxilium delectantur. Fatemur ergo virtutem, verba, institutionem dictorum & factorum in Cœna, ac ministerij potestatem à Deo prouenire, & per ipsum omnia illa efficacia & operatoria, quæ si dęmonibus attribuerentur aut ab illis peterentur, aut ad ipsos referrentur, procul dubiò non carerent incantationis nota. Nobis insuper nihil vendicamus in sacramentorum confectione, præter vocis, manus, & intentionis externum ministerium. Si propterea de magia infamamur, gloriamur, quia propter Deum & obsequium eius maledicimur, ac libenter sinimus Caluinistas & Lutheranos, ne magi sibi videantur, Gigantum more bellare cum Christo, ac plus virium sibi arrogare in eius mysteriis, quàm ipsi relinquere, cùm sine sua singulari fide, aut intelligentia, aut attentione, aut concione, aut clara atque articulata totius institutionis recitatione nihil ab ipso fieri iactent. De eo verò, quòd nos grauant inuidia, quoniam ex Cypriano, Ambrosio, & Augustino, aut alio, creari de pane corpus Christi, ex Ambrosio formari, & ex eodem atque Hieronymo, confici ore sacerdotis efferimus, quasi creatura creatorem condat, aut saltem actum agat, quandoquidem corpus Christi, tanquam nouum quid fabricare videamur. Respondemus verba illa in scripturis & Patribus non sonare rerum nouam efformationem, sed nouum modum existendi: sicut apud Esaiam dicitur, Ecce ego creo nouos cœlos, & nouam terram: & apud Dauidem canitur, Cor mundum crea in me Deus: vbi sola noui status acquisitio designatur. Hæretici pari subtilitate Catholicis facessebant negotium, ex eo quod scriberetur, Verbum caro factum est: &, Misit filium suum factum ex muliere: quasi ex carne virginis cœpisset effingi filius Dei, aut in ipsum versa esset: sicut ex verbo Creandi Arriani contẽdebant eundem initium & ortum duxisse ex tempore, quasi

Origen. in Numer.

Caluinistæ & Lutheran. propiùs accedunt ad magiã quã Catholici.

Cyprian. De Cæna.

Ambros. De sacramen.

August. can. Vtrum. distin. 2. De consecr.

Ambros. lib. 4. De sacram. cap. 4.

Hieronym. ad Euagr.

Quomodo dicatur corpus Christi de pane creari et cõfici.

Theodoret. lib. 1. Polym. Athanas. in orat. cõtra Arrian.

id prædicaret iſta ſcriptura, Dominus creauit me initio viarum ſuarum. Patres Catholici negant huiuſmodi locutionibus naturalem filij Dei aut eſſentiam, aut generationem indicari, ſed acceſſoriam & aduentitiam, non qua ſimpliciter extitit, ſed qua talis, nimirùm caro & homo eſſe cœpit. Adhæc ſi penitùs Patres conſiderentur, facilè iudicabitur non ab illis temerè ſcribi, creare, cõficere, & formare corpus, nec ſolùm per iſta nouum conſiſtendi modum oſtendi, ſed rationem denotari, qua talis modus contingat, vt potè per ſubiecti panis tranſeuntem ſubſtantiam in carnis Dominicæ naturam, perinde ac ſi recenter editam, quemadmodum res nouę ſolent produci à Deo ex aliarũ corruptione, aut conuerſione. Proinde Creandi verbum, & alia vſurpantur à patribus in myſterio incarnationis & Euchariſtiæ frequẽtiùs ad noſtram de conuerſione naturarum confirmandam fidem, quæ facta eſt in incarnatione ex puriſſimis ſanguinibus immaculatæ virginis in veram carnem, & in Euchariſtia fit ex pane in eandem Chriſti carnem. Nec mirandum, ſi verba iſta miniſtris & ſacerdotibus etiam attribuantur. Satis eſt enim Patres non tantùm ſemel fuiſſe profeſſos hîc Dei potentia, verbis, & ex perſona eius omnia tranſigi, homines verò tantùm miniſtrorum locum tenere, vt omnium quæ aguntur, authoritas & proprietas referatur in Deum: ídque vt declaretur amplius verbis propriè ipſi competentibus, res tota explicatur. Ludit Petrus Martyr, quaſi confici corpus Chriſti à ſacerdotibus ſignificet ipſum interfici, cùm verbum illud ex Donato in Eunuchum Terentij iudicet eſſe gladiatorium. Qua in ſignificatione certè apprimè conuenit Petro Martyri & Caluiniſtarum miniſtris, qui gladiatorum more per noſtras Eccleſias graſſati ſunt, & corpus Chriſti verum, quantum in ipſis fuit, & myſticum, quod eſt Eccleſia Catholica, immaniter confecerunt, & tot pios ſacerdotes trucidarunt, non aliud ob crimen, quàm quòd ex Chriſti mandato corpus eius quotidiè pro pace Eccleſiarum conſecrarent, conficerent, aut effectum offerrent atque adminiſtrarent. Poſtremò ſubſannant nos aduerſarij, tanquam verbis noſtris Chriſtum quaſi lunam cœlo euocemus & deducamus, ipſúmque iubeamus ad nos illabi & deſcendere. Non negamus Græcos in ſuis Liturgiis precari aduentum & deſcenſum corporis Chriſti & Spiritus ſancti, & in Optato, Athanaſio, Chryſoſtomo & Gregorio Magno ſimilia loquendi genera reperiri, ſed ita temperata & expolita, vt facilè appareat ab ipſis iſta adhiberi ad exprimẽdam veriſſimam corporis Chriſti in ipſo ſacramento præſentiam ſingularem, aut efficaciam ac virtutem potius, quàm loci, in quo reſideat corpus Chriſti, mutationem. Propterea nec ab huiuſmodi verbis abhorruit Caluinus, quando ait carnem Chriſti ad nos penetrare, Chriſtum ad nos vſque deſcendere, & ſpiritu ſuo illabi in corda noſtra, ſicuti & iſta attolli & transferri in cœlum optamus, & in noſtra Liturgia oramus oblata ſacrificia in ſublime altare perferri. Tantum verò abeſt, vt detrahamus cœlo corpus Chriſti, vt Chryſoſtomus & Baſilius Liturgiarum authores, atque alij in aliis Repetitionibus citati, pro miraculo proponant corpus Chriſti in eodem temporis articulo, & cœlo inſidere, & manibus hominum cõtrectari: Tantum, inquam, abeſt, vt eliciamus è cœlo, tanquam Iouem, Chriſtum, vt noſtri Theologi cauſam neceſſariã conſtituendæ Tranſſubſtãtiationis hanc eſſe explicent, ne dimoueamus cœlo Chriſtum, qui adeſſe in ſacramento nequeat, niſi per deſcenſum, & per motum & appropinquationem loci ad panem, aut per conuerſionem panis in ipſum, vt antea probatum fuit. Qua de cauſa Lutherani veniunt grauiùs & iuſtiùs quàm nos accuſandi, cùm præſentem Chriſtum faciunt in ſacramẽto per motum corporis de cœlo, & non per creaturæ in ipſum conuerſionem.

In Defenſ. de Euchar. obiect. 110.

Quare dicatur corpus Chriſti ad nos deſcendere.

Optat. lib. 6. Athan. apol. 2. Chryſoſt. hom. De S. Philogonio. hom. 61. ad pop. Antiochen. hom. 3 ad Epheſ. & lib. 6. De ſacerdot. Gregorius lib. 4. Dialog. & hom. 22. in Euang.

Vide in examine doctrinæ Caluinianæ de Cœna Domini.

DE SENSV VERBORVM CHRISTI, HOC EST CORpus meum. CAP. 7.

CALVINVS nos exagitat magnis clamoribus, quaſi orationem Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, interpretemur, Hoc tráſſubſtantiatur in corpus meum. Sed nemo noſtrum edoctus eſt in Eccleſia Catholica tam ſtolidè ſcripturas peruertere: & licet id conaremur, fortaſſè Cinglius, Caluinus & Beza nobis ſuffragarentur cupidiùs quàm vellemus, à quibus Lutherani obtundũtur, quaſi effugere nequeāt, aut declinare tranſſubſtantialitatem, ſi Chriſti ſermonem ad literam exponant: & paulò antè ex Beza citabamus, Panem fieri corpus, aut, In corpus mutari, phraſes eſſe veterum Patrũ, quæ niterentur hac authoritate filij Dei, *Hoc eſt corpus meum.* Nihilominus (EST) in ſua genuina ſignificatione relinquimus cũ tota locutione, & interim probamus his verbis conuerti panẽ in corpus Chriſti, & conuerſum declarari, tametſi conuerſionis modus expreſſis literis & ſyllabis non explicętur, ſed factum enũtietur. De efficacia horum verborum copioſè diſſeruimus: nunc de ipſorum ſignificatione & demonſtratione agamus. Ante omnia ne recedamus à methodo quam tradũt ſcripturæ de Euchariſtiæ ſacramẽto, credimus hac oratione Chriſti non plus monſtrari & exhiberi, quàm eſſet pollicitus. At nuſquam panem naturalem promiſiſſe cum corpore legimus: propterea nec per (Hoc) demonſtrari panẽ credimus. Quod quæſo, Euangelium proferetur, vbi panis & vinum, aut à Chriſto aliquando promiſſum, aut in cœna datum, aut ab Apoſtolis manducatum ac nobis traditum recenſeatur. Si enim vt aqua in veteri ſubſtantia poſt conſecrationem baptiſmi manet, ſic panis & vinum in priore natura poſt benedictionem verborum cœleſtium conſiſtunt, debuit & promiſſio non minus de pane & vino fieri, quàm de aqua baptiſmi facta eſt: & comminationem eandem non recipienti panem & vinũ, oportuit apponi, quæ non loto aqua baptiſmatis appoſita eſſe cognoſcitur. Ac, vt dictum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnũ cœlorum: ita dici oportuit, Niſi quis comederit panem, & biberit vinum in meam commemorationem, non habebit vitam in ſemetipſo. Vt dictum eſt, Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit: ſic dici debuit, Qui crediderit, & panem ac vinum cum corpore meo biberit, ſaluus erit. Vt in ipſa baptiſmi collatione dicitur, Ego te baptiſo, quod vtique ſignificat, Ego te lauo: ſic debuit in cœna Domini dici, Ego te pane & vino cum meo corpore paſco in vitam æternam. Vt in baptiſmi exhibitione, aqua nec nomen accipit nouũ, nec tanta cautione cuſtoditur, vt guttam aliquam illius in terram cadere nefariũ putetur: ita oportuit nec panis viníque nomina mutari, nec ſollicitè adeò caueri, ne mica fortè in terram caderet. Sin hæc omnia longè aliter ſe habent: ſi & promiſſio, & comminatio, non de pane aut vino, ſed de corpore & ſanguine Chriſti ſolo facta eſt. Si dictum eſt, Operamini cibum, qui eſt opus Dei, vt credamus in eum quem ille miſit, quem cibum tota Trinitas & ante aduentum Chriſti fidelibus dederat, & iam tunc dabat, quando Chriſtus adhuc turbis loquebatur. Sed ſi præterea dictum eſt, Operamini cibum permanentem in vitam æternam, quem filius hominis dabit, non tantùm pro vobis in cruce, ſed ad eſum. Si explanandi gratia adiectum eſt, Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Si comminatum eſt, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si promiſſio facta eſt, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Si confirmationis cauſa additur, ne Chriſtum para-

Lib. 4. Inſtit. cap. 17.

Chriſtus nũquam eſt pollicitus panẽ materialem.

bolicè locutum putaremus, vt D. Chrysostomus annotauit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Si effectus manducationis huius patefactus est, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Si panis hic qui Christus non minus verè manducandus significatur, quàm Iudæorum patres, Manna in deserto manducauerunt, id est, non solo corde, sed etiam ore. Si qui hunc panem manducat, viuet in æternum, ac propterea dici nō possit, panem triticeum æternæ salutis causa simul manducādum esse. Si in his omnibus nihil prorsus de pane & vino commemoratum est. Si cùm ad ipsam cœnam ventum est, panis quidem & vinum sumebantur, sed neque à Christo data, neque ab Apostolis accepta leguntur, sed totū hoc quod tradidit Dominus, esse corpus suū & sanguinem clamat: quæ hæc impudentia vel Dominum in promittendo sui oblitum, vel in præstando minus veracem profiteri? Nónne cum promissio præcessit, ac præstatio postea subsequitur, sic vnam cum altera conferre & comparare debemus, vt vtramque alteri lucem afferre statuamus? In panibus miraculum factum est, & in cœna mirabile opus de pane Dominus fecit: ibi aspectabile propter incredulos, hîc incōspicuum propter fideles. Ibi de panibus ad sermonē de carne & sanguine itur: hîc post acceptum panem operatorio sermone pronuntiatur, *Hoc est corpus meum.* Ibi dicitur, Dabo: hîc, Accipite. Ibi, Caro mea: hîc, Corpus meum. Ibi, Nisi manducaueritis & biberitis, hîc, Manducate & bibite. Ibi, duodecim soli cum Christo temanserunt: hîc, Soli duodecim cum Christo discumbunt. Ibi, vnus ex duodecim Diabolus appellatur: hîc, Satanas intrauit in vnum ex duodecim. Volumúsne panem & vinum māducari, quæ neque ibi promissa, neque hîc data dici possunt? Vox autem (*Hic est*) aut (*Hoc est*) quando promissionem antecedenrem consequitur, exhibet & repræsentat idipsum quod promissum erat. Qui Petrum in iudicium sisti promittit, tum demum à vinculo quo tenebatur, liber & solutus est, cùm præsentē in iudicio Petrum exhibens, verè dixerit, Hic est Petrus. Hoc idem factum fuisse videmus à Deo in filio suo vnigenito, quem cùm Prophetis & Patriarchis sæpè promisisset, tandem exhibens eum, ait, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: quasi dixisset, Hic est ille quem iam inde ab Adam promisi venturum. Nónne impudentissimus haberetur, si quis alium hominem præter filium Dei, per vocem patris ostendi affirmaret, cùm ille dixerit, filium hunc suum, ac nullam præterea nominauerit personam. Eodem planè modo, cùm Christus pluribus verbis carnem suam in cibum, ac sanguinem in potum promisisset, tandem liberans fidem, ait, Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus.* Panis verò & vinum, vt neque sunt promissa, neque dum in sua natura manent, pars aliqua veri corporis & sanguinis Christi sunt, sic neque post eiusmodi promissionem exhibita esse putemus. Illa enim ad hoc erant necessaria, vt de his fieret corpus & sanguis, nō autem vt cum his, aut in his fieret. Quemadmodum enim inter promissionem de aduentu Christi factam, & exhibitionem ipsius, id interiectum est, vt de Maria templum sibi ac domum sapientia ædificaret, neque tamen cùm Christus ad Iordanem exhibererur, simul cum virgine Maria exhibitus est: ita omninò inrer promissionem carnis comedendæ, ac præstationem, interuenerunt panis & vinum, non vt simul cum carne exhiberentur, sed vt de illis caro fieret. Ait enim Dominus, Hoc facite in meā cōmemorationem. Facere autem significat, nō modò agere, aut contēplari, sed etiam ex Basilio opus aliquod, pòstquàm operari quis desierit, post se relinquere. Postquàm autē Deus, perfectis cœlo & terra, quieuit ab omni opere quod patrarat, non ferè totū aliquid prorsus de nihilo creās, sed omnia quę fecerat valdè bona, prudētissimè gubernās ac perficiēs: iā indè ab illo tēpore,

Pronomina Hoc & Hic, respondēt promissionibus factis.

Quare inter promissionem carnis, & exhibitionem accepit panem et vinum.

Basil. orat. 1. in Hexam.

Quid significat, Hoc facere.

pore, siue naturalis siue miraculosa Dei operatio inciderit, numquã id vnde quippiam fit in priore natura manet. Cùm autẽ Christus post acceptum panem & vinũ, dicẽs, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, subiecerit, Hoc facite in meam cõmemorationem: quid aliud facere, quàm ipsum corpus & sanguinem iubet? Idcirco Dionysius, atque alij, propter hanc Dei iussionem dicunt sacerdotem diuinissima consecrare. Quòd si clarum est Christum iussisse, vt corpus & sanguis suus fierent, nõ vtique iussit illa de nihilo fieri. Cur alioqui illa facturus, panem & vinum velut operationis materiem sumpsit? Cur ait Ambrosius, De pane fit caro Christi? Si ergo ex pane & vino corpus & sanguis fiunt, iam illa manere panis & vinum minimè possunt. Isto enim pacto corpus & sanguis Christi de illis non fierẽt omninò, si id vnde fierent, non mutaretur: fieri autem iubentur, atque vt fiant, nihil aliud præter panem & vinum accipitur. Ex illis igitur cùm fiant, manere illa vnde fiunt, in priore substãtia non possunt: quia nec terra mansit, quæ facta est Adam, nec os quod factum est Eua, nec sanguis Mariæ qui factus est Christus, nec alia quæ in scriptura eam habent inter se analogiam & conuenientiam. Sed hactenus ea de re satis. Iam propositionem Christi excutiamus, *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur, an significet panem esse corpus Christi, an non nisi corpus Christi sine panis substantia propria demonstret. Scholastici, Sacramentarij, & Lutherani, infinitis propè modis digladiantur de intelligentia pronominis (Hoc.) Sed omnium opinionibus se positis ex analogia similium, quæ iacent in scripturis, pergamus quid verum sit, inquirere. Expressæ sunt in scripturis istæ: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Iste est panis, quẽ vobis dedit Dominus ad vescendum: Hic est sanguis testamenti, quod mandat ad vos Deus: Hic est filius meus dilectus. Certè in istis pronomina demonstratiua saltem non indicant rem, cui adueniat id quod existere affirmatur. (*Hoc*) in primo nõ innuit costam Adæ. (*Hic*) in secundo non designat Hyssopum: neque in tertio (*Iste*) aliud subindicat, quàm panem expressum, de quo quærebatur Mãhu, quid est hoc? Respondet Moses plana phrasi, Iste est panis. Nec in quarto exemplo (*Hic*) designat immaculatum sanguinem virginis. Cùm ergo etiam istis tanquam prorsus similem locutionem Christi, *Hoc est corpus meum*, comparent doctiores Germani, cur (Hoc) enuntiabit panem aut aliud subiectum præter aliorum morem? Deinde scriptura explanat huiusmodi assertiones per aduerbia demonstrandi, vt nullum aliud subiectũ in istis comminiscamur. Quod enim à patre dicitur, *Hic est filius meus dilectus*, à filio matri repetitur, Ecce filius tuus: & quod à Mose scribitur, Ecce sanguis testamenti quod mandat ad vos Deus, D. Paulus vertit, *Hic est sanguis testamenti*: neque dubium est, quin phrasis linguæ Hebraicæ pronominibus demonstratiuis demonstrandi aduerbia permutet, vt הנה, id est, Ecce, pro illis frequentissimum habeat vt discamus non rem diuersam declarari, sed omninò eandem. Ac credibile est Christum, cùm loqueretur lingua Hebraica, effatum esse, Ecce est corpus meum, quod translatum fuit Græcorum more, *Hoc est corpus meum*: ita vt idem vtræq; locutiones prorsus ostendant. Præterea regulam Philosophorum hîc valere volunt doctissimi Lutherani, neque etiam Beza potest reluctari, qua docetur talia esse subiecta, qualia relinquuntur aut describuntur à suis prædicatis. Ex ea pronomen demonstratiuum (Hoc) in verbis Christi, non potest denotare, nisi id quod pro nobis datur. Sed nec panis nec corpus Christi cum pane data sunt pro nobis: non igitur pronomine (Hoc) significãtur talia subiecta. Huc pertinebunt quę de articulorum officio in prima repetitione attulimus. Insuper si (*Hoc*) adiectiuè, vt in similibus locutionibus, accipitur, nec panem nec vinum demonstrabit, sed ipsum corpus: quoniam Gręca lingua panis & vinum masculinè pronuntiantur, ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος quibus non respondet

Quia ex pane fit corpus, panis manere non debet.

Quid significet Hoc.

Exod. 16.

Martin. Cẽnic. in Repet. De Cæna. Matth. Illiricus Appendic. & Vvitembergẽs. in disput. Mulbrunæ habita.

Exod. 24.

Ad Hebr. 9.

Matth. Illyric. contra 28. & 29. solutionẽ Bezæ.

τοῦτο siue (*Hoc*) neutro genere positũ: neque certè cõmuniter in scripturis reperias res aliter demonstrari, quàm existant in suo genere. Substantiuè verò quominus (*Hoc*) capiatur, impedit oratio de sanguine, quæ habet, *Hic est sanguis meus*, &, Hoc poculũ nouum est testamentum, vt in prima disputatione egimus contra Bezam. Apostolus quoque cogit adiectiuè sumere, & ad corpus referre, cùm ait, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα Hoc meum est corpus: vbi (*Hoc meum*) ita coniunguntur, vt facilè appareat vtraque debere ab eodem nomine regi. Vnde si pronomen (*Hoc*) ad substantiam panis pertineret, etiam pronomen (*Meum*) ad eandem panis substantiam referri deberet. Dicit enim τοῦτό μου id est, *Hoc meum*: vtique illud suum esse dicens, quod per pronomẽ (*Hoc*) demonstrat: quasi dicat, Hoc non aliud est quàm meum corpus. Pronomina demonstratiua, ait Hilarius, cùm agit de, Hic est filius meus dilectus, nominum habẽt in se virtutem: ideò proprietatis significatio est, vbi Hic est, dictum esse auditur, & Meus est. Hunc ego, inquit, tanquam indice digito ac verbi significatione contingo, qua dico & Meus est, & Hic est, & filius est. Itidem & proprietatis significatio, vbi &, hoc est, dictum esse auditur, & Meum est: proprietatisq; significatio est, perinde ac si diceretur Hilarij iudicio proprium est corpus quod demonstro. Tertullianus quoque pronomen ad corpus retulit, sicut Hic est, ad filium, vt in priori quoque repetitione recitauimus. Nonnulli citant, tanquam à Cypriano in quibusdã exemplaribus scriptum fuerit, *Hoc est sanguis meus*: sed vetustiora, & plura, & castigatiora exẽplaria eius reclamãt, & locus in quo pro *Hoc est corpus meum*, ait, hæc est caro mea. Augustinus etiam tradit Christum commendasse ipsum corpus suum, quando dixit, *Hoc est corpus meum*: ita vt Augustinus ibi ponat pro eodem, *Hoc corpus*, Illud corpus, & Ipsum corpus. Præterea si (*Hoc*) panem connotat, res non tantùm absurda effertur à Christo, sed impossibilis omninò, ac ne quidem in Dei omnipotentia sita: quandoquidem manifestam repugnantiam includit res diuersas & disparatas esse easdem, aut de se mutuo affirmari, vt sunt panis & corpus Christi: nec panis magis re vera dici potest corpus Christi si simplici, recto ac proprio genere dicẽdi loquimur, quàm potest esse aut dici aqua, vinum, lapis, aut quidlibet aliud à se planè diuersum. Et certè longè euidentiùs constat, corpus Christi non esse panem, quàm cõstet non esse meum vel tuum corpus, cùm ad illius corporis naturam multò vicinius accedamus, quàm panis ipse. Quòd si relicto proprio & naturali sono verborũ & sensu confugitur ad metonymicum siue sinecdochicum, vt panis hic sit corpus Christi, quia contineatur in hoc pane, iam proprietas verborum vera & genuina nõ retinetur, quam Lutherani crepant & iactant, & via Sacramentariorum figuris sternitur, ac quorumlibet hominum commentis Christi sermoni assuendis, vbi semel eius proprietatem violaris. Apertè enim ad tropicum & figuratum sermonem pertinet, quando res continens accipit nomen rei contẽtæ: sicut ad tropũ pertinet, quando signum accipit nomen rei signatæ. Tametsi discrepent in eo, quòd cõtinens rem contentam præsentem habeat, signum verò etiam rei absentis signum esse possit, nihilominus conueniunt, quòd deserta verborum naturali ac propria significatione, vtrique in metonymicũ sensum & figurã deflectũt. Proinde tam longè absunt Germani à simplici sono verborum Christi, quàm Cingliani & Caluinistæ, quamuis in contrarios errores diuaricentur. Postremò sicut Sacramentariorum glossemata propè iam infinita in tam pauca verba Domini, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis datur, fidem amiserunt, ita Germanorum varietas in explicãda particula (*Hoc*) nostram de Transsubstantialitate corroborat fidem. Initio quidem Lutherus rectè sensit oratione Christi panis substantialem mutationem comprehendi, sicut vltimo capite huius libri dicemus. Postea multis locis, quos Heildebergenses coaceruant, contendit

Hilar. lib. 6. de Trinit.

Cypria. epist. ad Cecaliũ & ser. de Cena.

Augustin. com. Psalm. 33.

Ne quidem est in Dei potentia vt affirmetur panis esse corpus Christi.

Si retinetur sermonis Christi proprietas, (Hoc) non potest panem mõstrare.

Vide plures interpretationes pronom. (Hoc) cap. 2. sequentis libri.

In epitome Colloquij Mulbrunensis.

dit per(Hoc)panem significari,& propriè affirmari vult panẽ esse corpus,ac ne quidem dici,In pane est corpus. Sic enim scribit libro de captiuitate Babylonica: Crede firmiter nõ modò corpus Christi esse in pane,sed panem esse corpus Christi. Sic enim me seruabunt verba, vbi dicit, Accepit panem, gratias agens fregit, & dixit, Accipite,manducate:Hoc,id est,hic panis quem acceperat,*est corpus meum*. Et Paulus, Nónne panis quem frangimus,participatio corporis Christi est. Non dicit, In pane est,sed Ipse panis est participatio corporis Christi. Quod autem in Gręco & Latino pronomen ad corpus refertur,facit similitudo generis:sed in Hebræo,vbi neutrum genus non est,refertur ad panem:vt sic liceat dicere, *Hic est corpus meum*: quod & ipse vsus loquendi & sensus cõmunis probat,subiectum scilicet monstratiuũ panis,& non corporis,dum dicit, *Hoc est corpus meum*. Inscripsit etiam librum De defensione τοῦ ῥητοῦ verborum cœnæ,& ait:Hæc eò scribo,vt nostri habeant quid respondeãt Sacramentariis irrisoriè interrogantibus, vbi sit scriptum in sacris literis, quòd panis sit corpus Christi. Simulant hanc simplicitatem, ac si id nusquam legissent. In libro verò contra cœlestes Prophetas ita concludit: Cùm nullus fidei articulus nos hanc particulam excipere & eximere cogat, aut quominus panis sit Christi corpus impediat,verba simpliciter accipiendã sunt,vt sonant, & nequaquam immutanda, statuendúmque panem esse Christi corpus. Annotat etiam Confessio Tigurina,à Luthero nominatũ panem ἀρτοσάρκα, carneum scilicet,vt qui corpus impanaret, & panem incarnaret,ac panem substãtialiter esse corpus Christi defenderet. Heildebergenses addunt,Paulum Eberum,Selmeccerũ,Brentium, atque illos quatuòrdecim Sueuicos parochos,authores Syngrammatis cõtra Oecolampadium cum Magistro Luthero, (Hoc)pro pane interpretari,& accipere. Verùm ne Lutherus ipse, nec illi Sueuici, in eadem semper persiterunt sententia:sed, vt omnes ferè monent & asserunt Germani, sanior factus Lutherus,non putauit panem propriè,aut substantialiter,sicut verba sonare ipsi videbãtur,esse corpus Christi,sed per synecdochen,cuius nominatim meminit:& illi Sueuici aiunt,In,vel, Sub pane commanducari corpus, quemadmodum pillulæ ouis commixtæ absorbentur. Non sibi itaque cõstitit Lutherus,neque ipsi Sueuici,cùm ex illo audiuerimus,nõ idem sonare,aut efferre, Panis est corpus,&,In pane est,corpus:neque certè pro eodẽ haberi debet, aut potest, panem esse aliquid,vtpotè carnẽ,& carne refertum esse,aut suffarcinatum. Propterea rectè Palatini contra Vvirtembergenses contendunt non esse literalem sensum *In Protocoll. et* sermonis Christi,quòd in pane suum corpus adsit, cùm id non dicatur, sed panem *Epitom. colloq.* esse corpus. Ex Lutheranis alij assentiuntur Palatinis, quòd panis propriè dici corpus *Mulbrun.* non possit,& quòd siue hoc modo,siue in pane corpus esse eloquamur, recedatur à proprietate verborum:ob eámque causam negãt per(Hoc)panẽ demonstrari: imò nobiscum sentiunt solũ corpus ostendi,vt propria & naturalis fiat oratio. In his fuit Bucerus,Matthias Illyricus,atque alij,qui digito quidem ad sensum, à manuũ pro- *Matth. Illyric.* tensione à Christo designari opinantur, sed quod interius latebat, tantùm verbis *in fidel. admon. & in Ap-* fuisse declaratũ. Illyricus post alios aliter rursũ interpretatur, vt *Hoc est corpus meum*, *pendice.* partem vnam dũtaxat rei ex pluribus compactæ separatim definiat: quemadmodũ in rebus compositis licet asserere rem vnã ex ipsis, altera prætermissa: vt proposito candenti ferro,liberè possumus efferre,Hoc est ferrum, vel seorsum,Hoc est ignis: vt demonstrandi nota rem aliã non significet,quàm quę subsequentibus verbis explanatur,tametsi res alia cohæreat. Vvirtembergenses mirè sibi plaudunt contra Palatinos de alia tanquã noua explicatione & argutia: Nam cùm isti ponerent tanquã cõfessum à Lutheranis,Christũ dixisse,*Hic panis est corpus meum*, & ex eo tanquã fundamento concluderent,Christi sermonem aliter quàm litera haberet, intelligendũ,

quia propriè & ad literam comprobari nequiret,sed apertissimè absurdũ & falsum

In eodem Colloq. Mulbrun.

esset: Vvirtembergenses vt ruinoso fundamento totã Palatinorũ & Sacramentariorum structuram inniti planum facerent, inficiati sunt Christum dixisse, aut Euangelistas scripsisse, *Panis est corpus meum.* qua inficiatione sic attonitos reddiderunt Palatinos,vt clamarint contra tollẽtes principia non esse arguendum, aut disputationẽ vlteriorem progressum habere non posse. Vvirtembergenses contrà,ne viderentur ineptam aliquã sermonis Dominici expositionẽ comminisci,etiã è triuio & medio foro petebant similia dicẽdi genera & exẽpla.Populariter enim prolatis vasculis sermocinamur,Hoc est vinum,quia in ipsis continea tur:traditis loculis proloquimur, Hoc est argenrũ:ptoductis cunis & saccis enũtiamus,Hic est infans,Hęc est auena, quia rebus illis externis istæ latitantes præbeantur præsentissimæ. Eisdem postea

Matth. Illiric. in Appendic. In Epitome colloquij Mulbrun. Erythra. in Tabulis Confessionis August.

Vvirtẽbergensibus,Matthiæ Illyrico, & Valentino Erythræo non satis visa est scripturis fundari ista subtilitas,nec sacramentorum analogiæ & naturæ cõgruere, quæ non vnicam rem deferunt,aut exhibent, sed duas coadunant & cõmonstrant,cùm in Eucharistiæ materia non appelletur à scriptura panis nudè & absolutè, sed panis hic, vt totũ sacrum cibum,& partes sacramenti comprehendat.Qua de causa retractarunt priorẽ suam sententiam,& per (*Hoc*) neque corpus neque panem innui putauerunt,sed totũ cibum pane & corpore constantem: & sacramentalẽ nuncupant locutionẽ ac demonstrationẽ. Confessio Vvirtẽbergensis lõgiùs aberrat,vt audeat, *Hoc est corpus meum*,cõferre cum locutione Ezechielis de ciuitate descripta in latere, Ista est Hierusalem : cùm tantùm laterem ostenderet similitudine vrbis depictum: quasi Christus solũ panẽ intellexerit præ se ferentẽ aliquam corporis sui similitudinem.At si ex simili formula verborũ sequitur similis intelligẽtia, *Hoc est corpus meũ*, per Confessionẽ Vvirtembergicam nõ probabit corpus Christi verum inesse pani, sed corporis in pane nudũ extare simulachrũ,sicut vrbis Hierusalem in latere:atque ita dum student officere Transsubstantiationi ex Ezechielis loco,Cinglianis patrocinãtur potiusquàm Transsubstantialitati incõmodent,cuius causam hoc loco cõtra Lutheranos & Cinglianos agũt.Si enim demonstratiuũ (*Hoc*) ponitur, sicut (*Ista*) apud Ezechielẽ: vtique (*Hoc*) nihil aliud suggeret & subindicabit, quàm corpus ipsum,sicut (*Ista*) apud Ezechielẽ nihil connotat quàm Hierusalẽ. Quòd autẽ corpus in præsenti pro similitudine corporis capi nequeat, in aliis Repetitionibus à nobis copiosè disseritur,& ex probata Transsubstãtialitate panis omniũ consensũ obtinetur.Alij addictiores Luthero, & Catholicorũ Transsubstantialitati iniquiores, profitentur,Panis est corpus, non figuratã esse,sed propriam & genuinã propositionẽ, nec propositionũ quæ occurrunt in scripturis metiendã aut examinãdam esse proprietatẽ ex regulis & scolis Dialecticorũ,sed ex altiori Philosophia, quam Christus in operibus suæ omnipotentiæ de cœlo ad nos detulit,cuius plurima in scripturis exempla dedit.Post Heshussiũ Martinus Cemnicius ista scribit: quando duæ res siue

In examine synod. Trident. part. 2.

„ substantiæ diuina ordinatione peculiari modo vniuntur, & præsertim quando res
„ cœlestis & inuisibilis cũ re terrena & visibili adest, vsu venit in scriptura, quòd tunc
„ altera prędicatur de altera.Ita scriptura explicat vnionẽ humanę & diuinę natu-
„ ræ in Christi personã, nõ dicit, In hoc homine est Deus, sed, Deus est homo, &, filius
„ hominis est filius Dei viui. Nec necesse est alterã naturã, vel humanã, vel diuinam,
„ quia disparatæ sunt, annihilari, vel transsubstantiari, vt propositioni quæ ad regulas
„ prædicabiliũ nõ congruit, sua constet veritas: sed tantùm significatur vnio duarum
„ naturarũ, quia prædicatio non est vulgaris, sed inusitata & singularis: quia ipsa vnio
„ nõ fit ratiõne aliqua naturali huius seculi, sed est supernaturalis, cœlestis & diuina.

Denique mirari non desino aduersariorũ vertiginosum spiritũ.Initio Sacramẽtarij impor-

importuniùs exigebant à Lutheranis, vt producerent scripturam aliquam, quę panē nominatim affirmaret esse, aut vocaret corpus Christi. Postea quasi armis communitatis, Lutherani morosiùs instant, vt Palatini expressis literis & syllabis euincant per (*Hoc*) panem subintelligi, aut disertè alicubi in scriptura tradi panem esse corpus Christi, quoniam in eo consisteret omnium Sacramentariorum asylum. In ea digladiatione solutum fuit & dimissum colloquium Mulbrunense inter Comitis Palatini & Ducis Vuitembergensis ministros. Quamobrem colligamus à nullis panem statui, quin planam, simplicem & rectam sermonis Dominici proprietatem peruertant. Deinde animaduertamus à nullo panem seruari, nec purè atque perfectè seruari posse, sine panis in corpus ipsum conuersione, quin aut carnem Domini prorsus à sacramento ableget, aut ita præsentem faciat, vt cogatur scripturis vim afferre, aut præter ipsas cōminisci multa, pluresque absurditates incurrere. Audis alios orationē Christi cum triuialium rerum & forensium proprietate comparare: alios nedum à forensi genere dicendi sciungere, sed ab omnibus naturæ legibus soluere atque eximere, & nihilominus nescio quam sermonis diuini proprietatem illi tribuere: alios in varias figuras contorquere: ab aliis censeri, Panis est corpus meū, prædicationem esse naturalem, ab aliis metaphysicam & supernaturalem, ab aliis synecdochicam, ab aliis metonymicam signi & signati: ab Illyrico vocari mysticam & sacramentalem, per quam de sacramento duabus rebus constituto asseritur pars vna esse altera, quatenus est in cōposito, & ipsum connotat: ab eodem Illyrico & Erythręo partim appellari, & partim negari esse identicam, quoniam idē de eodem, corpus inquam vnitum pani, de pane vnito corpori dicatur: sed quia affirmatio fit per dispatatas rerum formas, panem & corpus, quæ absolutè & extra mysticam ac sacramentalem vnionem de se mutuò nequeant enuntiari, propterea iudicant non prorsus esse identicam. Ista verò omnia sine expressa scriptura cuduntur, nec sunt in oratione Christi simpliciter intellecta, *Hoc est corpus meum*, nec in similibus contentis in scriptura habent apparentiā, aut verisimilitudinem, sicut ex allatis antea perspicitur: sed nec aptè possunt rei de qua agitur accommodari. Physica enim illa & vera commixtio panis & corporis iam ab omnibus damnatur, ne corpus Christi impanetur: per eam etiam similitudo de ferro candenti excluditur, quia ignem & ferrum, panem & corpus cōmiscet in eodem subiecto. Facetè Palatini insectantur Vuirtembergenses in colloquio Mulbrunensi. quasi verbo Dei destituti, Christum cauponem, aromatarium, aut pharmacopolam faciant, ex eo quòd putent ab ipso dictum cum panem monstraret & porrigeret dixisse *Hoc est corpus meum*: tanquam si caupo dicat, Hoc est vinum, demonstrando dolium: aut si pharmacopola iactet, Hoc est crocus, quando saculos aut pixides promit. Licet quidem hæ phrases sint vsitatæ, & omnibus ex vsu notæ, non tamen sunt propriæ, sed metonymicæ, neque sunt in scripturarū mysteriis assuetæ: neque panis & saccus, aut doliū, aut pixis corporis Christi, neque in scriptura de pane quicquam quod ad id accedat, reperitur, neque illæ locutiones effectiuæ sunt rerum quas enarrant, vti est ista Christi asseueratio, *Hoc est corpus meum*. Falsum insuper est, doliū aut sacculos interim dum eiusmodi enuntiationes proferuntur, indicari. Quis enim admonitus hoc esse vinū existimabit sibi venditioni exponi dolij substantiā, aut eandē se mercari, aut ipsam sibi etiam ad sensum per hanc declarationē innui: Se magis ridiculos præbent, qui his similitudinibus abutūtur, vt doceant totum compositum ex pane & corpore, per (*Hoc*) significari. Nam de cunis & infante verè nequit & propriè dici, Hic est infans, neque cunæ vllo pacto propriæ sunt infantulis, neque doliū est vinū, nisi per meram synecdochen, aut integrā me-

Inconstantia aduersariorum in exprimendo pronomine (Hoc.)

Absurda ex interpretatione pronominis (Hoc) pro pane

tonymiã partis pro toto, aut continentis pro contento. Multò minùs verò per (*Hoc*) compositum illud ex pane & corpore intelligi probabunt, quàm panem purum. Benè quidem constat, quòd aliquid nominarit suum corpus: & ex eo quod nonnũquam vocetur ab Apostolo Paulo, panis hic, aut ille, non sine aliqua probabilitatis specie multi colligunt, Panem à Christo vocitatum & demonstratum esse suum corpus: sed nusquam de compositis fit expressa aut tacita mentio. Adhæc si compositum de pane & carne est propriè corpus illud, quod à Christo esse prædicatur, igitur compositum ex pane & carne fuit traditum pro nobis, & sanguis cum vino fuit effusus pro nobis, siue corpus, quatenus est in pane, fuit traditum, & sanguis, quatenus est in vino, fuit profusus. Speciem porrò pietatis potiùs præ se fert, quàm veritatem, allata distinctio sacrarum, sacramentalium, & diuinarum propositionum, à regulis naturalibus & dialecticis: quasi hæ non fuerint à Deo in natura institutæ, tametsi à Philosophis adnimaduersæ, aut quasi illæ veritatem aut falsitatem non habeant, sicut istæ, ab eo quòd res ita est, vel non. Ideò scriptura regulas etiam Philosophorum in affirmationibus & negationibus obseruat. Extant quidem in scriptis, Verbum caro factum est, Deus est homo: in quibus naturæ disparatæ commeant inter se, & de se mutuò ac propriè affirmantur: sed id non fit contra Philosophorũ axiomata, quæ patiuntur, imò iubent naturas ipsas de suis suppositis verissimè prædicari. Quemadmodum ritè dicitur, Petrus est homo, siue habet naturã humanam, & Petrus est niger aut doctus, siue nigrore aut doctrina præditus est: Eo pacto quoniam in Christo vnicum suppositum, siue persona, siue subiectum filij Dei, duas naturas sustinuit, diuinam & humanam, ideò rectè, propriè ac naturaliter proloqui debuit scriptura, Verbum caro factum est, Homo est Deus, Deus crucifixus est, Homo est Dominus gloriæ: quia non tantùm naturæ ipsæ, sed earũ proprietates in eodem, & ab eodem subiecto suffultæ sunt. Propterea Ephesini concilij Patres carnem filij Dei edi in Eucharistia ponebant, quod negabat Nestorius, quoniam Deum hominem factum, aut esse non credebat, neque quæ hominis essent, pertinere ad Deum, ex eo quòd putabat distincta ac diuersa supposita hominis & Dei, & sacramentaliter siue habitudine quadam, ac connexionis vinculo tantùm, Deum factum, & esse hominem. Conueniebant quidem Ephesini Patres & Nestorius in eo, quòd coadunatio sacramentalis, seu habitudo & connexio suppositorum inter se non sufficeret ad naturarum diuersarum & disparatarum reciprocam & mutuam affirmationem & proprietates communicandas: sed quoniam inueniebant in scripturis, de se inuicem dici Deum & hominem, eorúmque proprietates, rectè concludebant Ephesini id fieri nullo modo, nisi per existentiam duarum naturarum in eodem supposito. Idcirco propter vnitatem suppositi asserebant alternam illam hominis & Dei fieri affirmationem, vt quicquid vni competeret, alteri posset attribui, assensuri alioqui Nestorio, nisi sensissent maiorem requiri coadunationem inter naturas disparatas, vt vna dicatur esse altera, quàm præsentiæ. At iam omnium aduersariorum confessio decernit non fieri personalem vnionem panis & corporis Dominici, ne corpus & Deus impanentur, & suscipiant omnia attributa, quæ in panem cadere possunt, à quorum commemoratione etiam aures Christianæ abhorrent. Attamen vt Lutherus errorem contra Transsubstantiationem à Berengario cepit, cum illo debuit & impanationem retinere, ad sermonis Christi tuendam rectitudinem, qui impanationi benè quadrat, sed non substantiarum diuersitati. Ideò Berengarij error sibi magis consentiebat, quàm Lutheri. Quicquid verò Germani conantur compingere de Spiritu sancto & columba, de flatu Christi ac spiritu, de arca fœderis & Deo quasi

Augu. De doctrina Christiana.

Propositio. panis est corpus non similis huic, Homo est Deus.

quasi scriptum sit columbam, & flatum, esse spiritum, & arcam Deum, propter assistentiæ arctissimum vinculum: nequaquam nobis videntur paria cum Christi sermone, *Hoc est corpus meum.* Doceant Christum columbam, & linguas igneas, & flatum, per benedictionem, & aliorum verborum efficaciam disposuisse, & mutasse, ac statim asseruisse, Hic est spiritus sanctus. Doceant expressè in scriptura columbam, aut linguas, aut flatum, vocari Spiritum sanctum. Imò scriptura cauit, ne ex ea fucum facerent, & diuersitatem inter hæc & spiritum declarauit, cùm inquit, In specie columbæ, & Sicut columbam: atque alia interseruit, quibus ista ab aliis, quæ recta sunt & absoluta, discernat. Nec dubitatione caret, an columba, flatus & ignis, veræ extiterint substantiæ, an tantùm accidentia ac species visibiles. Ac profectò miror Germanos Augustini obliuisci, à quo scribitur ex professo locutiones illas discrepare à verbis Christi de Eucharistia, & res ita differre, vt in illis signum non sit omninò id quod significatur, at in Eucharistia signum sit idipsum quod signatur, propter benedictionem pani aduenientem: ob ídque de illis non legi, vti de Eucharistia, *Hoc est corpus meum.* Non aduersamur vnum cum alio ritè coniungi, & multa inter se pluribus modis componi, & vnum in alio seu per aliud commonstrari. Non repugnamus, quin multa de se mutuò affirmentur aptè etiam, sine hypostatica naturarum substantialium vnione, sed quia aut proprietates accidentarias in vno aliquo subiecto habeant colligatas, quibus varia nomina sortitur subiectum: negamus autem eò progressum fieri, vt vnum demonstretur esse aliud in natura & substantia, nulla interiecta naturæ vnius mutatione. Hoc ipsum est quod controuertitur, & quod ex Philosophorum atque Ephesinorum Patrum placitis euicimus fieri non posse. Itaque vt quodam quasi compendio disputationem subiiciamus oculis, negamus in scripturis inueniri, panem esse corpus Christi: negamus id verè & propriè dici posse, cùm vna natura nequeat esse altera prorsus diuersa, & cùm panis & corpus Christi affirmari non debeant in eodem supposito residere, nec manentia in duobus distinctis possint de se inuicem dici, nisi per tropum & figuram, quoniam naturæ, rationi, & scripturis aduersatur quàm maximè. Quapropter panis propriè esse, aut fieri corpus Christi non potuit nisi per conuersionem in corporis substantiam, neque propria esse potuit Christi oratio, si dixisset, Hic panis est corpus meum, sed esset figurata. Alij pronomen (*Hoc*) etiam in alias demonstrationes pertrahere studuerunt: Carolstadius, vt ostenderet corpus, quod mensæ accumberet: Alij, in quibus sunt Biblia Geneuæ impressa, (*Hoc*) pro aduerbio loci capiunt, ac si diceretur, In hac actione Cœnæ est corpus meum: Ioannes Alasco (*Hoc*) pro hac actione tota Cœnæ intellexerit. Sed omnes isti refelluntur à Luca & Paulo, & à Matthæo de sanguine. Nam declarant rem monstrari à Christo, quæ versetur in cibo & potu, ac substantiam quæ in eo consistat, vt non aliò trahatur demonstratiuum. Lucas enim & Paulus dictum à Christo aiunt, Hoc poculum, seu hæc potio: & Matthæus, *Hic est enim sanguis meus*: vt corpus & sanguinem monstrari significent, quæ in esu & potu dantur, non autem quicquam aliud enuntiari. Refelluntur etiam ex allatis de illo pronomine demonstratiuo. Postremò Ioannes Langus in Apologiam Iustini Martyris ad Antoninum Pium annotationes conscribens, non modò narrat, sed etiam approbat Valentini Cratoaldi præceptoris sui nouam & hactenus inauditam opinionem de demonstratiuo illo pronomine: quod ita iudicabat ordinandum, Corpus meum est hoc, id est, panis & cibus cœlestis qui de cœlo descendit: sicut apud Ioannem dicitur, Caro mea verè est cibus. Ibidem Langus hanc rationem opinionis reddit: quia in Græca lingua arti-

Aug. lib. 3. de Trinit.

Non potest dici secundũ Ephes. cõcilium, Panis est corpus.

culus efficit, vt ea vox cui adiicitur, subiecti, & altera prædicati locum obtineat: articulum verò τὸ, adiici corporis nomini: qua de causa oporteat ipsum subire locum subiecti. Verùm cùm in omni propositione subiectum sit, cui nonnihil attribuere, & de quo aliquid affirmare volumus, liquidò apparet Christum in Cœna sua de pane potius, quàm de corpore suo aliquid affirmare voluisse. Accepit enim ab initio, non quidem corpus suum, sed panem, velut materiam & elementum, ad quod verbum suum mox accessurum erat, vt fieret sacramentum. Panis igitur elementum est, & primum initium Cœnæ Dominicæ: Corpus autem non initium eiusdem est, sed perfectio. Ac cùm verba factis Christi respondere debeant, debemus ea interpretari, vt ei potius aliquid attribuant, quod priùs subiectum fuit, nempè pani, qui prior sumptus est, & cui corpus accessit, quàm corpori, cuius adhuc nulla erat intentio, & de quo non panis effectus est, sed de pane corpus. Deinde non potest indicare, nisi aliquid externum, quod Christus manibus gestabat, & quod iubet accipere & edere etiam exteriùs, vti demonstrabar. Quid tum significabit, *Corpus Christi est hoc?* An corpus Christi est panis materialis, quem prehensum à Christo, mansisse in eius manibus, & demonstratum omnes volunt aduersarij, ne pateat accessus Transsubstantiationi? Non dicitur Christus solum cibum aliquem manibus cepisse, sed panis materialis exprimitur: quem ideò demonstrari placer omnibus aduersariis: nemo verò concesserit panem materialem attribui & affirmari de corpore Christi. Quæ verò connexio aut conuenientia est, vt accepto pane materiali, & ostenso ac porrecto, Christus testetur corpus suum esse verè (Hoc) id est, cibum spiritalem? Ex quo antecedente in textu dependebit talis cibi demonstratio, cuius antea in textu nulla fit mentio, ac ne quidem suspicio? Quòd verò garrit de articulorum vi ad inuertendam propositionem, nugæ sunt. In his enim, Hic est filius meus, Hic est hæres, Non erat ille lux, articulus in Græca lingua, filio, hæredi & luci præponitur: nec tamen propterea inuertuntur, filius meus est hic, Hæres est hic, Lux non erat ille. Quòd autem ista, Deus erat verbum, immutetur in hanc, Verbum erat Deus, ex materia subiecta accidit, & D. Ioannis narratione, quæ attributa verbo diuino enumerat. Sed contrà in locutione de Cœna, res subiecta, & ordo rei gestæ declarat, non corpus Christi, sed panem subiici, cui adueniat & attribuatur corpus Christi. Aduersarij vt par pari referant quod nos remordeat, in nostris redarguunt quoque incertam expositionem huius particulæ (Hoc) cùm plerique ex Patribus videantur pro pane accipere, de quibus suo loco respondebimus. Alij vocant indiuiduum vagum substantiæ, alij propositionem identicam esse iudicant, alij ad panis speciem redigunt. Proculdubiò tali pronomine demonstratiuo substantiam significari adiuncta probant, sed quęnam sit, ex ipso non distinguitur neque definitur. Ideò per se ostendit substantiam, neque restrictam ad panem, neque ad corpus Domini, sed adhuc indistinctam, ac nondum cuiquam propriam. Ob id appellatur à nostris indiuiduũ vagum, & incertę cuiusdam singularis substãtiæ: sed quænam sit illa sic confusè ostensa, quod additur prædicatũ explanat. Qua de causa (Hoc) nõn designat nisi corporis substantiã, & reddit propositionẽ identicã, cuius subiectũ idem importat quod prædicatũ, sed non adeò distinctè & expressè. Neque (Hoc) refert propriè species aut accidentia, quoniam substantiam indicat, sed illã connotat ex re subiecta, quoniã declarat hanc substantiam contentam sub propositis accidentibus quæ cernũtur, esse talem, nempè corpus Domini. Idcircò omnes nostri in Transsubstantialitatis sententiam descendunt, eámque per (Hoc) particulã confirmant: sed in ea explicanda, Grãmaticorum simplicitate nõ fuerunt contenti

tenti. Percontantur insuper aduersarij, quo in momento temporis per verba Christi fieri aut ostendi panis transformationem credamus: An cùm pronuntiatur (*Hoc*) an demùm tota Christi oratione prolata: vt si prius fatearis, inferat Christi sermone cōuersionem nō fieri, cùm iam facta sit: si posterius admiseris, concludant pronomine (*Hoc*) panem adhuc existentem demonstrari. Egregium sanè & vetustissimũ Sophistarum contra omnes naturarum transmutationes ratiocinium. Cum Chrysostomo respondemus, Christum rem simul cum verbo conficere, & in articulo temporis opus omne peragi, atque in instanti conuersionem accidere. Ideò sicut omnia, quę in momento temporis geruntur, solent efferri tanquam facta, ne si actio exprimatur, temporis successio simul notetur: ita corpus esse dicitur, non fieri, vt momentaneũ opus esse ex illis verbis significetur. Hoc operantur verba Christi, vt contentum sub accidētibus, quod prius erat panis, euadat corpus Christi. Propterea (*Hoc*) neque panem propriè, neque distinctè corpus Christi designat, sed contentum sub his speciebus, quod fit corpus Christi, & redditur. Deinde quoniam Christi locutio rem factam potiùs, quàm fieri enuntiat, (*Hoc*) significat quod prius erat panis, & manet secundum solas species, esse corpus Christi. Istam expositionem de Ambrosio mutuatur noster Thomas.

Thom. in 3. parte quæst. 78.

EX PATRIBVS PRIMAE ECCLESIAE CONFIRMAtur Transsubstantiatio. CAP. 8.

QVONIAM Patrum planissimas de Transsubstantialitate sententias peruertunt & deprauant aduersarij, visum est rationes Patrum potiùs indagare & proponere, quàm nuda verba tantùm cōsarcinare, vt quę fuerit eorũ mens & intelligentia, ex eorum intentione quàm ex verborum sono planiùs cognoscatur. Principiò ad confectionē huius sacramenti amplificant Ireneus, Ambrosius, Nissenus, Chrisostomus, Damascenus, & Augustinus vim diuinæ omnipotentiæ, & benedictionis siue sermonis diuini, quo condita sunt vniuersa, & effecta transformantur, & de pristina sua natura mouentur, in aliámque trāsponũtur. Quis autem illos tã rudes atque imperitos duxerit, quin probè tenerēt frustrà de omnipotentia & efficacia diuini sermonis ac benedictionis agi, nisi iam sibi liquere crederent ex scripturis de transformatione naturę facta in Eucharistia, quam oporteret propter facti difficultatē & admirationē referre ad omnipotentiã & cœlestē benedictionem, siue sermonē, qui effecta præstat omnia quę Deus mandarit & dixerit? Propterea Ireneus ex Eucharistia Christũ probat Dei creatoris verũ Filiũ, ipsũmq; rerum cōditorem esse cũ patre, qui vt granũ in spicã, & eãdem in frugem conuertit, ita aquam in vinũ, & panem in carnem suam traduxit. Ex eadem Nissenus, Ambrosius, & Chrisostomus suadēt, Christi sermonem operatorium esse, & substantiarum commutatorium. Adhæc præter Ireneum Cyrilli duo; Hierosolymitanus & Alexandrinus, Gaudentius Brixiensis Episcopus, Nissenus, Ambrosius, Chrisostomus, Damascenus & Theophylactus, conferunt opus commutati panis in carnem Domini, & vini in sanguinē, cum substãtiis quę ex nihilo, aut per aliarum in ipsas transitionē extiterunt, quemadmodum accidit in prodigiis Ægypti à Mose editis, & rupe in aquarum riuos diffluente, igne sacrificium ab Helia oblatum absumente, aqua in vinum mediis in nuptiis transeunte, & panum multiplicatione, tanquam minori miraculo ad faciendam fidem & præparandos auditores ad istã maiorē & excellentiorē suscipiendã & amplectendã rerũ factã transmutationem. Quonã verò pacto cohæreret ista cōparatio, si pani nō

Certis rationibus probant Patres Transsubst.

In hoc capite postea pro singulis rationibus producitur textus Patrũ.

adueniret realis & substantialis mutatio, sicuti cōceditur in his euenisse, quibuscum confertur & æquiparatur? Præterea Iustinus Martyr, Nissenus, Emssenus, Damascenus, Theophylactus, atque alij, tam verè panem in carnem Domini verti asserunt, quàm verè à Christo comedente conuertebatur in proprij corporis substantiam, & à nobis quotidie per esum in nostrā transmittitur. Deinde Iustinus, Ireneus, atque alij citandi capite ad argumentum aduersariorum de duabus naturis in Christo, ita per Spiritus sancti & diuini verbi operationem ex pane fieri carnem Christi contendunt, vt per eandem ex illibatis sanguinibus virginis matris filius Dei efformatus est caro. Atqui hîc intercessit realis ac substantialis sanguinū in carnem viuificatricem traductio: & proinde eandem exigi necesse est in Eucharistię mysterio, aut non tantùm claudicabit, sed inepta erit comparatio. Adde Ireneum, Ambrosium, Emissenum, Gelasium, atque alios nonnullos cēsere sic corruptibilem panis creaturam in immortalem euadere substantiam, quemadmodum vetus homo noster abit in nouum hominem & transfiguratur: vbi quidem non manet pristina prioris hominis, quatenus vetus est conditio, cum acquisitione noui, sed ille quicquid habet, internè, deponit, & in nouum commutat: quod idem fieri in pane ipsa analogia & conformitas postulat. Insuper Patres, quasi omnes rimulas, quibus elabuntur aduersarij, studeant obstruere, affirmāt panis naturam non manere, eámque in corporis Dominici naturam & substantiam transformari, ne qualitate tenus aut panis vsu fingamus mutationem, illam coërceri. Eisdem quoque locutionibus concipiunt istam mutationem, quibus scripturæ solent rerum ac substantiarum alternationes efferre. Declarant etiam nequaquam tanti esse accessionem corporis Dominici ad panem, vt propter ipsam panis tam commendatæ mutationis nomine dignus sit. In baptismo quidem & in aliis sacramentis accedere dona Spiritus sancti ad terrena elementa non dubitant sępè affirmare: sed propter illam accessionem nusquam fatentur aquam fieri Spiritum sanctum, aut in illum conuerti, aut ex aqua ipsum confici, atque alia quæ ex professo de pane inculcant. Proinde statuerūt aliam in eo fieri mutationē, quàm per adiunctam nouam gratiam, aut substantiam. Deinde licet arctior copula intercesserit inter hominem & verbum in incarnatione Christi, quàm inter carnem & panem manentem esse possit, Patres tamen negarunt admittendam verbi in hominem, aut hominis in verbum transmutationem, propter cœlestem illam vnius cum altero copulationem. Quādo verò ipsis obiiciebatur, Verbum caro factū est, quæ locutio ex phrasi scripturæ mutationem vnius ad alterum redolet, eam sunt interpretati per additionem & assumptionem vnius ad alterū, & non per conuersionem: quoniam scripturæ nonnumquam ita loquerentur in huiusmodi accessione vnius ad alterum: quemadmodum scribitur Christum factum esse peccatum & maledictum, quoniam ipsi fuit imputatum & impositum. Nusquam tamen propter huiusmodi assumptionem concesserunt Patres vllo pacto hominem trāsisse in Deū, aut peccatum in Christum mutatum fuisse: imò pedibus ac manibus hæc genera dicendi auersantur in talibus mysteriis, cùm eadem tamen libenter & consultò adhibeant & confirment de pane in Eucharistia. Ex quo certum colligitur ab ipsis, non nudam aut puram annexionem panis cum corpore creditā fuisse, sed veram ac substantialem ipsius in carnem Domini demutationem. Non omittam ex sententia Augustini istam panis & carnis Dominicæ consubstantialitatē, siue substantiarum coëxistentiam, sapere Manichæorū hæresin, qui Deum sarmentis, & singulis alimentis deuinctum & alligatum somniarent, quem à se per rerum esum vinculis solui dicebant, & Catholicis obiiciebant idem ab ipsis statui de carne Domini, cùm illam in pane aut cum pane à se comedi prædicarent: ita vt Deum impanatum nobis expro-

Theodore. dialog. 2. Polym.

Consubstantiatio panis et corporis ad Manichaeorum haeresin accedit

brarent, quemadmodum ipsis Deum insarmentatum nostri obtrectabant. Ad eam recriminationem purgandam Augustinus inficiatur panem naturalem à nobis edi in sacramento, cum quo sit caro Christi, sed panē qui fit consecratione mystica, non qui nascitur. Vnde Transsubstantialitatem stabilit, vt tollat consubstantialitatem panis naturalis & corporis Dominici, quàm Manichæi mentiebantur à Catholicis poni. Augustini verba sunt: Cur autem arbitretur Faustus parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio. Noster autem panis & calix non quilibet quasi propter Christū in spicis & sacramentis ligatū, sicut illi desipiunt, sed certa cōsecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis. Vobis autem per Fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus vestris visceribus, & soluendus ructatibus. Quomodo ergo comparas panem & calicem nostrū, & parem religionem dicis errorem longè à veritate discretum? Ne verò Caluinistæ sacramentum ab Augustino dici pro pane signo corporis accipiant, contra eundem faustum defendit ritè adorari, nec inter creaturas haberi, aut pro Cerere & Baccho coli, sed pro pane, qui fiat Christus verè & Deus. Postremò sic fulgurant Patres, & tonant in asserenda Transsubstantialitate, vt eorum fulgorem nec ferre, nec vllis figmentis & contortis explicationibus obnubilare possint, coactíque fuerint Lutherani ex Apologia Confessionis Augustanæ authoritates Patrum tollere omninò, quibus saluis agnouerunt sibi non fore integrum Transsubstantialitati reluctari, quēadmodum proximo capite enarrabitur. Nunc conclusionum positarum ex Patribus confirmationi incumbamus.

August. li. 20. cap. 13. in Faustum Manich.

De prima Irenei textus est: Bonum est & illud, quod per conditionem à Deo in vinea factum est, & primò bibitum est vinum. Nemo enim illud vituperauit ex his qui biberunt, sed & Dominus accepit de eo: melius verò, quòd per verbum cōpendialiter ac simpliciter ex aqua ad vsum eorum qui conuocati erant, factum est vinū. Quamuis enim possit Dominus ex nullo subiacente eorum, quæ sunt conditionis præbere epulantibus vinum, & esca implere esurientes, hoc quidem non fecit. Accipiens autem eos, qui à terra essent, panes, & gratias agens, & iterum aquam faciens vinum, ostendens quoniam Deus, qui fecit terram, & iussit eam fructus facere, & constituit aquas, & dedit fontes, hic & benedictionē escæ: & gratiam potius in nouissimis temporibus per filiū suum donat humano generi, incomprehensibilis per comprehensibilem, & inuisibilis per visibilem, cùm extra eum nō sit, sed inuisibilis existat. Postea subiungit Ireneus contra eosdem hæreticos: Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, dat primum quidē fœnum, pòst deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Prætet allata in capite de verborum formula, Ambrosius ad eandem conclusionem demonstrandam scribit: Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorémque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses: proiecit, & facta est serpens. Rursum apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatā esse naturā & serpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puto aquarum meatu: subitò de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuiis: rursus ad Prophetę preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit. Sitiebat populus Patrū, & tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non prætet naturam operatā est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Quòd

Lib. 3. ca. 2.

Lib. 4. cap. 34.

Lib. 4. de sacram. ca. 4. & cap 9. De his qui initiant. myster.

si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi ipsa verba Domini saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mādauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est nouas res dare, quàm mutare naturas. Hæc tam longa recitatio exemplorum ostendit au- *Melan. in epist. ad Myconium.* thorem Ambrosium (ait Melanchtho) sensisse panem non esse tantùm signum, sed naturam panis mutari. Non sum ignarus ab aduersariis rapi ex libro quarto de sacramentis verba ista Ambrosij: Si tanta vis est in sermone Domini, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Ex quibus colligunt, manere panem qualis erat, & mutari in aliud quod in se suscipiat. Sed Ambrosius semetipsum interpretatur illo libro de his qui initiantur mysteriis, quando ait, Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod nō erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Nō enim minus est nouas res dare, quàm mutare naturas. Vbi innuit se comparare mutationem quæ fit in rerum creatione, & in Eucharistiæ constitutione, in eóque discrimen collocare: quod in illa mutatio ex nihilo prodeat, in ista verò ex re existente quę non aboleatur, vt ita ex nihilo fiat corpus Christi: sed natura panis existens mutatur in ipsum, vt iam non maneat quæ erat, sed mutetur in aliud quod non erat. Ideò quando conficitur Eucharistia, sunt quæ erant: verùm ea confecta, iam non sunt quæ erant, sed in aliud cōmutantur: sicut quando fit creatio, nihilum subest: attamen ipsa expleta, noua natura existens in illius locum succedit & nihilum cum ipsa non perdurat. Eam fuisse mentem Ambrosij docent adiuncta, quibus panem desinere non semel repetit, quem natura formauit, & panis transformationem confert, non solùm cum mutationibus in aliqua natura factis, sed cū rerum naturis inuersis, & in alias transpositis. Lanfrancus ait, in plerisque codicibus Ambrosij ita legi, Quanto magis operatorius est, vt quæ erant, in aliud commutentur.

Lib. 5. De Paschate. EMISSENVS cum Ambrosio eandem ferè sententiam dicit, & magnam lucem affert eiusdem interpretationi. Ita scribit: Ergo sicut ad nutum Domini præcipientis repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita parem potentiam in spiritalibus sacramentis verbi præbet virtus, & ei seruit effectus. Quid mirum autem est, si ea quæ verbo creauit, possit creata conuertere? Imò iam minoris esse videtur miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum valeat in melius commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & inuisibilia voluntatis imperio sustentare.

Efficaciam sermonis Dominici ad transmutandas creaturas panis & vini, Chrysostomus & Damascenus etiam æquant verbis, quibus condita sunt vniuersa, & vim acceperunt commigrandi in aliud, quemadmodum illo capite de forma verborum citabamus. Ibidem recitauimus quantū Gregorius Nissenus tribuat sermoni Christi ad panem & vinum in carnem & sanguinem transferendam.

AVGVSTINVS sanè panis in carnē Domini cōmutationem, siue quod ex fru- *Lib. 3. De Trinitate cap. 2. ad 10.* gibus terræ accipitur, & prece mystica consecratur, recenset inter opera Dei & Spiritus sancti, quibus versant ad nutum creaturas, & in varias formas ducunt siue ministerio hominum, aut spirituum, siue per se, nullo interueniente instrumento: atque vt id probet, ait: Nec linguam Pauli, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi

„ & sanguinem dicimus,sed illud tãtùm quod ex frugibus acceptum,& prece mysti-
„ ca consecratum,ritè sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis Do-
„ minicæ passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem per-
„ ducitur,non sanctificatur,vt sit tam magnum sacramẽtum, nisi operante inuisibili-
„ ter spiritu Dei:cùm hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt,Deus
„ operetur,mouens primitùs inuisibilia ministrorũ,siue animas hominũ, siue occul-
„ torũ spirituũ sibi subditas seruitutes:quid mirum,si etiam in creatura cœli & terræ,
„ maris & aëris,facit Deus quæ vult sensibilia atque visibilia,ad seipsum in eis,sicut o-
„ portere ipse nouit,significandũ & demonstrandum,non ipsa sua,qua est,apparente
„ substãtia,quæ omninò incõmutabilis est,omnibúsque spiritibus,quos creauit inte-
„ rius secretiúsque sublimior. Legat locũ qui volet,& examinet, atque Eucharistiam inueniet conferri cum summis miraculis Dei per se,aut per creaturas editis, per rerum conuersiones, & alternationes in alias naturas, neque numerandam esse inter pura signa,quoniam spiritus virtute & verborum aliter immutatur, quã alia signa.

Ne quid reticeamus, Petrus Martyr & alij Cingliani atque Caluinistæ, assentiuntur Patres admirari Dei omnipotentiam in Eucharistia, sed renuunt illam versari in naturarũ translatione & immutatione,sed in instituendo sacramento efficaci signo rerum cœlestiũ,& earum collatione: Lutherani verò in diuinarum rerũ cum terrenis elementis applicatione,& coniũctione. Deinde idem Pseudomartyr cum suis negat ab Ireneo requiri in filio Dei omnipotentiã ad Eucharistiã constituendã, ex textu à nobis producto:sed tantùm doceri,inde agnitũ fuisse filiũ Dei creaturarũ authoris,quia ab ipsius creaturis non abhorruerit,sed ad sua sacramenta adhibuerit. Contra Ambrosij testimonium, vtrique & Cingliani & Lutherani aiunt libros, ex quibus sumitur,non fuisse ab illo scriptos:In ipsis dici, pani gratiã addi,tantùm vocari corpus,& significari panem manere id quod erat, etiãsi mutetur in aliud : partem adductorũ miraculorũ ab Ambrosio, retinere substantiam pristinam,& si qua sint de natura couuersa,non conuenire Eucharistiæ,quoniam in illis vt in ista, non manerent accidentia : Et ideò censent Cingliani illa exempla induci ad panis sacramentalẽ mutationẽ docendã,& esse argumẽta à maiori ad minus. Nos paucis respõdemus,nõ tantùm à Patribus,omnipotẽtiæ mentionẽ fieri, vt cuique liceat in eum vsum,quẽ velit, pertrahere,sed exprimi quòd adhibeatur diuina virtus, quæ valeat retum naturas creare,& in alias transferre , quæ in vicissitudine diuersarũ formarũ, quas terræ fruges subeũt,& quæ apparuerit in miraculis à Deo & Christo editis per substantiatũ transmutationẽ:& additur expressè hoc idem fieri in pane & vino. Frigeret autẽ nimiùm Irenei argumentũ, si ex solo vsu rerũ conditarũ à mundi opifice inferretur Christus filius opificis. Sed Ireneus tria docet,Creaturas bonas esse,& à bono Deo prodiisse,ac minimè cõtrario Christo nostro,imò ipsius patre:& probat ex eo,quòd Christus nõ sit auersatus huiusmodi creaturas, & quod se filiũ cõditoris , pari & æquali cũ patre ad creaturas immutãdas potentia prædiũ ostenderit in multiplicatione panũ,& aquæ conuersione in vinũ, & panis trãslatione in suũ corpus. Certè vt vno in textu miraculũ conuersæ aquæ in vinũ æquiparat conuersioni tritici in spicã,& aliis naturalibus rerũ alternationibus, ita alio in textu ad eundem finem illis ęquat opus Eucharistiæ,& in transformatione panis consistere arguit ab exemplis illis naturalibus,& à miraculo mutatæ aquæ,cuius loco Eucharistiam , vt opus simile , substituit , & à virtute creationis & Dominij ad inuertendas creaturas,quam filius in Eucharistia,& in aqua vinum facta exeruit,& per quam se verum filium Dei conditoris omnium ostenderit. An quicquam clarius pro Transsubstãtiatione ab vllo scriptore dici potuit? Libros Ambrosij quos vocant in dubium,

Martyr. in magna defensione Eucharistia.

Aug. ferm. 28. de verb. Domini.

Hoc esse Ambros. prolixè probat. Ioan. Hessel. à Lionanio lib. de Eucharistia.

Lib. contra Oecolampad.

agnouit Augustinus, & ad verbum locum hunc de efficacia verbi diuini ad panis transformationem declarandam transcripsit ad literam, sicut annotabitur, cum satisfit aduersariis obiicientibus panem nominari in scriptura, etiam post consecrationem. Proximam verò de eisdem censuram fert Melanchtho, tametsi conetur ipsis abuti, quando ait: Ego hos libellos video non admodum dissimiles esse aliorum Ambrosij scriptorum. Et in posteriore citatur Græca figura, τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν, more Ambrosij, sed vt non sint eius, quia sic satis confusè scripti sunt: Apparet tamen circiter illa tempora natos esse. Recensetur enim vetus mos, qui solitus est obseruari in baptisandis his, qui grandes natu recipiebant Euangelium: & tantùm duorum sacramentorum ibi mentio fit, Baptismi, & Cœnæ Domini, &c. Lectio sanè ipsius Ambrosij tam est dilucida, vt cæciores talpis fassuri sint, non apud illum tantummodò corpus Christi vocari, aut significari, sed insuper esse: & ita pani gratiam addi, vt iam non sit panis quem natura formauit, sicut expressè loquitur, & iam exposuimus, quomodo ea quæ erant, mutentur in aliud. Sit ita sanè, vt inter exempla, quædam afferat, in quibus pristina substantia perstet salua, non tamen in ipsis consistit, sed quibusdam gradibus progreditur ad excellentiam & efficientiam diuinæ benedictionis & verborum Dei explicandam, neque priùs desinit quàm plura congerat, in quibus natura & substantia variauit, & cum ipsis panis Eucharistici mutationem confert & componit, atque amplificat. Sint igitur argumenta Ambrosij à maiori ad minus, quando creationi æquiparat panis & eorum quæ sunt, in ea quæ non erant mutationem: affert tamen alia, eáque plura, quæ ducuntur à pari causa ad parem effectum, & à minori ad maius, quoniam non quiescit in rebus quæ subeant mutationem salua substantia: sed potissimùm in illis insistit, quæ amissa propria natura, in aliam conuertuntur. Reddetur postea ratio, propter quam in hoc sacramento supersint accidentia, quæ in aliis miraculis cum natura tolluntur. Ioachimus Vadianus vt textum ex Augustino allatum eleuet, & miraculum mutati panis interuenire in Eucharistia neget, ait illic ista subiungi: Aliquando ad significationem assumpta species, aliquantulùm mansura est, sicut potuit ille serpens æneus exaltatus in eremo, sicut possunt & literæ: vel peracto ministerio transitura est, sicut panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur. Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioso possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt. Duo colligunt inde aduersarij, & panem manentem peracta pietatis celebratione consumi, & miraculo sacramentum carere. At si penitiùs consideretur Augustinus, duo tradit in sacramento secernenda: id quod oculis subiicitur, & ad significandum adhibetur & retinetur, appellat communiter speciem, & rem quam etiam vocat substantiam vel naturam sub illa specie latitãtem & existentem. Nam toto illo libro distinguit signa, vt alia sint idipsum quod sensibus offerunt, alia verò nequaquam: illorum in numero humanitatem Christi ponit, columbã, linguas & ignem, & ipsum Eucharistiæ panem. Proinde rectè quidẽ scribit ipsum quoad visibilẽ speciẽ consumi, sed minimè quoad id quod fit benedictione operante inuisibiliter spiritu Dei, sicut loquitur. Satis id etiã eodẽ in textu declarat, cùm inquit, Infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione cõsumitur, vnde vel quomodo cõficiatur, vnde in vsũ religionis assumatur. Et si numquã discant experimento vel suo, vel aliorũ, & numquã speciẽ illam terũ videãt, nisi inter celebrationes sacramentorũ, quando offertur & datur, dicatúrque illis authoritate grauissima, cuius corp⁹ & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominũ apparuisse oculis mortaliũ, & de lateer

Lib. 3. de Trinit. cap. 10.

tali

tali percusso liquorem illum, omninò fluxisse. Hîc Augustinus clarè diuidit in sacramento speciem, & rem: illam vocat hoc quod oculis hominũ apparet, cuius res nihil aliud esse credi debeat quàm Dominus ipse, corpus eius & sanguis, qui in panis exteriori forma & specie cernantur oculis mortalium: quod sciri & addisci sola fidei & diuini sermonis authoritate potest: & illam speciẽ, in qua appareat Dominus, ipse rectè dixit consumi, sed non rẽ speciei, id est, Dominum ipsum, siue corpus eius & sanguinem. Tantum verò abest, vt Augustinus miraculum à sacramento depellat, quòd cum maximis, quæ Deus & Angeli in creaturarum mutatione operantur, cõparet: sed rationẽ explicat, quare hoc iam non videamur pro miraculo habere, quia nimirùm ipsa consuetudine vilescat, & admirationem atque æstimationem amittat, quia vulgò à sacratis hominibus fiat. Non enim quia ab hominibus aliquid perficitur, propterea miraculum non cẽsetur: sed quoties in vsum abit, miraculi stuporem perdit: sicut Angelis quæ per ipsos obeuntur munera, opera & obsequia, non putãtur esse miracula, quæ cùm nobis occurrũt, prædicamus tanquam supra naturã prodigia, quoniam illis sunt assueta & vulgaria, sed nobis rariora. Econtrario verò sacramentum altaris re vera quidem miraculum est supra naturã, propter creaturæ panis insignem mutationem, etiam ipsis Angelis stupendũ magis & prodigiosum quàm nobis, quoniam opus hoc ipsis inusitatũ, quod hominibus efficitur quotidianum. Hoc est quod ipse Augustinus suo textui subiecit in hæc verba: Itaque illa quæ per Angelos fiunt, quo difficiliora & ignotiora, eò mirabiliora sunt nobis, illis autem tanquam suæ actiones notæ atque faciles.

Porrò ad probationem secundæ conclusionis, Ireneum & Ambrosium iam legimus paria statuere miracula, conuersionem aquæ in vinũ, rupis in aquam, virgæ Aaronicæ in serpentem, fluuialium aquarum in sanguinem, & panis ac vini in corpus & sanguinem Dominicum translationem: ne de genere mutationis, quæ fiat in pane, vllus locus ambigendi relinquatur: de eóque scriptorum Christianorum mirus consensus est.

Cyrillvs Hierosolymitanus scribit: Aquam aliquando mutauit in vinum, quod sanguini est propinquum, in Cana Galilææ, sola voluntate: & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinẽ transmutatit? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus, stupendum miraculum operatus est, cur non multo magis corpus & sanguinem suũ filiis sponsi dedisse confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. *Catech. 4.*

Chrysostomvs: Cur non in quinque panum miraculo quæsierunt, quomodo eos in tantũ auxit? Quia res ipsa tunc docuit, inquies. Ergo ex eo & hæc credere oportuit ei facilia factu esse. Propterea id prius fecit miraculũ, vt per illud non amplius essent increduli his quæ postmodùm diceret. Ecce Chrysostomus mutationem in quinque panum substantia antecessisse tradit, vt fides adhiberetur maiori mutationi futuræ in panis & vini natura atque essentia. Alibi cum Ambrosio expressè docet ipsam absumi à corpore Domini, sicut holocaustũ Heliæ ab igne cœlesti, quemadmodum antea exposuimus. *Homil. 45. in Ioann.*

Gregorivs Nissenus, cùm ageret de hoc negotio, ait, Miraculi non obliuiscar illius, quo dura & solida lapidis natura in aquarum conuersa mollitiem, potus sitientibus facta est. *In vita Mosis.*

Gavdentivs Brixiensis Episcopus: Ipse igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia & potest, & promisit) efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum. *Tract. 2. de Paschate. Extat inter Orthodoxograph.*

Cyrillvs Alexandrinus: Quomodo summis cruciatibus digni non erũt, qui *Lib. 4. cap. 13. in Ioann.*

terum omnium opificem Deum ita contēnunt, vt in operibus eius (Quomodo) dicere audeant, quem rotius sapientiæ largitorē esse non ignorant, quem omnia posse scriptura nos docuit: Si verò tu, ô Iudæe, quomodo, etiā nunc clamas, hanc tuā imperitiā ego quoque secutus, libenter quomodo de Ægypto exiuisti, rogabo, quomodo in serpentem virga Mosaica fuit conuersa, quomodo lepra manus affecta, vno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit: quomodo in naturam sanguinis aquę transierunt: quomodo è lapide fontes aquarum fluebant. Quare credidisse Christo potius vos oportuit: & si quid arduū videbatur, ab eo humiliter petere, quàm veluti temulentos exclamare, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?

Serm. 1. in Epiphan. MAXIMVS Taurinensis: quòd aquæ nouo sunt ordine in vina mutatæ, noui populi prælibati, est sacramentum. Mater de defectu poculi suggerebat ei, qui venerat totius orbis gentibus nouū salutis æternæ calicem propinare: quod ait, Nondum venit hora mea, illam nimirùm gloriosissimam passionis suæ horam, atque illud redemptionis nostræ vinum, quod vitæ omnium proficeret, promittebat.

In Catechesi. PRO tertia conclusione facit Gregorius Nissenus per ista dicta: Dei verbum ita naturæ humanæ coniunctum est, & corpus nostrum assumpsit, vt eius naturæ non aliam nouam constitutionem adhiberet, sed solitis eum rebus aletet, & sustentaret, nempè cibo & potu. Cibus verò erat panis, quemadmodum & noster, vt iam dictum est. Sicut autem qui panem videt, quodammodò carnem videt humanam, quoniam panis in corpore existens, corpus euadit: ita diuinum illud corpus, panis nutrimentū accipiens, idē quodammodò etat cum illo cibo, vt diximus, in eius corporis naturam immutato. quod enim carnis cuiúsque proprium est, id etiam illi conuenisse confitemur. Nam & corpus illud pane sustentatur. quamobrem rectè nunc etiam Dei verbo significatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.

Lib. 4. cap. 14. De Sacramēt. DAMASCENVS: Illud discere non est alienum, quòd quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per porum in corpus & sanguinē comedentis bibentísque mutatur, nec fiunt aliud corpus præter id quod erat prius, sic propositionis panem & vinum per inuocationem & aduentum Spiritus sancti, ratione naturam superante, in corpus & sanguinem Christi transmutari, nec esse duo, sed vnum atque idem fieri.

In cap. 6. Ioan. THEOPHYLACTVS: Nec dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis, sed, Caro mea est. Transformatur enim panis arcanis verbis per mysticam benedictionē & accessionem Spiritus sancti in carnem Domini: & ne quem conturbet, quòd credendus sit panis caro. Etenim in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.

INTERMISSA quarta conclusione, quod ad quintam attinet, Patres mutationem panis & veteris hominis in nouū atque incorruptibilē etiam corpore dupliciter conferunt. Primò, vt ostendant non magis Deo impossibile panē transformare, quàm hominē creare & reparare. Vtraque hæc simul in eū finē allegant Ambrosius & Emissenus, & vterque exprimit, quorsum adducat duo illa ad probandam panis conuersionem. Deinde collationem talem applicant ad effectum qui consequitur, quòd sicut panis communis in veram carnem naturaliter per cibi concoctionē traiectus, nutrit, fouet, auget, & in suas proprietates trahit corporis substantiam, ita panis communis in veram Christi carnem benedictione translatus, suis proprietatibus imbuit

imbuit corporis nostri corruptibilem substantiam. In quem vsum disputát Cyprianus, Iustinus, Emissenus, Gregorius Nissenus, Gelasius & Ireneus: sed duorum posteriorum textum diligentiùs suo loco expendemus. Omnes interea ponunt, substantialiter panem immutari per eam res immutandi omnipotentiam, qua creantur omnia, impius iustificatur, & corpora nostra ad incorruptionẽ instaurãtur, & tam verè quàm panis vulgaris in aliam substãtiam decoquitur, antequàm possit corporis substãtiam mouere, & suis qualitatibus afficere. Petrus Martyr atque alij aduersarij tergiuersantur, nobis quidem per Eucharistiam mutationem aduenire, sed non in ipsa panis substantia. Atqui Patres nullam agnoscunt in nobis mutationem fieri ex pane sumpto, siue naturali, siue sacramentali, nisi priùs mutationem substantialẽ panis ipse subierit. Non enim panis naturalis vim habet immutandi corpora nostra ad vitam temporariã, nisi à propria natura & substantia decesserit: neque sacramẽtalis promouebit eadem corpora ad incorruptionem, secundum analogiam traditam à Patribus, nisi naturam & substantiam aliam à propria induerit.

Ex pane naturali & sacramentali Patres censent nullam in nobis fore mutationem, nisi prius vterque mutaretur

„ CYPRIANVS: Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procu-
„ rat vitam & incrementum corporibus: ideóque ex consueto rerum effectu fidei
„ nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis in-
„ esse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quàm spirituali trãsitione nos Chri-
„ sto vniri. Et nos quidem cùm caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corpo-
„ ris animæque natura reformari non poteramus, neque ad similitudinem Dei reuer-
„ ti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curatione de-
„ speratæ infirmitatis contraria remouerentur contrariis, & similia similibus conue-
„ nirent. Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mu-
„ tatus, omnipotentia verbi factus est caro, & in persona Christi humanitas videba-
„ tur, & latebat diuinitas. Ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se effudit essen-
„ tia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus sacra-
„ menta sunt, pateret accessus, vsque ad participationem spiritus, non quòd vsque
„ ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc
„ vnitas peruenisset.

De Cœna Domini.

Hîc Cyprianus tria præstat eleganter. Exigit in pane naturali & sacramentali naturæ in carnem mutationem, antequàm operentur. Distinguit inter vtrumque, quòd sacramentalis mutatus in carnem, effigiem pristinam retineat, non autem naturalis: & quòd hîc corpus quidem nostrum manducatus & cõuersus immutet, sed corporaliter tantùm, & carnali incremento: sacramentalis verò animas & corpora nostra spiritaliter reficiat, augeat, & instauret, atque Christo coadunet. Tertiò, cur Christi carọ in panis effigie præbeatur, explicat, nempè vt esset hominibus malagma & emplastrum conueniens: at propter effectum spiritalem & supernaturalem, nostris animis & corporibus impartiendum opus fuisse ait, diuinę essentiæ infusione etiam in ipsum sacramentum cõflatum ex panis effigie & natura carnis Christi, vt fieret diuina operatio, sed modo corporeo, sensibili, ac nostræ infirmitati conuenienti.

Cum Cypriano ad eundem scopum collimat Gregorius Nissenus, quãdo scribit:
„ Deus seipsum impertit per carnem quæ ex pane & vino constituitur, fideliúmque
„ corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immor-
„ talitatis particeps fiat. Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud corpus, rerum quæ videntur, naturam mutans. Cum Cypriano sanè negat sacramentum profuturum corporibus nostris, nisi panis priùs efficeretur caro: & modũ indicat, quo fiat, nempè per naturarum commutationem, ex verbo Dei & benedictione.

In Catechesi.

Hoc quod isti subobscuriùs tradunt, Emissenus paucis verbis dilucidè pronuntiat

fieri non posse, vt corporaliter, siue à nostro corpore, & modo corporeo edatur à nobis Christus, nisi antea panis transiret in carnem: atque ita loquitur: Nisi panis & vinum in eius carnem verterentur & sanguinem, numquam ipse corporaliter manducaretur & biberetur. Immutantur enim illa in ista, comeduntur & bibuntur ista in illis: quod qualiter fiat, ipse solus nouit, qui omnia potest, & omnia nouit. Proinde damnant expressè, tanquam etiam impossibilem Lutheranorum opinionem, existimantium carnem Domini verè edi vnà cum pane remanente à corporibus nostris, & ipsis vitam & incorruptionem sine præuia panis in ipsam carnem immutatione afferre: Adeò Patribus primis ignota fuit, & incredibilis visa est ipsa panis & carnis consubstantiatio.

Serm. De passione.

PER hos authores plurimùm illustratur Iustini Martyris locus intricatior, qui sic habet: Non enim vt communem panem, & vt communem potionem hæc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus saluator noster carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per verbum precationis grationisatam siue consecratam ab ipso alimoniam (ἐξ ἧς αἷμα, καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, id est, ex qua immutata, siue ex qua per immutationem, sanguis & carnes nostræ aluntur) illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Iustinus ait, cibo consecrato ali corpora nostra. Dubitatur ad quid referri debeat κατὰ μεταβολὴν, id est, per transmutationem: an ad sanguinem & carnes nostras, qui illo esu transmutantur qualitatibus suis, an ad cibum qui prius transmutetur oportet, quàm alat carnes nostras. Ex superioribus scriptoribus vtique ad cibum & panem pertinet, qui antequàm possit ad immortalitatem nutrire corpus nostrum, necesse est carnem Christi fieri. Propterea rectè cum aliis Iustinus præfatur panem sacratum habendum pro communi: sed antequàm alat, reddi carnem & sanguinem Christi per preces & verbum Dei, quo etiam incarnatus est filius Dei: ac subiicit, ita cibum vitæ factũ ex immutatione sua in carnem Christi, carnes & sanguinem nostrum ad incorruptionem vegetare. Sic intellectus Iustinus, ad verbum cum aliis conuenit. Quapropter Sigismundus Gelenius inter interpretes Iustini, textum rectiùs ita transtulit, Alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem. Alij interpretes sudant satis, vt à pane mutationem illam seiungant, & carnibus nostris applicẽt, aut nescio quam communionem pro mutatione, aut aliquid aliud substituant. An non ex ea diuersitate satis apparet eos à recto sensu abertare? Non negamus nostrum corpus eo cibo immutari: sed adiũcta apud Iustinum nihil de tali immutatione loquuntur, cùm eam explanent quæ fiat in pane: & ea locutio κατὰ μεταβολὴν familiaris est Græcis doctoribus, quando aiunt panem fieri carnẽ Domini per commutationem, aut conuersionem, sicut apud Hysichium, Theodoretum, Damascenum, & alios legitur. Vix autem vnquam reperias corpus nostrum ali per immutationẽ, cùm potius talis nutritionis finis sit & effectus ipsa immutatio.

Lib. 4. De sacram. cap. 4.

Argumentum verò à pari omnipotentia requisita ad hominis internã mutationẽ, & panis conuersionẽ, ita describitur ab Ambrosio: Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: posteaquàm cõsecratus es, noua creatura esse cœpisti. Vis scire quã noua creatura? Omnis, ait, in Christo noua creatura. Accipe ergo quemadmodũ sermo Christi creaturam omnem mutare consueuerit, & mutat quando vult instituta naturæ. Neque tãtùm comparat causam cum causa, sed effectum cum effectu: & vt id quod mutatur in nobis, desinit esse, ita & quod mutatur in natura panis.

Serm. 5. De Paschate.

EMISSENVS: Sicut quicunque ad fidem Christi veniens, ante verba baptismi, adhuc est in vinculo peccati veteris: iis verò commemoratis mox exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ, sacris altaribus impo-

„imponuntur, antequàm inuocatione ſummi nominis conſecrentur, ſubſtantia illic „eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eius eſt. Nec dubitet „quiſpiam creaturas, nutu potentiæ, præſentia maieſtatis, in Domini corporis transfire „poſſe naturam, cùm ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti „corpus effectum.

QVINQVE reſtant in Patribus obſeruanda, quæ Transſubſtantialitati panis fauent impendio: Genera dicendi, quibus ſcriptura ſolet ſubſtãtiarum conuerſionem eloqui. Deinde locutiones expreſſæ, quæ ipſam in Euchariſtia fieri nominatim teſtantur & enunciant. Tertiò Patres affirmant conſtanter panem communem non remanere, & quis ſit qui relinquatur explicant. Præterea quoties res contentas in Euchariſtia diſtingunt accuratiùs, cauent ferè à nominando pane abſolutè & ſimpliciter, ſed eius loco ſpeciem panis, aut formam, aut effigiem, aut figuram, aut quid aliud ſurrogant. Poſtremò, omnibus propemodum argumentis, quę contrà afferuntur, vltrò occurrunt, ipſáque diluunt. Tria poſteriora ad ſequentem librum differre præſtat: de duobus prioribus videamus. Ex creatura panis, ex terræ frugibus, ex ſiue de pane & vino fieri, confici, conflari, conſtitui, creari, & eſſe corpus Chriſti ſcripſerunt, Ireneus, Auguſtinus, Cyprianus, Origenes, Gregorius Niſſenus, Ambroſius, Gaudentius, atque alij, Chriſtum panem feciſſe ſuum corpus: atque ita confeſſum eſſe, & confirmaſſe, panem appellaſſe ſuum corpus & vocaſſe, & panem percipiendo vocationem Dei fieri corpus, Ireneus, Tertullianus, Ambroſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, atque omnes ferè promiſcuè tradunt. Hæ autem ſunt phraſes, quibus ſcripturæ & omnes ſcriptores vtuntur, quando ſignificant mutationem etiam in rerum ſubſtãria interuenire, ſicut capite de benedictione probauimus. At quoniam ſcripturæ non ſunt contentæ illis ſolis locutionibus, ſed nonnunquam in huiuſmodi rebus conuerſionis admiſcent vocabulũ, Patres plura in cũ ſenſum vſurparunt. Nam Gręci aiũt panem μεταποιεῖσθαι, μεταβάλλεσθαι, quod Latini dixerũt, panem in corpus Chriſti mutari, immutari, tranſponi, transformari, transfigurari, conuerti, verti, transferri, & alia pleraque ſimilia. Ac ne huiuſmodi verba in aliud mutationis genus quàm ſubſtantialis raperentur, vti nunc fit ab aduerſariis, aſcripſerunt, de natura in naturam, & de ſubſtantia in ſubſtantiam mutationem intelligi. Græci μεταστοιχειοῦσθαι panem dixerunt, id eſt, tranſelementari. Cyprianus ait, panem non effigie, ſed natura mutari: Cyrillus Alexandrinus, oblata in veritatem propriæ carnis à Chriſto conuerti: Niſſenus, rerum quæ videntur naturam in Chriſti corpus mutari, & ſanctificatum panem in Dei verbi carnem immutari: Ambroſius, benedictione naturam panis mutari, vt non hoc ſit quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: Hyſichius, res ſenſibiles in intelligendas transferri: Emiſſenus, terrenas creaturas in Dominici corporis transfire ſubſtantiam, & inuiſibilem ſacerdotem viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, ſecreta poteſtate conuertere. Chryſoſtomus ait panem corporis præſentia conſumi: Remigius Archiepiſcopus Remenſis, panem transfire in corpus Chriſti, nec eſſe duo corpora, ſed vnum corpus. Damaſcenum, Theophylactum, Euthymiũ, atque alios, qui à mille annis vixerunt, omitto tanquam minimè in re tam lucida neceſſarios. Ex his ſanè audeo affirmare, quòd à Patribus accuratiùs & expreſſiùs demonſtretur panis veram ſubſtantiam mutari, quàm vlla ſubſtantialis cõuerſio à ſcriptura doceatur, aut vlla de contentis in ſcriptura eius generis mutationibus à Patribus explicetur. Tædet nugarum, quas hîc de varia ſignificatione naturæ Petrus Martyr poſt alios Lutheranos effutit, vt aliquas tenebras clariſſimis Patrum dictis & aſſertionibus offundat, quæ diſcutientur à nobis, cùm ad Theodoreti

Quinque aliæ rationes ex Patribus pro Transſub.

Iren. lib. 4. cap. 32. 57. & li. 5. August. lib. 3. De Trinit. ca. 4. Cypr. De Cœna. Gregor. Niſſe. in Catecheſi. Origen. lib. 8. in Celſum. Ambroſ. lib. 4 De ſacr. cap. 4. Gaudẽt. tract. 2. De Paſchate. Tertull. lib. 4. in Marcionem. & in Iudæos. Cyrill. Hieroſolym. cate. 4. Niſſen. cyrill. Hiero. Chryſoſtom. Theophylact. Damaſce. Cypr. de Cœna Cyrill. Alex. ad Caloſyrium. Niſſen. in Catecheſi. Ambroſ. lib. 4. De ſacr. cap. 4. Hyſichius lib. 2. in Leuitic. Emiſſ. in ſerm. De paſſion. & Paſchate. Chryſo. Hom. In Encœniis. Remig. in cap. 10. 1. ad Corin.

teſtimonium, quo ſe tuentur aduerſarij, ventum fuerit.

DE MVTATIONE AVGVSTANAE CONFESSIONIS circa Tranſſubſtant. & de Lutheranorum inconſtantia.

CAP. 9.

Hic multa ex Apologia D. Epiſcop. Lindani.

QVEMADMODVM veritatis oppugnatoribus, & Eccleſiam ſcindentibus id ſupplicij irrogatur à Deo, vt ipſi quoque diuidantur inter ſe, nec ſibi conſtare, nec ſi quid veri apud iſtos reſtat, ſatis tueri poſſint: ita Germanis video accidiſſe, ex quo defecerũt ab Eccleſia, & de Tranſſubſtantialitate religionem Catholicam vocare in dubium cœperunt. Nam vt alia religionis capita omittam, de ipſa Tranſſubſtantialitate varie ſcripſerunt, & in contrarias ſententias abierũt: & illa violata, atque de Confeſſione Auguſtana expuncta, corporis Dominici præſentiam & exiſtentiam in Euchariſtia ægrè admodùm ac difficulter contra Cinglianos retinuerunt. Poſt Vvicleuum authorem eorum qui in Germania Tranſſubſtantialitati bellũ intulerunt, Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga ex mala ſemente prodierunt: & quamuis à Caluiniſtis atque aliis, tanquam protomartyres, inter vſtulatos & variis ſuppliciis iure cæſos, & ſublatos hæreticos primo ordine celebrentur, attamen & veritatem carnis Dominicæ in Euchariſtia, & panis in ipſam conuerſionem euidenter aſſeruerunt. Hus enim docuit, Chriſtum verbi ſui ineffabili virtute panem & vinum tranſſubſtantiare in propriam carnem & ſanguinem. De Cœna Domini ita quoque cecinit:

Hus Trãſſubſt. credidit.

Ioann. Peʒibramus lib. de remanentia panis.

Ioann. Hokerius lib. de ſacramẽt. altaris.

Aue Deitatis forma,
Dei vnionis norma,
In te quiſque delectatur,
Qui de fide ſpeculatur.
Non eſt panis, ſed eſt Deus,
Homo liberator meus,
Qui in cruce pependiſti,
Et in carne defeciſti.

Rogatus verò Hieronymus de Praga, teſte Poghio florentino epiſtola ad Leonem Aretinum, de pane an maneat poſt conſecrationem, reſpondit manere, ſed apud piſtorem. Lutherus quandiu ſani animi ac modeſti, & iudicij ſpecimen præbuit, panis mutationẽ tanquam ſcripturis conſentaneã prędicauit. Nam expreſſè ait, Chriſtum accepiſſe panem, & verbo quo dicit, *Hoc eſt corpus meum*, mutaſſe in corpus ſuum, & dediſſe manducandum diſcipulis. Addit ordeaceos quidem panes benedixiſſe Chriſtum, ſed non dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, non mutaſſe panem verbo virtutis ſuæ in corpus ſuum. At poſteaquam elatus iracundia in ſedem Romanam, omnem mouit lapidẽ, vt ipſi incommodaret, primùm Tranſſubſtantiationẽ tanquam indifferentẽ poſuit, ac cuique liberũ fecit, quid de ea ſentire vellet. Hactenus docui, inquit, & etiam nunc doceo, hoc certamen non eſſe neceſſariũ, neque multũ referre, ſiue panis remaneat, ſiue non. Deinde ſubiicit Petrum de Alliaco & Ioannem Scotum ſibi dediſſe anſam, vt à ſentẽtia commutari panis ad corporis Dominici ſub pane occultationem ſe conferret, quoniam videret eo pacto minus ſuperuacaneorum miraculorũ fingi, & ſe Pontifici maximè aduerſaturũ eſſe, à quo & eius cõciliis atque ſcholaſticis, abſq; vllis ſcripturæ teſtimoniis Tranſſubſtãtialitas ipſa introduceretur.

Lib. De abrog. Miſſ. priuata. Lutherus aliquando Tranſſubſtant. fauit.

Lib. de capt. Babylon. & in Cõfeſſ. maiore.

Poſtremò

Postremò cùm diuexaretur à Carolstadio, Anabaptistis, atque aliis Sacramentariis, non semel optare & conari visus est referre pedem ad fidem & veritatem Catholicam: modò profitetur se longè anteferre sententiam de panis transitione contrariæ, quæ nudum panem in Eucharistia statueret: modò ad neutralitatem & indifferentiam mutationis reuoluitur, modò in Papatu sanam esse doctrinã de Cœna Domini iactat, quemadmodum capite primo huius libri recitauimus. Philippus Melanchtho hac in parte, sicut in aliis, meritò versatilis cothurni cognomentũ retulit. Anno trigesimo supra quingentesimum, quo ab ipso Augustana confessio cõflata fuit, edidit librum contra Oecolampadiũ. In eo profert testimonia Cypriani, Chrysostomi, Ambrosij, & Theophylacti, quæ protulimus: & ex Ambrosio ita concludit: Hæc tam longa recitatio exemplorum ostendit authorem sensisse panem non esse tantùm signum, sed naturam panis mutari. Antonius Coruinus, Lutheri discipulus, claré etiam tradit quæ fuerit prima scholæ Lutheranæ de ipsa Transsubstantiatione doctrina, quando scribit: Quid debemus comedere, aut bibere? Corpus & sanguinem eius. At vnde scire possum, quòd sit corpus & sanguis? Ex verbis quæ Christus locutus est. Audiam igitur, & credam etiam oportet, quòd omnia quæ in Cœna peraguntur, in ipso verbo consistant, & quòd per illud verbum necesse sit ea omnia administrari. Certè hìc omnia in verbo consistunt. Aufer verbum, & relinquitur panis vt panis, vinum vt vinum: at si addas verbum, non iam amplius panis & vinum erit, sed corpus & sanguis Christi aderit. Ex illa prima schola Lutheri, tanquam ex equo Troiano principes & ministri Confessionis Augustanæ eruperunt, sed profecerunt in peius. Imprimis illius author præfatur se ex verbo Dei doctrinam tradere, & decimum articulum initiò his verbis contexuit. De Cœna Domini docent verum Christi corpus & sanguinem verè sub specie panis & vini in Cœna esse præsens, in eadémque distribui. Ita repetit illum articulum ex lingua Germanica Valentinus Erythræus, & ita se legisse in authographo Carolo quinto Imperatori oblato testantur Arnoldus Vvesalius & Ioannes Cocleus libello, cui titulum fecerunt communi opera, Breuis ad singula puncta Confessionis Augustanæ responsio. Autographum manu Philippi Melanchthonis descriptum & asseruatum Bruxellæ in Archiuis Cæsareis ita habet, & à se atque ab aliis visum doctissimus Episcopus Lindanus testificatur. Propter articulum talibus verbis conceptum noui Euangelici non pauci in ipsis Augustæ comitiis præsentes, in quibus eminebant legati Argentinenses, Constantienses, Memingenses, & Lindauienses togati recusarunt subscribere Confessioni, quia de Dominici corporis præsentia, panísque transsubstantiatione, doctrinam Euangelicæ professioni suæ contrariam haberet, quemadmodum Ioannes quoque Sleidanus annotauit. Gaspar Suenckfeldius libello inscripto Bericht rationem reddit, quare non approbarit Confessionem illam, & insectatur decimum illum articulum tanquam Papisticum, sicut Argentinæ postea propter eundem Hieronymus Zancus Italus nedum iurare in illam Confessionem repudiauit, sed ne quidem vllo pacto assentiri. Vt autem Philippus legatos illos & ciuitates à veritate prorsus alienas faciliùs induceret in fraudem & communem coniurationem, articulum illum statim deprauauit, & in istam formulam transtulit, atque in lucem emisit. De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini. Iterum ab eodem exiit expressior articuli huius editio, quæ appellatur Vvirtembergensis, & Francofordiensis, quæ ita habet. De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini. Anno post exhibitã Confessionẽ Philippus

Melanchtho Transsubst. fauit. in Ep. ad Miconium.

Anton Coruinus Transsubst. fauit.

In Tractatu Passionis.

Prima editio August. Confess. Transsubst. fauit.

Erythræus in Tabulis Confess. August.

Zancus in Miscellaneis.

Erythræus in Tabul. Confess. August.

Apolog. confeß. Aug. Trãſſubſt. panis.

eiuſdem Apologiam conſarcinauit, quia articulo deprauato iam in ſuum commodum abutebantur Sacramentarij. Ideò conatus eſt ipſum propius ad veritatem ſua commentatione & explanatione reuocare, eáque verba facit. Decimus articulus approbatus, in quo profitentur nos ſentire, quòd in Cœna Domini verè & ſubſtantialiter adſint corpus & ſanguis Chriſti, quæ verè exhibentur cum illis rebus quæ videntur, pane, vino, his qui ſacramentum accipiunt. Ac certum eſt veteris Eccleſiæ ſententiam eſſe quòd verè adſint corpus Chriſti & ſanguis in Cœna Domini. Et hæc ſententia ſcripturæ teſtimonia habet. Cùm enim dicat panem eſſe participationem corporis Domini, ſequeretur panem non eſſe participationem corporis, ſed tantùm ſpiritus Chriſti, ſi non adeſſet verè corpus Domini. Extant etiam teſtimonia quorundam ſcriptorum, &c. id quod etiam inter cætera teſtatur Canon Miſſæ apud Græcos, in quo apertè orat ſacerdos, vt pane mutato, ipſum Chriſti corpus fiat. Et Bulgarius ſcriptor, vt nobis videtur, non ſtultus, diſertè inquit, panem non tantùm figuram eſſe, ſed verè in carnem mutari. Hæc recitauimus, non vt hîc diſputationem de hac re inſtitueremus (non enim improbat hunc articulum Cæſarea Maieſtas) ſed vt clariùs etiam perſpicerent, quicunque iſta legent, nos defendere receptam in tota Eccleſia ſententiam. Hactenus in Apologia Philippus ex

Fraus Melãchthonis in Apolog. confeß. Auguſt.

Tabulis Erythræi tranſcriptus. Ante omnia ſpectemus eius fallaciam. Duas formulas illius corrupti Auguſtani articuli in vnam redigit. Deinde impudentiùs aſſerit articulum ita vitiatum, approbatum fuiſſe à Cæſare & Catholicis, cùm contineat damnatam doctrinam à tot ſynodis generalibus de corpore Domini cum pane: ſed genuinus ille articulus receptus fuit, quo ſub ſpecie panis & vini præſens corpus & ſanguis Domini dicebatur: ita tamen, vt Catholici addiderint docendum eſſe, quémadmodum panis viníque ſubſtantia eſſe deſinat, & in verum corpus & ſanguinem Domini Chriſti mutetur atque conuertatur, vt eſſet quædam ſpeciei panis & vini explanatio & declaratio: ſicut legitur tomo quinto operum Lutheri in Epitome refutationis Catholicorum, quam contra Confeſſionem Auguſtanam Cæſari Carolo quinto exhibuerũt. Quòd ſi in eam formulam deprauatam propoſitus fuiſſet, nihil præ ſe tuliſſet papiſticũ, neque hoc nomine potuiſſent alij probabiliter ab eo abhorrere, qui ambabus manibus eundem interpolatum ſunt amplexi. Poſtea contemplemur & ſuſpiciamus Dei noſtri prouidentiam, qui ſolet ab inuitis veritatem extorquere, & infatuare aduerſariorum animos & conſilia. Conuenerant prin-

Opera Lutheri impreſſa Ienæ. 1557.

Ab inuitis Proteſtãtibus Deus extorſit veritatem de Trãſſubſt.

cipes & miniſtri coniurati aduerſum vniuerſam Eccleſiam Catholicam & ſedem Romanam, ſed potiſſimùm contra Miſſam, vt appellant, papiſticam, cuius tanquam baſin & fundamentum rectè ab omnibus cenſetur ipſa creaturarum in carnem Domini cõuerſio. Illis impudẽtibus aut reluctãtibus excidit ſana Confeſſio de Tranſſubſtantiatione, & de re quam maximè odiſſent, & funditùs tolli cupiebant. Quaſi Balaam iterum accinguntur ad maledicendum orthodoxæ de ea doctrinæ, & conantur diu multùmque, meditata Apologia, articulum decimum ab omni Tranſſubſtantialitatis opinione repurgare, cùm ea de cauſa malè audiſſet. Contrà verò excæcati, quò ſtudioſius illam voluerunt profligare, magis ac magis confirmarunt, & eam ſententiam in tota Eccleſia tam Græca quàm Romana receptam eſſe fateri coacti ſunt. Sic verò apertè ac neceſſariò de ea ſcripſerunt, vt à ſe ſcripta non po-

Vltio Dei, vt per authores damnetur tota authoritas cõfeß. Auguſt.

tuerint apparenter in alium ſenſum detorquere, aut Confeſſionem ipſam Auguſtanam, aut eius Apologiam ipſimet approbare, aut excuſare de intolerabili, vt aiunt, errore, niſi omninò interuerteretur articulus ille decimus, & ex Apologia deleretur textus Apoſtoli, ac Theophylacti, atque aliorum Patrum dicta & teſtimonia, quorum fulgorem non potuerunt perferre, & ſe ita declararent receptæ in tota Eccleſia

ſententiæ & fidei renuntiare. Ac ne quidem factum hoc omnibus Proteſtantibus placuit,nec inter ſe adhuc poſſunt de eo conuenire. Nam Heshuſſius ſicut ait errorem in publica Confeſſione Auguſtana admiſſum, reuocandum fuiſſe,ſed publico ſcripto : ita minoris probri eſſe iudicat, ſi retineretur, quàm tam illuſtria veterum Patrum teſtimonia ſupprimere, quæ hanc controuerſiam de Cœna mirificè illuſtrant. Propterea clamat non bono conſilio euidentiſſimum argumentum Apoſtoli de præſentia corporis Chriſti ſublatum eſse. Contrà Valentinus Erythræus ſcribit iſta omnia ex Apologia bono conſilio expungi oportuiſse ad calumnias ſtolidorum & maleuolorum dipnoſophiſtarum declinandas, ne ſcilicet Germani venirent in ſuſpicionem creditæ Tranſubſtãtiationis, quæ ab illis dictis ſanctorum Patrum elui nõ poteſt,niſi ridiculè,quemadmodũ cùm id conatur efficere „Erythræus,etiam mulierculis riſum mouet.Adhæc addita fuerũt (inquit)non quòd „per ea approbetur commentitia Papiſtarum Tranſſubſtantiatio, ſed vt omnes vi„derenr nos nequaquam nouum aliquod dogma defendere, ſed receptam à veteri „purioréque Eccleſia ſententiam de myſtica præſentia corporis & ſanguinis Chriſti „conſtanter tueri. Adiicit hanc mutationem non habendam pro naturæ tranſmutatione,& tolerari poſſe, vt pane mutato corpus fieri dicatur,modò excludatur naturæ panis mutatio, & de eius ſingulari vſu ſermo fiat, & nobis exprobrat quaſi ex qualibet mutatione inferamus Tranſſubſtantiationem,& ram inſulsè ratiocinemur, ac ſi diceremus, Animal eſt,ergo homo, & ex genere conceſſo quamlibet exigeremus ſpeciem. Verùm ſi talia erant teſtimonia de puriore Eccleſia,cur ſublata? ſi nõ euincebant Tranſſubſtantiationem, cur deleta,ac non potius aliqua interpretatione fuerunt temperata? Cur non, niſi talibus ablatis,tot viri principes,literati,& cõmunitates noluerunt aut confeſſioni, aut eius Apologiæ aſſentiri? Aut quibus verbis, aut dicendi genere quaſi ſculpta Tranſſubſtantiatio à Papiſtis eſt, quàm his quibus abundant illi veteres ſcriptores de Apologia diſpuncti? Neque illi alia ratione myſticam præſentiam aſſerunt,quàm ex mutatione ſubſtantiali præſentis panis in præſentem ſubſtantiam carnis. Nam cùm ex panis mutatione ſtatuãt præſentiam carnis,ſi tantùm illa mutatio pertineret ad vſum panis, quoad ſacra adhibetur aut quo fit ſacer,non indè certò colligeretur carnis præſentia, quia etiam à Cinglianis panis mutari & ſacer fieri prædicatur, attamen tam procul ab eo caro Domini diſtrahitur, quàm cœlum à terra dimouetur. Neque tam ineptè ratiocinari didicimus,vt ex ſimplici mutationis nomine quamlibet,& maximè ſubſtantialem fingamus à Patribus tradi: ſed præcedenti capite enarrauimus, quot modis hanc Patres, & nõ aliam inculcant. Quapropter liquere arbitror & Auguſtanam confeſſionem, & eius Apologiam Tranſſubſtantialitati apertiſſimum ſuffragium tuliſſe, nec niſi vtraque adulrerata & detruncata illam indè ſubtrahi & aboleri. Hac verò violatione facta,iuſto Dei iudicio,Confeſſio illa ſenſim collabi cœpit,authoritatémque ac fidem in dies amiſit, & ex confeſſione in confuſionem abiit, & doctrinæ ac rerum omnium perturbationem. Nam & alia doctrinæ capita ſacrilegè ſuppilata ſunt & interpolata,& ad arbitrium quorumcunque varia ac diſcrepantia prodierũt exemplaria,ſicut inter Lutheranos conqueruntur Matthias Illyricus, Amſdorffius, Gallus,& alij plerique. Adeò verò eneruata eſt & elumbis reddita doctrina de Cœna Domini,quæ in Confeſſione ſupereſt,& etiam in Apologia,vt ingenuè Heshuſſius fateatur parum vtrique reſtare virium, ablatis illis iulluſtribus teſtimoniis, ad propugnandam realẽ & ſubſtantialem in S. Euchariſtia carnis Dominicæ exiſtentiam. Imò verò ita illam emaſcularunt decurtatores illi, vt vile proſtibulum omni tranſeunti facta ſit. Nemo enim ferè quicquam de Cœna Domini poſt ipſam innoua-

Rixantur inter ſe Lutherani de corrupta confeſſ. Aug. Heshuſſ. in Cal. & Bezam.

Sublata Trãſſ. de Cõfeſſ. Auguſt. Lutherani poſtea præſentiam carnis per cõfeſſ. tueri non potuerũt.

uit, qui non pertinaciter & probabiliter illam pro se facere, & à se stare contenderet, vt Heildebergenses in sua Conformitate multis argumentis & paginis conantur ostendere. Non defuerunt etiam illius Confessionis primarij viri, qui aut Caluinismum palàm professi, aut ad ipsum propeusi, nihil se alienum ab Augustana Cõfessione amplecti, & libris euulgatis, & in publicis comitiis gloriati sunt. Postquàm verò Germani iurarunt se publicos Transsubstantiationis hostes, mirum quantos animos Cinglianis addiderint & excitarint. Pari enim iure se niti Heildebergenses docent contra existentiam carnis in sacramento, quo Lutherani contra substantialitatem, cùm vtriusque reperiantur eadem fundamenta: quæ dum Lutherus non est veritus labefactare, sibi fas esse aiunt eadem via contra existentiam carnis grassari. Textum illorum capite primo recitauimus. Quòd si prouocatio ad scripturarum proprietatem à Lutheranis contra Sacramentarios fiat, eorum duces Cinglius, Caluinus & Beza affirmant, & ostendunt verborum Christi proprietatem sine transsubstantiatione non posse consistere, & catholicum de ipsa dogma longè propius ad veritatem accedere, quàm ipsa Lutheranorum consubstantiatio. Vvittembergenses verò, siue Brentiani, in Epitome Colloquij Mulbrun. pro colophone omniũ disputationum ponunt, aut mutari panem in corpus Domini, aut ipsum corpus vbique esse: ita vt potius Transsubstantialitati subscribant, quàm sine vbiquitate Lutheranorum opinioni de præsentia carnis cum pane: adeò fides nostra de Transsubstantialitate veritati & scripturis magis consentanea etiam iuratissimis Ecclesiæ hostibus visa est. At nos ex scripturarum inter se analogia, ex earum, & rerum in ipsis contentarum collatione facta à primis Christianis cum ipsa Eucharistia, ex verborum Christi per eadem media tam efficacia probata proprietate, atque ex Patrum non solùm consensu, sed expressè de panis substantiali conuersione habitis disputationibus, & ex generalium conciliorum non semel latis definitionibus & sententiis, credimus satis superque demonstrari Transsubstantiationem panis in carnem Domini fieri, idque verborum Christi proprietatem sonare. An ita sit, iterum atque iterum expendant lectores à nobis hîc disputata, & animum ab odio, atque partiũ studio tantisper semoueant, quoad fideliter omnia contulerint & iudicarint. Mihi verò reliquum est effundere cor meum coram Domino, ac votis omnibus deprecari, vt animis aduersariorum illucescat, & inde velamen contentionis & contradictionis auferat ad intuendam veritatem & viam, quæ eos reducat in Ecclesiam & religionem Catholicam, à qua digressi errantes, & in errorem mittentes, imminentem toti orbi Christiano Dei prouocant iracundiam, & vltionem de ingratitudine in opus Christi, quo suam gloriam & dilectionem maximè contestatam in mundo reliquit.

Cingl. in Luther.
Cal. de Cœna, & in Vvestphal.
Beza in Hesshus.

REPETITIO OCTAVA DE TRANSSVBSTANTIALITATE PANIS IN CORPVS CHRISTI.

ARGVMENTA ADVERSARIORVM SVMpta de scripturis, soluuntur.

CAPVT I.

EX PRODVCTIS ET disputatis planum est deprehendi aduersarios in mendacio, quo tam fidenter omnes, ne dicam impudenter asseuerant, Transsubstantialitatem recentiùs ab Innocentio tertio inuentam esse, neque vllum prorsus in scriptutis fundamentum, neque vllum veteris Ecclesiæ testimonium habere, atque adeò cum verbis Domini stare aut defendi nullo modo posse. Hęc enim quàm falsò dicantur, legenti nimium patebit. Nunc depellamus nō ab ipsis elaborata tela & argumenta, sed à Iudæis & paganis, aut obsoletis hæreticis pridem contra Christianos obiecta, quæ tantò minùs feriunt, quantò lōgius à Patribus fuerunt præuisa, & irrita reddita. Nam tātum abest, vt Transsubstantialitas nullum veteris Ecclesię testimonium habeat, quòd nullum postea excogitare potuerit argumentum noua synagoga Satanę, cui non occurrerit, & quod non diluerit vetus Ecclesia Catholica. Quoniam aduersarij suo more è sola scripturarum pharetra se eiaculari in nos gloriantur, videamus quàm acutè pungant. Ausi sunt imprimis in hac disputatione Euangeliorum textum corrumpere, ipsi addere, & dictiones dictionibus permutare, atque expressas aliter, quàm ferre possint, interpretari. Lutherus, Caluinus, Heildebergenses, atque alij, quasi suo iure sibi sumūt dictum à Christo, & in Euangelio legi, *Panis est corpus meum.* Ita enim iactant habere verbum Dei expressum. Biblia Gallica Geneuæ impressa, & scholia, Lutherus & Beza vertunt, *Hoc est sanguis meus*, vt aliud demonstret (*Hoc*) quàm corpus ipsum & sanguinem. Quàm verò variè pronomen Hoc plerique fuerint interpretati, superiori libro abundè enarrauimus. Porrò quamuis Paulus scribat, Panem quem frangimus, esse participationem corporis Domini, nusquam tamen innuit prolatum fuisse à Christo, *Panis est corpus meum*: aut ipsummet panem esse corpus Domini: sed potius in actione fractionis quę pani adueniat, accedere participationem corporis Dominici. Eget explicatione, quid Fractionis nomine Apostolus intellexit. Equidem arbitror totam Cœnę celebrationem ea voce comprehendi, sicut frequenter in Actis Apostolorum narratur Christianos conuenisse ad frangendum panem, & quotidiè perseuerasse in communicatione & fractione panis: adeò vt ipsa quoque cōsecratio tali

Patres soluerūt omnia argumenta quæ sunt contra Transsubst.

Aduersarij corruperunt verba Christi tribus modis.

Luthe. de capt.
Caluin. in cap. 11. 1. ad Corin.
Heildeberg. in Conformit. et in Collo. Mulbrunen.
Luther.
Beza in Annot. noui Test.
Ad Cor. ep. 1. ca. 2.
Act. 3.

appellatione contineatur, quod Apostolus satis indicat, cùm eodem in textu æquat fractioni panis, poculi benedictionē. Propterea Paulus rectè ac sapienter paucis verbis tria enunciat, terminum à quo, terminum ad quem, & modum efficiēdi, vt cum Theologis scholasticis loquar. Panem nominat, à quo Cœna incipiat: corporis Dominici participationem apponit, in quam ipsa desinat: modum interserit, quo ex pane fiat talis participatio, nimirùm per fractionem illam solemnem, quæ consecrationem siue benedictionem, atque distriburionem non iam panis, sed corporis effecti continet. Proinde quando eo loco Paulus panem & calicem vocat, si propiùs attendamus, non sic appellat Eucharistiam confectam, sed rem ex qua conficitur: quandoquidem in calicis descriprione, benedictionem tanquam modum, quo fiat inter materiam illam panis & poculi præiacentem, atque inter Eucharistiam iam conflatã interponit. De aliis corruptelis textui illatis, & poculi amphibologia, in prima Repetitione sermonem fecimus. Restat discutiendum, quid panis appellatione Apostolus significet, quando toties post consecrationem sacramentum corporis Dominici panem vocat. Ne quidem inter aduersarios conuenit de huius panis significatu. Anabaptistæ mordicùs hærent panis dictiunculæ, ac nihil præter merum panem & vinum ex Cœna reportari iudicant, quę edantur in Christi memoriam. Cingliani, Caluiniani, & Lutherani plurimi nomine panis & poculi apud Apostolum naturalem panem & vinum simpliciter capiunt, sed sacro vsui destinatum, vt volunt illi, aut corpori Christi coniunctum, vt loquuntur Lutherani. Ac mirum est Cinglianos & Caluinianos toties corpus ab Euangelistis repetitum, & ex adiunctis esse Christi propriũ ostensum, non vereri in alium sensum, & in symbolum & figuram corporis transferre: & contrà ad nudam panis nomenclaturam, solius panis naturalis substantiam atque omnem proprietatem exigere. Matthias Illyricus cum aliis Lutheranis, quos citat, ait, post consecrationem panis vocabulum fieri nouatum, & ad altiorem sensum prouehi, eòque non solius naturalis panis substantiam comprehendi, sed vnà consistentem corporis Dominici naturam. Iam igitur receder à suo naturali significatu panis. Sin ex sono vocis, statim infertur prima & genuina significatio dictionis, Christus erit peccatum, erit maledictio, erit petra, erit vermis, erit panis materialis, erit denique omnia, quorum appellarionibus quomodocunque afficitur. Quòd si ex appellatione substantia stabilitur, eiusdémque mutatio tollitur, omnes ferè contentæ in scripturis rerum conuersiones negabuntur, tam probabiliter, quàm per istam rationem ea quæ fit in pane negatur: quia sicut hic, ita res illæ pristina nomina retinuerunt transeunte natura. Ita homo iam effictus in animam viuentem nũcupatur terra, cinis, lutum. Ita mulier iam efformata, os vocatur. Ex virgis Mosis & Magorum enati serpentes virgæ appellantur, & vinum iam haustum aqua nũcupatur. Ea enim scripturæ phrasis est, vt rebus immutatis maneant nomina præcedentia, quibus non eas prorsus periisse, aut abolitas esse declaretur, sed in alium statũ translatas. Eo pacto Matthæus post Apostolatum adhuc publicanus prædicatur: meretrices & peccatores iustis pręire in regno Dei narrantur, cęci videre, claudi ambulare, surdi audire: ac ferè non alius in scripruris de rebus mutatis reperitur stilus. Propterea tam parum offendimur panis reseruata dictione, vt iam perspecta rei mutatione ex analogia & conuenientia scripturarum aptè retineri credamus. Sunt & aliæ causæ, quę ex eadem scripturarum analogia panis nomen huic sacramento vendicent. Res enim vel ab effectis, vel à proprietatibus, vel à similitudine & conformitate sortiuntur aliena nomina, vel priùs sibi imposita conseruant. Manna, & quicquid aut corporaliter aut spiritaliter ad alēdum hominem prodest, panis voce in scriptura enuntiatur. Sic figurę veratum rerum existentium similitudinem

[Margin notes:]

De significatione panis post consecrationem.

Aduersarij non conueniunt in significatione panis.

In fideli Admonit. & in Appendic.

Vanum est argumentũ à nomine ad rem. Et cur Eucharistia vocetur panis post consecrationem.

Ioann. 6.

nem præ se ferentes, nominibus earum exprimuntur, vt ille Angelus vir Macedo, teste Beza, ob eam causam dicitur, & alij Angeli viri, & columba, & lingua, & ignis nominantur, quia speciem earum rerum gesserunt. Tot modis itaque si corpori Domini in sacramento panis nomen congruere defenderimus, nihil absurdi, nihil alieni à scripturis trademus, & interim sequemur genus dicendi, quo solet scriptura res mutatas significare, ac meritò quidem. Nam quid est tam naturale, quàm vt res suscipiat alterius nomen, cuius excepit substantiam? Neque ita loquimur, quasi Apostolus non alia nobis suggerat, quibus minimè communem & naturalem panis substantiam ab ipso intelligi ostendamus. Imprimis, cur tam cautè nullam vini tot in locis mentionem facit, cùm indifferenter panis nomen vsurpet, & omissa vini expressione, nomen generis, id est poculi siue potionis, substituat? Quæ alia ratio reddi potest, quàm quod cauere voluerit consultò à propria panis & vini natura post consecrationem commemoranda, ne remanere per ipsum contēderent Aduersarij? & quòd panis vocabulum generaliter ceperit pro omni re, quæ nutriendis hominibus destinata sit: vt tam latè pateat ad omne genus alimēti, quàm calix & poculū ad quamcunque potionē. Deinde cur toties meminit panis post ipsam consecrationē, cùm non relinquit in sua naturali significatione, sed astringit ad corporis Dominici sensum & intellectum, & semper cum articulo connotatiuo pronuntiat panem hunc, ac de huius panis indigna sumptione incurri damnationis crimen, si nō diiudicatur aut discernitur esse corpus Domini? An verò potuit accuratius panis nomē à propria ad sublimiorem & singularem Dominici corporis intelligētiam & significationem transferre? Tertiò, ne causemur per corporis Dominici in illo pane existentiam non excludi panis substātiam, Apostolus quasi præoccupat, & istud effugium obstruit, cùm ait, Nos omnes vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Quo in loco, quæso, panem hîc propriè etiam coniunctū corpori Christi interpretabimur? An vbi dixit, Vnus panis multi sumus? cùm omninò absurdum sit dicere, nos omnes vnum esse panē propriè dictum, aut vnam esse panis naturalis substantiam: an vbi scripsit, Omnes qui de vno pane participamus? Verùm si in Eucharistia manet veritas naturalis panis, falsum iam erit omnes nos de vno pane participare: aut Apostolum comedisse de eodē pane cum Corinthiis, à quibus aberat, cùm hæc scriberet. Pistus siquidem panis in Achaia alius erat, alius qui in Asia, alius qui in Macedonia: rursum alius qui in vna parochia, alius qui in altera sumitur, si ita manet naturalis panis veritas. Sed neque in vna parochia olim eodem pane Eucharistico & sacramentali reficiebantur omnes, cùm opus interdum fuerit iterare sacrificium, noua plebe adueniente, vt scribit Leo Papa. At ex sententia Catholicorum nos omnes vnum panem participamus: quia nos omnes vnum & idem corpus Christi accipimus, & efficimur, multo magis quàm efficiantur vnus panis, qui de vno pane naturali participant. Nam naturalis panis consumitur ab edentibus, vt indè vnus panis dici nequeant: & stultum est dicere eos, qui eundem panem vel prandentes vel cœnantes pariter exedunt, vnum effici panem. At participantes de vno corpore Domini, quod consumi nequit, ita vniuntur, vt vnus panis indè reddantur, non naturalis, sed, vt exprimit Apostolus, vnus panis, qui est ipsum Christi corpus. Quapropter Aduersatiorum impetus concidit, ex perspicua Pauli sententia, per quam panis in propria & naturali essentia non potest consistere. Quòd si quæritur, cur ergo Christi corpus panis nominetur in hoc sacramento: respondemus fieri proprer omnes illas rationes, quas superius attigimus: sed potissimùm, quia ex panis cōuersione in ipsum ibi existat, & ob id vnà cum illo ibidem quoque residua sit panis quædā generalis natura,

Cur Apostolus retinuerit nomen panis, & non vini.

Quomodo Apostolus Eucharistiam vocat panem, non potest intelligi de naturali.

Leo epist. 81.

Aliquid manet in Eucharistia de generali panis natura, sed nō propria & singulari. Ex Ioann. Hesselâ Louanio. lib. de Eucharist.

cùm aliis eiuſdem proprietatibus, quarum miniſterio corpus Chriſti affirmatur, edi, frangi, tangi, & nos alere. Generalem illam naturam panis dicimus, qua eſt fundamentum ſolidi cibi ad nutriendum hominem, cuiuſcunque tandem generis fiat ex pane aut alia natura ille ſolidus cibus, aut in quacunque materia, aut quomodocunque ſtet in rerum natura, ſiue in Manna, ſiue in radicibus, ſiue extet per ſe, aut etiã ſolo verbo Dei fulciatur & ſubſtantetur: eámque non veremur cum Patribus aliquando nuncupare naturam, aut proprietatem, aut etiam ſubſtãtiam, de qua copioſiùs paulò pòſt tractabitur. Atque huiuſmodi generalis natura deprehenditur in rebus aliis mutationi obnoxiis, tametſi in materia remanẽte reſideat, quæ de pane non manet in hoc ſacramento. Exempli cauſa: In Adamo perſtitit quædam generalis terræ ſubſtantia, quæ grauis eſt & ſicca, ac corpus Adami reddidit graue & terrenum, atque inde in liberos traducitur neſcio quid etiã generale de paterna natura, licet ſemen ipſum patris tranſmutetur. Ita in butyto reconditur herbarũ quædam generalis ſubſtantia, quamuis præceſſerit multiplex conuerſio. Hanc generalem, quam toties repeto ſubſtantiam, multæ inferiores ipſarum rerum proprietates & accidentia affectantur, nec deſerunt, etiamſi res ipſæ quoad ſubſtantiam, in aliud abierint, vt videre eſt in allatis exẽplis. Quamobrẽ quoniam ſingularis natura panis tranſiuit in corpus Chriſti factum præſens in Euchariſtia, & illa generalis eius ſubſtanria cum affectis proprietatibus & accidentibus, non in ipſo quidem corpore Chriſti, ſed in eodem loco cum ipſo & ſacramento per ſe hæret ex Dei potẽtia, quæ illa ſubſtentat, ac corporis Dominici præſentia, quæ ad hoc vices gerit: Apoſtolus meritò corpus Domini panẽ vocat, propter duplicẽ illam rationẽ, ipſique attribuit multas panis proptietates, tanquam inniterentur ipſi ſicut ſubiecto: quoniam tam intimè circumſiſtunt ipſum, ac ſi eſſent infixæ, & quia harũ miniſterio diſpenſatur, ac ſi verè panis eſſet. Eam ob rem ait corpus frangi pro nobis, & panẽ quem frangimus, eſſe corporis Dominici communicationem: vbi denotat, nec panis nomen ad naturalem referri, nec fractionem eiuſdem proprietatem, ſed ad ipſum veriſſimum corpus Domini: quia naturalis panis ſubſtantia pro nobis & in remiſſionem peccatorũ frangi non poteſt, aut diſtribui, ſed bene corpus Chriſti, quod miniſterio ptoprietatũ panis pro nobis datur & frangitur: ideò etiã ipſa actio fractionis & aliarũ proprietatum ſæpè corpori Chriſti aſcribuntur, non proprietatibus ipſis, quoniam earum ſolo miniſterio corpus vtitur. Adhæc fractio non limitatur ſubſtantia panis, ſed quantitate eiuſdem: ob id ex fractione non ritè infertur panis natura ſubſtantialis, & Apoſtolus circumſpectè ſubiecit eſſe communicationem corporis Dominici, vt ſub illa quantitate innueret, quænam eſſet ſubſtantia, ne quis eam putaret eſſe panaceam. Iſta quidem ſubtiliora fortaſſe videbuntur, ſed intelligenti ab Apoſtolico ſpiritu & mente profecta apparebunt. Porrò de genimine vitis violentiorem impetum faciunt Aduerſarij contra Tranſſubſtantiationem, quaſi poſt cõſecrationem à Matthæo & Marco poculum ſcribatur vinum eſſe naturale, quale de vite naſcitur. Principiò proponemus trium Euangeliſtarum ea de re verba. Matthæus ita habet: *Hic eſt enim ſanguis noui Teſtamenti*, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis, Nõ bibam à modò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm bibam illud nouum vobiſcum in regno patris mei. Marcus verò inquit: Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de genimine vitis vſque in diem illum, quum illud bibam nouum in regno Dei. Lucas ait: Et accepto calice gratias egit & dixit, Accipite, diuidite inter vos, Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec

De genimine vitis.

donec regnum Dei veniat. Locus hic sanè plurimũ difficultatis & obscuritatis semper in Ecclesia peperit, atque ob id ab Eucherio Lugdunensi inter abstrusas scripturæ quæstiones numeratur. Et Hieronymus ab Hedibia de ipso diligentiùs consulitur, & rogatur, atque illum veteres Ecclesiastici scriptores quadrupliciter interpretantur, nec recentiores Catholicæ fidei hostes de ipso magis inter se consentiunt. Ex quo statim apparet Aduersarios exercere artem hæreticorum & fallaciam, quibus semper mos fuit planiorum scripturarum luminibus per obscuriora quædam officere.

Hieronym. ad Hedibiã quæst. 2. Eucher. li. de quæst. diffic. vtriusque Testam.

Inde etiam perspicitur à veteri Ecclesia non fuisse creditum, quòd vinum expleta consecratione remaneret: alioqui cur sublata omni perplexitate de eo non explicabatur ista scriptura quam excutimus? Maluerunt sanè Patres quiduis suspicari, quàm à tradita fide deficere. Quinetiam Petrus Martyr, rigidissimus panis & vini in Cœna exactor, & Transsubstantialitatis immodicus oppugnator, nouum illud genimen vitis de spiritali haustu accipit, & in eo mutationem ponit, quòd potus naturalis transeat in spiritalem: sed quasi iure sibi sumit quiduis ex quouis fingere: attamen rectè vidit non idem vinum permanens ante & post consecrationem, nouum dici posse.

Genimen vitis non accipitur pro vino naturali apud Matthæum & Marcum, & dictũ post Cœnam Domini. Petr. Martyr lib. de defens. Eucharist.

Verisimile quoque est, tempore Apostolorum nonnullos iam scripta à Matthæo & Marco peruenisse, & ex ista clausula contentiones obrepsisse de poculo Domini, an esset genimen vitis ac vinum naturale, vti cernebatur. Propterea Paulus cùm ortas inter Corinthios hæreses de veritate corporis & sanguinis Domini studeret tollere, clausulam illam silentio præteriit, tanquam minimè à Christo inter sacrosancta verba prolatam, ac tanquam minimè ad Cœnam Domini pertinentem, & interea contentionis maximam causam. Lucas verò, qui post alios scripsit, & ad veritatem rei datæ à Christo elucidandam, mentionem expressiorem facit de duplici Paschate, & testamento: & de duplici etiam potione sumpta à Christo, ac tradita, accuratiùs aliis meminit, dictúmque illud de genimine vitis suo loco reposuit, atque ita elocutum Christum fuisse ostendit ante Cœnam & vini consecrationem, ne quis poculum iam consecratum, genimen vitis simpliciter à Christo dici apud alios Euangelistas putet. Nam post naturalem & communem potionem subiicit prolocutum Christum: Dico vobis quòd nõ bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Post secundam nihil tale addit, neque generationis vitis articulum distinguentem affigit, neque noui epithetum annectit, sicut faciunt superiores Euangelistæ, vt significet Christum interposuisse illam orationem ante consecrationem Eucharistiæ, non autẽ postea, quẽadmodũ Matthæus & Marcus videntur eam recitare. Neque Lucas contentus est ex ordine narrationis suæ id probare, sed indicat Christum ea vsum, cùm iam instantem & præsentem significaret veteris Paschatis in nouũ translationem & adimpletionem, ac per eã noui Testamenti, noui Paschatis, & noui regni inchoationem. Ideò de mãducatione typica priùs ait: desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ, antequã patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc nõ mãducabo illud donec impleatur in regno Dei. At mãducationem illam typicam agni peractam fuisse ante Cœnã Domini nemo, vt opinor, negauerit: ergo & potionẽ typicam de genimine vitis cõcedamus oportet ante eãdem cœnã fuisse absolutam, quoniã æqua est de vtraque contestatio Christi. In Domini cœna etiã venisse regnũ Dei, ac cœpisse, fateamur necesse est, quoniã in ipsa veri ac noui Paschatis manducatio subiit. At si in ipsa Cœna per ipsam cõsecrationem genimen vitis non efficeretur nouum, sed priorem naturam retineret, Christus contra suam assertionem bibisset de eodem fructu vitis, nec nouum factum hausisset iam regno Dei inchoato. Quòd si per Cœnam cœpisse regnum illud negauerimus, & bibisse nihilominus in ea de naturalis vitis liquore Christum

dixerimus, mentietur ipse, cùm se non epotaturum amplius de genimine vitis affirmarit ante regni illius auspicium. Itaque siue in Cœna regnum illud acceperit initium, siue non, oportuit Christum in ea bibere de alio quàm de naturalis vini poculo. Quamobrem sapienter Matthæus & Marcus pollicitationem Christi post traditum calicem repetunt, vt iam adimpletam, ostēdúntque de qua potione Christus ante Cœnam prædixerit, & ea addūt, quibus cognoscatur adimpleta: nimirùm ex eo, quòd genimen vitis ex veteri nouum, & ex communi ac naturali quoddam singulare & supra naturam eximium fit, ob ídque Matthæus articulis distinguentibus & secernentibus exornat, & ex veteri nouum inquam factū declarat, quando ait. Dico autē vobis, non bibam à modò de hoc genimine vitis vsque in diē illū, cùm bibo illud nouum in regno patris mei. Vocat autem adhuc genimen vitis ex regula priùs annotata, qua res effectæ conseruant earum nomina, ex quibus efficiuntur: sed aliis honorariis ritulis insigniuntur, quibus esse ipsas mutatas facilè intelligatur. At, inquies, non solùm adhuc vocant isti Euangelistæ genimen vitis, sed epotandum promittunt alio die in regno patris, quasi iam non epotatum, neque nouum factum in Cœna. Respondeo Matthæum & Marcum in repetitione promissionis Christi duo exprimere, id est, ipsam promissionem breuiter attingere: quæ erat, Non bibam de generatione viris vsque in diem illum: & promissi executionem, quando subiiciunt, Quo illud bibo vobiscum nouum in regno patris mei. Sic enim Græcè apud Matthæum legitur, Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπ᾽ ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ᾽ ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου. In primo clausulæ membro, Bibam, in futuro collocatur: in secundo verò de præsenti effertur: neque est, vt comminiscitur Beza, præsens pro futuro: sed cùm posset Matthæus tam facilè futurum iterare, consultò præsens substituit, vt adesse tempus denotaret, & quoniam in præsenti fieri exigebat Cœnæ ipsius proprietas: cui non cōueniebat vetus genimen vitis, vt nec vetus Pascha, sed vtrumque nouum oportebat adhiberi. Ideò non de genimine veteri in Cœna bibit, sed de nouo: qua de causa aptè scriptum fuit, Bibo nouum in regno patris mei. Quòd si ad aliud tempus noui porio remitteretur, cœnæ poculū inter vetera censeretur, neq; ad nouum Testamentū pertineret. Non te moueat, quòd in aliū diem videantur Matthæus & Marcus procrastinare noui calicis potum. Nam scriptura phrasi communī diem pro quocunque tempore & hora ponit: neque fortasse temerè diei meminerūt, vt præteritis tenebris & figurarum vmbris spectare ad lucem noui Testamenti tale nouum poculum designent. Ista quidem inquisitionis gratia dicta sint, nō quasi necessaria ad satisfaciendum Aduersariotum obiectioni: ad quam diluēdam satis est concedere, potionem Eucharistię etiam post cōsecrationem genimen vitis vocari ex phrasi scripturæ quæ nomina naturalia rebus iam mutatis solet retinere, non propterea tamen rei substantiam præcedentem & naturalem remanere. Non negamus interea, quin Euangelistę alludāt etiā ad aliud seculū, & ad omne tempus, quo durabit regnū Dei, in quo fruimur corpore & sanguine Domini, sed diuerso modo: per velamen scilicet, & sacramētum in Cœna: in cœlo verò per apertam possessionem & fruitionem: ac fortassè ita suum stilum temperarunt, vt vtrique perceptioni conuenire & adaptari posset. Non tamen sunt audiendi, qui Euangelistarum verba, vel ad potum quem Christus post resurrectionem sumpsit, vel ad spiritalem fruitionem & beatitudinem in altero seculo accommodant, si à Cœna secludūt. Nam quod dictū fuit à Christo de potu, Lucas itidem dictum narrat de esu Paschatis, quod certè propriè ac primariò completum fuit in Cœna: transferri tamen potest ad esum Christi spiritalem, quo pręsente & conspicuo fruemur in cœlis: neque propter istum potest ritè

ritè tolli à Cœna adimpletio, & veri agni Paschatis Christi vera manducatio: nec eodem modo propter trãslatas potiones potest noui calicis haustus de Cœna submoueri, cui propriè ac verè competit. Quapropter tantũ abest, vt clausula de genimine vitis Transsubstãtialitati noceat, vt eam potissimùm ex allatis confirmet. Non enim genimen vitis in Cœna, siue naturale vinũ exhaustum & propinatũ fuit à Christo, sed nouũ factum & immutatũ. Ita quidem Euangelistas cõciliarunt & interpretati sunt doctissimi viri, neque certè ineptè, aut impiè: attamen quoniã vis quædã afferri Matthæo & Marco videtur, cùm de futura aliàs potione loquãtur, & nõ de præsenti, quã traderet Christus in cœna, facilè aliis acquiescerẽ, qui triplicẽ ordinẽ ab Euangelistis describi iudicarunt. A Luca naturalem & typicam proponi cum prædictione mysticæ, & nouæ statim porrigẽdæ, quæ cõstaret vero Christi sanguine, vt nouũ Pascha vera Christi carne. Matthęus verò & Marcus, nihil de naturali & typico potu enarrant, sed tantùm explicant mysticum & sacramentalem, quem Christus Apostolis post benedictionem exhibuit: atque ita factam à Christo de nouo Paschate & poculo promissionẽ exolutã esse mõstrarunt, & vnà eiusdẽ aliam de tertio nouo poculo & Paschate promissionem eiusdẽ Christi subiunxẽrũt, nempè de spiritali & esu carnis & sanguinis illius in regno patris, & altero seculo, quãdo potiemur & inebriabimur fruitione & aspectu Christi: de quo tertio esu & potu nec Lucas reticuit, sed ista dixit: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Eo modo per gradus quosdã docuerunt Euangelistæ modos varios, quibus se Christus hominibus exhibuit, in vmbra & figura: in veritate, sed operta, & specie sacramẽti velata: in veritate eadem & re, sed cõspicua, & oculis mentis ac corporis tãdem obiecta. At cur triplex potio, siue perceptio, genimen vitis nũcupatur, & cur in cœlo de hoc genimine vitis, quod in cœna Christus porrexerat, nos bibituros scribatur, cùm eò non pertingat vinũ naturale, nec eiusdem species? Et si litera Euangelistarum de triplici potione geniminis vitis cõmemoret, tamẽ ex adiunctis satis innuit, nequaquam se eadem dictionem in vno significatu capere. Nam apud Lucam simpliciter generatio & fructus vitis appellatur, vt erat reipsa in cœna naturali & typica: at futuram nouam & aliam prænuntiat noui regni & noui Paschatis, quam statim institutam & instructam à Christo Lucas ipsemet descripsit. Propterea Matthæus in ista posteriore Cœna non ait de generatione vitis simpliciter, sed de hoc genimine vitis nouo facto, quod iterum innouandũ nihilominus in altero seculo prędicit: quia vt in sacramento deponit substãtiam, quam in Christi naturam demutat, ita in illa cœlesti potione perdit, & exuit quod sibi erat reliquum in sacramento, nempè speciem & accidentia, quibus cõtegebat rem illã, qua aperta fruemur in cœlo: & retinetur semper nomẽ pristinũ geniminis & vitis, quia ordo & progressus istarum potionũ nobis euenit, & propositus fuit à mutatione geniminis vitis, quæ maior fit per singula potionũ genera. In hac textus Euangelici intelligentia, nihil est contortum, aut violentũ, sed fluit ipsa rerũ & verborum series, & ad vnum scopum omnes collimant Euãgelistæ, nec quicquã est quod nõ Transsubstantialitati opituletur. Nam genimen vitis post consecrationem nominatum, aut immutatum, ac nouum effectum significatur, vt Pascha, aut pro eadem re capitur, quæ in sacramenti specie tegitur, sed in altero seculo dicitur innouãda in eo, quòd in aperto & cõspicuo futura sit. Vtro modo sumatur, Transsubstantialitati suffragatur, cùm in vtroque modo nulla substantia ponatur nisi carnis & sanguinis Dominici: quandoquidem priori vetus Pascha & agnus in nouum, qui Christus est, transmittitur, vt vetus genimen in nouum conuertitur, qui

Scriptura de genimine vitis Transsubstantialitatem cõfirmat.

Eques Villagagno, et alij.

Luc. 22.

ſanguis Chriſti eſt: poſteriori, nouum Paſcha & agnus Chriſtus in ſe, & conſpicuus cernitur & perſpicitur, qui in Cœna obuoluitur panis aut vini ſpecie. Quoniam verò geniminis vitis dictio apud Lucam & Matthæum eſt ambigua, ad naturale vinum, quod ſumpſit prius Chriſtus, & quo ſuum poculum in Cœna confecit, & ad id quod effectum fuit de eo: hinc accidit, vt varias ſententias & interpretationes de clauſula illius geniminis Patres reliquerint. Nam qui contra hydroparaſtas ſcripſerunt, ſiue contra eos qui aquam pro vino offerri & conſecrari volebant, confugiunt ad illa Chriſti verba, Non bibam de genimine vitis, vt illos confutent, & probent vino naturali in myſteriis opus eſſe: in quibus eſt Cyprianus, Epiphanius, Chryſoſtomus atque alij: numquam tamen iidem aſſerunt manere vinum poſt benedictionem, imò ipſimet vehementius contendunt mutari, vt de Cypriano & Chryſoſtomo anteà docuimus. Alij regnum patris, non niſi poſt reſurrectionem Chriſti viguiſſe, & locum habuiſſe putauerunt, ac tum cum diſcipulis ipſum iterum bibiſſe de genimine vitis naturalis ac vino, ſicuti de cibis communibus manducaſſe prædicant, & dictum de genimine vitis epotando in regno Dei fuiſſe completum iudicant. In his eſt Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus & Beda. Iſti quoque genimen vitis extra conſecrationem commemorari à Chriſto cenſent, & ad Lucæ textum alludunt. Quotquot verò expenderunt etiam ab Euangeliſtis nomen illud poni poſt celebratam Cœnam Dominicam, genimen vitis tranſlatitiè capiunt pro ſanguine Chriſti, qui eſt vitis vera, cuius ideò ſanguis & poculum aptè genimen vitis appelletur: ac tradunt de eo bibi in Eccleſia regno patris, à Chriſto iterum in membris ſuis ac fidelibus. In eum ſenſum Origenes, Hilarius, Hieronymus, Theodoretus, & Eucherius Lugdunenſis exponunt. Alij protendunt regnum patris ad futurum ſeculum, in quo participes reddemur carnis & ſanguinis Domini, ſed ſine ſacramento, aut velamento. Quam interpretationem amplectuntur de Paſchate nouo edendo, & genimine nouo epotando, Cyprianus, Ambroſius, Gregorius Nanzianzenus, atque hij quos ſuo loco in aliis Repetitionibus produximus. Fuerunt etiam in prima Eccleſia Chiliaſtæ, qui authore Hieronymo genimen vitis pro materiali vino intelligerent, & in altero ſeculo ac regno patris, quod in terris futurum ſperabant, dicerent largius ad fœlicitatem à fidelibus epotandum: ſed errabant toto cœlo, & ſcriptura abutebantur, quorum error in Iudæos & Turcas irrepſit. Quamuis autem illorum Patrum videantur diſſentire ſententiæ, attamen ſi referantur & accommodentur ad diuerſos textus de genimine vitis, & ad varias ſignificationes regni Dei, eodem recident, & Tranſſubſtantialitati ſuffragabuntur. Quotquot enim genimen pro vino acceperunt, nuſquam aiunt in cœna ſacramentali noui Teſtamenti hauſtum à Chriſto, ſed tãtùm in Cœna agni Paſchalis Iudaïci, & poſtea inter communes epulas poſt reſurrectionem: qui cùm interea aſſentiantur bibiſſe Chriſtum in Cœna illa noui Teſtamenti, ſatis profitentur poculum huius Cœnæ non reputari de genimine vitis, ſed de Chriſti veriſſimo ſanguine. Alij exprimunt genimen vitis à Matthæo & Marco repetitum, non niſi de ſanguine Chriſti dici poſſe. Alij, cùm in eodem ſignificatu genimen illud apud iſtos Euangeliſtas explicent, quo totus Chriſtus ſine nube & velamine nobis fruendus præſentabitur in cœlis, ſatis quoque aperiunt de illo vero ſanguine dici. Neque pugnant interpretationes illæ diuerſæ de regno Dei, ſed ſunt conſequentes inter ſe. Nam regnum Chriſti & Patris cœpit à nouitate myſteriorum ſiue ſacramentorum, ac totius diſpenſationis Chriſti, propagatur cum Eccleſia vſque ad conſummationem ſeculi: & poſtea ſtabit in æternum, nullum finem habiturum, cùm tradiderit Chri-

Cypr. lib. 2. epiſt. 3.
Chryſ. ho. 83. in Matth.

Chryſ. ho. 83. in Matth. Theophyl. & Beda in ca. Luc. 22.
Hieronymus.

Orig. tract. 35. in Matth. Hilar. can. 30. in Matth. Hieronymus ad Hedibiam. quaſt. 2. Theodoretus dial. 1. Eucherius.
Cypr. de Cœna. Ambroſ. de ſacram.
Nanzianz. orat. de paſchate.
Hieron. quaſt. 2. ad Hedib.

Regnũ. Chriſti tripliciter conſideratur, & corpus Chriſti tripliciter editur.

„Christus regnum Deo patri. Propterea clamabat Ioannes, atque etiam Christus ipse: „Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: cùm inuitarent homines ac præpararent ad Euangelij baptismum, sine quo intercludi aditum ad regnum Christus etiam docuit. Propterea scribitur, Regnum Dei intra vos est: & toties simile prædicatur regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, patrifamiliàs bonum semen seminanti in agro, mercatori quærenti bonas margaritas, decem virginibus, atque aliis rebus, quæ confusaneam & miscellaneam bonorum & malorum turbam in Ecclesia designant. Propterea regnum Dei venturum sine obseruatione monemur, quod de futuro seculo cogimur explicare. Quamobrem ne promissis deesse videamur, iam constat ex Hieronymo, Eucherio, atque aliis, Patres occurrisse obiectioni de genimine vitis, quæ tum illis fiebat importuniùs, eíque satisfecisse ex varia dictionis intelligentia, nec aliam in Cœna Domini admisisse, quàm quæ ad solum Christi sanguinem sine naturalis vini substantia pertineret. Occurrerunt Aduersariorum ex panis appellatione & fractionis proprietate argumentationi: ac responderunt, panem Christi carni maximè conuenire, pro ipsáque cùm de Cœna agitur, capi, in qua per consecrationem panis oblatus communis esse desinit, aut naturalis, qui in secessum vadat, sed fit ipsa caro Domini. Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Nissenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Cromatius, Theodoretus, Marius Victorinus, atq; alij propè innumerabiles, qui de Eucharistia disseruerunt, aut in orationem Dominicam scripserunt, in qua cùm ventum est ad Panem nostrum quotidianum, siue supersubstantialem explanandú, ex professo disputant, quare corpus Christi etiam in sacramento post consecrationẽ vocetur à scriptura panis. Cùm ferè sit omnium eadem quæstio & responsio, vnus Ambrosius ab Augustino ad verbum transcriptus loco omnium audiatur. „Dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica ait, Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed Ἐπιού-σιον hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideò Græcè Ἐπιούσιος dicitur: Latinus autem hunc panem quotidianum vocat. Ergo quod Latinus & Græcus dixerunt, vtrumque vtile videtur. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie quod tibi quotidie prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, nõ meretur post annum accipere. Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus habemus, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste & venerabile sacramentum. Fractionem etiam non pani materiali attribuunt, sed corpori Domini, tametsi latẽti sub speciebus panis, quarum ministerio & medio fractio „deferretur corpori. Ignatius ait: Non comedam escam corruptionis, neque voluptates huius mundi desidero. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui: & potum volo sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis, & vita æterna. Rogo vos vt instetis vni fidei, vna gratiarum actione vtẽtes. Vna est caro Domini Iesu, & vnus est eius sanguis, qui pro nobis effusus est: vnus etiam panis pro omnibus confractus, & vnus calix totius Ecclesiæ. Magnus Dionysius panem vocat, sed sanctum, cuius dum frangitur vnitas, multiplicari ait, & non imminui. Cyprianus quidem alio torquet fractionem, attamen his „verbis ad corpus pertinere docet: Hęc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem istum frágimus & partimur, dũ quod diuinũ & hu-

1. ad Cor. 15.

Patres respondent argumẽto de Panis appellatione.

Tertull. Cypr. Niss. lib. de orat. dominic. Ambro. lib. 5. De sacram. cap. 3. Augu. serm. 28. De Verb. Domini. & lib. 2. de serm. Domini in mõte. Cyrill. Hierosolym. catec. 5. Cromat. in cap. 5. Matth. Theodo. dial. 2. Mar. Victorin. in Arrium.

Ignat. epist. ad Roma. & epi. ad Philadelph.

Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch.

Cypr. de Cœna.

manum est, distinguimus & separamus, itémque separata iungentes, vnum Deum & hominem fatemur. Chrysostomus ex Apostoli textu, Panis quem frangimus, interrogat quid est panis. Respōdet esse corpus Christi. Rursum rogat, quid fiunt qui

Chryso. hom. 24. 1. ad Cor.

accipiunt. Corpus, inquit, Christi: non multa, sed vnum corpus. Sed cur additur, ait, quem frangimus? Hoc in Eucharistia, subiicit, videre licet: in cruce autem minimè, sed omninò contrà. Os enim eius non confringetis. Sed quòd in cruce passus non

Iustin. ad Antoninum. & Cyrill. Hiero. cat. 3. Mystago. Iren. lib. 4. cap. 34. & lib. 5.

est, id in oblatione patitur propter te. Propterea Iustinus ait, ideò iam non esse, aut sumi pro communi pane, quia sit effectus caro Domini. Irenæus itidem scribit, panem percipientem vocationem Dei, iam non communem panem esse, aut carnem nostram ali aut augeri ex pane, qui est corpus eius, & ex calice qui est sanguis eius. At ne cauillentur Germani, iam non communem panem dici, quia aliud, nempè carnem Domini, secum habeat, Patres non reddunt eam rationem: sed ideò iam non esse panem aiunt, quia sit ipsa caro Domini, & eam fuisse mentem horum Patrum a-

Ambros. libr. de sacram. & August. cano. Nos autem. De consecr. dist. 2. Cypr. de cæna.

lij perspicuè declarant, vt Ambrosius & Augustinus, cùm non esse panem tradunt quem natura formauit: vt Cyprianus, quando ait panem istum communem in carnem mutari, & mutatum natura, non effigie, fieri carnem Domini, atque hanc immortalitatis alimoniam à communibus cibis differre, quia corporalis substantiæ retineat speciem, sed diuinæ virtutis inuisibili efficientia probet adesse præsentiam. An potuerunt Patres certiùs & dilucidiùs Aduersariorum nostrorum de appellatione panis & calicis depellere argumentum? Reticere nequeo Gregorij Nisseni egregia

Nissen. de vita Mosis.

verba. Panis, inquit, qui de cœlo descendit, verus cibus est, neque incorporea quædam res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? Res verò, quæ incorporea non est, corpus omninò est. Huius corporis panem non aratio, non satio, non agriculturarum opus effecit, sed terra intacta permansit, & tamen pane plena fuit,

Aug. epist. 23.

quo famescentes mysterium virginis edocti facilè saturantur. Postremò Augustinus ait, res nominari ex similitudine, quam cum veris naturis habent, etiamsi naturas non possideant: & id vsu fieri in sacramentis, vt vocentur rerum nomine, quarum gerant similitudinem. Ita panis & calix sacramentum hoc nomi-

Gregor. hom. Paschali.

natur. Augustinum sequitur expressè Gregorius Magnus, & ab Eucharistia exemplum petit.

ADVERSARIORVM ARGVMENTA A sensibus, & à panis proprietatibus atque actionibus.

CAP. 2.

A SENSIBVS ducunt argumenta aduersarij, & ab effectis, actionibus, proprietatibus, atque accidentibus substantiæ contendunt coargui, & euinci substantiæ existentiam & perseuerantiam. Nam cùm in Eucharistia maneat eadem operatio, quæ ante consecrationem erat in pane & vino, eadem quoque effigies & figura, aliæque perstent naturales functiones, iure inferri & concludi videtur eiusdem substantiæ quasi pertinacia. Addūt insolitum in scripturis, vt res aliqua per miraculum in aliam commigret, & tamen eadem quæ fuit appareat, quoniam Deus nō homines deludat, sed ipsis res exhibeat quales reddiderit. Ac ne repellantur quasi per inanem philosophiam & sensuum fallacem experientiam decepti, aiunt se ratiocinari cum Christo, cum Apostolis, cum omnibus antiquis Christianis, qui per affirmationem & experientiam naturalium actionum, proprietatum & accidentium de humanitate Christi, filium Dei probauerunt induisse & circuntulisse veram sub-

ſtantiam ac naturam humanam. Ita enim Chriſtus redarguit Apoſtolos, & ſuam re-ſurrectionem comprobauit: Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Ita Apoſtoli, cùm de Chriſto fidẽ faciũt, loquuntur, Quod vidimus, quod manus noſtræ contrectauerunt, de filio Dei annuntiamus vobis. Sic tota Patrum diſputatio contra Marcionem, Manichæum, Eutychen atque alios, in eo verſatur: adeò vt ſexta ſynodus generalis concludat ex ſententia Baſilij, Ambroſij & Cyrilli, horum eſſe vnam naturam & ſubſtantiam, quorum inuenìatur vna & eadem operatio. Repugnantiam incurri aiunt, cùm dicitur accidens iam nõ in alio hærere, ſed per ſe conſiſtere: quod eius definitioni prorſus aduerſatur, & propterea ne quidem in Dei manu & poteſtate ſitum eſſe iſtud agere. Nos contrà elicimus Trãſ-ſubſtantialitatis confirmationem de Patribus, quòd prohibeant iudicium ferri de pane & vino ex ſenſibus & naturalibus affectionibus, & quòd poſitis obiectionibus ſatisfaciant, vt de more in fine huius capitis oſtendetur. Valet quidem ratio ſumpta à ſenſibus & proprietatibus, quamdiu res in ſuo ſtatu naturali relinquuntur, & ab eo non dimouentur per ſuperiorem aut diuinam potentiam. Tum enim licet de ipſis iudicare ex naturali conſtitutione & vſu. Probabilius verò lõgè agitur, ſi quod ſenſus aut operatio renuntiat, ſit proprium & peculiare rei quam inquirimus, aut nullo modo conueniens alteri, cum qua ipſam conferimus. Tum enim fidentes, & quaſi neceſſariò infertur ipſa res, & ab altera diſtinguitur: quoniam vbicunque inuenitur operatio alicui naturæ propria, neceſſe eſt ibi inueniri eandem naturam. Eo pacto Chriſtus, vt ſe ſtatum corporis ſenſibus naturalem per reſurrectionem recepiſſe, & differentem à ſpiritu demonſtraret, rectè præcepit, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. Prudenter quidem remouet opinionem de ſpiritu, & veritatem corporis ſenſibilis intra limites naturæ aſtruit: quoniam ea eſt natura ſpiritus, quæ numquam conſtet oſſibus & neruis, corpus verò ſenſibile his neceſſariò compingitur. Eo pacto rectè colligunt Baſilius, Ambroſius, & Cyrillus, ex eo, quòd Chriſtus, quos vult, viuificat, Chriſtum habere diuinam naturam, quia illa ſit operatio, quæ tam parum poteſt conferri creaturis, quàm ipſa natura. Eodem pacto rectè Apoſtoli, ac ſancti Doctores probant Chriſtum verum fuiſſe hominem ex naturæ actionibus & affectionibus intrinſecis ac propriis: quæ probatio valida eſt, niſi doceatur vis naturæ, omnipotentis virtute ſuperari, quod Manichæus & alij non potuerũt per ſcripturas excipere: At ſi aliqua ſit qualitas pluribus rerum generibus cõmunis, numquam poteris ex tali vnius generis naturam certò colligere: quãdoquidem non iſta potius eſſe definietur quàm alia, ex communi pluribus proprietate. Exempli gratia. Candor in lacte ſenſibus obiicitur, rubor in ſanguine. Sed quoniam qualitates iſtæ non illis ſunt ſingulares & propriæ, ſed pluribus conuenientes, ſenſus in his fallitur, nec idoneus iudex eſt. Nam minium poterit haberi ex colore pro ſanguine, atque alia pleraque, & gypſum pro lacte, & lac non æſtimabitur pro ſanguine. Si ex ſenſu decreueris de illis affectionibus rerum communibus, ſalem reputabis pro ſaccaro, & contrà: aurichalcum pro auro, & pro gemmis ac lapillis pretioſiſſimis adulterinos mercaberis, & impoſturam patiêris. Itidem ſi per actiones & effecta communia rerum ſubſtantias affirmaris, non minus hallucinaberis. Vrina fallax, inquit Medicus: herbarum verò & aliorum medicamentorum quàm diſſimilis eſt in pari actione ſubſtantia & natura. Neque conuinces Apollinarem docentem, Chriſtum non habuiſſe ratiocinalem animam, ex eo quod legitur, defeſſus ambulando dormiuiſſe, ediſſe, bibiſſe, ſitiſſe, quia hæc non ſoli homini, ſed etiam brutis competant. Propterea præclarè Baſilius contra Eunomium ſcribit, non ex diuerſitate proprietatum, & conuenientia, naturarum aut ſubſtantiarum colligi diuerſitatem, aut

Quatenus ſit ratiocinandum ex proprietatibus & actionibus ad rei naturam & ſubſtantiam.

Baſil. lib. 2. in Eunom.

vnitatem, aut æqualitatem. Vidédum igitur restat, an aliqua panis & vini proprietas & operatio à nobis in Eucharistia percipiatur, quæ aliis generibus saltem secundum naturam congruere nequeat. Certè nutritio non est operatio pani aut vino propria, cùm & radicibus & Ceruisiæ, piscibus & carnibus atq; herbis & fructibus aliis conueniat, imò & humana caro feros homines nutriat. Sed neque aliquis certus odor, vel sapor, vel color, vel aliqua figura panis designari potest, quin aliis rebus naturalibus, aut artificio mixtis & compositis accommoderur, cùm odor, sapor, color & figura, modico addito aut subtracto, infinitis modis varientur, durante panis viníque eadem substantia, vt per experiétiam pistoribus, coquis, cauponibus, & pharmacopolis compertum est, qui sapores, odores & colores tam norunt variare, quàm Geometer figuras, & Arithmeticus numeros. Quare nondum est inuenta certa panis & vini proprietas, quam liceat definire aliis rerum generibus non quadrare. Proinde non est, quod ex sensibus aut ex accidentibus, quæ in pane aut vino deprehenduntur, & in Eucharistia remanere cernuntur, concludamus, inuicta consecutione panis & vini substantiam simul permanere. Hactenus quidem naturam ducem & rationē secuti sumus, & quid ex earum visceribus probari possit, ostendimus. Nunc altius attollendi sunt animi, & vbi interuenerit diuina potétia ac supernaturalis actio, quærendum est, an æquum sit ex apparentibus rerum accidentibus, aut ex earum naturalibus conditionibus de ipsis iudicare, vt iam non sit Christianus homo in diuinis operibus animal fidele aut spiritale, sed ad summū rationale, aut potius brutum ad ea quæ sensibus offeruntur abiectum & addictum: neque iam sint dicendi beati, qui crediderunt quod non viderunt. Diuina virtus mirabiliter plerunque id quod iuxta vim naturæ proprium & particulare est alicui speciei, in aliam traducit. Quid magis proprium est cuilibet creaturæ, quàm vt vbicunque extat vna natura, consistat & eiusdē hypostasis vna: & contrà, vbi prǽstò est vna hypostasis, insit ipsi natura vna? At diuinitatis tanta est amplitudo, vt sicut in tribus hypostasibus siue personis naturaliter & necessariò vnica subsistit, ita eius omnipotentia factum sit in mysterio Dominicę incarnationis, quod in vna persona duę naturæ coaluerint. Quòd si ad corporalia libet animi captum demittere, Angelus potest operationem & proprietatem vnius corporis in alterum transferre. Nam quid magis peculiare est homini, quoad corporalis naturæ conditionem, quàm colloqui, & sensa mentis effari: quàm habere staturam, vultum & effigiem, per quam ab aliis animantibus secernimur? Attamen verissima scriptura prodit serpétem opera Angeli mali, & Asinam Angeli sancti potestate elocutum esse, atque angelicos spiritus corporum humanorum formam gestasse. Deus substantias reseruatis earum proprietatibus, & accidentibus sub sensum cadentibus, in alias vertit, quemadmodum in Adamo terram in carnem transformauit, magna superstite proprietatum quæ de terra sunt copia: poma & fructus suauissimos Sodomæ & Gomorrhæ transtulit in cinerem, fauillam & amaritudinem, saluo eorum cortice, colore, & pulchritudine. Per fulmina & fulgura, substantias & naturas absumit, aut in nihilum redigit, aut in alias traiicit, omninò illæsa rerum ipsarum figura & forma, & accidentibus quæ supersunt, artificio, quod non assequitur mens nostra. Deus item substantias sine propriis affectionibus, quando vult continet, vt interdum accidentia & proprietates sine propria substantia fulcit & firmat: proprietates ad placitum huc & illuc commeare facit: actiones & agendi facultatem creaturis cōfert, eisdémque pro arbitrio adimit, aut sine ipsis idem quod per ipsas obit. Est enim sacrum & inuiolabile axioma, quòd Deus ipse prima causa potest præstare per se id quod per secundas præstat, & in ipso positum esse reiectis secundis parem vim tribuere tertiis, aut alioqui remotissimis. Principió Deus multorum corporum naturas

An remaneat aliqua proprietas in pane peculiaris ipsi.

In Dei operibus non licet argumentari ex rerum apparentia & proprietate.

Tertull. de carne Christi.

Ioseph. in Antiquitat.

tutas efformauit, quibus postea propria attributa per ordinem creationis adiecit: sicut solem sine luce produxit, qua ipsum tandem illustrauit, si ex scripturę narratione creaturarum productionem metimur. Lucem primariam ante solē procreauit, & sine proprio subiecto & substantia verbo virtutis suæ sustinuit, quemadmodum ex scriptura Iustinus Martyr, Basilius, Ambrosius, Damascenus & Procopius Gazæus testantur. Ignem in rubo & in fornace Danielis præbuit, sine adurendi & consumendi vigore: imò cum refrigerandi virtute, proprietate sibi contraria. Quinetiā pugnantes proprietates & operationes simul & semel ex eadem ignis substantia emicarunt, quandoquidem ab eodem igne refrigerium capiebant adolescentes Hebræi, & miserè vrebantur Babylonici carnifices. Columbæ, ignis, & linguarum accidentia, ac proprietates, sine particularibus substantiis in aduentu Spiritus sancti insederunt Apostolis: & passim in apparitionibus veteris Testamenti rerum similitudines & species oblatæ sunt sine earum solida ac vera substantia, tametsi eiusdē ederent actiones & operationes, sicut de Angelo Raphaële constat. Quid si per incarnationis mysterium humana natura, quod erat sibi proprium per se subsistere, amisit, & in alio subiecto hærere, cum meliori statu permutauit. Quinetiam Platonici non verentur ipsas quantitates sine vlla substantia in rerum natura statuere, tanquam per se existentes, neque alieno fulcimento tanquam necessario indigentes: vt pudendum sit Christianis ne id quidem diuinæ omnipotentiæ concedere. Contra Anaxagoram substantias atque accidentia permiscentem Aristoteles disputat, accidentia à subiectis distrahi posse: & recitat quosdam Philosophos defendisse inanitatem & vacuitatem, spatium esse dimensionibus sine vlla substantia refertum. Auicebron etiam affirmat palàm ipsa accidentia posse sine substantia consistere. Nec repugnantiam includit accidens esse, & alteri non inniti: nec esse per se aut in alio, de ratione & essentia ac definitione intrinseca substantiæ aut accidentis censetur: quia esse ad nullius essentiam pertinet, prætetquàm solius Dei, qui aliundè non emendicat esse, sed ex se solus possidet res omnes: aliæ verò per creationem gratis ab eo istud receperunt, quod quotidiè ipsis in sua origine impartitur ipse, tāquam quid externum à propria cuiusque essentia. Per se quidem esse, est modus decretus à Deo substantiis secundum statutum & positum naturæ ordinem ab ipso: esse verò in alio, iuxta eundem ordinem accidentibus est innatū: sed in sacramento non habetur ratio ordinis & legis naturalis, sed miraculi & cœlestis omnipotentiæ, quæ à substantia in incarnatione Christi sustulit esse per se: & in sacramento aufert ab accidentibus esse in alio: quia Deus leges naturæ figit & refigit ad arbitriū, nec quisquam illi potest obmurmurare, Quare me fecisti sic? Neque verò Deus hominibus illudit, si panis esse appareat qui non sit, & accidentia faciāt indicium substantiæ quæ absit, quoniam Deus sensus nostros hîc nec fallit, nec perstringit, modò non excedant limites suæ naturæ ac virtutis, & iudicent de sibi obiectis & cognatis accidentibus, vt gustus de sapore, tactus de quantitate, visus de colore: tum nullam patientur fallaciam. Sin de interiori substantia voluerint pronuntiare, prætergrediuntur suos fines, & mens nostra fide ac verbo Dei admonetur de corpore Domini, ne accidentibus & sensibus abripiatur in fraudem, ad quam spectat de substantia diiudicare. Quantitas ergo panis consecrati priuatur suo subiecto, ac Dei omnipotentia per se existit, & erga alia accidentia vice substantiæ fungitur, vt ipsa sustentet & fulciat. De actionibus panis cogitationem nostram angit maior difficultas. Quî fit enim, vt accidentia nutrire possint, corporis nostri substātiam fouere & augere, in ipsāmque cōuerti, & parem procreare, corrumpi, & in varias substantias transire, eásque ex se producere? Quî fit, vt species vini infusam

Iust. lib. de fide expositi. Basil. ho. 2. in Exam. Ambros. in eund. Damasc. Procop. in cap. 1. Genes.

Thom. lib. 4. contra gentes. cap. 65.

Lib. 1. & lib. 4. Physicor.

Lib. fontis vitæ, tract. 2.

aquam in vinum conuerrat? Incredibile videtur, vt effectus sit potior sua causa, & accidens gignat substantiam. At nos breuiter respõdemus: non aduersari rationi, res agere supra suam naturam & ordinem, quando non propria & insita sibi virtute operantur, sed aliena, siue substantiæ etiam absentis à qua prodierunt, siue superioris & excellentioris naturæ, cœlestis scilicet ac diuinæ. Sic animante sublato semen ex eo profusum simile procreat, & virtute solis multa multarum rerum accidentia in alias transfusa exuscitantur & corroborantur ad pares substantias, aut etiam præstantiores edendas, quàm essent illæ à quibus emanarunt. Ita credimus in sacramento pristinas panis actiones exerceri ab accidentibus duplici virtute, vna naturali & per Dei operam remanente, de panis substantia abeunte: vt sicuti accidentia sine substantia conseruantur, ita eiusdem substantiæ vis & actio, quæ inter accidentia iure censetur, residua sit salua & incolumis transeunte substantia: altera virtute Christus per suum corpus in sacramento exerit operationes, alias ministerio accidentium remanentium similes naturalibus actionibus, alias sine illorum opera supra naturam admirabiles, siue ad alimentum aut nocumentum corporis, siue ad condemnationem & interitum nostrum, quando indignè accedimus, siue ad vitam & incorruptionem tum animi tum corporis, si purgati & digni ad sacrosanctas epulas venerimus. Priori modo veneno imbutus calix ántè, aut etiam post consecrationem peremit Papam.

De posteriori modo prolixiùs est agendum. Imprimis Deus cœlitùs effudit Manna, vt probaret, non ex sola panis substantia hominem etiam corporaliter ali, sed ex quacunque re, quæ procederet de ore eius & institutione, & vt per eam infatuaret prudentiam Aduersariorum nostrorum, qui sacramentum altaris panem esse indè coniiciunt, quòd alat, & quod præ se ferat panis operationes & proprietates. Atqui Manna istas argutias confutat. Data fuit, vt discamus non oportere esse panem, aut naturalem substantiam, quicquid nutrit. Vt scirent (inquit scriptura) filij Dei, quos dilexisti, Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderũt, conseruat. Data est insuper, ne à sensibus & effectis de natura ciborum & sacramentorum temerè iudicemus. Habebat niuis speciem: an propterea niuem fuisse concludemus? Omnium obsoniorum, quorum desiderio tenebantur Israëlitæ, referebat gustum & saporem, ac denique virtutem & operationem: an ideò semel omniũ rerum in se comprimebat & cõplectebatur naturam ac substantiam? Itaque memoria repetant Aduersarij, nihil ponderis habere suas ratiocinationes, etiamsi nihil diuinæ mutationis accideret in pane. Nam nullam singularem inueniunt panis proprietatẽ, per quam necessariò arguere possint & conuincere, adesse panis substantiam: multò verò minus easdem valere sciant contra Dei omnipotentiá, cuius opus est hoc sacramẽtum, quod temperauit pro sapiẽtia sua & arcano consilio, vt de pane transformaret, & in eodem relinqueret, quod esset huic sacramento aptissimum. Ali vult corpora nostra ad fragilem & caducam vitam hanc, & ad illam cœlestem ac sempiternam. Modum adinuenit conuenientissimum, & cibum vtrique effectui commodissimum ex duobus miscuit, corpori suo cœlesti, & incorruptibili dans locum substãtiæ, & panis corruptibilis assuetam retinens & sustentans virtutem atque actionem. Qua de causa sanctè ac piè Patres Iustinus, Irenæus, Cyprianus, atque alij, corpora nostra nutriri & augeri etiam carne & sanguine Domini scripserunt. Alij verò pani visi sunt alimenti vim, ac solitas ad nutriendum actiones tribuere. Vtrunque autem rectè fit, modò rectè intelligatur. Nam panis ablata substantia, reliquiæ naturale præbent alimentum, ac si præsens esset substantia. Corporis verò Dominici

natura

natura suis etiam proprietatibus operatur, sed suo ac cœlesti modo, sicut diuinæ sunt & cœlestes, & ad vitam beatam & incorruptam corroborant ac vegetant corpora nostra, peragúntque æternaliter, vt Cyprianus loquitur, quod agunt alimenta carnalia temporaliter. Propterea huius actionis suæ supernaturalis dat etiam nonnumquam in corporibus nostris visibilia documenta. Nam vt propter indignam sumptionem corporibus ingenerat morbos, & aliquando repentinum interitum ex Apostolo Paulo infligit, ita dignè percipientibus sępè gustum quendam & semē immortalitatis confert, cùm morbos depellit ex perceptione Eucharistię, tędia leuat, vires instaurat, & nos vegetiores ad quiduis perferendum pro Christo reddit. Hoc Gregorius Nanzianzenus in patre & sorore prædicat: Hoc Cyprianus in martyribus commendat: hoc Theodoretus de Simeone Stylicide enarrat: cuius cum quadragēdiali toto ieiunio defecisset, & contabuisset corpus, ex sumptione sacrosanctę Eucharistię pristinum robur & habitudinem recuperauit. Tot in eandem sententiam per Annales Christianorum leguntur historię, vt superuacaneum sit vllas annotare. Si Christus non grauatur sic ad sensum reficere corpora nostra, quid miramur, si panis accidentibus reseruat naturalem ad ea alenda proprietatem? Ac ne quidem hanc pręsentissimam suam actionem & virtutem reliquit in ipso sacramento sine testimonio. Aliquando enim ipsas panis species multis seculis à putredine vindicauit: aliquando guttis cruentis madere, aut vermibus scatere fecit: aliquando in cinerem, teste Cypriano, aut in lapidem, aut in carnem, aut in aliud repentè vertit, ad hominum vlciscendam irreligiosam conscientiam, aut aliud facinus detegendum. Porrò quoniam pręfati sumus hac quoque in parte Aduersariorum argumenta à Patribus solui, id probemus. Auocant nos prorsus à sensibus & proprietatum speculationibus in Eucharistię mysterio. Reddunt rationem triplicem, quare mutatio ista oculis non cernatur, sicuti alię contentę in scripturis ferè semper cernebantur. Ne horrorem incuteret talis aspectus aut esus: Vt sacramentorum ratio consisteret, maiórque circa ea esset deuotio, & ad veritatem considerandam & expendendam sincerior pateret accessus. Siue, vt magis exerceretur, & maioris meriti fides redderetur. Ex quibus satisfit Aduersariis obstrepentibus, quare non dicamus commutari panis species vnà cum ipsa substantia. Hìc pauca afferemus, quibus adiungantur quæ in Repetitionibus de veritate carnis in sacramento iam attulimus. *Cypr. de cœna.*

„ CYPRIANVS. Inter Dominicę mensę conuiuas, animalis homo non admittitur: quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excludetur, nihil sapit, nihil prodest, quicquid humani sensus molitur subtilitas: omne quicquid à suis rationibus deuium videtur, sapientes huius seculi ad dementiā referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit, & cùm in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata, non illuminata humana pręsumptio, & aspectui eius lippitudo inhęsit. *Cypr. de cœna.*

„ CHRYSOSTOMVS. Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, tametsi sensui nostro & cogitationi absurdū esse videatur quod dicit. In omnibus, & pręcipuè in mysteriis ita faciamus, non illa quę ante nos iacent, solummodò aspicientes, sed verba quoque eius teneamus. Nam verbis eius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptu facilis est. Illa falsa esse non possunt: hic sæpiùs fallitur. Quoniam ergo ille dixit, *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus aspiciamus. *Hom. 83. in Matth. & 60. ad pop. Antioch.*

„ ALIBI scribit: Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantię remanet, nihil superfluit: sic & hìc puta mysteria consumi *Hom. de Encœniis.*

corporis substantia. Propter quod accedentes ne putetis quod accipiatis, diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem, quem scilicet Esaias vidit: vos accipere reputate salutarem sanguinē, quasi è diuino & impolluto latere effluere: & ita approximantes labiis puris accipite. Petrus Martyr cùm tantæ luci multarū nebularum & argutiarum caliginem non posset obducere, hyperbolicè locutum Chrysostomum comminiscitur, quia pauca verba ex Seraphim sint translata, & ad amplificationem huius sacramenti posita. Atqui Chrysostomus non contentus fuit sensuum testimonium repellere de pane & vino, imò & cogitationem: sed & similitudine probat panis substantiam desinere, & aliam in eius locum succedere, cuius causa non tantùm mens attollenda & purganda sit, sed & labia corporea: substantiā, inquam, quæ verè, non hyperbolicè deferatur ad nos è cœlo per conuersionem panis in ipsam, quasi Seraphim aduolaret huc ad nos cum tali natura: adeò vt non loquatur trāslatitiè de Seraphim, aut hyperbolicè, sed comparatiuè & ad similitudinē. Ergo, ait Martyr, oporteret & ipsa accidentia consumi (si quidem mysteriorum nomine continentur) & sacerdotem transsubstantiari, cùm non ex homine, sed ex forcipe Seraphim sumi corpus Christi dicat: quasi mysteria à digniori parte non debeant denominari, aut nisi prorsus aboleatur panis, non censeatur consumi, & ipse Chrysostomus non expresserit substantia tenùs consumi, vt nihil de ea remaneat: quod consultò expressit, vt superesse accidentia, quæ sensus aduertit, concederet: neque de sacerdote verba fecit, vt de mysteriorum cōsumptione, imò de illorum manu mysteria capi fatetur, & corpus ipsum, sed ita, vt non ex pane, sed aliundè adsit, perinde ac si manu Seraphim ad nos deportaretur.

Cateches. Mystag. 4. CYRILLVS Hierosolymitanus. In nouo Testamento panis est cœlestis, & calix salutaris, quæ animam & corpus sanctificant. Quamobrem non sic hæc attendas velim, tanquam simplex & nudus panis, nudum & simplex vinū. Corpus enim sunt, & sanguis Christi. Nam etiamsi sensus aliud tibi renunciat, fides tamen te confirmet, ne iudices rem ex gustu. Pro certissimo habe, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum quod à nobis perspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.

Citant Oecolampad. dial. De Eucharist. & Cal. li. 4. Inst. cap. 4. Ex isto Cyrillo, qui primæ Nicenæ synodo interfuit, licet canonem siue decretum eiusdem interpretari & intelligere, quod sic habet: In diuina mensa ne demisse & abiectè intendamus considerationem in panem & calicem coràm posita: quin potius cogitatione nostra sursum erecta intelligamus fide positum esse in sacra illa mensa agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui sine mactatione à sacerdotibus immolatur.

Serm. ad infantes, citante Beda in cap. 1. ad Corinth. Ex eodem atque ex aliis licet etiam elucidare Augustini hanc obscuram & ambiguam sententiam, qua abutūtur Aduersarij. Hoc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vid istis: sed quid esset, quid sibi vellet, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo vidistis, panis & calix, quod vobis etiam oculi vestri renunciant. Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Aduersarij clamant, authore Augustino, testimonium sensuum valere in hoc sacramento, & panē poni pro corpore, & panē à Nicena synodo, dici positum in altari. At qui cum Cyrillo panem vocarūt, qui talis ad sensum appareret, talem tamen credi vetant, sed esse corpus Christi asserunt, quem panem esse sensus renunciarent, quibus ideò fides non esset habenda, quia nimiùm abiectè & demissè de re iacente in altari iudicarent. Perspicitur inde, quid prima illa generalis synodus crediderit de Transsubstantiatione, & Episcopi qui primas in ipsa

tenue-

tenuerunt, vt ille Cyrillus.

" AMBROSIVS. Didicisti quod ex pane fiat corpus Christi, & quòd vinum & " aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Sed fortè di- " cis, Speciem sanguinis non video, sed habet similitudinem. Sicut enim mortis simi- " litudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, vt nullus hor- " ror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo, quia quod " accipis, corpus est Christi. *Lib. 4. De sacram. cap. 4.*

" EMISSENVS. Verè vnica & perfecta hostia fide æstimanda, non specie, non ex- " terioris censenda visu hominis, sed interioris affectu. *Hom. 5. De Pascha.*

" REMIGIVS Rhemensis Archiepiscop. Dominicum corpus non solùm est com- " memoratio, vt quidam hæretici voluerũt: cùm tamen Dominus apertè dixerit, *Hoc* " *est corpus meum.* Et sic sententiæ quæ sequitur, nulla relinquitur dubitatio. Panis au- " tem & vinum à Christiana veritate dicuntur, non quòd naturam panis & vini post " consecrationem in se retineant, nisi quantum ad speciem, & saporem, & odorem. *In Psalm. 21.*

AD ARGVMENTA EX SACRAMENTORVM ANAlogia & proprietate, quæ duabus rebus constet, terrena & cœlesti, atque ex Patrum testimoniis. CAP. 3.

VT Cingliani & Caluinistæ per naturam & analogiam sacramentorũ irruũt in præsentiam corporis Dominici, eadem via grassantur Lutherani ad Transsubstantialitatem abolendam. Perire quiritantur sacramentorum significationem & repræsentationẽ, nisi substantia panis resideat, quæ ex multis granis coadunetur, & quæ alat atque ita designet nos omnes coadunari, intúsque refici ac nutriri carne & sanguine Domini, vt eo pacto inter signum & rem significatam aliqua reperiatur conformitas. Duplicem enim effectum, quem de isto sacramento assequimur, panis præ se ferat oportet: Ecclesiæ coniunctionem, & vnitatem cum Christo, necnõ alimentũ, quo animæ nostræ atque corpora per carnẽ eius vegetẽtur ad immortalitatẽ. Flagitãt insuper in sacramẽto duas distinctas res atque substãtias, terrenã & cœlestẽ, quibus constet, quasi hoc ab Irenæo & aliis Patribus tradatur. Analogiam & conuenientiam inter baptismum & Eucharistiam requirunt: vt sicut in illo aquæ substantia immutata persistit, ita in Eucharistia panis illibatus perduret. Postremò clamãt, sicut à Cinglianis corpus Domini in figurã corporis transferri, & sacramentum re sua cœlesti defraudari, & exinanire, ita panem in panis effigiem à nobis peruerti, & sacramentum ex altera parte corrumpi, nósque pari cum Cinglianis errore ac vitio laborare. Quinetiã Petrus Martyr ait nos labefactare vtramque rem sacramenti, panem ipsum, & corpus quod exuimus natura sua, quando pluribus in locis statuimus. Has quoque à Patribus præuisas fuisse obiectiones respondemus, neque vllo pacto nostræ doctrinæ nocituras. Principiò substantia non potest esse res terrena sacramenti, siue signum, quoniam interna sit & incõspicua, & oporteat sacramentum seu sacrum signum esse verbum visibile ex Augustino, quod sensibus obiectum, aliud inuisibile menti & fidei denuntiet. Ita enim fert sacramenti definitio ac natura. Propterea si substantia fungeretur signi sacramentalis officio, necesse esset per se oculis perspici & videri, ac minimè intus latere. Propterea omnia ferè signa, quæ vt aliquid diuinæ rei reconditum indicarent, Deus proposuit, fuerunt ferè vacua interna ac propria substantia, tanquam ad significandum inutili & superuacanea, sicut omnes visiones Prophetarum, omnes apparitiones

oblatæ Ioanni in Apocalypsi, animalia Petro oblata in disco, columba, linguæ, flatus, ignis illatus Apostolis, & in rubo Mosis. Quamobrem vt quod est spiritale in sacramentis significetur, non opus est terrena substantia, cùm ipsa significandi munus obire non possit, & sine ipsa probè consentiat analogia, siue sacrorum signorum cum rebus ipsis conuenientia. Omnia enim illa symbola, quæ ex scripturis coaceruauimus, tam affabrè res diuinas delineabant, quàm si substantiæ veræ extitissent in rerum natura. Vndè falsum est, siue proprietatem & compositionem sacramentorum spectes, quæ duabus rebus constant, terrena & cœlesti: siue analogiam attendas, & congruitatē signi cum re intellecta & signata, exigi alicuius rei terrestris substantiam. Præterea Aduersarij falluntur in eo, quod substantialiter extare, & ex substantia agere siue nutrire panem constituunt, antequàm duo, quæ fiunt per dignam sumptionem Eucharistiæ, commonstrare possit, nempè consociationem omnium fidelium in vnū corpus cum Christo, & nostrarū animarū de carne Christi alimoniam. Non enim verum est, res non aliter solitas significare, quā sint substantialiter, aut ipso facto agant: quandoquidem sufficit eas habere quandā substantiæ similitudinem, aut actionis potentiam, sicut in allatis exemplis patet, & in serpente æneo cernitur. Designabat Christum in cruce pendentem & morientem, quasi serpentis antiqui veneno afflatum, cùm tamen nec venenum haberet: nec veram mortem subiret, tanquam vitæ minimè particeps, & fabricatus ex ære. Baptismus etiamsi neminem abluat, nihilominus ex Apostolo Petro ablutionem sordium cordis annuntiat: eandémque lotionē maris rubri aqua protendebat, quàuis nullum Israëlitam in transitu abluerit. Quòd si penitiùs panis & vini officium in Eucharistia placuerit scrutari, Transsubstantialitati patrocinabitur potius quàm repugnabit. Non enim panis potest ostendere vnū corpus Christi mysticum ex infinitis hominibus, quasi ex tot granis conflatū, antequàm patiatur aliquā conuersionē granorū in vnā massam & substantiā: neq; panis propriè & expressè nutriri animas nostras & corpora carne & sanguine Dñi denotabit ex integra & salua substantia, sed ex eius immutatione: siquidem nutritio consistit in mutatione cibi, aut eius quod alitur. Qua de causa Patres, quoniam analogiam panis cum corpore Domini & alimonia, quam nobis affert, comparant, ferè semper alicuius mutationis meminerunt. Iustinus certè cum cibo illo Dominico foueri carnes nostras scribit, de mutatione verba facit, & incertum atque obscurum relinquit, an de ea quæ in pane, an de illa quæ in nobis accidit, intelligat, an de vtraque dictū velit. Certè idem author cum Cypriano, quando nostram quoque coniunctionē cum Christo declarari per aquam vinum factam narrat, eò pertinuisse coniunctionem aquæ, quæ interuenit, docet. Neque ista dicimus, quasi corpora nostra panis proprietatibus verè refici nequeant, cùm nutritio non sit substantia panis, sed accidēs, & Deus ipse contestetur, non in solius panis substantia aut proprietate naturali hominem ali, sed de omni re, quā ad alimentum instituerit. Itaque neque quoad naturā, neque quoad officiū sacramentorū, neque quoad singularē significationē, in Eucharistia necessaria est panis substantia: imò vana est, & potius impediēs quàm adiuuans repræsentationē beneficiorū, quam percipimus de carne & sanguine Domini. Mirificè sibi applaudūt Cingliani & Lutherani de Eucharistiæ cum Baptismo analogia & collatione. Illi sicut in Baptismo caro Domini tantùm spiritaliter participatur: ita solū eo modo in Eucharistia percipi contendūt, quo seruetur inter sacramēta çqualis quædā proportio. Hi panē in Eucharistia reseruari immutatū, sicut in baptismo aquā impermixtā seruare volunt. Nos autem veritatis via media incedimus, & accusamus nostros Cingliocaluinistas, qui nō verentur in baptismo transsubstantiare aquā in spiritū,

Cypr. lib. 2. ep. 6. Chrys. ho. 4. in 1. ad Cor. Aug. tract. 26. in Ioan. Iustin. ad Antonin. Cypr. ep. ad Cecilium lib. 2. ep. 3.

& ipsum aquæ nomine in scripturis, quæ de baptismo agunt, violentiùs cogunt intelligi: & contrà in ipsa Eucharistia non panem pro ipso corpore Domini, sed corpus pro pane suadent capi, cùm tamen non dicatur de baptismo, *Hic est spiritus meus*, vt de Eucharistia effertur, *Hoc est corpus meum.* Accusamus Lutheranos, quod cùm sæpè & præclarè discrimen inter baptismum & Eucharistiam statuerint ex particulari vtriusque institutione, nihilominus vtrumque cùm ad Transsubstantialitatem venitur, componant & commisceant, & ad eundem cum Caluinistis analogiæ lapidem impingant & offendant, causamque veritatis Sacramentariis prodant. Vt enim Lutherani ex baptismi aqua panis substantiam deposcunt in Eucharistia, ita Sacramentarij ex re purè spiritali baptismi, tantùm de carne Domini rem spiritalem in Eucharistia ad nos delabi inferunt. Postea sua cuique sacramento iura reddimus ex Tabulis legislatoris nostri Iesu Christi, vt de regendis eorum finibus decidamus. Non pari formula sanxit Christus de baptismo & de Eucharistia, neque his paria irrogauit priuilegia. A quam nulla verborum benedictione affecit, neque per benedictionem fieri, aut esse spiritum pronuntiauit, vt prætercam ea quæ superiùs aliis locis dicta sunt. Fatemur quidem Chrysostomum atque alios conferre Eucharistiam cum baptismo, in eo quòd in vtroque sacramento res diuinę per sensibilia offerantur: cauent tamen ab exigenda panis substantia ad hoc, vt res dicatur esse sensibus obuia. Imò ne illa collatione quis abuteretur, Chrysostomus vt innuat in illa conuenientia sacramentorum quãdam differentiam, ait, in Eucharistia quod traditur, totum esse insensibile, sicut & in baptismo per aquam sensibilem donum cœleste conferri. Cyrillus Hierosolymitanus contrà probat in sacramento, chrismatis vnguentum non esse nudum aut commune, quia in Eucharistia panis non sit cõmunis & nudus: an propterea manere putat panis substantiam, quam tot modis trãsisse in carnem Domini inculcat & asseuerat? Satis est comparationes quadamtenus prodire: non autem sunt vltra propositum & institutum prorogandæ. Acutè sibi videntur Lutherani nos premere, cùm à nobis panem in figuram panis solui exprobrant, sicut à Cinglianis corpus in corporis figuram deprauatur: atque ita æquè à nobis, vt à Cinglianis sacrosanctam Eucharistiam perdi: sed negamus errorem errore pellendum, aut panis substantiam retinendam, ne corporis substantia aboleatur: imò vel ideò panis natura transferenda est, vt corporis natura reseruetur in Eucharistia, quoniam nulla alia sacramenta duobus corporibus, & substantiis corporalibus potuerunt coagmentari. Verùm nos nihil moramur hominum argutias & coniecturas: verbo Domini sacramenta metimur, à quo non reperimus pronuntiatum post benedictionem, *Hic est panis*, de terræ frugibus, vt fuit dictum *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur. Neque est scriptum, Nisi quis pastus fuerit ex pane & carne Domini, intrabit in regnum cœlorum, aut non habebit vitam: sicut scribitur, Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. vt panis substantiam, sicuti aquæ & corporis, adesse profiteamur. Orthodoxos Patres, scripturarum optimos interpretes sequimur, qui nobis in fide de corporis Dominici præsentia ac panis translatione præluxerunt. Vnus Irenęus nobis opponitur, qui scripserit: Quemadmodum qui est à terra panis, percipiẽs vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Principiò si lex fertur de omnibus sacramentis, vt duabus rebus constent, rogamus an existiment duas illas res oportere esse substantias corporeas, aut etiam spiritales. Non audebunt sat scio id asserere: quoniam nec baptismus sacramentum esset, nec alia: quæ tametsi duabus rebus cõponentur,

Hom. 83 in Matth.

Catech. 3. Mystag.

non tamen duas ſubſtantias per ſe exiſtentes poſtulant, imò vnicam duntaxat cum qualitate ac dono ſpiritali terrenæ ſubſtantiæ annexo. Ergo euicimus ab Irenęo non intelligi nomine rerum aliquas ſubſtantias per ſe exiſtentes, aut non tradi pro communi ſacramentorum regula, vt duabus rebus conſiſtant. Quòd ſi Irenæi dictum ad Euchariſtiam teſtringitur, violentum eſt, rem terrenam pro panis ſubſtantia interpretari: quandoquidem ipſa non poteſt tenere locum in vllo ſacraměto rei terrenæ, ſeu viſibilis ſigni, cùm ipſa aſpectum noſtrum & ſenſum lateat ac fugiat: ideo res alia terrena extra eam requiritur, quę partem ſubeat, & rationem ſigni in ſacraměto. Quòd ſi præter illam rem terrenam, quæ ſacramenti propriè efficit partem, etiam ad Euchariſtiæ conſtitutionem deſideratur ſubſtantia panis, profectò vt Euchariſtia dicatur integra & perfecta, tribus rebus corporeis opus habebit, re externa & ſenſibili, interna etiam panis ſubſtantia, atque corpore Domini. Non inficiamur in aliis ſacramětis tres res inueniri poſſe, ſed non ex lege & neceſſitate ſacramentorum, quěadmodum ex ipſa à nobis & ab Irenęo in Euchariſtia exigunt Aduerſarij, cùm maiorem taměmutationem in ipſa fieri quàm in aliis ſacramentis per ſcripturas manifeſtum ſit. At ſi textus Irenæi excutiatur diligentiùs, noſtram de Tranſſubſtantialitate confirmat ſententiam. Comparat gratiam quæ fit in pane per verbum Dei, & quæ in nobis per ipſam Euchariſtiam perceptam. Orditur ratiocinationem: Quomodo turſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & nō percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei quæ ſunt eius, congruěter communicationem & vnitatem prędicantes carnis & ſpiritus. Hic oſtendit Irenæus, quomodo caro noſtra ad incorruptionem & immortalitatem immutetur, & ait fieri ex ſumptione carnis, quæ re vera caro ſit, ſpiritus & vita. Probat verò percipi talem carnem, quæ vnitate illarum rerum duarum conſtet, ex manducatione Euchariſtiæ, quæ ſit talis caro conſtans duabus rebus, terrena carnis ſubſtantia, & cœleſti vita & immortali. Euchariſtiam porrò talem eſſe carnem docet, quoniam panis percipiens vocationem Dei, deſinat eſſe panis communis, & fiat atque ſit Euchariſtia corporis & ſanguinis Domini, ſiue duabus rebus conſtans, re terrena & cœleſti, quæ noſtris corporibus communicantur, & per eas immutantur, vt iam non ſint corruptibilia. Hic rectus eſt ſenſus Irenæi & intentio. Nam poſtquam dixit panem percipientem vocationem Dei, fieri Euchariſtiam corporis & ſanguinis Domini, duabus rebus conſtitutam, cùm ex ea ſubiungit ali corpora noſtra, nuſquam rei terrenæ alterius, qua alamur cum carne & ſanguine Domini meminit, ſed toties repetit Euchariſtiæ loco carnem & ſanguinem Domini: ita vt pro eodem Euchariſtiam conſtantem duabus rebus, & Euchariſtiam corporis & ſanguinis, & corpus ipſum Chriſti & ſanguinem capiat. Porrò in pane & in corporibus noſtris ſignificat aliquam mutationem fieri, non quidem ſolius rationis, reſpectus & habitus, vt panis deſinat dici purus & communis tantùm ex coniunctione cum alia re, ſine vlla ſui interna mutatione. Nam & in corporibus noſtris ex eſu carnis Dominicæ realem mōſtrat fieri mutationem, & internam per ipſam reſurrectionem, vt tollatur ab ipſis re vera corruptio. Oportet igitur realem atque internam aliquam in panis natura poni conuerſionem, & eam eſſe explicat, vt iam non ſit communis panis. Deinde ait corpora noſtra acquirere incorruptionem ex carne Domini, quæ vim viuificandi noſtram habeat, quoniam non ſit purè terrena, ſicut noſtra, ſed vnitatem & communicationem carnis & ſpiritus præ ſe ferat, quemadmodum in Euchariſtia prædicatur. Ita ait per verbum Dei panem immutari, & fieri carnem illam, quæ à nobis capitur, & quæ duabus rebus conſtat, carne vera, re cœleſti, ac diuinitate.

Lib. 4. cap. 34. & lib. 5.

uinitate. Quapropter arbitror non satis attente Irenæum expendisse illos:qui duas res illas, terrenam & cœlestem, ad rationem communem sacramentorum, aut ad panis substantiam siue effigiem, atque ad corpus Domini transposuerunt, cùm ex mente & verbis Irenæi, ad vnitatem carnis & spiritus, quæ existit in carne Domini, sit referendũ. Cum ista Irenæi interpretatione cõsentiunt omnes Patres, qui de dignitate carnis Dominicæ ad impertiendã nobis vitam, & resurrectionẽ disseruerũt: & Ephesina synodus atque omnes, qui cõtra Nestoriũ carnẽ nõ esse puri hominis, aut purè humanam, sed diuinitate præditam esse definierunt, & ob id esse viuificatricem. Neque solus Irenæus carnem illam ausus est vocare terrenã: sed apud Augustinum legitur, terram de terra, & carnem de carne Mariç suscepisse, & appellasse corpus suum terrenũ. Cyprianus quoque cõuenienter cum Irenæo, ait, panẽ istum sincera fide à nobis frangi & partiri, dum quod diuinũ & humanum est, distinguimus & separamus, & vicissim separata iungentes, vnum Deum & hominem fatemur. Neque Hieronymus duplicẽ Christi sanguinẽ, & pro eodem carnalem & spiritalem, neque Theodoretus, neque Damascenus, duplex Christi corpus vocare dubitarunt, propter duplicẽ ipsius naturã, id est, diuinam & humanam. Ac ne quis dicat saltẽ ex Irenæo tantùm concludi, panis qualitates mutari, sicuti solæ variantur in corporibus nostris ex sumpta Eucharistia, remanente tota ipsorum substantia, eius verba diligẽter consideremus, quæ sic habẽt: Quomodo carnẽ negant capacẽ esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & carne Christi nutritur, & membrũ est eius, quemadmodũ Apostolus ait in ea quæ est ad Ephesios epistola? Et quemadmodũ lignũ vitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granũ tritici decidens in terrã, & dissolutũ, multiplex surgit per spiritũ Dei, qui continet omnia: sic & nostra corpora ex Eucharistia nutrita, & reposita in terrã, & resoluta in eam resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionẽ eis donante in gloriam Dei patris. Sumpsit Deus limũ de terra, & formauit hominẽ. Et quidẽ multo difficilius & incredibilius est, ex non existentibus ossibus, & neruis, & venis, & reliqua dispositione, quæ est secundum hominem, facere vt sit homo, & quidẽ animalis, & rationalis, quàm quod factum est, & deinde solutũ est in terrã propter causas quas prædiximus rursum redintegrare, licet in illa cesserit. Vnde & initio eum, qui non erat, fecit, vt esset quando voluit: multo magis eos, qui iam fuerunt, rursus restituet volens in eam quæ ab eo datur vitam. Hîc Irenæus ex comparatione cum rebus quæ progignuntur per immutationem substantialẽ, & quæ creãtur, apertè declarat corpora nostra non solũ in qualitate immutati, sed in ipsa natura restitui in integrũ per resurrectionẽ, vi insita per susceptionẽ Eucharistiæ. Vt autem redeat vnde digressa est oratio, quantũ Irenæus abhorruerit à componenda Eucharistia ex pane & corpore Domini, inde perspicitur, quòd nusquam eam constare dixit pane, aut panis specie ac corpore Domini: nusquam panis aut calicis meminit, quin interloquatur desinere esse communẽ, & fieri per verbum Dei, aut esse carnẽ & sanguinẽ Domini, antequàm esse Eucharistiam agnoscat, aut ex his ali ad incorruptionẽ corpora nostra. Quoniam à plerísque aliis posterioribus Christianis sacramenta duabus rebus coagmentari traditum fuit, ita vt harum altera comperiretur esse substãtia in omnibus aliis sacramentis, dictum Irenæi de duabus rebus circa Eucharistiam plerique arripuerunt violentiùs, & eam quæ terrena vocaretur, oportere esse panis substantiam, ex aliorum sacramentorum analogia malè ratiocinari sunt. Quòd si saltem Aduersariis aliorum Patrum, qui partes sacramenti Eucharistici ex professo enuclearunt, placuisset scripta euoluere, resciuissent non ab ipsis credi panis substantiam manere, sed effigiem, speciem, formam ac similitudi-

Tract. 12. in Ioann. Cyprian. de Cœna.

Theodoretus dialog. 2. Polymor.

Hieronym. in epist. ad Ephes. cap. 1. Damascen. li. 4. ca. 4.

Iren. lib. 5.

nem, quam ſacramenti nomine ac ſigni appellant, quaſi obiectioni de duabus re-
Cypr. de Cena bus occurrerent, quibus coaleſceret ſacramentum. A Cypriano quidem res huius ſacraméti diſtinguuntur. Panis azymus, inquit, cibus verus & ſincerus per ſpeciem & ſacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſti conformat. Panem Angelorum ſub ſacramento manducamus in terris: eundem ſine ſacramento manifeſtiùs edemus in cœlis. Hîc apertiſſimè totam Euchariſtiam vocat panem verum, & poſtea rem terrenam vocat ſpeciem materialis panis, & ſacramentum ſiue velamentum corporis Domini, vt anteà dixerat panem non natura, ſed effigie mutatum omnipotentia verbi carnem factum eſſe, & corporalis ſubſtantiæ retinere ſpeciem: quaſi exprimeret talis ſubſtantiæ veritatem abeſſe, in cuius locum caro
De cõſecr. diſt. 2. can. Hoc eſt quod dicimus. ſuccederet. Auguſtinus in ſententiis Proſperi proclamat, tanquam ratum ac fixum inter Chriſtianos: Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus modis confici, duobus conſtare, viſibili elemẽtorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Eundem dixiſſe ferunt: Caro eius eſt, quam forma panis opertam in ſacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus: caro videlicet carnis, & ſanguis eſt ſacramentum ſanguinis: carne & ſanguine vtroque inuiſibili, ſpiritali, intelligibili, ſignatur viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus, & palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maieſtate. Iſta eſſe Auguſtini argumento eſt, quòd ex Cypriano ſumpta
Vide cap. 1. huius lib. 2. in fine. ſint ferè ad verbum, cuius adeò Auguſtinus diligens imitator extitit, in eadémque intelligentia ſpeciem panis & formam vſurpauit, non pro ipſa exiſtente ſubſtantia & natura, ſed pro ſimilitudine & proprietate atque apparentia, & rem terrenam quæ in Euchariſtia cernitur, cum aliis quoque non exiſtimat eſſe panis ſubſtantiã, ſed ſpeciem & effigiem. Aduerſarij duo genera dicendi congerũt ex Patribus, quibus obtineant panis ipſam ſubſtantiam inuiolatam ſtare. Ex illis enim non paucos affirmare, panem eſſe corpus Chriſti, & alios in pane, aut cum, vel ſub pane, Chriſti
Iren. lib. 4. cap. 32. & 34. corpus agnoſcere. Apud Irenæum legunt, Chriſtum confiteri panem, qui creatura ſit, eſſe corpus ſuum, & annotant panem creaturam importare ipſam ſubſtantiam, cùm ſine ea panis non procreetur à Deo: quinetiam poſt ipſam conſecrationem ab eodem Irenęo tradi panem eſſe corpus Chriſti, cùm ſcribat, In quo gratię actę ſunt,
Tertul. in Iudaeos. eſſe corpus Chriſti. Apud Tertullianum & Cyprianum etiam legunt à Chriſto pa-
Cypr. lib. 1. ep. 6. & lib. 2. ep. 3. nem vocari corpus ſuum, & à Cypriano dici corpus Chriſti eſſe farinam & aquam vnius panis compage ſolidatam, vt de materiali ac ſubſtantiali pane ſignificet. A
Chryſ. hom. 24 in 1. ad Corinth. Chryſoſtomo aiunt ad interrogationem, Quid eſt panis, reſponderi, Corpus Chriſti: & ab Epiphanio ſcribi, τοῦτό μού ἐστι τόδε, id eſt, Hoc meum eſt hoc: &, Vide-
Epiph. in Ancorato. mus, ait, quòd neque par, neque ſimile id ſit, vel incarnatæ imagini, vel inuiſibili Deitati, vel etiam membrorum lineamentis: nam iſtud rotũdæ formæ eſt, & ſenſu carens. Vbi videtur dilucidè Epiphanius interpretari ſermonem Chriſti in iſtum
Aug. De Trin. lib. 3. cap. 4. ſenſum, *Hoc meum corpus eſt* ipſe panis. Neque omittunt Auguſtinum, quaſi docentem corpus Chriſti eſſe id quod ex terræ frugibus accipitur. Hyſichij verò dictum
Hyſichius lib. 2 in Leuit. amplificant, quod ſic habet: Propterea carnes cum panibus comedi præcepit, vt nos intelligeremus illud ab eo myſterium dici, quod ſimul panis & caro eſt, ſicut
Orig. hom. 9. in Leuitic. corpus Chriſti panis viui, qui de cœlo deſcendit. Origenem extollunt, qui ſic loquatur: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Panis iſte quem Deus verbum corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animarum, verbum de Deo verbo procedens, & panis de pane cœleſti, qui poſitus eſt ſuper menſam, de qua ſcriptum eſt, Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.

„Ex eodem subiiciunt: Si quicquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in secessum *In cap. 15.*
„eiicitur, & ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei & orationem, iuxta id quod *Matth.*
„habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eiicitur. Non materia panis, sed
„super illum dictus sermo est, qui prodest non indignè comedenti illum. De altero
„genere dicendi post Hysichium citatum proferunt Tertullianum, qui corpus *Tertul. De Orat.*
„Christi in pane censeri ait: proferunt Ambrosium & Theophylactum, atque alios
„qui dicant, Mens humana concipiat viuificatricem substantiam atque salutarem *Ambrosius atque alij, cap. 5. ad Hebr.*
„in pane & vino, per quæ, si dignè sumantur, nobis est peccatorum remissio.
„Proferunt hunc ab Augustino ad infantes habitum sermonem: Hoc accipietis in *Serm. ad Neophitos.*
„pane, quod pependit in cruce, & hoc accipietis in calice quod est effusum de Chri-
„sti latere. Cyrillus Alexandrinus quoque ait: Decebat vniri corporibus nostris *Cyrill. epist. ad Calosirium.*
„per sacram eius carnem & sanguinem, quæ accipimus in benedictione viuificatiua
„in pane & vino. Epiphanius eodem stilo scribit: In Christo virtute panis & for- *Epiph. in Epitome.*
„titudine aquæ roboratis, non panis nobis est virtus, sed panis quidem est cibus,
„virtus autem in eo est ad viuificationem. Ex Hilario citant, Naturam carnis suæ ad *Hilar. lib. 8. de Trinit.*
„naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit. Si ve-
„rè carnem corporis nostri Christus assumpsit, nósque verè sub mysterio carnem
„corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus. Ex Cypriano ista etiam in suam *Cypr. de Cœna.*
„vtilitatem producunt: Panem Angelorum sub sacramento manducamus in terris,
„eundem sine sacramento edemus in cœlis. Libuit tot testimonia, quæ contra
nos facere videntur cumulare, ne accusemur quicquam silentio prætermisisse, aut declinasse. Porrò satis supérque liquere arbitror, nihil ista omnia obesse fidei Catholicæ de Transsubstantialitate, quoniam aut omnes ad vnum scriptores ipsi, aut saltem plures ex ipsis, qui à tali genere dicendi, cui innituntur Aduersarij, non abhorruerunt, illam tamen variis modis profitentur & tuentur, sicut planum fecimus: ex quo constat phrases illas loquendi ab ipsis non vsurpari ad retinendam panis substantiam. Deinde admonent ipsi panis dictionem amphibolam esse atque ambiguam, & in alio significatu à se capi ante consecrationem, & post eandem in alio. Hoc quoque ex ipsis probauimus. Propterea Cyrillus Hierosolymitanus atque alij propositionem hanc, Panis est corpus, interpretantur, Panis qui videtur aut apparet, *Lege præcedenti cap. & primo huius lib. 2.* & iam non est, corpus est Christi. Alij verò, vt Origenes, pro pane ac cibo spiritali, panis vocabulum in sacrata Eucharistia exponunt. Alij pro pane qui fuit, & per mutationem fit, & est corpus Christi. Propterea Irenæus panem non vocat creaturam, *Iren. lib. 4. ca. 32. & 57.* nisi quando acceptus est à Christo, antequàm perciperet verbum siue inuocationem Dei. Ita enim ipsemet explicat, quando ait, Eum qui ex creatura panis est, accepit,
„& gratias egit, dicens, *Hoc est corpus meum* Imò declarat eum, qui est à terra, panem *Iren. lib. 4. cap. 34. & lib. 5.* percipientem vocationem Dei, iam non communem panem esse, sed Eucharistiam duabus rebus constantem, siue Eucharistiam corporis & sanguinis Christi, siue corpus ipsum & sanguinem, quo ad incorruptionem alantur corpora nostra. Propterea post confectam Eucharistiam ait nos enutriri pane, qui sit corpus Domini, & communis esse desierit: vt ostendat se in alio sensu nominare panem ante benedictionem, & in alio post eandem. At (inquiunt) Irenæus asserit panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini, & nos offerre sacrificium mundum Deo de primitiis creaturarum eius de pane & vino, ídque manducato eius, qui per Apostolos sic iusserit, postquam panem, qui est creatura, suum corpus esse confessus est, eam ob causam etiam peracta consecratione restare panis creaturam. Profectò aliter exprimere non potuit Irenæus panis immutationem in corpus Christi, quàm dicendo panem gratiarum actione affectum, desinere esse panem

communem, & esse corpus Christi: nec aliter panis intelligi potest esse corpus Christi, vt toties probatum ac repetitum fuit. De oblatione panis & vini dupliciter loqui licet. Fiebat enim oblatio à Christianis panis & vini ad altare, de quibus portiuncula carpebatur, atque sacrabatur à sacerdote in corpus & sanguinem Domini. Istam quidem duplicem oblationem populi, & sacerdotis pro populo, de duabus rebus diuersis, oblationem creaturarum nominari nihil vetat, sed non eodem sensu. Prima enim in statu & natura creaturarum manet, nec efficere potest sacrificium nouum & mundum, Deóque acceptissimum. Altera de creatura panis & vini sumitur, & fit, sed euehitur supra creaturam. Ideò Irenæus ad vtranque alludit, & à Christianis offerri creaturas ait Deo authori & conditori earum, gratitudinis ergô: & ex eisdem narrat etiam adornari sacrificium illud mundum corporis & sanguinis Domini: sed toties repetiuit illas immutari, & probat ex collatione cum frugibus quæ immutantur à Deo, sicut panis percipiens vocationem Dei & verbum, qui ob id iam non censetur creatura, nisi quia ex illa desumitur, & fit corpus Christi. Qua de causa rectè scripsit Augustinus, corpus Christi esse id, quod ex terræ frugibus capitur & sanctificatur. Re vera enim de frugibus decerpitur, sed sanctificatione aliud fit, vt ibidem commonstrat Augustinus, & antea probatum fuit. Cyprianus quoque contra Aquarios describit, qualis cibus deligendus sit, vt ex eo fiat corpus Domini, non farina solùm aut aqua, sed vnius panis compage solidatus: & vt farinam & aquam conuerti oportet & immutari, antequàm panem efficiant, ita panem transferri necesse est, antequàm panem corpus Christi esse aut dici mereatur: & sicut panis non est farina & aqua propriè, nisi quatenus ex ipsis conflatur, ita multò minùs farina & aqua: imò nec panis ipse est corpus Christi, nisi quatenus ex ipsis transformatis redditur, & eatenus ex scripturarum phrasi admittimus corpus Christi esse panem, aut farinam & aquam cõmixtam: quo sensu multò magis annuimus Christum ex Cypriano & Tertulliano panem vocasse carnem, aut corpus suum. Sed neque post consecrationem negamus ab Apostolis & Patribus panem vocari corpus Christi, aut esse, sed non in eadem panis intelligentia & natura, qua ante illam erat, tametsi eadem nomina naturæ & proprietatum eidem attribuantur, neque nos distinctionem illam finximus, sed ex Cypriano & aliis iam non semel deprompsimus. Etsi non probetur nobis inuersio sermonis Christi ab Epiphanio inuenta, attamen nihil Transsubstantialitatem offendit. Concedamus dixisse Christum, *Meum corpus est hoc*, quod est rotundæ figuræ, sicut loquitur Epiphanius, non propterea sequitur esse panis substantiam, sed tantùm hoc quod apparebat tali figura circumscriptum, quod accepit Christus, & post gratiarum actionem siue benedictionem affirmauit & demonstrauit esse suum corpus, ita vt Hæc, siue Hoc, non definiant esse panis substantiam, aut alterius rei certam & determinatam, sed aliquam significant sub tali rotunda forma, aliis accidentibus contentam: quæ autem sit, ex adiunctis dignoscitur. Idipsum est, quod docent Scholastici scriptores (*Hoc*) demonstrare contentum sub talibus accidentibus. Atque ita se intelligere Epiphanius satis declarat, quãdo pro interpretatione talis pronominis demõstratiui primũ exteriora & apparentia proponit, quæ negat quicquã præ se ferre de Deo, & Christo ibi præsente & existẽte, vt sunt incarnata imago, inuisibilis Deitas, & membrorũ lineamenta, sed tantũ exhibere orbicularẽ formã sensu carentẽ. Nam si ibi totũ Christũ existere non sensisset, cur illa quæ propria sunt Christo non apparere diceret, aut si panis substantiam residere ibi iudicasset, cur non panem verum, aut eius veram naturam, nostris sensibus obiici, aut etiam latere, ac non videri affirmaret? Deinde postquã de apparentibus accidentibus egit, de cõtenta substan-

Epiph. in Ancorato. & in Epitome.

tia verba facit, cùm subiungit, Deum omnipotentem authorem & effectorem huius sacramenri, nobis hoc illud dedisse, ipsumque adeò diuinum corpus & sanguinem Christi in hoc, inquam, illo exteriori obiecto præstitisse, siue in pane, sicut in alio loco, inquit, id est in panis rotunda forma & accidentibus, quemadmodum hic loquitur, ita vt panis appellatio pro forma & figura per collationem locorum ad mentem Epiphanij exponatur. Quamuis autem compatet aquam baptismi, & panem Eucharistiæ, in eo quòd virtus & donum cœleste, quod in vtroque confertur, aliundè proueniat, non tamen eodem genere dicendi vsum Christum in aqua & pane scribit: imò Dei omnipotentiam, & sermonis Christi efficaciam circa panem commendat, & eum in eo effectum agnoscit, vt propter ipsum vereatur amplius tamen vocare, sed tantùm quæ de pane restant annotare, vt figuram atque alia accidentia.

Litigatur vehementius de Origene & Hysichio, quasi ille materiam panis manere, & in secessum emitti expresserit, hic carnes cum panibus in sacramento manducari. Post Durandum argutiorem Theologum ausus est Lutherus opinari pertinaciter, panis saltem materiam in Eucharistia relinqui. At tum non esset quæ dicitur esse Transsubstantiatio, siue totius substantiæ panis translatio, sed potius naturalis generatio, per quam vna & eadem materia varias formas induit & subit: nec idem corpus Christo numero, quemadmodum in scholis loquimur, esset in cœlo & in sacramento, imò nec idem omninò esset in variis & separatis sacramentis: quandoquidem materia panis corpore Christi pro sua forma collocupletata, pro sua distinctione & diuisione varia ac diuisa redderet corpora Christi, vt in aliis rebus solet subiecta eiusdem naturæ à se inuicem distrahere & separare, & omnia quæ caderent in materiam panis & agerentur, eadem ratione caderent, vt in formam & partem compositi in ipsummet corpus Christi, quorum in numero est, In secessum egeri, atque alia, à quorum commemoratione aures Christianæ abhorrent. Sed vt accidẽtia nomine panis nuncupari tam sæpè diximus, quid miramur, si materialia accidentia panis, nomine materiæ vocitentur, quæ eiusdem proprietates conseruant? Quid verò peccauit Hysichius, si postquàm suffragatus Transsubstantialitati, & conspicuum panem siue sensibilem testatus est trãsferri in inuisibilem rem & corpus Domini, in istóque opere suspiciendam & deferendam Christo omnipotentiam: nihilominus cum scripturis & aliis Patribus, panis nomine relicta panis accidẽtia & proprietates insignierit, & quia cum his caro Domini edatur, eãdem cum pane edi scripserit? Non contenti Patres Transsubstantialitatis probatione & defensione, ne quis captaret voculam panis, admonuerũt de varia eius intelligentia: & ne quis ex ea seducatur aut abutatur, docẽr circumspectiùs loqui, ac pro panis voce speciem eius substituunt, figuram, effigiem, formam, sacramentum siue velamentum, vt ex Cypriano ostẽdimus, ne naturam panis vnà cum carne Christi cõsistere aut latitare quisquam amplius ex vna, inquam, panis dictiũcula mordicùs tueretur. Germani probè animaduerterũt speciem panis tollere eius naturam, ob ídque nulla ratione persuaderi potuerunt, vt eam in publicam Confessionem Augustanam admitterẽt, ne vna cogerentur Trãssubstantialitati subscribere. Ea ergò phrasis cùm adeò familiaris sit patribus, & odiosa omnibus aduersariis Transsubstantiationis, magno est argumẽto adhibuisse Patres ad enunciandam substantiæ priuationem in pane cum accidentium remanentia. Ex scriptura phrasim illam mutuati sunt, vt cùm dicitur, Spiritus visus est in columbæ specie & simulachro, cùm eius vera natura deesset. Non inficiamur tamen, quin aliquando apud Patres species inueniatur etiam in negõtio Eucharistiæ pro genere & natura rerum, maximè apud Ambrosium, quando ait, Quã-

Lib. 4. Sentent. dist. 2. quaest. 3.

Vide ca. vlti. prioris li. Heildebergen. in Conformita.

Luc. 3.

tò magis valebit sermo Dei, vt species muret elementorum, nihilominus frequentior vsus veteris illius Ecclesiæ inualuit, vt ea dictione similitudo, imò & apparentia rerum significetur, & non veritas ac natura, quando de Eucharistia tractatur.

CYRILLVS Hierosolymitanus sic habet ἐν τύπῳ τοῦ ἄρτου, id est, sub specie panis, datur tibi corpus Christi: & sub specie, vini datur sanguis, vt sumpto corpore & sanguine, Christi efficiaris comparticeps.

AVGVSTINVS circumspectè admodùm hac in re loquitur, & quoties res ipsas Eucharistię propriè declarare instituit, non aliter ferè nominat, quàm panis speciem, figuram aut formam, id quod de re terrena spectatur. Delectatur enim toto tertio libro de Trinitate, nomine speciei ad significandam aliquam formam rei quæ re vera talis est, sæpius tamen ad exprimendam apparentiam rei quæ non sit id quod oculis repræsentat: vt cùm dixit species inusitatas syderum pro syderibus quæ
Cap. 9. lib. 3. de Trinit. per impressiones varias aëris finguntur, & non sunt. De flamma rubi, linguis igneis, & igne mõte Sinai, ait ad hoc corporalem extitisse speciem rerum illarum, vt aliquid significaret & repræsentaret. Ita ter aut quater eodem in libro vocat speciem in Eucharistia id quod cernitur & apparet, quod tamen aliud esse profitetur, nempè cor-
Cap. 10. pus Christi. Verba sunt: Infantes non norunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione cõsumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur: etsi numquam discant experimento vel suo, vel aliorum, & numquã illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationem sacramentorum, cùm offertur & datur, dicatúrq; illis authoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de tali latere percusso liquorem illum fluxisse. Certè si hîc speciem pro natura panis: & substantia acciperet, viderent illam speciem etiam extra celebrationem sacramẽtorum, & extra ipsum sacramentũ: & Augustinus abhorret cõtra Faustũ Manichæũ ab impanato Christo, ne hîc dicamus Christũ oculis mortaliũ apparere posse in panis substantia. Proculdubiò igitur Augustinus hoc loco speciẽ accipit pro sola panis apparentia, nec obest quòd consumatur pietatis peracta celebratione, cùm ipsæ species tã possint consumi sine substantia, quàm sine ipsa existunt. Eodẽ in libro inquit, quod de terræ frugibus assumitur, perduci ad hãc visibilem speciẽ per manus hominum, sed non sanctificari, vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spi-
Lib. 3. cap. 4. ritu sancto: vbi visibilem speciem non capit pro forma naturali & substantia, cùm ad hanc per homines non perducatur, sed ad panis cum substantia carnis apparentiam, quæ ministerio hominum in sacramẽto redditur, sed virtute atque actione Spiritus
Lib. De catech. cap. 26. sancti. Eodẽ in sensu de catechisandis rudibus scripsit: De sacramento quod accepit, commendetur ei signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet. Ex his ac similibus Augustini locis Prosper hanc inter Augustini sententias præclarè recensuit. Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem, honoramus:
De consec. dist. 2. can. Nos autem & cano. Hoc est quod dicimus. nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Ex eodem Gratianus allegat, Corpus Christi, & veritas, & figura est: Veritas, dum corp' Christi & sanguis virtute Spiritus san-
De cõsecr. dist. 2. cano. Omnia. cti ex panis & vini substantia efficitur: figura verò est id quod exteriùs sentitur. Ex Ambrosio citatur, Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra: & quia voluit, sic factum est ita. Licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud

quàm

quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credendum est.

Ex Emisseno sunt ista. Verè vnica & perfecta hostia fide estimanda, non specie nec exterioris censenda visu hominis, sed interioris affectu. *Emiss. ho. 5. de Pascha.*

ARGVMENTA EX PATRIBVS EVCHARISTIAM conferentibus cum Christo incarnato, & duabus rebus constante.

CAP. 4.

EXclamant Germani nos perfricuisse frontem in deprauandis & cótorquendis Patribus, ita tamen, vt à quibusdam ne quidem nos extricare possimus, vt à Gelasio, Theodoreto & Chrysostomo, seu alio Ioanne Constantinopolitano, qui nominatim panis substátiam manere probant, sicut alij omnes, qui Eucharistiá constanté duabus rebus, cum persona Christi duabus naturis prædita comparant. Exprobrat nobis Ioachimus Vadianus non paruam causam dogmatis firmandi fuisse testimonia de libris citata, qui falsò gerunt authorú nomina quibus sunt inscripti. Nos contrà expostulamus cum ipsis, nó ex alia causa dogma de Transsubstantialitate cóuelli, quàm ex incertæ authoritatis & fidei scriptoribus & libris, sicut ex nominatis Gelasio, Theodoreto, & Ioanne Constantinopolitano. Scimus quidem nihil frequentiùs reperiri apud Patres, quàm collationem Eucharistiæ cum incarnatione Domini nostri Iesu Christi, tum ad demonstrandam gratiam, potentiam, & charitatem Dei erga nos, & verissimi corporis Dominici in ea existentiá: tum ad reuincendos hæreticos vtriusque naturæ in Christo oppressores & hostes: neque in aliis Repetitionibus reticemus ea, quæ ex Patribus ad eam rem didicimus. Præterea quoad ortum & productionem, Patres contulerunt Eucharistiam & incarnationé filij Dei, & vtramque ex Dei omnipotétia, Spiritus sancti actione, ac diuini sermonis annútiatione profluere & effici dixerút, ex re quæ præiaceret, & tráfiret in aliud. Vt enim non naturali ordine, aut virtute seminis virilis, sed efficacia Spiritus sancti, denútiante Angelo, sermonem Dei ex purissimi sanguinis in virgine demutatione, formata est caro Christi, & assumpta in personam filij Dei: ita ex panis & vini cóuersione, substantia panis & vini transit in carnem & sanguinem Domini, per mirabilem Dei potentiam, Spiritus sancti efficientiam, & verborum Christi prolationem. Proinde Patres quoties componunt vtrumque mysterium, mutationé panis & vini ita ferè solent exprimere, vt substantiam illam fieri colligamus ex speculatione eius conuersionis, quæ in purissimo sanguine Dei matris accidit. In eum finem iterú Iustinus audiri debet. Non vt cómunem panem & cómunem potú ista sumimus, sed quemadmodú per Dei verbum caro factus Iesus Christus seruator noster, & carné & sanguiné salutis nostræ causa habuit: ad eundé modú etiam eam (quæ per preces verbi ab eo accepti gratia affecta est) alimoniá incarnati illius Iesu carné & sanguiné esse edocti sumus. Irenæus his verbis eò alludit: Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Sanguis non est nisi à venis & carnibus, & à reliqua quæ est secundum hominem substantia, qua verè factum verbum Dei, sanguine suo redemit nos. Hilarius tametsi aliò spectet, tamen tanquam simile ponit, carnem in virgine conceptam, & in Eucharistia existentem. Si verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus. Si verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, &c. Emissenus id confirmat hoc textu:

Apolor. lib. 6. *Hilar. lib. 2. de Trinit.*

Emiss. li. 5. De Paschate. Nec dubitet quispiā creaturas nutu potētiæ, præsentia maiestatis, in Dominici corporis trāsire posse naturā, cùm ipsum hominē videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Ex Ambrosio textus est: Accipe quemadmodum sermo Christi creaturam omnē mutare consueuerit, & mutat quādo vult instituta naturę. Primò omniū de generatione eius sumamus exemplū. Consuetudo est, vt nō generetur homo, nisi ex viro & muliere, & consuetudine coniugali. Sed quia voluit Dominus, qui ex hoc elegit sacramentum, & de Spiritu sancto, & de virgine natus est Christus. Hysichius anterioribus subscribit, atque ait: Sancta sanctorum sunt propriè Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad virginem dicebat, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideò quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Sanctificationem mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationē siue cōmutationē, ei qui ver' est sacerdos, videlicet Christo, oportet dari, & ipsi de eis miraculū cedere & imputare: quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ vidētur, tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedūt sensum. Remigius Rhemorum Archiepiscopus ita habet: Qui carnem in vtero virginis assumptam verbo suo personaliter vnire potuit, panis & vini materiā in sui corporis & sanguinis naturā ipsi transferre possibile est. Damascenus & Theophylactus apertis & simplicibus verbis rem ipsā exponunt atque inquiunt. Si vltrò ac volens ipse Deus verbū homo factus est, & ex sanctæ virginis puris & intaminatis sanguinibus sibi absque semine virili carnem fabricauit, an nō potest panem in suum ipsius corpus conuertere, & vinum & aquam in sanguinē? Quomodo erit mihi hoc, ait sancta virgo, quoniam virū non cognosco? Respondet Gabriel: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et nunc quæris, quomodo panis fiat corpus Christi, & vinū & aqua sanguis? Tibi ego item respondeo, Spiritus sanctus accedit, & hæc facit, quæ rationē cogitationémque superant, diuina mysteria & corpus Christi. Patres insuper ipsam Christi incarnationem & Eucharistiam conuenire tradiderunt, vtraque iam perfecta & existenre: quòd sicut in Christo latebat diuinitas, humanitate tanquam aliquo velamento operta, ita caro Domini, panis sacramento quasi velo contegatur: & quòd sicut in persona Christi duplex natura residebat, ita in Eucharistia naturæ panis & corporis Dominici cohæreant. Cyprianus ita loquitur: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio. Tanquam ab Augustino scriptum producitur sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Sicut enim persona Christi cōstat & cōficitur ex Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus: & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & virturem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ sacramento, & re sacramēti, id est corpore Christi. Ex Gelasio ista depromūtur: Certè sacramenta quæ sumimus, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorū celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc in ipso Christo sentiēdum, quod in eius imagine profitemur, celebramus & sumimus: vt sicut in hanc scilicet diuinam rranseant sancto spiritu perficiente substantiam, permanente tamen suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysteriū principale, cuius nobis efficientiā virtutémque veraciter repræsentāt: ex quibus cōstat propriè permanētibus vnū Christū, quia integrū verúmque permanere demōstrant. Ex Ioannis Cōstātinopolitani

Ambros. lib. 4. De sacr. ca. 4

lib. 6. in Leuit. cap. 22.

Remig. in Psal. 21 & in cap. 2 1. ad Corinth.

De consecr. dist. 2.

epistola

epistola ad Cæsariũ Monachũ afferũtur hæc verba: Deus & homo est Christus, Deus propter impassibilitatẽ, homo propter passionẽ, vnus filius, vnus Dominus, idẽ ipse proculdubiò vnitarum naturarũ vnam dominationẽ, vnam potestatẽ possidens (etiamsi nõ consubstantialiter existãt) & vnaquæque incõmixta proprietatis cõseruat agnitionem, propter hoc quòd incõfusa sunt duo. Sicut enim antequàm sanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illud sanctificante gratia, mediãte sacerdote, liberatus est quidẽ ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiãsi natura panis in ipso permansit, & nõ duo corpora, sed vnum filij corpus prædicatur: sic & hac diuina firmãte naturã corporis, vnum filiũ, vnam personã, vtræque hæ fecerũt. Theodoretus verò rẽ per se obscuram, longè obscuriorem reddit, vt suæ causæ seruiat, duobúsque in locis de illa disputat. Dialogo primo. Orthodoxus ita proponit: In mysteriorum traditione corpus panem Christus appellauit, & sanguinem id quod in calice infusum & commixtũ est. Eranistes siue hæreticus respondet: Ita Christus nominauit. Orth. Atqui & quod est secundum naturam corpus, corpus iure vocabitur, & itidem sanguis. Eran. In confesso est. Orthod. Seruator noster nomina permutauit, & corpus quidem id quod erat symboli ac signi nomen imposuit: symbolo autem id quod erat corporis. Ita cùm se vitẽ nominasset, sanguinem id quod erat symbolum appellauit. Eran. Hoc quidem verè dixisti. Vellẽ autẽ scire causam mutationis nominũ. Orth. Manifestũ est institutum iis qui sunt diuinis mysteriis initiati. Volebat enĩ eos, qui sunt diuinorũ mysteriorũ participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, sed per nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia credere. Qui enim quod natura corpus est, triticum & panem appellauit, & vitem rursus seipsum nominauit, is symbola & signa quę videntur, appellatione corporis & sanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiiciens. Eran. Et mysticè mystica dicta sunt, & apertè declarata sunt, quę non sunt nota omnibus. Dialogo secundo iterùm disputationem de Eucharistia suscipit, & Orthodoxus ait: Mystica symbola, quę Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorumnam dicis esse symbola? Eranistes subiicit, Corporis & sanguinis Domini. Orthod. Corporis quod verè est, vel verè non est? Eran. Quod verè est. Sed oportunè accidit, vt verba faceres de diuinis mysteriis. Nam vel ex eo ipso tibi ostendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde ergo ad mea interrogata. Orth. Respondebo. Eran. Quid appellas donũ quod offertur ante inuocationem sacerdotis? Orth. Non oportet apertè dicere. Est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos. Eran. Respondeatur ęnigmaticè. Orthod. Id quod fit ex huiusmodi seminibus nutrimentum. Eran. Aliud autem signum quomodo nominamus? Orth. Commune etiam hoc nomen quod potus speciem significat. Eran. Post sanctificationem autem quomodo ea appellas? Orth. Corpus Christi & sanguinem. Eran. Et credis te fieri participem Christi corporis & sanguinis? Orthod. Credo. Eran. Sicut ergo symbola Dominici corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante inuocationem sacerdotis, sed post inuocationem mutantur, & alia fiunt, ita etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in diuinam substantiam. Orthod. Quę ipse texuisti, retibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri & tangi possunt, sicut & prius: intelliguntur autem ea esse quę facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quę illa sint quę creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse veritati similem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam, & figuram, & circumscriptionem, & vt semel dicam,

ſubſtantiã. Eran. Atqui ſymbloum myſticũ priorem mutat appellationem: neque enim amplius nominatur quod prius vocabatur, ſed corpus appellatur. Oportet ergo veritaté Deũ, & non corpus vocari. Orthod. Ignarus mihi videris: non enim corpus ſolũ, ſed etiã panis vitæ nominatur. Porrò autẽ ipſum corpus, diuinũ corpꝰ nominamus, & viuificũ & dominicũ docentes nõ eſſe alicuius hominis, ſed Dñi noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Deus & homo. Iſta libuit prolixiùs recitare, ne tergiuerſari aut aliquid reticere videamur. Principiò contra Germanos atq; alios his authoritatibus inſoleſcẽtes præſcribimus quod ipſemet Theodoretus in religionis negotio nos docuit excipere.

Theod. dial. 2. Nemo, inquit, nobis viros obſcuros aut ambiguos adduxerit: Eiuſmodi enim hominũ interpretationẽ non admittimus. Atqui hæc omnia teſtimonia ab obſcuris & incertis hominibus ſunt profecta. Nõ emanaſſe à Gelaſio Papa tractatũ de duabus naturis, de quo fragmentũ trãſcripſi, certum eſt ex eo, quod noſter hic Gelaſius Euſebiũ Cæſarienſem mirificè prædicet, contrà verò Gelaſius Papa omnes libros Euſebij Cæſarieñſis damnauit, vnica excepta hiſtoria Eccleſiaſtica: quodq; in Calcedoneñſi cõcilio cùm ex Gelaſij libris ſumantur nonnulla contra Neſtorium & Eutychen, nullum ſit verbum de præſenti contra huiuſmodi hæreſes commentario. Propterea

In exam. Synodi Trident. part. 2. Anno 1541. inſulſè & impeditè exprobrat Martinus Cemnicius Contareno meritiſſimo Cardinali, quòd in colloquio Ratiſbonenſi obſtupuerit, quaſi vidiſſet tanquam conſpicuo teſtimonio Pontificiam Tranſſubſtantiationem ex Romani Pontificis ſententia refutari. Pudendum potiùs fuit fideliſſimis olim Germanis de impoſtura tam ſupina, & affectata malitia. Arbitror tale opuſculum aſcribendum Gelaſio, nõ Romano, ſed Palæſtino & Cæſarienſi, cuius Hieronymus meminit, & quem honoris cauſa Theodoretus nominat, híſque verbis celebrat: Si autem etiam veteres Palæſtinos vis audi-

Theodo. Dialog. 1. Polym. re, præbe aures imprimis admirabili Gelaſio, qui Cæſarienſem agrum diligenter coluit. Certè Theodoretus dialogorum ſuorum argumenta propemodum omnia, & rationes ac ſcripturas, Patrúmque authoritates ex iſto libello, cui Gelaſij titulus datur, mutuatus eſt, vt legenti vtrumque & conferenti apparebit. Ex quo puto certiſſimè libellum illum, de quo agitur, non Romano, ſed Græco Paleſtino Gelaſio tribui oportere, in quo Euſebius Cæſarienſis præ aliis commendatur, quia hic Gelaſius eãdem inhabitaret regionem Cæſaream Palæſtinæ, aut regeret. Porrò epiſtola ad Cæſarium monachũ nec inter opera Chryſoſtomi annumeratur, nec eiuſdem ſtilum ſapit, nec alia quæ toties de Euchariſtia diſputat. Theodoretus verò nec tanti eſt, vt dogma cõtra definitionem & Chriſtianorum communem fidem & doctrinam ſtabilire poſſit, cùm in pleriſque lapſus ſit, & à legitima ſynodo Epheſyna, non autẽ ab ea quæ tum appellabatur prædatoria, damnatus: reſipuit tamen, & eum Chalcedonenſis ſynodus pœnitentem recepit & reſtituit. Deinde obſeruãdum maiorem partem authorum, qui obtruduntur, planiſſimè aliis in locis Tranſſubſtantialitati patrocinari, quemadmodum antea de Cypriano, Auguſtino, Chryſoſtomo diſſeruimus: ita vt ex eorũ apertis & certis ſententiis deceat ambigua eorũ dicta illuſtrare, & ſacramentũ ſiue ſpecies, ſiue naturam aut ſubſtantiã panis, ſi alicubi reperitur, ad generalem illam naturæ proprietatem, quam primo capite huius poſterioris libri facilè concedimus remanere ſublata ſubſtantia, & ad id quod exteriùs apparet, & exiſtit, reſtringere, non autem ad internam ſubſtantiam per ſe exiſtentem protendere. Nam ipſimet interpretantur, vt oſtendimus: nec epiſtola ad Cæſarium, nec ſcriptum Gelaſij, nec Theodoreti verba huic interpretationi magnoperè reluctantur: quãdoquidem epiſtola habet, panem peracta conſecratione nomen ſuum amittere, nec poſtea in ſacramento duo corpora, ſed vnum filij corpus prædicari: ex quo ſequitur panis corpus deſiiſſe, & firmari eius generalem naturam, ſiue ſubſtantiam, ſiue proprietatem

prietatem aliundè, ficurà natura diuina ait firmari humanitatis corpus in Christo. Gelasius verò exprimit sacramentum ipsum, seu panem & vinum in diuinam substantiam transire, sancto spiritu perficiente, permanente tamen proprietate naturæ. Ridiculum est quod Cemnicius comminiscitur, quasi secundum Gelasium non ipsa elementa transeant in diuinam substantiam, sed nos ipsi per sacramenti sumptionem, qua efficimur diuinæ consortes naturæ: sed ostendit Gelasius, antequàm elementa id efficiant in nobis, oportere ipsa rem diuinam fieri: quod accidit quando in consecratione, perficiente Spiritu sancto, transeunt illa in diuinam substantiā, vt tamen ipsorum permaneat naturæ proprietas: & in hac significatione acceptam assentimur non desinere substantiam panis & vini: atque ita Gelasius in tam paucis verbis quæ produximus ex ipso, sibimet non repugnabit. Sin diuinam illam substātiā pro aliqua proprietate, diuináve virtute placet Aduersariis interpretari, cur nobis eodem iure non licebit substantiæ aut naturæ nomen pro proprietate explicare, quoties in eisdem authoribus occurrerit? Verùm satius est, ac simplicius, vt in Gelasio diuinam substantiam pro carne Domini cœlesti planè ac diuina accipiamus, in quā elementa transeant, manente proprietate naturæ, non ipsa natura. At inquiunt, nec Gelasium, nec Theodoretum ita licet torquere, vt eneruetur eorum argumentum contra Eutychitas. Opinabantur hi naturam humanam in Christo in diuinam transisse, humanásque proprietates ac passiones desiisse: ideò à scriptura tradi Deum crucifixum, aliáque humana attributa Christo, quatenus Deo, imputari. Gelasius quidem ac Theodoretus respondent nō valere ab ipsis allatam rationē, quoniam cōmunicatio idiomatū etiam inueniatur inter symbola & corpus Christi, non tamen ob id proprietates vtriúsque naturæ tolli: & quamuis hîc vna substantia mutetur in aliam, non tamen prorsus aboleri, quin ipsa generalis substantia panis, de qua antea diximus, maneat cum proprietate sua, licet inquam, propria & peculiaris substantia in aliam transeat. Ista enim tria Gelasius distinctè videtur ponere, & sine tali distinctione vix simpliciter eius textus potest à repugnantia liberari. Theodoretus etiam licet hac in re nimiùm Nestoriset, attamen subindicat se agnoscere aliquam substantiam panis peculiarem mutari in corpus Christi, cuius causa symbola fiant quæ creduntur, corpus nempè & sanguis, propter quæ adorantur, alioqui sine tali mutatione non adoranda, etiamsi his accederet corpus Christi, vt etiam Aduersarij consentiunt. Innuit interea manere quandam generalem panis substantiam cum proprietatibus propriæ & peculiaris naturæ mutatæ, quod significat, quando adiūgit, cum mutatione in corpus & sanguinem Christi manere symbola in priore substantia & figura & forma, tangi ac videri posse, quæ sunt proprietates naturæ ac prioris substantiæ reliquiæ. Itaque inferunt, multo minus propter cōmunicationem idiomatum in Christo cōfundi naturas & proprietates, in quibus nulla in aliam commigrat & mutatur, vti fit in Eucharistia. Certè vterque Gelasius & Theodoretus nominatim exprimunt in Eucharistia illam fieri mutationem, quę non fit in naturis Christi, & tamen illic restare aliquid de natura & proprietate illæsa naturæ: Ergo multò magis integras naturas & proprietates manere in Christo, quæ nullam talem mutationem recipiunt. Hic scopus ac recta est vtriusque sententia, clarissimis verbis & ratiocinationibus comprehensa. Non reticendum tamen Theodoretum in hac disputatione & collatione duarum naturarum in Christo cum Eucharistia adhuc Nestorisare, ad Nestoriíque figmentum accommodare mutationem panis & vini, quam ait fieri per accessionē corporis & sanguinis ad ipsa: nec dissimulat eam accommodationem à se inuentam & excogitatam cōtra communem fidem & persuasionem communem Christianorū, quæ tenebat

panem & vinum transire & transsubstantiari in carnem & sanguinem Domini. De nouitate suæ interpretationis in persona orthodoxi sic erga hæreticum gloriatur: Et „ mysticè mystica dicta sunt, & apertè declarata sunt, quæ non sunt omnibus nota. „ Nũc quomodo Nestoriset, videamus. Nestorius dicebat Deum homini accessisse, & duas personas ac duo subiecta mansisse, quorum inferius, vtpotè homo, fieret Deus per accessionem Dei, non per hominis assumptionem in personam diuinã. Ita fieri in Eucharistia statuit Theodoretus: cuius si noua opinio de accessione corporis ad panem valeret, & huic comparãda esset incarnatio, restitueretur pura Nestorij hæresis de duobus suppositis, eorum cõiunctione, ac distincta adoratione, sicut placet hîc Theodoreto symbola adorari, quia facta sint id quod credũtur, nẽpè corpus & sanguis sed per accessionem gratiæ, seu corporis ad panem, sicut loquitur, nõ autem mutatione aut assumptione panis in corpus. In his tribus capitibus consistebat potissimum Nestorij impietas circa incarnationem. Propterea satius est, relicta innouatione Theodoreti de qua gloriatur, priorem Christianorum sequi simplicitatẽ & fidem, quam aduersariorum more deridet, vt præteritæ suæ impietati relinquat locum. Hîc Petrus Martyr vrget naturã affirmari manere & substantiam: nos verò sophistas agere ac sycophantas, qui naturam hîc & substãtiam explicemus pro naturæ proprietate, cùm alias, quoties mutari substãtiam & naturam legitur, pro re existente capi contendamus. Sed licet in authorẽ argutiam retorquere. Placet enim illi substantiam & naturam hîc intelligere pro existente re, quia dicatur manere, vt ita tollat Transsubstantiationem: contrà verò, quoties naturam aut substãtiam cõuerti inuenerit, ne quidem pro naturæ proprietate recipit, sed pro rei vsu & applicatione ad sacrum vsum. Nos autem & communi loquendi cõsuetudini innitimur, per quam rerum proprietates naturæ vocãtur, ex quo Theophrastus librum inscripsit de natura plantarum, & Plinius suo operi, Naturalis historiæ nomen dedit: & Galenus atque alij ita libros insignierunt, in quibus de rerum proprietatibus disserunt: quin etiam & ratio cogit ita nos in Eucharistia interpretari. Cùm enim videamus manere proprietates panis & vini, ac nihilominus toties vetustissimi Christiani naturam & substantiam panis transire in corpus & sanguinem Domini testentur, quem significatum aptiorem tum possumus diuinare, præterquàm rei existẽtis seu existentiæ, quæ cuique rei extanti per se innascitur? Augustini porrò vera est sententia, Sicut Christi incarnatio duabus rebus coaluit, ita & Eucharistia duabus conflatur: sed vt in illa non fuerunt duo supposita & subiecta, ita nec oportet in ista duas substãtias componere: alioqui Nestorio esset patrocinari: sed sufficit rem vnã latẽtem per se existere, & alteram nõ per se existentem apparere, quæ alterã operiat & tegat. Ita comparationem vtriusque facit Cyprianus, & vt in Eucharistia conueniat, exigit panem natura, non effigie mutari: & cum eo Augustinus congruit, qui quod vocauit panem, statim postea explanationis gratia nominat panis speciem: solétque Augustinus res, quibus constant hæc sacramenta, non pro substantiis accipere, sed quarum vna sit substantia, & altera qualitas seu proprietas substantiæ. Sic enim ait, frequenter indignos frui sacramento, sed non re sacramenti, quemadmodum capite De indignis declarauimus: vbi rem sacramenti non pro substantia significat, sed pro qualitate spiritali. Quid mirum igitur, si contrà sæpè conficiat sacramentũ ex forma ac proprietate panis, ac substãtia carnis, quæ specie panis obnubiletur?

Theodor. dial. 2. Polym.

Dial. 2. Polym.

REPETITIO NONA DE ADORATIONE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI IN EVCHARISTIA.

DE VERA AC FALSA DEI ET creaturarum adoratione.

CAPVT I.

TRIA VERBA SVNT, quibus ſcriptura frequentiùs diuinum cultũ explicat, προσκυνεῖν, λατρεύειν & δουλεύειν: quorũ prius in Adorare vertitur, propriéque apud Hebręos & Græcos ſignificat Procumbere, & ſe pronum in terram demittere, ac volutare canis more, qui à Græcis κύων nominatur, à quo προσκυνεῖν deducitur. *De dictionibus, quibus ſcriptura adorationem exprimit.* Alterum à vehementia timoris (inquit Phauorinus) accipit nomen, quaſi, λα, intenſiua ſit particula, & τρεῖν reformidare indicet: ideóque per Reuereri & Venerari nõ ineptè transfertur. Tertium Seruire ſimpliciter enũtiat. Nullum autem horum propriè & ex ſe cultum, qui ſoli Deo debetur, declarat, cùm prius geſtũ exteriorem monſtret, quo non ſolus Deus, ſed creaturæ honorantur, quemadmodum teſtantur ſcripturæ, in quibus geſtus ſæpè cum verbo illo ad eius explanandam ſignificationem apponitur: ſicut toties in Geneſi & paſſim alibi, proni & inclinantes *Geneſ.19. 24. 48.* ſe in terrã adoraſſe dicuntur: & in Euangelio à Magis procidentibus adoratus Chriſtus prædicatur, atque à populo adoratus Deus, deinde Rex ſcribitur, eodem planè *Exod.4.12. Matth.2I. Paralip.lib.I. cap.19.* geſtu corporis atque habitu. λατρεύειν verò & δουλεύειν, etiam in eundem ſignificatum recidere, communéque Diis atque hominibus famulitium & obſequium deſignare tradunt Grammatici, Euſtachius, Phauorinus ac Suidas. Cur autem nullum verbum *Euſtach.Il.φ. Od.ξ. Phauor. in Lexico.* proprium occurrat, quod Dei ſolius adorationi conueniat, opinor hanc eſſe cauſam quòd ſicut Deus ſpiritus eſt, quem vno ac ſimplici mentis intuitu nequimus concipere, multò verò minus vno verbo eloqui, ita non datur debitam illi adorationem prorſus ſemel animo comprehendere, multò certè minus foras prodere, atque vno aut paucis verbis effari. Verùm vt ad Deum cognoſcendum, intelligẽdum, & declarãdum, cogitationes & verba ex ipſis creaturis mutuamur, ab omníque fęce & labe depuramus, quas in creaturis contrahunt, ſicque Deo adaptamus: ita mentis conceptus & dictiones cogimur ex cõmuni vſu mẽdicare, quibus repurgatis, Deo cõgruã adorationem aſſequamur, & coram hominibus promamus. Προσκυνεῖν quidem, ſiue Adorare, aut ſe proſternere coram creatura aliqua, indicium eſt & argumentum e- *Quid propriè ſignificet Adorare.* minentis & præcellentis alicuius in ea dignitatis, authoritatis atque potentiæ: ob íd-

que non fuerunt ea sub missione vsi, nisi qui se inferiores aliis agnoscere ac profiteri voluerunt: eam verò sibi exhiberi recusarunt, qui se aliis pares, aut minimè superiores haberi studuerunt. Sic Petrus Cornelium ad pedes suos prouolutum erexit, dicens, Surge, & ego ipse homo sum. *Act. 10.* Sic Angelus Ioannem increpauit, Vide ne feceris. Conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum. *Apoc. 22.* Absit vt Apostolus Christo dilectus honorem Angelo, tanquam Deo, deferre cuperet: sed Apostolatus sui fasces ipsi tanquam præstantiori submittebat: quod Angelus à coæquali sibi Apostolo Christi non admisit, sed ad Deum solum, vtriusque superiorem ac dominum, ablegauit. Itaque quoniam Deus in immensum & infinitum excedit magnitudinem & excellentiam creaturarum omnium, eminétque extra omnem comparationis gradum, adoratio à communi suo significatu & attributione secernitur, & singulariter ipsi tanquam propria accommodatur, solúsque adorandus prędicatur: quoniam, inquam, nefas est ipsi rem vllam aliam adæquari, vel cum ipso conferri.

Cur deferatur alicui honor. Considerandum insuper honorem præstari duabus de causis, aut propter ipsius rei in se existentis naturam, aut propter perfectionem, dignitatémque rei inhærentem, vel accedentem, quæ causam honoris afferat. Ita Angelos, ita homines veneramur supra alias creaturas, tum ob naturam superiorem, tum ob dona & officia ipsis à Deo collata. *Thom. 3. part. qu. 25. art. 1. & 2.* Eo pacto Deus venit colendus singulari & peculiari adoratione, imprimis ob naturæ eximietatem, & incomparabilem sublimitatem, nécnon ob naturæ ipsius annexas virtutes, perfectiones, & operationes. Propterea obseruare licet in scriptura, Deo soli adorationem reseruari, quoties de natura eius agitur, aut de eius propriis dotibus & actionibus. Ideò damnantur Philosophi, quibus cùm innotuissent visibilia Dei per ea quæ facta sunt, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, cùm inquam ipsi cognouissent Deum in natura & in virtute, non sicut Deum glorificauerunt, sed seruierunt creaturæ potius, quá creatori: *Ad Rom. 1.* Et mutauerunt gloriam incorruptibilis in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpétium: breuiter Deo soli debitam adorationem propter naturam ipsius, virtutem, & operationem singularem in creatione mundi, traduxerunt ad infimas & vilissimas creaturas. *Quando Deus solus dicatur adorandus, & cur.* Ideò scriptura quoties meminit singularis illius adorationis, quæ Deo tribuenda est, naturam eius ferè attingit, & summam ac peculiarem actionem erga nos, nimirùm creationem. Venite (ait Dauid) procidamus ante Deum, quoniam ipse fecit „ nos. Et Ioannes in Apocalypsi, timete Deum, date illi honorem: & adorate eum, „ qui fecit cœlum & terram, & mare, & fontes aquarum. *Apoc. 14. et 4.* Et, Dignus es, Domine „ Deus noster, accipere gloriam & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Legantur Esaias, Hieremias, atque alij Prophetæ: quoties causam Dei agunt, ipsique suam adorationem contra falsos Deos asserunt, totam disputationem in eo versari licebit animaduertere. Quinetiam quoties sancti auersantur adorationem, perspicietur tum de ea sermonem haberi, quæ Deo ob creationem, vel ob aliud ab ipso solo profectum irrogatur. Paulus & Barnabas non permiserunt sibi sacrificari, quoniam id honoris deberetur soli Deo creatori, vt ibi proclamat Apostolus: *Act. 14.* Viri, cur ista facitis? Nos „ mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab humanis conuerti ad „ Deum viuum qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. *Quare Angeli & Apostoli noluit adorari.* Sic Petrus Cornelium coram se procidentem, quasi esset liberator, ac Deus ipse, à quo expectare salutem iussus erat ab Angelo, cohibuit, atque contrà intulit: Nam & ipse ego homo sum. Sic Angelus noluit se adorari à Ioanne, cùm futura annuntiaret, quæ à solo Deo præsciuntur, & ministris Angelis vel Prophetis prædi-

cuntur. Ob id dixit, Deum adora. Ita videas passim adorationem ad solum Deum referri, quoties offertur propter aliquid, cuius potestatem vel excellentiam sibi soli Deus retinuit. Quoniam verò Deus infra se ordinem creaturarum constituit, gradus perfectionum ipsis elargitus, & diuisiones gratiarum, vt etiam quibusdam potestatem concesserit filios Dei fieri, imò quasi Deos quosdam, & filios excelsos: singulis pro donationis mensura, honoris quoque atque adorationis portiunculas infra se „demensus est. Ecce, dabo (inquit) de synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & „non sunt, sed mentiuntur. Ecce, faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos: „& scient, quia ego dilexi te. Impenditur etiam creaturis veneratio duplici de causa „priùs allata, ob naturæ statum, & gratiæ modum: ita vt quibusdam propter vtrumque simul, sicut Angelis, ac probis, sanctísque hominibus: quibusdam propter sola innata dona, sicut Iehu præcepit impiam fœminam Iesabel honorificæ tradi sepulturæ, quia de regum sanguine esset procreata: quibusdam contrà, propter sola accessoria ampliorem honorem præbemus, quamuis in infimis & vilissimis stent creaturis, sicut Iacob fecit lapidi, quem erexit atque vnxit, vocauítque Bethel, id est, domum Dei, vbi adoraret, quia singulari Dei conspectu eo in loco potitus fuerat. Sic coram arca lignea, & in templo, maiorem adorationem præstabant Iudæi, quàm Angelis ipsis, ob Dei singularem in illis præsentiã, tametsi nihil aliud sua natura existerent, quàm lignum, lapides & cæmentum. Porrò, non solius naturalis vel acquisitæ excellentiæ & perfectionis gratia exhibetur cultus, aut honor, aut obsequium, seu seruitium: sed accedit tertia causa, quæ est dominium aliquorum in alios, ita vt plus sit λατρεύειν quàm προσκυνεῖν & seruire quàm adorare vel colere. Adoramus enim & colimus etiam alienos, quibus non subiicimur ad seruiendum: sicut regina Saba adorauit Solomonem, & Dauid Ionathan: tamen nec illa Solomonis, nec iste subiectus erat seruituti Ionathæ. Seruit autem nemo nisi domino suo. Sunt enim reciproca & correllatiua Seruus & Domin⁹, seruire & dominari. Seruire autem est se exhibere alicui subditum ac subiectũ ad obediendũ: & seruus dicitur, qui sic subiicitur alienæ voluntati, vt eum dicto obsequentem esse oporteat. Huius descriptionis author est Apostolus, vbi sic, habet: „Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obe„ditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam. Vnde Seruire, non solùm est obsequium præstare in hac vel illa re, sed est se exhibere seruum, hoc est subditum, & propterea subiectum ad obediendum. Alioqui non rectè conclude„ret Christus, Nemo potest duobus dominis seruire. Non potestis Deo seruire & „Mammonæ. Ex Apostolo quoque nemo seruit simul peccato & iustitiæ, sed factus liber à peccato, seruus fit iustitię: & seruitus in iure dicitur, qua quis subiicitur alienę voluntati, vt non sit suus. Quoniam verò sumus nos & omnia nostra Dei, iure creationis, iure naturę, iure adoptionis, titulo meri dominij, „titulo possessionis antiquę, & titulo emptionis, siue redemptionis. Non enim „(ait Petrus) corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso san„guine, quasi Agni immaculati Christi. Titulo insuper plusquàm iustę commutationis. Commutauit enim mortem sui vnigeniti pro vita nostra. Vnum dũtaxat donationis titulum scriptura excipit. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Sed nec ipsum nos Christiani excipere possumus. Nos enim sponte propria donamus illi nomina in baptismo, symbolo solenni nos asserentes in seruitutẽ Dei Patris & Christi, renuntiantes mundo & diabolo. Quã latè verò pateat eius imperiũ in nos, scriptura explicat per Dauidem, vbi exclamat: Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus. Cuncta enim, quæ in cœlo sunt,

Apoc. 3.

Quare creaturæ dicuntur aliquando adorari.

Plus est seruire quàm adorare.

Cur debeamus seruire Deo.

& in terra,tua sunt.Tuum,Domine,regnū,& tu es super omnes Principes. Tuæ diuitię,tua gloria est:tu dominaris omnium:in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium: Adhæc dominium & imperium tam amplum,potens,atque oculatum possidet,testante Euangelio,vt nec folium defluat de arbore,nec vllus passer cadat super terram,nec tu capillum album facere possis, aut nigrum,sine voluntate eius:nec solum imperium habet vitæ & necis in omnia viuētia,sed omnia quæcunque vult,facit in cœlo & in terra,& in omnibus abyssis,omnia potés in mortem & ipsum infernum,atque omnem denique diabolicæ fraudis machinationem:ob ídque monemur timere eum,qui potest mittere corpus & animā in Gehennam,qui viuificat & mortificat,deducit ad inferos & reducit. Quoniam igitur omni iure omnia sibi vendicat,omnia potest,& omnis potestas ab ipso dimanat,meritò Dominus omnipotens est nomen eius,meritò solus Dominus habetur, Rex regum,& Dominus dominātium. Quoniam insuper agnitio talis Dominij diuini necessariò ponit existere maiestatem diuinitatis,perfectionémque & operationē,quæ sibi tale imperiū verè arrogant,ideo aptè genuina ac propria Deo soli debita adoratio Latria vocatur,id est,seruitus & cultus in recognitionem dominij diuini, trésque causas adorationis soli Deo debitæ includit,non autem προσκυνήσεως,siue adorationis appellatio,quæ nullo suo etiam eximio significatu omnes illas causas amplectitur. Quòd autem Latria,& non προσκυνήσεως,adorationem Deo particularē, & maximè ob Dominium vniuersale,commonstret,docet Christ^9,cùm inuitaretur à Satana,vt ipsum adoraret,spe potiundi imperij in omnia regna. *Matt.4.* Nam ipsum acriter repulit,ac respondit,adorationem quidem seu προσκύνησιν,eminenter & excellēter Deo deberi,quamuis non soli:ob ídque non ait,Dominum Deum tuum solum adorabis:sed Latriam,& seruitutem,dominij vniuersalis causa,de quo erat quæstio, non Satanæ,aut vlli creaturæ,sed soli Deo retinendam esse. Nec verò latria nudam seruitutem importat,sed timorem cum venerabunda subiectione. Sic enim præter verbi

Quid sit propriè λατρεύειν. λατρεύειν etymologiam Christus visus est interpretari, cùm dixit, Timete eum qui habet potestatem mittendi corpus & animam in gehennam ignis. Et Salomon Latriam totá probè repudiando creaturarū abusum expressit, Deū time, mandata eius obserua. *Ecclesiast. vlti.* Hoc est, Omnis homo,seu perfecta hominis in hac vita fœlicitas. Quia de causa nō satis explicatur λατρεύειν per Seruire,nisi addatur cū timore,ac tremore & simplicitate cordis, sicut Apostolus videtur quadam paraphrasi explanasse; tametsi de seruitute hominum herili dissereret. *Ephes.6. Beza in Annotat.ad cap. 4. Matth. Paul.ad Colos. 1. & 6.* Suo more Beza ridet nostrorum Theologorum tanquam ineptam distinctionem, per quam scribunt latriā,adorationem Deo propriam sonare,douliam verò ad creaturas pertinere:cùm tamen(inquit) vtroque verbo λατρεύειν & δουλεύειν indifferēter pro cultu Dei vtatur Apostolus in eadem epistola. *An Latria propria sit Deo & Dulia creaturis.* Profectò nouerunt nostri Duliam Deo conuenire, quemadmodum & Latriam: sed fortasse peccant in eo,quòd Latriam Deo ratione solius diuinitatis attribui iudicent, & Duliam ratione dominij:cùm Christus exposuerit Latriam proximè ex dominio oriri,sicut & duliam. Sed non aduertit Beza in eo consistere discrimen, quòd Dulia generalior sit, quæ cultum atque seruitium propter quodcūque dominium, & eminentiam siue summam, siue mediocrem, siue exilem significet: ob ídque in scripturis Deo rariùs,sed sæpius creaturis traditur. *Xenoph. lib. 3. Cyropæd. Septuagin. in lib. Leuitic.* Latria verò quamuis apud profanos authores,& apud Septuaginta interpretes in veteri Testamenro pro creaturis reddita seruiture inueniatur, tamen frequentiùs in lege & Prophetis,in nouo verò Testamento semper legitur pro cultu & seruitute Deo propria. Idcircò ratio postulauit, vt quoniam Dulia Deo & creaturis communis esse poterat, inuenitur autem rarius,nec satis propriè,Deo, contráque frequentiùs creaturis assignari, creaturis ipsis tan-

tanquam propria à veteribus Christianis attribuitur, & Latria ex nouo Testamento Deo tanquam soli propria reseruatur. Hanc differentiam aliis verbis idem ferè "significantibus videtur innuisse D. Petrus, cùm ait, Deum timete, regem honorifi-"cate. *1. Pet. 2.* prius enim in Latria continetur, posterius in Dulia, & in timore Dei honor, sicut in Latria, Dulia includitur. Sed timor Dei & Latria aliquid sublimius honore & Dulia monstrant, & duo priora singulariter Deo scriptura applicat, posteriora verò creaturis semper, vel vsitatiùs. Non igitur finxerunt nostri Theologi distinctionem Latrias & Dulias, sed repertam in Euangelio vetustissimi Patres obseruarunt, de qua plerunque Augustinus sermonem habet, & eãdem Nicena synodus secunda amplectitur. *Latria propria Deo per attributionem noui Testamenti.* Propterea quoniam vnicum religionis opus externum soli Deo debetur, nec creaturis potest commune reddi, nempè sacrificium ipsum, quod Deo soli offerẽdum est in gratitudinem & recognitionem, tam creationis quàm dominij vniuersalis, quia de manu eius suscepimus nos & nostra, ac rependimus illi sua de suis, ideò etiam in literis Euangelicis & Apostolicis Latrias nomine sacrificium sæpè vocatur, quasi tessera, & externa protestatio illius adorationis, quæ soli Deo est propria. *August. lib. 10. cap. 1. & 3. De ciuitat. lib. 20. Contra Faustũ cap. 21. lib. 1. De Trinit. cap. 6. ep. 49. & 66. in Psal. 67. Nicen. synod. act. 17.* Sic Hebraïca litera Matthæi, quæ circumfertur, pro Soli Deo seruies, verbum adhibet quod Sacrificare significat: & Apostolus ad Hebræos pro sacrificio *Heb. 9.* Latriam non semel adhibet, sicut Cyrillus Hierosolymitanus ad Conciliũ Ephesinũ incruentam Latriam de missæ sacrificio proferunt. Nunc inuestigãdum, in quo, & quibus actionibus consistat vera Latria, & diuina adoratio. Nam ex huius difficultatis perspectione & intelligẽtia facilè vera adoratio ab idololatria secernitur. Ante omnia sciamus, non omnem defectum à vera latria esse idololatriam: alioqui Iudæi in Mosaicis ritibus illius fuissent rei, quæ plana fit, cùm alius fingitur Deus quã sit, vel ei subiici & seruire destinata malitia detrectamus. *In quo consistat vera Dei adoratio.* Hoc enim Samuel pro idololatria duxit, aut cùm loco Dei creaturam supponimus, & colimus. Latria verò manca vel falsa est, cùm aberratur quoquomodo ab integro Dei cultu: ita vt omnis idololatria sit defectio à vera latria, sed non cõtrà. Edocti verò sumus à Christo iacere fundamenta prima veræ adorationis ex natura Dei & nostra. Deus spiritus est, Deus veritas est: itaque adoratores quærit in spiritu & veritate. Christus quidem hoc axioma protulit contra Iudæos & Samaritanos. *Quid sit adorare in spiritu & veritate.* Iudæi veram adorationem reponebant in externis, vt in templo seu certo sacrificiorum corporalium loco, & in vmbris ac figuris. Samaritani etiam in externis, vt in monte Garisin defigebantur, & præter figuras cum vero Deo idola commiscebant & colebant. Cõtra Iudæorum externa, spiritum & interiora pronũtiat esse priora & potiora, quia propiùs Deum attingunt: contra figuras & vmbras veritatẽ earum allegat, quæ de Deo magis est consentanea. Eadem contra Samaritanos intendit: sed contra eorum idola vehementiùs veritatem opponit. Itaque cum mente proximè ad Deum accedamus, quia mens etiam ipse est, cùm eam tanquam sibi compar habitaculum priùs inhabitet, in eámque prius impluat sua dona, meritò prima ferri debet in Deum, ipsique serua fieri, ac subdita. Adhæc sola ipsa potest apprehendere de Deo, quis sit, & quantus, & quas ob causas seruiendum sit ei, & quomodo: eam ob causam ab ipsa pendet adorationis veritas vel falsitas, nec potest adorari Deus in veritate, nisi mens prior illi seruiat. Proindè vt iudicetur, an latriæ veróque Dei cultui vacet homo, videndum ante omnia, quam animo impressam habeat de Deo opinionem, verámne an falsam. Idololatria enim nomen sortitur à falsa imaginatione animi de Deo, à qua prodeunt omnia exteriora falsa. *Quid sit idololatria, & vnde prodeat.* Non igitur Deus adorari verè vllo pacto potest, nisi mẽs adorationi præeat. Si detrahitur quicquam erroris opinione de Dei natura, aut veritate ab ipso prolata, si quid contrà falsi ipsi affingitur, si quid ipsi peculiare ac

proprium ad vllas res alias transfertur & assuitur, etiamsi nihil coram hominibus exerceatur, idololatria est, aut falsa latria, quia non adoratur Deus in veritate. Sin à falsitate & idolo animi fit progressus in actiones externas, tantũ detegitur & prorogatur, idololatria. Cõtrà verò si os, corpus denique totũ sacrificiis & ritibus veris nauet operam, mens autem vagetur à Deo vel prorsus aliena sit, tum idololatria committitur, aut saltem non exhibetur vera Latria, quia non adoratur in spiritu. Vbi enim simulatio est & hypocrisis, vbi vox sine mente, operatio sine affectu, ibi non potest nõ subesse falsitas. Igitur quicunque adorando, aut per hypocrisin, quod non est ostentat, vel tantùm voce, non autem mente orat, is non adorat in veritate, sed in falsitate. Sola enim labia adorant, mens verò errat à Deo, iuxta illud ex Esaia: Populus hic labiis me honorat, cor autem longè est à me. Igitur lucerna totius adorationis in veritate est oculus mentis. Si fuerit simplex tota adoratio, lucida prodibit: si nequam, illa tota adoratio caligabit, & in tenebris versabitur. Verùm non sufficit mentem rectam habere cognitionem & cõceptionem, cùm adorare non sit tantùm cognoscere, sed seruire, ac subditum esse. Ideò vt adoretur in spiritu & veritate, oportet animum ipsum addictum esse Deo, & se præbere obsequentem in omnibus, quæ Dei naturæ congruunt, vt iis se submittat. Deus verò, vt spiritus est & veritas, ita charitas, ita summa puritas, bonitas, perfectio. Requiritur ergo bonitati, puritati, & perfectioni summæ, vt seruiat animus in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris. Hoc est quod toties in scripturis clamat, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Vt verè adorare nihil sit aliud, quàm se Deo simillimum efficere in spiritu & veritate, & omni iustitia. Deus enim ista est. Sin ad contraria diuerterit, se dedat auaritiæ, libidini, ventri, & aliis vitiis, nemo potest duobus dominis & contrariis seruire atque obedire. Nemo potest seruire Deo & Mammonæ. Sicut ergo, vt adoretur in veritate, necesse est animum nostrum nulli falsitati vel errori subdi: & vt adoretur Deus in eo quod ipse est, decet mãcipari omnibus virtutibus. Propterea Apostolus vocauit auaritiã, idololatriam, sicut & ingluuiem: quia homo iam non seruit, nec obtemperat Deo, sed illis creaturis. Deinde mentis est, non tantùm Deum in se considerare, sed quantus sit cum aliis collatus, attendere, ipsique suum ius & locum retinere, vt in veritate adoretur. Operæpretium itaque fuerit in omnibus primas Deo dare fidei, spei, charitatis, honoris, inuocationis, venerationis atque adorationis: neque in his ipsi vllam creaturam præferre, æquare, aut associare, ne cum gentibus vel Samaritanis de idololatria redarguamur. Non enim illi placet gloriam suam alteri conferre. Fidem, spem, charitatem, ex toto corde, ex tota virtute nostra niti decet in ipsum, sicut nos toti ab ipso solo sumus, ab eiúsque solius motu toti pendemus, totíque subiicimur: aliis verò nihil quicquam relinquendum, nisi propter ipsum, & quatenus præscripserit. Quapropter vt adoratio naturæ diuinæ respondeat, & in omni veritate fiat, à spiritu inchoanda est, sed non intra limites spiritus coërcenda & concludenda. Nam non solis animis ab ipso creati sumus, sed corpore: nec nosmetipsos tãtùm de manu eius accepimus, sed omnia creauit, ac subiecit sub pedibus nostris: nec tantũ dominatur spiritui nostro & corpori, sed omnibus quæ cõdidit. Qua de causa ei seruire atque subdi cogimur propter illas duas rationes, non solo animo & corpore, sed omnia ad eius nutũ sunt conuertẽda. Verũ vt in veritate fiat, non ad libitum nostrum, sed ad eius præscriptum, aut saltem ad præscripti conuenientiam, & non repugnantiam, omnia sunt moderanda: tum enim de Dei natura & veritate nihil imminuitur, aut additur. Quisquis itaque senserit sola mente adorandum Deũ, infidelis, atque ingrati animi morbo, contra Dei liberalitatẽ, dominũ, &

Ephes. 5. Philip. 3.

Esa. 42. 48.

Non solo animo adorandus Deus.

& veritatem laborat. Nam externum opus sacrificij, quod soli Deo offertur in creationis & dominij recognitionem & gratitudiné, ab Apostolo Latria vocatur: Quin & omnis cultus ac ritus exterior Iudæorum, eodem nomine ab ipso nuncupatur, tametsi totus etiam in sacrificiis à perfectione genuinę latriæ in eo deficeret, quòd magis fundaretur in rebus externis quàm in spiritu, & quòd nō ad veritatem, quam Deus intendebat, perueniret, sed ad solam eius figuram & vmbram. Huic idem Apostolus opponit totam Euágelicæ legis dispensationem & obseruationem, tam in mandatis quàm in sacramentis: spiritalémque Latriam appellat, vt à spiritu, tanquam „ à fundamento, progredi ad dexteriora ostendat, & non in carne fundari. Nos sumus „ (inquit) circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & non in carne fiduciam habentes. „ Sic alibi: Testis (inquit) mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euágelio filij eius. Ab eodem Apostolo Latria collocatur in corporis oblatione, & singulorum membrorum in gloriam Dei officio & functione. Sic Anna Prophetissa λατρεύουσα id est, colebat Deum ieiuniis & orationibus, non recedens à templo. Omnia denique opera bona etiam in cibo & potu, quæ cedunt in gloriam Dei, in Latria continentur. Tantum autem abest, vt in solo spiritu consistat, quòd pars sit infidelitatis, nisi in a„ ctionem prodeat, quoties ratio postulat. Qui erubuerit me (ait Christus) coram ho„ minibus, & ego erubescam eum coram patre meo. Qui non me confessus fuerit co„ ram hominibus, & ego non confitebor eum coram patre meo. Causeris, quantum voles, mentem inculpatam te seruare Deo, nisi profitearis fidem tuam exteriùs tempore & loco: aut si aliud habeas in pectore, & aliud in ore & opere, non solùm nihil „ tibi prodest, sed lædit, atque accusat miserrimè. Corde enim creditur ad iustitiam, o„ re autem atque exteriori cultu confessio fit ad salutem. In eo sequenda est diuinæ naturæ veritas, sicut in interiori, vt nihil ei detrahatur, aut repugnans admittatur. Sequenda itidem est diuinarum iussionum veritas, vt ea perficiantur quæ præcepit, eo modo & tempore quo præcepit, & ea caueantur quæ prohibuit. Si ab vlla circunstantia deflectitur, aut idololatria est, aut saltem falsa Latria. Iudæis vmbras & figuras veritatis in Christo delinearat ad certum tempus, quamuis ad perfectam latriam non adducerent. Tamen quia Deus ita sibi seruiri iusserat, in his vera latria, licet imperfecta, Iudęi Deum adorabant, vt postquàm tempus illarum statutum pręteriit, iam ad falsam latriam redigantur, & diuinorum mandatorum, atque etiam rei, quam fore repræsentabant, veritati aduersentur: Ideóque iam non vocantur ab Apostolo mandata Dei, sed hominum, ac fabulæ Iudæorum, & vergunt ad idololatriam, qua fabricatur Deus aliter quàm sit. Ad eandem declinant Euangelij tempore, qui sacramenta & sacrificia nostra pro nudis figuris ducunt, veritate significata vacuis. Pugnant enim cum rei veritate, quasi adhuc vigeant vmbrę, & non ipsæ imagines rerum: pugnant cum Dei voluntate & verbo, quasi adhuc talis adoratio ipsi sit grata & accepta. Deus in templo Hierosololymitano sine vlla diuinitatis forma & pictura volebat adorari. Quandiu stetit templum, quicunque eò ad adorandum perrexerunt, extiterunt veri Dei adoratores. Quotquot verò in mōtibus & lucis, sicut in monte Garizim, & in Bethel, & alibi, aut in effigie vituli aurei, aut aliarum rerum, etiam Deo vero cultum adornarunt, in idololatriam prolapsi sunt, tum quia contra diuinæ naturę veritatem mentiri sunt, & creaturę, tanquam Deo, ceruices submiserunt, tum quia mandatorum eius veritati reluctati sunt. Non licet quidem infringere mandatum, ex quo latū est, & quandiu durat: non peccatur tamen, si ante eius cōstitutionem, aut post eius abrogationem contrà fiat: imò peccatum est plerunque, si obseruetur post abolitionem: nec peccatur, si quādiu durat, alia etiam non pręcepta adiungantur, modò ipsi mandato sint consentanea, & non

Ad Rom.12. Ad Roma.3. Ad Hebr.8. & 12.

Ad Roma.1. Latria etiā in externis consistit. Luc.2. Ad Philipp.3.

Matth.10.

Ad Roma.10.

Quādo Latria, vel idololatria in exterioribus.

contraria. Ante decretam adorationem Hierosolymis licuit Patriarchis & Israëlitis vbique adorare & sacrificare, quemadmodum modò licet post huius mandati reuocationem, quia nihil iam geritur contra Dei veritatem. Post Christum natum, sublata circuncisione & Iudaïcis ceremoniis, qui studuerunt obstinatiùs circuncidi, & ex lege Mosayca religionem componere, offenderunt in Christi veritatem. Populus verò, quando erigebatur tabernaculum, plura quàm petebatur, obtulit: quando efferebatur Arca cum Dauide, plura pietatis officia adhibuit, quàm

Quando non peccetur, agēdo quod non præcipitur. Deus minutatim iusserat. Talia passim in scripturis leguntur ascita fuisse à sanctis viris adorationis exercitamenta, quæ ideò non habentur peccata, quia Dei veritati nō fuerunt contradicentia, sed congrua, tametsi non expressè requisita. Adhæc sicut mens rea fit idololatriæ, si se morigeram & seruam præbeat alicui creaturæ, aut contra Deum, aut non propter ipsum: ita quoque corpus & actio nostra pari crimine tenebitur, si tali creaturæ se deuouerit & alligarit. Postremò, quemadmodum in mēte, ita in externis labimur & decipimur, si ordinem cultus & adorationis peruertimus, si seruimus potiùs alicui creaturæ quàm creatori, si alicui tanquam Deo inhæremus, si Dei instar æstimamus & honoramus: si quæ Deo soli debentur, etiam exterius creaturæ damus: si creaturarum quamque non suo loco, ordine & gradu naturæ vel gratię cōstituta est à Deo, etiam exteriùs veneramur: aut propter aliam causam, quàm propter Deum, aut in alium finem, quàm vt glorificetur Deus in omni-

Exod.22. bus, exteriora omnia peragimus, aut idololatriam committimus, aut in vera latria claudicamus. Nam sacrificans cuiquam, pręterquàm Deo soli, morte plectendus est. Quis enim vnquam sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum esse aut sciuit, aut pu-

Aug. li. 10. De ciuit. cap. 4. tauit, aut finxit? Sed nec templa, nec altaria, nisi soli Deo extrui possunt, & consecrari. Rectè quidem in memoriam alicuius creaturę, vel beneficij accepti à

Quæ Deo & creaturis possunt communicari. Deo dicari queunt: sed ita Deum, vt authorem sancti & beneficij respiciunt. Reliqua omnia exteriora Deo ferè & creaturis communiter impartiri licet. Si enim Christus claritatem, quam dedit illi Pater, non grauatur creaturis communica-

Apoc. 3. 2. Pet. 1. re, vt sint vnum quodammodò, sicut Pater & Filius vnum sunt: si dat secum sedere in throno ei qui vicerit, sicut & ille vicit, & sedet in throno Patris, vt quodammodò diuinæ efficiantur consortes naturæ, conformes filij Dei, & dicantur dij, ac filij excelsi omnes: Si thronus, regnum, & ipse denique Deus, sanctis Angelis & hominibus sunt communia: quare non templa Dei, altaria Dei, & cultus Dei exterior, erunt communia in terris, vno excepto sacrificio, quod offertur in agnitionem diuinitatis & Dominij incommunicabilis puræ creaturæ? Excipienda etiam est in interiori & exteriori diuersitas & proportio, sicuti est in rebus distantia, vt Deū

1. ad Cor. 8. colamus propter se, & super omnia: creaturas verò sub Deo, & propter munera Dei. Nam etsi sunt (ait Apostolus) qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra: si quidem sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illo, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sedent quidem sancti in throno, & ante thronum, nihilominus seruiunt Deo die ac nocte: & qui sedet in throno, habitat super illos: vt in omnibus agnoscamus Deū & Christum summas sedes tenere, & à Patre per filium mediatorem omnia in alios fluere,

Genes. 4. ipsisque in omnibus alios subdi, & inferiores esse, eiusdémque inæqualitatis & imparitatis professio etiam in eodem genere cultus exigitur. Ad hoc pertinet sententia à Deo contra Cain prolata, secundum Septuaginta versionem, non tantùm Deo soli offerendum esse sacrificiū, sed de opimis vt recta fiat partitio. Ita & in omni cultu & seruitio communi Deo & creaturis, necesse est primas partes semper Deo tribuere, & sub illo cuique pro mensura donationis diuinæ. Propterea sapienter nostri Theolo-

Theologi commonefaciendi causa distinxerunt, non tantùm cultũ interiorem sed exteriorem, in Latriam, Duliam & Hyperduliam: vt Latriam præterea, quæ soli Deo exoluẽda sunt, sacrorum aliorum rituum, & omnium obsequiorum, quæ Deo & creaturis exhibentur, eminẽtiam inde pendentem Deo debitam significet, causámque ac finem, propter quem aliis administrantur: Hyperduliam verò, præstantiam quandã cultus & seruitij infra diuinũ, quæ creaturæ proximè ad Deum accedenti, aliísque post Deum prælatæ, congruat: & Dulia promiscuam omnibus creaturis, tametsi imparem adorationem & seruitutem subindicet. Quapropter Latria non tantùm comprehendit actiones cultus, quæ Deo sunt peculiares, sed aliarum, quibus defungimur erga creaturas, inæqualitatem, ordinem, & causæ ac finis in Deum relationem. Nam si perturbato ordine, & sine iusta cultus partitione obsequimur, & honoramus creaturas, aut in ipsis quiescimus, vel inhæremus, non referentes causam & finem in Deum, tum idololatria quædam exercetur. Sin autem quicquid honoris creaturis tribuimus, causam Deo acceptam agnoscimus, & ipsum in creaturis suis & donis venerari proponimus, in ipsúmque reflectimus, quod agimus, tum Latria in causa & relatione redditur Deo, & in actione Hyperdulia, vel dulia creaturæ. Vnde scriptura statuit quidem honorandas esse creaturas atque adorandas, ac ipsis seruiendum: sed ne fallamur, ferè semper de Deo simul monet. Adorandas quidem ait, quia Deus dilexit eas: tanquam beatas in omni generatione venerãdas, quia fecit illis magna qui potens est, & sanctum nomen eius laudandum Deum addit in virtutibus eius, & in sanctis eius. Quid verò est in virtutibus laudare, nisi egregia eius facinora commẽdare, ornare, & venerari, quibus magnitudinem suam ostẽdit: quid laudare in sanctis, quàm ipsos extollere, & honore prosequi, vt ex ipsis glorificetur Deus, qui dedit tantã potestatem hominibus? Parentes præcipimur honorare, sed in Domino, & quia iustum sit ac placitum coram Deo. Hortatur Petrus, vt subiiciamur omni humanæ creaturæ: sed interfatur propter Deum, siue regi, tanquam præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis: quia sic est voluntas Dei, & quia omnis potestas à Domino Deo est. Iubentur serui cũ timore & tremore obedire Dominis carnalibus in simplicitate cordis, sicut Christo, omníque honore dignos existimare, atque ita facere voluntatem Dei ex animo, & cum bona volũtate seruire, sicut Domino, & nõ hominibus. Quisquis ita se gerit erga creaturas, vna eadémque opera Latria vtitur, & hyperdulia, seu dulia. Latria est, quatenus propter Deum & eius voluntatem ac veritatem ex animo id fit, sicque adoratur Deus etiam in ipsis creaturis in spiritu & veritate. Hyperdulia est, si circa eximiam aliquam creaturam versamur: dulia verò, si circa quamlibet, cui hoc honoris & seruitij impenditur. Interea verè solus Deus adoratur, ipsique soli seruitur: quia omnis noster cultus aut circa Deum solum occupatur, aut circa ipsum in virtutibus sanctis ac ministris eius, tanquam circa authorem & finem omnium. Sic enim scriptura tribus modis interpretatur aliquid ad Deum solum pertinere, aut cùm duntaxat ipsi soli verè res competit, vt quod Deo soli sacrificandum ait: aut cùm ipsi soli per se inest, & ab ipso pendet, diffunditúrque in alia, vt quod scribitur, Solus bonus, solus Dominus, solus sanctus, solus habere immortalitatem, & lucem habitare inaccessibilem: aut cùm ipsi soli per se, & in summo conuenit, aliis verò non nisi inferiori modo, ac per & propter ipsum, vt quod dicitur, Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria. Tot modis soli ipsi seruiendum, solúsque adorandus à Christianis prædicatur, tum quia sunt, quæ ipsi soli possunt iustè attribui & offerri, tum quia alia ad ipsum spectant per se, & aliis per ipsum, tum quia omnia in summo sunt illi exhibenda, aliis verò non nisi ab ipso & propter ipsum, & minori mensura

Quid propriè latria importet, quid Hyperdulia, quid Dulia.

Apoc. 3.

Psal. 150.

1. Pet. 2.

Ad Colos. 3. Ephes. 6.

Quomodo Deus solus adoretur.

ac gradu. Videndum igitur, ne quis temerè abutatur particula Solius, tanquam passim in scriptura in adorationis vel cultus diuini materia sit exclusiua, quemadmodũ eadem abutebatur Iulianus Apostata, & Arriani, vt à consortio diuinitatis cum Patre Filium eliminarẽt. Ista fortassè fusiùs, sed quorum vsus fuerit in religione diiudicanda & moderanda necessarius.

Cyril. Alex. in Iulian. Athanas. in Arrian. Hilar. De Trinit.

DE ADORATIONE DEI IN CERTO LOCO.

CAP. 2.

Guido Carmeli. error. 8. Incidit in anno 1260.

Pugnantes hæreses de adorationis loco.

Vald. in Confess. quæ extat in fascicul. rerũ expetendar.

DE adorationis loco extiterunt pugnantes inter se hæreses, quas nostra ætas renouat. Nam Pseudoapostoli à Segarello Parmensi & Dulcino Nauarriensi orti, clamitabant consecratam Ecclesiam nõ plus valere ad orãdum, quàm stabulum porcorum, nec discernendas aras ab haris, nec melius adorari Christum in templis quàm in syluis. Hos Hussitæ æmulati, templum Dei latè patentis asserebant ipsum mundum esse: coartare verò diuinam maiestatem, qui Ecclesias, monasteria & oratoria construunt, tanquam propior Deus in eis inueniatur. Contrà Valdẽses, vt quàm longissimè adorationem ab Eucharistia remouerent, cõcludebant Deum cœlo, eóque adorationis locum circumscribebãt, quoniam scriberetur, Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: Non adorabis ea neque coles: & quoniam in Euãgelio moneretur, inuocare patrem qui est in cœlis, & cœlum cœli Domino destinaretur, vt terra filiis hominũ. Aduersus hos posteriores Arati dictũ valet ab Apostolo celebratum, Iouis omnia plena, nec procul agit ab vnoquoque nostrum. Ipsius enim genus sumus, & in ipso mouemur, viuimus, & sumus. Atque vt infinita scripturarum oracula omittam, Dauid præclarè cecinit, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te. Aristotelis est, ac veterum Philosophorum hæresis, contra diuinam prouidentiam, quam insectatur Iob, quasi Deus super solos cœli cardines obambularet. Sed quoniam cœlum & terram implet, Domínique est terra & plenitudo eius, rectè Dauid inquit, In omni loco dominationis eius benedic, anima mea, Domino. Christus verò adorationem Dei absolutam cum ipsius natura componẽs, futurã post Malachiam Prophetã prædicit in omni loco mundã fore in spiritu & veritate: quandoquidem Deus spiritus, veritas, & munditia perfecta, in omni loco resideret, nõ tantùm in templo Hierosolymitano, aut monte Garisin. Quamobrẽ quisquis alicui loco affigit Deum, & Dei adorationem iudaïsat: ob ídque Apostolus iubet viros Christianos orare in omni loco, leuantes puras manus. Non locus (inquit Basilius) sed affectus seu intentio requiritur. Deum medio in mari Moyses exorauit, Iob in sterquilinio, Ezechias in lectulo, ad misericordiam prouocauit: Hieremias in luto, Ionas in Ceto, Daniel in lacu placauit, pueri in camino promeruere, latro in cruce, Petrus atque Paulus in carcere. Igitur & tu, vbicunque fueris, ora. Iudæorum, Valdensium, atque aliorum, qui cœlo aut templo aliquo continent Deum, scriptura duabus de causis damnat hęresin: tum quia magnitudinem Dei in angustias redigant, tum quia ipsi, tanquam

Act. 17.

Psal. 102.

Adoratio iam non est alligãda vni loco singulari.

Basil. in Exhortat. ad baptis. & pœnit.

quã indigenti aliquo, vt sit vel eo petetur certum habitaculum definiant & extruant
» quasi sine loco consistere nequeat, vel bene agere. De priori Esaias sic loquitur: Quã *Esa. 66.*
» domum ędificabitis mihi? cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorũ.
» Posterius idololatris exprobrat Apostolus: Deus qui fecit mũdum, & omnia quę in
» eo sunt, hic cœli & terrę cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec
» manibus humanis colitur, tanquam indigens aliquo. Quamuis autem Dei essentia & natura omnem locum impleat, támque latè pateat eius prouidentia vt adsit, audiat & opituletur: non tamen eodem modo atque æquè intimè eius essentia, potestas & prouidentia omnibus rebus & locis se commiscet, ac præstò est: ideò nec vbique, nec ęqualiter par ipsi debetur adoratio & cultus. Longè differt asserere Deum vbique præsentem esse & colendum, atque ęqualiter rebus omnibus assistere. Certè Christo homini diuina essentia hærebat intimiùs & penitiùs quàm aliis creaturis, quoniam ipsum solum sustentat in persona filij, & in vnam cum illo personam conglutinat, vt homo existat in Deo, & per ipsum subsistat. Ita sanè, quo quęque creatura propiùs ad eam connexionem accedit, Deum magis contingit, arctiúsque sibi præsentem habet. Deinde sicut superiori capite disseruimus, non tantùm spectatur quid adoretur, sed quorsum, & quæ ratio adorandi. Atqui Deus non vbique diuinitatis suæ & dominij ac potestatis paria edit acta, dátque documenta, vel confert dona sua. Propterea vbicunque diuinæ præsentiæ, aut virtutis, vel potentiæ sensibus mortalium apparuit, testimonium aliquod singulare confestim homines diuino spiritu afflati, singularem adorationem ibi potiùs, quàm alibi obierunt, & decreuerunt. Ex quo Deus Abrahę præbuit se conspiciendum, ibi scribitur ædificasse altare Domino, qui apparuerat ei, & inuocauit nomen eius, vocauítq; Bethel, id est, domum Dei, redibátque eò ad adorationem, quoties licebat. Quin quoties dicitur visus ab eo Dominus, toties leges ibidem ipsum, aut litasse, aut altare statuisse, aut pronum in faciem corruisse, quod adorationis fuit symbolum. Eodem instinctu patris exemplum æmulabatur Isaac. Iacob verò cùm visionem in somnio sibi oblatam considerasset, in hęc verba prorupit: Verè Domi-

Non æqualiter in omni loco Deus est adorandus, & cur potius in aliquo loco.

Gen. 12. 13. 17.

Genes. 28. 35.

» nus est in loco isto, & ego nesciebam. Non est hîc aliud nisi domus Dei, & por-
» ta cœli: ipsíque postquàm ibi adorasset, nomen Bethel indidit, & à peregrinatione rediens, eò ad inuocandum Deum se recepit. Moyses, cùm Dei particulari aspectu vel colloquio fruebatur, sua sponte procumbebat. Petiuit idem non Angelum sibi ducem dari, sed Deum ipsum, qui quoties in columna nubis se ostendebat, tabernaculo fœderis insidens, toties populus, licet non iussus, per fores papilionum suorum versus tabernaculũ adorabat. Quin etiam Deus ipse locos sua peculiari pręsentia & gratia consecratos vetuit illotis pedibus, ac sine veneratione calcari.
» Moysi denuntiauit, cùm ad rubum ardentem festinaret, Ne appropies huc: solue cal-
» ceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Hoc idẽ Iosue
» repetiuit audenti fidentiùs cum Deo congredi & colloqui. Interminatus est populo diram necem, si propiùs montem contingeret, aut si sine sanctificatione ac præparatione oculos in mõtem attolleret, vbi editurus erat inconsuetũ pręsentię ac potẽtiæ spectaculum: cuius causa Moses montem instar templi posito altari sacrauit, ibíque statuit à populo adorationis sacrificium fieri. Deus insuper, quemadmodum in medio populi sui selegit locum, vt specialiter poneret ibi nomen suum, & habitaret, ita specialem ibi adorationem & cultum exegit, vicissímque ibi clementius quàm alibi cum populo egit, ibíque vota & sacrificia oblata gratiora habuit. Ac ne quidem toto in tabernaculo illo & templo pariter se præsentem monstrauit, sed quasi adyta & penetralia diuinitatis suę intimiùs in parte templi habitantis secreuit, san-

Exod. 33. 34.

Exod. 3.

Ios. 5.

Exo. 19. et 33.

Deuter. 12.

3. Reg. 8.

ctáque sanctorum reputati voluit, paucis sacratis, hominibus aperta, à quib' videri Deus, & sciri manifestius, ac coli religiosius, quam ab aliis voluit, pro me[illegible]a suę pręsentię. Sed nec eo, quasi suarum ędium conclaui, contentus fuit: ve[illegible]um insuper quasi quoddam diuinitatis suę scriniũ, arcam fabricati iussit, quę ips[illegible]m nesc[illegible]o quo pacto intimiùs caperet, & de qua familiariùs oracula emitteret, ac vota popu[illegible]li exciperet: Ob eámque interiorem, & quasi pręsentiorem pręsentiam, honoratiori & illustriori in sede templi ipsam recondi mandauit, adorationémque maiorem coram ipsa exhiberi: nec siuit impunè profanis manibus attrectari, aut in locis pollutis, aut non, quanta fieri potuit religione, à communibus distinctis reponi.

2.Reg.6. Qua de causa Ozam percussit, quia manum collabenti arcę admouisset: & Phi-
1.Reg.5. listęos affecit vlcere pessimo, quia arcam cum idolis collocassent. Nec Moses, nec Patriarchę, nec populus ignorarunt, Deum nullo loco capi, ipsíque adorationem passim deberi, & gratam esse. Hoc enim suis factis & verbis testati sunt. Sed nec ipse Deus docuit, nec senserunt, nec crediderunt sancti Dei homines, Deum essentia, vel potentia, vel gratia ęqualiter in omnibus rebus habitare, aut æqualiter vbique colendum esse: sed contrà adorandum aliter in Christo homine quàm in alio, quoniam in illo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter: vt aliter in cœlo quàm in cœno, quoniam illic diuinitatis lumen plenius & illustrius effunditur, & Angelis ac beatis pro loci decentia & conuenientia communicatur: aliter in templo quàm in stabulo, quoniam illud potius quàm istud Deus profitetur à se segregari, in quo singulari pręsentia & gratia commoretur, singulariáque dispenset beneficia, quibus hominibus opem ferat, eadémque ratione aliter in ara quàm in hara. Insuper sicut Deus sanctus, mundus ac purus est, ita in sanctitate, atque omni mundiria, & in locis ab omni sorde repurgatis, gaudet adorari. Idcircò habitaculum eius decet sanctitudo, excanduítque ipse ac Christus eius, cùm verteretur in speluncam latronum, vel negotiationis atque aliarum sordium domum. Quin etiam ferè atrociorem vltionem cepit de omnibus, qui violassent illam, vel fœdassent: ita vt Apostolus tanquam commune prouerbium extulerit.

1.ad Cor.6. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Dominus. Nequaquã verò omnẽ locum, domum suam, in qua specialiter habitet, vocat: nequaquam eam munditiem, religionem ac sanctitatem in omni loco requirit, quã deposcit in suo tẽplo: nequaquam pollicitus est eam donorum suorũ supellectilem se expositurum in omni loco, quam suo templo reseruauit. Quamobrẽ singulariter etiam à Christo Deus prędicatur habitare in manufactis templis, nontantùm cùm ea vocat domum Pa-

Scriptura affirmat Deum habitare in templo. tris, sed cùm asserit, Quicunque iurauerit in tẽplo iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Propè quidẽ est Dominus omnibus inuocãtibus eũ in veritate: atque vbicunq; fiat, valet oratio & adoratio, maximè si qua nos vrget, aut digniorẽ apparatum im-

Matth.23.

Etsi sit vbique adorandus, adorationis tamen quædam opera certis locis deputantur. pedit necessitas: nihilominus quædam sunt adorationis acta, quæ deputantur à Deo locis, quos sua peculiari assistẽtia sanctificauerit, vel sibi dicatos vendicarit: cuiusmodi est sacrificium publicum & externum, quod non nisi talibus in locis oblatum Deo solet esse gratum, nec vnquam aliter offerri fuit præceptum: ídque omnium gentium animis ratio impressit, sicut ex Esaia citat Christus. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, cùm de sacrificiorum genere & sinceritate a-

Esa.56. geret. Sic enim iuxta Septuaginta habet textus: Holocausta & victimæ eorum

Templũ locus & domus est sacrificij. placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Verum quidem est orationi domum Dei deputari, & propensiorẽ ipsum in preces & supplicationes populi sui ibi reperiri: vt oratione sua petiuisse, & exorasse videtur Salomon, maximè quod oratio publica, & quæ à multis funditur,

tur, quasi vim facit ipsi, saltem vehementiorem cæteris paribus, quàm priuata: quia suorum Deus delectatur conspiratione, & quadam coniuratione, qua regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Attamen nec priuatis, nec publicis precibus ita propriè & specialiter destinatur templum, aut locus à Deo selectus, sicut sacrificio, quod vnicum ex se Latriæ & adorationis diuinæ opus est externum. Quemadmodum autem decet, ac par est, vt homines in domum Dei inferant sacrificium, quod ipsi debent, in gratitudinem rerum acceptarum: ita vicissim æquum fuerit, ex eadem domo, quasi è quodam patrisfamiliâs penuario, depromi dona & munera, quæ hominibus partitur Deus, & applicat, ac seipsum populo suo præsentissimum declarat. Talia sunt potissimùm sacramenta, quæ quasi pixides & armariola gratiæ diuinæ in nos defluentis censentur. Quoniam igitur & sacras res continent, & per ea Deus actiones diuinas in nobis operatur, per eáque Latria, vt Deus illarum rerum solus author & Dominus ac saluator colitur, ritè pro ipsis templum, & Domus Dei, quasi diuina officina designatur, in qua Deus specialiter adest cunctis necessitatibus nostris. Itaque non ritè illa in omni loco conficiuntur, seruantur, vel suscipiuntur, vel in illis Deus vulgariter ac sine delectu adoratur, quoniam, inquam, singulari modo in ipsis residet. Quapropter Apostolus, sicut communes epulas vetat in Ecclesia agitari, ita iubet Cœnam Domini ibi, & non intra priuatos parietes vel profanos celebrari, ne fiat indignè. De his ita Basilius: Videamus „(ait) primùm de eo, quando quid loco non suo geritur. Ex his quæ ad Dei „cultum olim tradita sunt, alia sic Hierosolymis erant deputata, vt in aliis extra „Hierusalem locis facere nemo auderet: nec quæ alibi fiebant, etiam in templo „fieri protinus permittebantur. Nobis quoque periculum est, mandati malè obiti „loci rationem negligentibus, præsertim si sacerdotij mysterium in locis profanis „celebrauerimus, quòd ea res & celebrantis contemptum indicaret, & multos, qua „sunt in rebus diuinis inscitia, multiformiter offenderet. Quòd si quis obiiciat Apo„stolum, vbiuis orandi, Dominū etiam adorandi potestatem fecisse, dicendum est „vocula in omni loco, locos humanis vsibus, rebúsque profanis destinatos non cō„prehendi, sed Dei adorationem ab arcto Hierosolymæ ambitu in omnem terrarū „orbem diduci atque dilatari. Si nos ad vnum Deo placendi scopum alij aliis co„operantes, & tanta inter nos in Christo dilectionis communione coniuncti, non „permittimur suum cuique diuinitùs acceptum locum & ordinem transcendere, sed „iuxta donum proprium Deo & proximo ministrare: quomodo non multo magis „locos, rebus à diuino cultu alienis definitos & seruientes, à sacris secernere debe„mus? Ex talibus ergo tum scripturis, tum exemplis, erudiri nos oportet, quicquid „loco non suo fit, in contrarium scopo proposito finem cedere. Ne verò putetur à semetipso diffidere Basilius, qui antea probabat in omni loco ritè orari, sciendum hîc loqui de publico cultu & ministerio, illic verò de priuato. Porrò cùm Deus particulariter habitet in locis multis, multò magis habitat in plerisque hominibus. Nam Deum ipsum, ac Spiritum eius, habitare in nobis affirmat Apostolus. Ab eodem membra nostra dicuntur templa Spiritus sancti, qui in nobis est. Quid ergo? Deúmne in hominibus licet singulariter adorare? Quidni, sicut laudare Dominum in sanctis eius. Gedeon & Manne, Deo in Angelis repræsentato & habitante, sacrificauerunt, & Nabuchodonosor in Daniele: Deúmque in homine adorari fatetur Apostolus, cùm scribit: Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadēs

Sacramenta cur de templo sumi debeant.

Basil. serm. 2. De bapt. cap. 8. & in fin. reg. breuior.

Deus peculiariter habitat in quibusdam hominibus.

in faciem, adorat Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit. Quoties quidem Angeli, aut viri sancti animaduerterunt adorationem sibi tanquam Deo deferri, exhorruerunt, nec passi sunt: At quoties viderunt ad Deum ipsum habitantem intra ipsos, & authorem gratiarum ad orationem referri, renuerunt coram se exhiberi, ac ne quidem sacrificari sustinuerunt: quod tamen si quando permiserunt, exprimitur notanter non ipsis, sed Deo fieri. Sic Angelus monet Gedeonem, & alterum: sic Nabuchodonosor, cùm Danieli iubet sacrificium offerri, assignat Deo reuelanti mysteria in ipso: sic adorari Prophetas scribit Apostolus, quia Deus verè sit in ipsis. Non igitur adorabâtur propter se Angeli illi & homines, sed propter Deum in ipsis singulariter manentem, nec adorabantur in ipsis etiam dona Dei. Id enim esset creaturæ seruire: sed in Deum ipsum singulariter præsentem ferebatur adoratio. Ergo (inquies) fas erit pios homines passim adorare, imò & ipsis sacrificare, quoniā Deus in ipsis sedem fixit. Si constaret absque dubio de Deo habitante, non dubitaretur

Cur in homine non facilè adoretur Deus

de adoratione: sed quoniam in multis sunt dona Dei, & plerique habentes speciem pietatis, virtutem eius abnegant, éstque omnis homo mendax, ne temerè nec facilè ad Deum adorandum in hominibus prouoluamur, nec sacrificium præbeamus, ne idololatriæ ansam & occasionem incautis & incogitãtibus de Deo demus, qui fortassè in creaturis quiescerent. Postremò, cùm tot habitationis diuinæ in rebus variis

In Christo adoratur Deus maximè.

modi comperientur, supremus ac perfectissimus extitit in Christo homine, in quo diuinitatis plenitudo insedit corporaliter, nec in cœlo, nec in quacunque creatura, aut loco, sic Deus habitat, vt in illo, quantò differentiùs præ illis nomē hæreditauit. Ideò amplius & abundantius in ipso adorari debet Deus, quàm vspiam. Dico enim vobis (ait scriptura) quia templo quocunque maior est hic. Cùm verò Christi Dei & hominis in terris habitatio sit ipsa Eucharistia, sequitur in ea Deum adorandum

In Eucharistia potissimum Deus adorandus.

magis, ac certius & dignius quàm in cœlo, si ab eo Christū semoueris, aut templo, aut alio quocunque loco, nostrásque Ecclesias propter Eucharistiam sacratiores & venerabiliores esse ipso cœlo: propterque ipsam maior atque excellentior est gloria domus secundæ, & templi Christiani præ Iudaïco: neque est alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis in omnibus obsecrationibus nostris. Nec ita loquimur, quasi Deus & Christus Eucharistia, vt in loco, habitet: sed quia Eucharistia sit in loco aliquo, & ipsa sit præsētiæ diuinæ & corporis Christi certa capacitas, quamuis supernaturalis. A qua nihilominus Aduersarij, vt quàm longissimè adorationem repellant, alij humanitatem Christi ab ea diuellunt: alij etiam diuinitatis singularem præsentiam, alij ab humanitate Christi, vbicunque fuerit, subtrahunt adorationem, vbicunque fuerit: alij quoque ab ipsa diuinitate quantumuis præsenti, ne vllo pacto in Eucharistiam redundet: ita vt potius Deum & Christum suo cultu fraudari malint, atque etiam potius de mundo tolli & proscribi, quàm propter ipsos Eucharistiam venerari.

AN CARO CHRISTI SEV HVMANITAS SIT ADORANDA. CAP. 3.

ADVERSARII itaque, dum nos multiplici idololatria circa Eucharistiam teneri contendunt, multiplici impietate se inuoluunt. Clamant nos non tantùm artolatras, seu panis adoratores videri, sed sarcolatras & anthropolatras, id est, carnis aut hominis, atque ita creaturæ cultores potiùs, quàm creatoris inueniri. Ac ne excipiamus nos non nudam carnem Christi, aut purum hominem venerari, sed filium Dei incarnatum & hominem factum, audent iterum Christum in

ſua Cœna crucifigere,& Apollinariſtarum ac Neſtorianorum hæreſes aſſerere.Pręter id enim, quod Lutherus Cinglium ſibi falſum tradit, diuinitatem Chriſti non poſſe pati,multò apertiùs idem Neſtoriſat, cùm ab Euchariſtia adorationem ſublatam vult. Cùm Deus ſolus (inquit)adorandus ſit,& cteatura prorſus nulla,ita vt etiã Theologiſtæ negent puram Chriſti humanitatem citra diſcrimen idololatriæ adorari poſſe, quomodo non eſt ſumma impietas panem adorauiſſe? Quid verò eſt, quòd dicant ſe panem non adorare, ſed corpus Chriſti? An iam non creaturã adorant? Vbi ergo ſunt illorum decreta,quibus, vt diximus, humanitatem vetant adorari? Sed iterum dicant: Nos adoramus, atque etiam edimus ſpiritale Chriſti corpus. Et quid eſt ſpiritale Chriſti corpus? An vſpiam in ſcripturis repertum eſt aliud ſpiritale Chriſti corpus,quam aut Eccleſia,aut fides noſtra? Cur eiuſmodi vocibus, quas nullus capit intellectus, pias mentes euertamus? Spiritale corpus ſic ab homine capitur, vt ſi dicas corporea mens,aut carnea ratio. Quid adhuc voces inconciliabiles copulamus? Hîc Cinglium vides Chriſti corpus à diuinitate ſeiungere, nec aliud quàm puram creaturam cum Neſtorio agnoſcere. Alij quidem videntur anguſtiùs de carne Chriſti in cœlo poſita credere: ſed ne cogantur eam conceſſam in Euchariſtia adorare, ſpoliant diuinitate, anima humana, omníque alia Dei & hominis concomitantia,quam ſubſannant:atque ita,tanquam cadauer,non ſolùm ab anima,ſed à diuinitate derelictum in ſacramento collocãt,iactántque corpus Chriſti non eſſe Chriſtum,vt pari cum illo adoratione honoretur. Hoc verò quid eſt aliud,quàm Neſtorium & Apollinarium, carnem Chriſti anima vacuam ſtatuẽtem, ab inferis excitare,& non ſolùm iterum mortuum Chriſtum affirmare,ſed necare. De his Caluinus ſic loquitur: Hæc cognitio Chriſti, carnem à ſua virtute non ſeparari,nos facilè à carnali etiam adoratione abſtrahet, quam peruerſa temeritate quidam in ſacramento erexerunt,quod ſecum ſubducerent.Si corpus eſt,& anima igitur,& diuinitas ſunt vnà cum corpore,quæ iam diuelli nõ poſſunt. Igitur illic adorãdus Chriſtus.Primũ ſi ſua illa,quã obtendunt,concomitãtia, ipſis negetur, quid facient?Nam vt maximè abſurditatẽ vrgeant, ſi corpus ab anima & diuinitate ſeparetur, quis tamẽ ſanus & ſobrius Chriſti corpus,Chriſtũ eſſe ſibi perſuadeat? Videntur quidem ſibi ſuis ſyllogiſmis id conficere. Verùm cùm de corpore & ſanguine ſuo diſtincto loquatur Chriſtus,modum autem præſentiæ non deſcribat,quomodo ex re ambigua certò conficient quod volunt? At nos vt adorationem dignam Chriſto elucidemus,contra iſta progrediamur quodam ordine. Imprimis ex priore capite repetendum eſt, aliquid adorari dupliciter, aut tanquam res exiſtens, & ſubiectum quod recipit adorationem,aut tanquam cauſa, propter quam tribuitur adoratio.Propriè honor confertur rei exiſtenti,in quam tẽdit qui honorat,& à qua finitur & terminatur honor. Cauſa honoris,eſt adhærens,aut adiectitia, aut extranea.In ſacroſancta Trinitate tres ſunt perſonæ exiſtentes,quæ adorantur,Pater, Filius,& Spiritus ſanctus, & vnica cauſa inſita,propter quam adorantur,quæ eſt diuina natura. Contrà in Chriſto vnica perſona cõſiſtit, ſed variæ ac diuerſæ cauſæ adorationis inſunt,natura diuina,ſapientia,& potentia increata:poſtea natura humana, cum ſapientia, & potentia creata, atque indè emanentes proprietates & actiones. Perſonæ exiſtenti in Chriſto debetur latria propter naturam, & ſuppoſitum diuinum, atque vtriuſque proprietates: ſed propter naturam humanam, eiúſque proprietates & operationes,Dulia cõuenit,ſeu hyperdulia.Cõtrà fit in creaturis. Nam quatenus honoratur res exiſtens creata, Dulia eſt: quatenus verò refertur honor in Deum,& propter ipſum impenditur, quædam Latria eſt.Nec mirum in Chriſto reperiri Latriam & Duliam, cùm etiam in ſacra Trinitate vtraque quodammodò

Luther. lib. De conciliis.

Aduerſarij Neſtoriſant.

Cingl. in Confeſſ. ad Car. 5. & de vera ac falſ. relig.

Aduerſarij negant in Euchariſtia naturarũ concomitantiã.

Calu. lib. 4. ca. 17. num. 33.

Duplex ratio adorandi aliquid.

locum habeat: latria quidem per se, & insuper ratione vniuersalis Dominij, & actionum diuinarum erga creaturas, quatenus oriuntur à personis existentibus, & natura diuina. Dulia verò ratione eiusdem Dominij & actionum, quatenus quendam temporarium ortum capiunt, atque etiam finem capere possunt. Ad ista conuenienter primùm scriptura docet, totáque Ecclesia indubitanter credidit Christo, vt existenti, eandem adorationem exhiberi, quæ Patri & Spiritu sancto: quia res in illo existens est persona filij Dei, quæ cum aliis de sancta Trinitate parem & eandem meretur adorationem. Propterea Patres negant ipsum esse hominem Theophorum, seu Deiferum, sed asseuerant Deum hominiferum: nec in Christo Deum habitare, vt in perfectissimis aliis hominibus, vel creaturis, sed ipsum mer Deum existere: quod probant ex scriptura, ex eius actionibus, atque ex inuocatione & honore, quem Deus iussit ipsi deferri, & quem ipse sibi oblatum admisit, quémque ipsi vltrò præstiterunt Angeli, atque homines pleni spiritu sancto, alioqui non facturi: atque insectantur hæreticos, qui ipsum pro creatura ducerent, & nihilominus adorarent. De differentia igitur inter ipsum, & alias diuinas creaturas, ex scripturis ista Origenes: Si Celsus (inquit) teneret illud Christi, Ego & Pater vnum sumus: & illud eiusdem Patrem orãtis, Sicut ego & tu vnum sumus: non putaret nos alium præter vniuersorum dominum colere. Nam & dicit, Ego in Patre, & Pater in me est. Vnum enim Deum Patrem & Filium colimus: de cæteris nulla apud nos ratio: nec recens ortum, quasi prius non fuerit, honoramus. Credimus enim dicenti, Antequàm Abraham esset, ego sum. Nec nostrum quisquam adeò ineptit, vt opinetur veritatis essentiam, substantiámve ante aduentus Christi tempora non fuisse. Religiosè ergo colimus Patrem veritatis, & veritatem filium. Sic duos, vt quicunque viderit filium, cùm is sit splendor gloriæ Dei, & figura substantiæ eius, in ipso Deum, vt in imagine Dei, viderit. Eat nũc Celsus, & ex eo quod vnà cum Deo filium eius colimus, colligat nos, non solùm Deum, sed eius quoque ministros adorare. Nos vnum Deum, & vnum eius filium verbum, imaginem votis & precibus, quantum possumus, honoramus, offerentes ea Deo vniuersorum Domino per suum vnigenitũ eidẽ primùm oblata supplices, vt qui est propitiator pro peccatis nostris, dignetur, tanquam Pontifex, nostras preces & sacrificia offerre Deo opt. maximo. In Deo itaque nostra fides consistit, per confirmantẽ eam in nobis eius filium, propter quem non est quòd Celsus nobis seditiones obiiciat. Veneramur enim Patrem, eò quòd admiramur eius filium Verbum, sapientiam, veritatem, iustitiam, & quicquid didicimus esse Dei filium è tali patre progenitum. Ex Anathanasio quoque verba sunt: Si qui cauillantur Deum habitantis more in carne fuisse, repudientur, Deum licet in nobis habitare, quod dicunt, recipiatur. Id enim scriptura restatur: Habitabo in illis, & obambulabo. Alioqui nihil inter nos & Christum discriminis esset. Quem si hominem adoras, eò quòd ibi inhabiret Dei verbum, vna quoque opera sanctos adoras, ob Deum in eis domicilium habentem. Sed respondebitis, Nos rem creatitiam non adoramus. Ostulti, cur non cogitatis creatum Domini corpus non auferre adorationem eius, qui increatus est? Et quia increati corpus factum est, ac ei proinde sacra offertis, vestram adhibetis adorationem, eáque de causa legitimè adoratur, & diuina colitur adoratione. Deus enim verbum est, cuius proprium est corpus. Quòd si contentiosiùs agant hæretici, alium esse Patris dominatum, alium filij, mirum cur sustineãt duobus inseruire, cùm vox Domini sit, id neminem posse. Si alius est Patris, alius Filij, & potestatem diuidis, quomodo regnum coles?

Christo incarnato latria debetur.

Rationes Patrum de latria Christo deferenda.

Origen. lib. 8. in Celsum.

Athanas. De incarn. verbi, de incarnat. Christi, De communi essentia Patris & Filij.

possunt simul coli duæ, nisi ordinis eiusdem potestates. Nemo adorat regem, & eius præfectum. Vbi enim par dignitas, ibi par adoratio. Non permisit tibi Christus honorem diuidere: Hæc, inquiens, est voluntas Patris, vt omnes honorent filium, quomodo & Patrem. Honora Patrem, vt honores filium: vel potius Honora filium, vt patrem honores, & contumeliam in filium Deus suam putet. Qui enim odit me, odit & Patrem, dicit Dominus, Non recipit pater honorem erga se, cùm filius eius contumelia afficitur. Epiphanij in eandem sententiam textus habet: Si filius solùm vocatur, vt reliqui filij, ergò nec ab aliis differt. Et quomodo sicut Deus adoratur? Oportebat igitur etiam alios omnes, de quibus nomẽ adoptionis dicitur, velut eum adorari, quoniam Dei etiam filij appellantur. At veritas non sic habet, sed nouit semper vnũ Dei vnigenitum filiũ, cui omnia diuinũ cultũ præstant. quẽ adorant, cui omne genu flectitur. Et si nõ est verus Deus, nec adorandus est. Et si creatus est, nõ est De⁹. Et si nõ est adorãdus, quomodo igitur De⁹ prædicatur. Et quomodo creauit Deus Deũ in adorationẽ proponens, quomodo creauit sibi filiũ, & adorari præcepit, cùm toties dicat, Creaturã ne adores. Stultũ enim est, stultũ, inquã, creaturã deificare, hoc est, primum Dei præceptum reprobare: Deum tuum adorabis, eique soli cultum præstabis, soli seruies. Sancta ergo Dei Ecclesia non creaturam adorat, sed filium genitum, Patrem in filio, filium in Patre cum Spiritu. Et horrendus ac terribilis Angelis filius Patris citra ambiguitatem, ab his qui vitam cupiunt, creditur & adoratur. Et si nondum regnat, quomodo semper reperitur adorari ab Angelis & Archangelis, & ante aduentum in carne, & in aduentu in carne, vt de ipso scriptura dicit? Cùm induceret in orbem terrarum primogenitũ, adorent ipsum omnes Angeli eius. Ex eo porrò, quòd Christus se permiserit adorari, & vltrò ipsum Angeli ac sancti adorarint, Deum esse in sua existentia ostendunt Athanasius, Ambrosius & Cyrillus, in eáque venerandum Latria. Primus ita loquitur: Adoratur ab Angelis, non tantùm vt gloria maior, sed vt alius, discretus, seiunctúsque à conditione creaturarum omnium, patri tanmmodò æqualis secundum rationem substantiæ. Si idẽ ideò, quia gloria sublimior adoraretur, par erat, vt omnia inferiora superioribus se adorando inclinarent: sed id ita non est. Creatura siquidem creaturã non adorat. Vnde Petrus Corneliũ, Angelus Ioannẽ, se adorare volentes inhibuerunt. Deum (dixit hic) adora: & ille, homo sum, solius hoc est numinis. Quod ab Angelis nõ ignoratur, qui cæteros licet gloria transcendant, creaturas tamen se, nec in adorandorum, sed in adorantiũ classe agnoscunt & cõputant. Conseruus (aiebat ille) tuus ego sum: & alius: Non mihi offer sed Deo. Ab omnibus contrà tũ Angelis, tũ gentibus, Dominus adoratur. Tibi (ait Propheta) serui erunt, supplicabunt, adorabunt. Non est Deus præter te. Et discipulos se adorare permittit, instruens eos, quisnam sit. Magister (inquit) sum, & Dominus. Thomam eum vocantem Dominum, Deúmque suum, non impedit. Nunc autem quia creatura non est, sed propriumex Dei adorandi substantia germen, & naturalis filius, ideò adoratur, & Deus creditur, & Dominus, & author, & omnipotens, eadem qua eius pater ratione. Catholici denique Christum verè filium Dei esse ex adoratione declarãt, duriúsque increpant eos, qui opinarentur illum esse creaturã, & tamen adorarẽt, quasi adoratio diuina creaturæ cõpeteret. Hieronymus sic habet: Omnes nostri temporis hæretici, qui Dei filium prædicant creaturã, & tamen adorant eum relicto diuinitatis templo, & post tergum habito, sua ipsi cõfessione creaturã se adorare dicunt. Nos autẽ sic adoramus solẽ iustitiæ, vt Deum adoremus. Itaque res existens iuxta Patres adoranda in Christo, est persona filij Dei. Atque id quidem gratis concesserint Aduersarij: sed controuersia est, an Christus, quatenus homo, seu quatenus visus fuit, & cum hominibus conuersatus, sit pro Deo

Marginal notes: Epiph. hæres. 69. — Athanas. Orat. 3. in Arria. — Cyrill. lib. 5. in Ioann. cap. 1. — Ambr. s. in ca. 9. ad Rom. — Act. 10. — Apocal. 22. — Iudic. — Esa. 45. — Ioã 13. & 20. — Hieron in prophet. — Epiphan. hæres. 76. — Athanas. Orat. 5. in Arrian.

An Christus quatenus homo sit, latria adorandus.

Quare Christus homo sit latria adorandus.

Ad Ephes. 2.

colendus, seu Latria afficiendus. Sanæ doctrinæ aduersantur hac in parte quatuor opiniones. Fuerunt qui iudicarẽt Christum hominem esse, & dici creaturam, nec nos ipsum Latria prosequi posse, quin diceremur adorare creaturam. Fuerunt Nestoriani, qui duas personas Dei & hominis in Christo constituerent, quarum diuina per se adoraretur, humana verò coadoraretur, tanquam assumpta propter assumentẽ. Fuerunt qui sicut duas naturas in vna Christi persona distinguere oportet, ita putarent duas adorationes Christo competere, easque separandas esse. Fuerunt alij, qui ex vna adoratione opinabantur rectè concludi vnam naturam. Fuerunt denique qui sicut naturæ in Christo consideratione diuiduntur, ita sibi persuaderent reipsa diuidi posse naturas, & à se inuicem distrahi, vt non vna vtrique accommodari semper deberet adoratio. Hos omnes damnauit prima Ecclesia, sed Nestorium maximè & posteriores in Alexandrina atque in Ephesina, & in quinta generali Constantinopolitana synodis, quæ semper creditum testantur vnica adoratione totum Christum afficiendum, quoniam adoratio in existentem rem & suppositum vergeret, & ex eo foret metienda. Ne quidem Patres detrectant Christum ipsum, humanitatem, carnem eius, animam & sanguinem creaturas nominare. Sic enim Hieronymus in dictum Pauli, ipsius factura sumus, ait: Multi timore, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant. Nos liberè proclamamus, non esse periculum eum dicere verum esse Deum & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota spei nostræ fiducia profitemur. Ecquid hîc trepidaremus, aut non clamaremus, qua talem, hoc est, qua hominem, esse creaturam, cùm Paulus apertè scribat hunc Dei filium factum esse ex semine Dauid secundum carnem, factum ex muliere, factum sub lege: Nihilominus latriam atque vnicam adorationem Deo & homini, ac distinctis naturis in Christo conuenire ex scripturis iidem patres definierunt. Cur ita? Quia nec Christum, nec partes humanæ naturæ, quæ in ipso sunt, in puris creaturis habuerunt, propter vnionem cum filio Dei, & naturæ diuinæ cum humana inseparabili copula, & eatenus negant alia adoratione quàm filiũ Dei omandum. Innituntur autem vnico illi fundamento, quòd oratio diiudicanda sit, ac mensuranda ex supposito & persona, quę adorationem excipit: nec priùs quiescitur, quàm adoratio ab ea terminetur. Itaque cùm vnica inueniatur in Christo existentia & persona filij Dei, decernunt Patres, nec Christum hominem esse creaturã, quia non habet existentiam creatam, nec officere corpus & creaturam assumptam adorationi personæ filij Dei assumentis, nec ferendum iudicium de carnis humanæ in Christo, & honoris modulo, ex proprietatibus naturæ illius, cùm homo tot⁹, partésque humanæ naturæ subsistant in longè sublimiori, quàm in proprio supposito, népè in filij Dei persona, cuius causa longè altiorem perfectionem & honorem acquirant, quam si in propria sua persona consisterent: quemadmodum purpura regi imposita ampliorem meretur & suscipit venerationem, quàm faceret, si iaceret deposita: cùm insuper naturam humanam ex illa diuina existentia, diuinitatis natura complectatur arctissimè, per eámque totam diffundatur & inhabitet, ipsáque pro organo vtatur: vt intelligatur, quanta sit humanæ naturę in Christo perfectio & veneratio, non manendum intra conditionem proprij subiecti, & naturæ humanæ nudæ ac puræ, sed videndum ipsam in fastigium diuinæ existẽtiæ & societatis cum natura diuina eleuari, vt sit, & dicatur humana natura filij Dei: quemadmodum aliter iudicatur de ferro intra limites naturæ suę, & aliter de ferro ignito, quod nouas vires consequitur. Patres ergo quadruplici de causa Christum hominem, & omnia quæ in ipso sunt, vnica adoratione latriæ pronuntiant veneranda: tum quia vnicum in Christo suppositum filij Dei manet saluum, cui latria debetur, quæ propter res assum-

ſumptas nullo modo imminui poteſt, vel vitiari: tum quia illius ſuppoſiti exiſtentia communicatur omnibus, quæ fit, & quæ intra ſe ſuſcipit. Fit homo, fit caro, fit anima humana: ideò etiam meritò ipſi in his redditur eadem latria, quoniam iſta nihil aliud exiſtunt, quàm filius Dei animatus & incarnatus: tum quia viciſſim iſta ſuum exiſtere creatum perdunt, cuius cauſa intra puras creaturas continebantur, & in proprij locum diuinum exiſtere conſequuntur, vt caro filij Dei verè nominetur: tum quia maximam cum diuinitate ineunt ſocietatem. Propter priores cauſas Chriſto homini, animæ & carni eius, vnica cum filio Dei diſpenſatur latria, propter vnicum filij Dei ſuppoſitum latriæ fundamentum, quod omnibus aſſumptis fit commune. Propter vltimam verò allatam cauſam, ſi non latria, ſaltem hyperdulia poſtulatur: quoniam quamuis natura humana in diuina exiſtentia & perſona hæreat, non tranſit tamen in eſſe diuinum, & naturam diuinam, vt Deus dicatur & colatur, ſed accipit intimam, & maximam diuinitatis participationem: interea tamen propter alias cauſas ſemper meretur latriam, & nõ aliam adorationem. Ab illo verò diuino ſuppoſito nũquam excidit, vel ſeparatur caro Chriſti, quia non habet aliud exiſtere, quo ſe ſuſtentet in rerum natura: ideò nec latria poteſt priuari. Iam audiamus ipſorum Patrum contra illas hæreſes ex ſcripturis teſtimonia. Obiicientibus Chriſtianos in Chriſto adorare creaturam, primò reſpondent Patres, nos adorare Deum in creatura, ſeu Deum creaturam factum, atque ita vtriuſque vnam euadere adorationem. De quo Athanaſius iſta: Nos creaturam adoramus? Abſit. In Ethnicos & Arrianos id delirium competit: ſed Dominum rerum creatarum, incarnatum Dei verbum adoramus. Nam etſi caro per ſe pars ſit rerum creatarum, Dei tamen corpus effecta eſt: quod ſeorſum diſcriminarum à verbo adoratione non proſequimur, nec verbum adoraturi, id à carne ſeponimus, ſed illud in carne ſitum Deum agnoſcimus. Quis ergo tam væcors, vt ei ita loquatur? Abſiſte à corpore, vt te adorem, tam impius, vt cum Iudæis propter corpus ei dicat: Cur tu, cùm homo ſis, Deum te facis? Atqui non iſtiuſmodi leproſus erat. Adorabat enim Dominum in corpore, deúmque eſſe præſentiebat: nec ob carnem arbitratus creaturam eſſe Dei verbum, neque quia verbum erat opifex rerum, carnem, qua id indutum erat, pro nihilo habens, ſed vt in re creata creatorem ſubſiſtentem adorabat, ideóque mundatus eſt. Cùm ſol obtenebratus eſt, ſciſſæ petræ, terra tremuit, velum ruptum, reſuſcitata corpora, rerum natura rem creatam nõ adorabat, nec ob eius carnem eum recuſauit adorationibus proſequi, ſed ideò adorauit, quia vidit ſuum opificem architectúmque in carne cõſiſtere. Et in nomine Ieſu omne genu flectebatur, & in poſterum flectetur, & omnis lingua cõfitebitur eum eſſe in gloria Patris. Non enim caro ignominiam attulit verbo Dei: Abſit: ſed potius caro per verbum Dei glorificata eſt. Quapropter dilecte, qui Dominum diligunt, ſic admone, vt agnoſcant nos, qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, ſed creatorem creato corpore indutum: Alibi Athanaſius breui periodo quæſtioni ſatisfacit. Reſpondebitis (inquit) Nos rem creatitiam non adoramus. O ſtulti, cur non cogitatis creatum Domini corpus? Non auferre adorationem eius vultis, qui increatus eſt? Et quia increati corpus factum eſt, ideò eius corpus dicitur, cuius factum eſt: ac ei proinde ſacra offertis, veſtram adhibentes adorationem: eáque de cauſa legitimè adoratur, & diuina colitur adoratione. Deus enim verbum eſt, cuius proprium eſt corpus. Ideò cùm acceſſiſſent ad eum mulieres, pedes eius tenuerunt, & Deum adorauerunt. Eodem ſpectant Hieronymi verba hæc: Nos hominem ſeorſum nec colimus, quod nefas eſt, nec adoramus, ſed Deum magis incarnatum, qui proprium

Athanaſ. in Arrian. orat. 3.

Athanaſ. de incarnat. Chriſti.

sibi corpus animatum vniuit, ita vt Deus verbum caro fieret, & nō in alium quemlibet, sed in semetipsum caderet vnitas, qui vnus & verus Dei filius semper erat. Idcircò non alium quàm eundem, ipsúmque Dei filium & colimus, & adoramus.

Epiph. in Ancorato. Spectat eodem & Epiphanius. Contentiosus (inquit) aliquis, & ambitiosus dicet, Quid corpus ex Maria? nimirùm assumptum. Maria verò quid? Creata, an increata? Creatam etiam dicimus, genitam ex viro & muliere. Corpus igitur ex Maria quid? Adoras Saluatorem incorporatum, an non adoras? Quomodo verò non adorabo? Si enim non adorauero, non habeo vitam. Creaturam igitur adoras, corpus vtique. Næ ingens eorum væsania, qui talia dicunt. Et rex enim purpuram indutus, ab omnibus adoratur. Num ergo purpura, an rex adoratur? Clarum est, quòd rex: coadoratur autē cum eo etiā purpura, quam gestat, quam vbi exuit, & in locum reposuit, non amplius ea vestis adoratur. Sedet item in templo sæpè rex in proprio throno, & in eo regem adorantes adorant: vbi verò surrexit, nemo neque templum, neque thronum adorat. Nemo autem adeò insanit, vt regem in alterutro adorare volens, ei dicat, Egredere de templo tuo, vt te adorem. Sic sanè nemo dixerit vnigenito, Dimitte corpus vt te adorem: sed adorat cum corpore vnigenitum, increatum cum sancto, quod veniens accepit, templo. Nemo item dicit, Surge ex throno tuo, vt te adorē citra thronum: sed adorat regem cum throno. Itaque & Christus adoratur cum corpore sepulto, quod resurrexit. Crucifixus ergo est Dominus, & adoramus crucifixum, sepultum, suscitatū, assumptum ad cœlum. O altitudo diuitiarum & sapientiæ Dei! Vides, lector, Patres adorationem in Christo assignare personæ filij Dei existenti in creatura, quę vicissim in ipso adoratur, & coadoratur cum ipso. Sed quoniam non satis expressè videntur adorationem tribuere humanitati, & corpori Christi, quam potius student reseruare supposito filij Dei, audies statim illos propter idem existere, & idem suppositum in Christo diuinitatis & humanitatis tam fidenter humanitati adorationem vendicare, quàm diuinitati, & affirmare hominem cœlestem, vt Deum terrenum, adorandum, propter vnionē vtriusque naturæ in eadē persona, filio Dei propria quidem, sed homini mirabiliter cōmunicata. Vt autem probent humanitatem & carnem vna & eadem adoratione prosequendā, qua filius Dei, has ferè scripturas asciscunt. Dignus est agnus, qui occi-

Apoc. 5. sus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorē, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturā, quæ sub cœlo est, & super terrā,

Humanitas et caro Christi vna adoratione colenda cum filio Dei. & sub terra, & in mari, & quæ in iis sunt, omnes audiui dicentes. Sedenti in throno & Agno benedictio & potestas, & gloria, in sæcula sæculorum. vbi sedēs in throno, diuinitatem declarat, & Agnus humanitatem. Propter quod & Deus exaltauit il-

Ad Philip. 2. lum, & dedit illi nomen super omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur terrestriū, cœlestiū & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus

Ad Heb. 1. est in gloria Dei Patris. Cùm introduceret primogenitū in orbē terræ, dicit, Et ado-

Orig. hom. 5. in Esa. rent eum omnes Angeli eius. Adorate scabellū pedū eius, quoniam sanctū est. atque ita amplificāt adorari ab Angelis & beatis. Primus veniat in mediū Origenes. Vocauit (inquit) Pater filiū: imò, vt verè dicamus, Deus hominem vocauit iustitiam ad pedes suos, id est, incarnationem filij sui. Ideò & adoramus scabellum pedum illius, quia scriptum est, Adorate scabellum pedum eius. Augustinus consonat, & scribit:

Augustin. in Psal. 98. Ad terram cùm te inclinas & prosternis, non quasi terram intueàris, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras, quia (inquit) sanctum est. Quis sanctus est? In cuius amore adoras scabellū pedum eius. Quem eum adoras, ne cogitatione remaneas in carne (vt illam scilicet separes à filio Dei) & à spiritu non viuificeris. Occurrit etiam obiectioni, quasi cum diuinitate

adoraret

„adoraret carnem, quam esse creaturam fateretur. Ego dominicam (ait) carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, & Deitati vnita est, vt non alium atque alium, sed vnum eundémque Deum, & hominem Dei filium confitear. Denique si hominem separaueris à Deo, illi nunquam credo nec seruio: vt si quis nostrum purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea rex indutus fuerit, periculũ mortis incurrit, si ea cũ rege simul adorare contẽpserit. Ita in Christo Domino humanitatem nõ solam, aut nudam, sed diuinitati suę vnitam, vnum Dei filiũ, Deũ verũ, & hominem verũ, qui adorare contẽpserit, ęternę mortis pœnã patietur. *August. serm. 58. De verbis Domini.*

Noster Hilarius norat, à Magis Christum in cunis adoratum, & per eos cunarũ sordes adoratas: aliud oculis, aliud animo conspectũ: potestatis nõ amissam dignitatem, dũ carnis humilitas ab illis adoratur. Nanzianzenus verò ita suos alloquitur: Popule meus, Christo latriam offerre censeas. Hoc de nobis omnibus affirma, nos Dei filium ex patre primùm, deinde ex sancta virgine Maria genitũ coniungere, nec filios duos nominare, sed vnũ & eundẽ in diuinitate indiuisibili adorare. Et si quis crucifixum non adoret, anathema sit, & in eorum numerũ ascribatur, qui Deum interemerunt. *Hilar. lib. 2. De Trinit.* *Nanzianzen. Orat. ad appulsum Episc. de Aegypto: & et ep. ad Cledonium.*

Chrysostomus exprobrãti à nobis adorari creaturã, aut negari corpus Christi creatum respondet: Insipiens nemo dicit regi, Exue purpuram, quam indutus es, vel à throno tuo surge, vt nudũ te adorem: sed regem adorat purpura vestitũ, & throno insidentem. Complacitum enim Deo Verbo fuit, vt creatam carnem nostrã sibi absque macula adunaret, & ea, quatenus Deo Verbo adest, cũ Deo Verbo adoraretur. Quod significans Dauid, Adorate (ait) scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Terram ergo nos iubes adorare Dauid, quam Moses adorari vetat. Videte sacramẽtum, quoniam adunaturus erat sibi carnem nostram: caro autem nostra ex Adam de terra est, iuxta quod dicit, Adorate. Nos terram non adoramus, sed Deum Verbum, qui sibi carnem ex Adę terra formatam absque peccato vniuit. *Chrysost. De Trinit.*

Leo Papa ad Christi hominis adorationem sic populum hortatur: Quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Et licet tota redemptionis humilitas in gloriam paternæ maiestatis euecta sit, vt in nomine Iesu omne genu flectatur indesinenter, tamen illum salutiferæ virginis partum adoramus, & illam verbi & carnis indissolubilem copulam non minus suscipimus in præsepi iacentem, quàm in throno paternæ altitudinis considentem. *Leo serm. 2. De Epiph. et serm. 9. De natiuit.*

Damascenus paucis difficultatem expedit, & illustrat. Adoratur Christus cum sua carne ab omni creatura. Et filium Dei cum Patre & Spiritu sancto adoramus, incorporeũ quidem ante humanitatis assumptionem, & nunc eundem incarnatũ, ac factum hominẽ, & cum hoc Deum existentem. Caro igitur secundũ ipsius naturam inadorabilis est, vt creatura: vnita autẽ Deo Verbo, propter ipsum, & in ipso adoratur. Eo nãque modo quo rex adoratur, & nudus, & indutus, & purpura vt nuda purpura proiicitur atq; cõculcatur: facta autẽ regius amictus, honoratur, vt si quis proterere prẽsumpserit, non rarò morte multetur. *Damasc. lib. 4. cap. 2. et 3.*

Theophilactus quadam paraphrasi explanat: Data est mihi potestas in cœlo & in terra. Meritò, inquit: quasi diceret, Ego prius cõdemnata natura, Deus autem secundũ vnionem ad Dei Filium existens, accepi potestatem super omnia, vt & ab Angelis in cœlo adorer, & super terram ab omnibus finibus glorificer. Humana enim natura priùs seruiẽs, nunc in Christo omnibus imperat, nunc vnita Dei verbo personaliter in cœlo sedet, & ab Angelis adoratur. *Theopyl. in ca. 28. Matth.*

Præterea Patres non ex sola diuina existentia, cui insita est humanitas Christi, adorandam hanc profitentur, sed quoniã in humanitate quodãmodo permiscetur natura diuina. Nã tametsi sint inconfusę naturę, attamẽ ita commeant inter se, vt in Christo nullo loco sint diuisę: ob ídque propter *Adoratio hu-*

tria Christo homini debetur propter diuinitatis in humanitate intimā connexionē. Athana. Ora. 5 in Arrian.

inhabitantem & immanentem diuinitatem, & in ipsa ac per ipsam operantem, humanitas & caro Christi adorantur. Hanc adorationis causam persequitur Athanasius his verbis: Quî fieri potest, vt corpus Domini vndiquaque sanctissimum ab Archāgelo euāgelisatum, à Spiritu sancto formatū, amiculúmque Verbi Dei nō sit adorabile, cùm verbum manu sua corporea febricitātes sanauerit, humana voce mortuos excitauerit, manibus in cruce protēsis, principes aëris prostrauerit, & viam nobis ad cœlum strauerit? Ergóne qui templum vilipēdit, vilipēdit & dominum qui in tēplo est, qui disgregat verbum à corpore suo, gratiam nobis in eo datam non reprobat? Quapropter ne ideò, quia corpus res creatitia est, verbum quoque rem esse creatitiā censeatis, neu quia verbum res creatitia non est, corpori eius obtrectetis. Idem demonstrat Eusebius ex Prophetia Iacob de Iuda, quòd laudandus esset à fratribus, manus in tergum inimicorum iniecturus, adorandus à filiis matris suæ. Quæ suum (Inquit) in Christo finem consecuta sunt, quo tempore, dum miras virtutes & prodigiosa miracula ederet, admirationi erat, & laudabatur à suis discipulis & Apostolis, quos etiam fratres vocare non grauabatur. Hunc, inquam, fratres illi miraculorum gratia, tanquam virum mirabilem duntaxat, ab initio laudabant, vnum aliquem de Prophetis, vt est verisimile, suspicati. At eius actiones, omnem fidem superantes, intuiti antè & post, & in ipsa cruce, de morte huius sęculi Domina, tum verò illum esse Deum credentes adorauerunt, & completum est illud, Adorabunt te filij Patris: omnes videlicet qui in cœlo sunt Angeli spiritus inseruientes, ac diuinæ potestatis, necnon in terra degentes Apostoli, & post eos, quicunque per ipsum vni & solo vero Patri Deo se addixerunt, qui vbi Deum verbum Christum esse didicerunt, tum se illum, vt Deum, adorare confessi sunt. Nec Ambrosius de causa ista reticet, sed vrget. Si negant incarnationis dominicæ adoranda mysteria, in quibus quędam velut vestigia diuinitatis expressa, & vias quasdam verbis cœlestis aduertimus, legant, quia & Apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem. Trinitatis claritatem viderunt Apostoli, cùm Dominus Iesus diuinitatis suę luce in monte fulgeret: viderunt, & in faciem prociderunt. Putásne illos, vel cùm procideret, non adorasse, cùm fulgorem diuini luminis oculis corporalibus sustinere non possent, & splendor lucis ęternę aciem visus mortalis obduceret? Aut quid aliud tunc temporis dixerunt, videntes eius gloriam, nisi, Venite, adoremus, & procidamus ante eum? Damascenus suo more eandem causam similitudine illustrat. Vt gladius igne micans, vbi ignem & flammam recepit, vnus etiam est: sic Christus vnus & vna persona post incarnationem. Vtique gladium flammarum attingere non audeo, non propter ferri naturam, sed ignis cum ferro coniunctionem: sic filium Dei Verbum carni coniunctum veneror & adoro, vnáque carnem, non propter carnis naturam, sed propter Dei verbum carni coniunctum. Regem, vnà cum purpura adoro, purpurámque propter regem veneror. Atqui regis & vestis non est hypostatica coniunctio, nec interminata, nec sempiterna, qualis contrà in Christo Deo nostro. Creaturam itaque adorari, colíque non oportere cum Patribus concedimus, sed quæ creatura tantùm sit, & quatenus creatura. Credimus autem hominem Christum adorandum, quia nec diuinę naturę, nec diuini suppositi expers sit, cuius gratia totus adoratur Christus, Deus, & homo. Lignum quidem vrit, non quatenus lignum, sed qua carbo. Mortale imaginem Dei suscipit, non qua mortale, seu ratione mortalitatis, sed quatenus intelligentię & rationis capax. Ita Christus existens quidem homo, seu in sua humanitate, adorationem non tantùm admittit, sed in tantum requirit, vt quisquis ipsi non reddiderit, reatum incurrat ęternæ damnatio-

Euseb. lib. 8. demonstr. Euāgel. cap. 11.

Genes. 49.

Ambr. lib. de spiritu. cap. 12.

Matt. 17.

Damasc. lib. 3. cap. 8. lib. 4. cap. 3.

nationis, vt ex Augustino audiuimus. Non tamen ei redditur ratione humanitatis, seu quatenus homo, aut creatura, sed quatenus diuinitate in ipsa sua humanitate præditus est, ac plenus. Idem de carne dicendum, eam existentem carnem & creaturam, adorationem quidem excipere, sed non quatenus carnem, seu ratione carnis, sed qua diuinitati vnitam, & ab ea inhabitatam, totámque completam, occupatā, & assumptā viuificam esse & adorabilem. Idem de anima sentiendum & sanguine, rebus quidē peræquè creatitiis, sed peræquè etiam creaturis non puris, vtpotè ab increato verbo in vnitatem personę susceptis, & diuinitati indiuulsè copulatis. Si verò rogetur, quid Christus, quatenus homo, seu de ratione humanę naturę debeatur, quid carni, quid animæ, quid sanguini ex propria natura: vtique dulia respondebitur ex proprietatibus naturæ, & hyperdulia, ex sibi parta humana ac creata summa perfectione, quam habet, quatenus talis creatura ascendit in fastigium, quod assequi potest vlla creatura: non tamen consistendum intra hunc honorem, quia tametsi natura humana salua sit & inconfusa, nihilominus existere diuinum & increatum in Christo obtinet, atque ipsi immanentem naturam diuinam, quibus de causis vna & eadem latria, qua filius & diuinitas ipsa coli & adorari necesse est. Cæterùm positis his & concessis, Caluinus saltem ambigit, an vllo loco corpus Christi diuelli queat à diuinitate & anima, ac seorsùm ab illis consistere: atque an tale corpus extet, & percipiatur in Cœna, cùm seclusa diuinitate subtrahatur meritò adoratio, & dicatur à Christo, *Hoc est corpus meum*, non autem diuinitas mea. Nos asserimus citiùs & faciliùs humanitatis partes in Christo separari, quàm humanitatem, aut corpus à diuinitate, quoniam in passione anima à corpore recessit, nusquam verò diuinitas ab anima vel à corpore. Asserimus illam ab his ne quidem posse seiungi, vt corpus & anima Christi maneant in rerum natura, aut vt vllo pacto sermo de Eucharistia à Christo habitus, verborum significationem retineat. Nam animæ Christi & corpori vnicum existere personæ diuinæ datur, & non proprium. Ideò ab illo auulsa, non habent quo se substentent vllo loco: nec dissimile est de veste, cuius fimbriam attigit mulier: si quidem erat aduentitia, & adhærens Christo, suum interea proprium existere conseruans, in quo conseruabatur à Christo deposita: non ita Christi caro, quæ nullam propriam existentiam præter communem diuinitati & humanitati in Christo nanciscitur, per quam si separaretur hæreret in rerum natura. Quòd si corpus in Cœna Domini à diuinitate relinqueretur, falsa esset oratio Christi, affirmantis suum esse corpus. Quamuis enim remaneret corpus, non tamen remaneret corpus Christi, & filij Dei, cuius suppositum & existere perdidisset, & in eius vicem aliud inuenisset, exuerétque ita non solam adorationem, sed viuificandi facultatem, omnémque excellentiam: ita vt caro talis verè non prodesset quicquam, sicut Christus admonuit, nec quicquam aliud esset quàm commune corpus, & communis caro, vt toties Ephesina synodus & Cyrillus Alexandrinus Nestorianis obiectant. Nec iuuat, si vestis Christi & crux Christi appellentur, & honorentur, etiam semotæ ab eius persona, quoniam suum existere, quod tenebāt in Christo, non mutarunt, quamuis propinquitatem suæ existentiæ ad Christum amiserint: nec quandiu Christum contigerunt, pari & eadem ratione dicebantur esse Christi, qua corpus ipsi attribuebatur. Nam illa propter solum contactum & operationem eius esse censebantur: hoc autem nō ob id solùm, sed multo magis ob vnam & eandē existentiam, quam & nō aliam habebat corpus cum filio Dei. Sin disiunctum, iudicatur nihilominus pertinere ad Christū, longè alia ratione id illi arrogaretur, quàm cùm adunatur filio Dei: nec idē

Quatenus aliqua Creatura, & caro Christi sit adorāda.

De concomitātia naturarum in Eucharistia.

Caro Christi nunquam diuelli potest à diuinitate, multò verò minus in Eucharistia.

iure putaretur corpus, quod non idem existere retineret: nec par honor & veneratio, nec virtus illi tribueretur. De animæ & aliorum concomitantia cum corpore Christi, alibi disputatum est, nec ad præsentem quæstionem quicquam facit. Quamobrem rectè Diuus Ioannes Nestorium, Caluinum, atque alios soluentes filium Dei à sua carne, inter Antichristos numerat, ac totius Christianismi capitaliores hostes. Omnis spiritus (inquit) qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus: de quo audistis, quoniam venit, & nunciam in mundo est. Rectè Nanzianzenus ex sententia totius Ecclesiæ pronuntiat: Si quis sanctam carnem, nunc exutam & abiectam, diuinitatémque corpore spoliatam esse, non autem cum parte assumpta, & esse, & venturum esse dixerit, præsentiæ illius gloriam non cernat. Vbi enim nunc corpus fuerit, nisi cum ea natura, à qua assumptum est? Sicut Caluinus, ita olim argutabatur Nestorius. Christus dixit, *Hoc est*, non diuinitas mea, sed *corpus meum*. Caro Christi comedirur, & diuinitas comedi non potest. Ergo caro Christi diuinitatem non habet. Respondemus cum Alexandrina & Ephesina synodis, & cum Cyrillo, non dictum à Christo, Hæc est diuinitas mea, sed *Hoc est corpus meum*, siue diuinitatis meæ, cùm aliud corpus viuificandi virtute non polleat, nec à diuinitate submoueatur in Eucharistia, tanquam ibi subiaceat communis, & non filij Dei caro, nec verbum esibile esse queat per se, sicut nec patibile, sed per carnem, nec viuificare nisi per eandem. Quemadmodum ergo diuinitas non est esibilis, nisi per carnem, ita nec humanitas est adorabilis, vel viuificatrix, nisi per diuinitatem. Ideò vbique illas connecti oportet, & maximè in Eucharistia, vt mutuas dent operas, & suas vires exerant. Contra argutias Nestorij & Caluini, Alexandrinorum & Ephesinorum recta sic fertur definitio. Necessariò (inquiunt) & hoc adiicimus. Annuntiantes enim sicut secundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cœlo ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viti sanctificati, & verbo coniuncti, secundum digniratis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed vt verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus existens, quia propriæ carni vnitus est, viuificatricem eam esse profitetur. Et ideò quamuis dicat ad nos, Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis, existimare debemus (Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro poterit?) sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus. Alibi non semel hanc definitionem produxi, sed & hîc cogor iterum afferre, quoniam apertè Nestorium & Caluinum redarguit, diuidentes in sacramento diuinitatem & carnem: negátque carnem fore filij Dei, aut aliam, quàm communem, si talis admitteretur diuisio, aut virtutem carnis Christi, quod est viuificare, habituram. Eadem Ephesina synodus vnicam conformat Christi & hominis adorationem, ne (inquit) diuisionis vlla species inducatur. Eiusdem Ephesinæ synodi Cyrillus propugnator Theodoreto Nestorisanti opponit. Quamuis Christi corpus nostris sit consubstantiale (natum enim est ex muliere) proprium tamen filij Dei. Quia autem vita secundum naturam verbum est, quod est ex patre, viuificatricem declarauit carnē suam: Et

In Repetit. de communione sub altera specie.

Cal. cum Nestorio Antichristus.

1. Ioann. 4.

Nanz. ep. 1. ad Cledonium.

Ex ep. Alex. ad Nestorium.

Et hac ratione facta nobis est benedictio viuificatrix. Et corpus assumptum ex muliere vbique suum vocat, Caro (inquiens) mea propter vnitatem: & hanc mysterij habeat rationem, quòd dictionem hanc propriam posuimus, dicentes, Si quis non fatetur Domini carnem viuificatricem, & propriam ipsius, quod est ex Deo verbi, imò non magis viuificatricem, quia facta est verbi, anathema sit. Postea Hispalense concilium rectè conclusit: Si diuinitati Christi humanitatem quis demat, siue humanitati diuinitatem detrahit, Christum sacrilega infidelitate, & blasphema prædicatione dissoluit. Ne quidem separabilem in sacramento ante Ephesinum Concilium Hilarius ita disputat: Si verè verbum caro factum est, & nos verè *Hilar. lib. 8. de Trinitat.* verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter, hoc est, per naturæ veritatem, nedum per voluntatis concordiam, manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento tribuit. Paulò antè citabamus ex Leone Papa, Verbi & carnis indissolubilem copulam. Nicolaus, Episcopus Methonensis, sua ætate narrat, & refutat Nestorianorum de illa diuisione repetitam fuisse hæresin, ne adoraretur Eucharistia, & eam toti *Vixit 1250.* Catholicæ Ecclesiæ aduersari proclamat. Pane & vino (ait) rebus assuetis, arrabo- *extat liber cũ Liturg. Græc.* nem vitæ æternæ fieri volens, iis suam diuinitatem coniunxit, dicens, *Hoc est corpus* *Hæresis, quæ* *meum, Hic est sanguis meus*. Propterea ei credentes, ita offerimus panem perfe- *olim vt nunc* ctum, vinum, siue corpus Christi, quod perfectum etiam post passionem per- *Nestorianam hæresin reno-* mansit & integrum, & à diuina vita inseparabile, planè quale primus ipse noster *uabat, ne ado-* ac magnus Pontifex & sacrificiis, & victima suis discipulis tradidit: qui ab initio *raretur Eucharistia.* suis oculis verbum intuiti sunt, eique ministrarunt, & Catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos vsque terrarum limites tradiderunt. Libera, Domine, per hanc misericordiam tuam ab hac impostura & dementia eos, qui non rectè confitentur, quem consecramus panem & vinum, corpus perfectum & sanguinem pretiosum esse Christi tui. Eam vniuersalis Ecclesię coaluisse consensionem contra introductam à Nestorianis in Christo, & eius sacrificio diuisionem, circa tempora Synodi *Otalat. lib. 4.* quintę, sexta illa in Trullo in suo proæmio declarat, hoc textu: Vbique diuini verbi *cap. 6.* cultus & adoratio lege sancitur, totus perfectúsque offertur, Deúsque cui sacrificatur, & qui participatur, ad corporum simul & animatum acquisitionem, eos qui sunt eius participes, deificat. Quin etiam Rabini panem propositionis ideò facierum nominari à scriptura tradiderunt, quia in sacrificio à Messia relicto duę superessent substantię, diuinitas ipsa, atque humanitas. In Missa Æthiopum, pro causa adorandi corporis Dominici in Eucharistia, exprimitur, Credo, credo, credo, quòd diuinitas non sit separata ab humanitate, ne hora quidem, neque per ictũ oculi. Hęc eius sunt, qui dignus est honore & reuerẽtia. Separatio quidem diuinitatis ab humanitate fieri potest, non in rerum natura, quasi caro illa ita existere possit, sed in animi abstractione & contemplatione: quemadmodum & Christus ipse ad Capernaïtas erudiẽdos ea subtilitate separat, cùm ait, Caro non podest quicquam, spiritus est qui viuificat, attribuens per abstractionem animi carni suam proprietatẽ, & spiritui suam, non quia vtrumque seorsum extare vel operari doceret, imò vtrunque coadunari ostendit breui hac clausula: Verba quę loquor vobis, spiritus & vita sunt, non nuda caro scilicet, qualiter in se considerari potest, sed spiritu & æterna vita tota imbuta. Hanc separationem vocat Damascenus, διαίρεσιν κατὰ τὴν ἐπίνοιαν id est, diuisionem secundum cogitationem. Postremò Caluinus contra cõcomitantiam & adorationem quærit, an corpus Christi existat totus Christus, & haberi debeat in pari pretio & cultu. Certè quoniam plenitudo diuinitatis habitauit in Christo corporaliter, siue

in eius carne, vnúmque cum ea exiſtere diuinum poſſidet, pet eámque operatur omnia, fit vt per ſinecdochen Chriſtus totus eius caro vocetur, & quodammodò ſit: quoniam nihil Chriſtus eſt, aut habet, quod nõ carni communicarit, vt immaneat ipſi, & per ipſum agatur. Idcircò ipſemet, quod ſibi toti conuenit, indifferenter ſuę carni aſcribit, & ſe & carnem pro eodem ponit, veluti hoc in textu, Ego ſum panis viuus, & panis quem ego dabo, caro mea eſt. Qui manducat hunc panem, habet vitã æternam. Et, qui mãducat me, ipſe viuet propter me, Ibi Cyrillus ſic habet: Qui carnem Chriſti manducat, vitam habet æternam. Habet enim hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita eſt. Propterea dicit, Quia ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Non enim ipſe alius eſt quàm caro ſua. Non id dico, quia natura non ſit alius, ſed quia poſt incarnationem in duos ſe diuidi filios minimè patitur. Ego (inquit) qui homo factus ſum, per meam carnem in nouiſſimo die comedẽtes reſuſcitabo. Propterea Hilarius ſcripſit, carnem & ſanguinem accepta & hauſta id efficere, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit: in eámque ſententiam licet phraſes Patrum colligere, ex allatis in diſputatione de ſanctorum communione, & carnis reſurrectione. Sic Ambroſius ait in illo ſacramento, Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti. Et cùm celebranda eſt oblatio, tunc vtique paratus aſſiſte, vt edas corpus Domini, eſu in quo remiſſio peccatorum eſt. Suſcipe autem Dominum Ieſum tuæ mẽtis hoſpitio: vbi corpus eius, Ibi Chriſtus eſt. Sic Chryſoſtomus concionatur, non ſemel à nobis hic totum Chriſtum capi. Quoniam igitur adunata eſt caro filio Dei, & propter breuiter allatas rationes, quicquid eſt Chriſti, in carnem eius redundat, nihil Chriſto debetur, quod non carni applicetur, ita vt propter eandem exiſtentiam, vnam & eandem rem eſſe iudicentur, & affirmentur. Poſtremò non adoratur corpus, quaſi Chriſtus ſit, ſed quia eius eſt, ita vt quicquid corpori fiat, Chriſto fieri non dubitetur. Et ridicula eſt argutia, ſi quis brachium regis, vel pedem percuſſerit, dicat ſe regem non percuſſiſſe, vel læſiſſe, quoniam neutrum horum rex eſſe dicatur.

Cyrill. li. 4. in Ioan. cap. 15.

Hilar. lib. 8. de Trinit.

Ambroſ. lib. de myſteriis cap. 9. in Pſal. 118. ſer. 8.

AN CARO CHRISTI ET CORPVS SIT ADOrandum in Euchariſtia. CAP. 4.

ANTIQVAM Eccleſiam Catholicam nemo Chriſtianus auſus fuit de idololatria inſimulare, propter Euchariſtiæ adorationem. Soli Pagani crimen hoc intentarunt, à quibus ferebantur noſtri in pane & vino Cererem & Bacchum colere, Manichæi non improperabãt Catholicis venerationem Euchariſtiæ pro idololatria: ſed ſicut illi Deum ſingulis creaturis immixtum & irretitum profitebantur ſe adorare, ita à nobis Chriſtum pani & vino, ac ſarmentis alligatum honorari obtrectabant. Interim conſtat iam tum ſummæ venerationi habitam Euchariſtiam, nec adeò profligatum hominem inter tot hęreſes prodigioſas vixiſſe, qui venerationem illam pro idololatria duceret. Neſtoriani, opinor, primi extiterunt, qui ſicut anthropophagiam in Euchariſtia aſſerebant, ita de anthropolatria, id eſt, de hominis adoratione, cœlum & terram ſuggillabant, quemadmodum Cyrillus ait. Quinetiam vſque ad poſteriora ſecula plures dubitarunt de manducatione carnis Dominicæ in Euchariſtia, quàm de eius in eadem adoratione, quemadmodum teſtantur verba iſta Petri Venerabilis. Si ad honorandum, ſi ad adorandum tantummodò daretur, quęſtio non eſſet. Sed quia etiam ad manducandum datur, non poteſt nos vt illos quondam non mouere. Quòd enim honorari, quòd adorari de-

Qui accuſarint Eccleſiam de idololatria in Euchariſt.

Auguſt. li. 20. in Fauſt. ca. 15. & 16.

Cyrill. in expoſit. ſyn. Nicenæ.

Petr. Venerabil. lib. 1. cap. 1.

Olim magis dubitabant de

praesentia carnis in Eucharistia, quàm de adoratione.

beat, fidelibus omnibus certum est: quòd autem comedi, quia comestionis ratio nō videtur, admirabile, & super omnia stupendum est. De idolo panis recentiores Berengarianos suspicor priores Ecclesiam accusasse, quibus Valdenses atque alij proficientes in peius successerunt. Narrat enim de Iudęis nescio quid tale Nicolaus de Lyra, & Auerrois iactatur dictum ex Commentariis in Metaphysica Aristotelis, quoniam Christiani Deum suum, quem adorant, manducant, sit anima mea cum Philosophis. Deuentum est ad nostra tempora, in quibus tria hominum genera idololatriæ crimen nobis impingunt: quorum Lutherani pleri que concedunt corpus & sanguinem Domini in altaris sacramento adesse, non tamen ibi adoranda, quia nullo verbo Dei præcipitur, sine quo cultus omnis idololatrię & hominum figmento imputatur: tum quia panis illud corpus assectetur, nec creatori ibi seruiatur, quin vna cum illo seruiatur creaturæ panis. Sacramentarij, quoniam falsò existimant panem & vinum inania esse sacramenta, vacua carne Christi & sanguine, sibi videntur iure nobis idololatriæ notam inurere, & idolum panis abominari. Tertij mediastini, qui claudicant vtroque pede, carnem Christi in sacramento aiunt se omni honore & veneratione prosequi, nō tamen ipsum sacramentum, seu quod oculis apparet, vna & eadem veneratione amplecti. Nos autem nec pudet, nec pœnitet, totum adorare sacramentum, quoniam ibi Deus singulariter adest in Christo, Filio Dei, & homine: quoniam ibi singulariter caro & sanguis Christi, ac totus ipse, præsentem se atque existentem præbet: quoniam panis hic & vinum diiudicari debent esse corpus & sanguis Christi, nec quædam separatim ab illis creaturę, sicut postea fusiùs declarabitur. Ex Dei, Christi eius, & carnis ac sanguinis Dominici præsentia singulari, inferimus necessariam singularem adorationem contra Lutheranos: vicissim ex præcepta, & perpetuò ab omnibus Christianis singulari adoratione sacramento exhibita, concludimus Dei, Christi, & carnis ac sanguinis Dominici peculiarē præsentiam in Eucharistia contra Sacramentarios: atque ex conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Domini: sacramenti, seu rei exterioris vnicam cum interiore adorationem, vt vicissim ex panis & vini admirabili adoratione, illorum in carnem & sanguinem Domini conuersionem. Interea deprehendemus Aduersarios idololatriæ affiniores, quàm nos. Vtrique sanè, cùm relicta verborum Christi simplicitate, & proprietate, suę falsæ interpretationis idolum & figmentum adorant, omniúmque Christianorum, qui hactenus fuerunt, religioni pręferunt. Deinde sicut olim Manichæi, ita vtrique illi aduersarij gloriantur nullam à se externam adorationem adhiberi, & aras ac sacrificia gentilium esse atque idololatrarum, non Christianorum. Nos autem libenter Augustini responsum reddimus, quod Manichęis dedit. Paganis (inquit) vos vultis esse meliores, quòd illi aris, delubris, simulachris, victimis, incenso Deum colendum putant. Vos autem nihil horum facitis: quasi verò non satius sit vel lapidi, qui quoquomodo est, aram constituere, & victimam offerre, quàm id quod omninò non est, in deliramento phantasmatis adorare. Ad hęc Lutherani quidem, si sub signis Christum adorant, periculum adeunt idololatrię, qua seruitur creaturę pari cultura cum creatore, cùm in signis, in quibus Christum adorant, vnà cum ipso constituant panis & vini substantiam, in quam sub signis existentem fertur saltem externa adoratio, sicut in Christum ibi pręsentem: & quamuis animo substantiæ illæ interna adoratione discerni queant, tamen fortassè non ab omnibus talis discretio in facto adhibetur, & saltem opus exterius de se aliquam suspicionē de idololatria relinquit, propiúsque ad illam accedunt quàm nos, qui remouemus panis & vini substātiam, ne cùm adoramus quod subest signis, illam ibi existentem cum substantia corporis Dominici adoremus, aut adorandi demus occasionem. Sin se alienos ab adoratione

A tribus hominum generibus accusamur de idololatria in Eucharistia.

Quare sit adoranda Eucharistia.

Conuincimus ex præsentia carnis adorationem, & ex adoratione præsentiā carnis, & panis transsubstantiationem.

Aduersarij propiùs ad idololatriam accedūt quàm Catholici.

Aug. loc. citato in Faustum.

De idololatria Lutheri.

responderint, tametsi corpus sacramento assentiantur inesse, tum speciem pessimam idololatriæ committũt, quam Apostolus in Philosophis insectatur: qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, furtúmque faciunt honoris diuini, & sacrilegium, reíque sunt corporis ac sanguinis Domini, non diiudicantes, nec honorantes corpus Domini. Hoc genus idololatriæ incurri ab his, qui carnem Christi ibi adesse persuasum habent, & non adorant, inter Lutheranos doctores Vvestphalus & Martinus Cemnicius docent, quorum prior sic loquitur: Non idolum aliquod colimus, non panem adoramus, dum peragimus sacram Cœnam, & sanctissima carne & sanguine Christi redemptoris nos pasci credimus, sed adoramus Christum Iesum Dominum & Deũ nostrum, secũdum verbum & promissionem præsentem. Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegat, & confert aliis: fraudi etiam contumeliam iungit. Alterius testimonium ad caput de ritu adorationis externæ differimus. Porrò Sacramẽtarios tantò grauius hoc idololatriæ crimine laborare adiungimus, quanto pluribus contumeliis & iniuriis sacramentum à nobis consecratum, & in nostris Ecclesiis repositum, insectantur, calcant, & pessundant. Quin etiam comperiũtur longè propius quàm nos ad idololatriam inclinare, vt capite De sacramenti adoratione ex Vvestphalo recitabitur. Nullo loco acerbius inuehuntur in Lutheranos, quàm cũ ab ipsis audiunt Christum præsentem in sacramento, non adorari: quasi nihil aliud id sit, quàm Christum ignominia afficere, & margaritum Domini proculcare. Contrà quoties de adoratione Eucharistiæ nobiscum expostulant, cum Lutheranis perorãt, ne quidẽ ibi præsentissimũ coli oportere, quia nec iubeamur, nec ibi statuatur vt adoretur. tanta est Aduersariorum inconstantia & peruersitas, quam spectandam paulò post proponemus: in qua videas illos percelli spiritu vertiginis, & amentia illa, quam infligi scribit Apostolus his, qui cùm cognouissent Deũ, nõ sicut Deum glorificauerunt, vt euanescant in cogitationibus suis. Ne verò omnia permisceamus, contra Lutheranos hoc capite agemus, alio contra Sacramentarios & Mediastinos acturi. Nunc ostendemus verissimè sanxisse Tridentinos Patres, vt si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento vnigenitum Dei filium non esse cultu Latriæ etiam externo adorandum, sit anathema. Ex disputatis liquere arbitror, Deũ Patrem ac Spiritum sanctum vbique adorandum in spiritu & veritate, sed potissimùm vbi illustriora ac certiora singularis suæ præsentiæ ediderit testimonia. Est etiam planum, nusquam præsentiorem esse Deum, quàm in carne Christi, nec alibi abundantiùs omnia sua effudisse, ob ídque mereri eandem cum diuinitate adorationem, vbicunque inueniatur. Cur enim æqualiter existenti vno in loco atque in alio non æqualis in hoc atque in illo impenderetur adoratio? Propterea statim primo momento incarnationis dicitur, Et adorent eum omnes Angeli eius. Ioannes ex vtero matris in eius necdum nati adorationem gestit erumpere. Infanti, atq; etiam in stabulo iacenti, Magi emensi longum iter festinant adorationem, ac diuina munera offerre. In via à leproso & Cananæa: in templo à cæco nato: in naui à vectoribus: in Galilæa ab Apostolis: in Iudæa ab omnibus, quibus innotuit quis esset: in cruce à centurione, latrone, ac creaturis omnibus adoratur. A tentatione etiam dæmonibus eius adoratio indicitur: Vade retrò satana: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. ac postea cogũtur isti, vbicũque occurreret, tremere, atque ad ipsos inferos ipsi descendenti cedere, ac genu flectere. In cœlum verò ascendens, festiua veneratione ab Angelis excipitur, ibíque residens à Stephano visus, ab Angelis ac beatis omnibus præsens indesinenter colitur. Cur in sola Eucharistia habitans non adorabitur? Si respondetur, non illic sedem delegisse, vt ibi adoretur, nec eo fine institutam Eucharistiam,

Vvestphal. in altera Defens. contra Ioannẽ à Lasco.

Vltio diuina in Aduersarios.

Sessione de sac. Eucha. can. 6.

Ad Hebr. 1.

Adorandus Christus vbicunque inuenitur.

stiam, vt in ea honoretur, sed edatur, nec certè incarnatus est, nec crucifixus, vt gloria ornaretur, nec miracula operabatur, vt venaretur laudem & adorationem: sed contrà incarnatio & crucifixio ad omnem abiectionem, ignominiã & maledictionem, & operationes ad salutem hominum pertinebant. Sed tam potẽs est Deus, vt infamiæ finem in gloriam verterit, & adorationẽ de maledicto excusserit. Sed nec inglorij status tẽpore, Christo exhiberi adorationem scriptura vsquam prohibuit, aut improbauit, aut eos qui dedita opera non exhiberent, excusauit: quoniam interim dum Christus aliis defungeretur officiis, ratione suæ personæ semper ipsi debebatur adoratio. Sic Eucharistia quidem fuit relicta, vt in ea præsens manducaretur corpus & sanguis Christi: sed interim diiudicare oportet, cuius corpus sit & sanguis, ac reddere iustam æstimationem & reuerentiam. Nec tantùm est illa proposita, vt edatur corpus Christi, sed vt annuntietur mors Domini, & pretium eius, & in compensationem saltem curuetur omne genu. Ideò etiam institutio Eucharistiæ maiorem exigit de præsentia Christi adorationem, quàm vllus locus, aut res, in qua vnquam se præsentem præbuit. Quinetiam causæ omnes præcipuæ adorandi alicubi Christum confluunt vberiùs in Eucharistia, quàm in vlla re, vel sede. Quò familiariùs & propiùs versari cum hominibus ferebatur, quò se humiliùs erga ipsos demitteret, quò plura & diuiniora ipsis conferret, eo sua sponte homines diuinitatis Christi gnari & conscij, in eius adorationem feruentius proruebant. Hæ causæ potissimùm quoque excitarunt omnes ad singularem Christo exoluendam adorationem. Sic Helisabet, eiúsque filius Baptista, quo propiùs ad se venire Christum in matris vtero senserunt, toti sunt effusi in eius venerationem. Sic idem Ba-
Luc.1.4.
» ptista proclamat: Ego à te debeo baptisari, & tu venis ad me. Sic Petrus, Exi à me,
Matt.3.9.7.
» Domine, quia homo peccator sum. Atque iterũ, Domine, tu lauas mihi pedes. Et,
Ioann.13.22.
» Non lauabis mihi pedes in æternum. Sic Centurio, quò magis aduentantem videt Christum, suam pro eius honore excusat ac testatur indignitatem. Sic qui erant in naui se proiiciunt ad pedes eius, perspecta operum magnitudine, quia venti & mare obediũt ei. Sic mulieres & Apostoli de eius resurrectione facti certiores, atq; omnes aliquo insigni beneficio affecti, feruntur in ipsius adorationem. Sic Thomas in vo-
» cem prorumpit, Dominus meus & Deus meus. At concessa Christi in Eucharistia præsentia, quid præsentius illo potest haberi, quid humilius, quid potentius, quid diuinius, quid nobis coniunctius, quid intimius, quid amantius, quid ad iuuandos homines efficacius? Toti sunt in his causis declarandis, & amplificandis, conferendísque Patres nostri, vt in nobis pietatem, ardorem, atque adorationem, erga sacrosanctam Eucharistiam inflammẽt. Inter quos Chrysostomus nos ad Magorum exemplum non semel prouocat: Origenes, Eusebius Emissenus, & Epiphanius ex Centurione excitant: Cyrillus Alexandrinus cum Thoma comparat: Augustinus & Gregorius Nanzianzenus Petri Zachei & Centurionis imitationem commendant. Si se oculis Christus ingereret, nullus fidelis Christianus cunctaretur adorare. Se fide conspiciendum in Eucharistia sistit, manu, ore, corde amplectendum & capiendum. Quinetiam rogat vltrò sibi in nos aperiri aditum. Accipite (inquit) edite, *Hoc est corpus meum.* An ipsi Zacheo, publicanísque aliis ac meretricibus ingratiores & deteriores, nullam honoris vicem rependemus? At omnis cultus (aiunt) nullo Dei verbo expresso constitutus ad idololatriam refertur, nec iubemur Christum in Eucharistia venerari. Sed nec iussi sunt Christo proni seruire omnes illi, quos recensuimus ipsi adorabundos procidisse: sed nec cuiquam homini singulari factum mandatum legitur de Christo adorando, vel interdictum, nec quisquam de delata ipsi adoratione sine præcepto redarguitur. Sin generalis iussio

Chrys.ho.7. in Matt. & 24. 1. ad Cor.
Orig. ho. 5. in diuersos.
Emiss.ho.3. in Exod. Epiph. Aug.ep.118.
Nanz. in apol.
An adoratio sine præcepto exhiberi debeat.

de Dei & Christi cultu omnes illos immunes ab idololatria fecit, cur non eadem circa Eucharistiam valebit? Verissima ex scripturis colligitur, tanquam regula, vt quoties aliquid per se pium ac licitum in genere præscribitur, nusquam ferè de eodem condi præceptum in particulari, cùm passim generalis mandati ratio locum & vim habeat. Deus præcepit honorare parentes: sufficit nosse me ex isto parente natum, vt obliger ad ipsius honorem, vbicunque fuerit, nec expectare debeo nouum præceptum, vt patri meo hîc aut alibi inseruiam. De iuuandis proximis in necessitate lex lata est: nihil opus fuerit noua lege pro meo consanguineo, aut pro occurrente particulari necessitate. Sic obedire magistratui iubemur: temporis vel loci singularitas non exigit singularem sanctionem. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: in genere imperatur. Quoties Deus obuersatur mentibus nostris, aut se alicubi manifestum facit, non egemus nouo imperio ad ipsum adorandum. Hoc cùm probè animaduerterent doctiores illi Lutherani, Vvestphalus & Martinus Cemnicius, imò & Caluinus, illam tanquam vanam de necessitate præcepti particularis respuunt exceptionem. Prioris textus est: Quid præsentem Christum in Eucharistia adorare prohibet? Aut vbi Ecclesia mandatum habet Christum non alibi, nisi definito cœli loco, adorandi? Cemnitius verò ista habet: Constat Dei adorationem nec loco, nec tempori alligatam: semper ergo & vbique adorandum Christum. Quem si in Cœna suis peculiari modo præsentiæ & gratiæ adesse, sic vt ibi verè & substantialiter exhibeat vescentibus corpus & sanguinem suum, verè & ex animo credimus quod fieri non potest, nec debet, quin eum fides in ea actione præsentem veneretur & adoret. Sic Iacob, Moses, & Helias absque peculiari quidem mandato vt iis Deum locis adorarent: sed generali vt vbique, certiores facti sub externis eum & visibilibus symbolis verè adesse, & peculiari eis gratiæ modo ibi se patefacere, quem ibidem præsentem esse credebant, adorabant. Cæterùm non ita vrgemus generale mandatum de Deo colendo, & quæ de Christi carne adoranda superiori capite vniuersaliter disseruimus: quasi scriptura nihil particulariter loquatur de venerando Christi corpore in Eucharistia. Scio quòd Dauid cecinit, Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Propitiatorio templi Mosaïci à Iudæis applicari scimus, antea quoque Patres aliquot nominaui, qui de Christi humanitate interpretarentur: neque ignoro ab Hieronymo, Cassiodoro atque Euthymio, de cruce, in qua Christus pependit, intelligi. Demus cohærere omnes illas expositiones, nec esse à sensu Spiritus sancti alienas. Nulla tamen aptior seligi potest, quàm quæ accipit scabellum pro terra & humanitate Christi, quæ colitur in Eucharistia sacerdotum ministerio. Nam Dauid adorationem scabelli describit, quæ per sacerdotes fiat, cùm illi versiculo hunc statim subiiciat: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Fateor quidem ad literam de arca & propitiatorio capi, cui Deus præsentior quasi insidebat, & in eo adorabatur per sacerdotum officium. Nihilominus si quidnam significaret indicaris, nulli rei accommodatior fiet significatus, quàm humanitatis Christi ab arca & propitiatorio repræsentatæ venerationi, quæ per manus sacerdotum perficitur in Christianorum Ecclesia. Eò conducit, quòd arca ipsa, in qua erat Manna, figuram propriam gerebat Eucharistiæ. Nõmirũ igitur, si Ambrosius & Augustinus, atque alij paulò pòst citandi, præceptum illud de adorando scabello pedum Domini, ad Eucharistiã potissimùm referunt, nec inueniunt, in quo alio terra adorari propriè inter Christianos cognoscatur. Adoratione internam atq; externã carnis

Vvestphalus contra Valer. Polon.
Cemnic. par. 2. Examen. cõtra Concil. Tridēt. in sess. De Eucharist.

De mãdatis in scriptura non adorandã Eucharistiam.
Hiero. in Psal. 99.
Cassiod. in Psal. 131.
Euthym. in Panop. tit. 20.
Adorate scabellum scribi propriè a Dauide de Eucharistia.

Apostolus adorationem Eucharistiæ precipit.

carnis Dominicæ in Eucharistia etiam Apostolus seuerissimè commendat, nec ob aliam causam disputationem de Eucharistię veritate suscepit, quàm quòd indignius celebraretur Cœna Domini, nec satis attenderetur, quid contineret, & quid honoris mereretur. Duo proponit, ex quibus adhibendam adorationem necessariò sequitur. Diiudicari vult animo & exteriori professione esse corpus Domini, atque eiusdem mortem annuntiari. Exigit itaque internam præparationem, dispositionem, ac venerationem, dignam corpore & sanguine Domini, quę sanè verissima est adoratio in spiritu & veritate: ob id imperat, Probet seipsum homo. Exigit & externam, quę internæ respondeat, & sic ait, De illo pane edat, & de calice bibat. Ac ne quis internā sufficere putaret sine externa, subiungit: Qui manducauerit, vel biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et, Iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans esse corpus Domini. Causam indignitatis & culpæ ex natura obiecti & rei metitur, nempè ex dignitate corporis Domini, cui omnis honor, puritas, ac reuerentia, sicut Deo, conuenit. Quandiu verò res illa perstat in Eucharistia, siue edatur, siue non, tandiu suus honor & cultus debetur, nec in esu peccatur, nisi propter existentiam, & præsentiam talis rei, quæ non pro sua dignitate contingitur, & honoratur. Deinde non satisfit Apostolo, si dignè attrectetur, & sumatur corpus Domini: sed petit Domini mortem annuntiari & commemorari, vt ostendamus in actione Dominum gloriæ crucifixum esse, passionem eius extollamus, & adoremus, non tanquam puri hominis, sed Dei, ne si corpus eius præsens, & passionis mōnimentum, aliqua spurcitia contaminauerimus, vel ignominia affecerimus, rei teneamur cum Iudæis corporis & sanguinis Domini, seu mortis illatę Deo. Fuit enim duplex Iudęorū peccatum, quod corpus Domini indignè Deo cum omni irreuerentia tractauerint, & quòd mortem eius, non tanquam Deo inflictam æstimauerint, & honorarint. Duplicem illam causam adorationis postea ex Hieronymo audies. quod dixit Apostolus, Probet seipsum homo, Cyprianus quadam paraphrasi elucidat, vt cum timore & tremore sumamus Eucharistiam, quod est verè adorare. Ob id Augustinus scripsit, Nemo manducauerit, nisi priùs adorauerit: non quòd probatio aliquid amplius non requirat, sed adorationem complectitur ex discretione corporis Dominici, atque alia, quæ ad decorum huius corporis, & dignam manducationem pertinēt. Apostolum eò spectare etiam Basilius admonet. Quęrit enim, quanto cum timore sit sumendum corpus Christi. De timore respondet ab Apostolo scribi: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Falsum est itaque, quod Valdenses ac Petrus Martyr exaggerant, nec in Prophetis, nec in Euangeliis, nec in Epistolis, nec in Actis Apostolicis ostendi & præscribi ex verbo Dei Eucharistię adorationem. Omnes enim scripturæ pręcipiunt adorari carnem Christi, vbicunque sit, & Dauid mandat, atque Apostolus expresśe de diuino honore carni Christi in Eucharistia conferendo agit. At Apostoli (inquiunt) vel primi Christiani non legūtur de adoratione fuisse solliciti, cùm illi mensę accumbētes de manibus Christi Eucharistiam gustarint, & isti perseuerarent per domos in fractione panis, nulla adorationis interposita mentione. Omnis istorum argutia meris innititur negatiuis. Mensę quidem accubuerunt Apostoli, quasi & in lecto nequeat perfici vera adoratio, & vnicus eius habeatur ritus. Quin potius cogitamus solum Iudam de indigna perceptione à scriptura notari, nec ex natura rei, nec ex doctrina Pauli, sine veneratione diuina Eucharistiam ritè celebrari, nec ad eam accedi, vt certò coniiciamus, quomodo dignè in illa Cœna se gesserint Apostoli. Quin recordamur omnes esse reos corporis & sanguinis Domini ac mortis æternæ, qui ad Cœnam hanc, quasi ad communes epulas, sine delectu corporis Dominici, & alterius cibi irruerunt, neminém-

August. in Psal. 79.

Basil. in reg. breui, reg. 172.

An Apostoli adorarint Christum in Eucharistia.

que prius ad salutem edere posse, quàm adorauerit, nec peccare qui adorarit, sed qui recusarit adorare, quemadmodum apud Augustinum est: cum quo Apostolos mãducasse carnem Christi, & priùs adorasse potiùs decet nos cõcludere, quàm omnes illos cum Iuda intrepidè & irreuerenter buccellam illam deglutisse, atque ita diabolo in cordibus suis aditum, sicut Iudas, fecisse. Quin etiam potius contemplamur reuerentiam, timorem, ac tremorem, quàm præ se tulerunt Apostoli in tota illa nocte qua tradebatur Christus, sicut & in lotione pedum, ad Christi dignitatem & magnitudinem expauescunt, & se infra omnem creaturam coram illo demittunt. Tum eius dicta præter morem animis infigunt, cúmque omni obseruantia attentionem præbent: postea iniecto scrupulo de traditore futuro, omnes videas suam conscientiam explorare, certatim suam fidem atque animum erga Dominum testari, venerarí que abundantiùs, quo longiùs conabantur proditionis suspicionem à se remouere. Quanto cum terrore & pauore, atque admiratione & summissione audiuisse à Christo credas, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis datur. Accipite, comedite: cùm eos ad lotionem pedum à tanto Domino conspicias trepidare, & ad scelus proditionis incertum stupere? Excellentia Domini & dignitas, quam habebãt sibi persuasam, ad tantam humilitatem & venerationem illos adigebat. Eadem dignitas an non inuitaret ad maiorem in sumenda Eucharistia adorationem: quanto plus est pasci carne Christi, quàm ab ea pedes lauari, & ipsam intra se, atque apud se prodere & conspurcare, quàm extra? Arbitror Euangelistas imitatos pictorem illum, qui cùm Græcos proceres lamentantes oculis subiecisset in mactatione Iphigeniæ, & ad patrem venisset, obuoluit eius caput, vt in stuporem præ magnitudine doloris versum potius significaret, quàm luctum eius exprimere posset. Sic Euangelistæ in enarratione noctis illius describũt Christum & Apostolos quodammodò certasse inter se de dilectione, humilitate, ac veneratione: sed cùm ad summum dilectionis & humilitatis, atque honoris caput venitur, totum silẽtiò cõtegunt, vt ad vocẽ, *Hoc est corpus meũ*, nihil Apostolos præ stupore potuisse proloqui intelligas. Porrò primi Christiani an non reuerenter doctrinam Apostolicam audiuerunt, & in precibus se gesserunt? An ergo dubitandum, quin hoc sacramentum ab Apostolis distributum magno cum horrore & honore susceperint? Quod cùm ab eo more desciuissent Corinthij, iracũdè Apostolus ipsos increpat, & ad pristinam verorum Christianorum in his mysteriis religionem reuocat. Iam nõ est (inquit) Cœnam dominicam manducare propter irreuerentiam, qua ipsam polluebãt. Quòd si ea religio in Actis Apostolicis non declaratur, quid mirũ, cùm nulli ritus nec celebrandæ nec sumendæ Eucharistiæ distinctè recitentur? Rursum aduersarij de impietate præceptum hoc & adorationem exagitant. Nefas clamant præcipi vel leuissimam idololatriæ occasionem, quam maximam ex adorationis in Eucharistia mandato dari & induci conqueruntur: quandoquidem si quis impurus sacerdos verba cõsecrationis omittat, vel loco vini aquã suffundat & consacret, vel non intẽdat per verba Christi efficere quod ipse instituit, & nihilominus pro corpore & sanguine Domini populo proponat suã mysteria adorãda, adorabitur pura creatura. Certum autem videtur Deum noluisse, ac multominus præcepisse, vel leuissimæ idololatriæ periculum. Aliis placet tacitam semper subesse conditionem, vtpotè si ritè ac debito modo administrata fuerit consecratio: ita vt nulli, aut pauci, hac in adoratione peccent, omnibus hanc vtique cõditionem tacitam, vel saltem habitualiter (vt loquuntur Scholastici) habentibus. Quod indè manifestum fit. Nam si adorãs rogaretur, quid faceres, si scires nõ benè obitam cõsecrationem, non dubium quin ingenuè fidelis responderet, Nequaquam adorarem. Verùm cordatiores alij absolutam adorationem hîc requirunt. Alioqui si sub conditione

Ioann. 13.

Primi Christiani cum adoratione sacramẽtum capiebant.

An absolutè sit adoranda Eucharistia, an sub cõditione.

Biel Lect. 50. in Can.

Caietan. in 2. 2. quæst. art. 3.

ditione adoraretur Christi caro in Eucharistia, nihil non sub conditione à Christiano in religione agi oporteret. Adeundi, venerandíque sub conditione essent Episcopi, presbyteri, atque alij omnes ministri, si nimirum legitimè baptisati, ordinati ritè ac legitimè baptisarent, consecrarent, absoluerent. Hæc enim ac similia pendēt ex intentione, tum ministri, tum suscipientis. Is error, eáque fictio sacerdoti verteretur grandi flagitio & sacrilegio: fideli tamen simpliciter credenti, solitóque modo veneranti, cultus fieret innoxius. Hominibus enim humana sufficit certitudo. Sic Iacob nihil obfuit, quòd ignoranti pro pacta Rachele Liam alteram filiam Laban pater substituit, nec in suppositæ concubitu Iacob adulterium vel incestum commisit, quia bona fide credidit se commisceri cum pacta vxore Rachele. Ita nec artolatra iudicandus est, qui adorat Christum in pane non consecrato, quem putat bona fide consecratum. Ita nec periculosè errat, qui falsum fratrem & simulatorem fidei habet pro fideli, atque hac ratione honorat: quia non impietatem hypocritę, sed „fidem, quam in eo esse putat, honorat. Pulcherrimè Augustinus. Opus est (inquit) „diiudicare atque dignoscere, cùm se Satanas transfigurat velut Angelum lucis, ne „fallendo ad aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, men„tem verò non mouet à vera rectáque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, „nullum est in religione periculum, vel cùm se bonum fingens, ea facit, siue dicit, „quæ bonis Angelis congruunt: etiamsi credatur bonus, non est error fidei Chri„stianæ periculosus, aut morbidus. Cùm verò per hæc ad aliena incipit ducere, „tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna est necessaria vigilantia. Hactenus ille. Argumentum autem aduersariorum si quid momenti haberet, æquè valeret contra adorationem Christi cum hominibus conuersantis. Si enim aliquis derisor Christi, his qui vel Christum de facie non nouerant, vel cæci erant, dixisset, Petro transeunte, Ecce Christus transit: & illi adorassent vociferati, Miserere mei, fili Dauid: numquid hi Petrum adorassent? Non, sed Christum, quem præsentem esse existimassent, & in quem cor & mentem conuertissent. Postremò ne nullum non moueant lapidem Aduersarij, ex eo quod sine exceptione exigamus carnis Dominicæ adorationem, vbicunque fuerit, & maximè in ipsa Eucharistia: Ergo (colligunt) erit etiam adoranda in sacerdore & fideli, imò & in bruto animante, qui Eucharistiam absorbuerit. Quin potius ex præcepto fidei nos obligari volunt potiùs in homine fideli, quàm in ipsa Eucharistia adorare: quia digniore modo (vt dicebant Valdenses) consistit Christus in homine, quàm in sacramento, cùm in hoc sit, vt eum sumant fideles cum reuerentia. Nec ita nos delirare oportet (addit Oecolampadius) vt fœlicius pani coniunctum corpus Christi putemus, quàm Prophetis Spiritum sanctum, quem tamen in ipsis non adoramus. Posteriori obiectionis parti respondimus capite pri„mo, & eidem Roffensis his verbis satisfacit: Nemo nouit quæ sunt hominis, ni„si spiritus, qui in ipso est. Quamobrem nec certò scire de quoquam alio possu„mus, an Christum gerat in suo pectore, nisi fortè per reuelationem id cuipiam „innotuerit. Cæterũ per verba Christi ritè prolata, quisque certus esse potest, Christũ in sacramento præsentem esse. Quare tutò licebit, eum sub sacramẽto adorare. Et si de quoquam certi fuerimus, quòd Christũ haberet in pectore, quid prohiberet, nõ hominẽ dico, sed Christũ in eo adorare. Priorẽ verò obiectionis partẽ Gabriel Biel „ita soluit: Ante sumptionẽ à sumẽte adorandũ corpus, pòst, gratiarũ actionibus pro „accepto beneficio vacandũ. Vbicunque autẽ creditur esse, ibi venerandũ & intus in „anima, licet nõ exteriùs in opere adorandũ, maximè dũ nõ cõstat, quãdiu sit in ho„mine. Hoc vult ille, quòd quãdiu exteriùs cõspicitur saluũ & incorruptũ sacramẽtũ,

Hessel de Eucharist.

Quatenus requiratur in homine certitudo

August. in Enchirid. cap. 60.

Quare nec in homine, nec in bruto adoretur Eucharistia.

Roffens. lib. 3. cap. 5. in Oecolamp.

Biel lect. 8. in Canon.

tandiu adoretur. Intra hominem verò & bestiā, quia incertū est quandiu durat illæsum, propterea regulariter & ex fidei præcepto non adorandū. Si constaret tamen aliquantū temporis integrū sacramentū etiam in bruto, aut consumpto sacramento, Christū in homine perstare & habitare, tādiu iustū foret in adoratione perseuerare, nisi fortè timeretur de bruti vel hominis propter rudes & imperitos adoratione. Sic Magi non propter sordes stabuli, aut ibi iacentia animantia destiterunt à præsentis Christi adoratione: & Chrysostomus narrat fideliū corpora propter sumptā Eucharistiā sæpè ab Angelis satellitū more stipari, eorúmque spiritū rectà in cœlū abduci. Itaque quoniā per verbū Dei maior & constantior est certitudo de præsentia carnis Dominicæ & Christi in sacramento viso, quàm post susceptionē in fideli vel bellua, de illius in sacramento adoratione nulla relinquitur, vt in illis, dubitatio. Quòd autē ea fuerit perpetua fides Ecclesiæ Catholicæ & obseruatio, Patrū successione & testimoniis comprobatur. Vt enim ex Iacobi liturgia, & Clemēte ac Magno Dionysio, Apostolorū ætatem ac morē differamus ad caput De adorationis ritu, sicut Basiliū ipsum, qui modū adorādi Eucharistiā Apostolorū traditioni refert acceptū, sextus à Petro Alexander Papa de illa adoratione sic prædicat. Nihil in sacrificiis maius esse potest, quàm corpus & sāguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, & pura mēte sumenda, atque ab omnibus venerāda: & sicut est potior cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Proximus illis sæculis Origenes recitat circumspectā in venerādo sacramento Christianorū obseruantiā. Volo vos (ait) religionis vestræ exemplis admonere. Nostis qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo cùm corpus Domini suscipitis, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parū quid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ne consecrati muneris quicquam decidat. De esu atque adoratione illius carnis in Eucharistia Arnobius, Hieronymus, Basilius, Theodoretus & Augustinus interpretantur hos versiculos Dauidis: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominū, qui requirūt eū. Māducauerūt & adorauerūt omnes pingues terræ: ex iisque asserūt ab Apostolis in Eucharistia Christum adoratum. Quoniam inter eos Augustinus, quid alij velint, explicat, apponam eius interpretationē. Vota sua (Dominus inquit) vult sacrificium corporis sui intelligi, quod est fideliū sacramentū. Ideò cōtinuò subiunxit, Edent pauperes & saturabūtur. Hi enim saturabūtur eo qui de cœlo descēdit, qui & cohærentes, & eius pacē dilectionémque seruātes, imitantur eius humilitatē. Māducauerūt, & adorauerūt omnes diuites terræ. Superbos hoc loco diuites intelligere debemus, si rectè superiùs pauperes humiles intelligebamus. Nec frustrà hic ita distincti sunt, vt pauperes quidē edāt & saturētur, diuites manducent & adorent. Et hi quippè adducti sunt ad mēsam Christi, & accipiūt de corpore & sanguine eius, sed adorāt tātùm non etiā saturantur, quia non imitantur. Manducātes enim pauperes esse dedignantur, aspernantur Christū sequi, & similia perpeti respuūt. Sed fama celsitudinis eius excitati à mortuis, & gloria nominis eius in Ecclesia vsquequaque diffusa permoti, & ipsi ad mensā veniūt, māducāt & adorāt, nō tamē saturātur, quia nō esuriūt & sitiūt iustitiā. Aliū Dauidis locū, Adorate scabellū pedum eius, quoniā sanctum est, Ambrosius, Augustinus & Cassiodorus, quasi vulgò creditū de eadē adoratione repeiūt. Sic enim Ambrosius: Cōsiderate qua ratione ad incarnationis dominicæ sacramentū spectare videatur propositū Prophetæ exemplū. Nō enim ex hominū vsu æstimandū hîc scabellū: nō est corporalis Deus, aut nō immensus, vt tanquā fulcrū pedibus eius scabellū subiectū putemus. Nec adorandū quicquā præter Deū legimus, quia scriptū est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quo ergo modo aduersus legem Propheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in

Chrys. lib. 6. de sacerdotio.

Testimonia Patrum de adoratione Euchar.

Orig. ho. 13. in Exod.

In Psal. 21.

Aug. ep. 120. cap. 24.

Ambr. lib. 3. de spiritu cap. 12.

in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideò diligentiùs consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cœlum mihi thronus est, terra scabellum pedum meorum. Sed nec terra nobis adoranda, quia Dei creatura. Videamus tamen ne terram illam Dauid adorandam dicat, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorauerunt. Edoctus ab Ambrosio Augustinus, eadem ferè habet. Videte (inquit) fratres, *August. in Psal. 98.* quid nos iubeat adorare. Alibi scriptura dicit, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos hîc iubet adorare? Et quo eam modo nos adorabimus, cùm alibi dicat apertè, Dominum Deum tuum adorabis? Anceps factus sum. Timeo terram adorare, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum Domini mei, quia Psalmus dicit mihi, Adorate scabellum pedum eius. Quęro quid sit hoc scabellum. Ad Christum couerto, quia ipsum quęro hîc, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra scabellum pedum eius. Suscepit de terra terram, quia caro terra est: de carne Marię carnem accepit: in qua quia hic ambulauit, eámque nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam manducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est quémadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorãdo, sed peccemus nõ adorãdo. Certè nec Ambrosius, nec Augustinus, hãc quasi nouam à se inuentam obtrudunt expositionem, sed tanquã indubitatã, & omnibus Christianis tritã sequũtur, ac de corporis Dominici adoratione in Eucharistia verba faciũt, tãquam de re, quæ sine scelere & piaculo negligi vel omitti à quoquã nõ possit. Ante hos Cyrillus Hierosolymitanus ad eãdem communicaturos hortatur. Post *Cyrill. Hierosolymit. catech. 5. Mystag.* cõmunionẽ corporis Christi, accede & ad calicẽ sanguinis illius nõ extendẽs manus, sed pronus, adorationis in modum & venerationis, dicens, Amẽ. Nihil moror quod cõtra hæc testimonia garrit Petrus Martyr, quasi Christus absens adoretur in mysteriis: sufficit nobis modò, quòd credentes Lutherani Christum præsentem sine peccato nequeãt ipsi adorationẽ denegare: nec certè Ambrosius & Augustinus aliã causam adorãdi Christũ in Eucharistia inquirũt, vel reddũt, quã verã carnis & terræ viuificę in illa præsentiã. Ideò ait Ambrosius, Sic in mysteriis carnẽ adorari, quam hîc ambulantem Apostoli adorauerũt: & Augustinus exprimit, Quæro ipsum Christũ hîc, & hîc inuenio terrã eius, quę sine impietate adorari possit, quę caro eius est, in qua hîc ambulauit, & quã hîc nobis manducandã dedit, eiúsque manducãdæ gratia & adorãdę oportet nos ad mẽsam & ad altare accedere, vt idem Augustinus ad textum, Manducauerunt & adorauerunt pingues terræ, antea monuit: quandoquidem Christũ sedentẽ in cœlo vbiq; datur adorare, sicut leuare puras manus in omni loco: nec ita peccas, si extra Eucharistiam non adoraueris, vt peccas, si in ipsa non adoraueris. Ex quo definit Augustinus, certum locũ præsentiæ carnis Christi, & eius adorãdæ in Eucharistia, ob ídque alibi tradit nos carnem Domini opertam panis forma *Can. Nos autẽ. De consecrat. dist. 2. Accesserunt. Et De Catechisand. rudib. cap. 26.* hîc adorare, ibidémque res inuisibiles carnem & sanguinem Domini honorare. Plura ex Augustino audies, capite Contra Sacramentarios. Ad eiusdem verò Augustini sententiam Alexandrina & Ephesina Synodi videntur alludere, cùm profitentur incruẽtam se latriam in Ecclesiis peragere, atque ita ad perceptionem carnis viuificę accedere. Scio pro sacrificio incruento decenter hîc latriam transferri: sed nihil impedit, quin pro tota adoratione & cultu, cuius pars sit sacrificium, sumatur. Eodem etiam spectauit Nicena prima Synodus, cùm iubet nos non demissè attendere tantùm, quod in altari sub sensum cadit, sed fide intueri Agnum tollẽtem peccata mundi, in mensa positum, & pretiosum seu honorandum eius sanguinem,

ac verè sumere: quod vtique monet, vt pluris fiat & honoretur Eucharistia, quàm esse apparent. Tùm enim agebatur contra eos, qui nihili sacramenta pẽdebant, & indignum Deo iudicabant, ipsum aut dona spiritalia sub elementa mũdi huius redigi, ideóque ibi de re contenta in baptismo & Eucharistia differitur. Eusebius sanè Emissenus totidem ferè verbis mentem Concilij declarat, atque ait: Sicut hoc, quod in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, in baptismo vtique non oculis, sed sensibus animi credis: ita & tu, cùm ad reuerendum altare salutari cibo potúque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & haustu maximè interiori assume. Martyr arrodit honorandi vocabulum, quasi minus quàm adorandi: deinde annuit absentem in mysteriis honorandum. Sed cùm hîc non dicat honorari signum, sed quod illi subiacet, ac mente præsens perspicitur: vtique adorandi loco, honorare tanquam generalibus substituit, & de præsente corporis ac sanguinis Dominici substantia intellexit, in quam ibi tradit, visibiléśque terrenas creaturas conuerti. Eadem cum Nicena Synodo phrasi Chrysostomus scripsit, inter sacra mysteria Agnum ibi iacentem, & tollentem peccata mundi inuocari, qui cum aliis vetat manducare, priusquàm adoraueris. Considera (inquit) quæso, mensa regalis est apposita: ipse rex adest, tu astas oscitans. Si pura sunt vestimenta, puta animæ stola, mensę igitur accumbe, adora, & communica. Quinetiam Christianos pudefacit, qui segniùs aut rariùs ad sacra venritant, & ad Christum adorandũ. Hoc corpus (exclamat) in præsepi reueriti sunt Magi, & viri barbari longo itinere confecto, cum timore ac tremore plurimo adorauerunt. Imitemur ergo barbaros nos cœlorũ ciues. Illi cùm præsepe tantùm & tugurium, nec eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderẽt, summa cum reuerẽtia & honore accesserunt. Tu verò id nõ in pręsepi, sed in altari non mulierẽ quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem pręsentem, & spiritum perabundè super proposita diffusum sacrificio vides. Nec simplex, vel simpliciter, vt illi, corpus intueris, sed eius potentiam, & omnem cognoscis administrationẽ, & nihil eorum, quæ per ipsum facta sunt, ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur, horrescamus, & maiorẽ quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, & nõ simpliciter nec frigidè accedẽtes, igni vehementiori accedamus. De more adorandi Christũ in Eucharistia super altare, egregiam narrat Gregorius Nazianzenus in sororis Gorgoniæ funere. Hãc historiam. Desperatis (inquit) aliorum omnium auxiliis, ad mortalium omnium medicum soror in morbo confugit, noctísque intempesta caligine obseruata, cùm leuiùs aliquantò morbus vrgeret ad altare, cum fide procumbit, eúmque qui super illud colitur, cum magno clamore obtestans, omnibúsque nominibus appellans, atque omnium rerum, quas omnes mirificè gesserat, commonefaciens (nam vtriusque Testamẽti historias callebat) tandẽ pia & præclara impudentia effertur, &c. Petrus Martyr mulieris imperitiam excusat: sed rerum Christianarum gnaram frater prædicat. Martyr non Superaltare vult verti dictionem ἐπί, sed In altari: vt adoratio quidem Christi corporis absentis fiat in altari, non autem super illud iacens colatur. Sed eodem prorsus stilo Gregorius subiicit, sororem caput inclinasse super altare, & cur potius procubuisset ad altare venerabunda, quàm in alia parte templi. Et an non id venerabatur, quod oculis admouit, & tetigit super altare, ad imitationem fœminæ sanguinifluæ, quæ Christi fimbriam adorabunda quoque attrectauit, cui sororis factum Gregorius comparat? Oportet igitur eundem Christum cum fimbria, seu Eucharistiæ operimẽto, super altare stetisse, cultúmque ibi fuisse, cui Gorgonia oculos applicauit. Quin etiam Patres ipsi asserunt, non à solis hominibus Christum in altaris sacramento coli, sed ab ipsis Angelis,

Emissen. hom. 5. Paschal.

Chrysost. hom. 41. 1. ad Cor. hom. 61. ad popul. Antioche. et hom. 3. ad Ephes.

Chrysost. hom. 7. in Matth. hom. 24. 1. ad Cor. & hom. de sancto. Philogon.

gelis, qui frequentes & venerabundi sacris nostris intersunt. Ex Chrisostomo loci sunt ferè innumerabiles, sed vnus hic insignior. Cùm sacerdos (inquit) Spiritum sanctum inuocauerit, & sacrificium illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus pertractato, per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in eius qui immolatur honorem, angelorum choris plenus est: id quod abundè licet credere vel ex tanto illo quod tum peragitur sacrificio. Equidem quédam commemorantem olim audiui, cùm diceret, senem quendam, virum mirabilem, cui multa fuissent mysteria diuinitùs reuelata, sibi narrasse tali quondam sese visione dignum à Deo habitum: per illud tempus repentè Angelorum multitudinem conspexisse, quatenus humanus aspectus ferre poterat, fulgentibus vestibus indutorum altare circundantium, sic denique capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege stantes videat. Ambrosij verò textus est: vbi caro tua in veritate sumitur, sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summa imis iunguntur, vbi adest præsentia sanctorum Angelorum, quanta cordis contritione, lachrymarum fonte, reuerentia, tremore, corporis castitate, animi puritate celebrandum diuinum hoc & cœleste sacrificium? Quis (inquit Gregorius) fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri? Alias mulras authoritates Patrum sequentia capita suppeditabunt, in quibus animaduertas omnes de adoratione carnis Dominicæ in sacramento numquam loqui, vel differere, tanquam de re dubia & controuersa, sed ab omnibus credita & confessa, quam nefas esset spernere, vel negligentiùs obire. Quinetiam plerasque difficultates in religione & scripturis expedire ac soluere ex illa, tanquam ex quodam religionis fundamento, quemadmodum ex Ambrosio, Augustino, atque aliis, hîc protulimus. Postea proferemus de Theodoreto, ex adoratione Eucharistiæ probante carnem Christi verè adorandam. Ex his verò triplex Lutheranorum error circa præsentem articulum concidit. Priori nedum ex præcepto nolunt coli Eucharistiam, sed cultum pro idololatria insectantur. Altero, ex ipsis mitiores piam quidem assentiuntur Christi in illa venerationem esse, sed inficiantur necessariam, vel imperatam. Tertio, cordatiores & oculatiores fatentur, sine reatu & scelere non prætermitti, sed in solo vsu & sumptione requiri. Nam ex Dauide, Apostolo, atque Augustino constat, neminem piè manducare, nisi priùs adorauerit, & non peccare, qui adorauerit: sed contrà, qui ab adoratione defecerit, rearum incurrere. Ideò adorare nec idololatria est, nec liberum est & indifferens colere, vel à cultu abstinere, nec in solo vsu cultus versatur, cùm nemo vti debeat, nisi priùs adorauerit, & extra vsum Gorgonia coluerit, & coli solitum Christum super altare Gregorius Nanzianzenus affirmauerit, atque ad eum ibi adorandum Chrysostomus atque alij inuitent, sicut à Magis sine sumptione adorabatur, & in sacramento ab Angelis adorari antiquitas testatur.

Chrysost. lib. 6. de sacerdotio. ho. 61 ad pop. Antioch. hom. 3. & 14. ad Ephes. hom. 17. & 36. 1. ad Corint. hom. de Eucharist. in Encæniis.

Ambros. Orat. 1. in Missam.

Gregor. Mag. dialog. 4. cap. 16.

Triplex error Lutheranorū ex adoratione refellitur.

EX ADORATIONE OSTENDI PRAESENTIAM ET *existentiam corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, contra Sacramentarios.*

CAP. 5.

EX præſentia corporis Dominici quàm neceſſariò eius adoratio cõſequatur, caput ſuperius contra Lutheranos peruicaciores demonſtrauit. Nunc viciſſim ex adoratione, quæ fit in ſacramento corporis Dominici, in eo præſentiam contra Sacramentarios aſtruamus, & quid ipſi ſacramento venerationis ſit impartiendum, poſtea contra Mediaſtinos excutiemus. Cinglius rectè iudicauit, verba Chriſti de inſtitutione Euchariſtiæ, in naturali ſono & proprietate retineri nõ poſſe, quin ex ipſis corpus adeſſe, & adoratione afficiendum affirmaretur: quam ne cogeretur fateri & admittere, maluit Chriſtum de ſacramento tollere, & perdere, ac ſcripturam peruertere. Huius enim ſuæ audaciæ nullam grauiorem cauſam affert, quàm adorationis metum. *Cing. epiſto. ad Alberum.* Sic enim habet: Si verba Euchariſtiæ non fuerunt hactenus rectè intellecta, peccatum eſt hic magis quàm vlla in re: vt neſcio an maior fuerit abominatio, adorauiſſe aureum vitulum in Dan, quàm adorauiſſe panem iſtum benedictum, ſi modò panis ſolummodò eſt. Aptè ſanè Cinglium, Caluinum, atque alios contuleris cum Herode, Herodianóſque cognominaris, qui ſe admodum anxios ac ſtudioſos ſimulant de vero Dei cultu, cùm interea ea ſimulatione & prætextu nihil aliud curent, quàm Chriſtum de medio perimere: de quibus iſta Chryſoſtomus loquitur: *Sacramentarij de cultu Chriſti ſunt ſolliciti vt Herodes, ad eũ perimẽdum. Chryſoſt. hom. 9. in Matt.* Si Magus fortè ſis, nihil te ad hunc regem introire prohibebit, adoraturus modò & honoraturus Dei filium venias, & honorem cum gaudio & tremore hunc offeras: ſed caue ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas, Vt & ego veniẽs adorem eum: cúmque veneris, interimere coneris. Huius enim ſimiles ſunt, qui indignè abutuntur communione myſterij. Reus, inquam, hic eſt corporis & ſanguinis Domini. Tales habent in ſe tyrannum Herode peiorem, nempè Mammonam, qui cultores ſuos mittit ad Chriſtum, vt ſpecie quidem adorare videantur: eum verò, quãtum in ipſis eſt, interimant, quem adorare ipſi ſimulant. Timeamus ergo, ne quantum in ipſis eſt, interimunt, quem adorare ipſi ſimulant. Timeamus ergo, ne quando ſupplicum ſpeciem geramus, & adorantium: opere vero exiſtimemur inimici. Caluinus ac Petrus Martyr, quia ſe adobrui teſtium antiquorum multitudine de adorato Chriſto in Euchariſtia ſentiunt, partim eleuant Patrum teſtimonia, quæ nequeunt deprauare (quaſi non quibuſuis Patribus ſit credendum, vt præfatur in hac materia Martyr) partim à ſe ſtare contendunt, & adorationem ab illis commemoratam non ferri in rem ſub ſignis latitantem, ſed ad Chriſtum ſedentem in cœlis referri, de quo nos commonefaciat ſacramentum. *Caluin. lib. de Cœna, & lib. 4. inſtitut. cap. 17. numer. 36.* Caluinus conſenſionem cum Tigurinis hoc pacto concludit: Quòd ſi imaginatione noſtra Chriſtum pani & vino affigere non eſt, multò minus licet eum in pane adorare. Quanquã enim panis in ſymbolũ, & pignus eius, quã habemus cum Chriſto cõmunionis, nobis porrigitur, quia tamen ſignum eſt, non res ipſa, neque rem in ſe incluſam habet, aut affixam, idolum ex eo faciunt, qui mentẽ ſuam in eum conuertunt, Chriſtum adoraturi. Ex veteris Eccleſiæ obſeruatione, populus præmonebatur ſurſum corda erigere, vt intelligeret non eſſe ſigno viſibili inhærendum ad Chriſtum ritè adorandũ, ſed animum erigẽdum in cœlum, vt ibi Chriſtum recipiant & adorent. *Martyr. ad obiect. 1. & ad obiect. 38.* Martyr verò ita cauillatur: De adoratione quomodo adhiberi debeat in percipiendis ſacramentis, in præſentia parum dicam, nempè in re aperta, quoniã ſi mens non ad ſymbola, ſed ad ſignificata referatur, poreſt adoratio licitè interponi. Sic cũ auditur in Symbolo, Et homo factus eſt, aut oratio aliqua conſimilis, permulti Chriſtum adorant, cùm tamẽ corpus eius præſens non habeant. Quare cùm percipiuntur ſacramenta, audiuntúrque promiſſiones ad ea ſpectãtes, ſi Dominum adoramus, non propterea illius realẽ corporalémque teſtamur præſentiã. Quid ergo aiunt Papiſtæ carnẽ Chriſti in myſteriis

adorari? Hoc fieri oportere non negamus. Christum enim vbique & in verbo suo, & in sacramentis ab ipso institutis adoramus, & statim ad nomen Iesu caput aperimus. Et in Italia cùm in Euangelio legitur, Et verbum caro factum est, cúmque in Symbolo, & homo factus est, omnes astantes procumbunt. An cùm in his verbis pura sinceráque fide adoretur, in eis Christum realiter & corporaliter esse credemus? Heildebergenses verò assentiũtur adorari Christum in Cœna, cùm tamen negent in sacramento venerandum, quia Cœnam pro actione cœlesti, quæ mente Christum in cœlo intuetur vsurpant, non pro externa sumptione sacramenti. Ideò superstitiosum iudicant, si quis anxiè caueat, ne quicquam decutiatur in terram de pane Eucharistiæ, aut si quisquam se coram eo prostrauerit. Consideremus itaque horum discordem concordiam, ac mutuam de idololatria condemnationem. Caluinus quidem aliquando adoratione digna in genere existimat omnia sacramenta. Scribit enim: Sãcto Dei verbo, & adorandis mysteriis, ne temerè, præposteréque abutamur, vel ad ambitionem, vel ad auaritiam, vel ad ludicra nostra, sed prout impressam gerunt nominis diuini dignitatem, suum inter nos honorem ac pretium semper habeant. In libello, quem Gallicè edidit, De formula administrandi sacramenta, sic loquebatur: Quoniam percipimus verè Christum hoc sacramento, propterea meritò adoramus in spiritu & veritate in sancta Cœna, & sumimus Eucharistiam cum grandi reuerentia. Postea in aliis huius libelli editionibus & formulis Geneuensibus dispuncta fuit tota illa clausula, vtpotè prorsus profanata Eucharistia. Nihilominus teneri non potuit Caluinus, quin contra Hollandum pro impietate habeat, panem Eucharisticum canibus proiicere, ita vt eius vsum aliquo dignaretur honore. Cæterùm in aliis libris pro idololatria putat, assurgere, vel genu flectere coram pane eucharistico, sicut illi exprobrat Vvestphalus: & certè totam venerationem sacramenti vocat carnalem, quæ dona pro datore colat. Propterea narrat D. Espen. sibi testatum ab opulento mercatore Lutetiæ, non placuisse ministris adgeniculari sumentes Eucharistiam. Quod si sic nefas est panem illum venerari, quid distabit à profano? quid impediet canibus & asinis apponi? quid erit causæ, quominus putetur idololatria venerari quocunque pacto verbũ Dei, omniáque alia mysteria, quæ adorãda nominat Caluinus, & quæ in honore & pretio esse iubet? Panis enim hic, sicut alia, est mysterium & sacramentum, & tam præsto ex sua institutione habet Deum & Christum, quàm verbi diuini Euangelium. Idcircò rectè contra Calninistas ratiocinatur Lutherus. Nos (ait) non tantùm orãtes, sed & baptisantes, absoluentes, & absoluti, & accedentes ad sacram synaxim, quin etiam ad recitationem promissionis, vel textus Euangelici, genua flectere, vel saltem stare debemus, in signum adorationis, seu reuerentiæ, seu gratitudinis. Et si in Cœna Dominica nihil aliud porrigeretur, præter panem & vinum, sicut Sacramẽtarij blasphemãt, tamen est ibi promissio, & vox diuina, & Spiritus sanctus per verbũ in Cœna. Ideóque nos decebat cum reuerentia accedere. Quanto verò magis id fieri par est, quãdo credimus adesse verum corpus & verum sanguinem cum verbo? In odium Eucharistiæ maluerunt Cingliani & Caluinistæ semel omnia diuina mysteria polluere, omnémque religionem ergà ipsa exuere, ac contra naturæ præceptum in ipsis nomen Dei in vanum accipere, quàm quicquam venerationis ex eadem ratione altaris sacramento relinquere. Quocirca nec in nomine Iesu genua flectunt, tametsi præcipi Caluinus alicubi contendat, nec caput ad vllius nominis, aut verbi diuini prolationem & auditum aperiũt, nec nisi ientaculo, aut cœna facta cœnam Dominicam capessunt, nec in baptismo aliter quàm in ludicra aspersione se gerunt. Nonnũquã cõtrà Caluinus inuitus fatetur, pani cœnæ eum deferendum honorem, vt nõ

Calu. lib. 2. Instit. cap. 8. numer. 22.

In edit. anni 1540.

In edit. anno. 1545.

Vvestphal. Apol. in Calu.

Caluin. lib. 4. institut. ca. 17. num. 36.

Espen. li. 5. ca. 9. de adorat.

Luth. in Genes.

In odium Eucharistiæ omnẽ pietatem exuerunt Sacramẽtarij.

Calu. in Consens.

canibus iactetur, & eo se esse animo negat, vt velit omnes ceremonias improbare quæ honestati & ordini publico inseruiunt, quibus maior reuerẽtia sacramento exhibetur, modò aptè conueniant, & sobriæ sint. Sic Caluinistas & Cinglianos plerosque videas etiam non cogitantes vltrò religiosiùs se componere in illius panis susceptione, quàm in Euãgelij auditione, & cõcione, aut diuini nominis mentione, & quàm Catholici faciant in Catechumenorum pane, qui sacramentum dicitur, sed non corpus Christi. Ex qua, nõ solius doctrinæ, sed factorum cum doctrina, & inter se pugnantia, coarguuntur Sacrametarij maiori idololatria quàm nos infici, si corã panis vacuo sacramento eo cultu defungũtur, quo nõ defungeremur, si Eucharistiam inanem panem putaremus, nec corã Catechumenorũ pane defungimur aut magna impietate laborare, si nihil inter profanum & sacrum disctiminãt, & Dei ac Christi res & nomina contemptim suscipiunt. Nos autem imprimis statuamus, non sufficere, si adoretur Christus in Cœna, seu sacramenti celebratione, quod volunt Sacramentarij. Nam singularis ac peculiaris hîc requiritur adoratio præter communem, quæ Christo in omni loco debetur. Nam hoc singulare Dei beneficium desiderat suam peculiarem venerationem, sicut suam peculiarem habet fidem. Vt enim filius Dei incarnatus singulariter adoratur à Baptista in vtero, à pastoribus & Magis in stabulo, ab Angelis in deserto, sic adorari debet à fidelibus in sacramento, cùm ibi sit aliqua peculiari præsentia, seu reali, seu spiritali. Non igitur sufficit ei, qui Cœnæ interest, vt Christum adoret: quod vtique esset necessarium, etiamsi nullo speciali modo in sacramento esset: imò si nec hoc vnquam sacramentum institutum fuisset. Nec adoratur sola deitas, vel Hypostasis, quæ vbique, sed Christus, vt in hoc sacramento realiter præsens, & corporaliter. Sit licet fides in Christum necessaria, & ponenda ante solam spiritalem sumptionem, vel etiam sacramentalem, non tamen sufficit, sed postulatur propria & peculiaris, qua creditur verbo eius dicentis, *Hoc est corpus meum*: &, Qui manducat me, viuet propter me. Errant ergo primùm Aduersarij, qui non aliter adorandum Christum in hoc sacramento docent, quàm omni in loco, & quàm si nullo aliquo speciali modo hîc adesset. Nam cùm nullam singularis honoris rationem habeant circa hoc sacramentum, fit vt nullam fidem protestentur singularis alicuius præsentiæ de Christo. Quis autem ille sit modus præsentiæ, ex diuersitate adorationis & venerationis facilè tandem concludetur. Sacramentalis modus, seu signi ratio considerata in pane, nec respondet, nec exigit debitum, & hactenus post Apostolos delatum huic sacramento honorem. Catechumenis licuit semper Euangelij auditioni interesse, omnibúsque orationibus, ac lectionibus, in quibus Christus adorabatur, eo modo quo Aduersariis placet adorari in sacramento. In his enim cum fidelibus aut assurgebant, aut genua & capita demittebant: numquam tamen illis fas fuit Christum in Eucharistia intueri, aut venerari. Alio igitur modo oportet ibi Christum esse & coli, quàm in puro signo sacro. Deinde de pane benedicto, quòd esset signum & sacramentum corporis Christi, licuit Catechumenis & canibus etiam edere, vt ait Chrysostomus: at panem Eucharistiæ nec canibus iactare, nec Catechumenis vnquam concessum fuit degustare, proprerea quòd non solùm sacramẽtum corporis esset, sed corpus ipsum, nec solùm panis sanctificatus crederetur, sed ipsa sanctificatio, quemadmodùm apud Augustinum & Chrysostomum legitur. Disparitas ergo venerationis & pretij ex rei disparitate nascebatur atque arguebatur, & à singulari æstimatione Eucharistiæ, singularis ac realis Christi in ea præsentia authoribus illis conuincebatur. Nec vnquam ea præparatio & probatio ad auditum Euangelij, & diuini

Maiori idololatria Sacramentarij quàm alij tenentur.

Non satis est adorare christum in Cœna.

Ratio sacramenti non est sufficiẽs causa adorandi Eucharistiam.

Chrys. hom. 17. Oper. imp. in Matth.

Disparitas venerationis debita arguit rei disparitatem.

diuini nominis vel sermonis ab Apostolo, quæ in sumptione Eucharistiæ quæritur, nec ab eodem alia ratio tantę dispositionis & singularis venerationis redditur, quàm quòd hîc discerni oporteat esse corpus Domini. Propterea ait Augustinus: Aliter Apostolus per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis & sanguinis eius significauit Christum. Nec linguam quippè eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantùm, quod ex terræ frugibus acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritalem. Et infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, vnde, vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur. Quod cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei. Etsi nunquam discant experimento, vel suo, vel aliorum, & numquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum, cùm offertur & datur, dicatúrque illis authoritate grauissima, cuius corpus & sanguis nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso liquoré illum omninò effluxisse. *August. lib. 3. De Trinit. cap. 4. & 10.* Hîc Augustinus declarat Christianorum religionem versatam maximè in adoratione huius sacraméti, quę in eius oblatione & sumptione præstabatur. Ob id ait sacramentum hoc assumi in vsum religionis, & pietatis celebrationem: ac Contra Faustum vocat sacramentum religionis, vbi de adoratione agebatur, quam à Christianis Baccho & Cereri Gentiles, pani verò & vino Manichæi mentiebantur fieri. Ad illam verò statim ab infantia instituebantur Christiani pueri, qui ideò grauissima authoritate docebantur esse corpus Christi, qui in tali specie voluisset apparêre oculis mortalium, atque ab aliis signis Christum significantibus discrepare, quòd hoc sacramentum esset signum, & nihilominus ipsummet corpus Christi ex terræ frugibus ad illam visibilem speciem perductum hominum ministerio, sed omnipotentia Spiritus sancti. Itaque Eucharistia sacramentum quidem est, & signum sicut alia, sed nō nudum vt alia: imò etiam corpus ac sanguis Christi est: ideóque præ aliis colitur & adoratur, quantum interest inter nudum signum, & rem ipsam in signo. Causam verò adorationis etiam pueris rerum ignaris rogantibus respondetur, quia sit ipsum corpus Christi, & sanguis in specie panis & vini. Quamuis baptismus nouæ legis proprium censeatur sacramentum, Spiritúmque in aquę lotione afferat, non tamen adoratur ipsa lotio, nec aqua, sicut Eucharistia: quia non in essentia adest spiritus in aqua, sed tantum spiritus donum: in Eucharistia verò insidet caro Christi adoranda. *Quare Baptismus non adoretur vt Eucharistia.* Quòd si tantùm efficacia carnis insideret, non ipsa Eucharistia vera adoratione esset afficienda, sicut nec aqua baptismi, quia tum donū pro datore coleretur: quod accusat meritò Caluinus. Quanto minus illa perferret adorationem veram, si tātùm nudum esset signum, vt Euāgelij prędicatio & scriptura sacra, ac quęcunque verba diuina. Non negamus plurimum honoris tribui oportere sacris signis & sacramentis. Non negamus amplius deberi diuinis donis, & Deū per ipsa adorari: sed impium fuerit tantum venerationis effundere signis & donis præsentibus, quantum impenditur Deo ipsi, & Christo eius præsenti. At cùm in Eucharistia ea fieri à Patribus prædicetur adoratio, quam Christo in terris Apostoli atque alij præbuerunt, & quam Angeli in cœlis illi exhibent, vt de Ambrosio atque aliis superiori capite audiuimus: irreuerentia verò illata sacramento æquatur ab Apostolo in scelere & pœna impietati Iudaïcæ, qua Christum conspicuum miserè diuexarunt, efficitur profectò, vt longè alia veneratio reputetur, quàm quę conueniat signis, aut donis diuinis, sed quæ coarguat Christi tam veram hîc, quam haberet in

terris præsentiam. Propterea nec primi Christiani, neque nos ita anxiè cauemus, ne quid de aqua baptismi effluat in terram, aut aliò, sicut curamus ne quid de pane vel vino Eucharistiæ in terram decidat: nec si fiat ibi sicut hîc, reos nos arbitramur corporis & sanguinis Domini propter irreuerētiam. Scio quidem Origenem & Augustinum monere, vt eadem adhibeatur cautio in audiendis diuinis sermonibus, ne quid per nostram negligentiam depereat: sed suo more allusionibus gaudent à cibo reali Eucharistiæ ad spiritalem, debitámque in vtroque conuenientiam, non quòd eandem Christi in vtroque statuant præsentiam, aut eandem venerationem sed correspondentem per quandam similitudinē, pro modo diuersæ in vtroque præsentiæ.

Origen. hom. 13. in Exod. Aug. Serm. 26.

August. epist. 118. ad Ianuar.

Propterea Augustinus meliorem non potest inire rationem metiendi honorem & cultū, quo ad altaris sacramentum veniendum sit, quàm ex eo, qui corpori Christi præsenti debetur, & in terris à piis, dū viueret, impēderetur, séque in hoc habere authorē Apostolū gloriatur. Quærebatur ab illo, an quotidie capiēda esset Eucharistia, & non potiùs dies eligendi, quibus puriùs homo & cōtinentiùs viuit. Faciat (inquit) „ vnusquisque, quod secundum fidē suā piè crederit esse faciendum. Neuter enim eo- „ rum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum cer- „ tatim honorare contenderit. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & „ Centurionis exemplo indignum se putat Dominum sub tectum recipere: & ille ho- „ norando non audet vllo die prætermittere, sed quasi Zacheus, Dominum gaudens „ in domū suam suscipit. Contemptum solum non vult cibus hic. Indè enim Apo- „ stolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non discernebant à cæteris cibis, venerationē singulariter debita. Continuò quippè cùm dixisset, Iudicium sibi māducat & bibit, addidit vt diceret, Non diiudicans corpus Domini. Vides venerationem singulariter deberi huic sacramento præ aliis, & ideò deberi, quia sit corpus Christi, vt inferas ex veneratione singulari veram & realem præsentiam, cùm spiritalis quæcunque in aliis sacramentis comperiatur, per quàm sibi deposcerent venerationem cum Eucharistia, nisi ex singulari veneratione ista sibi vēdicaret singularem Christi præsentiam. Præterea in Missa perpetuò Christiani aliter adorarunt Christum ante cōsecratam Eucharistiam, & aliter in consecrata. Nam priùs in diuinitate cum Patre præsentem, sed in humanitate absentem, postea tanquam proximè in ipsa Eucharistia futurum præsentem adorabant. Verùm in hostia consecrata Deum & hominem præsentissimum maiori religione colebant, vtque proximiorem factum inuocabant: & se ibi habere plenum Christum, qualis existeret in cœlo, iactabant, séque adhortabāntur ad aliud perspiciendum & honorandum in signis, quàm antea: ad seruiendum agno iacenti in altari, sursum mentē & corda attollenda, quasi mutatis sedibus in cœlo versarentur, & non in terra, totique extra se raperētur. Quæ certè omnia ex diuersa, atque ex singulari adoratione, probant Christum in Eucharistia tam præsentem, quàm sedet ad dexteram Patris. Quòd adoraretur in omnibus quæ cōsecrationē antecedebant, seu consequerentur, quæ finiuntur in Ecclesia per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, Origenes ita narrat: Sicut offerimus Deo Patri primo „ omnium orationes, postulationes, gratiarum actiones, ita Christo ea offerimus. „ Vnum enim vtrique honorem deferendum sermo docet diuinus, vt omnes ho- „ norificent filium, sicut honorificant Patrem. Nos vnum Deum, & vnum eius fi- „ lium Verbum, imaginem votis & precibus, quantum possumus, honoramus, offe- „ rentes ea Deo vniuersorum Domino, per suum vnigenitum eidem primùm oblata „ supplices, vt qui est propitiator pro peccatis nostris, dignetur, tanquam pōtifex, no- „ stras preces & sacrificia offerre Deo optimo maximo. Quando instabat consecratio, „ cum catechumenis pœnitentes abigebantur: Quia (inquit Chrysost.) sicut ad men- „ sam

Ex diuersa adoratione Christiani ostenderūt aliter Christum esse in sacrata Eucharistia, quàm extra ipsam.

Orig. hom. 6. in Iosue. & lib. 8. in Celsum.

Chryso. hom. 61. ad pop. An-

"sam veniente Domino, seruos, qui Dominum offenderunt, adesse non oportet, "sed procul arceantur: ita scilicet & hîc, dum profertur sacrificium, & Christus im- "molatur, & ouis Dominica, cùm audieris Oremus omnes communiter, cùm "vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita, & Angelos descende- "re. Indigni sunt & oculi peccatorum hisce spectaculis, indignæ sunt & aures. Si be- "stia (inquit) tetigerit montem, lapidabitur: Ita nec ascensu digni fuerunt, li- "cet postea & accesserint, & viderint vbi Deus constiterat: licet postea accedere & "videre. Cùm adest quidem, abi: non tibi magis astare licet, quàm catechu- meno. Eiectis pœnitentibus & catechumenis, introducebantur energumeni, & abreptitij à Dæmone, iubebantur adorare proximè venturum Christum in Eucharistiam paratam: ante eius consecrationem tamen emittebantur. Rationem "explicat Chrysostomus. Docere vos volo (ait) cur homines dæmone agitatos my- "steriorum primo tempore capita inclinare iubeat Diaconus. Vt itaque tempore in- "stante, quo iudex prodire, & pro tribunali sedere solitus est, custodes carceris ho- "mines, quos in vinculis tenent omnes carcere educunt, & pro cancellis septísque fo- "ri collocant squallentes, sordẽtes, coma expletos nimia, pánis miserrimè obductos: "sic Patres statuerunt, vt cùm breui Christum velut pro tribunali sedere, in ipsisque "sacramentis apparẽte futurum esset, homines dæmone agitati illi, tãquam vinculis "quibusdam detenti adducerentur, non vt rerum quas commisissent, examẽ subirẽt, "nec vt luerent pœnas, sed vt populo vniuersáque ciuitate præsente, communes pro "his fierent supplicationes, vt omnes iugi concordia Dominum communẽ orarent "pro his. Postquàm indignos omnes abegissent, apparabãt altare, lauando spongia, ornando, vela contrahẽdo: inferebatur oblatio: tum ad excitandã feruentiorẽ adorationem, & dignã Christo præsente internam & externam à Diacono proclamabatur, Stephanus honestè: & à Sacerdote, Sursum corda. Cùm perageretur cõsecratio, altum agebatur in Ecclesia silentium, & quasi quidã stupor omnes occupabat, atque eleuata hostia popul^9 procumbebat, & tacitus adorabat. Huius singularis venerationis nulla alia recitatur, vel excogitari probabiliter ratio potest, quàm essentialis Christi in Eucharistia præsentia, quæ etiam est in cœlo. Id pergamus ex Chry- "sostomo discere. Non tonstrina, aut vnguentaria taberna est Ecclesia, aut officina "forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum. "Quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum iudicet, etiamsi "patrem, etiamsi fratrem videas, tamen præ stupore nõ alloquare, sic neque hîc aliud "quicquam quàm sancta sonare decet. Hîc cœlum esse dubitas: mensam istam vide, "cuius gratia constituta sit, & quapropter: cogita quis hic sit progressurus: ante pro- "gressum certè horrebis. Nam & thronum regis modo videns, non consurgit quis- "quis egressum regis expectat. Et tu igitur ante illud horrendum tempus animo tre- "misce, animo commoueare: priusquàm vela reducta, & chorum Angelorum "progressum vides, in ipsum vltrò cœlum ascende. Sed ista profanus ignorat. Idem "Chrysostomus alibi addit: Non cogitas hîc adesse Dominum inuisibiliter, qui "motum cuiusque metitur, & conscientiæ rationem habet. Non cogitas, quod "Angeli huic stupendæ mensæ assistunt, & cum reuerentia hanc circumual- "lant. Non cogitas, vt coram regibus omnis coërceatur tumultus, & maxi- "mum vndique silentium commendetur. At tu ipse regalem ingressus es aulam, "non illam quæ in terra est, sed illam quæ multo est terribilior, videlicet in "cœlo. Plurimum reuerentiæ & admirationis ostende. Benè constare iubemur, "quod nihil est aliud, nisi ita constare, vt hominem conuenit, qui coram Deo im- "mortali stat cum horrore tremoréque, cum sobrio pacatóque animo. Si non

[Margin notes: tioch. & ho. 3. ad Ephes. — Chrys. ho. 4. de Dei natur. — Chrys. ho. 36. 1. ad Cor. — Chrys. ho. in laude eorũ qui comparuerunt in Ecclesia. — Chrys. ho. 19. in Matth.]

alia Christi præsentia quàm spiritalis in Eucharistia datur, nulla erit noua: quandoquidem in cœtu fidelium in nomine eius cōgregatorum, etiam coram catechumenis & pœnitētibus spiritaliter adsit, & adoretur: cur nouus ergo ac tantus apparatus, cur noua & alibi inusitata adoratio, si nulla noua pręsentia? At (inquiunt) monemur adorationem in cœlum conuertere publica sacerdotis proclamatione, Sursum corda, & ibi Christum quærere. Nullus omninò inuenitur, qui ea voce quærēdum, vel adorandum Christum in cœlo significari dicat: sed Cyprianus, Augustinus, & Chrysostomus inuitari nos scribunt, vt auocemus mētem & cogitationem à terrenis rebus & sensibus, totámque in Deum & diuina mysteria ac beneficia considerāda transferamus: quod responsum indicat, quo accinitur, Habemus ad Dominū: nō in cœli loco, sed vbicūque Dominus se animis nostris obtulerit. Deinde quoties illi ea adhortatione nos acciri in cœlum annuunt, subiungūt aut nos, aut corda nostra cœlum fieri, aut Ecclesiam, aut mensam Dominicam, vbi Christum Angelis septū intueri mentis acie præcipimur. Ipsa Nicena Synodus, quā placet Caluino ad eam proclamationem alludere, cùm decernit, ne demissè & abiectè ad proposita panem & vinum attendamus, sed cogitationem nostram sursum erigamus, erectionem illam non ferri in cœlum ait, sed in agnum iacentem in altari, qui mente ac fide sit cognoscēdus ibi: ita vt per Sursum corda doceamur nō metiri sacramentū, siue ante, siue post consecrationē ex sensibus & rebus cōspectis, verùm ex rebus cœlestibus accedentibus ad ipsa terrena elementa, & fide spectare ibi corpus Christi, ac toto corde adorare in altari iacentem agnum. Eusebius Emissenus cum illa Synodo in ea intelligentia quoque accipit, sicut præcedenti capite citauimus. Originistæ, vt nunc faciunt Sacramentarij, grauiter ferebant tantum honoris exhiberi panis & vini speciebus in altari, quasi seruiremus elementis. Illos increpant Niceni Patres, quòd iudicent ex sensibus de sacramentis, & ad eorum penetranda interiora animum non attollant, ad quod agendum facile ipsos incitaret venerationis magnitudo, cum elementorum vilitate comparata: quòd Eucharistia tantum honoris non admitteret, nisi aliud sublimius contineret, quod illum honorem meritò susciperet. Venustè Algerus cum Nicena Synodo docet, in elementorum humilitate eam adorationis vehementiam præstari, vt moueatur mens & fides sursum supra elementa, ad coniiciendum aliquid longè ipsis elementis diuiniùs ibi latēre. Algeri verba sunt: in nouo sacramento ablata fide gratiæ interioris exterior „ species in panis mica, vel vini gutta, nullius est æstimationis, quia & in eo ideò „ nullius æstimationis exteriora facta sunt, vt ei quæ interiùs creditur gratiæ, „ omnis impenderetur summa deuotionis. Cassa enim videretur tot hominum „ assistentium, & huic sacramento ministrantium, vel adorantium veneranda se- „ dulitas, nisi ipsius sacramenti longè magis crederetur quàm videretur veritas „ & vtilitas. Cùm exteriùs quasi nulla sint, quibus tanta impenduntur venerationis „ obsequia, aut insensati sumus, aut ad intima mittimur magnæ salutis mysteria. Hoc „ est, quod paulò ante citabamus ex Augustino, cùm elementa ad vsum religionis assumūtur, mirantibus pueris tantam venerationem, rogantibúsque causam, respōderi grauissima authoritate, esse corpus Christi, quod sub tali ac tā vili specie oculis hominū apparere voluit. Nec certè Chrysostomus altius per Sursum corda, quàm ad apprehendenda ac veneranda altaris mysteria, & Agnum ipsum Christū ibi immolatū vocat: & cū Nicenis Patribus, nō immanendū intra oculis obuia elmemēta. Quid facis (inquit) homo? Num promisisti sacerdoti dicenti Sursum corda, & respondisti, Habemus ad Dominum? Num erubescis ea hora mendax inueniri? Papæ " mensa mysteriis instructa est. Agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te " angitur, "

De Sursum corda.

Algerus lib. 2. cap. 3.

Chryso. hom. in Encænus.

„angitur, ignis spiritalis ex sacra mensa effluit. Seraphin astant, incorporeæ virtutes „pro te cum sacerdote intercedunt, ignis spiritalis è cœlo descendit. Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est. Non confunderis. Num vides panem, num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? „Absit, ne sic cogites. Vt enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantię „remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria corporis consumi substantia. Quocirca, fratres, oro vos, ne absimus ab Ecclesiis, neque in aliis colloquiis occupemur. Stemus trementes, & sic Deo, cœlesti vtique regi, quasi qui terreno assistunt, astemus. Ad Petri martyris hyperbolas in his Chrysostomi verbis repertas alibi respondimus. Itaque sole clarius ex eadem adoratione, quę ab Angelis in cœlo Christo offertur, & ab eisdem in hoc sacramento redditur, & cum ipsis à nobis debetur & exhibetur, colligunt omnes Christiani, hîc corpus Christi & sanguinem tam residere in sacramento, quàm in cœlo, ob idque sacramentum cœlum fieri, ad cuius interna fide sursum supra sensum & elementa panis & vini sit euolandum, vbi Christum Agnum verum iacentem habemus, cui cum beatis & Angelis quasi in cœlo seruiamus. Hoc Chrysostomus in Liturgia, post Sursum corda, & alia „sic breuiter concludit: Attende, Domine Iesu, Deus noster, de sancto habitaculo „tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui in excelsis „vna cum Patre sedes, & hîc nobiscum inuisibiliter ades. Euoluant Aduersarij libros quoscunque, & explorent, an his sermonibus sint vsi Patres in aliis sacramentis & signis, quibus tantùm spiritaliter præstò est Christus. Nec contenti eo pacto ipsum venerari in Eucharistia, indè vt præsentissimum inuocabant: quæ „pars est adorationis, sicut Gorgonia Nanzianzeni soror in morbo fecit, & Chry„sostomus solitum fieri tradit: Inter sacra mysteria pro defunctis Agnum illum „iacentem, & peccata mundi tollentem deprecamur. Sed de hoc agetur capite De adorationis ritu. Nec item contenti fuerunt Patres veneratione Eucharistię, propter intimam pręsentiam corporis & sanguinis Domini, sed testantur altaria ipsa adoranda, & veneranda vasa mystica pręcipuè, propter carnis illius & sanguinis in ipsis mansionem & habitationem: ita vt potissimam causam honoris in illorum pręsentiam referant. Chrysostomus confert altaria tria, externum Iudaïcum, Christianum, externum quoque & internum, quod honorabilius asserit: quia externum Christianum tantùm recipiat corpus Christi naturale, internum „verò & mysticum sit ipsummet corpus Christi, non quidem naturale, sed my„sticum ex Christianis conflatum. Textus est. Hoc altare nouo quod nunc est, „nedum illo veteri, quod olim solùm, magis horribile est. Sed ne turbemini. Nam „hoc quidem nouum admirabile est, propter sacrificium quod super illud poni„tur. Illud autem hominis misericordis, non propter hoc solùm, sed quod ex illo sa„crificio, quod hoc facit, cōpositum est. Nam hoc mirabile. Lapis enim in natura qui„dem est: sanctus autem, seu sanctum fit, quoniã Christi corpus accipit. Illud verò al„tare sanctius, quoniam Christi corpus est: ita hoc illo lapideo fit horribilius, cui tu „laice assistis. Ergo tu hoc quidem altare honoras, quod Christi corpus accipit: „eum autem, qui Christi corpus est, contumelia afficis, & pereuntem despicis? „Quid est (inquit Optatus) tam sacrilegum, quàm altare Dei frangere, radere, re„mouere? Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Quid vos of„fenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? „Dum impiè persequimini manus nostras illic, vbi corpus Christi habitabat, „fregistis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Chri„sto in cruce: à vobis percussus est in altari. Hoc immane facinus geminatum

Chrys. hom. 41. in 1. ad Corinth.

Ex veneratione altaris præsentia corporis ostenditur.

Chrisost. hom. 20. in 2. ad Corinth.

Optat. lib 6. in Parmen.

est, dum fregistis etiam calices, sanguinis Christi portatores. Hieronymus vasa sacra in honore habenda probat propter consortium cum Christi corpore, quod accipiunt & continent. Sic enim scribit ad Theophilum de ipsius contra Origenistas libris, qui rebus inanimis nullum cultum sinebant impendi. In opere tuo vtilitatem spectauimus Ecclesiarum, vt discant qui ignorant, eruditi testimoniis scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrósque calices & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum pertinent Dominicæ passionis, non quasi inania, & sensu carentia, sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini, eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda. En duplex honorandorum vasorum causa, ex Domini scilicet passione repræsentata, & eiusdem Domini corpore & sanguine quæ in vasis habentur. Ante Hieronymum pro magno sacrilegio putabatur, vas aliquod sacrum frangere, aut in aliquem vsum profanum transferre, quasi recideret in contumeliam Christi, cuius caro & sanguis continerentur in ipso. Quocirca Athanasius in ius vocatus de hoc crimine, factum à se inficiatur, & criminis magnitudinem agnoscit, ac causam magnitudinis esse carnis & sanguinis Dominici in ipsis vasis administrationem. Mysticum poculum (ait) quod impium eum reddit, qui id vltrò frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesię præsides inuenias. Hic enim vnus vsus est calicis, & prĕter eum alius nullus, eóque solo vos legitimo ritu populo propinatis, eúmque vos pro canone Ecclesiastico accepistis: idémque duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesiis præsunt. Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi, & præterea nullius. Cæterùm vt impius est, qui hunc mysticum calicem frangit, ita multo magis impius, qui sanguini Christi contumeliam facit: facit autem, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur. Nec Chrysostomi sententia ab aliis discrepat, his verbis concepta: Quin perspicis vasorum venerandam illam suppellectilem sic vndique tersam, aquis perfusam, & tanto splĕdore refulgentem. Atqui his par est, nobis animas esse puriores, sanctiores, & virtutum ornamentis splendidiores. Cur id tandem? Illa si quidem nostri causa talia fiunt, alioqui eius qui inest, eiúsque virtutis inhabitantis non capacia, nec sentientia. Ait quidem illa mundari, non sui causa, quasi egeant munditia, ad dignè participandum corpus & sanguinem, sicut nos egemus, sed ad nos commonefaciendos, atque ad mundiciĕ excitandos ita repurgari, veneranda tamen esse propter eum qui ipsis inest, eiúsque virtutem in eisdem habitantem. Postremò si reuerenter Eucharistia esset tractanda & suscipienda, vt placet Petro Martyri, ob id duntaxat, quòd signum, figura, & sacramentum esset, cuius instrumento & medio Christus absens adoraretur: igitur adhuc vigeret inter Christianos figurata & Iudaïca adoratio. Iudęi enim adorabant in figuris, signis & sacramentis Deum & Filium eius in cœlo: à quorum ista adoratione Basilius nostram, quam in Eucharistia exercemus, tam remouet, quàm veritatem ab vmbra & figura: quod non obtineret, nisi veritas in nostro signo existeret, quæ à signo Iudęorum erat separata. Nefas pronuntiat Basilius, sacerdotem sine ieiunio sacra attingere, non solùm in mystica nunc, & vera Dei adoratione, sed in figurata ex lege introducta. Quinetiam Iconamachi tametsi Eucharistiam inter imagines reponerent, nec corpore & sanguine Christi prĕditam existimarent, nihilominus adorandam confitebantur: quoniam vim aliquam spiritalem ad alendas animas nostras hauriret, qualem carnis Dominicæ efficaciam somniat Caluinus de cœlo hauriri, & cuius merito imago hæc prę aliis adoranda ab illis dicebatur: alioqui omni honore & reuerentia iuxta ipsos cum aliis imaginibus fraudanda. Epiphanius quidam

Hieron. epist. ante libros Theophili.

Duplex causa venerădi vasa sacra.

Athanas. Apol. 2.

Chrysost. hom. 3. ad Ephes. & 61. ad pop. Antioch.

A differenti adoratione Iudæorum & christianorŭ.

Basil. Orat. 1. de ieiunio.

dam pro Catholicis negat Eucharistiam, imaginem corporis & sanguinis, eisdem vacuam nominandam, aut reputandam, sed esse ipsum corpus & sanguinem Christi, quæ verè colantur. Idem Carolus Magnus aduersus eosdem concludit, atque ait: Cùm corporis & sanguinis Christi mysterium, quod in veritate gestum esse constat, non in figura, vera Christi dici non possit imago, meritò in hoc Gregorius reprehenditur. Idcircò tùm & ab Iconomachis, & à Catholicis, tum nostrorum Sacramentariorum damnata fuit impietas, qua recusant Eucharistiæ adorationem vllam tribuere, aut non excellentiorem, quàm nudæ imagini & signo, in quo res absentes colãtur: túmque hæretici, tametsi creaturarum adorationi infestissimi, non fuerunt tamen ausi eam ab Eucharistia proscribere.

Act. 6. Nic. 2.

Carol. Magn. lib. 4. cap. 14. Francoford. Concil.

VNICA ADORATIONE LATRIAE ADORARI SAcramentum, id est, panis & vini species cum Christi carne & sanguine.

CAP. 6.

VENTVM tandem est ad disputationis ac difficultatis in hoc adorationis negotio cardinem. An in ipsa Eucharistia duabus partibus constante, terrena & cœlesti, sola pars cœlestis, quam vulgari more intelligamus pro carne & sanguine Domini, sit latria, & diuino honore prosequenda, an etiam terrena, panis & vinum, vt sicut vnum est sacramentum, ita vnica adoratione feramur in ipsum totum, nec panem & vinum à Christi honore secludamus. Lutherani & Cingliani mutuò hîc se de idololatria accusant, & vtrique de eadem contra nos conuniantur. Cingliani etenim, quoniam Lutheranos sciunt panem & vinum cum carne & sanguine in sacramento retinere, ac plerosque docere, in ipsius Sacramenti susceptione adorationis munus obeundum, insectantur ab illis panem vnà cum Christo adorare. Lutherani quidē depellunt à se idololatriæ suspicionē, quòd vnam solùm partem Sacramenti, carnē nempè & sanguinem à se honorari distinguãt, & in Cinglianos obiectum crimen conuertunt, quòd ipsi contrà puro pani & nudæ creaturæ sacra faciant. De his VVestphalus sic habet: Veritas sermonis Christi, & fides in eius verbum, facilè nos liberant à crimine idololatriæ, qua nos accusant Sacramentarij, quasi panem adoremus. Nos verò panem non adoramus, dum in sacra Cœna sanctissima Christi carne & sanguine nos pasci reficíque credimus: sed Iesum Dominum Deum nostrum secundum promissionem & verbum suum præsentem, qui cum tribus Euangelistis & Paulo, ex ore filij Dei, dicimus panem Eucharisticum esse corpus Christi, & calicem sanguinem. Veriùs Sacramentarij, vt qui à verbo Dei discedentes, ei quod ipsis placet, præferunt, & præter panem & vinum in communione nihil adesse ac sumi contendunt, idololatriæ culpa se astringunt, veri artolatræ esse conuincuntur, qui sibi Cœnam vero Christi corpore vacuam fingunt, & in solo pane ac vino sacra peragunt. Obseruant igitur & peragunt cultum sine verbo, adeóque contra verbum Dei. Porrò vtrique & Lutherani & Cingliani omnes, quoniam audiunt in Ecclesiis Catholicis cantari, Tantum ergo sacramentum veneremur cernui, & Eucharistiam vident publicè adorari, de publica idololatria panis & vini vociferantur nos redargui. Respondemus nobis falsum crimen impingi, quod panem adoremus, cùm panē manere prorsus negemus, ne panē adorãdi relinquatur vlla occasio. Nã quo pacto sibi cõstant vtrique Aduersarij, vel nō mentiũtur dũ simul nos dicũt & hîc panē colere, & hinc panē tollere, vel quod in idem redit, nos hinc panis substantiã absentare, & panem hic tamē adorare? Deinde

Lutherani & Cingliani de idololatria magis accusãdi quam nos.

VVestphal. cōtra Ioann. A-lasco anno. 1557.

Quàm falsò accusentur Catholici de adoratione panis.

multo minor in nobis, quàm in Lutheranis, vllius artolatriæ vel idololatriæ hæret actio aut suspicio. Nam vtri, quæso, panis hîc adorandi crimini aut suspicioni affiniores, nósne qui panem hinc abesse, an Lutherani, qui adesse sentiunt & contendunt? Adhæc cultum exoluunt potius sine verbo Dei quàm nos. Vbi enim verbum habet panem esse Christi corpus, & vinum eius sanguinem? Deinde Lutherus atque alij, quando comparant verbum Cœnæ, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, cum isto, Verbum caro factum est, vix se liberabunt à suspicione, quin cum Berengario Christum faciant impanatum, inuinatum, & vt loquitur Algerus, impersonatū, quasi parum sit semel fuisse incarnatum: nec effugere poterunt, quin vt humanitatem in Christo, ita panem in sacramento cogantur adorare. Nos nedum panem aut vinum, sed ne quidem ipsas species coadunamus personæ filij Dei, & eius corpori hypostatica vnione, vt ob id ipsas nos oporteat venerari. Rectè enim Ioánes quidam Parisiensis scripsit, non solùm verum esse, sed vere credendum verum. Qui credit carnem Christi in sacramento existere substantialiter, veritatem credit, sed qui eam credit vel impanatam, vel per modum impanationis ibi esse, quia falso modo verum credit, nihil credit, & sanctæ communionis articulum violat: ita vt ante hunc Guitmundus Impanatores vmbraticis, eorum fratribus nequissimis & Sacramentarijs nequiores putauerit. Post vtrumque Simon à Cassia. In hoc (ait) mysterio neque descensio, neque assumptio, neque vnio facta est, sed conuersio. Verùm siue hoc, siue illo modo maneat panis, aut tollatur, tandiu idololatriam committi volunt Sacramentarij: quoniam (inquiunt Valdenses) vna seruitur creaturæ & creatori, eodem cultu & vna opera, & fit Deus materialis ac panaceus, cùm vetet lex fabricari Deos argenteos, aut vllam similitudinem formari eorum quæ sursum sunt in cœlo, aut in terra deorsùm, vt colamus vel adoremus ea: in eóque peccasse populum, quòd in vitulo aureo Deum studuerit colere. Etiam infringi à nobis mandatum ait Oecolampadius de adorando patre in spiritu & veritate, cuius honorem ad Christi carnem & panem transmittimus. Eadem olim obiiciebantur contra cultum humanitatis Christi, quasi solueretur prima lex Decalogi, & Deus carneus fingeretur: quæ non deterruerunt Patres, quominus veram Christo homini adorationem assererent. Lex prohibet res creatas & materiales pro Dei natura, substantia & existentia haberi & coli, aut pro diuinæ naturæ & existentiæ similitudine atque imagine: quo in errore lapsus est populus ex Ægyptiorum contagione, cùm idolum vituli tanquam Deum suum putauit, nominauit, & coluit. Non autem lex interdicit, ne credatur Deus habitare, aut se præsentem præbere in rebus materialibus & creaturis, quas vt vario modo sibi asciuit & applicauit, ita in his multifariàm, multísque modis adorari voluit, eásque secum honorari. Propterea etiamsi cum Lutheranis manere substantiam panis in Sacramento putaremus, non tamen ideò periclitaremur de idololatria, si profiteremur nos Christum Deum & hominem in pane habitantē, seu præsentem adorare. Neque enim Magi offenderunt, qui Christum pannis inuolutum adorauerunt: nec Moses peccauit, qui Deum in rubo, nec populus, qui eundem in nube, in arca, in templo adorauit. Qua de re hanc sententiam profert Athanasius: Velim ab eis exquirere, cùm Israëlitis edicebatur, vt Hierosolymam ascenderent, Dominnm in templo adoraturi, vbi erat arca, & super eam Cherubin Propitiatorium inumbrantes, recténe fecerint, an contra? Si malè fecerunt, eò quòd legi obtemperauerint, cur qui legē contemnunt, pœnis subiiciuntur? Scriptū est enim, Quòd qui contēpserit, & non ascenderit, exterminabitur de populo. Sin verò rectè fecerunt, eáque re Domino placuerunt, qui quæso, non digni sunt

Alger. lib. 1. ca. 6. & 8.

Ioann. Paris. in Valeranū Episcop.

Simon à Cassia, de mysterio verbi incarnati.

Rationes quibus de idololatria nos accusant.

Vvestph. in Caluin. ca. 24.

Quādo in creaturarum cultu cōmittatur idololatria, vel non.

Athanas. orat. 5 in Arrian.

sæpius

"sæpius perire, qui prisci erga templum populi reuerentiam laudant, Dominũ in carne, vt in templo suo, adorare recusant? Atqui templũ prius lapidibus & auro cõstructum fuit, vt pote figura, quod superueniente veritate exolescit. Nec tamen, qui id videbant, lapidem esse arbitrati sunt, Dominum in eo oracula edentem, lapideum, aut creatutam esse, nec templum vili pendebant, procul indè adoratum abeuntes: sed illud ingressi, ritè ac legitimè Deum è templo suo oracula edentem coluerunt. Idcircò quamuis relinqueremus panis substantiam in Sacramento, ex adoratione nõ magis essemus de idololatria accusandi, quàm qui Deum in templo colebant, & quàm Lutherani, qui in sacramento se Christum venerari profitentur: nec magis Deum panaceum efficeremus, quàm Israëlitæ Deum lapideum: multò verò minus talem effingimus, cùm panem à sacramento tollimus. Sed quæstio est, an tantùm deceat adorare Christum in sacramento, an etiam liceat ipsum sacramentum vnica cum illo adoratione afficere. Negant posterius Lutherani, & eis assentiuntur nonnulli, qui alioqui inter Catholicos censentur, & nobiscum panis substantiam à sacramento amandant. Aiunt idem periculum idololatriæ imminere à speciebus remanentibus, si sinantur adorari, atque à panis substantia quoniam illę, sicut ipsa panis substantia, in creaturis numerantur. Proinde Petrus Martyr quasi de manu "in veteres censoriam virgulam arripit, atque ita fulminat: Si qui Patrum quantumuis priscorum & piorum senserit, dixeritque adoranda sacramenta, & symbolis, rebus vtique creatis, honorem diuinum exhibendum, anathema sine exceptione sunto, tantúmque esse in controuersia ponit, adoranda nécne sint sacramenta, quod nusquam illos scripsisse testatur. Certè Martyri non solum id est controuersum, sed an etiam in sacramento existat Christus, & an ibi existens sit adorandus, an alibi in cœlo: sed isti perpetuò præstigiantur. Alij Lutherani, atque aliqui Catholici, mitiùs loquuntur: quibus placet, si quando legatur in Patribus sacramentum adorari, per synecdochen interpretari rem continentem pro contenta. "Sic enim Vvestphalus: Quando sacramentum seu Eucharistia denominatur, à præstantiore parte, nempè cœlesti, sentio piè dici adorationem sacramenti vel Eucharistiæ, pro adoratione Christi præsentis in Eucharistia. Quamuis libenter abstineam ab ambiguis & periculosis loquendi formulis, quas vitare satius est, quàm periculo, contentioni & calumniis occasionem ac materiam dare: vt dicere malim honorare, reuerẽter tractare, cum reuerentia dispensare Eucharistiam, quàm adorare sacramentum, etiamsi eodem quo illa sensu accipiatur. Qua de re multa passim occurrunt in veterum scriptis, in quibus de Cœna Domini loquentes, vti solent nominibus honoris, reuerentiæ, ac venerationis, & similibus. Verùm si Lutheranis rimam in adoratione aperimus, eadem opera eisdem in contorquendis scripturis, & aliis dictis Patrum aditum facimus, quem vt obstrueret Tridentina Synodus, non solùm definiuit Christum in sacramento adorandum, sed expressè tradit, non dubitandum Latriæ cultum, qui verò Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione adhibere, neque minus esse adorandum, quòd fuerit à Christo Domino, vt sumatur, institutum & anathemate ferit, qui dixerit non publicè, vt adoretur, populo proponendum. Præterea cur propter adorationem dicitur à nostris scholasticis auferri panis & vini substantia, & substantiæ atque accidentium existentia propria & naturales? an non quia crediderunt, & docuerunt adorationem ferri, & terminari in totius rei, cui exhibetur, substantiam atque existentiam? Si tantùm in partem sacramenti, aut in rem in sacramento contentam, iudicassent in Eucharistia adorationem referri, vt fiebat

Etiamsi maneret panis substantia, rectè tamen adoraretur in Eucharistia Christus.

Quæstio est, An liceat adorare sacramentum, an tãtùm in sacramento.

Petr. Martyr, obiect. 38.

Vvestphal. Apol. in Calu. cap. 24.

Trident. Syno. in dec. 5. & Anathemat. 6. de sac. Euchar.

Tollitur substantia panis, vt adoretur sacramentum.

in arca testamenti, & templo, quid fuisset necesse alterius partis sacramentalis naturam & existentiam excludere, ad euitandam idololatriam, cùm citra eius periculum liceat Deum colere in rebus omnibus, sine substantiæ & existentiæ propriæ abolitione, aut remotione? quia non in totum obiectum tum vertitur, & dirigitur adoratio, sed in aliquid in eo existens. At (inquiunt) supersunt panis & vini species, tam creaturæ, quàm est ipsorum substantia: quæ si tollitur ne adoretur creatura, igitur nec accidentia debent adorationem suscipere, ne rursum adoretur creatura. Ad hoc dicimus abrogatam substãtiam, quoniam officeret vnitati adorationis, quæ toti huius sacramenti existentiæ defertur. Nam si duplex mansisset existentia, vna increata Christi, & altera creata panis ac vini, vnica adoratio circa hanc fuisset idololatria: ideò duplicem oportuisset adhibere cultum, vnum Latriæ, quo coleretur persona Christi, alterum Duliç, quo veneraremur substantiam panis Christo coniũctam. Verùm quia semper in cõfesso fuit & propatulo inter omnes Christianos, toti sacramento vnam impendi adorationem, meritò Ecclesia collegit, transsubstantiationẽ panis & vini, & eorum substantiam atque existentiam remoueri. Non autem idem periculum impendet ex eadem & vnica adoratione specierum cum corpore Christi & sanguine: quoniam non habent in sacramento diuersum existere ab existentia carnis & sanguinis Dominici, quæ succedit in sacramento in locum creatæ existentiæ, quæ desiit. Quãuis enim accidentia panis & vini non sustententur à Christo in sacramento, personali vnione & inhærentia, neque his afficiatur corpus, aut eius suppositum, sustentantur tamen à personæ Christi, & corporis eius reali præsentia, ac virtute eius diuina, ita vt in sacramento persona Christi sustenret humanitatem suam, eiúsque accidentia, & insuper sua & corporis præsentia aliena à se panis & vini accidentia. Diuersus itaque est sustentandi modus. Nam humanitatem suam, atque eius accidentia fulcit vnione & inhærentia in persona ipsa: panis autem & vini accidentia non sic, sed sua præsentia sustinet ac virtute. Proinde vnica adoratio personæ propter existentiam redundat etiam, & amplectitur ipsa panis & vini accidentia, quoniam non sunt in rerum natura sibi particulari, & separata à Christo existẽtia, & supposito: quamuis, inquam, non inhæreant Christi supposito, sed suppositi & corporis sustineantur præsentia & virtute. Propterea fit ipsorum coniunctio cum Christo filio Dei, non Hypostatica, seu personalis, vt ipsi vnitur humana natura, sed alia quædam singularis, quam præsentialem & sacramentalem possumus appellare, & quæ arctissima sit post hypostaticam, ita vt arctior sit, quàm purpuræ aut vestis cũ rege: quæ tametsi imponatur regi, & ipsum ambiat, eiúsque personæ hæreat, nihilominus non prorsus sustentatur ab eius existentia, nec istam solam habet, cùm propriam etiam retineat, ab illa verò diuelli ac separari queat, ac perstare separata, non autem species panis & vini à corpore & sanguine Domini, quæ nec aliò trãsferri, nec diuidi, nec vspiam possunt consistere sine corpore & sanguine Domini post sacramentum confectum. Ideò meritò ex vnica corporis & sanguinis Dominici, & panis atque vini in sacramento existentia, vnica probatur & euincitur adoratio, licet distinctus sit ac varius modus in persona Christi sustentandi humanitatem suam, & species ipsas. Propterea Patres in multis compararunt vtramque copulationem, quẽadmodum aliàs disputauimus, sed ne quidem omiserunt in eo quod ad vnicam venerationem attinet, ne causam Transsubstantiationis propter adorationem nostros Scholasticos somniasse dicant Aduersarij. Certè Augustinus cõfert cum incarnatione Christi hoc sacramentum, in eo quòd signum appatens sit, id quod significat: vt homo in Christo erat Deus in hominis specie: & panis & vinum in sacramento, corpus & sanguis Christi in panis & vini specie: quia in vtroque, quod apparebat, non a-

Ex adoratione sacramenti infertur trãssubstantiatio.

Accidentia in Eucharistia sustentantur à præsentia carnis Christi, & diuina virtute.

Vnio accidentium panis & vini cum corpore Christi nõ est hypostatica, sed sacramentalis.

August. lib. 3. de Trinitate.

liam obtinebat existentiam, quàm res significata, ideóque non aliud erat. Cyprianus verò exprimit ideò mutari elementorũ naturam, & eius vices diuinitatẽ subire, vt „in re visibili adoretur Deus, sicut in Christi humanitate. Verba sunt: Panis iste, quem „Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipoten- „tia verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat „diuinitas, ita sacramẽto visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religio- „ni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus vsque ad participationem spiritus. Vides subtrahi elemẽtorum naturam, vt circa sacramentum visibile religionis adoratio & deuotio insumatur: quia loco naturæ diuina se subiicit essentia atque existentia, ideóque coli vnica adoratione, quòd videtur, & non videtur, sicut in Christo homine. Propterea Damascenus adorandarum specierum parem rationem affert, quam humanitatis in Christo, indi- „uisam scilicet cum persona filij Dei connexionem, licet diuersam. Cum omni (ait) ti- „more ac conscientia pura, & fide indubitata accedamus, & omninò fiet nobis quo- „modo credimus, non dubitantes, & veneremur ipsum omni tum corporis, tum ani- „mi puritate. Accedamus autem in desiderio ardẽti: manus in crucis modum formã- „tes, crucifixi corpus suscipiamus: vt ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone „ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione „diuini ignis igniamur, ac deificemur. Carbonem vidit Propheta. Carbo autem sim- „plex non est, sed igni vnitus. Sic panis communionis, non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Eusebius quoque Emissenus innuit panis substantiam verti in corpus Christi, vt idem corpus per mysterium seu regumentum coleretur, quod semel offerebatur in pretium, & quod illatũ syderibus, auferebatur ex oculis „nostris. Ita enim habet: Ideò quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris „& syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die sacramentum corporis „& sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offe- „rebatur in pretium, & perennis victima semper viueret in memoria, & semper „esset in gratia. Recedat omne infidelitatis lubricum: quandoquidem qui au- „thor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos inuisibi- „les creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit. Sic Gregorius Magnus ait in hoc sacramento vnum ex visibilibus atque inuisibilibus fieri. Sic Chrysostomus sacramentũ, vt antea faciebat, non purpuræ regis comparat tantummodò, sed præfert, quia non sola sit vestis, verùm aliquid in- „timius Christi corpori, atque ita à minori ad maius ratiocinatur: Qui huius (inquit) „sunt sanguinis participes, ipsam regiam Christi stolam induunt, imò regem ipsum. „Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Nam si qui regiã „purpuram coinquinant, haud secus quàm qui scindunt, puniuntur, quid mirum, si „qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quòd „qui eum clauis cruci affixerunt? Sic eodem argumento, quo Patres probabant adorandam Christi humanitatem, quia in ea diuinitas habitaret, & per eam operaretur, iidem ipsi vtuntur ad exornandum & honorandum Hoc sacramentum, conferúntque cum fimbria vestimenti, quod mulier summis digitis attigit, & sanitatẽ reportauit. Sed ne putetur sacramentum externum non magis fulciri & sustineri à corpore Christi, aut non propiùs ipsum contingere, quàm fimbria vel vestimentum, suo „more Chrysostomus perpetuò anteponit, vt differentiam innuat. Scribit enim: Ro- „gabant Dominum Genesareni, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quicũ- „que tetigerunt, salui facti sunt. Tangamus ergo etiam nos fimbriam hanc, imò verò „totum. Ipsum enim si volumus, non vestis solùm, sed corpus ipsius nobis propos-

Cypr. de Cœna.

Cyprianus statuit Transsubstantiationem propter adorationem.

Damasc. lib. 4. cap. 14.

Euseb. Emiss. ho. 5. Paschal.

Gregor. hom. 22. in Euange.
Chry. hom. 45. in Ioann. & 24. in 1. ad Cor.

Patres aiunt species propiùs haerere corpori Christi, quàm fimbriam vel vestimentum.

Chrys. hom. 5. in Matth.

tum,non vt tangamus solummodò,sed vt comedamus,& saturemur. Adeamus ergo Christum singuli ægrotantes cum magna fide.Nam si qui fimbriam eius tetigerunt,tunc omnes conualuerunt,quanto magis corroborabimur,si totum in nobis habebimus?Cum fide autem accedere, non est, vt tantummodò propositum corpus recipias,sed & quidem multo magis,vt mundo corde tangas,& sic adeas, quemadmodum ad ipsum Christum.Gregorius Nanzianzenus de sua sorore verba ista facit:Pia quadam impudentia impudens eam,quæ ad tactum fimbriæ Domini,fluoré sanguinis compresserat,imitata, capite super altare reclinato & admoto, simili cum peccatrice,quę Christi olim pedes irrigarat, lachrimarũ profluuio,patique clamore non se priùs cessaturam comminata, quàm sanitatem adepta, illo pharmaco totum corpus suum vngens,& sicubi manus eius aliquid signorum, aut ex pretiosi corporis ac sanguinis Dominici sub exemplari recõdiderat,& lachrymis admiscens(ô miraculũ)protinus liberatam se morbo sensit,& tam animo quàm corpore leuata recessit,vtriusque sanitatem, spei suæ mercedem adepta. Qui à nobis vocatur Petrus Chrysologus,eandem vrget comparationem. Tetigit(ait)mulier vestimentum, & ab antiquo est curata lãguore. Miseri nos,qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus,& à nostris vulneribus non curamur.O quid hæc mulier vidit habitare in Iesu interioribus,quæ vel in eius fimbria diuinitatis totã vidit inhabitare virtutẽ? O quàm docuit mulier, quantũ sit eius corpus,in cuius fimbria tãtùm hæc esse mõstrauit?Audiant Christiani,qui quotidie corpus attingunt,quantam de ipso corpore sumere possint medicinam,quãdo mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem.Sed quod nobis flendum est,mulier de vulnere medicinam tulit,nobis medicina in vulnus retorquetur.Hinc Apostolus tangentes corpus indignè sic admonet : Qui tangit indignè,iudicium sibi sumit: Et quòd indè temeritas infirmitatem capiat,vnde fides accipere debebat sanitatem. Patres sanè vnicam rem propriè existere in sacramento omnes consentiunt,nempè corpus& sanguinem filij,non panẽ, aut aliud,sed panis & vini species,tanquam accessoria illius corporis & sanguinis, ac quasi tegumenta illi corpori & sanguini apposita cognoscunt. Qua de causa noluerunt sacramentum vocari corpus Christi,aut Deum,per synecdochen,quasi vna res existat,quæ aliam existentem contineat,sed propriè ac sensualiter sacramentum esse corpus Christi,& Deum,quemadmodum definitum fuit contra Berengarium:sensualiter item corpus Christi,& Deum videri,tangi, & tractari, sicut in statu naturali videbatur corpus idem & Deus in Christo sub aliis accidentibus operientibus naturam humanam,& personam filij Dei in Christo:quia vt in illo statu naturali propter vnicam existentiam Dei & hominis,atque accidentium,etiam sensualiter dicebatur videri,adorari,crucifigi id quod existebat Deus & homo cum suis accidentibus apparentibus:ita in statu sacramentali propter vnicam existentiam,quæ omnia sustentat quamuis diuerso modo,itidem verè asseritur,non per solam synecdochẽ, totum quod existit,cum accidentibus adiacentibus in ipso sacramento , etiã sensualiter esse Deus,Christus,& corpus eius ac sanguis,in accidentibus panis & vini apparentibus, & videri ac tractari manibus sacerdotum, atque adorari. Licet enim extrinseca illa accidentia panis & vini non afficiant Christi diuinam naturam vel humanam,nec existentiam filij Dei,afficiunt tamen quodammodò eorum pręsentiam,à qua sustentantur:ita vt quemadmodum Deus varias species olim assumpsit, in quibus apparebat,quas ipse operabatur,& fulciebat sua præsentia ad tempus pro arbitrio suo,& ab ipsis propterea cognomenta capiebat, veluti ignis consumens, atque alia: eodem pacto ait Augustinus operatione Spiritus sancti,ministerio hominum, ad speciem panis & vini corpus Christi & sanguinem perduci, à quorum præsentia fulcitur illa species,

Nanzianz. in funere sororis Gorgon.

Petr. Rauẽnas. Ser. 33. & 34.

Quare Patres sacramentum non vocarint corpus Christi per synecdochen, sed sensualiter.

August. lib. 3. de Trinitat. cap. 10.

species, vt à Dei præsentia fulciebantur aliæ ad diuersas apparitiones formatæ, vt in tali specie panis & vini (sicut ait Augustinus) oculis mortalium appareat: subiungítque, mirantibus ac rogãtibus pueris, quidnam esset quod in altari appareret ex terræ frugibus acceptum, & in vsum religionis atque adorationis ac pietatis celebritatẽ assumeretur, nihil aliud responderi, quàm grauissima authoritate esse corpus Christi, quod in tali specie seu accidente appareret, siue forma panis & vini opertũ Christi corpus esse, sicut ex eodem & Prospero à Gratiano citatur. Quamobrem sicut Magdalena & Apostoli non dubitarunt propriè loqui, & affirmare à se visum Dominum, & adorare, cùm illis appareret, non solùm in naturalibus accidentibus, sed etiam in alia effigie, quam vnica adoratione, cum illo adorarunt: ita non debemus dubitare, propriè, & non synecdochicè, à nobis videri Dominum, & tangi & adorari, cùm apparet in panis & vini effigie, quam vnica etiam adoratione colere oportet cum Domini præsentia, à qua sustẽtatur. Idcircò non sunt locutiones synecdochicæ, quoties profitentur Patres adorandum esse sacramentum altaris, aut panem Eucharistiæ, aut symbola corporis & sanguinis Domini. Non enim crediderunt ea per se existere, aut diuersam existẽtiam à diuina filij Dei ibi nancisci: sed vt ab vnius existentiæ diuinæ, & humanæ naturæ in Christo præsentia, sibi persuaserunt contineri & fulciri, ita eadem & propria, atque vnica adoratione cum filio Dei & carne Christi symbola tanquam quædam, si non Christi simpliciter in se, saltem præsentis Christi accidentia statuerunt honorari. Pagani & Manichæi exprobrabant Christianis, quòd panem & vinum adorarent, & officium religionis circa illa exercerent. Augustinus non negat adorari: sed distinguit, non adorari panem qui nascitur, sed qui fit certa consecratione nobis mysticus. Proinde quod non ita (inquit) fit, quãuis sit panis & calix, alimentũ est refectionis, nõ sacramentũ religionis. Explicat igitur nõ quemlibet panem coli, quasi Christũ in omni pane & spicis ligatum, vt fingebant Manichæi, sed singularem panem, tanquam Christum singulariter præsentem, religione affici: eùmque panem vocat sacramentum religionis, quia in vsum religionis & cultus diuini assumeretur, sicut ipsemet in libris De Trinitate interpretatur, vbi panem ex terræ frugibus acceptum fieri ait tam magnum religionis sacramentum operatione Spiritus sancti, per quã corpus Christi in panis effigie oculis mortalium apparuisse subiicit. Eidem pani venerationem singulariter deberi, eámque præcipi ab Apostolo scribit, quia sit corpus Christi. Theodoretus ex adoratione sacramenti probat Christum ipsum propriè adorandum, & causam explicat, cur adorare oporteret sacramentum, non vtique quia Christum significaret tantùm, aut ipsum contineret, sed quia post sanctificationem & cõsecrationem panis & vinum intelliguntur esse facta, quæ creduntur esse, nempè corpus & sanguis Christi. Apud eum Orthodoxus ita ratiocinatur: Non solius hominis corpus, sed Domini nostri Iesu Christi, vnigeniti filij Dei corpus, salutem nobis procurauit. Sin autem id tibi paruum & vile putatur, quomodo eius typum & figuram venerabilem ac salutarem existimas? Cuius enim typus est προσκυνητὸς καὶ σεβάσμιος id est, adorandus ac venerandus, quemadmodum est ipsum exemplar archetypum vile atque aspernandum? Ne autem sacramentum, tanquam signum vacuum re significata, propter relationem ad ipsam, tantùm mereri adorationem ex illo textu quisquã colligeret, alio in loco se explanat, & ait: Mystica signa post sanctificationem intelliguntur ea esse, quę facta creduntur, & προσκυνοῦνται, id est, adorantur, vtque illa sint, quæ creduntur, neque amplius nominantur quod priùs vocabantur, sed corpus appellantur. Hìc instant Aduersarij, quasi Theodoretus manere panis substãtiam decernat, & tamen adorari. sed de hoc in libris de Transsubstantialitate dictum est.

Can. Hoc est. dist. 2. de cõsec.

Cùm dicitur adorandũ sacramentum nõ est synecdochica locutio propriè.

Aug. lib. 20. in Manich. ca. 13.

Aug. ep. 118. ad Ianuar.

Theod. dial. 3.

Dia. 2.

Satis est in præsentia à Theodoreto doceri, symbola vera ac propria adoratione coli, qua ipse Christus erat colendus in statu naturali: alioqui non probè ratiocinaretur ab adoratione symbolorum ad adorationem corporis separati à symbolis, nec adorationis iustam rationem affert, quia credantur non sola esse symbola corporis ipsius, sed ipsummet esse corpus, & ideò verè ac propriè adorari, sicut corpus Christi in existentia visibili adorari debet. Iconomachi post Manichæos & Origenistas nolebant res materiales, quantumuis sacras, honorari, quia sensu carerent.

Damasc. de imaginib.

Damascenus in eorum refutationem ait: An non materia mensa vitalis, quæ nobis subministrat panem vitæ? An non materia aurum & argentum, quibus conficiuntur cruces, lances, & calices? Quin etiam præ his omnibus an non materia Domini nostri corpus & sanguis? Tria materialia propter corpus Christi & sanguinem veneranda commemorat, altare, vasa, & sacramentum ipsum: sed discrimen inter eorum veneratonem allegat, quod duo priora aut significent, & subministrent ipsum corpus & sanguinem: tertium verò non tantùm idem præstat, sed est ipsummet corpus & sanguis, re materiali conuestita & adornata, ob idque res illa materialis præ aliis honoratur. Si tantùm synecdochica honoratio sacramento deberetur, non pluris esset faciendum, nec magis venerandum, quàm aut calix, aut altare, in quibus corpus Christi & sanguis per momenta habitant, & quibus adoratio tribuitur, propter consortium & coniunctionem cum corpore Christi & sanguine: sed alia est ratio in sacramento, qua verè pronuntiatur sacramentum corpus & sanguis Christi esse, non autem alia. Propterea ex mente Augustini & aliorum, constat sacramentum venerabile & adorandum, non à Patribus per synecdochen vocari, sed propriè.

Ambros. lib. 4. cap. 4. De sacrament. *August. serm. 28. De verb. Domini.*

Sic Ambrosius ait: Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste & venerabile sacramentum. Quæ verba Augustinus sua fecit. Nec obest, quòd cœleste appellat sacramentum, & non terrenum, non quia non sit terrena materia, sed quia existentia non sit terrena, vt homo cœlestis in Christo nominatur, non qui humanitatem exuerit, sed qui cœlestem existentiam nactus fuerit.

In Clement. De reliquiis & venerat. sanctorum.

Verè etiam in Concilio Viennensi acclamatum fuit: O excellentissimum sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, deuotis prosequendum obsequiis, & sinceris mentibus retinendum. Verè denique canit & concludit Ecclesia: Tantum ergo sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum nouo cedat ritui: præstet fides supplementum sensuum defectui. Si non colitur quod videtur, quid opus fide, quæ suppleat sensuum defectionẽ, vt aliud esse credatur, quàm sensus renuntient, & quàm accidentia sensibus obiecta?

Quæ cõtra sacramenti adorationem obijciant Aduersarij.

Non sum nescius, quot & quanta cõtrà obiici queant præter generalẽ de adorãdis creaturis interdictionẽ: cui satisfecimus in capite de adoranda Christi carne, ac diximus, nullam omninò creaturam adoratione latriæ insigniri, nisi deposita creata existentia sua, intra diuinam existentiam, aut eius virtute vel præsentia consistat.

Quando liceat adorare creaturam.

Tum enim licet adorationẽ in talem creaturã sic consistentẽ effundere: quoniã tum adoratio, quæ propriè finitur, & recipitur ab existẽtia, nõ recidit in creaturã, sed in Deum gerentẽ, vel sustentantẽ creaturam alia sustinentia creata priuatam. At Nicena Synodus (aiunt) vetat nos demitti ad panem & vinum, sed introspicere fide agnum latentem, vt is & non panis colatur. Hoc idem dixerunt Patres de humana natura in Christo, non in ea defigendam adorationem, aut remanendũ fide & animo, in eadem.

August. in Psalm. 98.

Sic enim expressè monet Augustinus. Ad terram (inquit) cùm te inclinas, & prosternis, non quasi

„ quaſi terram intuearis, ſed ſanctum, cuius pedum ſcabellum eſt. Cùm adoras illum, „ ne cogitatione remaneas in carne, & à ſpiritu nõ viuificeris. Spiritus eſt qui viuificat. Totidem ferè verbis dixerunt de panis ac vini ſpecie Nicena ſynodus, & Emiſſenus. „ De Chriſto homine ſcripſit Hilarius: Aliud intelligitur, aliud videtur: aliud oculis, a- „ liud animo conſpicitur: panni ſordent, Deus adoratur. Nihilominus ſubiicit, etiam quæ videbantur, cunarum ſordes per Magos adorari, & poteſtatis dignitatem non „ amitti, dum carnis humilitas adorabatur. Eodem pacto Auguſtinus ait: Nos in ſpe- „ cie panis & vini, quas videmus res inuiſibiles, id eſt, carnem & ſanguinem, honora- „ mus. Et ſignacula quidem rerum diuinarum ſunt viſibilia, ſed res ipſæ inuiſibiles in eis honorantur: non ideò tamen ſignacula & ſpecies ſecluſit, ſicut nec humanitatem Chriſti, cùm ait ipſe, atque alij, in ea Deum adorari. Imò ne putaretur Auguſtinus in his locis ſynecdochen inducere, quid ſint ſigna & ſpecies illæ, commonefacit, atque ex hac cauſa, quã hîc annotat, alibi aſſeruit veneratione ſingulariter debita exornandas eſſe, & adorari vt corpus ſub illa effigie oculis mortalium apparentis. In horum ergo duorum locorum priori apponit, non ſimiliter comprehendi panis & vini ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem, cùm fideliter fateamur ante hanc panẽ & vinum, quę natura formauit, poſt verò carnẽ & ſanguinem, quem benedictio conſecrauit: vbi elucidat verba ſua contra Fauſtum, quibus conceſſit panem adorari à Chriſtianis, non qui naſcitur, ſed qui fit myſticus certa cõſecratione. In poſteriore quoque monet, non ſic habendam illam ſpeciem panis & vini benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in vſu quolibet. Itaque in incarnatione Chriſti, & in hoc ſacramento, pueros & rudiores inſtituebant, ne conſiſterent aut hærerent rebus externis, ſed vt penetrarent ad interiora, vbi adorationis radicem inuenirent: & id quod propter ſe, & cuius cauſa adhiberetur adoratio, docebant viciſſim non pro puris & communibus creaturis reputanda, quæ in incarnatione & in ſacramento oculis ſpectabantur, ſed pro creaturis, quæ à ſua propria & naturali exiſtentia in diuinam eſſent euectæ, à qua ſuſtentabantur, quamuis vario ac diuerſo modo. In eadem incarnatione & ſacramento docuerunt duo ineſſe, vnum propter ſe adorandum, alterum non propter ſe, aut propter ſuam propriam naturam, ſed propter coniunctionem ad alterum non propter ſe, aut propter ſuam propriam naturam, ſed propter coniunctionem ad alterum: vtrumque tamen vnica adoratione complectendum, quoniam per vnicam exiſtentiam diuinam conſiſteret. Tertiò diſtinxerunt ita inter illa duo, vt tantùm cogitatione ſeparari ac diuidi poſſent, non reipſa: & ob id quamuis in facto per vnicam vtriuſque adorationem non peccaretur, peccari tamen facilè, ſi quis conciperet vnum ab altero diuelli, & in ea ſeparatione creaturam adoraret. Si ergo ab inuicem conſiderentur ſeparatæ, vna duntaxat adorabilis res eſt & inuiſibilis, quæ eſt corpus ipſum filij Dei: altera inuiſibilis & inadorabilis nẽpè panis & vini effigies: ac quiſquis huic hæret, nec vltra fide ad corpus ipſum progreditur, idololatriam committet. Si ita apprehenduntur duæ res illæ ſimul, quatenus exiſtunt coniunctæ, viſibilis vna res dicitur corpus & ſanguis Chriſti præſens ſub talibus ſpeciebus & accidentibus, & non duplex: ſed vnica legitimè exoluitur adoratio, quoniam vnicum eſt ſuppoſitum, & vnica exiſtẽtia. Sin rationes, propter quas adoratio datur, expenduntur per ſe, ac propter ſe, illa ad filium Dei, & eius corpus refertur: ad ſpecies verò per accidens, & propter aliud, nempè propter præſentiam filij cũ corpore ſuo, à qua quidem præſentia ſuſtentatur. Ideò Magnus Dionyſius ante Nicenam Synodum non damnat qui ſigna adorant cum corpore Chriſti, ſed qui intra „ ſigna remanent, nec vltrà fide intuentur. Scribit enim: Põtifex diuina munera laude „ proſecutus, ſacroſancta & auguſtiſſima myſteria conficit, & quæ antè laudauerat,

Hilar. lib. 2. de Trinitat.

Can. Nos autẽ. De conſ. diſt. 2.

Auguſt. de catechiſand. rudib. cap. 26.

Dionyſ. de Eccleſ. Hierar. cap. 3.

venerandis, operta & abdita signis in conspectum agit, diuináque munera reuerenter ostendit. Ac multi quidem solum in signa diuina prospiciunt: ipse autem diuino semper spiritu, ad excelsa & sublimia signorum sensibilium initia, mysteria & spiritualia exemplaria, spiritualibus seu intellectualibus mentis oculis intuẽda, Pontificali dignitate, merito ac officio, munditiáque singulari animi diuini & sensu capacioris cæteris, ad hæc arcana percipiẽda attollitur. Verùm aiunt, cùm inuocatio sit adorationis index, numquam in Eucharistia species inuocantur, sed solum corpus & sanguis Christi: imò nec ipsum sacramentum: ideò nec ipsum colitur. Dicimus nec in ipso Christo humanitatem solam inuocari. Numquam enim pateretur Ecclesia dici, fili Dauid, ora pro nobis, sed miserère mei, aut Audi nos, quoniam inuocatio vt adoratio dirigitur in suppositum: quia quod existit, inuocatur, & cùm in Christo solum diuinum suppositum subsit, solum ab eo finiri & excipi potest adoratio & inuocatio: sed vtraque natura potest indifferenter connotari, vt inuocetur fili Dauid, seu fili Dei, miserere mei. Quid mirum ergo, si species ipsæ panis & vini, res sensus & auditionis expertes, nec per se consistentes, separatim non rogentur in sacramento, cùm opotteat inuocationem verti in suppositum existens in sacramento, quod est aliud ab ipsis, & est filius Dei cum carne & sanguine suo, à quorum præsentia & virtute species illæ portantur? Idcircò Agnus Dei, qui tollis peccata mũdi, acclamatur: sed & nonnumquam ipsæ species, tanquam præsenti Agno adiacentes, in inuocatione connotantur, & ipsum totum sacramentum inuocatur. Exordiamur à Magno Dionysio, de aliis proximo capite dicturi. O diuinum (inquit) penitùs, sanctúmque mysterium seu sacramentum, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palàm atque apertè lucesce, nostrósque spiritales oculos singulari & aperto lucis tuæ fulgore imple. Postremò ex nostris, qui contrariam & Lutheranam hîc sequuntur sententiam, quasi tantùm per synecdochen adoretur sacramentum, quia in eo res contenta colatur, ad Scholasticos Doctores prouocant, à quorum posteriore tradatur Christo in Eucharistia Latriam exhiberi, nec eo adorationis genere colendum sensibile continens, prout neque adoratur. Sed contentus Iesus, ne committatur in Missa idololatria: quia cultus vnus debitus creatori, creaturis, & quidem brutis, sine sensu, ac stolidis exhiberetur. Neque tamen simpliciores protinus idololatras esse, si qui adeò non possunt panem, panísve speciem, à Christi corpore distinguere, cùm in omnibus huiusmodi vna sit responsio, Quod in Ecclesiæ fide adorant: quod quidem sufficit eis ad salutem. Maiores verò, siue peritiores, distinctè adorant contentum Dominum non verè signum continens, siue sit tantùm accidens, siue panis cum accidente substantia. Et cùm sacramentum viderimus, dicimur sacrum Christi corpus videre eo sensu, quo contentum videre dicimur, quando cõtinens videmus: vt hominem, cuius vestes aut arma, quibus vestitus aut armatus fuit, videmus: vt vinum in vase gestatum fertur à nobis videri, dum vas continens duntaxat cernitur. Non sum is, qui cornicum oculos studeam confodere, aut maioribus meis, & de re Christiana benè meritis, & per quos profeci, coner detrahere, vel maledicere. Sed si veritas amica magis Christianis esse debet, quàm Socrates, aut Plato, aut Gabriel Biel, ista omnia ad Berengarianos & Lutheranos relegabimus, aut in eam partem accipiemus & interpretabimur, ne officiant multis Ecclesiæ Catholicæ, & sanctorum Patrum authoritatibus, ac definitionibus. Certũ est, & ingenuè fatetur Biel, synecdochen illam in sacramento receptam Transsubstantiationem non confirmare, sed tanquam minimè necessariam tollere, siue de verborum Christi significatione, *Hoc est corpus meum*, quæstio habeatur, siue de omnibus locutionibus & modis, quibus sacramentum

An ipsum sacramentũ possit inuocari.

Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 3.

Gabriel Biel lec. 40. 41. 45. 48. 61. 67. in Canon.

tum esse Christi corpus verè, seu in veritate affirmatur. Licebit enim omnia per synecdochen temperare, & eludere. Neque sic Berengarius, sed Ecclesiæ contra Berengarium sententia damnatur. Ille asserebat in sacramento videri, tangi, & percipi corpus Christi, non in proprio supposito. Ecclesia contrà decidit, non modò in sacramento, sed in veritate & sensualiter corpus ipsum & sanguinem videri, tangi, dentibus atteri, vt duos Berengarij errores percelleret: vnum, quo intelligebat in sacramento idem esse quod in nudo signo: alterum, quo exponebat in sacramento non idem quod in vacuo signo, sed quod in continente rem ipsam. *Duo Berengarij errores circa Sacramentum.* Deinde causam maximam Transsubstantialitatis aufert, cùm sine periculo manente pane adorari posse sacramentum, etiam à plebeiis non secernentibus corpus à pane, testatur. Si enim nullum est periculum, cur ad tollendum ipsum inducitur Transsubstantiatio? Falsum est à doctioribus seorsum coli corpus à pane, cùm tot Patrum authoritates produxerimus, qui panem factum corpus Christi se adorare & venerari profitentur etiam contra Gentiles, nec de synecdoche vllam faciunt mentionem, cùm eius in aliis materiis sæpè meminerint, & nullis præstigiis ac figuris Christum videri & tangi aliàs asseuerarint: in panísque effigie, sicut in carnis specie, oculis mortalium Christum in Eucharistia apparere declarauerint: quæ locutiones synecdochen non patiuntur, sed impediunt. Sin placet ad rectum sensum Biëlis dicta reuocare, intelligamus ipsum & alios, quos se authores habere ait, loqui de panis & vini specie, secundum propriam naturam in se consideratam: vt nonnulli etiam in Christo considerabant humanitatem, túmque assentiebantur nõ adorandam tanquam creaturam: multò verò minus panis & vini speciem, vtpotè sine sensu creaturam. Verùm si, vt existit in sacramento, attendatur, Bielis similitudines falsæ sunt, & nihilominus, si panis tanquam vestis, aut operimentum corpori Christi & vinum sanguini impositum cogitetur, idem tum de specie panis & vini, quod de regis purpura, feretur iudicium, nec erit peccatum in sacramento illam adorare, vt nec purpuram in rege. Et quamuis falsam aut duriorem fabricarent synecdochen, si purpuram in rege negarent verè, sed per synecdochẽ figuram tãtùm honorari, nihilominus non possent species panis & vini in sacramento tantùm pari figura coli ostendere, quoniam purpura propriam retinet existẽtiam, præter eam quam habet in rege, non autem species illa, quæ præsentiæ corporis & sanguinis Christi longè arctiùs adiacet, atque ab ea fulcitur, quàm purpura in rege: nec aliam admittit synecdochen cùm adoratur, nisi si accidens substantiam, à qua sustentatur continere, & dicantur ei attribui illa per synecdochen, quæ substantiæ competunt: quod quàm sit alienum à sana Philosophia & doctrina, aliorum esto iudicium, quibus ac maximè Ecclesiæ, omnia ista subiecta sunto. Non deerunt fortassè vicissim, qui à nobis impanari Christum clamitabunt, propter species quas illi affigimus. Iam dictum est sæpiùs accidentibus illis non affici suppositum Christi in se, nec vnione hypostatica illi inhærere, sed à Christi præsentia in rerũ natura contineri, cuius causa ipsa præsentia afficitur illis accidentibus, vt dicatur Christus præsens in tali effigie, atque alia cognomenta reportet ex his, quæ circa ipsa accidentia & species benè vel malè geruntur, & committuntur, vt frangi, dignè vel indignè manducari, atque aliis, quæ saluis speciebus contingunt. *An impanetur Christus, si dicatur sacramentũ adorari.*

DE PRAECEPTA EXTERNA ADORATIONE EVcharistiæ, & adorandi ritu in Missa. CAP. 7.

De triplici adoratione Eucharistiæ.
Dionys. Carthus. Ser. 2. de Eucharist.

EX antiquis obseruatum scimus triplex adorationis genus circa hoc sacramentum: Spiritalis & internæ, qua mens à sensibus seposita, sursum in contemplationem rapitur charitatis ac bonitatis diuinæ erga nos, vt nec Pater pepercerit filio suo, sed cum illo nobis omnia donauerit, in passionis eius, omniúmque mirabilium ac beneficiorũ à Deo & Christo eius acceptorũ memoriã, fidem & agnitionem, vt ea prædicentur, pro ipsísque gratiæ agantur: eáque fiebat in silentio, de quo posteriùs. Altera medio modo se habuit, quę cum speculatione preconia redẽptori obtulit, animíque veneratioẽ corporis aliquo gestu prodidit. Tertia ab exterioribus orditur, per eáque ad interiorẽ sese animat & prouocat, omnẽque ornatũ sacramẽto in suæ fidei testimoniũ parat. Luthetus, Vvestphalus, atque alij, spiritalem & internã sub præceptum cadere fatẽtur ingenuè, sed exteriorem minimè, quã liberã & indifferentem volunt cuiusque arbitrio relinqui, modò fiant omnia decenter, & contemptus absit. In orando enim pios nullo pręcepto astringi dicunt, vt genua flectant, manus eleuent, in faciem procidãt: neque prohiberi, quominus adhibeãt externos gestus: nihílque esse exrernã adorationẽ nisi hypocrysin absque interna, quę illã intra suas meras in legitimo vsu continere debet. De spiritali itaque præcipuè, ac sedulò populũ erudiendũ, ne externa in hypocrisin abeat, quæ vltrò sequitur, cũ illa negligitur. Rectè quidẽ, quod posteriore loco monet, maximè si quis spiritalẽ dedita malitia ab exteriori excluderet: secus, si repẽtè viso sacramẽto, nihil cogitãs animo nisi Christũ adesse, adorabundus procũbat, aut testari conetur fidẽ suã exteriori apparatu, nihil alioqui de Christi passione & meritis animo versans, sed aliis curis distrahitur. Nemo, opinor, huic hypocrisin impegerit, quoniã quãuis nõ actu spiritaliter adoret, habitu tamẽ, vt loquimur, in spiritalẽ refertur corporalis eius adoratio: nisi fortè de hypocrisi ausi fuerint accusare pueros, & populũ Hebræorũ clamantiũ Osanna filio Dauid, & vestimenta sua atque ramos proiicientium, quà iter facturus erat Christi vector asinus, cùm tamẽ nec quid loquerẽtur, nec passionẽ Christi, nec alia eius beneficia intelligerent, nec spiritu comprehenderent & reuoluerent, sed tantùm audirent publica fama transire Messiam. Peccant verò in eo, quòd exteriorem adorationem iudicant indifferentẽ esse, ac minimè præceptam. Apostolus sanè de omissione istius verba facit, cùm Corinthios increpat, quòd in esu & potu non diiudicarent esse corpus Domini, nec veneratione singulariter debita illum cibum & potum honorarent, quemadmodũ probè Augustinus explicat, qui de eadẽ pronũtiat, neminẽ legitimè carnẽ Christi in mysterio sumere, nisi priùs adorauerit, nec peccare qui adorauerit, sed cõtrà qui adorationẽ prætermiserit. Nam etiam ibi Augustinus meminit exterioris inclinationis. Quòd si ore creditur ad iustitiã, corde verò cõfessio fit ad salutem, quo loco vel tempore cultus internus externo profitendus magis est atque exerendus, quàm inter sacra Missarũ solemnia. Præcepti rationem elegantem ac verissimam profert Martinus Cemnicius, inter Lutheranos non infimus. Ad veram (ait) confessionem pertinet, vt fidem, deuotionem, celebrationẽ publicè quoque testemur, & voce, & aliis externis significationibus, quibus ostendamus quid de huius Cœnæ substantia & fructu sentiamus, qua animi reuerẽtia & deuotione accedamus, qualẽ ibi cibum nos credamus accipere. Tali externa confessione seiungimus nos à Sacramentariis & Epicureis, horum mysteriorum contemptoribus: excitamus alios ad veram reuerentiam, ne qua detur occasio vel simplicibus ad profanas cogitationes, vel porcis ad conculcanda hæc mysteria. Externa enim irreuerẽtia signũ est profanæ mentis, & non diiudicãtis corpus Domini, quod dicebat Paul⁹ de quibusdã, quia id in cœna Dominica nõ maiori reuerẽtia tractabant,

Vvestph. Apol. in Calu. ca. 34.

Quãdo externa adoratio sine interna est hypocrisis.

Adoratio externa præcepta.

Augu. in Psal. 98.

Cẽnicius part. 2. Examin. in Cõcil. Trident.

Quare sit præcepta externa adoratio.

ctabāt, quàm vulgares concœnationes. In his verò externis regula vt simplicissima, ita tutissima, vt sint testimonia fidei interioris de Eucharistia iuxta verbum, eique fidei respondeant. Video quid Vvestphalum ac plerosque decipiat. Primùm aliud est aliquid liberum esse & indifferens, aliud incidere causas, quæ nos soluant aliquando lege & præcepto. Si certè ex publica mea adoratione maius nasceretur scandalum & detrimētum, quàm ex eiusdē omissione, tum fortasse licet cōniuere: aut si aliqua necessitate impedior à colenda Eucharistia, sum proculdubiò extra noxiam. Ladislaus Bohemorū rex numquā adduci potuit, vt Hussitarū Ecclesias, quamuis sępè rogatus, intraret, aut sacris interesset. Rochezanā illorū Archiministrū in celebritate corporis Christi vicatim Sacramentum deferentem conspicatus, nullum reuerentię signum prębuit. Percunctantibus amicis, vt quid Sacramentū inhonestasset. Non me „latet (ait) diuinissimum Christi corpus dignius esse, quàm vt per me satis honorari „possit, nec mea reuerentia gloriā eius auget, nec dehonestatio decus imminuit: sed „cauendum mihi fuit, ne dum Christum honoro, sacrilegum Presbyterum populari„bus approbasse videar, quorum plerūque mores ex Principe pēdent. Nec ij me Deū „contēpsisse putabūt, cuius corpus sacratissimū in Catholici presbyteri manu summis me semper honoribus viderunt prosecutū. Deinde non aduertūt aliud esse exteriorem adorationē, aliud eius ritus. Illa est gestus corporis in reuerētię signū, & ita præcipitur: sed gestus ille, si nō liber omninò, tamē indifferēs ex se est. Et cùm multiplex sit pro varietate locorū, temporum & personarū, atque aliarum circunstantiarū, nullus certus ex se pręscribitur pro exteriori adoratione, quæ aliquē gestum requirit: nihilominus quis sit, nō definitur, nec singularis esse dicitur. Communior est geniculatio aut prostratio, quam significat adoratio vocata à Græcis προσκυνησις, & cōmunis in scriptura adorationū vsus: attamen etiam in scripturis adoratio exercetur sedēdo, aut stādo, aut in lecto decumbendo. Helias sedens adorauit: & in adoratione Dauid stetisse corā Domino scribitur, vt Augustinus annotat: atque in lecto videns filiū Solomonē sibi successurū in regno, pectore ac capite se inclinat, inuocat Deum, & gratias agit. Sic Iacob in lecto adorauit fastigium virgæ Ioseph ait Apostolus, seu adorauit ad lectuli caput: id est, inclinauit caput ad partem anteriorē, non retrorsum, ac manus cōplicauit, eo gestu testificatus se in Christum venturum credere, & respicere. Christiani à Pascha ad Pentecosten, necnon Dominicis diebus, stantes orabāt, atque in Missa, modò stantes, modò procumbentes, solebāt adorationem obire: apud alios verò assurgere in adoratione, etiam cùm eleuaretur hostia: apud alios contrà se prosternere, sicut hoc capite narrabitur. Propterea quando Lutherus atque alij adorationis obseruationem liberam faciunt, videntur de gestu intellexisse, quemadmodum ipsius diuersitatem in exēplum producit Vvestphalus. Lutherus alio loco exponit, exigítque aliquod adorationis signaculum ad omne verbum diuinum & sacramentum, sed potissimùm ad Eucharistiam. Nunc de re agamus. Attigimus antea allusisse Apostolum ad eleuationem Eucharistię in cultum per templa Christianorum, cuius loco se ostentabit in ipsis Antichristus, & se proponet adorandum, tanquam sit Deus. Certè eleuatio ista ab Apostolis profecta est, térque fiebat in Missa: quod antequàm ostendamus, inuestigemus vnde, & ex qua causa cœpit ipsa eleuatio. Consentiunt omnes eleuationis ritum à Iudæis profectum, in quorum lege oblata dicuntur passim à sacerdotibus eleuari: vt, Tulit pectusculum eleuans coram Domino: &, Armum, pectus & adipes, qui cremantur in altari, eleuauerunt coram Domino: &, Tollet sacerdos de manu mulieris sacrificium Zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino: aliísque locis propè infinitis

Præceptum de adoranda Eucharistia externo cultu non perpetuò obligat.

Cocleus lib. 4 de Hussitarum historia.

Non adoratio externa est indifferentia, sed eius ritus.

Adoratio communiter fit prostratione, attamen aliquando etiam stando.

3. Reg. 17. 2. Reg. 7. August. lib 2. ad Simplicianum. quæst. 4. 3. reg. 1. & Genes. 47. ad Hebr. 1. Tertull. De corona milit.

Luther. in libr. Thesauri edito, anno 1566.

2. ad Thessal. 2.

De triplici eleuatione Eucharistia in Missa.

Leuit. 23. Num 5. 6. & 8. Exod. 29.

Vnde cœpit eleuatio Eucharistiæ.

pro sacerdotum initiatione scribitur. Pones omnia super manus Aaron, & filiorum eius, sanctificabísque eos, eleuans coram Domino. Vbi pro Sanctificabis, litera Hebraïca habet Ventilabis: ibíque Rabbi Selomo ait, Ventilatio fiebat eo pacto, vt Moses supponeret manus suas manibus Aaronis, & filiorum eius tenentium oblata, eleuans primò sursum, pòst deorsum demittens, ac deinde agens ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Meridiem, ad designandum ea Domino offerri, qui cœlo, terræ, ac quatuor mundi partibus dominatur: quem etiam morē Liranus recitat. Apud Hebræos igitur eleuatio symbolum sacrificij præ se ferebat, quod præsentabatur. Lutherani quidem inficias ire nequeunt, illam pro more in sacrificiis ab ipsis Iudæis & Christianis adhibitā fuisse: sed Lutherus ipse aliorsum quàm ad sacrificiū corporis & sanguinis Domini pertinuisse fingit. Nam ait collectas eleesymosinarum factas in cœtu Christianorū solitas sursum attolli ad sanctificationē de more Iudaïco, atque irrepsisse ob id oblationis nomen, ablato vsu colligendi, & conferēdi pauperibus ea quæ offerrentur & leuarētur: (Qua phrasi scribitur à Dauide, Extollite manus vestras in sancta: & ab Apostolo, Leuantes puras manus in omni loco:) vel ex eleuatione moneri fideles ad referendas gratias Deo largitori pro acceptis donis & beneficiis, vel demonstrari ista ceremonia, quod verba Christi enuntiant, *Hoc est corpus meum*: quasi fidem in nobis excitet sacerdos ipso leuandi ritu. Verùm constat non nisi sacrificia, idque in signum oblationis & gratiarum actionis, sursum à Iudæis fuisse elata, ita vt significatio sacrificij antecederet, cuius interuentu gratię agerentur Deo creatori. Christiani vt ritum illum à Iudæis didicerūt, ita & ritus rationem sunt æmulati: inque testimonium oblationis sursum hostiam attolli decreuerūt. Verùm non ea sola ratione, imò sic monimentum crucis ac passionis, resurrectionis atque ascensionis Dominicæ oculis subiecerunt, vt earum in sacrificio memoriam signis externis excitarent. Hoc Augustinus disertè tradit. Ergo (inquit) tu audis, quòd quotienscunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem illum non assumis. Hoc etiam Græci in Alexandrina & Ephesina Synodis videntur innuere, cùm profantur in sacrificij incruenti oblatione, se annuntiare mortem vnigeniti filij Dei secundum carnem, & resurrectionem eius, atque in cœlos ascensionem. Hoc etiam eleuationis symbolo nos illa testificari apertè declarat Missę Canon, qui statim ab hostię eleuatione, quasi eius causam reddēs, infert: Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi tam beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclarę maiestati tuæ de tuis donis ac datis. Tertia huius eleuationis causa quædam fuit ad hostię adorationem, inuocationem, & gratiarum actionem monitio & adhortatio, quemadmodum post Magnum Dionysium Liturgiæ & Scriptores docent. Nam Pachimeres & Maximus in Scholiis Dionysij explicant monstrari, vt cogitentur quæ sint facta, & ex ea fide adorentur, sequamurque trahentem omnia ad seipsum, postquàm exaltatus fuit. Futuram verò Eucharistiæ eleuationem, qualem modò cernimus, eámque à Dauide prænuntiatam, Rabbini Hebræorum etiam fatentur inuiti. Nam vbi versio communis Psalmorum habet, Erit firmamentum in terra in summis montium, fert Hebraïca veritas, Erit placenta tritici in terra in capite montium: quam Chaldaïca paraphrasis ita enucleat, Erit oblatio frumenti in terra in capitibus sacerdotum. Nec Hieronymi dissonat translatio, Erit memoriale nomen, triticum in terra in capite montium: ita vt Lirano videatur corrupta nostra litera per scribas imperitos, ponentes firmamentum pro frumento, ex similitudine dictionum. Quin verò

Liranus in cap. 7. Leuit.

Quorsum ferret eleuatio hostia.

Luther. de captiuit. Babylo.

August. Serm. 28. de verbis Domini.

Eucharistia eleuatio pronūtiata à Dauide & rabbinis. Psalm. 71.

verò intelligatur Psalmus de Messia, nemo Hebræorum dubitauit: & ante Christum
versio Chaldaica Messiæ sacrificium in capitibus sacerdotum in placenta panis ap-
pariturum præuidit, cui subscribētes Rabbinos Petrus Galatinus hos allegat. Rab- *Galat. lib. 10.*
bi Berachias in nomine Rabbi Issac dixit: Sicut fuit redemptor primus Moses, ita *cap. 4.*
erit & vltimus Messias. Nam vt ille fecit descendere Manna, ita hic erit placenta
frumenti in terra: atque vt clariùs explanauit Rabbi Akitas, siue R. Ioseph cæ-
cus Chaldæus interpres, quem Hebræi nunc habent in manibus, Erit substan-
tificus panis in terra in capite montium. Ita clarissimè, & ad rem nostram apposi-
tissimè R. Ionathan Ben Vziel: Et erit panis sacrificium in terra in capite mon-
tiū Ecclesiæ. Hortatúrque vt videat qui habet oculos. quod cùm ait hoc de Mes-
sia, de quo totus hic Psalmus loquitur, vult dicere, quòd placenta panis fiet sacri-
ficium in capitibus sacerdotum, qui sunt in Ecclesia. Roffensis addit R. Iohai, qui *Roffens. de sacer. defensione.*
Christum antecessit, cuius tempore dixit panis sacrificium numquam defuturum:
quem sequuntur RR. Cimhi & Selomo. Sub Apostolis cōsuetum, Eucharistiam in
adorationē ostentare verba Apostoli de Antichristo arguūt, quibus affirmat ipsum
sessurum in templo Dei, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός: id est, ostentabit se, & appa- *Tempore Apostolorum eleuatam Eucharistiam indicat Paulus 2. ad Thess. 2.*
rêre faciet, ac si esset Deus: vt scilicet & hoc modo se opponat ac substituat Christo,
& adoretur ab his, qui adorabāt Christū monstratū in eleuatione sacrificij. Eā enim
vim habet dictio, qua Apostolus vtitur, vt aliquid externū appareat, quod mōstretur
& adoretur vt Deus. Ireneus sanè, sicut ex allusione templi Hierosolymitani templū *Iren. lib. 5.*
Christianorum interpretatur, in quo sit sessurus Antichristus, ita ex eadē allusione
ad sacrificiū Iudæorum, quod fiebat in templo Hierosolymitano, sacrificium Chri-
stianorum & eleuationem eius exponit, quod ille pessundabit, & se loco Christi,
„ qui in illo colitur, sufficiet, ostentans se tanquam sit Christus & Deus. Tentabit
„ (inquit) semetipsum Christum ostendere, sicut & Dominus ait: Cùm videritis abo-
„ minationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, stantem in
loco sancto, qui legit, intelligat. Daniel autem tempus tyrannidis eius significat,
in quo tempore fugabantur sancti, qui purum sacrificium offerunt Deo. Et
in dimidio hebdomadis tolletur sacrificiū, & leuatio, & in templo abominatio de-
solationis. Eodē genere dicendi cum Apostolo Basilius eleuationē Eucharistiæ de- *Basil. lib. de spiritu sancto cap. 27.*
„ clarat, eámque refert sine scripto ad Apostolos. Ait enim: Inuocationis verba, quū
„ ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum nobis in
„ scripto reliquit? Quoniam verò non pauci dubitant post Erasmum, an ille liber,
vel saltem caput illud sit Basilij, sciendum à Damasceno, & Euthymio agnosci v- *Damasc. de Imaginibus Euthym. in Panoplia, part. 2. tit. 12.*
trunque à Magno Basilio scriptum citra vllam controuersiam inter Græcos. Ita
factitarum à Magno Dionysio omnes scriptores consentiunt, atque omnes Litur-
giæ tam Græcæ quàm Latinæ testantur. Nam Dionysius dictione Paulina ostensio-
„ nem illā enuntiat, atque ita habet: Pontifex diuina munera laude prosecutus, sacro-
„ sancta & augustissima mysteria cōficit, & quæ antè laudauerat, venerādis operta &
„ abdita signis, in conspectū agit, diuináque munera ὑποδείξας, id est, ostēdit. Cęterùm
sciendum ter in Missa solitū sursum efferre Eucharistiam. Nam sub tempus inchoā- *Ter in Missa eleuabatur Eucharistia.*
dæ consecrationis, ab altari dona consecranda in altum vehuntur, vt significetur il-
„ la iam eximia pane per populū oblato & sanctificato. Sic enim canit Heildebertus
„ Cænoman. Episcopus. Presbyter idcircò, cùm verba venitur ad illa, In quibus alta-
„ ri gratia tanta datur: tollit vtrumque, notans quòd sit communibus escis altius,
„ & quiddam maius vtrumque gerat. Sic in Missa Armeniorum Sacerdos præ- *Dionys. cap. 3. Eccl. Hierarch.*
parationem sacrificij ad conspectum populi attollit, & precatur. Sic apud Græ-
cos, cùm infertur altari, priùs circumgestatur quàm sacretur, & populus excitatur

ad cot sursum, atque ad futurum mysterium disponendum. De posteriore duplici hostiæ elatione Dionysius & eius Scholiastæ innuũt. Ille enim expleta consecratione, sacrosancta mysteria operta tunc & velata, in aspectum attolli narrat: postea orare Pontificem, vt remoto velamine dignetur Christus apparere populo suo: atque ita circa communionem detegebat sacra signa, ipsáque iterum in aspectum populi agens, acclamabat, Sancta sanctis. Populus verò tum se ad adorationem & dignam communionem componebat, sicut in Scholiis declarat Maximus. Tametsi Græcorum Liturgiæ non meminerint eleuationis in ipsa oblatione statim post consecrationem, sed alterius quæ fit ante communionem, quæ ritum habeat eundem cum priori, & quæ gerat sacrificij indicium, quemadmodum apud Nicolaum Cabasilã est: tamen etiam nunc Græcorum Ecclesiæ duplicem illam obseruant. Nam sacerdos à consecratione circuit templi gremium, vna manu sanctum calicem, altera eius velamentum tenens. Deiñde ad sanctuarium reuersus ante communionem, iterum sanctam Eucharistiam populo adorationis causa eleuat. Ac priorem illam in vsu antiquis illis Græcis fuisse Ephesina & Alexandrina Synodi, cum Cyrillo, satis monẽt, cùm distingunt latriam incruentam, seu sacrificium vel cultum à communione, & in illo profiteantur se annuntiare passionem, resurrectionem, atque ascensionem Domini: quæ annuntiatio per ritus externos Eucharistiæ intelligenda est, sicut Ambrosius & Augustinus, qui paulò ante illa concilia vixerunt, exprimunt. De eleuatione & veneratione ante communionem, Liturgiæ Iacobi Apostoli, Chrysostomi, Basilij, Dionysius, Maximus, Germanus Constantinopolitanus, Cabasilas, atque alij mentionem faciunt, cùm sursum elata hostia proclamaret sacerdos vel Diaconus, Sancta sanctis. In Missa quoque Æthiopum pluribus verbis tum populum exhortabantur intentum esse in cultum & venerationem propositæ hostiæ, & se ad eius dignam perceptionem præparare. Ex lingua Chaldaïca seu Æthiopica, non ita dudum conuersa, sacerdotem inducit eleuata hostia ter precari, Domine Iesu Christe, miserere nostri. Qui estis pœnitentes, humiliate capita vestra, surgite ad adorãdum. Hoc est corpus sanctum honoratum & vitale Domini, & seruatoris Iesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, & ad vitam æternam consequendam verè sumentibus ipsum. Verè hoc est: & Hic est sanguis Emanuel Dei nostri. Amen. Populus respondet, Credo, credo, credo ex nunc & vsque in seculum. Amẽ. Hoc est corpus, & Hic est sanguis Domini, & seruatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit ex Domina nostra, sancta, & immaculata virgine Maria. Populus. Credo, credo, credo, quòd diuinitas nõ sit separata ab humanitate, ne hora quidem, nec per ictum oculi. Hæc eius sunt qui dignus est honore, gloria & reuerentia. Hic sacerdos sumit corpus & sanguinem: & postea communicat ex eadem hostia ministris sacrificij: & dum ministratur populo sacramentum, psallunt docti aliqua carmina in honorem sacramẽti. Sicut in Græcis Ecclesiis hostia post orationem Dominicã efferebatur sursum ad cultũ & præparationẽ pro cõmunione, ita in Latinis post eandẽ orationẽ fiebat ista secũda eleuatio, quæ nũc ab aliis orationis initio ab aliis in clausula, Sicut in cœlo & in terra. neque id profectò ineptè, vt ritus verbo spõdeat, ac testetur Christum, quem præ manibus tenet, atque attollit sacerdos, versari in cœlo & in terra. Ita in Missa Chrysostomi in illa eleuatione sacerdos pronuntiat: Super cœlos Deus, & super omnem terram gloria eius. A pluribus verò, ac rectè quidem, elata retinetur hostia, interim dum adoratur & inuocatur per Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Ex his tamen nequaquam iudicari debet, quasi eleuatio ad oblationem vel adorationem necessaria credatur, aut sine illa posteriores non inueniant locum. De diligẽter à priscis Christianis seruata conueniẽ-

Eleuatio nõ est necessaria neque ad oblationem, neque

tia & cõgruitate rituum, cum his quæ animo & fidei obuersari oportet, differimus, *ad adorationẽ.* non de Christi iussione, vel institutione. Propterea annotat Cassander in Missa sub imperio Presteiannis, siue Æthiopico, calicem non subleuari. Propterea falluntur Lutherus & Melantho, atque alij Germani, qui abolita eleuatione, sacrificium & *Melantho ep.* adorationem pessundari putant, cùm offeratur & adoretur Eucharistia in altari, *ad graduantes in Franc. Eler'e-mas. Euchari.* quomodocũque iaceat & attrectetur. Eleuationem verò probarunt Saxonici Protestantes. Nam in cõuentu Cellæ Misorum anno 49. Georgius Princeps ab Anhalr, Georgius maior, Pomeranus, Camerarius, cum alijs respondisse feruntur hunc in *Lindan. tom. 2. Apolog.* modum ad postulata Consiliariorum illustrissimi Principis Mauritij: In Missa recitet sacerdos cum administro, Confiteor, flexis genibus: postea introitus, Cyrie eleyson: tum præfatio latinè, Sanctus, Pater noster: verba Testamenti Germanicè cum eleuatione. In Communione canẽt, Agnus Dei. Quod in publica Ecclesiarum Daniæ, Nortuuegiæ ordinatione comprobatur, edita anno 37. Mox à verbis (inquiũt) consecrationis decenti eleuatione minister, si videbitur, eleuet. Iam qui fuerit adorãdi gestus, explanari decet. Communior apud plures populos habebatur procumbere, seu adgeniculari: nihilominus apud nullos tam ratus fuit & certus, vt numquam contrarius rectus status ad religionem ascisceretur, sicut paulò antè docebamus. *De vario adorandi ritu.* Apud Ethnicos dexteram ad osculum referentes, capite submisso, totum corpus circumagebant, authore Plinio. Vnde Apuleius dixit, Si fanum prætereat, nefas *Plin. lib. 28. ca. 2.* habet adorandi causa manum labris admouere. Atque ex hac ceremonia Cæcilius apud Arnobium redarguitur ab Octauio Christiano, quòd idolum in via conspe- *Arnob. lib. 8.* ctum adorauerit. Et D. Hieronymus ad Ruffinum, in Expositione versiculi, Apprehendite disciplinam: Nescio (inquit) vt verbum de verbo interpreter, χαταφιλήσατε, id est, deosculamini: quod ego nolens transferre putidè, sensum magis secutus sum, vt dicerem Adorate: quia qui adorant, deosculari manum, & capita submittere solent. Quod se beatus Iob clementis & idolis fecisse negat. Si vidi (ait) solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum in abscondito cor meum, & osculatus *Iob 31.* sum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima est, & negatio cõtra Deum altissimum. Nec ab hoc ritu abhorruerunt Christiani. Nam & sacerdos corpus circumagit, cùm rogat, Orate pro me, Fratres, & ego pro vobis. Et Græci, quoties nũc suas Ecclesias ingrediuntur, stantes ter adorant, paulò incuruato toto corpore, ac cum signo crucis manum ori admouent, vel pectori: & Itali pollicem deosculantur, necnon Heluetici, postquam passis manibus adorauerunt, easdem toti vultui superducunt. Apud Æthiopes non nisi stantes adorant: atque antea citabamus iussos surgere ad adorandum sacramentum: quæ ceremonia videtur etiam olim in Germania obtinuisse. Nam post annum 1300. Ioannes vigesimus secundus Papa, inter articulos Fratricellorum Catholicæ fidei, & Ecclesiasticis sacracramentis con- *In Clement. De religios. dominibus.* trarios, quos in Allemaniam induxerant, octauum ordine ponit: Quòd in eleuatione corporis non debent assurgere, nec ei reuerentiam exhibere, asserentes, quòd esset imperfectionis, si à puritate & altitudine suæ contemplationis descenderent, quòd circa ministerium seu sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi, aliqua cogitarent. Quamuis autem in ipsa Missa functi sint Christiani adorationis vario ac diuerso ritu: quandoquidem ad Christi nomen & pronuntiationem Euangelij assurgebant, & cùm monerẽtur habere sursum corda, etiam corpus & manus attollebant, vt sacerdos solet præire verbo & facto, cùm id effatur: attamen ex omni antiquitate, atque apud omnes veteres Christianos adorationis gestus consistebat in prostratione, siue in corporis incuruatione siue adgeniculatione, cum manuum extẽsione, siue capitũ inclinatione. Etenim si ad vocẽ, &

Decentior gestus adorationis est prostratio, seu adgeniculatio.

Chrysost. hom. 24. 1. ad Cor. ho. 7. in Matt. & 52. ibi.

Chryso. lib. 6. de Sacerdotio.

virtutem nominis Christi omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum: Si Magi (Chrysostomus ait) cum timore ac tremore procidentes, hoc corpus pannis inuolutum, in præsepi positum adorauerunt: quantò magis ad ipsum in gloria adorandum tam corpore quàm mente procumbere decet? Inculcat alibi idē Chrysostomus, quòd cōcidere ac prosterni decet, & cùm leuatur atque attollitur, in signum maiestatis & gloriæ deprimi & humiliari. Quocirca sub momentum cōsecrationis & adorationis Diaconus clamabat: Stemus honestè, vt scilicet, quemadmodum explicat Chrysostomus, omnes super terram iacerent, surrecturi cùm iuberentur, & rum manus cum sacerdote in precibus coram sacrificio expansuri, ac capita inclinaturi: cùm etiam procumbere in illa hora circum altare, vel capita inclinare à quibusdam visos Angelos idem author commemoret. Sic Gregorius Nanzianzenus sororem ad adorandam Eucharistiam etiam extra Missarum solemnia procubuisse tradit. De illo adorationis ritu Diaconus voce olim populum commonefaciebat, vt legere est in Liturgiis, & iñ annotatis de Chrisostomo: nunc campanula idem officium facit: de qua sequenti capite. In Ecclesia Latina etiam viguisse prostrationem in adoranda Eucharistia, vel vnicus locus Augustini fidem facit: Adorate scabellum pedum eius. Ad terram (inquit) adorandam cùm te inclinas & prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est. Quamobrem rectè Honorius tertius statuit, vt sacerdos frequenter doceat plebem suam, vt cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris: se reuerenter inclinet, idem faciens, cùm eam defert presbyter ad infirmum. Porrò tametsi in adoratione quædam foras promeretur actio, nulla tamen vox audiebatur. sed orabat diu sacerdos, & populus cum eo in silentio. de quo Chrysostomus: Cum tanto horrore omnes astāt Angeli, clamantes omnibus silentibus: & putas simpliciter fieri. Non consideras (addit alibi) vt coram regibus omnis coerceatur tumultus, & maximum vndique silentium commendetur: Et tu regalem ingressus aulam, non eam quæ in terra est, sed quæ est multò terribilior, videlicet in cœlo, plurimum reuerentiæ atque ordinationis ostēde. An non eos vides, qui mortali, temporali, ac terreno regi assistunt, quàm sint immobiles, nec loquentes, non oculos huc & illuc mittentes? Idcircò in fragmento Caroli Magni ad Albinum, de veteris Ecclesiæ ritibus scribitur: Post has laudes & gratiarum actiones, pro tanta gratia redemptionis nostræ, quę in illo diuino misterio agitur, & commendatur, facto totius Ecclesiæ silētio, in quo cessante omni strepitu verborū, sola ad Deum dirigatur intentio, & deuotio cordium, sociatis sibi omniū votis & desideriis, incipit sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysteriū Dominici corporis & sanguinis consecratur. Ex quo Vualafridus de ritibus Ecclesiasticis, fatetur minus apertè legi, quis Antiphonam, quæ ad cōmunionem dicitur, specialiter addiderit officiis nostris, cum verè (ait) credamus priscis temporibus Patres sanctos silentio obtulisse, vel communicasse. Quod etiam hactenus in Sabbatho sancto Paschæ obseruatur. Nihilominus apparet inuocationē illam, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, antiquiorem esse, tum ex Concilio primo Niceno, atque ex Chrysostomo, & adhiberi solitam in tertia hostiæ eleuatione ante communionem. Vetat enim Synodus illa attendi, quæ oculis spectantur in mensa, cùm perficitur sacrificium, sed mente sursum erecta, & fide apprehendi Agnum iacentem in altari, qui à sacerdotibus tum incruento modo immolatur. vbi proculdubiò videtur alludere ad solemnem illam inuocationē, qua Agnū præsentē & immolatū compellamus. Certe ex Basilio patet, ab Apostolis hanc vel similem precationem in eleuatione traditam. Vel fortassè à tempore Nicenæ synodi

August. in Psal. 98.

Extr. de celebrat. Missarū. cap. Sanè.

Chryso. hom. 21 in Act. Apo. & hom. 19. in Matth. hom. in Encenus.

Adorabant Christiani Eucharistiam in silentio primū.

Vualafridus cap. 22.

Quando cœperit inuocatio, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.

illa

illa inuocatio fuit concepta cõtra Origenistas ab illo Canone damnatos in eo, quòd docerent terrenis elementis non subesse cœlestia, à quibus etiam negabatur Christũ esse inuocandum: vel etiam contra Arrianos ratiocinantes Christum non recipiendum pro Deo, cui non litaretur in sacrificio, nec inuocaretur. Tempore Chrysostomi cognoscitur illa precationis formula iam solemnior. Quasi enim ex illa synodo sæpè repetit, Agnum Christum immolari, & iacentem in altari rogari. Non est (ait) temerè excogitatum, nec frustrà memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, & accedimus pro ipsis Agnum illum iacentem, & peccata mundi tollẽtem deprecantes. Certè non tantùm totius inuocationis mentionem facit cum allusione ad Synodum, sed quo tẽpore fieret, innuit, statim nimirùm à memoria mortuorum. Idem Chrysostomus nõ semel meminit precationis ante communionem, ad implorandam misericordiam, & vulgares Liturgiæ Græcorum in adoratione secunda, pacem ac misericordiam Dei peti declarant, sed de Agno reticent: attamen de Chrysostomi testimonio non potest ambigi.

Chryso. hom. 41. 1. ad Cor. hom. 21. ad Roman. & hom. de laude eorũ qui comparuerit in Ecclesia.

Orabatur quoque peccatorum remissio per Orationem Dominicam, sed ante eleuationem illam tertiam, atque ipsi annexam adorationem, necnon post priorem. Proinde adorabatur quidem in silentio ad priorem eleuationem, verùm cum vocali prece ad postremam, ne vlla contradictio reputetur inter dicta Patrum: quod ita faciendum ad Missæ reformationem Synodi nostro tempore per Prouincias habitæ decernunt. Sic enim statuit Treuerensis: In eleuatione corporis & sanguinis Christi, & post, vsque dum cantatur Agnus Dei, sileant organa, nulla cantetur Antiphona, neque pro pace, neque aduersus pestem aut mortalitatem, sed silentio pro se quisque, aut flexis genibus, aut prostratis humi corporibus, passionis ac mortis Christi commemorationem faciat, ac redemptori gratias agat pro beneficiis per mortem eius largissimè acquisitis.

Treuerens. ann. 1544.

An sit aliquid canendum, cũ eleuatur hostia & adoratur.

Augustensis verò ita sanxit. Sub eleuatione sacræ hostiæ, Antiphonæ ad hoc sacrificium tantùm pertinẽtes cantentur, quanquam melius, & veteri Ecclesiæ conuenienrius esset præsentiam Dominici corporis in altissimo silentio prostratos contemplari. Si quæ autem aliæ Antiphonæ ex consuetudine, vel fundatione cantari solitæ fuerint, ea peracto sacro cantentur.

August. ann. 1548.

Cæterùm quoniam creditur esse efficacior oratio, cùm immolatur & offertur Agnus ille, idcircò in silentio sacerdos & populus vehementiùs preces fundebat pro singulorum necessitatibus. Sic Ambrosius in ep. de tradendis Basilicis ait Missam facere cepi. In ipsa oblatione amarissime flere & orare Deum vt subueniret.

Cur in adoratione preces extraordinaria adhibeantur.

Lib. 5. epist. 33.

Quæ caussa compulit, vt etiam exigente temporum malitia tum ausi fuerint etiam vocales preces intermiscere, vt essent Deo acceptiores, & ab Ecclesia intentiùs tum emitterentur. Sic sub Ludouico duodecimò, cùm vndiquaque in florentissimum Galliæ regnum coniurati hostes consurgerent, armis infestis opprimere molientes, institutũ fuit, vt in ipsius hostiæ eleuatione & oblatione, per omnia loca, quæ regni huius ambitu continentur, à fidelium choro decantaretur, O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premũt hostilia, da robur, fer auxilium.

Clitoueus li. 1. Hymnorum.

Quod fortassè nõ tunc fuit inuentum, cùm per omnes ferè orbis Ecclesias frequentetur, sed in nostras introductum: atque id multum contulisse senserunt nostri ad pacem & tranquillitatem paulò post in omnibus regni finibus impetrandam. A Damasceno scribitur, in eleuatione proclamari nõ trisagium, sed vnum sanctum, & vnum Dominum Iesum Christum: quod de secunda eleuatione intelligendum Liturgiæ Iacobi & aliorum docent.

Damasc. epist. de Trisagio.

Ad priorem eleuationem pij viri habuerunt selectas preces sibi familiares, quas taciti ac meditabundi ex intimo cordis facerent. Alexandri Halensis hæc fuit: Adoro te, Iesu Christe saluator, qui per mortem tuam redemisti mundum, &c. Anselmi verò ista: adoro te, Christe, rex Israël, lux gentium, princeps regum terræ, Do-

Gabriel Biel. lect. 50. et 61.

mine sabaoth, virtus omnipotẽs Dei fortissima. Thomas de Aquino proloqui tũ solebat, Tu rex gloriæ Christe, Tu patris sempiternus es filius: ad finẽ vsq; cantici. Tẽpore Bernardi iam versabatur in ore populi, Aue salus mundi, &c. Nam ad Eucharistiæ cultum ita omnes hortatur: quid facis indigne atque ingrate. Adora deuotus, & recole frequentiùs, in sacramento altaris mundi salutem pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Simon Comes Montfortius contra Albigeos Catholicorum dux fortissimus, ante prælium, quod ei postremum contigit, cùm sacris interesset, de cõflictu iam inito monitus à quodam: Sine me (inquit) audire diuina mysteria, & nostræ potius redemptionis intueri sacramentum. De suorum rursus periculo factus certior, respondit, Non egrediar quin prius videro redemptorem meum. Et mox sanctæ consecrationis hostia pro more subleuata, genibus ille flexis, Nunc (ait) dimitte seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Atque addidit, Eamus, & si opus atque vsus est, moriamur pro eo, qui pro nobis mori dignatus est. Beatus autem Franciscus ita orabat: Protector noster, aspice Deus, & respice in faciem filij tui charissimi, in quo beneplacitum est tibi.

Antonin. in eius vita.

In historia Albigeorũ ca. 165

DE CIRCVNLATIONE EVCHARISTIAE in processionibus cum pompa, ac de festo corporis Christi, & adoratione intra, siue extra ciborium CAP. 8.

DVRVM est contra stimulum calcitrare, & contra Deum Gigantum more bellare. Deus & Diabolus, veritas & falsitas, ab effectis vel maximè internoscuntur, ex eo quòd quo magis resistitur Diabolo, eò magis fatiscit & debilitatur. Deus autem tum fortiùs vincit, cùm iudicatur imbecillior, & honorem ac gloriam suam longius propagat, quo magis offenditur & oppugnatur. Quo Iudæi studuerunt indignius Christum ignominia afficere, & quo passionibus turpiùs ipsum deformarunt, eò fuerunt alij à Deo vehementiùs impulsi, ad eundem laude atque omni veneratione prosequendum. Cùm iam hora crucem subeundi immineret, Hierosolymam in asino ingressus, quauis festa acclamatione, ornatu atque cõcursu populi excipitur. Quod cùm Pharisæi conarentur, quasi quid augustius & maius hominis dignitate compescere & redarguere, respondit ille: Amen dico vobis, si tacuerint homines, lapides loquentur: sicut accidit, quando post omnem contumeliam & tormenta existimarunt homines actum esse de illo, & scissi lapides, & terra concussa Iudæorũ feritati obstrepuerunt. Propter quod Deus exaltauit illum, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris. Quin etiam Magdalena excitatur ad corpus vnguento pretioso magis ac magis perfundendũ, quo fiebat passioni propinquius: & Iudas in eo damnatur, quòd mentiretur perditionem esse, quod Christi honori impendebatur. Ipsa verò de pia prodigalitate & impensa commendatur, vt Ioseph ab Arimathia, Nicodemus, ac mulieres, quòd eò feruentiùs curarent aromatibus cõdiri eiusdem corpus, quo miserius fuerat à Iudæis excarnificatum. Denique in fine seculorum redibit ipse tantò in ampliori maiestate, pompa, & splendore, quantò fides erga ipsum amplius defecerit. Ab eodem spiritu Ecclesia mota, atque pij omnes & Catholici, ex quo hæretici veritatem aliquam & articulum fidei vocarunt in dubiũ, atq; ita probro verterũt: contrà inde maiori studio, cura & diligentia, quàm antea, fuerunt à spiritu moti ad ipsius prædicationem, confirmationem, commen-

Deus & veritas quò magis oppugnantur, plus confirmãtur.

mendationẽ atque honoratiorẽ aliquã etiã externã confeſſionẽ & proteſtationẽ. Poſt Ebionitas Iudaiſantes Chriſti diuinitatẽ pleniùs & explicatiùs celebrarunt ac coluerunt Chriſtiani, quàm antea, vt humanitatẽ eiuſdem, atque in humanitate redẽptionis noſtræ obita myſteria verbis & feſtis, aliiſque ritibus & factis poſt Marcionitas, Manichæos, Neſtorianos, atque alios ſe credere atque adorare luculentiùs & amplius conteſtati ſunt: necnon & virginem matrem, de qua natus eſt Ieſus, verus Deus & verus homo, cupidiùs venerari cœperũt hymnis, feſtis, atque aliis modis, quò ab hæreticis illis indigniùs contemnebatur. Sic poſt Arrianos trinitas in vſu ſacramentorum, cantionibus Eccleſiaſticis, atque omnibus ceremoniis, attentiùs celebrata eſt, atque ob id ipſi quoque feſtum dicatum & inſtitutum. Hoc idem in adorando Euchariſtię ſacramento vſu venit. Semper quidem venerationi fuit habitũ, ſed creuit veneratio, ac circa ipſum populorũ deuotio religioſiùs, quò iniquiùs ipſum peſſundare ac profanare hęretici moliti ſunt. Illos malè habet, ꝙ geſtetur, põpa honeſtetur ꝙ vbicũq; apparuerit, corã ipſo procidatur & inuocetur: quòd ex eius præſentia opitulatio ac præſidiũ ſperetur. Horũ certè nihil poſterioribus ſeculis fuit inuentũ, ſed à maioribus acceptũ adauxerunt poſteri, & amplificarunt, in odiũ circumſtrepentium hæreticorum, ac fidei teſtimonium. Negari non poteſt, quin in primitiua Eccleſia portaretur extra Eccleſiam ad ægrotos per Diaconum, cùm in Iuſtino legatur expreſſum: quin quoque ad peregrinos aduenientes, quaſi communis fidei, pacis & concordiæ ſacroſancta teſſera: quod etiã ex Irenæi atque Victoris hiſtoria patet: & quin traderetur Chriſtianis laicis domum efferendum ad incertos caſus, tutelam, & munimentum. De hoc conſtat ex Tertulliano, Cypriano, atque aliis, quos producimus in capite De aſſeruatione Euchariſtiæ, & in Repetitione De communione ſub altera ſpecie. In media perſecutorum turba non licebat quidem publica pompa ipſum deportare, cùm vix clam liceret apud ſe retinere. Non dubiũ tamen, quin in delatione ſeſe componerent cum aliqua pietate Chriſtiani, & religionis ſpeciem præ ſe ferrent: quoniam externa irreuerentia ſignum eſt profanæ mentis. Idcircò Paulus Corinthios increpat non diiudicare corpus Domini: quia illud in Cœna Dominica non maiori reuerentia tractabant, quàm vulgares concœnationes: Et Cyprianus narrat de viro, qui manibus immundis & pollutis de ſacrificio gentilium, auſus Euchariſtiam portandam ſuſcipere, comperit ſtatim verſam in cinerem: & de muliere, quæ manibus indignis tentaret aperire arcam, in qua Domini ſanctum eſſet, igne indè ſurgente exterrita eſt, ne auderet attingere. Qua de re fidem quoque faciet hiſtoria Tarſicij acolythi, qui ſub Stephano primo Papa vixit, non longè à Chriſto, & ſcripta à fide dignis in Martyrologio legitur. Ipſum milites idolorum cultores interceperunt puriſſimum Chriſti corpus ferentem, compręhenſúmque curioſiùs inquirebant, quidnam ferret. At ipſe indignum iudicans ante porcos margaritas proiicere, nullo modo adduci potuit, vt ſanctiſſimum & puriſſimum Chriſti corpus impuris manibus reuelaret. Virgis igitur & lapidibus eò vſque contuderunt, quoad ſpiritum efflauit. Cùm verò eius corpus exanime per terram volutaretur, curioſi ſacrilegi milites illi neque ſub vlnis, neque intra manicas, neque ſub veſtibus aliquid inuenire potuerunt: quare relicto ſic, vt erat, venerando Tarſicij corpore, multo cum ſtupore aufugerunt. Vnde, quæſo, milites illi adducebantur ad excutiendum, quidnam ferret, niſi ex ornatu, vel habitu, vel inceſſu corporis præter ſolitum ad religionem compoſito? Cur etiam perueuſta nõnulla Cõcilia vetant pueris & mulierculis, vel aliis laicis, committi Euchariſtiam ægrotis deferendam, niſi vt in delatione honoris & reuerẽtię haberetur maior ratio, nec quod

Quo Euchariſtia fuit indignius ab hæreticis oppugnata, ardentius celebrata eſt et culta.

Iuſtin. Apolo. ad Antonin.

Euchariſtia extra Eccleſiã offerebatur cũ aliqua religione.

Cypr. de lapſis.

Beda et Ado in Martyrologio. Alger. lib. 2. ca. 1. et Guitmũd. lib. 2. citant.

aliquando excusarat necessitas, cederet in sacrilegium, ac tanti sacramenti profanationem? Cur Honorius tertius ea de re sic loquitur? *Extr. de celebrat. Missarū. cap. Sanè.* Ne propter incuriam sacerdotum diuina indignatio grauiùs exardescat, districtè mandamus, quatenus sacerdos Eucharistiam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat & referat, manifestè atque honorificè ante pectus, cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur. Certè Innocentius tertius, & Honorius ille, atque deinceps Pontifices & Concilia, de asseruanda, deferenda, veneranda atque adoranda Eucharistia cauerunt diligentiùs & seueriùs, quo ab eorum temporibus Barengariana hæresis longiùs progressa est ad tanti sacramenti ruinam & contumeliam. Cùm verò excipiendis peregrinis mittebatur, non sine aliquo apparatu talis fiebat missio: alioqui nulla externa diiudicatio corporis Dominici ab aliis munusculis, quæ hospitibus solent offerri, interuenisset. *Euseb. lib. 5. cap. 24.* Propterea quamuis Irenæus apud Eusebium solo πέμπειν verbo vtatur, quod communiter mittere significat, tamē ex re subiecta Ruffinus apud Eusebium rectè non vulgarem aliquam missionem trāstulit, sed cum aliqua pompa solemnem: quia talem significationem res ipsa videretur exigere, & quia verbum Græcorum πέμπειν aliquādo sonaret Pompaticè deducere, sicut apud *Plato lib. 1. de rep.* Platonem & alios obseruatur. Vnde & Latini à tali verbi illius sensu pompam putantur deriuasse. Vt autem fieret diiudicatio illa, & delectus corporis Dominici *Laodicen. can. 14.* haberetur in missione & delatione supra etiam alia sacrata dona, Laodicenum Cōcilium prohibet, ne feriis Paschalibus τὰ ἅγια id est, sancta ipsa pro eulogiis seu pane benedicto mittitarentur inter Christianos familiariùs in mutuæ & fraternæ charitatis symbolum. Ac ne quidem tantùm ad cibum licebat extra Ecclesiam Eucharistiam circunferre, sed ad munimentum & tutelam contra occurrentia pericula maris & terræ, etiam absque vsu. *Ambros. in funeb. orat. de fratre.* Celebris est ab Ambrosio scripta historia de Satyro Fratre. In ea sic habet: Quid fratris obseruantiam erga Dei cultum prædicem, qui nondum perfectioribus initiatus mysteriis in naufragio constitutus, cum ea qua vehebatur nanis scopuloso illisa vado, vrgentibus hinc indè fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij è vita exiret, ab initiatis diuinum illud fidelium poposcit sacramentum, nec vt curiosos oculos arcanis insereret, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans se tueretur, quia fidei solius arma quæsierat. Quibus se tectum munitúmque satis credens, alia non desiderauit auxilia. Cæterùm pro solemni ac venerabili sacramenti circungestatione in processionibus cum pompa & festiuitate multa, quatuor capita maximè faciunt: Figuræ ipsæ: *Quatuor rationes in sum-ma pro gestatione Eucharistiæ cum pōpa in process.* Exempla quædam de veteri Christianorum Ecclesia repetita: Rationes scripturis consentientes, & omnium Ecclesiarum iam ab aliquot seculis concordia. Arca sanè, in qua erat Manna reconditum, siue sacramenti ipsius, siue ciborij, in quo reconditur verum Manna, figuram habuit expressissimam. Ea pro necessitatibus populi solebat foras extra tabernaculum, ac locum sacrum educi, & quasi processione ad depellenda pericula contra hostes, quoties opus erat, circumferri. *Iosue. 2. Reg. 2. et 16.* Septies obambierunt ciuitatē Hierico Leuitæ, arcā humeris sufferentes, nullàque alia machina muri illius corruerūt. Eandem in summo belli discrimine de Silo in castra transportarunt sacerdotes, tanquam tormentū bellicū hostibus summopere reformidandū, ad liberationē populi de manu inimicorū, neque id semel factū, sed apparet ex historia Vriæ, & postea Dauidis à facie filij Absalonis fugiētis fuisse apud Iudæos receptū, quoties ingrueret incerti exit⁹ ac difficilius bellū.

Sed

Sed nec folùm ad mala auertenda, fed ad bona impetranda proderat arcæ delatio & præfentia. Idcircò Dauid volebat ipfam inferre in domũ fuam, fed plaga Ozę deterrebatur. Rurfum cùm apud Obededon fepofita plurimũ eius familiæ cõmodaffet, 2.Reg.6. Dauid curauit ipfam ad fe traducere. In antiqua Ecclefia Gręca per quadragefimam non cõfecrabant, nifi Sabbatho & Dominico: fed aliis diebus Miffam celebrabãt ex „ præfanctificatis. Sic enim Laodicenũ Conciliũ decreuit: Non oportet in quadragefi- Laodicen.can. 49. „ ma panem offerre, nifi Sabbato, & Dominica tantùm. Quod decretũ Synodus ge- „ neralis in Trullo explicat, vt aliis diebus de prę fanctificatis fieret facrũ. Nam pronũ- Synod.in Trullo, can. 52. „ riat: In omnibus fanctæ quadragefimæ ieiunij diebus, præterquàm fabbatho & Do- „ minica, & Annuntiationis die fiat facrũ prę fanctificatorũ facrificiũ. Illa prę fanctificata afferuabantur: & cùm hora adeffet, vt ex facro armario ad altare deportarẽtur, magna procedebatur cũ veneratione, procũbente populo in adorationem, luminariáque ac fuffitus antecedebant. Quoniam aliis diebus, quibus perficiebatur confecratio, ante confecrationem panis honorificè ad altare geftabatur, quadam inftructa põpa, cum luminibus & fuffitibus populus quoque ex imperitia apud Gręcos procumbebat, tanquam iam corpus Chrifti effet, & adorabat: quę ceremonia debebatur tantùm illationi præfanctificatorum: fed populus ignorabat differentiam panis prę fanctificati, & nondum fanctificati. Ideò pani nondum fanctificato exhibebat honorẽ, qui foli præfanctificato decernebatur. Interea conftat apud Græcos ex omni antiquitate geftatum faltem in templo, ea proceffionis pompa, quæ fit apud nos. Sacerdos enim panem nondum confecratum, fed duntaxat facrificio deputatum, in caput valde honeftè ac reuerẽter efferebat, & procedebat in templo pedetentim, propter populum circumftantem, qui genua cum omni reuerentia & religione inflectebat, ac proftratus inuocabat. Ifta ex Nicolao Cabafila. Nec tantũ apud Gręcos Cabafil.ca.24 de prę fanctificatis fiebat Miffa, fed & apud Latinos, faltem in die Parafceues, & Paffionis Chrifti: quod ab Apoftolis profectum iudicat Pafchafius, citatus à Glofa ordinaria in Hieremiam, cuius verba funt: Dixit Hieremias, Repulit Dominus altare „ fuum. Eft vnum altare in Ecclefia Dei, Chriftus, idem hoftia, facrificium, Ponti- Glof.in cap.2. lamentat. „ fex, facerdos. In eo facrificia omnia offerimus. Id altare Pater repulit in paffione „ pro Iudæis orantem, Pater, trãsfer calicem hunc à me. A quibus repulfus pater- „ no iudicio transfertur ad gentes. Pro illis autem Ecclefia, quafi Apoftolis compatiens, plangit: non quòd tranflatum ad fe doleat: fed cum Apoftolis pro eius morte triftata eft, vt pòft cum eifdem de refurrectione gaudeat. Vnde mos inoleuit in Ecclefia ab Apoftolis traditus, vt quo die paffus eft Chriftus, eo die hoftia non offeratur, tribus fcilicet de caufis: vel quia tum in veritate immolatus eft, Quare non fiat confecratio in die Paffionis. cui hęc cęteris diebus facramenta funt myftica: vel quia Chriftus Pontifex, qui ea rectè offert, eo die per feipfum defcendit ad inferos: vel quia templo foluto, & altari depulfo, non eft in quo corporis & fanguinis Domini victima offeratur. Melior ratio Balfamonis, quia dies ille luctus fit & compunctionis, & facrificium offerre contrà fit feftum agere, & lætari. Certè Innocentius primus tempore Au- Balfam.in Cã. 52. Concilij in Trullo. Innoc. primus epift.1. guftini agnofcit traditionem Ecclefię habere, vt facramenta penitùs non celebrarentur die Parafceues, & Sabbatho Pafchæ. Præfanctificata verò eadem, qua Græci, celebritate Latinos à facrario in altare, atque inde ad facrarium vexiffe teftantur ritus noftri in illo die Parafceues, & antecedente Cœnæ, cùm Euchariftia in facrarium difpofitum cum lumine & fuffitu ac proceffione deducitur, & poftea ad altare reducitur: cuius defcriptionem & ordinem non prætermifit Sacerdotale Romanum inter proceffiones. Ac ne quidem illo folo tempore prę fanctificata ita reponebantur & honorabantur, fed quoties afferuabantur

& depromebantur. Nam ferè ante mille annos sub Gregotio primo, Pelagij successore, Gregorius Turonensis narrat, in Ricomagensi vico ciuitatis Aruernæ die festo S. Polycarpi Martyris, lecta eius passione, cum reliquis ex Canone sacerdotali lectionibus, adueniente tempore, ad sacrificium offerendum, diaconum accepta turre, in qua mysterium corporis Dominici habebatur, ferre cœpisse ad ostium, ingressúmque templum, vt eam altari superponeret, elapsam de manu in aëre latam, & sic ad aram accedentem, manu non potuisse assequi, quòd in consciẽtia, credo, inquit, pollutus esset. Hinc cõiicitur etiam extra templum consueuisse Eucharistiæ armarium constitui in Episcopio, atque indè in feretro ad templi fores reuehi, per mediúmq; populum venerabundum de more vtique altari restitui: id quod processionis modum satis arguit. Sed vt magis elucescat, sciendum tum temporis non in sola Gallia, sed in Hispania fuisse vsus recepti, vt in festiuitatibus sanctorum celebrior haberetur populi conuẽtus, qui cœtum priùs non dimittebat, quàm perfectis sacris Episcopũ domum suam cũ sacramento altaris reduceret, quod in eius oratorio reponebatur: Vnde rursus succedente alia Sanctorũ solemnitate, & populi congregatione, altari inferendũ in cuiusdam arculæ vehiculo humeris diaconorum imponeretur, magna cum populi frequentia & veneratione, quæ erat celebrior processio. In Hispania nõnulli Episcopi eam pietatem verterent in fastum & tyrannidem, atque vt adorationem delatæ Eucharistiæ in se transferrent, ipsam in processione gestandam pectori applicabant, & ita semetipsos à Diaconis succolari iubebant. Synodus Braccarensis tertia circa Vitaliani Papę tempora, eadem ętate qua vixit Gregorius Turonensis, abusum illum hoc canone condemnat: Bona (inquit) res est diuina sacerdotibus contrectare mysteria. Sed cauendum, ne hoc ad suę quisque prauitatis vsum detorqueat, vnde soli Deo de bona conscientia placere debuerat, Vt enim detestanda quorumdam Episcoporum præsumptio nostro se cœtui intulit dirimenda, quosdam ex iis agnouimus in solennitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuros, reliquias collo suo imponere, vt maioris apud homines fastus gloria intumescant, & quasi ipsi sint reliquiarum arca, leuitæ albas induti in sellulis eos deportant. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola præualeat, si modum cuiusque ordinis suum reuerentia non agnoscat. Et ideò antiqua hac in parte solemnísque consuetudo seruabitur, vt in festis quibusque diebus arcam Domini cum reliquiis, non Episcopi, sed Leuitę in humeris gestent, quibus & in veteri lege onus idem impositum nouimus esse præceptum. Quòd si Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non à Diaconis ipse vehatur in sella, sed eo potius vnà cum populo pedestri progressione ad conuenticula sanctarum Ecclesiarum procedente, sanctę Dei reliquię per eundem Episcopum portabuntur. Iam verò qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quandiu in officio fuerit, à sacrificio cessabit. Hîc agi de Eucharistia planum fit, tum quia præfatur de diuinis mysteriis, quo nomine antiquitas Eucharistiæ sacramentum solet intelligere, neque vnquam illo reliquię Sanctorum appellantur: tum quia arcam Domini, & Dei reliquias vocat, non Sanctorum. Scitur autem asseruatam Eucharistiam, sacrificij reliquias seu residuum dici: tum quia de eadem celebritate Sanctorum tractat, de qua eodem tempore Gregorius Turonensis in Gallia, qui de illa gestatione Eucharistię per Diaconos meminit, & de illatione ad altare. Obseruandum est autem, ab illo Canone Eucharistiam cum arca fœderis comparari, sicut ab antiquioribus fit ad versum Psalmi, Adorate scabellum pedum eius: atque ex arca illa argumentum duci ad adorationem & deportationem Eucharistię in processione, pręsidij ac religionis gratia, ne quis nostrũ cõmentum esse dicat ita ratioci-

Gregor. Turon. lib. De glor. martyr. cap. 86.

Delatio Eucharistiæ in processione.

Braccar. Synod. 3. can. 5. circa annum à Christo. 654.

ratiocinari. Obſeruandum inſuper antiquam, ſolénémque conſuetudinẽ ab illa Synodo allegari, & inſtaurari, non nouam introduci. Ex quo cõſtat ante mille ferè annos iam fuiſſe antiquam conſuetudinẽ Euchariſtiam in proceſſionibus circumferẽdi, & modum præſcriptum geſtandi, vt vel humeris quodã in ferertro imponeretur, vel gerulus pedeſtri itinere piè obambularet: eámque geſtationẽ adeò frequentem extitiſſe, vt in feſtis quibuſque diebus, & ſanctorũ Martyrũ feſtiuitatibus fieret. Sed quò magis antiqua deuotio innoteſcat, primi Chriſtiani, quoniam certis in locis & diebus indicebant conuentus ſuos ad adorationem, taléſque vocabant ſtationes, & ſtationum dies, metaphora ſumpta à militibus, qui dum præſidium certo loco collocant, ſtationem facere dicuntur. Dies erant Dominicus, ſeu Martyrum anniuerſarium feſtũ: locus verò Martyrium, ſeu Martyrum cœmeteriũ & ſepulchrũ. Omnes Chriſtiani, tã viri quàm fœminæ, turmatim modeſtiùs & religioſiùs eò confluebant & progrediebãtur, quemadmodũ Tertullianus narrat: idque Procedere vocat, vnde Proceſſio deducitur. In illis cõuentibus totũ quod nominamus diuinũ officium, matutinarũ & aliarũ horarũ peragebatur, ſuóque loco Miſſa celebrabatur, & offerebatur ſacrificium corporis Chriſti, de quo quiſque participabat, atque etiã partẽ domum referebat ad quotidianos & incertos vſus, vt apud Tertullianũ & Cyprianũ legitur. Sacerdos verò alias ſacrificij reliquias aſportabat domum ſuam: nonnũquam & ſecũ circumferebat, vt Chriſtianorũ neceſſitati ſubueniret, quibus ſacramentum deerat: quod ex hiſtoria Serapionis & Exuperij Toloſani facilè cõiicitur. Si quid verò ſacerdoti de priſtino ſacrificio reſtabat, quando nouus vocabatur cõuentus, ad cœtum reportabat, ad fidem ſuam, pietatem, & diligentiam populo cõprobandam: idque fortaſſè ad primũ ingreſſum in cœtũ ſurſum manu elatũ populo oſtentabat (vt Apoſtoli ad hoc fortaſſè etiam alludentis verbo vtar) recognoſcendum, & venerandum ſicut Deum, ac tanquam iuge, nec vnquam inter Chriſtianos deſinens ſacrificiũ, quòd nõ priùs cõſumebatur, quàm nouũ ſacraretur. Certè morẽ illum Diaconus à Gregorio Turonẽſi memoratus imitari videbatur. Quãdiu Chriſtiani inter Paganos viuebant, nõ erat ipſis liberum publicè & in pompa efferre, vel referre Euchariſtiam: nihilominus incedebãt aliis hominibus ſanctiùs, & religionis ſpeciem quandam retinebant, ita vt qui obliuiſcerẽtur quid geſtarẽt, plerunque nõ impunè ſinerẽtur elabi. Poſtquàm liberiùs viuendi, & ſua ſacra colendi Chriſtianis facta eſt poteſtas, ſtationũ illarũ manſit vſus: ſed erupit in publicum deuotio, & venerario debita ſacramẽto. Itaque iam non permiſſum fuit cuique partem de ſacrificio domi ſeruare, & quod relinquebatur, clanculũ à ſacerdote ſeruari, ſiue geſtari, ſed in honorẽ tanti ſacramẽti, corã toto cœtu Chriſtianorum, quod reſtabat de ſacrificio, cum veneratione intra Eccleſiam recondebatur, vel apud Epiſcopum, ſeu Sacerdotẽ pia totius populi proceſſione deponebatur, vnde, ſiue ab Eccleſia, in qua reſeruabatur, ad aliã, in qua ſtatio publica habẽda erat, cum ſolemni proceſſione & cultu traducebatur. Hoc eſt quod Braccarenſis illa Synodus, & hiſtoria Gregorij Turonenſis ex antiqua conſuetudine factitatũ in Gallia & Luſitania per Martyrũ feſtiuitates recitant, & cõmendant: quod libuit paulò altiùs & copioſiùs repetere, vt quibuſdã ſatisfiat, quibus dolet in publico luctu & calamitate ſtationes per Eccleſias decerni, publicáſque ſupplicationes indici, in quibus altaris ſacramentum ab vna Eccleſia in aliam transferatur & ſtatuatur, corámque ipſo continua noctu & interdiu fundatur oratio. Quid enim noui introducitur, aut quod nõ prima Eccleſia ante mille annos, quoties potuit, frequentarit? An eſt, vt loquuntur, cauponari ſacramentum, ab ipſo remedium vulneribus noſtris petere, præſentiſſimũque in eo Chriſtum implorare? An non ad ipſum in altari depoſitum, extra Miſſarũ ſolemnia,

De cœtibus & proceſſionibus primorũ Chriſtianorum.

Tertull. in Apolog. cap. 39.

etiã noctu Gorgonia, Nanziãzeni soror, in proprio morbo cõfugit, & ad medendũ oculis, ipsum contingere verita non fuit? An non Bernardus corpore Christi patenæ calicis imposito, non supplex, sed minitabundus, processit obuiam Aquitaniæ Principi, Ecclesiæ hosti & rebelli, ipsúmque his verbis aggressus est: Rogauimus te, & nos spreuisti. Supplicauit tibi in altero conuentu seruorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce, ad te processit filius virginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quem tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Numquid & ipsum spernes? Numquid & ipsum, sicut seruos eius contemnes? Videns (ait historia) Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini corpus in manibus ferentem, expauit, & diriguit, membrísque tremebundis metu, & dissolutis, quasi amens solo prouoluitur. Eleuatus à militibus, rursus in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, saliuis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans, accliuem surgere iubet, ac stare supra pedes, & audire sententiam Dei. Præsens est (inquit) Pictauensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti: vade, & reconciliare ei, & satisfaciens Deo redde pro contumelia gloriam, & in vniuerso Principatu tuo diuisos & discordes ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei vniuersa obedit Ecclesia, tu quoque obedi electo à Deo Pontifici. Audiens hæc Comes, authoritate Spiritus sancti, & sanctorum sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat, sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & ad propriam sedem eum reduxit. Narratur præterea de Clara virgine, quòd tempore Frederici Imperatoris, cùm Sarraceni, qui Italiam inuaserant, Assissium obsiderent, & ipsum virginum Monasterium, cui præerat, oppugnarent, licet ægrotans iussetit se ad portam deportari in hostium conspectum, cum capsula, qua sacramentum Eucharistiæ continebatur, vbi hanc cum lachrymis orationem effudit: Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentes tibi, & custodi famulas, quas pretioso sanguine redemisti. Cui vox de cœlo reddita est: Ego vos semper custodiam. Itaque Sarraceni subito terrore perculsi, obsidionem soluerunt, & qui muros ascenderant, cæcitate affecti deciderunt. Quòd si ratione de scripturis collecta certare placet, quamuis Deus Israëlis populo & obsecrationibus eius adesset quocunque in loco, attamen in arca præsentior benigniùs exaudiebat, nec sufficiebat in necessitatibus ad arcam confugere, sed ipsam sæpè oportebat in rem præsentem adducere: atque ad eius motũ, delationem & applicationem Deus propinquior sentiebatur, & ea operabatur, quę manẽte arca intra tabernaculum nõ fuisset, siue ad bonum, siue ad malũ operatus. Non enim muri Hierico sua sponte concidissent sine arcæ processione & circuitu. Non Deus Philisthinorum idolum Dachon deiecisset arcæ absentia: non tam benè fortunasset domum Obededon in Hebron ipsa relicta, nec Ozam mortis plaga affecisset non attrectata. Quocirca quoties mouebatur arca, Israëlitæ Deum progredi experiebantur, & præsentissimum eius præsidium loco fieri, cui applicaretur. Vnde ad eius motum, tanquam Deus moueretur, accinebant, Exurge, Domine, adiuua nos, & libera nos: & ad arcæ aduentum, Deum in castra venisse iactabant. Deinde Christus ipse incarnatus, non sola fide contingi, vel adiri volebat, vt opem ferret, sed suam præsentiam requiri, & humanitatis suæ tactum actiuum vel passiuum ostendebat. Quamuis plerique testarentur à se credi, quòd solo verbo vel imperio absens eadem posset præstare quæ præsens: nihilominus frequentiùs tangens, vel tactus, opitu-

Abbas Bonauallensis in vita Bernardi, cap. 6.

Præsentia Eucharistiæ efficax est.

opitulabatur, quàm absens. Commendat quidem sæpè fidem: sed ferè non nisi in præsentia & tactu corporali curauit. Tertiò disputarunt Patres, sacramentum ipsum longè fructuosius esse, si non solùm spiritaliter & per fidem percipiatur, sed cum fide corporaliter tangatur & sumatur, & realiter corporibus nostris iuncta fide applicetur: sed & rebus aliis & locis, à quibus per eius præsentiam dæmones fugari experimento didicerunt, & docuerunt. Hic mysticus sanguis (ait Chrysostomus) dæmones expellit, & procul esse facit. Vbi namque eum in nobis viderint, in fugam vertuntur, & fugiunt. Ambrosius verò scribit: Cùm hospitium tuum aduersarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligit locum tentamentis suis per Christum esse interclusum: fugiet, recedet, & tu noctem sine vlla offensione transibis. Nec solùm in nobis receptum sacramentum pharmacum est alexicacum, sed locis ipsis, quibus inducitur. Hesperius (authore Augustino) comperit domum in fundo suo afflictione animalium & seruorum suorum noxiam malignorum spirituum vim perpeti. Rogauit presbyteros, vt aliquis eorum eò pergeret, cuius illi orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, vt illa vexatio cessaret: Deóque protinus miserante cessauit. Sub Anastasio Imperatore Cabades Persarum Rex, inter Persiam & Indiam in oppido magnam gemmarum & pecuniæ vim esse audierat. Tentans dæmones thesauri custodes depellere, cùm magia neque Persica neque Iudaïca quicquam profecisset, per Christianos, quos etiam potestatem à Deo habere acceperat, sic confecit. Loci Episcopus ab eo vocatus, conuentu ea de causa coacto, peractis, perceptis, & populo præsenti dispensatis diuinis mysteriis, signo crucis dæmonia profligauit, & castrum Regi nullo labore tradidit. Audio quid sint hîc Aduersarij obiecturi, non processione, sed perceptione corporis Dominici dæmones abactos. Verùm si perceptio, & non pręsentia corporis illos exegit, quid fuit necesse in possessione dæmonum consecrare seu communicare potius quàm in Ecclesia sacra, cùm in ea (teste Apostolo) communio sit decentior, ac Deo gratior & efficacior? Pręsentia ergo sacramenti, siue per consecrationem recentem, siue per dignam importationem, vim illam contra dæmones exerit, nec ab hominibus tantùm, sed à locis, quibus infertur, eiicit. An non & Nanzianzeni soror Gorgonia sine communione per admotam manum oculis, quæ Eucharistiam in altari attigerat, oculorum ægritudinem sanauit? An non & Bernardus per impositam capiti Eucharistiam, energumenum sine communione dęmone liberauit? An non collo Satyri appensa sine communione ad enatandum profuit? Quid ergo alienum à fide & pietate facinus, si ciuitatem, si regnum, cuius saluti consultum volumus, Eucharistiæ præsentia & circumlatione lustramus? Scribit Augustinus, Sanctorum reliquias sua in processione pręsentia magnis morbis mederi: quomodo parem virtutem Eucharistia Sanctorum Domino detrahetet? Memorati martyris (inquit) memoriam eiusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedente ac sequente in manu portabat. Fistula, cuius molestia tandiu laborauerat, illius piæ sarcinę vectatione, vbi sanctas attigit reliquias, repentè sanata est. Porrò quoniam de institutione Aduersarij potissimùm excipiunt, quasi gestationi reclamet, agnoscamus in institutione Eucharistiæ duo præcipi, vsum & esum, ac commemorationem seu annuntiationem mortis Dominicę: quod posterius licet perficiatur in ipsa celebratione Eucharistiæ, tamen etiam ex gestatione sacramenti, in publica pompa & processione plurimùm mors illa annuntiatur & glorificatur. Gloriamur enim per monimentum illud, & quasi tropheum passionis, hominum oculis obiectum de Christi morte, nósque excita-

Præsentia Eucharistiæ dæmones fugat.

Chrys. hom. 6. ad pop. Antioc. & hom. 45. in Ioan.

Ambro. Psal. 118. Serm. 8.

August. De ciuit. li. 22. cap. 8.

Niceph. lib. 16 cap. 36.

Aug. lib. 22. De ciuit. cap. 8.

Gestatio Eucharistiæ continetur in præcepto de annuntianda Christi morte.

mus ad recordationem, venerationem, gratiarum actionem & imitationem, nos animantes ad sequenda eius vestigia, & omnia mundi prospera & aduersa postponēda. Propter hæc, si piè Damascenus defendit Sanctorum reliquias processionibus admisceri, cur non maiori ratione ruebimur ipsam Eucharistiam institutam, vt annuntiemus mortem Domini? Damasceni verba sunt in historia duorum militum: Tyrānus Indię rogabat, cur ossa mortuorum circumferrent Christiani. Respōdet Abbas quidam, Ossa ista munda & sancta circumferimus, ô Rex, repræsentantes mortem, quorum sunt, mirabilium virorum, & exercitij eorum, & à Deo dilectę conuersationis, in memoriam nosmetipsos reducentes, & ad similem zelum excitantes, requiem quoque speculantes, & delitias in quibus conuersantur. Hos quia beatificamus, & inuicem nosmetipsos exhortamur, & eorū sequi vestigia satagimus: insuper & mortis nobismetipsis memoriam præsentamus valde vtilem existentem, & ad sanctę conuersationis agones deuotiùs erigentem, & sanctificationem nobis horum tactu haurimus. Annon sicut eleuatio & ostensio in sacrificio ab Apostolis tradita est ad excitandam populi deuotionem, adorationem, & inuocationem: ita & per vias religiosa deportatio & commonstratio ad id magnoperè conducit? Audiētes cæci, quia Iesus transiret, clamauerunt, Miserere mei, fili Dauid. Prætereunte Christo, rogantibus quis esset, populus fidem testabatur: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileę: atque alia fidei & deuotionis dabat documenta, de quibus posteà. Eundem transeūtem hæmorrouissa festinat vt rangat: & accedens, vel fimbriam vestimenti tetigisse satis habet vt sanetur: & Zacheus pręcurrit, vt videat, ac sycomorum ascendit, vt ipsum contempletur. Denique quorsum decernuntur supplicationes & processiones publicæ? An non vt preces nostras Deo gratiores & acceptiores efficiamus, ac magis ipsum propitiemus? Quę verò res exterior nostra interiora acutiùs pungere & extimulare potest, quàm Dei nostri & Christi conspectus, ac passionis monimentum? Quid potest intimiùs commendare orationes Deo, quàm summi præsentia sacerdotis propitiatióque eius & intercessio, cœrui Ecclesiæ & postulationi adiuncta? Qua de re Cyprianus piè admodum ista verba facit: In huius pręsentia non superuacuæ mendicant veniam lachrymę, nec vnquam patitūr contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te video in conspectu Domini suspirantem, spiritum sanctum non dubito aspirantem: cùm intueor flentem, sentio ignoscentem. Chrysostomus pluribus locis orationem factam in Missa, & coram hostia salutari, non semel amplificat. Vt homines (inquit) ramos olearum gerentes mouere Reges consueuerūt, eóque arboris genere misericordiam commemorant, & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis, corpus Domini ipsum protendētes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his rogamus, Domine, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animā cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus hoc immolasti. Alibi monet plus posse preces fusas pro mortuis in Missa, quàm extra illā, quoniam adhibentur in illa vnà cum Agno pręsente, Angelorū & omnium Sanctorum, ac denique totius Ecclesiæ suffragia. Ita vicissim consequitur, preces extra Missam factas etiam à tota Ecclesia, cum Sanctorum litania & rogatione, vt in processionibus agitur, longè amplius valere, si salutaris hostia interponatur, quàm illa absente. Quocirca sapienter maiores nostri ante mille annos, nullam celebriorem processionem, vel stationem singularem indicebant, sine solenni corporis Christi vectatione: imò sine ipsa, ad nullius martyris sanctius festum peragendum conueniebant, quemadmodum ex Braccharēsi synodo audiuimus. Et quî fieri potest, vt fides, quæ illic Christum suum Dominum re vera videt præsentem, & quæ

Cur circumferātur reliquiæ sanctorum in processionibus.

Defertur in processione Eucharistia, vt de eius præsentia preces sint Deo gratiores.

Cypr. De Cœna.

Chrys. hom. 4. De Dei natura hom. De S. Philogonio. hom. 41. in 1. ad Corinth. hom. 21. in Act. Apost.

Alia ratio, quare deferatur Eucharistia in processionibus.

illum patri credit quidem assidétem, sed præ nimio nostri amore hîc indubiè agnoscit corporaliter in sacramento existentem, non maiori capiatur, accendatur, inflammetur, exorandi patrem fiducia? Quid verò refert, an Christum adoremus ex altari monstratú, an ad ægrotos solenni more delatum? an publica processione gestatum? An tâti, obsecro, intercst, iaceátne Dominus tuus, an sedeat? stet potius, an gestetur? Hæc enim corporalia Christianæ pietatis obsequia Christi Domini dignitati non derogât, sed mysticis aptanrur seruitura fideliú vsibus: quibus & se olim dedit natú, nunc & dare in S. Eucharistia dignatur glorificatum. Vnde haud leuiter ex indubitatissima ad nostri auxilium ipsius præsentia piis augescit, exardescit, ac veluti adolescit fiducia faciliùs imperrádi à Deo Patre, quod supplici ambimus prece filij, cum Dauide orantes, vt respiciat in faciem Christi filij sui mediatoris nostri & aduocati, qui præter orandi fiduciam nobis inspiratam, etiam nos ad Patrem exorandú introducit. Hæc porrò solemnis Christi in Ecclesiastica processione gestatio non ad inanem fit pompam, sed ad religiosam pietatem, non ad vanum oculorum spectaculum, sed ad piam animorum deuotionem, & ad ardentiorem orandi fiduciam excitandam in frigidioribus, aut minus æquo religiosis pectoribus. Dum enim Christum vnà nobiscum Patrem nostrum postulare cogitamus, ardentiùs etiá nos oramus, confidentiùs postulamus, vehementiùs Denique Patrê suis promissis vrgemus: quia in Christi nomine congregati oramus, quos diuino oraculo sese auditurum, imò exauditurum est pollicitus. Vnde igitur in desuetudinem abiit talis pietas & religio circumferendi Eucharistiá in omni ferè celebriori processione? Arbitror ex populi Christiani primùm tepore, sed postea stupore ac rigore, in qué refrixit charitas, postquàm abundauit iniquitas: próque pietate subiit irreligio & irreuerétia, adiuncta quoque in ipsum sacramentum contumelia ac blasphemia. Propter hæc desierunt imprimis, atque etiam prohibiti fuerunt nocturni illi, vel etiam diurni, ad festa Martyrú agenda totius populi concursus & conuentus: ideóque vnà cessarunt processiones illæ, & cuique relictú est in arbitrio, procedere ad Martyres, quando ac quomodo placeret. Propter hæc desiit cum illis processionibus ferè quotidiana de Eucharistia communio: sublata fuit & participatio sub vtraque specie atque alia: frequentia quoque talium processionum fortasse pariebat contemptum, & irreuerentiam in sacrosanctá Eucharistiam: ob ídque siue propter alias causas interciderút, seu potius non ita publicæ ac frequentes fuerunt. Nam quin omni sæculo interdú Eucharistiam ad normam illam antiquam in processionibus ad opem Dei postulandam circumagerent, mihi non fit verisimile: nec vnde gestationis modus in feretro, siue à sacerdote reuerenter incedente cum luminibus, & honorifica pompa in processione circa festum corporis Christi ortum habuerit, inueniemus, nisi à retenta in Ecclesia veteri illa delationis figura. Ex Aduersariis nonnulli ad Honorium illum tertium referút, de quo paulò antè. Sed ipse videtur potius populi & sacerdotum incuriam, & deficiétem ac refrigescentem à veteri ardore deuotionem accusare, disciplinámque Christianam collapsam instaurare, quàm noui quicquam statuere. Propterea ait, se districtè mandare, quod iam negligentius fiebat, & finem apponit, vt augearur fides & deuotio: causámque præmittit, ne Dei indignatio prouocetur ex remissa sedulitate, & obrepente irreuerétia. Quæ omnia faciunt indicium, nihil noui ab ipso sanciri, sed sancita, ne prorsus deperirent, renouari. A quo verò, vel qua de causa, vel quo tempore solénis illa processio in festo corporis Christi initium acceperit, scriptoribus nostris non liquet. Vrbanum quartum constat, festum illud introduxisse ante trecentos annos, cuius decretum postea fuit confirmatum & promulgatum in Concilio Viennensi sub Clemente quinto. In eo cùm obseruanda plurima in festo narrenrur, mi-

Cur frequentia deferendi Eucharistiá in processione desierit.

Ex antiqua forma ferendi Eucharistiam in processionibus mansit aliquid in festo corporis Christi.

De celebr. Missarú, cap. Hanc.

Quo tempore cœpit processio in festo corporis Christi. *Anno 1261.* *Vrbanus quartus author festi de Christi corpore.* *In Clem. Si dominum. De reliq. & venerat. sanct.* *An processio vna cum festo cœperit.*

rum agitur silentium de processione: nec Thomas, qui Vrbani iussu diuinum festi officium composuit, processionis meminit: nec qui post scripsit Rationale diuinorum officiorum Guilielmus Durandus, inter tot processiones generales, quicquam de illa attigit. Catalogi sanctorum author, illi seculo vicinus, tradit quidem festum ab Vrbano sancitum, sed de processione nihil. Attamen apparet de mente Vrbani, & de ratione cōstituti festi fuisse, vt processio illa celebraretur. Omnia enim alia, quæ primis Ecclesiæ seculis exercebant Christiani, cùm sacros illos festorum conuentus agerent, & ad loca martyrum solemniùs procederent, præcipit, sicut largiores eleemosynas, attentiores precationes, peccatorum confessionem, & de sacramento communionem, atque alia pietatis opera, in quibus olim maximè adhibebatur Eucharistiæ vectatio. Deinde cùm iubeat Vrbanus, & eò festum spectet, vt sacramenti memoria solemnior & celebrior habeatur, ad confundendam specialiter hęreticorum perfidiam & insaniam, quid est. quod hæreticorum mentem & oculos magis percellit, quàm publica fidei nostræ de Eucharistia in processione contestatio: vt nec Pharisæos quicquam grauius offendit de Christo, quàm in asino eius vectatio, & populorū præcedentium ac sequentium acclamatio, Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini. Tertiò, quò pertinebunt Vrbani verba, atque in quo, sicut alia, explebuntur, si solennis non instruatur processio? O adorandum (inquit) venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, „ deuotis honorandum obsequiis, & sinceris mentibus retinēdum. Propter hoc in ipsa quinta feria, post octauam Pentecostes, deuotæ turbæ fidelium propter hoc ad „ Ecclesias affectuosè concurrant, & tā clerici quàm populi gaudentes in cantica laudum surgāt. Tunc enim omnium corda & vota, ora & labia hymnos persoluant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur. tunc singuli alacri animo pronáque volūtate conueniant, sua studia laudabiliter exequendo tanti festi solemnia celebrantes. Qua de causa arbitror non ineptè Iacobum Philippum Bergomensem in Supplemento Chronicorum, & Hartimanum in Registro Chronicorum Norembergæ impresso, necnon Onuphrium Patauinum in Vrbano quarto, ac denique Magdeburgenses, scribere ab Vrbano Dominici corporis solemnitatem cum processionibus & octauis iussam à cunctis Christianis celebrari. Quòd si non statim in publicam, nec in eam quam decet solemnitatem, processio proruperit, quid mirum, cùm nec Vrbani decretum statim venerit in vsum, sed paulatim post ipsius mortem inoleuerit per Viēnense Concilium, nec semel ab omnibus fuerit receptum, vel executioni per omnia demandatum, sed tempore eguerit, nec scriptum sit, quo anno apud singulos, vel apud vniuersos obtinuerit? Sit ita, vt Mediolanensis historia recitet, anno 1404, mense Maio, die Iouis, Corpus Christi solemniter, vt postea factitatum est, per Papiam vrbem circumferri cœptum fuisse, an ideò apud aliquos antea non fiebat? Sit ita, vt in Constantiensi Synodo Martinus creatus Pontifex, indulgentias ab Vrbano pro festo datas duplicans, alias etiam addiderit, eius festi Vigiliam ieiunantibus, & in festo communicantibus, & sequentibus eodem die sacramentum, & quando ad infirmum defertur: an ideò antea nullus in festi processione sacramentum, sequebatur, aut nulla fiebat processio? Pari sanè ineptia colligeres, priùs neminem sequi solitum sacramentum, cùm deferretur ad infirmos. Quin potius indè coniecturam certam facis, iam tum delationem Eucharistiæ in festo illo, & ad infirmos assuetā Christianis, quos ad obeundum diligentiùs illud pietatis officium Martinus quintus per adauctas indulgentias studuit incitare. Demus non nisi postremis istis sæculis ad cōfunden-

Historia Mediolani, authore Bossio. *Naucler. in Gener. 45.*

fundendos Berengarianos & fidei nostræ de sacramento testimonium, morem & ritum deferendi Eucharistiā, ac processionis illius inualuisse, & ab antiquitate ignoratum: quid tum? An quia nuperum, ideò vituperabimus & repudiabimus? Quot, & quanta etiam contra antiquitatem in honorem tanti sacramenti fuerunt aliter, quàm solerent disposita? Non enim semper melius, quod vetustius, cùm ferè vetustiora sint rudiora, quæ per experientiam poliuntur. Vnde & circa Eucharistiam cātio ac reuerentia tempore aucta est, & castigata. Olim dabatur in manus sumentiū: infantibus ministrabatur: tradebatur peregrinantibus & nauigantibus circumferēda, & cuique priuatim domi sumenda. Hæc & similia tempore correcta sunt. Quid si nostra ætas duntaxat, aut præ aliis superioribus causam dedit amplificandi testificationem fidei de Eucharistia, & venerationem contra tot hæreses & blasphemias, quæ virulentiùs in ipsam impii contorquent, quid peccatur, si ampliori cultu credita à nobis de ipsa veritas commendatur, & in processionibus propalatur, præsertim cùm nusquā sit habitū impiū eā honorificentiùs efferre? An non & ipse Apostolus propter Corinthiorum hæreses venerationem conduplicari curauit? At cùm celebratio festi de corpore Christi in Romana Ecclesia, annis amplius trecētis vsitata & obseruata non dubitetur, atque Eucharistiæ delatio in processionibus longè comperiatur antiquior, necnon cum illius festi celebratione per omnes Christianas Ecclesias fuerit recepta & comprobata, fieri non potest, nisi mendax sit Christus, vt quæ concordi sensu circa diuinum cultum ab omnibus studiosè fuerunt vsurpata, custodita & prædicata, ea impietatem & blasphemiam contra Deum sapiant, & contineant. Disertè promisit Christus, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Promisit Spiritum māsurum nobiscum in æternum, vt inducat in omnē veritatem: & rogauit, ne deficeret fides Petri, sed confirmaret fratres suos. Si de festo litigatur, Vrbanus iustas causas affert, cur ipsum instituerit. Imprimis, ne tantum Christi beneficium vnquam excidat memoria, quod per festum meritò poni debet ob oculos, sicut alia Dei beneficia in scripturis & in Ecclesia per festorum cōuenientem dispositionem ab obliuione vindicātur, præsertim cum beneficiū collatum in Eucharistia, monimentum sit, & compēdium omniū beneficiorū acceptorū à Deo & Christo, ac propterea magis in memotia habendum: nec obesse, quòd quotididiana fiat in Missa illius ac passionis Dominicæ recordatio, cùm quotidiana perdant attentionē & admirationem, nisi noua aliqua adhortatione ad ea cogitanda animus excitetur. Qua de causa sicut nō satis fuit Ecclesię per omnes septimanas, dies passioni & resurrectioni Christi consecrare, ad insculpendam Chtistianorum mentibus de illis fidem & cogitationē, sed insuper quotannis illustriori festo quasi vellicat omnium aures, vt illarū rerum sint memores: atque erga Deum gratitudo postulat, vt ita in Eucharistiæ mysterio obseruetur. Præterea si propter sanctorum possessas reliquias, aut merita, festa solēniora præscripserūt veteres Christiani, quid non celebritatis deferēdum Domini ac seruatoris nostri gloriosæ præsentiæ? Adhæc quemadmodum ad indicenda ieiunia, festa, atque alia pietatis munera, ex reuelationibus bonorū mouebantur primi Christiani, sicut apud Cyprianum atque alios frequēter legitur: sic Vrbanus recitat, Catholicis piis viris quibusdam per reuelationē mandatū, vt festū huiusmodi generaliter in Ecclesia celebraretur. Postremò ad cōfundendos hæreticos, festi institutio ab eodē comprobatur. Aduersus autem has rationes quid grunnire possunt in Sanctum Domini sues, quod nō in omnia Christianorum quantumuis sacrosancta festa valeat, & recidat? Nihilominus expendamus, quid ponderis habeat, quod contrà audent scribere, Nefas clamant, cultum iniussum, ac nullo Dei mandato definitum exhibere. Proinde festum corporis Christi,

Quæ ab omnibus Ecclesiis obseruātur nō possunt esse impia.

Causa festi instituti de corpore Christi.

cur præter quotidianam in Missa recordationem per festum noua instituatur.

Rationes Aduersariorum contra festum Sacramenti & processionem

delationem eiusdem, processionem ac pompam illicita esse, Deo ingrata, & abominabilia. Nos festorum institutionem negamus egere verbo Dei, & pręcepto expresso, sed sufficere credimus, generalem rationem in scripturis contentam ad festa statuenda. Illa autem est, vt in signum, monimentum, & gratitudinē alicuius insignioris beneficij à Deo recepti sanciantur. Quocirca Iudæi, quibus tum omnia erant ad syllabam in lege præscripta, non dubitarunt noua festa introducere, sine iussu Dei

Festa sine præcepto Dei instituta.

particulari, quoties nouo aliquo beneficio diuinitùs afficiebātur: vt de parta victoria cōtra Holofernē, de liberatione Iudæorū per Hester & Mardochæū, & pro repurgato templo à Gentilium sordibus facta sunt Encænia, quæ Christus obseruauit. Nec de Christianorum festis vllum præceptum fertur in Euangelio, nec de Paschate, nec de Dominico, nec de Pentecoste, nec de vllo alio: quin tamen ab Apostolis & eorum successoribus ista atque alia fuerint iusta de causa piè ac sanctè decreta, facilè assentiuntur Aduersarij. Cùm insuper per Eucharistiam mandet Christus, potissimùm sui ac suorum beneficiorum colere memoriam, proculdubiò mandato illo satis continetur tanquam præceptum, vel saltem admonitio de festo, ad memoriam illam quasi digito coram rudioribus commonstrandam & consecran-

Lutherani non tam improbant festum corporis Christi quam processionem.

Anno 1549. die 29. Nouēb.

Martinus Cēnicius par. 2. Exam. in Cōc. Trid.

dam. Propterea saniores aduersarij festum hoc libenter tolerarēt, nisi quæ in eo fiūt, ipsos offenderet. Saxones enim suas in Ecclesias se facillimè recepturos illud ostendunt, sicut liquet in designatione rituum per Consiliarios Mauritij Ducis conscripta, ex Actis Torgæ atque Cellæ Mysorum, quando de admittendo Interim tractabatur. Nam inter alia rituum seruandorum capita catalogum festorum inserunt, in quibus annumerant Festum corporis Christi. Martinus verò Cemnicius festum ipsum, atque eius aliquas causas probat. Eius textus est: „ Sicut ordinis gratia totus annus distributus est in certa quædam festa, quæ vtiliter ad ædificationem apud nos seruantur, vt scilicet præcipui articuli fidei ordine aliquo populo per annum proponi, repeti, & contra quasuis corruptelas retineri possint, vtque fideles moneātur & excitētur ad consideranda beneficia Dei, de quibus articuli illi fidei concionantur, & Deo pro illis beneficiis in Ecclesia magna gratiæ agātur: ita nulli piorū improbaretur, si præterquàm quòd semper omnibus diebus illud fieri debet, ordinis gratia, certo anni tempore Ecclesia frequentiùs cōueniret, & in illo conuentu doctrina de cœna Domini iusta tractatione simpliciter & clarè proponeretur: omnes corruptelæ puritatem illius doctrinæ cōtaminantes refutarentur: admonerētur homines, quantū thesaurū Christus Ecclesiæ in testamēto suo legarit: pro beneficiis illis, quæ cœna Dominica exhibet, & cōfert Christo saluatori, gratiæ in Ecclesia magna agerentur taxata negligentia incitarentur homines ad crebriorem Eucharistiæ vsum per totū annum. Hoc modo Ecclesia verè, tanquā victrix, de mendacio & hęresi publicum quasi triumphum ageret. Et si hęc esset ratio huius festi, petulantia quędam esset, celebrationem eius odiosè exagitare. Hactenus ille. Ex quo in ipso & aliis Lutheranis petulantiam esse asseueramus, quòd tantoperè festū hoc insectentur, cùm non alias causas Vrbanus ipse, aut vllus ex nobis proponat, quàm quas ipse allegat. Tantùm discrepamus, quòd in festo ea fiunt,

Gestatio & processio ad confutandas hæreses.

quibus illorum hęreses percelluntur: sed ideò à nobis adhibentur, vt percellantur, cùm eo festum pertineat, vt publico triumpho hęreses profligentur: vt sunt quę Christum à sacramento abesse putat, quę præsentem in solo vsu cōminiscitur, quę duplicem speciem necessariam iudicat, vel Eucharistiam minimè adorandam. Itaque controuersia pręcipua relinquitur de his quę in festo agitantur. Ea sine verbo Dei nouari aiunt, & à suo fine in alienum, imò in idolum & paganismum Eucharistiam trāsferre: quandoquidem Christus illam instituerit ad cibū & esum:

esum: Conuertitur verò in spectaculum, & Paganorum circumforaneam hostiam, vt apud Apuleium est de pompa, quæ Dianæ quotannis in processionis nostræ modum stemeretur. Nos quamuis ingenuè fateamur minutatim siue expresè non imperari ea, quæ circa Eucharistiam in hoc festo agimus, non tamen idcircò damnanda, vel reiicienda dicimus, cùm rem commendatam Dei verbo deceant, & ad finem conducant. Res sanè corpus est Christi, Dei scilicet & hominis, quod manibus gestatur, & ostēditur, antequàm esui tradatur, quódque genus omne obsequij & cultus meretur. Deinde non solo interiori animi motu iubemur discernere ac diiudicare esse corpus Dei & Christi, sed exteriori præparatione ac dispositione. Ex quo sequitur, siue in delatione, siue in ostēsione, siue in exhibitione, omnem cultum, adorationē, & honorē Deo præsenti impendi oportere. Præterea in institutione non ad solum esum prouocamur, sed ad celebrandam Christi memoriam, & honestādam, præsertim contra ignominiam passionis, & maiestatis eius, ac dignitatis imminationē ab inuidis, osotibus, blasphemis, hæreticis atque aliis aduersariis procuratā, vt ipsum testificemur & ostendamus regē & Dominū esse gloriæ, à cuius ditione ac nutu nos & nostra pendeant: nec sanè ad dignum esum accedere possumus, nisi pro virili, cùm se offert occasio, illa omnia, quæ institutionis verbo designantur, præstemus. Quantum verò pompæ & magnificentiæ Dei adorationi & cultui sit insumendum, nullo verbo Dei, nisi in genere, describitur: vtpotè ex toto corde, atque ex tota virtute tua. Dauid ipse, quantum debeat, ex duobus metitur. Ex comparatione: cum apparatu regio, quòd Dei dignitas longè omnes reges post se derelinquat, & ex magnitudine beneficiorum acceptorum à Deo supra alios, atque ad retundendam malorum impietatem, seu diuini cultus contemptum. Cùm Nathan Propheta de æquitate disputat: Vidésne (inquit) quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? De gratitudine & ardentiori deuotione propter irrisores & contemptores, cum Michlol vxore sua verba facit. Hæc enim filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo: & egressa in occursum viri dixit: Quàm gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. Respondit Dauid: Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini in Israël & Iudam. Et vilior fiam plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locutus es. Proculdubiò sine Dei præcepto Dauid & populus cum triumpho, iubilo, citharis, atque aliis instrumentis Musicis deducebant Arcam Domini, opem ex eius præsentia expetentes & sperantes. In Euangelio sine mandato diuino Magdalena bis effudit vnguentum in honorem Christi: & turbæ cùm audissent, quia veniret Iesus Hierosolymam, processerunt obuiam ei, & cædebant ramos de arboribus, & iactabant in via, atque alij sternebant vestimenta sua: præcedebant verò ac sequebātur vectum asino, acclamantes, Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quin & ipsi Apostoli maluerunt nudi incedere, ac risui esse, quàm suis indumentis asinum, quo veheretur Christus, non ornare. Tantę pompę iustam causam esse, sine alio pręcepto, quod de Propheta allegatur, ostendit: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinum. Exulta filia Sion. Sola ergo apprehensio de Christo, quòd sit noster Rex, & Deus noster, qui se offerat, siue in asino, siue in Eucharistia, ad opitulandum nobis, vim habet pręcepti nostris cordibus insculpti, vt procidamus ante ipsum, nósque & omnia nostra ad eius obsequium, cultum & venerationem abiiciamus. Ac quo magis inuidi & illusores restiterint, & homines

An Eucharistia in delatione vertatur in alium vsum quàm instituta sit.

Viret. lib. 1. de sacr. Miss. myster. cap. 15. & 16.

Quantū pompa & ornamenti debeatur cultui diuino, ex duobus à Dauide colligitur.

2. Reg. 7.

2. Reg. 6.

Sine Dei præcepto Dauid Arca processionē cum pōpa decreuit, et Christo populus Hebr.

Luc. 7. & Ioā. 12.

Matth. 21.

ab hoc debito officio retardarint, eo magis Deus ipse ac spiritus exuscitat imperitiores', vt ex ore infantium & lactanrium perficiat laudem, & vt lapides loquantur, si homines tacuerint. Quod etiam nobis vsu venit. Quò enim plures obganniunt populorum deuotioni erga Eucharistiam, eò cernimus in dies longiùs serpere, ac progressiones facere nullo cohortante, cùm tot sint, qui variis artificiis conentur prohibere. Huic apprehensioni si alias de parta victoria pro nobis, & de beneficiis ab illo perceptis adiunxeris in gratitudinem & gratiarum actionem, quod adorationis genus, quis triumphi apparatus illis respondere poterit, vel ęquari? Et quidem magnoperè mirandum est, posse in Christianorum pectora hasce perrepere cogitationes, vanásque disputationes, quibusnam modis diuinus honor sit Christo Deo exhibédus. D. Ambrosius Helenam à pietatis studio mirificè laudat, immortalibúsque encomiis prædicat, quæ sanctam cruce, & clauos crucis legitimis coluerit honoribus. Nam filio Cōstātino Augusto misit diadema gemmis insignitum, quas pretiosiori ferro innexas crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret: misit & frenum. Vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium Imperatorum sanctum est, quod super frenum ex illo fides vt persecutio cessaret, deuotio succederet. Sapiens Helena, quæ crucem in capite regum leuauit, vt crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur sacræ redemptioni, &c. Si non fuit superstitio, nedum impietas, clauum crucis Dominicæ regio intexere diademati: cur, obsecro, dicemur impij, vel superstitiosi, quòd corpus Domini nostri auro insertum populis ostendirur adorandum? Si pium fuit reges illos verè Christianos à Constantino magno ad Honotium, clauum crucis diademati suo præferre, ac veluti in pompam victo per Christum orbi circumferre: an impietas censenda, si ad excitandam piis Dei cultoribus deuotioné, religionísque ardorem, Christus Dominus diuinis afficiatur honoribus? Non insolentia ista, sed pietas, cùm defertur sacræ redemptioni, aiebat Ambros. Ab eodem prærerea subiungitur, crucem & clauos loco illustrioti diadematis fuisse positos, ad Iudæos & alios hæreticos contra Christum pudore suffundendos. Inducit Iudæos deploranres, cùm Imperatores cernerent crucem ad triumphum in diademate ostētare. Nos crucifiximus (inquiunt) quem reges adorant. Ecce & clauus in honore est, " & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque inuisibili quadā po- " testate dæmones rorquet. Ferro pedum eius reges inclinanrur, reges adorant, & " Photiniani diuinitaté eius negant: clauum crucis eius diade mati suo pręferunt Im- " peratores, & Arriani potestatem eius imminuunt. Hęc eadē pro magnificentia dela- " tę Eucharistię & processionis contra Sacramentarios dicta putato. Esto processionis in hoc festo ritus, vt speciem quandam referat Festiuitatum, quę à paganis Cereri, Isidi, Dianę, atque igni Persico sacrabantur: an continuò repellendus, vel propterea de impietate notandus? Si sic est, remoueatur aqua à baptismo, & panis ac vinum à Domini Cœna, tanquam impia: quoniam non solùm suis in sacris vtebantur istis Pagani, sed formam baptismi & Cœnę Dominicę ęmulabantur, quemadmodum apud Iustinum & Tertullianum non tacetur. Imò ne animo & labiis, vel corpore colamus Deum verum, quoniam idolis ea mancipabant Ethnici: nec quę Dei sunt, Deo attribuamus, quoniam eadem Diabolus ausus est sibi vendicare. Quin etiam magnam partem mysteriorum Christi & dogmatum repudiemus, quoniam similia dęmoniis seruientes, tanquam ab his accepra docuerunt Philosophi. Quin potius recordemur, serpentem antiquum, Dei simiam, studuisse imitari quę Dei essent, ac sibi arrogare, quę soli Deo vero piè conuenirent, ac possent deferri, quibus multa scelerata & flagitiosa admiscuit, vt sub diuinitatis

Vnde creuit deuotio in sacramentum.

Ambr. de obitu Theodos.

Ferre Eucharistiam in aureo Ciborio ad triumphum nō insolentia est sed pietas.

Quamuis ritus processionis conueniant cū processionibus Gentilium, nō tamen sunt damnandi.

uinitatis nomine & cultu, quæ sibi propria sunt, hominibus persuaderet & imprimeret. Nos quæ diaboli sunt, secernamus, & diabolo relinquamus. Alia omnia à Deo hominibus data, quibus Ethnici pietatem erga diuinitatem coluerunt, quàm falsò dæmonibus ascripserūt, ad veri Dei & Christi cultum iustè & piè debemus ac possumus ab idolorum seruitute cōuertere. An quia Ethnici ambarualia atque amburbalia sacra quotannis peragebant, in quibus piacularem & lustralem hostiā circum vrbes, compita, & agros annuatim circumducebant, vt nos Eucharistiam, ac simili ferè apparatu, ad opem Deorum implorandam: idcircò tam impia, quàm illorū fuit, censebitur nostra processio? An quia pro frugibus ac salute ciuitatis idolis supplicabant, pro iisdem nefas erit ad Deum verum, & Christum eius, supplices manus tendere? An quia figmentum hominum & idolum gestabant, ob id, quod à nobis portatur, pro idolo habebitur, cùm non sit nostrum inuentum, sed Christi donum, ac Christus ipse, idolorum & omnium calamitatum depulsor? An quia quæ Deo vero à Dauide & populo Israëlitico, ac piis aliis, ad adorandam & prædicandam diuinam maiestatem, in ipsam gratitudinem, demissámque supplicationem declarandam, necnon ad demerendum diuinum auxilium fuerunt oblata & impensa, Gentiles idolis & dæmonibus exhibuerunt, ob id crimen idololatriæ incurremus, si eadem Christo in Eucharistia præsentauerimus? Nec in ritu, nisi scelus aliquod inciderit, nec in causa, nec in fine peccarunt Ethnici, sed in obiecto, quod erat idolum, seu dæmon. In Eucharistia nihil fingimus, sed ex diuino verbo Christum ipsum, & corpus eius in illa veneramur, omníque cultu, quem Deus numquam est auersatus, prosequimur. Apparatus autem luminū & peristromatum à parietibus dependentium, seu stratorum, frondium & florum per vias iactatio, cum musicorum instrumētorum sonitu, & tintinnabulorum crepitu, triumphi gerit imaginem, quo numen & homines post victoriam, aut egregium aliquod facinus, Ethnici, Iudæi, & Christiani honorarunt. Gregorius quidem Nanzianzenus vetat à Christianis festa Gentilium more celebrare corporis splēdore, vestium permutationibus & magnificentiis, vt vel floribus plateas coronent, vel vnguentorum turpitudine mensas imbuant, vel visibili lumine splendescant domus, vel tibicinum concentu plausibúsque personent: sed ita demum vetat, si præ his negligantur spiritalia & interiora, cum quibus nequaquam improbat exteriora ornamēta interiorum inditia. Nam ante ipsum, atque eius ętate, Christiani diem Epiphaniorum Domini, & Paschalem solemnitatem, multis luminibus collustrabant, ita vt vtrumque festum Luminarium vocitarēt. Idem cùm Athanasij ab exilio reditum, & in eius receptione triumphum commemorat, ita scribit: Pullus ipsum vehebat, non secus ferè
„ ac Iesum meum pullus ille. Cæterùm hoc vnum inter vtramque pompam interfuit,
„ quod Christum rami susceperunt, & varia indumēta, multiplicíque florum genere
„ constrata ante ipsum proiecta & subiecta sunt: excelso autem & magnifico Athana-
„ sio nihil tale factum est: in eóque vno impares honoris partes habuit. Hîc quoque
„ aduentus Christi expressam imaginem videre licet, quòd erant etiam qui ante ip-
„ sum clamarent, pompámque agerent, nisi quòd non duntaxat puerilis turba faustis
„ illum acclamationibus excipiebat, verumetiam omnis lingua cōcors & aduersatrix
„ hominum sese mutuò superare contendētium. Nam quid publicos plausus cōme-
„ morē, & vnguentorū profusiones, & totam vrbē lumine coruscantē: publica item
„ & priuata cōuiuia, cæteráque, quibus argumēta lætitiæ ciuitates edunt, quæ tū illi a-
„ būde suprà quā par erat, cōferebantur? Sic vir eximius cū tali pōpa & celebritate ci-
„ uitatem suam ingreditur. Non ergo Nanzianzenus prorsus detestatur, Deo ac
„ dignis hominibus in lætitiæ & gratitudinis argumentum offerri, quibus Gentiles

Apparatus peristromatum, florum & organorum musicorum, atque altarum rerū, an sit alicuius à processione & triumpho Christiano.

Nanzian. ora. 2. in Iulianum.

Nanzian. ora. in sancta luminaria in sanctū Pascha. Et de funere Patris. Euseb. de vita Constant.

Nanzianze in funere Athanas.

Sozomenus li. 8. cap. 18. *Theodor. lib. 5. cap. 36. histor.* *Victor Vticensis lib. 2. de per. Vandal.* *Nanzianz. ora. 2. in Iulian.*

ſua feſta & numina exornarent. Eadem pompa Chryſoſtomum ab exilio reuertentem à Catholicis exceptum narrat Sozomenus. Populus enim cantilenis pro re nata compoſitis ei obuiam proceſſit, cùm & ardentes tædas plurimi ferrent: ita renitentem duxerunt ad Eccleſiam. Eiuſdem Chryſoſtomi mortui cùm in naui Conſtantinopolim veherentur reliquiæ, populus (ait Theodoretus) per pelagus, quaſi per terram currens, vndas Boſphori lampadibus & cereis contegens obuiauit. Neque hunc morem in ſolo Oriente ſeruabant Chriſtiani, ſed in Occidenre. Nam ad viſendos Catholicos martyres à Vandalis de Africa expulſos populi occurrebant, cereos manibus geſtantes, ſuóſque infantulos veſtigiis eorum proiicientes. Nec tantummodò viuos ſanctos illis proſequebantur honoribus, ſed mortuos multò magis. Hymnis enim ac luminibus, quaſi triumpho, ſemper Chriſtiani obitũ piorum, tanquam de mundo certam victoriam, cohoneſtandum cẽſuerunt, vt Nanziãzeni verbis vtar, & infinita exempla prætercam. Sanctorum verò memoriam ſibi oſtendebant ſacroſanctam, cùm eorum monumenta & feſta tapetibus, copia luminum, atque alio vario ornatu inſigniebant. De quo cecinit præclarè Paulinus:

De luminibus et cereis, tapetibus, ramis, atque alio ornatu. *Paul. Natal. 3. felicis.* *Paul. Natal. 6.*

Aurea nunc niueis ornantur limina velis,
Clara coronantur denſis altaria lychnis, (.·.)
Limina ceratis adolentur adora papiris,
Nocte, diéque micant: ſic nox, ſplendórque diei
Fulget, & ipſa dies cęleſte illuſtris honore
Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis. (.·.)
Aſt alÿ pictis accendant lumina ceris,
Multiforéſque cauis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas. (.·.)

Sophr. in Nicen. 2. Synod. act. 4.

Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus in Oratione, quam habuit de SS. Cyro & Ioanne, omnem impenſam ad honorem ſanctorum factam paucis his verbis extollit: Venerentur (inquit) alij ſanctos hos, diuerſimodè eorum dona magnificantes. Siquidem excelſorum templorum erectionibus, illi verò variis ornatibus, alij gemmarum & auri contextibus, alij præclaro pictorum artificio, alij aureis argenteíſque donariis, alij ſericis bombicíſque texturis: &, vt vno dicam verbo, omnes in martyrum honorem, pro cuiuſlibet opibus & voluptate inuicem vincere contendunt, quo affectionem erga ſanctos his clarè oſtendant, referántque pro corruptibilibus immarceſcentia, pro temporariis ea quæ finem non habent præmia. Talibus donis admirandi iſti ſuos amatores afficere ſolent. Si quando verò eorum efferentur reliquiæ in proceſſionibus, neque id factitatum ſine luminum multitudine, apparet ex tempore Gregorij Turonenſis, in cuius vita clerici Turonenſes hæc loquuntur: Oratorium ex promptuario prædeceſſoris ſui apud Turonum conſecraturus reliquias ſancti Saturini martyris, ac Domini Martini à Baſilicis ſuſceptas, conuenienti veneratione deferebat. Erat enim ſacerdotum ac Leuitarum in albis veſtibus non minimus chorus, & ciuium honoratorum ordo præclarus, ſed & populi ſecundi ordinis magnus conuentus, radiantibus ſolemniter cereis, crucibúſque in altum ſublatis. Quòd ſi piè ac ſalubriter omnia illa effunduntur in honorem & cultum ſanctorum viuorum & mortuorum per carnis reliquias præſentium, quanto magis in glorioſi, viui, & viuificantis corporis Chriſti mirabiliter in Euchariſtia præſentis & opitulantis veneratione? An quod hominibus fit legitimè, ſi Deo regi regũ, & ſacto ſanctorum

rum

rum fiat, illegitimum putabitur? Omnia etiam pretiosissima de manu eius suscipimus: an non par est, vt in gratitudinem eadem illa refundamus, atque in eius cultū prodigamus? An non pro ornandi templi ratione id solum à Dauide profertur: Tua sunt omnia & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: qui licet æternus sis, temporalia tamen & terrena non aspernaris beneficia. Quid quod ne quidem Angeli sine iubilo & triumpho, & adorationis gestu, possunt ferre eius præsentiam, siue in præsepi iaceat, siue gloriosus ascendat, siue in cœlo sedeat, quemadmodum de scripturis licet animaduertere. Sed nec altaribus ipsi Angeli, cùm offertur sacrificium, & adest corpus Christi, sine prostratione atque venerationis spirituali pompa assistunt. Per id tempus (inquit Chrysostomus) & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret, senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitùs fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus derepentè Angelorum multitudinem conspexisse, fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege stantes videat: id quod facilè mihi persuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id vidisset ipse & audiisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora, satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc rectà in cœlum abducuntur. Deinde in templis Christianorum an non altare præ aliis partibus semper fuit pretiosiùs decoratum, an alia verò causa reddi potest, quàm quòd in ipsis per certa momenta habitaret corpus Christi, sicut Optatus Mileuitanus loquitur? An non propter hoc olim in Concilio quodam Rhemensi hoc decretum legitur? Obseruandum est, vt mensa Christi, id est, altare, vbi corpus Dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi sanctorum reliquiæ reconduntur, vbi preces & vota populi in conspectu Dei à sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis ac palliis diligentissimè cooperiatur. Ante illud tempus, Magni Constantini tempore, diuina ara in templo Hierosolimitano regiis tapetibus, donísque aureis & gemmatis conspiciebatur ornata, eiúsque velamina solita auro nitêre, Optatus, Hieronymus, & Chrysostomus testantur, nec improbant. Gregorius Turonensis vbi de Clodouei baptismo loquitur, narrat templum tapetibus fuisse exornatum sicut Paulinus antea fieri assuetum recitabat in sanctorum festiuitatibus. Altaria luminibus collucebant præcipuè, vt ex eodem Paulino audiuimus. Templis Christianorum, altaribus, ac delatis reliquiis sanctorum in processionibus flores inspargi, & ramos affigi laudant, & qui id curassent, commendant Hieronymus atque Augustinus. Prior enim de Nepotiano scripsit: Basilicas Ecclesias, & Martyrum conciliabula, diuersis floribus, & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbrabat, vt quicquid placeret in Ecclesia, tam dispositione, quàm visu Presbyteri, laborem & studium esse testaretur. Posterior verò recitat, cæcam mulierem orasse, vt duceretur ad Episcopum portātem sacra pignora Stephani martyris, & flores, quos ferebat, dedisse, ac de ipsis, quos receperat, oculis admouisse, & protinùs vidisse. Florum illa conspersio in processione, cùm deferrētur sanctorū reliquiæ, etiam sub Apostolis erat in vsu, teste Nicephoro. In descriptione enim funeris, quo elata fuit virgo mater Dei, ait: Cereis

1. Paral. 29.

Etiam Angeli corpori Christi præsenti pompam adorant.

Chrys. lib. 6. De sacerd.

Non alia de causa maximè ornantur altaria, nisi propter corpus Christi.

Opt. lib. 6. in Par. Brucard. lib. 3. cap. 97.

Theodor. lib. 1. hist. cap. 30.

Hieron. ad Demetriad. Chrys. hom. 60. ad pop. Antioch. et hom. 51. in Matth.

De ornatu florum & ramorum.

Hieron. in Epitaph. Nepot. et August. lib. 22. De ciuit. cap. 8.

Niceph. lib. 2. cap. 22.

ardentibus prælatis, & vnguentis floribúsque sparsis, atque Angelis cœlitùs feretrū vel præeuntibus, vel stipentibus, vel etiam consequentibus, diuinis patribus & Apostolis mirifica quędam carmina concinentibus, intellectualis illa ac spiritalis arca ex Sion in Gethsemani, Apostolicis eam gestantibus manibus fertur. Sit ita sanè, vt in funere virginis Mariæ non curarit vnguenta, vel flores tum simplicitas Christiana: nihilominus scriptores, qui ante Nicephorum descripserunt illud funus, à quibus Nicephorus accepit, quid fieri soleret in delationibus reliquiarum, tradiderunt. Quid igitur impietatis admittitur, si quod officium sanctorum cineribus, cruci & clauis, quibus perforatus est Christus, antiquitas non dubitabat exoluere, eodem erga sanctorum Dominum, viuénsque eius ac gloriosum corpus defungimur? Et in altari si legitimè ipsi tantum honoris defertur, cur non & in processione, atque vbicunque apparuerit, idem impendetur? An non Dominus gloriæ perinde est in vicis & plateis, quoties in his Eucharistia circumfertur, atque in altari? Quocirca Lutherani vbi adesse corpus Christi confitentur, ibidem non renuunt adorare, necnon omni genere ornamentorum, ac luminum veneratione confessionem testificari. Si extra vsum, & in delatione Eucharistię, præsentiam corporis, quam nos credimus, agnoscerent, proculdubiò nullum exteriorem cultum respuerent, quem libenter recipiunt, vbicunque de præsentia fidem habent. Nam Lutherus contra Articulos Louanienses, venerabile sacramentum altaris omni cum honore adorandum affirmat. Deinde in ordinatione Ecclesiarum Brandeburgensium, Daniæ, Normbergæ, & Nortuegię comprobatur, vt mox à verbis consecrationis decenti eleuatione Minister, si videbitur, eleuet Eucharistiam, sonantibus interim cimbalis iuxta consuetum, eandémque accensis cereis, cantu hymnorum, Pange lingua, Discubuit Iesus, Agnus Dei, cohonestent, musica & organis ac sericis exornent. Ac passim in celebratione synaxeos accendunt candelas, tapetum sericum sternunt, & genua flectunt. Idcircò Abdias Prætorius Vvittembergensis Theologus Lutheranos docere affirmat, totam Cœnæ administrationem debere fieri piè & religiosè, ac requirere à sumentibus disciplinam quandam externam, & reu[e]rentiam erga sacramentum. Causam ex Martino Cemnicio antecedente capite attulimus. Hussitarum tempestate iam eadem obiiciebantur, quæ nunc contra processionem, & Eucharistiæ gestationem adorabilem, quasi tantum esset sacramentum institutum ad manducandum, non ad portandum, vel adorandum. Magister Ioannes Rokeisana, inter Bohemos Hussitas non infimi nominis, inter alia respondit, iustum, sanctum, æquum & salutare, quòd Christiani habeant ipsum Christi corpus in sacramento conspectum in summa reuerentia, timore, desiderio, amore super terram. Sic quòd omnes primùm sacerdotes & clerici cæteri debent suas orationes & psalmodias ibi frequentare in præsentia, vbi est corpus Christi, rex, & Dominus omnis creaturæ, vbi Angelorum frequentia. Vnde grauiter peccant, & durè arguentur, qui ad hoc Deificum corpus in hoc sacramēto leuiter se habent, & Domini Dei sui ibi verè existentis obliuiscūtur. Ex quibus etiam patet (inquit) quòd sacerdotes cum populo fideli debent exteriùs per genuū flexiones, capitis inclinationem, prostrationem quādoque faciei in terram, reuereri & colere Christum, eiúsque corpus in sacramento. Sic pastores verbo & exemplo populum docere debent, vt contremiscant adorando & colendo, summúmque ac viuacem respectum circa hæc diuinissima & ineffabilia mysteria. Vnde noscitur error impiè dicentium, corpus Christi, vel sacramentum solùm nobis datum esse ad manducandum, & sanguinem in calice solùm ad bibendum, non ad colendum siue adorandum: inaniter item & fatuè irridentiū accēsionē luminum coram Domini corpore in sacramento, ac dicentium Deū lucē esse, nec

Lutherani volunt honorari Eucharistiam.

Lindan. tom. 2 Apol.

Abdias Prætor. lib. De discrimine sectarum, circa Cœnam.

Quid Hussitæ respondebant murmurantibus cōtra processiones Eucharistiæ.

Cocleus in historia Hussitarum.

nec egere lumine. Nam & in veteri lege, Domini quoque mādato, lumina, lucernæ, candelabra corā panibus Propositionis, qui figura tantùm erant corporis Dominici in sacramento disposita, exardebant: multò decentiùs idem in tanti sacramēti præsentia fieri. Decens & honestum eadem ardere coram sanctorū corporibus. Quin etiam sanctorum omnibus in funeribus demortuorum Christi fidelium lampades accendebantur: multò decentius, honestius ac sanctius eadem accendi coram tam diuino ac Deifico Christi corpore. Sed rudes & grossi contemptores reuerentiæ decentis corpus Christi, & ipsius sacramenti, sciant causam, cur lumina coram sacramento accendant, vel ex Isidoro, qui Acolytos Latinis dici ceroferarios ait, à portādis cereis, cùm aut legendum Euangelium, aut offerendum sacrificium. Tunc enim ab eis accenduntur, deportantúrque, non ad tenebras sole iam rutilante fugandas, sed ad lætitiæ signum, & lucem illam veram sub typo luminis corporei demonstrandam, &c. De tubis, instrumentísque Musicis, atque tintinnabulis, quibus vtimur in delatione, & eleuatione in Missa, multa fabulantur Aduersarij. Sed meminerint olim Leuitas sacrificij tempore tubis argenteis clangere solitos, quarum sonitu populus præmonitus, foret ad adorandum Dominum paratior. Quarum multus, frequēsque vsus fuit inter sacra coram arca fœderis. Sic Ezechias iussit, vt offerrentur holocausta, & tum cœperunt tubis clangere, ac diuersis organis concrepare. Omni autem turba adorante, cantores & tibicines erant in officio, donec holocaustū compleretur: cúmque finiretur oblatio, inclinatus est rex, & omnes qui erant cum eo & adorauerunt. Si tantum pomparū coram figura, nihilne quicquā illarū coram veritate decebit? Ad Michol & Iudæ imitationem nouatores moderni, potiusquàm reformatores, faces radiantes, nolas tinnientes, sacerdotū cultum, templorum ornatum, genu flexiones, adorationes, aliásque ceremonias ac celebres apparatus, vt immodicū fastum, luxúmque superfluum calumniantur. Nos non absolutè simpliciterve esse necessaria defēdimus, sed laudamus per Ecclesiam ordinata, quæ ad testimonium de sacramēto, Christíque præsentis venerationē, & ad infirmæ plebeculæ animos torpentes, ac rudē tarditatē, ad ampliorē deuotionis alacritatem excitent & accendant: Atque vt non excusamus, si quid celebritatis occasione perperā agitur, vel quod vtilius prætermitteretur, ita nō dubitamus Christi in Eucharistia præsentiā plus multò deuotionis ac solēnitatum exigere, quàm ei possit vniuersū hominū genus erigere, illásque omnes tātæ Domini maiestati & beneficētiæ impares esse. Quamobrē moderni isti Micholitæ, Ecclesiæ matris suæ, vt illa Michol quondā viri sui, irrisores & subsannatores, quasi sterilitate percussi, vltrà non proficient. Insipientia enim illorum manifesta erit omnibus, sicut & Micholis fuit insania. Isti Iscariotæ non minus vtique, quàm ille, fures, proditores ac sacrilegi, aliquando tandem rumpantur & crepent inuidia necesse est, non tantùm alienis, quæ diripuerunt, quasi erogaturi in pauperes, sed & propriis in vltionem amissis. Ecclesia verò cum Dauide fiet in dies coram Eucharistia & Christo præsente vilis atque humilis plusquàm facta est, & gloriosior magis ac magis apparebit. Non est perditio nec superfluitas, quod in Christum confertur: pietas est, pro pietate facere sumptum, scribit Tertullianus, Et de triumpho, quem clauis ac cruci Christi Helena Constantini mater magnificentiùs adornabat, respondet Ambrosius, Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur redemptioni. Nec Christus ignorabat suo tempore complures fuisse pauperes ac mendicos: Mariæ tamen affectum tātùm abest vt inhibuerit, quòd Iudæ, atque aliorum Apostolorum vnius exemplo murmurantium mordacitatem, indignationémque increparit, nos in Maria instituens, nullo non honore ipsum prosequi: in Apostolis verò

De tubis & instrumentis musicis in processione.

Leui. 23. Num. 29. 1. Par. 13. 15. 16. 2. Par. 5. 7. 15. 20. 25.

Quatenus cultus exterior sit necessarius.

Quid contemptoribus sacramenti soleat euenire.

Tertull. in Apol. cap. 39.

Non est perditio expendere ad Dei honorē.

Chrysost. hom. 17. in Genes. Theoph. in cap. 26. Matth.

pauperes in angustia non relinquere. Audiant (exclamat Theophylactus) audiant, inquam, cuius partis sint, & confundantur, qui pauperum curam Christi cultui præferunt, quíque eorum prætextu ex sacrilegiis eleemosynam faciunt, sacrum Christi corpus, & sanguinem pretiosum, discis & poculis pretiosioribus ablatis, in vilioribus reponentes. Audiui enim ego dicẽtes aurifabros, Si quidem ego vas dissectum dem pauperibus, ego viuam, neque condemnabor. Non est idem pauperum misereri, & Christum ipsum honorare. Christi autem corpus propriè quod in disco, & sanguis qui in poculo. Consilio quidem si quis indiguerit, consulo pauperibus dari: at Domino ipsi offerentem indignum est auersari, alacritatem eius frangere, deuotionem abducere, ne dicam cauillari, vel calumniari. Hæc ille ante annos octingentos. Alia sunt, quibus circa gestationem, processionem, & festum sacramẽti, pij quidam viri offenduntur. Sicut enim dicitur ab Apostolo, iam non est Dominicam cœnam manducare propter abusus, qui vsui sacro permiscebantur: ita licet dicere, Iam

Qui sint abusus circa festũ sacramenti.

non est festum corporis Christi, nec processionem eius, nec gestationem celebrare, sed rem ludicram & periculosam propter defectum dignæ præparationis, & finis, cuius causa illa fuerunt instituta. Nam vt indigna manducatio mortem & iudicium infligit, ita indigna gestatio & attrectatio, imò & aspectio, si nõ tantum detrimenti affert, saltem non est extra noxiam, & periculum vltionis diuinæ. Arca per impuros

2. Reg. 6. 1. Reg. 6.

sacerdotes in castra delata non fuit præsidio, sed exitio. Oza extendit manum ad Arcam Dei, & fulciuit, quoniam calcitrabant boues. Iratus tamen est Dominus, & eum percussit (ait Scriptura) super temeritate sua, ac mortuus est iuxta Arcam Dei. Percussit de Bethsamitis primoribus quinquaginta, & quinquaginta milia de ple-

An sit melius Eucharistiam populo proponere contectã, quàm apertã.

be, eò quòd vidissent Arcam Domini. Ergo (inquiunt nõnulli homines cõtentiosi) nefas erit populi aspectui Eucharistiam apertam & detectam exponere, vel coram vulgo ostentare, ne simili plaga cum Bethsamitis percellatur. Verùm non attendũt differentiam. Arcam voluit Deus expressè remouere à populi conspectu: idcircò iussit eam multis velamentis operiri, & intra adyta interiora reponi: Eucharistiam contra cùm instituit, statim oculis subiecit sine vllo tegumento. *Hoc est* (inquit) *corpus meum.* Hoc facite in meam commemorationem. Bethsamitæ quoque sine sacerdote, ac iusta secundum legem sanctificatione, profanis manibus & oculis ausi fuerunt Arcam curiosiùs contueri & contingere. Idcircò miserè perierunt ad nostram doctrinam, ne Eucharistiam audeamus sumere, vel etiam cernere, & tãgere sine debita veneratione, pro nostri ordinis statu & gradu. Peccatum quidem ac piaculũ publicũ canibus & porcis ac blasphemis Eucharistiam ostẽtare. Idcircò primi Christiani, quandiu vixerunt inter infideles, non solùm abstinebãt à circunferenda Eucharistia, sed cauebant, ne profani homines pagani irreperẽt intra Ecclesiam ad eius visum, ne darent Sanctum canibus, & margaritam proiicerent ante porcos. Postea extincto Paganismo, Christianis passim regnantibus, non solùm in Ecclesia fidelibus proponebatur conspicienda Eucharistia in aperto, sed foràs palàm efferri cœpit, tamen ferè semper velata, siue cõclusa, sicut cõtrà in Ecclesia detecta frequẽtiùs ad adorandum oblata fuit, & eleuata. Nihilominus pro indifferẽti haberi debet, ipsam opertam siue apertam adorare. Nam in Hispania ad ægrotos vtroque modo gestari audio, & apud Græcos in Ecclesia vtroque etiam illo modo populo ad adorandum ostenditur, quemadmodum apud nos quoque fieri solet: siquidem in Missa eleuatur, & colitur conspicua: in delatione verò ad ægrotos, intra turriculam conclusa adoratur. De hoc itaque nollem quemquam contentiosum esse. Si de modis illis, vter esset decentior, quæreretur, mihi magis probaretur, nisi aliud suaderet peculiaris aliqua causa, ad adorandum exhiberi perspicuam & ap-

parentem, tum quia minor idololatriæ relinquitur suspicio, cùm videtur, & minus dubitari potest, an ibi sit Eucharistia, ac corpus Christi, quàm cùm nescitur certò, an ibi lateat inclusa Eucharistia: tum quia quando Christus institutam monstrauit, in propatulo fuit, nullo velo cooperta. Quominus verò deportetur foras ita manifesta, cautio adhibetur contra aëris atque hominum iniurias. Olim quidem nondum initiati catechumeni & peccatores, ad pœnitentiam redacti, arcebantur à sacrorum intuitu atque perceptione, non quia peccatum nouum contraherent, si aspexissent, vel percepissent, (quandoquidem fide plerunque & pietate multis fidelibus baptisatis præstarent) sed propter disciplinam & ordinem, partim à Christo, partim ab Ecclesia positum & institutum hominibus inuitandis ad baptismum, & à peccato deterrendis. Peccatores autem non noua culpa degrauantur, si oculos in Eucharistiam intenderint, atque præsentem ex animo coluerint, omníque honore cumularint atque inuocarint, non magis sanè quàm publicani & peccatores offendebant, cùm appropinquarent Christo salutis causa. Peccatur quidem, si inuerecundè & irreligiosè oculi defiguntur in Euchatistiam, si ridiculè aut sine pietatis motu in eius præsentiam venitur, vel si tantùm exteriori apparatu & labiis honoratur, cor autem longè peregrinatur. Hoc enim est indignè Eucharistiam adorare. Propterea si non deuotioni populi, sed pompæ magis & ostentationi illa circumgestatio, processio, ac festiuitas seruierit, abusus est. Nam ad excitādam populi in Deum pietatem atque deuotionē est instituta, & hoc fine peragitur. Propterea Vrbanus, cùm festi celebritatem indixit, priùs de interna conscientię præparatione sollicitus fuit. Exhortandos monet à parochis populos ad eius legitimam dispositionem, vt veræ & puræ peccatorum confessioni incumbant, eleemosynarum largitioni, orationi, atque aliis pietatis & deuotionis operibus, in quibus ieiunium in vigilia festi à Clemente quinto numeratur: ita vt pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possíntque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentū gratiæ consequi. Ab his quoniam ferè omnibus receditur, & sola exteriora à plerisque cogitantur, iam patet in quo erretur, & quò sit redeundum perspicitur. Ad illa præcipua & interna, si exteriora quæcunque ornamenta accesserint, adoratio vera perficitur. Itaque si ad communionem, & alia pietatis officia, languescens in dies potest populi deuotio in festo corporis, & aliis accendi, magnum fuerit veræ pietatis operæpretium, ad quam omnes quidem pastores & confessarios pro virili hortari & extimulare optandum est. Verùm si populi Christiani tepor & languor aut depelli, aut vinci non potest, an propterea Christum suo honore fraudandum dicemus, qui tam publico Ecclesiarum & nationum Christianarum consensu iampridem est introductus, & annua in hunc vsque diem Christianorum omnium pietate & veneratione obseruatus? Aliis delationis & processionis frequentia molesta, ac libenter susurrant. Parciùs ista viris tamen hæc obiicienda memento, quoniam familiaritas & consuetudo parit contemptum & fastidium. Qua de causa Gropperus non dubitauit inter abusus reponere, quòd hoc venerandum sacramentum in processionibus nimis crebrò profanaretur, populóque præter quotidianam in Missæ officio eleuationem nimio plus, & plerumque palàm spectandum exhiberetur, nulla nec cōfessione, nec pœnitētia præcedente: tantū abest, vt Eucharistię plerunque sequatur perceptio, ne quidem solemni illo festo, quod ad excitandam instituitur vt eo die non spectaretur modò, sed dignè perciperetur Eucharistia. Citat idem contra ostentandi tantùm, & non sumendi rediuiuam constitutionem Nicolai Cusani percelebris Cardinalis, dum Nicolai quinti Legatum ageret, editam, quæ sic habet: Ad maiorē honorem sacramenti statuimus, quòd deinceps visibiliter in quibusque monstran-

Biel. lec. 50. in Can.

An sit nouū peccatū, si peccator intueatur Eucharistiam, & adoret.

Quæ dispositio requiritur ad celebrandū festū sacramenti.

An expediat sæpiùs Eucharistiam in processione ferre.

Statuta Colo. edita an. 1554.

tiis non ponatur, aut deferatur, nisi in sanctissimo festo corporis Christi, cum suis Octauis, & extra huiusmodi festa cum suis Octauis, semel in anno in qualibet ciuitate, aut oppido, seu parochia, vel ex singulari indulto ordinarij, aut alias pro pace, vel alia necessitate imminente, ex indispositione rempub. prægnante, & tunc cum summa reuerentia ac deuotione. Extat hæc constitutio in statutis Ecclesiæ Coloniensis: alioqui in operibus Nicolai de Cusa non occurrit, sicut rectè monet doctissimus noster Espencæus, de quo ista ferè transcripsi. Raritatem illam comprobant, & frequentiam damnant cum illis Taperus Louaniensis decanus, ac Lindanus Episcopus Ruremontanus, viri sanè percelebres. Alij, dum istorum laudant opinionem, modum excedunt, ac ne quidem in publicis calamitatibus & necessitatibus proponi volunt palàm & apertam Eucharistiam, multò verò minus circumferri: quod prætexunt, ne tandem vilescat. Ita dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Eorum ego magis sequor & amplector sententiam, qui potiùs statum & conditionem populorum, ac causam propalandi Eucharistiam considerandam iudicant, quàm temporum momenta, vel interualla. Quamdiu premit necessitas, aut suadet iusta causa: quandiu populi feruor vel magis accenditur, vel conseruatur ex producta vel spectata Eucharistia, vtiliter in publicum educitur. Sin contra docuerit experientia, vtilius fortassè remouetur, ne per indeuotionem erga ipsam peccetur, & Dei vltio prouocetur. Deinde sicut Centurio ex apprehensa indignitate sua piè Christum ab ædium suarum ingressu prohibere studuit, cùm Zachæus contrà ex cogitatione facilitatis, bonitatis, ac misericordiæ Christi erga peccatores, non minus piè ex arbore descenderit, ac domum festinarit, vt ibi Christum præsentem exciperet, videret, & familiariùs versaretur cum ipso: Ita quisquis ex perspecta populi peruersitate vel irreuerentia noluerit illi Christum coràm exhibere, piè potest in suo sensu abundare, vt contrà itidem quisquis ex meditatione bonitatis ac misericordiæ Christi, qui venit peccatores quærere, & saluos facere, etiam sæpiùs ad impetrandam clementiam & indulgentiam Christum in Eucharistia populo, quamuis negligentiori, offert & præsentat. Quapropter causæ & circunstantiæ fuerunt potiùs expendendæ, quàm ipsum factum, quod in indifferentibus numero. Si enim quotidiè, vel rariùs communicare, & sumere corpus Christi Augustinus in indifferentibus collocat pro personarum dispositione atque intentione: cur non & quotidiè in Eucharistia Christum videre, seu gestare, aut rariùs id agere, pro indifferentibus censebitur ex populorum statu atque deuotione. Denique sunt, qui mediatorum, siue pacificatorum personam etiam in hac re sumentes, vt funesta ista dissidia religionis componantur, nihil absurdi fore putant, si hæc solemnis sanctæ Eucharistiæ circumgestatio aboleatur: imo citra Ecclesiæ damnum, atque adeò cum eius lucro, si modò id prudenter fiat, eam existimant omitti posse: quorum rationes allegat, & confutat doctissimus Episcopus Lindanus hoc ferè contextu. Sacramenti honor (inquiunt) diu sine circumgestatione constitit, & hodiè constare potest. Potest quidem, vt videmus per Turciam apud Christianos: sed an citra pietatis damnum ex more publico rollatur res, cùm licita, tùm honesta, communi etiam nunc prouinciarum omnium Christianorum vsu, pióque consensu celeberrima, viderint isti pacificatores, qui vt Pharisaïco quorumdam scandalo eant obuiam, malunt insanorum medicorum more, toti Ecclesiastico corpori vulnus graue infligere, quàm vni aut alteri mēbro semilanguido veram atque solidam medicinam adhibere. Quid enim si honor sacramenti diu sine circumgestatione constitit, hodiéque cōstare possit, an igitur suadeas abolendam?

Espenc. lib. 2. ca. 8. de adora.

Contra mediatores, qui ad pacificationem ... omitti ... vel pietatis ...

dam? Atqui & sine templis diu constitit religio Christiana: non igitur & hæc abolē-da? Sed Ecclesiæ lucto (addunt) ista omitti possunt. Equidem pietatis aut religionis lucrum non video, nisi quale sublatis piis ceremoniis reportatur, vt res illarum occasione gerenda non infrequēter tollatur. Quis autē inficias iuerit occasione solemnis processionis, quę S. Eucharistię præsentia decoratur, nō modò plures ad preces publicas confluere, sed ardentiùs, adeóque confidentiùs orare atque comprecari. Sed tollatur, si placet, edicto publico illa circumgestatio. An non pacificatione ista incō-sulta nouum feceris dissidium de pia in mysteriis eiusdem Eucharistiæ eleuatione? Clamitabunt enim pacificatores, Aduersarios non minus offendi, quàm solemni circumgestatione: quod vtriusque rei eadem est causa, idem vtriusque scopus. Alij pari argumento quiduis aliud quod ad Christi adorationem spectet, suadebunt hoc exemplo abolendum, ac denique omnia, quæ vel insano capiti videbuntur diuini honoris speciem complexa.

REPETITIO DECIMA DE COMMVNIONE SVB ALTERA SPECIE.

AN COMMVNIO SVB VTRAQVE specie fuerit à Christo precepta.

CAPVT I.

SICVT OMNIVM prope antecedentium hæreticorum, ita Calixtinorū in Bohemia nostro infelici tempore plaga recruduit. quò verò maiori pietatis prętextu, populari fallacia & apparenti impostura causa calicis, siue de communione sub vtraque specie, ab Aduersariis agitatur, & implicatur: eò sinceriùs, simpliciùs, atque apertiùs à nobis enucleari & elucidari debet. Tota verò controuersia quatuor aut quinque capitibus cōtinetur. Primum est, An instituta sit à Christo vtraque species, an vnica. Alterum, Quænā sit ab eodem præscripta & imperata, Tertium, Quænam fuerit Apostolorum & primę Ecclesię fides, sentētia, & vsus: & quando, ac quomodo fuerit immutatus. Quartum, An vllo pacto vtraque species panis & vini ad salutē siue ad debitam Eucharistiæ perceptionem sit necessaria. Quintum, quęnam sit potestas Ecclesiæ circa dispensationem Eucharistiæ & sacramētorum, & an debeat aut expediat vtramque speciem populo remitti & restitui. Priora duo coniungemus. Principiò concedamus Aduersariis, quod postulant, de mysteriis & sacramentis ex

Quomodo materia de vtraque specie consideranda.

eorũ institutione optimè decerni ac definiri. Iam controuertitur, quid instituerit Christus in Cœna. Vsum vtriusque speciei volunt Aduersarij. Dicimus aliud esse vtramque speciem, aliud earum vsum. Res omnes initio creantur à Deo suo ordine, postea de earum vsu disseritur. Baptismus primùm cõstituitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto: & deinceps de eius vsu agitur. Præterea si in rerum institutione declaratur vsus, aut vna præscribitur: non tamen indè colligitur, cuilibet, aut etiam cuiquam vsum illarum certò mandari. Vinum condidit Deus in potum hominum: non tamen omnibus, aut etiam cuiquam edixit, vt vinum epotet. Sanxit in lege, vt offerretur cum victima certa vini mensura: non tamen sanxit, vt omnis qui de sacrificio ederet, etiam de vino gustaret. Deus matrimonium ad procreationem hominum disposuit: sed non omnibus matrimonij iugum, nec omnes coniugatos ad dandam operam liberis obligauit. Est enim licitum de communi consensu continere in perpetuum. Ideò multa à Deo, siue ex primæua naturæ conditione, siue ex lege addita instituuntur, non vt à singulis præstentur: sufficit si saltem aliqui tali defungantur munere. Propterea negamus ex ipsa institutione Cœnæ, & vtriusque speciei, earũ vsum institui: & si instituatur, negamus tamen inde ad omnes extendi. Aduersarij pedem ab ipsa nuda institutione ad ista verba imperantia referunt, Accipite, edite, bibite ex eo omnes: quibus vtriusque speciei vsum institui & omnibus iniungi contendunt, etiamsi ex institutionis vi & natura non inferretur. Hîc aries est Aduersariorum, sed Ecclesiam fundatam supra firmam petram non conuellit. *Primùm enim ista iussio, Bibite omnes, tantùm ad Apostolos præsentes pertinuit, & non ad alios Christianos tùm viuentes, qui ab illa Cœna aberant, nec ad eorum posteros. Nã Lucas loco Bibite, ait, Diuidite inter vos, ne ad absentes pertinuisse dicamus: & Marcus idem explicat, cùm subiungit, Biberunt ex eo omnes: illi inquam, quos iusserat bibere. Quòd si Christus tantùm fuisset elocutus, Accipite, comedite, *Hoc est corpus meum*: Bibite ex eo omnes, *Hic est sanguis meus*: non addidisset autem, Hoc facite in meam commemorationem: non fuisset vllius rei à nobis obseruãdæ facta institutio, sed tantùm enarratum priuatum Christi cum Apostolis factum & colloquiũ, qualia multa cum ipsis familiaria & domestica habuit antecedentia & consequentia ipsius resurrectionem, neque nos ad quicquam posterius agendum deuinxisset. Quonam pacto igitur ex verbo, Bibite omnes, speciem calicis omnibus victuris Christianis præcepisse putabitur, cùm nondum Cœnam pro posteris instituisset, neque esset effatus, Hoc facite, cuius verbi efficacia Cœnæ potestatem & vsum institui assentiuntur Aduersarij. Melius itaque consulti inter Aduersarios, vrgẽt, Hoc facite in meam commemorationem, annecti calici, sicuti & pani apud Apostolum, per ipsumque Cœnam institui pro posteris, ac mandari, Et edite, & bibite ex eo omnes, ad victuros vsque dum veniat Dominus promulgari. Fatemur, *Hoc facite*, vtrique speciei apponendum ex Apostolo Paulo: non tamen statim inde pręceptum generale de vtraque specie ab omnibus capienda rectè concludi. Non enim in scripturis verba imperantia plerunque iussionem aut mandatum significant, sed potestatis aut permissionis, alicuius doni collationẽ, aut etiam merã exhortationem, aut euiusmodi sunt, Vade, vende omnia quę habes: Accipite Spiritum sanctum: Crescite & multiplicamini: atque alia in sacris literis propè infinita. Certè Patres, Irenęus, Ambrosi⁹, Chrysostomus, Damascenus, atque alij à me producti libro de Transsubstantialitate comparant, *Hoc facite*, cum ista Dei sanctione, Crescite & multiplicamini: vt demonstrent per illud verbum factam & donatam esse potestatem Apostolis & eorum successoribus de pane efficiendi & administrandi corpus Christi, sicuti per istud in prima rerum creatione ingenerata fuit hæc omnibus animantibus procreandi facultas, non

An Christus instituerit vtrãque speciẽ, & vtriusque vsum.
Genes. 1. & 2. Ioã. 3. Mat. vlt.

An sit præcepta à Christo vtraque species.
Luc. 22. Matth. 14.

Quibus verbis instituatur vtraque species. 1. ad Cor. 2.

Matth. 18. Ioann. 21. Genes. 1. & 2.

non tamen ſingulis aut paſſim imperatus eſt vſus. Igitur ex genere dicendi, *Hoc facite*, non euincetur iuberi vſum vtriuſque ſpeciei vniuerſis Chriſtianis. Attamen ne ſummo iure agere videamur, excutiamus quid, *Hoc facite*, innuat, & quàm latè pateat. Hoc quidem duo commonſtrat: Id quod Chriſtus egerat, & quod ipſi Apoſtoli egerant. Quatenus importat factum Chriſti, qui propoſitum panem conuerterat in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem, Deóque patri obtulerat, ſumpſerat, & Apoſtolis impartierat: ſolis, & eorum ſucceſſoribus dicitur, *Hoc facite*: Quatenus verò refert Apoſtolorum in prima cœna actionem, qui ſumpſerant & ederant Dominicum corpus & ſanguinem, eatenus non ad ſolos Apoſtolos dicitur, *Hoc facite*, ſed omnibus Chriſtianis: & hæc loquẽdi figura de duplici ſenſu ex veteri ritu Agni Paſchalis in nouum Teſtamentum à Chriſto transfertur. Ibi enim faciendi vocabulo, offerre & edere Agnũ & Paſcha ſcriptura complectitur, & Apoſtolus Paulus vſum Cœnæ & eſum hac locutione ſanciri monet, quando ait, *Hoc facite*, quotienſcunque bibetis, in meam commemorationem: &, Quotienſcunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Ita enim Patres de poteſtate conſecrandi & percipiendi Cœnam Domini ſapienter interpretantur. In priori ſignificatu capiunt Dionyſius Magnus, Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Damaſcenus, atque alij. Ad poſteriorem alludunt Baſilius, Cyrillus Alexandrinus, atque etiam alij. Nunc videamus quid de vtroque præcipiat, *Hoc facite*: an imperat omnibus & ſingulis miniſtris paſſim & indifferẽter conſecrare & diſtribuere, vti Chriſtus fecerat: an potius ſolam poteſtatẽ eis tribuit, ita vt de vſu poteſtatis nihil definiat, qui multis modis inhiberi poteſt & ſuſpendi, nihil poteſtate læſa aut imminuta. Cur non idem de ſecundo ſignificatu ſentire licebit, vt nihil de vſu & exercitio ſumptionis ſtatuat, ſed poteſtatẽ tradat, quam nemo cuiuis Chriſtiano factam negat, ſed ex cauſa legitima poteſtatis huius vſum & exercitium Eccleſiæ prudentia temperandum ac moderandum relinquat? Sicuti Apoſtolus commonefacit, *Hoc facite*, pertinere ad ſumptionem, quemadmodum & ad conſecrationem: ita ſatis indicat, non continere præceptum de vſu, ſed tantùm copiam & facultatem dare. Subdit enim, *Hoc facite*, quotienſcunque bibetis, in meam commemorationem: vbi non imperari potum manifeſtè oſtendit, ſed modum potui inſtituto & conceſſo præfigi. Decidit ergo Apoſtolus præſentem controuerſiam de vtraque ſpecie, & per, *Hoc facite*, agnoſcit vtriuſque ſumptionem & modum inſtitui, ſed vſum nequaquam ſub præceptum ex illo genere dicendi cadere exprimit, cùm interſerit, Quotienſcunque bibetis: vbi in vſu prudentiam & iuſtam aliquam regulam atque æquitatem deſiderat, de qua erit poſterior differẽdi locus. Non ſum neſcius ab aliis annotari, abſolutè panis ſpeciem omnibus præcipi, cùm ſine additione efferatur apud omnes Euangeliſtas de ipſa, *Hoc facite*, neque reſtrictionem ab Apoſtolo ſuſcipiat, qualem adhibuit in calice. Subtilitatem iſtam non improbo: attamen neque eos poſſum reiicere, qui ſimilem moderationem in panis ſpecie cenſent repetendam, ex ea quam Apoſtolus in calice collocauit, vt dicatur, *Hoc facite*, quotienſcunque manducabitis panem hunc, ſicuti dicitur, *Hoc facite* quotienſcunque bibetis. Non enim puto ita panis ſpeciem abſolutè præcipi, vt ſine ea non ritè ſumatur Euchariſtia in ſolo calice, ſi quando ita cogeret neceſſitas, aut alia cauſa legitima, quemadmodum in aliquibus ægrotis & pueris olim factitatum non ambigimus. Quinetiam aliquando Apoſtolus ipſas ſpecies æqualiter diuidit, & ſicut ait nos omnes vnũ corpus fieri, qui de vno pane participamus, omittens calicem, ita viciſſim ſcripſit alibi nos omnes potari in eodem ſpiritu, tacita panis ſpecie. Propterea imponũt Apoſtolo Aduerſarij, quẽ volũt ſemper copu-

Quid ſignificet Hoc facite.

Diony. cap. 3. Eccl. Hierarch.
Cypr. li. 2. ep. 3.
Ambro. lib. 4. de ſacr.
Chryſ. de prodit. Iudæ.
Damaſc. lib. 4. cap. 14.
Baſil. in Mor. reg. 21. cap. 3.
Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 58.

Non præcipitur vſus vtriuſque ſpeciei, per Hoc facite.

1. ad Cor. 10. & 12.

latiuè loqui, ac mandare de vtraque specie, quia dixit, Quotienscunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis. &, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam ipsemet declarat copulatiuam pro disiunctiua à se collocari, cùm per disiunctionem subiicit, vt in omnibus exemplaribus Græcis habetur. Qui enim manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Neque Labeoni, aut Paulo Iurisconsulto ignotum fuit, coniunctionem pro disiunctione accipi: nonnumquam & coniuncta pro disiunctis reperiri: maximè verò tum aiunt Iurisconsulti id fieri, quando coniuncta reipsa vnum sunt, aut si ex reipsa & argumento, de quo agitur, aliud iudicari æquum est. Ita in Apocalypsi scribitur, Beatus est qui legit, & audit verba libri huius, & seruat ea. Quoniam idem est legere, siue audire non lecta, copulatio pro disiunctione venit intelligenda, vt beatus sit qui legit, vel audit verba (cùm vtrumque non sit necessarium) & seruat ea. quoniam etiam eandem rem continent & afferunt Edere panem hunc, & Calicem Domini bibere, meritò Paulus copulationem à se præmissam pro disiunctione explicauit. Itaque Apostolus per moderationem istam, quotienscunque bibetis calicem, hoc facite: & per disiunctionem adhibitam, qui manducauerit vel biberit: & per expressionem vnius speciei sine altera, copulatiuam se posuisse ostendit pro disiunctiua: neque tanquam necessario præcepto, per *Hoc facite*, vtriusque speciei vsum iuberi, satis supérque pronuntiat. Nec verba illa, Probet seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, præcipiunt vtramque speciem, sed modum definiunt, quo edere vel bibere liceat. quid ergo instabunt Aduersarij? Nusquàm ne præcipitur vsus Cœnæ, & vtriusque speciei? Licebitne abstinere, aut vti Cœna, ac speciebus, pro cuiusque arbitrio? Minimè verò: ex eo quòd Cœna instituitur à Christo, & proponitur per *Hoc facite*, populo Christiano: vsus aliquando ab eodem exigitur, ne frustrà tantum mysterium apparasse & commendasse putetur. Non tamen ob id cuique licet eò temerè irruere, & indifferenter quicquid est apparatum arripere. Omnia cùm ordine fiant, & pia ac circumspecta ratione, quam Spiritus per diuinos viros, & maximè per Ecclesiam dictauerit. Imò verò etiamsi admitteremus per *Hoc facite*, tradi expressissimum mandatum de vsu vtriusque speciei, non tamen optimè consequeretur cuilibet homini præcipi. Nam præclarè Augustinus hoc in obseruationibus scripturarum ponit, vt sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum. quæ Augustini verba quo planiora fiant, animaduertamus in vniuersum tam primis parentibus, quàm postea Noë dictum fuisse, Crescite & multiplicamini: quod tamen præceptum non ita accipi oportet, vt singuli obligentur matrimonio, liberísque procreandis operam dare. Sufficit vt homines communiter id præceptum impleant ad quod faciendum nunc plures, nunc pauciores, iudicio eorum qui præsunt Ecclesiæ, tenebuntur, secundum temporis, aliarúmque rerum rationes. Eodem modo si de vtraque specie percipienda promulgaretur, *Hoc facite*, satis esset ab aliquibus Christianis id præstari: ab his nimirum, qui Apostolico gradui succedentes, corpus & sanguinem Christi sacro ore conficiunt, & Deo offerunt. Nam quod soli sacerdotes Ecclesiæ faciunt, non quidem sic omittitur, vt non fiat omninò, licet à singulis fidelibus non fiat. Cur autem potius illis quàm istis incumbat, postea explicabitur. Hac responsioue satisfit obiicientibus Christum promisisse genimen vitis in regno Patris & Ecclesia se bibiturum cum fidelibus: ita vt sit necesse fideles ipsos genimen vitis consecratum bibere, vt per ipsos Christus ebibere intelligatur. Satis enim est aliquos in cœtu Christianorum istud obire munus, vt

Apocalyp. 22.

Quomodo Cœna percipiatur à Christo, & vtraque species.

August. lib. 3. de doct. Christ. cap. 17.

vt verum ſit Chriſtum ſui ſanguinis vinaceo poculo in Eccleſia perfrui. Quòd ſi quoniam, Hoc facite, admittitur præceptum complecti de vtraque ſpecie, ideò ad omnes Chriſtianos amplificatur: eadem ratione concedendum erit mulierculis etiam præcipi, vt Cœnam Domini inſtruant, & in Eccleſia aliis adminiſtrent: quoniam per Hoc facite, Cœnæ confectio & diſtributio priùs imperatur, quàm eius ſumptio, & indefinitè illa, ſicuri & iſta. Quid ſi Chriſtus de vſu vtriuſque ſpeciei expreſsè, aut etiam de quacunque Cœnæ ſumptione ita legem tuliſſet, Hoc facite omnes: quid amplius requirerent Aduerſarij, quàm neminem excipi, & ab vtraque ſpecie, aut etiam à Cœna quadamtenus ſumenda excuſari? Quid ſi generalitas illa miras difficultates pareret, quibus ſe extricare Eccleſia nequiret, niſi adhibita æqua iuris interpretatione & limitatione: quanto magis boni conſulere decet & probare, ſi quos ab vtraque ſpecie Eccleſia arceat aut excipiat, cùm nullo precepto Domini ſaltem vniuerſali teneatur? Si Hoc facite omnes, de vtraque ſpecie præceptum haberet, & generalitate premerent Aduerſarij, non deeſſent, qui ex eadem catechumenos, fide Chriſti preditos, & ipſos infantes, & quoſcunque abſtemios, aut quacunque neceſſitate & iuſta excuſatione atque anguſtia oppreſſos prædicarent ad eandem communionem aſtringi, cùm generalitas nulli de obligatione videatur quicquam remittere: imò fortaſsè nemini ſoli, aut cum pluribus licitum aſſererent communicare, niſi omnes ad vnum Chriſtiani de eadem Eccleſia ſimul communicarent: quoniam qui dixiſſet, Hoc facite omnes, neminem excipiat, aut excludi permittat. Ita olim magni viri in Eccleſia ex tali generalitatis phraſi hallucinati ſunt, vt etiam infantibus iudicarent vtramque ſpeciem, aut ſaltem aliquam eſſe neceſſariam, quoniam voce Chriſti proferretur ſine exceptione: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. At Eccleſia non ſola verba Chriſti, ſed mentem circumſpexit potius, alióſque ſcripturæ locos contulit, & ex cauſis dicendi, ac vera verborum Domini intelligentia, à generalitate modum & æquitatem atque exceptionem admitti recognouit. Ita etiam olim, dum Cœnæ Dominicæ qualcunq; circumſtantias & ſyllabas quidam numerabant potius quàm expēderent, variis modis Cœnam Domini corruperunt, & noſtra ætate corrumpunt. Lutherus ne quidem à miniſtro vult accipi Euchariſtiam, niſi ab alio ipſi detur: & ita fieri per Cœnationes Germanorum ſolet: quoniam dictum ſit à Chriſto, Accipite, quaſi ab alio: nec attendit ipſummet Chriſtum ſummum ſacerdotem, & cuius vices in Cœna obit miniſter, priorem deguſtaſſe Cœnam ſuam, non ab alio ſibi oblatam, ſicut aſſentiuntur omnes antiqui ſcriptores Chriſtiani. Rurſum, quoniam Lucas ſcripſit, diuidite inter vos, olim Paulus Samoſatenus laniari Chriſti carnem putabat: & Cingliani doliolū, aut ligneum vas vini in ſuis Cœnis circumferunt, & ex eo deguſtant omnes. Propterea Caluinus, quamuis dicatur à Chriſto præceptionis formula, Accipite, diuidite inter vos, habet tamen multa pro adiaphoris & indifferentibus: in quibus numerat, ſeipſum communicare, aut ab alio cœnam capere. Bibite, & Hoc facite, ait eſſe præcepti, & Accipite, libertatis. Ioannes à Laſco & Anabapriſtę, non niſi à cœtu aſſidente menſæ Cœnam permittebant celebrari, quoniam æmularentur Chriſti factum potius quàm mentem & rationem. Erant olim, qui ex eadem cacozelia Cœnę Dominicę, nolebant niſi pranſi & benè cœnati ad ipſam accedere. Quapropter Aduerſarij de verbis Chriſti præceptum de vtraque ſpecie nequeunt introducere, quin in multas repugnantias & abſurditates ſe præcipites tuant. Ideò inter eos circumſpectiores tandem dederunt manus, & ingenuè faſſi ſunt, aut omninò per Bibite, aut Hoc facite, communionem vtriuſque ſpeciei non iniungi,

Vt non ſingulis vtraque ſpecies præcipiatur à Chriſto.

Ioann. 6.

Caluin. lib. 4. Inſtit. cap. 17. num. 43.

Auguſt. epiſt. 118.

Pp

aut ſaltē nō adeò diſtrictè, quin multas exceptiones patiatur, ſicut capite vltimo huius libri proferetur. Initio Huſſitæ gloriabātur à ſe inuentū præceptum de communione vtriuſque ſpeciei, ex Ioannis textu, Niſi mādu caueritis carnē filij hominis, aut biberitis eius ſanguinē, non habebitis vitam in vobis: nihilominus aut planè alienū eſſe à ſacramento Cœnæ, aut ſaltē nihil de ſpeciebus meminiſſe iam omnes conſentiunt: ſed de rebus, quæ tantundē ſub vna ſpecie delibantur, quātum ſub vtraque & alibi de iſto capite Ioānis longam habemus diſputationem, quæ huic loco cōgruit. Itaq; vt in compendiū redigamus diſputata, Chriſtus ſuis verbis vtramque ſpeciem inſtituiſſe credimus, vſumq; de ſe licitū propoſuiſſe cuilibet Chriſtiano fatemur: ſed pręcepiſſe, aut iniunxiſſe vllo Cœnæ expreſſo mandato, aut vlla generalitate negamus: & ſi feciſſet, non tamen generalitatis expreſſio tātùm valeret, vt de aliarum ſcripturarum factis aut exemplis, aut ex aliis rationibus Chriſti intentioni conſentaneis excipiendi poteſtatem Eccleſię adimeret, & ex æquo & bono ius à Chriſto pronūtiatum interpretandi. ſed de hoc poſteriùs. Porrò tria ad indagandam Chriſti mentem in verbis ſuis magnum adiumentum afferunt: Figurę huius ſacramenti: & ab eodem Chriſto communionis ſub vna ſpecie exempla edita: necnon Auguſtini regula, qua expendit, ſi quid à Chriſto in Cœna imperatum fuerit. Vt enim, inquit, ſi Chriſtus monuiſſet ſacramentum non niſi poſt alios cibos capi, credo quòd eū morem nemo variaſſet: ita dicendum eſt, quòd ſi Chriſtus iuſſiſſet communionem vtriuſque ſpeciei ſumi, nos credere quòd nemo eum morem variaſſet. Cum Agno Paſchali, libamina vini ſolebant apponi, quemadmodum ex Luca perſpicitur: non omnes tamen cogebantur de calice epotare, ſicuti de agno comedere: alioqui nec Rechabitæ à vino abhorrentes, nec abſtemij natura, nec Nazaręi vnquam legitimum Paſcha peregiſſent: nec de potione vini in illa celebritate neceſſitas cuiquam imponebatur, tametſi proponeretur & exhiberetur cum iſta exhortatione, Bibite ex eo omnes, quemadmodum ex eodem Luca cernitur. Manna etiam ceſſit in eſum populo, antequàm eliceretur aqua de petra. ſed de iſtis poſteriùs. Lucas reſurrectionis die Chriſtum viſum duobus diſcipulis euntibus in Emaus recitat, & ait, Coëgerunt illum dicētes, Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis, ac factum eſt, cùm recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit: & porrigebat eis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerūt eum, & ipſe euanuit ab oculis eorum, & redeuntes ipſi narrauerunt, quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Negant Aduerſarij ſatis liquêre per fractionem panis ſacroſanctę Euchariſtię cōmunionem intelligi. Deinde vt probetur, tacitā tamen ſubeſſe ſynecdochen fingunt, qua tanquam à parte totum, & fracti panis appellatione ſpecies vtraq; cōprehendatur. At quatuor nobiſcū faciunt, vt fractionē illam de ipſa Euchariſtia interpretemur. Conſenſus totius antiquitatis, aut ſaltem talium ſcriptorum, quibus iuſtè credatur eam communem & frequentiorem fuiſſe inter Chriſtianos intelligētiam. Hieronymus, Hyſichius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Strabus & Beda, atque alij in eam ſententiam confluunt. Inſuper multa ſunt in textu, quæ nos eò impellunt: Benedictio ipſa: Fractio panis illi adiūcta: & effectus duplex apertionis oculorum, & agnitionis Chriſti prius ignoti, cùm loqueretur in via. Vix reperias Chriſtum in toto Euangelio aliquid attigiſſe, ac benedixiſſe, potiſſimum verò panem, niſi quando peculiarem mutationem circa eum operatus eſt. Occurrit in hiſtoriis, quando bis panes multiplicauit & piſces, & quando corpus ſuum ex pane confecit. Legitur quidem ſæpè aliis conuiuiis interfuiſſe: ſed nuſquam dicitur accepiſſe panem, benedixiſſe, ac fregiſſe, ſuáque manu dediſſe, ne quidem quando familiariùs cibum cepit inter domeſticos, etiamſi nonnunquam

Rationes quæ commonſtrant non fuiſſe præceptum à Chriſto vſum vtriuſque ſpeciei ſingulis Chriſtianis.

Auguſt. epiſt. 118.

Luc. 22.

Luc. 24.

Chriſtus duos diſcipulos ſub vna ſpecie cōmunicauit.

in ipsis res stupendas perfecerit, vt ex aqua vinum optimum. Deinde benedictioni adiuncta fractio imprimis excludit Aduersariorum vanas & ridiculas expositiones, quæ nec inter se possunt conuenire. Melantho fracti panis nomine, cõuiuium significari ait, Cassander tenuem victum, Martinus Cemnicius vulgarem concœnationem, seu refectionem: Beza modum, quo Christus consueuerat panem frangere & rumpere inter discipulos, quasi singularẽ aliquem habuerit, quo vteretur nemo. Sed ne quidẽ figmenti huius auctor est Beza. Nam Guillelmus Vvedefordus, qui aduersus Ioannem Vviclef scripsit, cùm nollet cum antiquis Patribus ad conficiendam Eucharistiã ritũ Christi in Euangelista agnoscere, coactus est ægri somniũ proferre. Verùm doceant ex scriptura in aliquo horũ significatuũ Christũ aliquãdo accepisse panem, benedixisse, ac fregisse, suáque manu distribuisse, quemadmodum nos probamus eũdem sic operatum, quoties immutauit panem, & quoties Eucharistiã sacrauit. Recitent, inquam, vel conuiuium, vel tenuem victum, vel refectionem, vel aliquam Cœnam aut prãdium, vbi Christus singulari modo panem cõmunem fregisse legatur, aut benedixisse, exceptis miraculis multiplicationis panum, & consecratione Eucharistiæ, quorum iam rationem reddidimus. Præterea Lucas in ludo & schola D. Pauli edoctus fuit: ideò Eucharistiã pari cum illo stilo describit, & appellat. Atqui Paulus ipsam vocat panis fractionẽ, & benedictionẽ, siue panẽ quẽ frangimus, & calicem quem benedicimus: & in eius institutione à Christo panem acceptũ narrat, benedictũ & fractũ: ita vt ea phrasi, quam à magistro didicerat, hîc à Luca constitui atque appellari ipsam Eucharistiam facilè possis agnoscere. Deinde sicut Augustinus tradit, per scripturas multò tutius ambulatur, quas verbis trãslatis occupatas cùm scrutari volumus, aut hoc indè exeat, quod non habeat controuersiã, aut si habet, ex eadẽ scriptura, vbicunque inuẽtis atque adhibitis eius testibus terminetur. Nos autem suprà ostendimus scripturã testari, quòd Dominus saluator sumptũ panẽ benedixerit, & fregerit, aliísque porrexerit, quoties panẽ peculiariter mutauit, & nusquàm alibi. Tutior ergo est sensus, quẽ damus verbis Lucæ, scripturis aliis munitus, quàm sensus aliorũ, qui de cõmunis panis fractione Lucã exponũt. Postremò Euangelista panẽ illũ supersubstantialẽ, ac minimè naturalẽ extitisse declarat (quod Augustinus atque alij annotant) ex eo, quòd remouerit effascinamentum, quo obstruebantur discipulorum oculi, ne Christum animaduetterẽt: & ex eo, quòd repẽtina perspicacitate eorum animos illustrauit ad illum internoscendum: qui duplex effectus aduersatur ei, quem interdictus cibus primis parẽtibus inflixit. Nam sicut Christi panis, ita esca serpentis oculos aperuit, sed hæc ad mortẽ contuendã & perferendã, vt ille Christi panis ad vitę restitutionẽ perspiciendã & obtinendam. At tãtùm narratur historia (inquit Cemnicius) de apertis discipulorũ oculis, neque esui miraculũ hoc imputatur. Imò verò scribitur expressè cognouisse Christũ in fractione panis, quod Hebraïca phrasi causã innuit, tanquã per fractionẽ diceretur. Cauillãtur Brentius & Cemnicius Christũ nõ solenni illa cœnæ Dominicæ benedictione in hac fractione vsum, quoniam non ascribatur benedictionis illius formula, *Hoc est corpus meum.* Quid tũ, si tanquã Christianis nota prætermittitur, vt propter illã notitiam à se omitti Paulus fatetur, eúmque Lucas sequitur, vt prudentibus (ille inquit) vobis loquor. Panis quem frangimus, nónne cõmunicatio corporis Christi est? Calix quem benedicimus, nónne participatio sanguinis Christi est? Hic ait panẽ frangi, & calicẽ benedici, nec qua formula exprimit, quia Christianis esset perspecta. Postremò videtur Christus indicasse modũ, quo nobiscum corporaliter permansurus esset, vti rogabatur à duobus illis discipulis manere, nẽpè in sacrosancta Eucharistia, inuisibilis tamen & inconspicuus, ob ídque statim ab illa fractione disparuisse

Philip. Melantho.
Cassander. lib. de vtraque. specie.
Cemnic. in Synod. Trident.
Beza in Anno. in Nouum testam. ad ca. 24. Luc.
Citatur à Cassandro, & à Ioanne Hessel.
August. lib. 3. de doctr. Christia. cap. 28.

narratur, quamuis adhuc præsens adesset. quod Augustinus Sermone de hac historia habito, etiamsi subobscurè, satis innuit. Ex huius etiam historiæ imitatione fortassè fluxit, vt aduenientes peregrini non priùs exciperentur hospitio à primis illis Christianis, quàm Eucharistiam, fraternitatis tesseram acciperent: sed de hoc posteriùs sermo habebitur. Expugnati plerique Aduersarij textus perspicuitate,& incertitudine commentitiarum opinionum,admittunt de ipsa Eucharistia Lucam intelligi: sed nugantur de synecdoche, tanquam à parte vtraque species commonstretur,quam Christus his duobus discipulis porrexerit,licet vnica tantùm nominetur. Faciunt Aduersarij suo more, quando non habent quo se ex claris & certis scripturis expediant, ad figuras confugiunt. Verùm proferant scripturam,aut Patres,qui meminerint huius synecdoche:& si se opinantur rectè ratiocinari ex posita in scripturis & Patribus vtraque specie ad vtramque constituēdam, pari ratione ex vnica nominata ex scriptura & Patribus ad vnius sufficientiam confirmandam nitimur:si cōminiscuntur hîc aliquam figuram,& nos illic aliam possemus excogitare, & clauum clauo trudere. Quominus verò demus locum synecdoche, ex ipso textu persuademur. Scribitur enim pane discipulis porrecto apertos eorum oculos fuisse, ac statim euanuisse Christum, & redditum inconspicuum, ita vt nulla mora intercesserit,in qua calicem ipsis propinaret. Ergo,inquiunt,solam panis speciem consecrauit,cùm tamen nefas iudicetur vnam sine alia sanctificare. Quatenus quidem aliis liceat, differetur alibi. Christo authori nihil debemus præscribere, nec alligatur factis suis,& sacramētorum legibus:ac fortassè vtramque speciem sacrauit, & sumpsit,antequàm vnicam exhiberet. Quid autem verū sit,non audemus asserere, cùm scriptura reticeat,contenta enarrare speciem panis benedictam fuisse ab ipso quam discipulis porrexerit. Adhæc scriptura figuras non recipit, nisi naturalis litera sensum gignat sanæ fidei,aut bonis moribus malè consentaneum. At erogare communionem sub vnica specie, nec institutioni Cœnæ, nec moribus Apostolorum, & primæ Ecclesiæ repugnat: quid igitur figuris opus est ad scripturam emoliendam? Quoties autem quod enarrat scriptura,repugnat fidei,aut bonis moribus,aut Apostolicæ traditioni,tum locum damus synecdoche,aut aliis figuris,sicut Augustinus synecdochen agnoscendam suadet in baptismo Eunuchi per Philippum,qui tātùm rogarit,an crederet Christum esse filium Dei,cùm nō sit dubitandum, quin de aliis articulis symboli pro more Apostolico baptisandi interrogarit. Sed ne traditioni quidem Apostolicæ communionē vnius speciei aduersari probabit sequens caput. In fine huius audiamus scriptores Christianos,qui sententiam Ecclesiæ de communione à Christo distributa duobus illis discipulis euntibus in Emaus explicant,quibus suis in Commentariis addes Euthymium,& Strabum,& Bedam.

August. de fide et operi. ca. 9.

Hieron. epist. de peregrinatione Paulæ.

HIERONYMVS. Paula venit Nicopolim,vbi Christus Cleopæ domum dedicauit in Ecclesiam. Cur ita singulariter loqueretur Hieronymus de Cleopæ domo præ aliis,ad quas sæpè diuertit Christus, nisi propter consecrationem corporis sui, quam in ista perfecit,& non in aliis.

Hysich. lib. 2. cap. 9.

HYSICHIVS. Inuenimus autem & Christum similiter post resurrectionem à mortuis per mysticæ Cœnæ & panis fractionem manifestatum: quod apertè quidē Lucas,planius tamen etiam Ioannes Euangelista tradit.

August. lib. 3. de consens. Euāge. cap. 15. & epist. 59. & Beda in 24. Luc. Tract. 2 in Canon. Ioann.

AVGVSTINVS. Non incongruenter accepimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo facta est permissio vsque ad sacramētum panis,vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici,vt Christus possit agnosci.

Idem. Discipuli eum non cognouerunt nisi in fractione panis. Et verè qui non sibi

„biiudicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit. Hîc Martinus Cemnicius admonet notari ab Augustino synecdochen in illa historia Christi, quoniam subiungit, Qui non sibi iudicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit: quasi fractionis nomine cibum & potum comprehendat. Augustinus sanè verba Pauli citat integra, quę de cibo & potu meminerunt, quorũ effectus par est effectui fractionis panis, qui duobus discipulis contigit: quod tantùm innuit, nec disquirit quid fractio panis complectatur, sed tantùm quid prosit.

Audiui pios viros, qui obiicerent à Christo non oblatũ fuisse tantùm sacramentũ duobus illis, cùm maxima infidelitate laborarent: sed huic obiectioni Augustinus „ita occurrit: Perdiderant fidem, perdiderant spem, ambulabant mortui cum viuen- *Serm.140.* „te, ambulabant cum ipsa vita. Cum illis ambulabat vita, sed in eorum cordibus non- „dum erat vita. Tu verò, si vis habere vitam, fac quod fecerunt, vt agnoscas Dominũ. „Hospitio susceperunt. Tene hospitem, si vis agnoscere Saluatorem. Dominus ergo „pręsentauit seipsum in fractione panis. Discite vbi Dominum quęratis, discite vbi „habeatis, discite vbi agnoscatis, quando manducatis. Norunt fideles aliquid, quod „melius intelligunt in ista lectione, quàm illi nouerunt, &c.

AVGVSTINVS ex effectis sacramentum corporis Dominici fuisse probat: Chrysostomus verò idem confirmat ex actionibus Christi, nempè ex singulari be- *Chrysost. hom.* „nedictione & porrectione. Verba sunt: Quod sacerdos de manu sua dat, non solùm *17. Operis im-* „sanctificatum est, sed etiam ipsa sanctificatio: quoniam hoc non solùm datur quod *perfect. in* „videtur, sed etiam illud quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet & anima- *Matth.* libus iactare, & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via, non solùm benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleopæ & socio eius. Et Paulus nauigans non solùm benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ, & cęteris discipulis suis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus prrigendum: quia non solùm sanctificatum, sed ipsa est sanctificatio, & accipientem sanctificat. Chrysostomus & Eucharistiã fuisse contendit, & synecdochẽ excludit, quando panem datum confert cùm eo, quod canibus iactatur, quibus vinum nemo dixerit iactari, sed aridum panem.

„ THEOPHYLACTVS. Insinuatur autem & aliud quiddam, nempè quòd oculi *Theophyl. in* „eorum, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, vt agnoscant illum. Magnam *cap. 24. Luc. et* „enim & indicibilem vim habet caro Domini. *Euthym. ibid.*

DE MORE APOSTOLICAE AC SEQVENTIS Ecclesię in communione vnius aut duplicis speciei.

CAP. 2.

ECKIVS à Cemnicio atque aliis Germanis duriùs traducitur, quasi imperitè atque impiè scripserit, Ecclesiam ex traditione Apostolorum accepisse communionem sub vnica specie licitam & vsitatã. Hermannus Hammelmannus, in Saxonia Leingouiensis minister, *Hammelmãnus lib. De tradit.* fatetur quidem Tertullianum, atque alios primos Patres habuisse ex traditione, vt priuatim in domibus olim ederẽt Eucharistiã: sed hoc *Cõmunio sub* putat inualuisse cõtra Apostolorũ doctrinam, quę in Epistola ad Corinthios de du- *vtraque, vel* plici specie, & publica in Ecclesia Cœna extat: & ob id talẽ traditionẽ repudiat. Nos *sub vna specie,* autẽ cũ piis & doctis hominibus ex Apostolorũ, eorũmq; successorũ actis & scriptis *fuit indifferẽs tempore Apostolorum.*

credimus fuisse in vsu etiã publicam sub vtraq; specie in celebri totius Ecclesiæ cœtu & theatro fuisse communionem: nihilominus iustis ex causis semper licuisse per eadem principia, & fundaméta separatim, & sub vna specie etiã in publica Ecclesię celebritate Eucharistiã capere. Neq; huic nostræ assertioni officit doctrina Apostoli, cũ enarret quid legitimè fieret apud Corinthios, nec inter abusus, quos dãnat, enumerat domesticam & sub vna specie communionem. Iure quidem accusat ebrietates & populares cõmessationes, quæ exercebantur in Ecclesia, tanquam magis decerent domos priuatas: sed contrà non improbat, si qua bona ex causa domi inter priuatos parietes dignè & sub vna specie sumeretur Eucharistia. Quomodo enim improbaret, quod post Christum ipsemet, alij Apostoli, atque Christiani factitarent, quandiu per inimicos nominis Christiani non erat tutum & liberum publicè in sacratum ideo templum ad peragenda Christi mysteria cõuenire? Actorum secundo legitur: Qui ergo receperunt sermonem Petri, baptisati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria milia. Erãt autem communicantes in doctrina & communicatione fractionis panis, & orationibus. De Paulo verò eadem Acta cap. 20. sic loquuntur: Vnà autem sabbathi cùm conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxítque sermonem vsque in mediam noctem, &c. Ascendens autem, frangénsque panem, & gustás, satísque allocutus vsque in lucem, sic profectus est. Actor. 27. de eodem Paulo scribitur: Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens, Quartadecima die hodiè expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibũ pro salute vestra: nullius vestrum capillus de capite peribit. Et cùm hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, & cùm fregisset, cœpit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum. His tribus locis vniuerso quodam compendio continentur, quæ fusius de primorum Christianorum sacris cœtibus à Iustino, Tertulliano, atque aliis commemorantur. Præter allata superiori capite de fractione panis, textus Actorum secundo planum facit, non de communi cibo intelligi oportere. Subiũgit enim in fine: Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibũ cum exaltatione & simplicitate cordis: vbi distinguit fractionem panis à cõmuni cibo, qui tamen eadem in congregatione edebatur. Nam ex Epistola ad Corinthios, & ex Tertulliano atque aliis constat, quoties ad sacra sua perficienda aggregabantur Christiani, solitos præter Cœnam Dominicam, commune conuiuium apparare & instruere, quod etiam Cœna Dominica à Paulo vocatur: sed propter promiscuum vsum fracti panis, & illius comunis cibi, hic posterior Agapes seu charitatis nomen accepit, quo Iudas etiam in sua Canonica ipsum nuncupauit, & vera Cœna Dominica fractionis, seu benedictionis, seu gratiarum actionis vocabulum retinuit. Propterea ex eo more primi Christiani, metu persecutionis suis quique in ædibus conclusi, ante omnem vulgarem cibum panem illum fractionis seu benedictionis degustabant, vt quod in publicis conuentionibus fiebat, etiam domi obseruarẽt. Hoc est quod in tribus locis Actorum productis difficultatem parit, quia in ipsis semper fractioni panis cibus ille communis subnectitur, nec animaduertitur differentia inter vtrumque cibum, & ordo percipiendi vtrumque, sed ex significatu posterioris priori fraudẽ faciunt: nec mirũ, cùm ex posterioris vsu Apostolus redarguat prioris abusum, quem committebant Corinthij: quia indifferenter vtroque vescebantur, non diiudicantes priorem esse corpus Domini. Beza non it inficias, quin Cœna Domini celebraretur ante commune istud epulum: recusat tamen de illa fractionem panis interpretari, ne vllo pacto communioni sub vna specie suffragari videatur. Sed

[Margin notes: ... [illegible] ex ... [illegible] apparet ... [illegible] cõ- ... [illegible] casse sub ... [illegible] specie. — Iust. Apolog. ad [illegible] ... [illegible] Apolog. — Tertullian. ad [illegible]. — Beza in Annotat. ad Acta Apostol.]

si semper Cœna illa Domini antecedebat, quæ familiari Paulo & Lucæ genere dicendi fractio panis dicitur, cùm ita textus hîc loquatur, quid obest quominus ipsum de illa interpretemur? Præterea nos ad eam expositionem inuitant & impellunt adiunctæ omnes circunstantiæ, quibus antiqua Cœna Christianorum omnibus ferè suis coloribus depingitur. Quotidie quidem si vacabat, aut licebat, conueniebant ad illam fractionem Christiani, sed maximè vna Sabbathorum, id est, die solis, siue Dominico, solenniorem agebant conuentum, idque noctu, cùm premeret persecutio, & secretius diuersorium deligebant, quod populorum non patêret iniuriæ: furori, & aspectui, quemadmodum ex Tertulliano, Iustino, Plinio iuniore, & Minutio, atque aliis constat. Legebantur multa pro concione, ex Apostolis: eleemosynæ conferebantur, quarum oblationum contributio offertorium postea nuncupari cœpit: solemni gratiarum actione panis ipse sacrabatur: interponebantur multæ preces & orationes: postremò quisque quasi pro munimento & tutela sua de sacrato pane & distributo percipiebat, ac domum confirmatus redibat. Vnde quæso tales ritus didicerant Christiani, nisi ex productis Actorum scripturis, quæ tales ad viuum exprimunt & referunt? Primùm non publicè in templo, sed per varias ædes priuatas sua sacra obiisse narrantur Christiani. Cur enim orationis causa adiisse vulgò templum dicerentur, sed domos priuatas ad frangendum panem frequentasse, nisi fractio illa ad sacrum ministerium pertineret, quod tamen non audebant publicè in templo exercêre? Quòd si fractio illa de vulgari cibo intelligeretur, quid magni recitaret Lucas, eo solitos vesci Christianos Domi? Acta annotant Die Dominico, siue vna Sabbathorum, Apostolum Paulum cœnaculum magnum quæsiuisse, eóque noctu vocasse multitudinē Christianorū ad frangēdum panem. Si ad communes epulas, cur dies Dominicus sacris faciendis destinatus deligitur? cur differtur vespertina cœnatio vsque ad primam lucem? cur sermones famelico ventri, & cœnam moráti ad mediā noctem, imò ad primam lucem protrahuntur? Quin potius cętuum Christianorum ceremonias hîc obseruamus, qui die Dominico honestiori in loco, sed secretiori fiebant: noctémque totam transigebant audiendis sacris literis, & canendis hymnis, ac precibus fundendis, & sub ipsum diei crepusculum Cœnam Dominicam celebrabant ante omnem cibum communem, qui postea sequebatur, tanquam mensa fraternitatis & amicitiæ esset tessera. Aduertamus quoque literam Actorum secundo aliter Græcè habere, quàm Latinè ferat. Sic enim Græcè est, ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς: id est, Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, in communicatione & fractione panis ac precibus: Proculdubiò præcipuas actiones congregationis Christianæ perstringit. Non satis liquet, quid κοινωνίας dictione significet: vel participationem vel communionem ipsam quæ per panis fractionem fit de corpore Christi, vel nō male quadrabit, si pro oblatione & communicatione facultatum, quam de suis rebus ad præsidētium & inopum conferebant alimoniam in suis cœtibus Christiani: vt hîc enumeret audientiā verbi Domini, oblationes & collectas, Cœnæ Dominicæ celebrationē, & precationes quæ ad eius consecrationē, gratiarum actionē, & omniū hominū commendationem fiebant, sicut Iustinus, Tertullianus, & Augustinus admonent. Nam orationum genus, & vocabulum, quod est προσευχή, hoc in textu ponitur, quod solenne & assuetum memorat Augustinus fuisse Christianorum antistiti, dum ipsam Eucharistiam conficeret & offerret. Certè hoc loco fractio panis, sicuti & oratio, & doctrinæ Apostolicæ auditio, & eleemosyna, ad cultum diuinum & Christianorum sacra pertinet, ita vt ad profanum cibum aptè transferri nequeat. Attamen verum est primos illos Christianos à sacris ad mensam illam communem consueuisse corro-

Act. 20.

Vide lib. 1. de sacrific. cap. de vsu Apostol.

borrandæ fraternitatis gratia digredi: quod vltima clausula huius secundi capitis innuit. Quomodo verò illa fractio panis consecraretur, & in quem finem perciperetur Paulus Actorum capite vigesimo septimo tradit, & eo ritu atque fine olim in suis quoque congressibus Christianos sacrasse Eucharistiam Iustinus memoriæ mandauit. Dicitur igitur prima luce, quam Christiani destinabant faciendæ Eucharistiæ, Apostolus inuitasse homines in eadem secum naui vectos, ad capiendū cibum pro salute sua. In textu Græco est: Hoc enim ad salutem vestram spectat. Nullius enim vestrum capillus ex capite vestro cadet. Apostolus verba faciebat infidelibus, & ad cibum communem videbatur exhortari ieiūnos: nihilominus quia Christianus, & in discrimine maris cum sociis versabatur, interponit sermonem de alio cibo, quo ipse vsurus esset ad impetrandam omnium salutem, ita vt ne capillus quidem vllius periret: quæ certè virtus cibo vulgari non potest tribui, aut competere, & est finis & tutela, quæ expectatur de ipsa Eucharistia, cuius causa eam secum deferebant Christiani, quando se mari committebant, eáque se ex Pauli doctrina & exemplo, si periclitabantur, muniebant, quemadmodum testatur de Ambrosij fratre historia. Ita exorsus Paulus accepit panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: quæ consecrandi Eucharistiam formula per publicam gratiarum actionem mansit ex hoc textu penes primos Christianos, teste Iustino, & adhuc in Ecclesia Catholica durat. Peracta gratiarum actione Paulus fregit panem, & cœpit edere, primùm quidem de cibo sacrato, & deinde de profano, sed non priùs quàm ipse esset pro omnibus benè precatus, & cibum, qui valebat ad salutem omnium obtinēdam, ante omnem profanum cibum prælibasset. Hos textus ita intelligi oportere cogunt rationes ex litera ductæ: cogit vsus veterum Christianorum in conficienda Eucharistia ex his locis affabrè efformatus & compositus, qui certè instar omnium testium & authoritatum esse debet. sed nec Chrysostomus nec Augustinus abstinent à tali interpretatione. Nec obest si quicquam alij de tenui victu & frugi, aut de quouis vulgari cibo afferunt, cùm textus vtrumque coniungat, & sacra fractio panis de sobrio atque humili genere vitæ Christianos commonefaceret. Itaque ex allatis scripturis quid ferret vsus & origo traditionis Apostolicæ de vnica specie panis, iam patêre arbitror. Quòd si Aduersarij per synecdochen etiam in Actis Apostolicis appellatione vnius speciei vtramque voluerint complecti, quicquid præcedenti capite contra eam disseruimus, hîc repetatur: & insuper obseruetur subesse maximā causam, cur Apostoli in Actis suis dicantur non exhibuisse sub vtraque specie communionem, tametsi Paulus Corinthiis non dubitarit eandem præbêre. Ratio diuersitatis est, quòd Apostoli ceremonias legis & præcepta non statim sustulerunt, sed quātum licuit, ritibus Iudæorum iura Christianorum accommodarunt, & ad eorum normam attemperarunt. Id apparet in circumcisione Timothei, in delectu ciborum, in suffocato & sanguine, in rasura capillorum. At populus Iudæorum abstinebat à libamentis sacrificiorum: & in Deuteronomio, ipsi vertitur vitio & probro, quòd biberit vinum libaminum more Gentilium. Contrà verò Gentiles perinde vino sacrificiorum fruebantur atque carne: quod Paulus ipse ostendit, quando inquit, Non potestis bibere calicem Domini, & calicem Dæmoniorum, nec potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum. In re ergo libera & indifferenti, de vna aut de vtraq; specie id secuti sunt Apostoli, quod moribus vtentium & religioni conueniebat, vt Iudæis vnam de sacrificio speciem concederent, & Gentilibus vtramque, quoniam inquam ita receptum erat apud vtrosque de publico sacrificio participare. Post apertam originem traditionis Apostolicæ de licita & apud antiquos assueta vnica specie, confirmemus eandem emanasse ab Apostolis, per Augustini regulam, qua detegit

Ambros. de obitu Satyri fratris.

Chrys. hom. 17. oper. imperfecti Augusti. epist. 86.

Quare Apostoli non communicabāt Iudæos sub vtraque specie, & Paulus Corinthios Gentiles communicarit.

Deuter. 32.

1. ad Corin. 10.

git ab ipsis effluxisse aliquid. Nam si nihil de illa vlli homines aut Concilia introduxerunt, aut statuerunt, quin reperiatur prius iam in vsu & authoritate fuisse, donec ad ipsos Apostolos, & ad ipsis finitima secula progrediamur, censeri debent Apostoli vnicam illam speciem tradidisse. Atqui quàm longè ab Apostolis memoria repetere possumus, nihil de vnica specie inueniemus nouatum, quod factum non fuerit prius, etiam Apostolorum ætate aut proximo tempore. Ex illa sub Apostolis consuetudine conueniendi per domos quotidie, & frangendi panem, atque communicandi extra templum, cùm persecutiones impedirent quotidianas in vnis ædibus cõuocationes Christianorum, prouisum fuit, vt de cœtu publico, quoties haberi poterat, quisque Eucharistiam domum asportaret, & quotidie ante omnem cibum priuatum cõmunicaret, atque ad omnes repentinos casus haberet sacrum illũ panem quasi necessarium viaticum, sine quo piaculum putabant de vita decedere, quemadmodũ de illo Nicena prima Synodus loquitur. Eum morem Tertullianus commendat his verbis: Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus. Planiùs libro De oratione ita loquitur: Similiter de stationum diebus nõ putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd statio soluẽda sit accepto corpore Domini. Nónne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. De domestica & priuata communione id ad vxorem ait: Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes: & si sciuerit, panem non illum credit esse qui dicitur. Cyprianus eundem morem agnoscit: Cum quædam (inquit) arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne indè surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus de sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit: documento vnius ostensum est Dominum recedere, cùm negatur. Extat Græcè Epistola Basilij ad Cæsariam Patritiam, quæ rem ipsam copiosè explicat, & ea sic habet: Illud autẽ in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote aut ministro, id est, diacono, communionẽ propria manu sumere, nequaquàm esse graue superuacaneum est demõstrate, propterea quòd longa consuetudine hoc ipso rerũ vsu confirmatũ est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, vbi non est sacerdos, communionem domi seruãtes, à seipsis communicant. In Alexandria verò & in Ægypto vnusquisque eorum, qui sunt de populo, vt plurimùm habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificium sacerdote consecrante & distribuente, meritò participare & suscipere credere oportet. Etenim in Ecclesia sacerdos dat partem, & accipit eam is qui suscipit cum omni libertate, & ipsam admouet ori propria manu. Idẽ igitur est virtute, siue vnam partem accipiat quisquam à sacerdote, siue plures partes simul. Licentia ista euasit tandem in abusum. Nam alij post rem vxoriam irreligiosum dicebãt adire Ecclesiam, nec interea putabant sibi illicitũ corpus Domini impurè, ac sine probatione, domi abligurire: quos redarguit Hieronymus, & concludit, Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud Deum. Alij ad maleficia Eucharistiam reseruabant. Propterea Concilia Cæsaraugustanum & Toletanum primum anathema interminantur ei qui Eucharistiam susceptam non consumpserit in ipsa Ecclesia. Hìc Aduersarij contẽdunt Christianos priùs in Ecclesia sub vtraque specie communicasse, quàm de reliquiis sacrificij exportarent domũ. Negant etiam vnicã panis speciem solùm expor-

Probatur vsus vnius speciei in Ecclesia primitiua post Apostolos.

Tertull. de Corona militis.

Lib. 2 ad vxorem.

Ser. 5. de lapsis.

In Apologia ad Pamachiũ. pro libris contra Iouinia.

Hiero. ad Rustic. monachũ.

Cyprian. lib. 1. epist. 2. & 3.

tatam fuisse, sed vtramque: quoniam Eucharistia, teste Irenæo, vtramque comprehendat, & quoniam nonnulla exempla delatæ extra Ecclesiam Eucharistiæ fidem faciãt de vtraque, in quibus est de Exuperio Tholosano Episcopo, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem verò portabat in vitro. Quinetiam Cyprianum citant exhortantem, vt tempore persecutionis species sanguinis ad inflammandos animos præberetur Christianis. Ad ea respõdemus, parum referre, quo quisque modo Eucharistiã in Ecclesia reciperet: sufficit esse in confesso, extra ipsam Domi plerosque sub vna specie communicasse. Parum refert etiam, si admittimus nonnullos vtramque speciẽ asseruasse, aut quia ex sacerdotio id illis incumbebat, quemadmodũ Exuperio Tholosæ Episcopo, qui fortassè publicũ viaticũ ad populorũ necessitatem circumferebat, quia Ecclesiarũ cõmoditas deerat, in quarũ nonnullis scimus vtramque speciem asseruatam, quemadmodũ ex Gregorio Nanziázeno & Chrysostomo alibi recitámus: aut quia prter morẽ ita casus aliquis ferebat, aut etiam clàm vtramque speciem complectebantur alij, sicut Gregorius Nanzianzenus sororẽ ex pietate excusat, quæ noctu ad altare accesserit, vbi mysteria corporis & sanguinis Dominici iacebant, & ausa est oculis ad sanitatem recipiendam applicare.

Vnica species tantùm dabatur domum efferenda.

August. Serm. 252. de tẽpore.

Ambros. in orat. funeb. De excessu fratris.

Hoc in quæstione ponitur, An quod dabatur fidelibus, domum deferendũ de sacrificio & Eucharistia, esset vtraque species, an dũtaxat vnica? Posterius affirmamus. Nam imprimis tradebatur in manus fidelium: & intra manum, siue cum velamine & linteolo, vti meminit Augustinus, siue etiam sine vllo inuolucro exportabatur, vti constat ex Cypriano, de illo qui cinerem se ferre apertis manibus inuenit, vti etiam constat ex Satyro Ambrosij fratre, cui quod secum gestabant in naui Christiani de Eucharistia cõtulerunt, quod alligauit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. At si speciem sanguinis efferendam concessissent Ecclesiæ præsidentes aut Christiani, non eam præbuissent in volam manus, nec in linteo, nec in orario, sed in aliquo vasculo, nec vasculum eguisset ad speciei conseruationem orarij inuolucro. Neque etiam in huiusmodi historiis fit vlla mentio sanguinis, sed corpus toties & expressè designatur. Ac certè laborassent temulentiæ suspicione Christianæ mulieres, si seorsum à viris vinum epotare fuissent deprehensæ. Nec verisimile est tandiu vinum incorruptum esse potuisse, quandiu in solitudine, aut furente persecutione panis species poterat illæsa perdurare, vt omittam alia infinita incommoda, quibus vini species

Clem. Alexãd. lib. 1. Strom.

Basil. Epist. ad Patrit. Cæsar.

Lib. 1. Stromat.

Cyp. de lapsis. & epist. 2. & 3. lib. 1.

erat obnoxia. Quinetiam Clemens Alexandrinus & Basilius ex modo præbendi huiusmodi viaticum satis declarant, vnicam fuisse speciẽm panis. Sacerdos enim diuidebat vnam vel plures partes, ac sinebat cuique sumere & efferre, quod sanè nemo de calice intellexerit. Nec nos mouet Eucharistiæ nomen, quasi vtramque speciẽ requirat, cùm vna species nomen istud apud primos Christianos habeat. Eucharistiam (ait Clemens Alexãdrinus) cùm quidem vt mos est, diuiserint, permittũt vnicuique de populo eius partẽ sumere, & de Serapione historia Eucharistiam vocat speciem panis, cuius partem madefieri iussit presbyter: neque alio nomine altertra species apud Christianos scriptores vocatur, vt apparebit ex canonibus Carthaginensis & Toletanæ synodorum paulò pòst citandis, & ex ipso Cypriano. Quod autem vrgent ex Cypriano, dandum fuisse persecutionis tempore, pro nobis facit. Cur enim Cyprianus tantoperè flagitaret erogari calicem in persecutionis periculo, si promiscuè omnibus & necessariò proponebatur in Ecclesia? Scio Cyprianum causam lapsorũ pœnitentiũ agere, quibus omnis cõmunio interdicebatur, ac petere ipsis restitui imminente martyrio: sed cur poculum sanguinis præ panis edulio illis adpo-

adpostulet, ipsemet declarat. Tum quidem decreuerant Episcopi lapsis remittendam esse seueritatem disciplinæ in mortis articulo, & pacem ac sacramentorũ communionem reddendam. At illam communionem sub vitæ exitum, cùm de eorum valetudine desperaretur, tantum extitisse de panis specie, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium ex Serapionis historia, & diœcesana sua sanctione confirmat: quod etiam Nicena Synodus subindicat. Panis enim facet asseruabatur ad ægrotorum incertos casus & vsus, sed rarò admodum calix ipse. Propterea Cyprianus decretum illud Episcoporum petit à Cornelio Romano Pontifice latiùs prorogari & extendi, vt lapsis indulgearur communio instãte persecutione, etiam citra mortis articulum, & vt in ea communione ad incitamentum effundendi proprij sanguinis exhibeatur sanguinis poculum, quod vtique pœnitentibus non dabatur: quoniam non offerebatur illis communio, nisi in extremo vitæ spiritu, ex reseruata Eucharistia ad ægrotorum necessitatem repẽtinam. Ex Iustino colligitur, ad ægrotos, qui cœtui Christianorum interesse non poterant, per Diaconos fuisse de more Eucharistiam deferre: & ex Cypriano apparet, nihil adeò cauisse antistites Ecclesię, quàm ne quis morbo oppressus, etiamsi excisus esset ex societate Christiana, sine communione Eucharistiæ emigraret, ita vt Nicena prima synodus vocet eorũ necessariũ viaticum. Quòd autem tempore Cypriani vnica panis species ad lapsorum decedentium vsum asseruaretur, testificatur Serapionis historia. Quãuis enim in quibusdam Ecclesiis, & antea & postea vtraque species religiosè conderetur in ægrotorum & repentè aduenientiũ vsum, nihilominus plerumque separatim species illæ dabantur infirmis, & animã agentibus, quoniã morbo debilitati sæpè nõ poterãt siccã Eucharistiã deglutire, sed cogebantur respuere, ac solum sanguinem percolare, quemadmodum ex vndecimo canone Toletano patet. Quinetiam in pluribus Ecclesiis sola panis species in eũ finem reperietur custodita, & ad ægrotos delata est: sed quia morbi grauitate & virium imbecillitate erant sæpiùs impotentes res aridas absumere, aut transmittere, ne susceptæ Eucharistiæ fieret reiectio, à primis illis Episcopis cautum fuit, vt tincta priùs seu macerata & liquefacta Eucharistia panacea, ori ægrotorum infunderetur.

Euseb. lib. 6. cap. 36.

„ Ita factum in Serapionis historia sic scribit ad Fabium Dionysius. Rem gestam exẽ-
„ pli gratia, quæ apud nos euenit, tibi exponam. Erat quidam Serapion apud nos fide-
„ lis senex, qui licet magnam vitæ partem integrè & incorruptè transegisset, tempore
„ tamen persecutionis prę imbecillitate animi lapsus est. Hic sępenumerò in Ecclesia
„ denuò recipi supplex postulabat: sed nemo, quia idolis sacrificasset, eius postulationi
„ aliquando auscultauit. Quin in grauem morbum delabens, triduo deinceps mutus,
„ & absque sensu vixit. Quarto autem die paululum releuatus, nepotem ad se accersit,
„ sicque alloquitur: Quousque fili me detinetis: properate obsecro, & me ocyus di-
„ mittite. Aliquem ex presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixisset, iterùm fuit mu-
„ tus. Percurrit ad Presbyterum puer: nox iam erat. Ille fortè morbo vexatus, accedere
„ ad eum non poterat. Sed quoniam à me mandatum dabatur, vt qui iam essent vita
„ emigraturi, sanctorum mysteriorum (dummodò peterent, & vel maximè si antea,
„ dum integra valetudine erant, supplices petiuisset) participes fierent, sicque cum pa-
„ ce dimissi, & bona spe confirmati ex hac luce decederent: pueto exiguam quandam
„ Eucharistiæ partem dedit, præcipiens vt eam madefactam in os senis infunderet: quã
„ puer secum afferens rediit. Cui iam appropinquanti, priusquàm cum eo quod ge-
„ stabat, intraret ædes, Serapion denuò voce recuperata dixit, Venisti fili? Tametsi
„ presbyter non potest venire, tu tamen pręsta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte
„ me abire. Particulam igitur puer, quam apportarat, madefactam in os senis infudit:
„ Atque ille simul atque eam pedetentim per fauces dimiserat, illicò extremũ spiritum

Euseb. libro 6. cap. 36. De Serapionis historia.

edidit. Sequor versionẽ Ioannis Christophorsoni Angli, & non Musculi deprauationem, quæ eruditos viros in errorem induxit, quasi de vini specie communio ista deberet intelligi. Animaduertamus tamen statutum diœcesanum Dionysij cõsentaneum generali Episcoporum consulto de communicandis lapsis in extremo vitæ discrimine. Animaduertamus etiam Presbyteros, siue Curatos, solitos ægroris Eucharistiam portare. Quòd si quo iusto impedimento distinerentur, tradebant diaconis, aut etiam laicis, ac pueris & mulierculis, sicut se offerebat occasio, ad illos deferendam, potiusquam sinerent sine sacro viatico animam efflare: sed cùm hoc vergeret in contẽptum sacramenti, & presbyterorũ socordiam, meritò ita censuit Rhemensis Synodus: Peruenit ad notitiam nostram, quòd quidam Presbyteri in tantum parui pendebant diuina mysteria, vt laïco vel fœminæ sacrum Domini corpus tradant deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committantur. Quod quàm sit horribile, quámque detestabile, omnium religiosorum cogitet prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio vlterius fiat, sed omnimodò Presbyter per semetipsum infirmum communicet. Animaduertamus tertiò Cypriani tempore & Dionysij Alexandrini asseruatam fuisse vnicam speciem panis, de qua portiunculam ægroris præberent. Perspicitur sanè ex textu huius historiæ, siccam & solidam fuisse Eucharistiam, de qua noctu Presbyter etiam morbo detentus decerpserit, ac miserit Serapioni ægroto per puerum. Sic enim Græcè legitur βραχὺ τῷ παιδαρίῳ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι id est, Puero breuiculum seu pauxillũ Eucharistiæ dedit (vt de aliquo toto & solido scias desumptam) ac iussit ἀποβρέξαι, id est, irrigare, quod Latini Christiani in materia Eucharistię vertertunt Intingere: nisi quòd hoc fit propriè, quando panis immittitur liquori, illud verò, quando liquor aspergitur pani & infunditur, sed vtrumque eodem recidit. Iussit insuper Presbyter Eucharistiam ita irrigatam & maceratam imponi ori senis: quod totum innuit aliquid siccum puero datum fuisse, & quicquid madidi accessit, opera pueri, & nõ Presbyteri accidisse: quod etiam sequẽs litera docet, cùm subiungit, ἀπέβρεξεν ὁ παῖς καὶ ἅμα τι ἐνέχεε τῷ στόματι id est, Irrigauit puer, siue madefecit, & infudit ori eius: vbi duas actiones pueri distinguit, quibus de sicco liquidum effecit, & effectum ori infudit. Musculus verò duo illa videtur cõfundere, & pro eodem accipere, quæ bis quasi consultò secernuntur. Nec omittendum, quod si quid liquidi accepisset puer à Presbytero, impropriè diceretur βραχὺ τῆς εὐχαριστίας id est, breuis Eucharistia siue exigua. Ex aliis historiis licet hanc illustrare, maximè ex ea quæ apud Prosperum est: Puella (inquit) multis mensibus obsidebatur à dæmone. Tandem coram altari prostrata est. Peracto sacrificio cùm eadẽ inter cæteras puellas breuem particulam corporis Domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens traiicere non valuit. Manu igitur faciem eius sustentante sacerdote, ne sanctum proiiceret, à quodam Diacono suggestum est, vt calicem salutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod vt factum est, statim locum illum, quem Diabolus obsederat, saluatoris imperio reliquit: sacramẽtum quod ore gestabat, cum laude redemptoris transglutisse puella clamauit. Hæc Prosper: qui propriè vertit βραχὺ τῆς εὐχαριστίας, in breuem particulam corporis Domini, & tum solitã tingi ac madefieri, non in poculo sanguinis, quod postea adhibitum fuit extra morem & consuetudinem, sed in vino, aut alio liquore, qui puellis magis conueniret. Theodoretus Cyri Episcopus in Philotheo, siue in historia sanctorum Patrum, rem aliam gestam narrat de Simeone Stylicide. Nam cùm is quadraginta dierum sibi indixisset ieiunium, ac rogasset Bassum, qui ea tempestate oppidorum Presbyteris præfectus multa

De consec. dist. 2. ca. Peruenit.

Dabatur pueris & fœminis etiã deferenda ad ægrotos, et improbatur.

Prosper quarta parte Prædictionũ, ca. 6.

Alia exempla vnius speciei data.

multa circuibat, vt fores domunculæ suæ cæmentis obstrueret. Cùm obtemperasset Bassus, & post quadraginta dies rediisset, dirutis foribus Simeonem exanimem atque mutum & immobilem inuenit. Quare accepta spongia, labra illius primùm madefecit, & mox diuinorum mysteriorum symbola imposuit: quibus ille refectus surrexit, ac cibi aliquantulum sumpsit. Ilicò Aduersarij arripiẽt symbola mysteriorũ in plurali numero dici, & vtramque speciẽ intelligi: quasi nõ sæpè legatur apud magnum Dionysium atque alios hoc genus dicendi, etiam cùm de alterutra specie tractetur. Certum est in solitudinibus vnã tantùm speciem haberi solitam. Quòd si sacra communio Simeoni deplorato fuisset impartiẽda sub vini specie, aut sub vtraque commixta, vt nomen symbolorũ, & vna infusionis actio videtur innuere: quid erat necesse ad eã percolandã prius labra & fauces madefacere? Notandũ etiã, quòd hìc eadem verba habentur, quæ in historia Serapionis extant, de madefactione, & impositione siue infusione in os: hoc tãtùm interest, quòd in Serapione madefactio narratur, antequàm de ore fiat mẽtio, vt ad ipsam Eucharistiã referatur: In Simeone verò labris & faucibus applicatur. Ac certè parum refert, an ipsa Eucharistia maceretur, & colliquescat, antequam instilletur, an in ipso ore per infusam aquam aut vinum madefiat. Hanc intingendi sacrum panem consuetudinem, non tantùm pro ægrotis obtinuisse, sed etiam fuisse popularem & vsitatam in Ecclesiis declarat vetustum sub Guntrano Rege Matisconense concilium, quod sic statuit: Sacramenta " altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. Quæcunque reliquiæ sacrificiorũ " post peractã Missam in sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes ab " illo, cuius interest, ad Ecclesiam adducãtur, & indicto eis ieiunio, easdem reliquias " conspersas vino percipiant. Ex illis porrò historiis illustratur maximè Canon quartę Synodi Carthaginensis de infusione Eucharistiæ, de qua scilicet specie intelligi debeat, & de duplici modo quo solebat infundi, aut madefaciendo ante infusionem, aut liquorem aliquẽ vnà cum ipsius panis specie ori immittendo. Canon cõtinet decretũ Episcoporum de lapsis, cuius Cyprianus & Dionysius meminerũt: & sicut factum fuit in Serapione, recitat sancitũ, vt fieret in omnibus pœnitentibus animam „ agentibus. Textus est: Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum „ sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim ver„ sus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si „ continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infun„ datur ori eius Eucharistia. De macerata panis specie capi debet, non de calice sanguinis, aut de vtriusque commixtione, cùm neutrum ex istis indigeret madefactione ante infusionem. At indiguisse superiores historiæ demonstrant, nec liquefactionẽ poculo sanguinis tribuũt, sed aquæ aut alteri liquori, qui domi apud ęgrotum inueniebatur. Ex his igitur, atque ex aliis historiis apparet in primitiua illa Ecclesia assuetam fuisse vnicam ægrotis speciem panis, cui deglutiendæ, si conspicerẽtur impares, subueniebatur ipsis ex ascito aliquo profano liquore. Non ignoto aliquos ista omnia de panis & sacri calicis mixtura, aut de solius sanguinis poculo interpretari: quod postremũ nostram causam adiuuat: & tamen propter allatas rationes locum habere non potest in illis factis & decretis, sicuti nec primum, quod apud nonnullos in vsu fuisse non negamus. Nam Concilium Turonicum citante Iuone „ Carnotensi ita statuit: Sacra oblatio, quæ ad viaticum recedentibus de seculo reser„ uatur, intincta esse debet in sanguine Christi, vt veraciter Presbyter infirmo di„ cere possit, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remis„ sionem peccatorum, & in vitam æternam. Ergo (subiungunt Aduersarij) hìc intinctio pręcipitur, tanquã vtraque species etiam ęgrotis sit necessaria. Minimè verò.

Nomine plurali etiam vnica species intelligitur.

Ægrotis aliquando dabatur intincta Eucharistia.

Sed quia moris erat intincta Eucharistia populum communicare, ideò forma conueniens tali administrationi adhibebatur, quasi vterentur apud infirmum, rem verbis conuenientem geri exigebat illa synodus, quemadmodum sacerdos in die Parasceues, quia sub vna specie panis cõmunicat, etiam formam verborum imitatur, ac solius corporis meminit. Sed neutrum est necessarium, aut vbique sempet obseruatum. Quin ostẽdemus in porrectione vnius speciei, corporis & sanguinis menrionẽ factam in Ecclesia, sicut sub vnica specie verè corpus & sanguis continẽtur. Ex Aduersariis æquiores facilè assentiuntur, priuatas communiones & domesticas magna ex parte contentas fuisse vna specie: sed eas censent & appellant extraordinarias: at publicas & in Ecclesia solemnes asseuerant vtraque specie perpetuò constitisse. Respondemus cũ Hieronymo: An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Præcepta Christi, quæ de sacramentis dedit, æquè ligant hominem, siue priuatim, siue publicè, siue ordinariè, siue extraordinariè sacramentis vtatur: quod ipsum etiã veteres intellexerunt. Vnde si approbarunt priuatam cõmunionem in vna specie, etiam publicã probasse intelligendi sunt, & vnde ostendamus, tempora Cypriani abundè suggerunt. Imprimis ex ipso perspicitur, infantes in publica cõmunione solam imbibisse vini speciẽ, vt hic textus docet: Parẽtes fortè fugientes dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum, quò populus confluebat, quòd carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderũt. Recepit filiam postmodum mater: sed facilè puella cõmissum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Vbi solemnibus adimpletis calicẽ Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labiis obturãtibus premere, calicẽ recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctãti licet, de sacramẽto calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato permanere non potuit Eucharistia. Certè puella ista Eucharistiæ panem deglutire non potuit: ideò ipsi idololatræ pauxillum panis mero imbuti ingesserãt in os. Et cũ miraculo tribuat Cyprianus, quòd sanguinem Domini continere nõ potuerit, non est putandũ, quod corpus Domini priùs oblatum cõtinere valuerit. Obseruari debet, ab eodem tradi hoc actum, cùm solemnibus adimpletis calicẽ Diaconus offerret præsentibus, vt cõmunionem sub vna specie aliquibus etiã in publica Eucharistiæ administratione collatã videas, & eius morẽ fuisse intelligas, vt sub finẽ Missæ siue sacrificij, quæ hîc Cyprianus appellat solẽnia, populus adiret altare, & de manu præsidentis siue sacerdotis acciperet speciẽ panis, & dimissione proclamata, quam adimpleta solemnia nominat Cyprianus, cõmittebatur calix Diacono distribuẽdus volentibus accipere, ita vt calicis siue sanguinis perceptio nõ esset de adimpletione solemnium, siue de necessitate celebratæ ac participatæ Eucharistiæ seu cœnæ Dominicæ: nec obstat, quòd infantulæ reluctanti de calice infusum fuit. Id enim de matris voluntate agebatur, quæ puellæ nondum arbitrij sui capacis curam gerebat, nec vllum vnquam Catholica Ecclesia inuitum & reluctantem illata vi adegit ad panem sacrum, aut ad calicem. Quod attigi minimè calicem fuisse requisitum ad expletionem mysteriorum, probat Nouati historia, quæ temporibus Cypriani accidit. Cùm enim Nouatus oblata dispẽsaret, & cuique partem distribueret, illud adiiciebat, & miseros homines & infœlices loco benedictionis & gratiarum, quas agere debuisset, iurare cogebat. Nam suis vtrisque manibus manus accipientis prehendens,

An in publica communione Ecclesiæ fuerit licita & vsitata vnica species.

Cypri. Serm. 5. de lapsis.

Vnica species vini etiam in publica communione.

Euse. lib. 6. cap. 35. Historia.

hendens, non prius dimittebat, quàm iureiurando eũ obstrinxisset, atque his verbis ‑ vsus esset: Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nunquã ‑ me deserturum, nec ad Cornelium reuersurum. Atque miser homo non antè degu‑ ‑ stauit, quàm ita illi se deuouisset. Et qui illum acceperat panem, pro Amen quod di‑ ‑ cere debuerat, hoc dixit, Non deinceps ad Cornelium reuertar. Historia sumendę ‑ Eucharistiæ ritum perstringit. Adibant in altari Episcopum, & in manum accipiebãt ‑ portiunculam de panis specie, atque ori admouebant. Nouatus simia Ecclesiæ Catholicæ ac verorum Antistitum, talẽ ritum imitabatur, sed antequàm manu ori imponerent panẽ Eucharistiæ, adigebat singulos ad iuramentũ per corpus & sanguinẽ Christi, cũ ratũm vnicã speciẽ distribueret, cui subesse cũ Catholicis credebat ipsum corp⁹ & sanguinẽ. De calice nulla mẽtio: quia iã nec in Romana Ecclesia, nec in aliis, existimaretur necessarius ad participandũ de corpore & sanguine Domini: tametsi in plerisque Ecclesiis apponeretur desiderantibus eius participes esse: in aliis autẽ tantũ proponebatur merũ vinũ, aut aqua tingẽdæ Eucharistiæ, aut deglutiendę cõmoda. Fortasse sicuti fit, vt stulti dũ vitãt vitia, in cõtraria currãt: ex hac indifferẽtia ac libertate alij eò progressi fuerunt, vt ne quidẽ putarent necessariũ vini poculũ cõsecrare in sanguinem Domini, & offerre in sacrificiũ, sed aquam limpidam in eius vicẽ subrogarent, quam videbant se populo licenter loco poculi prębere. Contrà alij quidẽ auersabantur impietatem illam sacrandi & offerendi aquam pro sanguine Christi, vt in eius odium etiam iudicarent non nisi consecratum poculum populo distribui oportere. Hanc multorum contentionem describit Cyprianus, ac videtur contendere, non tantùm à sacrificio & oblatione aquam esse repellendam, sed etiam à populi cõmunione, & vinũ vtrobique substituendũ. Sed aut in eo lapsus est Cyprianus, vt in baptismo ab hęreticis irrogato, dum sectatur sonum verborum, potius quàm eorum scopũ, contra morẽ & consuetudinem Ecclesię Catholicę, quæ cognouit sensum Domini: aut potius non vlterius progredi voluit, quàm Aquariorum hæresis tenderet, quę aquam solam conficiendo sacrificio adhiberet. Rectè quidem quid instituerit Dominus, dilatat & amplificat: sed non satis attendit & distinguit, quid fieri iusserit ab vnoquoque, aut quid cuique liberum fecerit. Propterea Ecclesia, dictorũ Christi & Cypriani iusta & ęqua interpres, rectè cum Cypriano damnauit Aquarios, siue aquam pro vini specie sanctificantes in sanguinem Christi, eámque pro hoc in sacrificium offerentes: & Cyprianum non probauit, in eo, quòd ex præcepto & verbo Domini populum ad vini & sanguinis speciem videretur obligare, maximè cùm ipsemet non dubitarit contra sonum verborum Domini, vnam ab altera specie diuidere, & vinaceam solam etiã puellis proponere. Eam ob causam ne serperet Cypriani seuerior illa de poculo vini opinio, in ipsius Ecclesia Carthaginẽsi præ aliis decretus fuit & viguit vsus sine poculo sanguinis, dandæ populo Eucharistiæ tinctæ in aqua vt apparet, quæ puellis & ęgrotis esset aptior: ita tamen vt calix quibusdam permitteretur, aut ex aliqua necessitate daretur. Id ita factum esse confirmat Prosperi historia, de puella quę Carthagine viuebat, à Dęmone tandiu di‑ uexata. Nam collocata in monasterio puellarum, dicitur inter eas tinctam corporis Dominici portiunculam suscepisse, quam tum nequiret percolare, interclusis faucibus à Dęmone: ideò pręter morem infusum fuit de calice. Subiicit Prosper, post eius liberationem iterum gratiarum actionem celebratam pro ea, eámque ad sacrificij percipiendi certam partem prisco esse redditam vsui, sumendę scilicet & degluriendę tinctę Eucharistię, quam antea solebat & poterat facilè absumere, sed ei Dęmon impedimentum attulerat. Certè non tantùm Prosper, sed Cyprianus ipse agnoscit priscum fuisse vsum, pro vino aquę

Vnica species panis etiam in publica communione.

Cypr. lib. 2. ep. 3. ad Cæcilium.

Cyprianus rigidior calicis exactor, quem Ecclesia Afric. non probauit.

Cyp. li. 2. epi. 5.

liquotem apud multas Ecclesias dari, non ad consecrandam Eucharistiam, sed deglutiendam: quod cùm videatur & conetur improbare, non tamen potuit abolere, quin in Ecclesia Carthaginensi multis sęculis post eum permanserit, quod ex Prospero certum redditur. Nec fortasse immeritò aqua pro vino populo esset modò proponenda post communionem, ne falsò existimet se vinum pro vini specie altera epotare. Nihil tamen sine Ecclesiæ decreto innoueretur, sed populus edoceatur, ne fallatur. Ab Africanis ad Orientales Ecclesias transeamus. Libenter audimus, quòd Aduersarij de Chrysostomo passim iactant: Est vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est mysteriis. Similiter enim omnes vt illa participemus, digni habemur. Non sicut tempore veteris Testamenti quædam sacerdos, quędam verò populus comedebat: nec fas erat populum participare illis, quorum sacerdos particeps erat, sed nunc omnibus vnum corpus proponitur, & vnum poculum. Non asserit Chrysostomus necessarium esse, aut pręceptum, vt quilibet calicem sumat, sed tantummodò non esse à Christo prohibitum, siue non esse ex iure diuino illicitum populo delibare de Christi sanguine cum sacerdotibus, sicut in veteri lege illicitum erat ex Dei mandato laïcos, & à tribu sacerdotali alienos, edere partem sacerdotibus deputatam. Cæterum Chrysostomus ipse plerunque hâc agnoscit differentiam inter sacerdotes & alios Christianos, quòd illi consecrant, siue conficiunt hoc sacramentum, non autem isti. Ex qua differentia suboritur alia, qua sacerdos tenetur sumere quod sacrificauit, non autem populus ex præcepto obligatur, quamuis id ipsi tanquam licitum permittatur in Euangelio. Propterea, licet in Orientalibus Ecclesiis proponeretur vtraque species populo, attamen abstinebant plerique in publica cõmunione à sanguinis calice: quod facilè coniicitur ex duabus historiis quę sub Chrysostomo contigerunt. Vna est celebris de muliere, quę inficiebatur hęresi Macedoniana. Vir eius eadem hęresi imbutus, audierat sępe Chrysostomum pro concione disserentem, quid sentiendum esset de Deo: tandem ipsa veritate victus, hortabatur vxorem vt ab hæresi secum descisceret. Cùm verò illa magis nobilium mulierum sermonibus, quàm illius consuetudini obtemperasset, & post frequentes admonitiones vir illius nihil effecisset, Nisi (inquit) in diuinis mihi consors fueris, neque in vitæ communione posthac eris. Mulier hoc audito, & consensum pollicita, rem eam famulę cuidam communicat, quam sibi fidam esse iudicabat, illiúsque opera ad fallendum virum vtitur. Circa tempus autem mysteriorum, illa quod accepit continens, quasi oratura procumbit: famula astans clanculùm illi dat quod secum in manu attulerat. Hoc cùm dentibus admoueretur, in lapidem congelascit. Mulier perterrefacta, metuens ne quid sibi mali propter eam rem, quæ diuinitus acciderat, ad Chrysostomum Episcopum cursu contendit, ac seipsam prodens, lapidem ostendit, adhuc morsus vestigia habentem, & materiam incognitam, colorémque admirabilem ostendentem, simul atque veniam cum lachrymis petẽs, viro suo consensuram se pollicetur. Quòd si hoc (inquit Sozomenus) cuipiam incredibile videtur, lapis ille testis est, qui etiamnum in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanę asseruatur. Si hæc mulier, abominans catholicam communionem, debuisset de præcepto, aut etiam de consuetudine vinum cõsecratum sumere, simulare se Catholicam non potuisset, vt se posse per panis profani esum sperabat. Nam fuisset coacta de manu diaconi vel sacerdotis ex calice sanguinem sugere, nec habuisset simulandi ansam de profano calice. Quapropter ex conatu & spe fallacię huius mulieris satis patet, nec Catholicos omnes oportuisse Eucharistiam capere sub liquida specie etiam in ipsa Ecclesia. Apparet Chrysostomum voluisse his fraudibus prouidere, nõ quidem

Chrysost. hom. 18. in 2. ad Corinth.

An ex Chrys. vtraque species sit necessaria.

Lib. 2. & 6. de dignitate sacerdotij.

Sozom. lib. 8. cap. 5.

Vna species panis publica in Ecclesiis Orientalib.

In vita Chrysostom. per

quidem imperando singulis calicem (quod fortassè libenter fecisset, si expedire putasset) sed singulis quibusque dando consilium, vt à communione mox nonnihil aquę aut vini, aut etiam pastilli delibarent, ne vnà cum saliua aut pituita vel tātillum expuerent ex præsumpta communione. Ita reuerentiam docens, ac pium timorem non inuitos: Quia solus, non ascitis aliis Episcopis, auderet priuatim id consulere, accusarunt ipsum duo Diaconi, quasi non ieiunis Eucharistiam ita porrigeret, vt ipsemet inter capita accusationis suæ epistola ad Cyriacum recenset. Prætexebat quidem reuerentiam Chrysostomus, sed fortassè cauebat, ne quis ore susceptam speciem panis studeret aliò efferre, vti conabatur illa de Macedoniana hæresi mulier. Huic malo facilè occurrisset sine alio additamento, si calix statim post speciem panis fuisset de necessitate propinandus. Post Chrysostomum sequuntur secula Nestorij, cuius inter errores à plerisque numeratur, quod putarit carnem sine sanguine subesse pani, & sanguinem sine carne calici: ac proinde ab Ephesina synodo decretam fuisse communionem publicam sub vna specie, & sub vtraque intermissam scripserunt magni viri Caietanus, D. Osius, Bartholomeus Latomus, Ioannes Hessel, & inter Ecclesiæ hostes suis in locis communibus ita rem habere Vrbanus regius confitetur. Ante hos verò Gabriel Biel non adeò recens author ista scribit: Alia causa cessationis ab huiusmodi ritu communicandi sub vtraque specie fuit, vt tollerentur errores, qui ex communione sub vtraque specie orti fuerunt, & oriri poterant. Credere enim poterat communis populus ex tali communione Christum non esse totum, verum & perfectum hominem sub vna specie, nec tantùm esse sub vna specie, quantum sub duabus, vt hoc multi hæreticorum de facto astruxerunt. Nestorius enim sub specie panis tantùm corpus Christi esse dogmatisabat sine sanguine, & sub speciebus vini sanguinem tātùm sine corpore, pro eo quod in Parasceue corpus fuit separatum à sanguine. Ambigitur à quo ista de Nestorio magni illi viri didicerint, cùm nec Acta Ephesini concilij, nec Cyrillus ipsum de istis insimulet. Attamen fortassè antiqui scriptores pleniora Acta Concilij illius habuerunt, & tam extant lōge ampliora quàm antea: aut authores habuerunt vetustiores, qui id Nestorio imputarēt. Proculdubiò quæ de Eucharistia contra Nestorium ab Ephesina synodo confessio apertè docet à Nestorio negatā fuisse naturarū concomitantiā sub alterutra specie Eucharistiæ, & Cyrillus contra eum aliquando defendit totum & integrum Christum minima parte Eucharistiæ contineri: quod vt contra eundem ostenderetur, non est incredibile communionem vnius speciei fuisse decretam. Quicquid sit, semper licita & vsitata fuit inter Græcos communio sub vna specie, quamuis frequentior occurrat fortasse sub vtraque. Nā cùm adeò infesti fuerint Latinis, vt altaria abluerēt, in quibus illi celebrasent, & minuta quæque insectarentur, sic quicquam peccare Latinos putasent in communione vnius speciei, nec in suis redargutionibus, quibus Latinos proscindunt acerbiùs, neque in Lateranensi synodo, ac ne quidem in Constantiensi aut Florentina, silētio pręteriissent, cùm de cōmunione vtriusque speciei, & de rebus pertinentibus ad hoc sacramentū maximè disputatū fuerit. Contrà verò Latini eos reos peragunt defectionis à ritu & antiquitate Orientalis Ecclesię de reuerenter custodienda vna specie, & sub illa communicandi populum etiam publicè. Ita enim contra eorum errores, Leo nonus ad Michaëlem imperatorē scribit: Hierosolymitani, si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foueam mittunt, sed in pixidem mundam recōdunt, & sequenti die cōmunicant ex ea populū: quia quotidiè cōmunicatur ibi, eò quòd conueniunt illuc ex diuersis prouinciis Christiani, qui propter fidem &

Georgium patriarcham Alexand. & per Metaphrast.

Biel lect. 84. in Can. Missæ.

Error Nestorij damnatus ab Ephesina synodo.

Vnica species decreta videtur ab Ephesina synodo. vnde caput sequēs

Vnica species panis seruabatur in Ecclesia Hierosolymitana.

maximum amorem filij Dei communicari ibidem desiderat. An verò sanguis in pixide recondebatur, & non sola Eucharistia panis?

An dissideant in communione Eucharistiæ Ecclesi. Orientalis & Occidentalis. Desinant igitur Aduersarij Græcam & Orientalem Ecclesiam Latinis opponere, ac quasi de illorum doctrina & consuetudine Constanriensem synodum, & vniuersam Ecclesiam Occidentalem arguere & emendare velle, cùm vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, siue vna religio, eadem doctrina, & eadem sacramentorum administratio in vtraque Ecclesia viguerit, quandiu Græca ab antecessoribus suis nō descíuit. Quòd si Græca Ecclesia aliter quàm nos de communione definiuisset, aut obseruasset: an propterea satis iustè de ipsa contra Latinam & sedem Apostolicam *Lib.1.cap.4.in Iulian.* præscriberetur? Ita olim Pelagiani à Latinis damnati ad Orientales prouocabant, quos Augustinus his verbis interpellat, Iulianum alloquēs: Iterum te admoneo, iterū rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores atque actores: vide quibus tam grauem támque nefariam irrogaris iniuriam. An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt, nec vllus est in eis commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare? Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? Non est cur prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia & fides ista Christiana est, & te terra Occidentalis generauit, Occidētalis regenerauit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inuenisti, quando in eius membra venisti? Imò quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti? Eadem sibi dicta putēt Aduersarij, & interim quis fuerit vsus communionis sub vna specie in Ecclesia Occidentali inuestigemus.

De peregrina communione. Quoniam Hierosolymam quotidiè aduenie bant religionis & orationis causa, parata semper custodiebatur Eucharistia, vt ex Leone nono audiuimus. Nec verò ad limina Apostolorum etiam precationis & negotiorum Ecclesiasticorum gratia minor vnquam frequentia Christianorum quotidiè confluxit, quàm Hierosolymam. Quin igitur ibi quoque haberetur semper in promptu Eucharistia, verisimile non est. Imò ea erat pietas primorum Pontificum, vt non prius vllum Antistitem, aut alicuius nominis Christianum finerent ingredi ciuitatem, aut in suum conspectum & colloquium admitterent, quàm missa obuiam Eucharistia ex eius communione de fide & religione aduenientis certiores redderentur. *Euseb.lib.5.ca.24.* Irenæus epistola ad Victorem ita fieri solere testatur his verbis: Presbyteri ipsi, qui te præcesserunt, Eucharistiam fratribus aduenientibus, qui suo more ieiunium & Pascha obseruabant, Eucharistiam miserunt: Ipsam verò, quæ ad vsum peregrinorum conderetur in Hierosolymitana Ecclesia didicimus vna specie fuisse contentam. Ob id fortassè antiqui canones appellant peregrinam communionem, quæ clericis in pœnam tradebatur, quam Hieronymus ad Euagrium videtur omniū clarissimè declarare, cùm *Hieron. de septē ordinibus.* inquit: Si forrè vsus exegerit, vt venientes ad Ecclesiam sacerdotes eisdem horis, quibus aut oblatio parata non sit, aut non possit offerri, non debere Episcopum repudiare Eucharistiam Presbyterorum, si ponatur in altari. vbi Hieronymus duplicem modum communicandi peregrinos perstringit, aut ex asseruata Eucharistia, & allata extra tempus Missæ & congregatæ Ecclesiæ, quacunque hora peregrini accederent, aut ex recenter consecrata, si commoda hora venissent de qua Ambrosius loquitur, cùm ait: Omni hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie pere-

grinis: incolis tamen vel bis in hebdomada. Et ea certè est peregrina communio, qua clerici mulctabantur, quæ etiam distinguitur à laïca. Hæc enim erat, quando clerici mouebãtur suo gradu, aut sui ministerij functione, & redigebantur in ordinem populi, vt promiscuè cum laïcis venirent ad communionem, siue vnius, siue vtriusque speciei, quæ ministraretur recens consecrata in ipsa oblatione, & publica Ecclesiæ congregatione. Peregrina verò communio grauior erat multa, cùm nedũ suspenderentur à sacro ministerio, sed arcerentur à publicis Ecclesiæ sacris, extra quæ reposita pro peregrinis Eucharistia donabantur. Sic enim Agathensis synodus paulò post Ephesinum Concilium sub Celestino primo Papa statuit: Contumaces verò clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur: & si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut etiam frequentare Ecclesiam, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatémque suscipiant. Item, Si quis clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. Proculdubiò quia iam communionem publicam & congregationem contempserant, furtóque totam Ecclesiam offenderant, iurè tepellebantur ab Ecclesiæ cœtu, & Eucharistiæ publica communione, atque ad extraneam & peregrinam, quæ ex asseruata Eucharistia conferebatur sub vnica specie etiam Episcopis, & quibuscunque extra celebrationem Missarum (ait Hieronymus) aduenientibus, nec quicquam intererat, daretúrne intra ipsam Ecclesiam, an extra. Ac vix certè leges vnquam in Occidentalibus Ecclesiis speciem sanguinis reconditam fuisse, aut reseruatam nescio quid de intincto pane pro ægrotis priùs ex Turonica synodo citauimus, sed quod neque ante illam synodũ in Ecclesia, neq; postea obtinuit. In Oriente verò plerunque de sanguinis conseruatione habes, vbi tamen Eucharistia pro peregrinis tantùm erat panacea: vt magis intelligas de qua specie accipi debeat apud Latinos peregrina illa cõmunio, quam vides ab ipsis temporibus Apostolorum ante Irenæum in Ecclesia Romana ratam ac celebrem fuisse. Præterea Innocentius primus, qui ætate Augustini Pontificatui Romano præfuit, traditionẽ Ecclesiæ habere ait, vt die Parasceues & Passionis, ac sabbato consequente sacramẽta penitùs non celebrentur, siue consecratio fiat, cùm interea eadem traditio semper tulerit, vt illis diebus à Christianis peragatur ex præsanctificatis atque ex reposita Eucharistia, vti etiam nunc obseruatur. At nemo de Latinis, opinor, scripsit communionem illam de duplici specie coaluisse. Græci quidẽ suam ἐκ τῶν προηγιασμένων id est, ex præconsecratis Missam abundasse duplici specie fortasse cõtẽdent, quam tota septimana per Quadragesimam facerent, præterquàm sabbato & Dominico quibus consecrabant: quamuis sanè non parum difficile videatur vinum ad octauũ diem sine acore intra sacrarium non adeò in magna quantitate conseruare, id condonemus tamen Græcorum leuitati, certum est Latinos ab eo semper abhorruisse, & in die Passionis cõmunionem sub vna panis specie etiam sacerdotes ipsos sumpsisse, adeò vt ex Theologis Berno & Petrus Cantor putauerint vinum consecrari eo die admixtionis tertiæ partis Eucharistiæ, ne cogantur agnoscere sacerdotes publicum officium peragentes vti aliquando communione vnius speciei. Sed traditio Ecclesiæ habet (inquit Innocentius) eo die sacramenta non celebrari, siue consecrari: neque fit consecratio contactu rei sacræ, sed verbis Domini. Sabbatho Paschæ itidem agebatur, & sub noctem Resurrectionis Dominicæ inchoabatur Missa, quam hoc tempore anticipamus. Non dubium itaque, quin in Ecclesia Latina ab ipsis Apostolis longa traditione sub vna specie publicè communicatum fuerit etiã à toto clero, saltem anniuersario die Passionis Dominicæ. Pergamus vltra. Lon-

Euseb. lib. 6. cap. 43.
Cypr epist o. ad Antonianum, epist. ad Hispanos, & epi. ad Steph. Papam.
Toletan. 1. can. 4. et Sardicens. can. 1.
Quæ sit laica communio, & quæ peregrina.
Agathens. can. 7. & 5.
Can. 5.
Innocent. epist. Ad decentiũ Eugubinum Episcopum.
In die passionis communicatũ semper fuit in Ecclesia sub vnica specie.

gè latéque floruit Ecclesia Augustini atque Ambrosij temporibus. Negari non potest,quin crebra habeatur mentio communionis sub vtraque specie ab illius ætatis scriptoribus: sed neque quisquam iustè inficiabitur, quin etiam vnius speciei commemoratione & expressione sæpè sint contenti. Deinde quid etiam Romæ agitaretur aut perferretur, docuit Nouati historia. Quid in Africana Ecclesia antea quoque temporibus Cypriani publicè administraretur, quid in ea postea ætate Prosperi & Leonis Papæ non procul ab Augustino fieret, ex productis perspici arbitror. An istas Prouincias ritus illos seorsum à Romana Ecclesia coluisse credemus, ac non potius tanquam à matre suxisse? Cyprianus sanè videtur de aqua in calice populis porrecta insimulare insigniores Ecclesias, quarum nomi-

Magdeburg. cent. 3.

ne Romanam Magdeburgenses antiquitatis Ecclesiasticæ falsarij & calumniatores volunt à Cypriano designari. Ista omnia collata inter se, euincunt temporibus Leonis primi, paulo post Augustinum, communionem vtriusque, aut vnius speciei

Circa tempora Augustini communio sub altera specie, vel vtraque indifferens in Ecclesia.

extitisse per Ecclesias Occidentales liberam & indifferentem: ita vt iidem homines publicè nonnunquam vtraque reficerentur, nonnunquam tantùm ad vnam accederent. Hoc posterius cùm semper & de industria agerent, Manichæi deprehēsi sunt & redarguti de hæresi, quæ Christi carnem exanguem mētiebatur & phantasticam, ac tantùm sub specie panis carnem capi, & non sanguinem. Huius posterioris hæresis Valētinianos, Marcionistas & Manichæos pro authoribus computo, à quibus eam fortasse hauserunt Nestoriani. Manichæi quoque detestabantur vinum: ob id ab eius specie abstinebant, Leonis textus est: Cùm Manichæi ad tegēdam infidelitatem suam audeant nostris interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutiùs lateant. Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, vt nobis huiusmodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur.

Anno. 449. August. de haeresib. Sermo. 4. de Quadragesima

De haeresi Manichaeorum propter quam abstinerent ab vtraque specie.

Si fuisset tempore Leonis in vsu, vt omnes fideles, veluti ex Christi præcepto, de calice oporteret communicare, quomodo Manichæi potuissent tutiùs latere in communione corporis Christi sub specie panis, cùm omnium oculos in se vertisset ob neglectum calicem? Sed quia moris erat, vt Catholici nunc sumerent calicem, nunc non sumerent, etiam sumpto corpore: ideò potuerunt se catholicos simulare Manichæi, sumpto solo sacro pane. Non autem per hoc vult eos Leo notari & prodi, si quandoque sanguinem Domini sumpto corpore non hauriant: sed sicut ipse dicit, si sanguinem redemptionis nostræ omninò haurire declinent. Aliud est quandoque prætermittere in communione speciem vini, aut omninò sumptionem eius declinare & abhorrere. Falsum est itaque Leonem illo contextu aut improbare, aut prohibere communionem sub vna specie, aut iubere eam quæ sub vtraque fit. Falsum est pronuntiari ab illo esse sacrilegium, ore corpus Domini accipere, & calicem redemptionis nostræ omittere: sed benè pro sacrilegio deputari debet, eum auersari, declinare, & detestari, quod faciebant Manichæi. Falsum etiam est adeò vsitatam tunc fuisse communionem sub vtraque specie, vt eius omissione Leo deprehenderit Manichæos. Nam sic non fuisset difficile deprehendere, sed ex affectata non sola omissione, sed fuga eos intercepit.

De Gelasij aetate & canone.

Gelasius videtur quidem apertiùs damnare vnam speciem, & vtramque sciscere hoc Canone: Comperimus quòd quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineāt: qui proculdubio quoniā nescio qua superstitione docētur astringi, aut integra sacramenta percipiāt, aut ab integris arceātur: quia diuisio vnius eiusdémque myste-

mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Si extaret scriptio integra Gelasij, facilius esset quid vellet, explicare. Sed quoniam Leoni proximè successit non repurgata Ecclesia à Manichæis, sequitur de iisdem loqui, de quibus Leo sermonem habuit. Propterea non haberi debet tanquam generale decretum, quod ad omnes pertineat, sed ad eos tantùm, qui ex ea causa, cuius meminit, peccabant in communione. Obseruandum igitur quod ait, Quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. quasi diceret, Si isti abstinerent à calice, quia eis bibere non libet, aut quia se astrictos non putant, non mandarem eos à sacramentis integris arceri, aut integra percipere: sed quia ex superstitione Manichæa hoc faciunt, ideo oportet, vt eam superstitionem deponant, atque se eam abominari ipso opere, vtramque speciem aliquando sumendo ostendant, aut tanquam infideliter de hoc sacramento sentientes, omninò à toto hoc sacramento arceantur: Quia diuisio vnius eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Grande enim sacrilegium est, hoc vnũ & idem mysterium, quod commendatur, & continetur vtralibet specie, nempè Christum pro nobis mortuum diuidere: hoc est ipsum mysterium, inquantum sub specie panis commendatur, recipere: inquantum verò sub specie vini commendatur, reiicere, & fastidire: atque abominari. Non sentit autem Gelasius, quòd sacrilegium sit vnam sumere sine altera: alioqui & abstemios, & infirmos, & alios ex rationabili causa à calice abstinentes, & tot Ecclesiarum atque seculorum vsum sacrilegij condemnaret: quod fuit à mente tanti Põtificis alienissimum. Eo pacto sæpè decreta Patrum & Pontificum interpretanda docet Hilarius de Synodis, nimirùm ex causis dicendi & personis quibuscum agitur: neque tam verba Patrum plerunque inspiciẽda sunt, quàm ipsæ circunstantiæ. Hunc Canonem condiderant in Sirmiensi synodo Patres: Si quis filium non dicat Abrahæ visum, sed Deum innascibilem, vel Patrem eius, anathema sit. Nullus est antiquorum scriptorum, qui non asserat Patrem Abrahæ apparuisse: non tamen percellitur illo Canone, quoniam editus est (inquit Hilarius) in Photinum, qui docebat Christum filium Dei non fuisse ante Mariam, & ex hac causa interpretabatur nusquam filium, sed solum Patrem Abrahæ apparuisse: quod in eo damnarunt Syrmij congregati Patres. Porrò Gelasius ipsemet exprimit se ad solam superstitionem Manichæam confutandã hoc decretum tulisse. Cęterùm valde probabile est à Leone & Gelasio in odiũ Manichæorũ vtramq; speciẽ per Ecclesias fuisse tũ tẽporis præceptã, atq; vt prouideretur periculis irreuerentię, & profanationis circa calicẽ, fuisse statutum, vt vtraque species simul consecraretur, & intincta Eucharistia populo pręberetur, vt eo modo cogerẽtur Manichęi cõmunicare sub vtraque, & periculũ effusionis in sanguine vitaretur. Nã circa ætatẽ Leonis primi Arausicana Synodus ita decreuit: Admixtionem Eucharistiæ simul consecrandam censuimus. Aliàs: Cum capsa & calix inferendus est, & admixtione Eucharistiæ consecrandus. Insuper Iuo Carnotensis rationem allatam videtur agnoscere his verbis: Nõ autem iuxta Concilij Toletani definitionem intincto pane, sed seorsum corpore, & seorsum sanguine cõmunicet, excepto populo, quẽ intincto pane, non authoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur cõmunicare. Ex Manichæis prodierunt Priscillianistæ, qui potissimùm radices egerunt in Hispania. Præcipuè execrabantur vinum, vt Manichęi, qui, teste Augustino, ipsum dicebant fel esse principis tenebrarum: vescebantur tamen vuis: vnde superstitioni eorum non repugnabat intinctam, vel vino madidam Eucharistiam, aut vuæ granum sumere: atque ita se decreto Gelasij de vtraque specie non improbanda, nec aspernanda, sed sumenda, satisfacere se simulabant, & interim rursum hæresim suam

Regula ad explicanda Concilia & decreta Patrum.

Quomodo sub Leone Papa. fuerit præcepta vtraque species

Cur intinctio Eucharistiae fuerit prohibita.

celabant & tegebant. Horũ Priscillianistarũ reliquiæ remãserant circa regionẽ Braccarensis diœcesis, vt duo priora concilia ibi habita memoriç mandant. Propterea Braccarense tertium intinctionem Eucharistiæ constitutam reuocauit, & contra nouam istam fallaciam ita statuit: Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur quod de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quãdo in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim quosdam scismatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & Apostolicas institutiones, lac pro vino in diuinis sacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro cõplemento communionis porrigere: quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerre. Quod quàm sit Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinç contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficilè ab ipso fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Citant plerique Aduersariorum post Gratianum istа sub nomine Iulij Põtificis, antiquioris quàm sit ista. Synodus: sed quoniam in eius decretis non inueniuntur, facile fuit Iulij nomen vice Iuliani ponere, qui Hispalensis Episcopus huic synodo secundus subscripsit, vt annotatur à doctissimo Ioanne Hessel, Doctore Louaniensi, à quo multa huc transtuli. Quamuis tale Concilium prima facie videatur prohibere vtramque speciem simul sumere, sicut antiquo ritu sumit sacerdos sanguinem cum tertia parte hostiæ, non tamen ita est. Hæc enim ratio percipiendæ Eucharistiæ à sacerdote per

Alger. lib. 2. & Gratian.

Sergium Papam laudatur, & Turonica Synodus præcepit aliquando ægrotis intinctam in Christi sanguine dari Eucharistiam, sicut Arausicana commisceri & vna cõsecrari censuerat. Sed Braccharenses improbant Priscillianistas, qui nec offerrent Dominicum sanguinem, nec sorbere vel bibere vllo pacto acquiescerent sub specie vini, & interea fucum verbis Christi & veritati oblationis atque communionis facerent. Constat ergo ante Leonem vnam speciem fuisse liberam, nec vtramque simpliciter potuisse introduci, nisi moderatio intinctionis fuisset adhibita: sed nec potuisse istam moderationem stabilire iam ex Braccarensi constat, à quo improbatur per Priscillianorum occasionem: ac ne quidem tum per vniuersas Ecclesias comperitur obseruata. Non enim in Africa simul consecrabant panem & vinum admixtum, nec in sanguine Domini panem sacrum intingebant, sed in aqua aut vino puro, vt antea disserui, in historia Puellç scripta à Prospero, qui cũ Leone primo vixit: ita vt inde etiam constet, non longo interuallo temporis post illos Pontifices communionem vnius, vel vtriusque speciei inueniri per Ecclesias adhuc liberam. Imprimis circa annum quingentesimum & vigesimum Cæsaraugustana Synodus ita definit: Eucharistiç gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse, in Ecclesia, anathema sit.

Vnica species post Leonẽ primum vsitata in Ecclesia.

Ex quo facilè cernitur, etiam tum consueuisse Christianos vnam speciem accipere in Ecclesia, & domum efferre, quod postea fieri prohibetur, sed consumere: quo verbo per Ecclesiasticam phrasim panis ipsius species intelligitur: nec quicquam ibi de calice præcipitur, & tres historiæ ad eandem probationem mutuas sibi tradunt operas. Prima narratur à Ioanne Diacono in vita Gregorij Magni de muliere, quç cum ille porrigẽdo Eucharistiam, diceret, Corpus Domini nostri Iesu Christi conseruet animam tuam, subrisit, ac protinus dextram ab eius ore Gregorius retulit, partémque Dominici corporis sub altare deposuit. Rogauit mulierem, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpsisset. At illa diù mussitans, tandem prorupit: Quia panem (inquit) quem propriis manibus me fecisse cognouerã, tu corpus Dominicum perhibebas. Prostrauit se in orationem cum populo Gregorius: à qua surgens, panem illum carnem factum in altari offendit: vndè tertita mulier fidem adhibuit. Respondebunt Aduersarij mulierem non expectasse poculum, sed statim effusam

ſam in riſum. At ſi de more tantumdem expectaſſet de poculo, procax mulier addidiſſet, Quia vinum etiam, quod domo attuli, tu ſanguinem eſſe perhibere ſoles. Nam dicitur in hiſtoria, ſolitas oblationes panis & vini illam myſterij Miſſæ intuliſſe. Nihilominus fateor Gregorium vulgò adminiſtraſſe vtramque ſpeciem: ſed an promiſcuè omnibus, atque etiam mulierculis, hiſtoria hæc me incertum & dubium reddit. Hiſtoria altera commõſtrat, in Anglia vnam ſpeciem ſolemnem fuiſſe " etiam principibus viris. Illam Beda ſic recitat: Auxit procellam perturbationis in " Eccleſia mors Saberethi regis Orientalium Saxonum, qui vbi regna perennia petẽs, " tres filios ſuos, qui Pagani perdurauerant, regni temporalis hęredes reliquit, Cœpe- " runt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliquantulum intermiſiſſe videbantur, " palàm ſeruire, ſubiectiſque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cúmque " viderent Pontificem celebratis in Eccleſia Miſſarum ſolemniis, Euchariſtiam po- " pulo dare, dicebant, vt vulgò fertur, ad eum barbara inflati ſtultitia, Quare non & " nobis porrigis panem nitidum, quem & patri noſtro Saba (ſic namque eum ap- " pellare conſueuerant) dabas, & populo adhuc in Eccleſia dare non deſiſtis? Quibus " ille reſpondebat: Si vultis ablui fonte illo ſalutari, quo pater veſter ablutus eſt, po- " teſtis etiam panis ſancti, cui ille participabat, eſſe participes: ſin autem lauachrum " vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi, Nolumus (in- " quiunt) fontem illum intrare, quia nec illo opus nos habere nouimus, ſed tamen " pane illo refici volumus. Cúmque diligenter ac ſæpè ab illo eſſent admoniti, ne- " quaquam fieri poſſe, vt abſque purgatione ſacroſancta quis oblationis ſacroſanctæ " communicet, ad vltimum commoti furore aiebant, Si non vis aſſentiri nobis in " tam facili cauſa quam petimus, non poteris iam in noſtra Prouincia demora- " ri. Hîc perſpicitur ſolo pane populum communicaſſe: alioqui & ſacrum vinum exegiſſent tyranni. Bernardus ipſe etiam ſub vnica fratribus ſuis præbebat. Sic " enim Guillelmus Abbas in eius vita ſcribit: Agebatur ſolemnitas quædam " præcipua, & frater aliquis, quem pro ſecreta culpa ab altaris ſacri communione ſuſpenderat, notari timens, & ruborem non ſuſtinens, ad manum eius cum cæteris nimium præſumptuoſus acceſſit. Intuitus autem eum, quoniam cauſa latens erat, repellere hominem noluit: ſed intimo corde orabat Deum, vt de tanta præſumptione melius aliquid ordinaret. Itaque ſumens homo Euchariſtiam, non poterat ad interiora traiicere, & diu multúmque conatus, cùm nullo modo non præualeret, anxius & tremebundus clauſam ore ſeruabat. Expleta denique hora orationis ſexta, patrem ſanctum traxit in partem, cuius pedibus aduolutus, cum multis ei lachrymis quod patiebatur, aperuit, & aperto ore ipſam quoque Euchariſtiam oſtendebat. Increpans autem eum confitentem abſoluit, & ſine difficultate Dominica ſacramenta recepit. Anxietas iſta non acciderat à liquida ſpecie vini, quæ aperto ore non potuit retineri, & alteri oſtendi. Porrò adeò per Eccleſias Occidentales inualuerat illis ſeculis poſt Leonem & Gelaſium communio ſub vna ſpecie, vt circa eorum ætatem comprobata, & multis diſputationibus habitis confirmata, ac tandem legis habuiſſe vigorem comperiatur. Giſelbertus enim vixiſſe creditur ante annos plus minus ſexcẽtos. Docuit is tranſire ſubſtantiam panis in ſubſtãtiam corporis & ſanguinis Chriſti, & ſufficere vnam tantùm ſpeciem exhiberi multitudini: quod Rodolphus Abbas S. Trudonis, quaſi ſua ætate ratum habitum tradit. Hunc Abbas Trithemius prædicat virum in diuinis ſcripturis iugi exercitatione peritum, & in ſecularibus literis haud infimè doctũ, carmine valentẽ & proſa, nec opere minus quàm ſcientia clarum. Is igitur ante annos quadringẽtos & triginta ſub Imperatore Hẽrico quarto ita cecinit:

Beda lib. 2. Hiſtor. Anglor. cap. 5.

Anno 613. à Chriſto nato.

Guillelmus Abbas S. Theodorici lib. 1. cap. 12.

Giſelbertus in lib. Altercat. Citatur à D. Hoſio, in poſteriori cõfeſſione

Hic & ibi cautela fiat, ne presbiter ægris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi.
Nam fundi posset leuiter, simplexque putaret
Quod non sub specie sit totus Iesus vtraque.

Inclinat in eam constitutionem & consuetudinem Lateranensis synodus generalis, quæ Eucharistiam ipsam in pixide iubet in armario reponi. Tum temporis enatas ea de re controuersias fuisse Alexander Halesius prodit, qui non ita dudum pòst vixit, & summam Theologicam, Innocentij quarti iussu consarcinauit: in cuius quarto libro commemorat aliquos Religiosos petiuisse sibi dari sub vtraque specie sacramẽrum, quasi ambigerent de sanguinis existentia sub pane. Tum verò pio quodam sacerdote cantanre Missam, cùm faceret fractionem, repentè totum concauum patenæ opplerum fuisse sanguine. Ad cuius intuitum cùm obstupuissent omnes, rediisse partes hostiæ in integrum, ita vt petitioni illorum & tentationi satisfieret, ne amplius vtramque speciem anxiùs flagitarent. Ad eandem contentionem compescendam idem Innocentius quartus definiuit, non decère tantùm sanguinis conficere in Monasterio Cistercienſium, vt quilibet Monachus aliquid meri sanguinis biberet. Ac tum fortasse constirutum fuit, vt in Monasteriis solus sacerdos, atque ei ministranres vterenrur vtraque specie, & non alij: quod etiam nunc in plerisque obseruarur, sicut in Cluniacensi, & Dionysiano Gallicorum regum ad Lutetiam Parisiorum sepulchro. Ob eas atque alias causas serpebat latiùs per Ecclesias communio sub vna specie, & ea quæ sub vtraque est, quotidie refrigescebat & imminuebatur: nihilominus durabat in nonnullis Ecclesiis, sicut testatur Sanctus Thomas de Aquinate. Tandem post Hussitatum sectam in Bohemia propagatam obrepsit Petrus quidam Dresensis, quod est oppidum Misniç, & aggressus Iacobellum Misnẽsem, literarum doctrina & morum præstantia clarum, qui apud Ecclesiam sancti Michaëlis in Praga per id temporis populum prædicando instruebat, mirari se dixit, doctum & sanctum virum, qui diuina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertisse communionis Eucharistiæ, qui iampridem Ecclesiam pessundasset, in qua sub vna tantùm specie Dominicum corpus ministraretur, cùm apud Ioannem de vtraque iubeat Saluator, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotus his Iacobellus, cùm perquisitis vetustis sanctorum doctorũ codicibus, Dionysij præsertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inuenisset, publicè cõmonere populũ cœpit, ne deinceps communionem calicis, sine qua nemo saluari posset, quoquo pacto negligeret. Huic omnes hæretici consenserũt, haud modica gestientes lætitia, quòd articulum reperiissenr in Euangelica lege fundatum, per quem vel Romanæ sedis ignorantia vel nequitia argui posset. Res est relata ad synodum Constantiensem, ac postea ad Basiliensem, quæ damnarunt eos qui detestarentur & improbarent communionem sub vna specie, & ranquam iam inueteratam consuetudinem eo modo communicandi laudant, & iustis de causis commendanr. Illos contrà damnanr, qui vtramque speciem quasi necessariam, aut à Christo præceptam postularenr. Non ramen vtriusque vsum prohibuit aur sustulit, cùm constet Martinum quintum Pontificem postea vtramque speciem Romæ populo suppeditasse. Testatur enim reuerend. P. Henricus Ralty, seu Archiepiscopus Nidrosiensis, Martinum Romam reuersum laïcis sub vtraque specie communicasse. Talem etiam vsum Basiliensis synodus Bohemis concedere voluit, modò rectum de Eucharistia profiterentur fidem. In horum Conciliorum doctrinam & senrentiam omnes tandem Ecclesiæ Occidentales Catholicæ tacito consensu iuerunr, & vnam

Quando cœpit hæresis de necessitate vtriusque speciei in Bohemia.

Nec Constant. nec Basil. syno. prohibuerunt communionem sub vtraque specie.

vnam speciem sunt amplexæ, seque ab vtraque tanquam minimè necessaria, aut per Christum imperata, pia reuerentia, ac metu violandi sacrosanctum sacramentũ continuerunt. In hac historiarum successione, tãquam in speculo, intueri licet vnam speciem versatam in vsu, sicut vtramq;, ac postremò illam prælatam propter causas, de quibus copiosiùs dicemus. Nõ desunt quoque multę cõiecturæ, quibus facilè possumus colligere vnicam illam speciem ab ipsis Apostolis in Ecclesia fuisse celebriorem & frequentiorem. Certum est tempore Apostolorum, & eorum successorum, eam hominum multitudinem sæpè conuenisse ad frangendum panem, & communicandum, quę multa milia excederet. Etiamsi quisque pauxillum vini ebibisset, nihilominus multis cantharis & amphotis, aut etiã plenis cuppis consecratis fuisset opus. Lutetię certè in quibusdam parochiis communicant ad quindecim, aut viginti milia hominum, tametsi plerique nec vinum degustent, & alij tantùm pitissent: attamen ad duo aut tria vini non sacrati dolia nonnumquam exhauriuntur. Non effugissent profectò primi Christiani ebrietatis & Bacchanalium in suis Cœnis & cœtibus suspicionem, & Gentilium obtrectationem, qui ad vocem humanę carnis Christi, quam Christiani se edere profitebantur, Thyestęas epulas & Cyclopicas improperabanr. Præterea quamuis Tertullianus scribat Christianos anxiè passos quicquam de suo calice aut pane in terram decuti, vbi vsum vtriusque speciei complectitur, sæpius tamen alij tantùm panis meminerunt, vt Origenes & Augustinus. Quinetiam Pius Papa, à Petro decimus, cauit vt si sanguis super terram stilaret, sacerdos quadraginta diebus pœniteret: & si super altare, quatuor diebus: quasi sanguis non contingeretur iam tum à laïcis, nec vllum ab ipsis impenderet irreuerentiæ periculum. Deinde frequenter occurrit mentio reliquiarum panis, quę de communione supererant, & consumẽbantur igne, vt Hysichius tradit, aut ab innocentibus paruulis & ieiunis edebantur, vt Clemens ad Iacobum faciẽdum iubet, & Concilia decemunt, ac factum Euagrius recitat: aut in sacrario reponebantur: de reliquiis autem vini Dominici mirum agitur silentium. Quòd si promiscuè singuli delibassent vinum, sicuti carpebant panem, ex incerta vtique delibatione aut superfuisset vinum sacrum, aut defuisset, præsertim cùm non potuerit singulis æqualiter admetiri, sicuti poterat panis; & cùm illud sugerent pro libito per fistulas & canales, aut summis labris de calice epotarent, non accepta certa aliqua mensura. Sin à Presbyteris dixerint Aduersarij exhaustas vini reliquias, verendum erat, ne temulenti prę copia reliquiarum redderentur, aut etiam cogerentur effici sacerdotes, quemadmodum Græcis accidere Vmbertus contra Nicetam obiicit. Insuper in primitiua quoque Ecclesia sub Syluestro Damasus narrat patinas, seu patenas, ad triginta libras ponderasse, scyphos ad decem duntaxat; singulos calices ex auro ad vnam: atque ita legas sæpius panis vasa longè capaciora vini poculis: vt inęqualitatem coniicias communicantium sub vna specie, & sub vtraque, in eadem Ecclesia. Gregorius tertius ad Bonifacium statuit, ne in Missarum solenniis duo vel tres calices in altari ponerentur, quoniam id parum Christi institutioni congrueret, qui de vno & eodem calice suos omnes communicasset. Ex quo datur intelligi, tametsi essent in Ecclesia multi calices, quos Damasus vocat ministeriales, quibus Diaconi sanguinem ministrabant populo, ex vno tamen & eodem transfundebatur ille sanguis. Neque certè vnus tantus decenter in altari poni potuit ad sacrandum, qui pluribus hominum milibus sufficeret: alioqui cadi aut cuppę instar fuisset: neque in eadem Ecclesię conuocatione publica & solenni iterabatur panis & vini cõsecratio sed vna & cõmunis fiebat oblatio atque consecratio.

Vnica species ab Apostolis apparet fuisse frequentior in Ecclesia.

Distinct. 2. De consecr. can. Si per neglig ẽtiã.

Tertull. De coron. milit.

Origen. hom. 13 in Exod.

August ho. 126 lib. 50. Homiliar.

Matisconens. synod. can. 6.

Euagrius lib. 4 cap. 35.

Niceph. lib. 17. cap. 25.

Damasus in li. Pontificum.

Tom. 2. Cõcil.

De calicibus ministerialibus, & aliis vasis.

Vasa quidem longè nostris calicibus ampliora per Ecclesias extitisse, & adhuc ostendi concedo, & Pontificales libros cantharorum atque aliorum insignium vasorum meminisse, sed non amplitudinis tantę & capacitatis, vt tot milibus communicandis satis essent.

An Eucharistia sit praecepti ex sententia Patrum.
Cypr. De Coena.
Orig. 16. in Num.
Chrysost hom. 18. 2. ad Cor.
Augu. quaest. 57. in Leuit.
Hieron. in 1. ad Corinth. cap. 2.
Theophylact. ibid.
Paschas. De sacramento.
Ambros. De his qui initiãtur myster.
Chrysost. hom. 23. in 1. ad Corinth.
August. tractat. 26 in Ioã.
Gregor. hom. Sabbathi post Pascha.

Ex aduersariis posteriores cùm sentirent se causa cadere, si de vsu veteris aut recentioris Ecclesię concertaretur, omitti desiderant facta & historias Patrum, sed eorum scripta & monumenta ac rationes attendi, quibus nedum communionem sub vtraque specie de facto fuisse assuetam, sed etiam de iure præceptam à Christo confirmant. In his numerant Cyprianum, Origenem, Ignatium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, Theophylactum, qui per antithesim & oppositionem legis & Euangelij, in illa prohiberi docent esum sanguinis: in hoc verò concedi, aut etiam mandari: In illa de sacrificiis vini potionem sacerdotibus permitti, non idem populo, in hoc verò communem carnem & poculum omnibus proponi, & communem singulis Cœnam & potionem sub conditione à Christo institui & tradi. Deinde quando in negotio Eucharistię aliquid aliud quàm verba institutionis habent, tentatur, aiunt Cyprianum atque alios grauissimas opponere rationes ab exemplo magisterio, traditione, præcepto, ac mandato Domini. Adhęc ex Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, Gregorio, atque aliis contendunt impleri figuras veteris Testamenti de Manna & Aqua de petra: de Agno Paschali, ac sanguine eius, in eo quòd communiter vniuerso Christi populo mysticus panis edendus, & poculum Domini ebibendum præbetur. Denique ad fructum & integritatem sacramenti à Patribus requiri aiunt sumptionem vtriusque partis: qua de re proximo capite videbitur. Contrà in tota antiquitate non extare Patrum sententiam addunt, quæ institutionem calicis non pertinere ad laïcos doceat. Omnia argumenta nostra pro assertione vnius speciei prorsus ignorari ab antiquitate annectunt, neque antiquitùs dogma vnquam fuisse defensum de dispensanda sola vna specie populo: imò puriorem antiquitatem acriter restitisse, & ex verbo Dei vsum calicis in legitimo Ecclesię cœtu asseruisse, quemadmodum ex Cypriano cognoscitur. Nos autem respondemus: Si patres per illa sua dicta iudicassent vtramque speciem à Christo iuberi, nemo eum morem variasset, nec vllus Patrum aliter fieri suis temporibus siuisset. Hoc est generale Augustini argumentum, quo dignosci vult quid sit in sacramentis à Christo prescriptum. Non præcepit Saluator (inquit) quo deinceps „ ordine sumeretur sacramentum, vt Apostolis, per quos dispositurus erat Eccle- „ sias, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper „ acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset. At proculdubiò citati Pa- „ tres, sua ætate non tantùm permiserunt Eucharistiam sub vna specie dari, sed ipsimet in suis Ecclesiis administrarunt, vt de Cypriano & Chrysostomo atque aliis produximus. Igitur quicquid eorum verba videantur de pręcepto sonare, interpretatione eget, & debita accommodatione. Præterea Aduersarij omnes assentiuntur maximam partem Patrum modum excessisse verbis & factis in exponenda Cœna, & distribuenda ipsa sacrosancta Eucharistia, dum eam non nisi in manus accipientium dederunt, & dum ad eam pueros etiam generalitate præcepti obligari crediderunt, ipsisque impartierunt. Quid mirum si quid etiam humani passi sunt in amplificatione vtriusque speciei, quasi sit præcepti quod omnes implicet. Singulis de rebus Religionis nostrę comperimus ante natas hæreses scripsisse nostros homines liberiùs, simpliciùs, & incogitantiùs, qui si ad scribendum post hęreses animum appulissent, aliter de iisdem & cautiùs & circumspectiùs fuissent locuti. Propterea ferè omnes hæretici antecessorum suorum studuerunt abuti patrocinio

August. epist. 118. ad Ianuar.

cinio

cinio & præsidio. Arriani nitebantur Dionysio Corinthio atque aliis, Pelagiani, Nestoriani, Eútychiani, Patrum emendicatis sententiis non carebant. Notū est quo modo ante clarā obscuræ tunc quæstionis de baptismo decisionē errauerit Cyprianus. Notum quo modo ante ortum Pelagium Augustinus transilierit limites in extollendo cōtra Manichæos libero arbitrio, quod postea Pelagiani compulerunt deprimere. Ideò (inquit) didicimus singulas hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligētiùs defenderetur scriptura diuina, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Itaque non debet veritati aut nobis præiudicare vllus scriptor, qui de infantum, aut vtriusque speciei, aut alterius modi communione docuerit, antequam istæ quæstiones exactius discuterentur, & antequam clarè expenderetur dictum Christi, Hoc facite in meam commemorationem, non simpliciter cadere sub præceptum de vsu, nisi adhibita conditione, Quoties manducabitis: &, Hoc facite quotiescunque: &, Quoties bibetis, hoc facite in meam commemorationem. Nec verò ita loquimur, quasi legamus vllum veterū asseuerare apertè vtramque speciē de necessitate præcepti singulis iniungi. Nos vnius Cypriani rationibus premunt, quibus generaliter concludit, propter nullam humanam & nouellam institutionem à præceptis & mandatis Christi esse decedēdum, neque aliter esse celebranda sacramenta, quàm Christus in ipsorum institutione fecerit & præceperit. Cyprianus contra Aquarios agit, qui aquam sacrabant & ministrabant, secus quàm Christus facto & verbo iussisset. Vtrumque perpetuò coniungit Cyprianus, Factum, & præceptum Christi: quandoquidem factum solum Christi legem non constituit: alioqui ne latum quidem vnguem ab ipso in administratione sacramentorum, & obseruatione omnium circumstantiarum liceret recedere: sed spectandū est, quid de facto suo præcipiat. Præcepit autem in Eucharistiæ celebratione consecrare panem & vinū aqua mixtū, offerre Deo, ea sumere, atque aliis eadē distribuere, & non aquam puram, aut alia: Præceptum verò istud non esse absolutū per Paulum Christus declarauit, sed hypotheticum & conditionatum, vt intelligatur, Quando hoc facietis, hoc ita facite, id est, quando consecrabitis, hoc consecrate: quādo offeretis, hoc offerte: quando hoc manducabitis, hoc manducate: quando, siue quotiescunque bibetis, hoc bibetis in meam cōmemorationem vinū aqua mixtū, & in sanguinē consecratum, & nō aquam consecratā: quasi partē Cœnæ institutæ. Quisquis aliter agit, Christi verbū præuaricatur, non tantùm factum: non iniungit interea sumi vtramque speciem, absolutè inquam & simpliciter, sed modū præfigit, iubet, atque imperat vtriusque sumendæ, quotienscunque sumetur. Nam vsus nō est de substantia sacramētorum, quam Christus tradebat, & præcipiebat obseruari, sicut esus veterum sacrificiorum non erat propriè de natura sacrificij, sed erat accessorium, & modus ei designabatur, quoties fieret. Sic in sacramento matrimonij nefas est aliter versari quàm Christus instituit & præcepit: non propterea tamen matrimonij vsus singulis demandatur, sed quoties matrimonium erit contrahendum, modus & ratio definitur à Christo. Multò verò minus alij Patres sub necessitatem præcepti redigunt vsum vtriusque partis. Rectè sentiunt à Christo communem mensam instrui, & apponi sacerdotibus & laicis, neque vllos ipsius præcepto ab ipsa arceri, quod totum admittimus: sed negamus vllo præcepto eiusdem ad communes illas epulas vtriusque speciei singulos compelli, aut non posse arceri, seu prohiberi per eos, quibus committitur Ecclesia, & sacramentorum dispensatio. Sic in Genesi dicitur Deus instituisse, & hominibus contulisse pisces maris, omnia pecora, & bestias in cibum & alimentum, quasi olera virentia: ea tamen donatione non prohibentur superiores disciplinæ causa subditis quorūdam ciborum

August. lib. 2. De bono perseuerātia ca. 20.

Genes. 9. esum interdicere, sicut Deus ipse in lege cibos quosdam vetuit, & ieiunia in lege constituit, & idem decernendi Apostolis potestatem fecit. Porrò quotquot opponunt legi Euangelium, in eo quòd sanguine vesci concedat, aut iubeat, spectant expressè non verba Cœnæ, neque ipsas species, sed spiritalem manducationem, aut realem, sine distinctione specierum, cùm re vera sanguis sub alterutra sumatur, ad eúmque finem allegant Christi verbum, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non inficiamur loco Mannæ & aquæ de petra surrogari à Christo panem & vinum sacrum: Sed negamus consequi obligationem ad vtrumque: quia nec ad vtramque figuram obligabantur, sed volentibus permittebantur illæ: nec si fuissent aliquo præcepto præter institutionem & donationem iussæ, ideò etiam species panis & vini censerentur necessariæ, nisi præter institutionem accederet etiam singulare mandatum. Sed nec Apostolus absolutè dicit, omnes Iudæos, qui Manna escam spiritalem manducauerunt, potum spiritalem bibisse, quandocunque edebant Manna. Quinimò inuenimus eos, & antequàm aquam de petra biberunt, & postquàm ea vti desierunt, Manna edisse. Manna enim prius demissum cœlo fuit, quàm aqua elicita, & Manna pasti sunt, donec transirent Iordanem, non autem aqua illa: siquidem post istam oblatam biberant aliam de puteis in deserto. Aequè ergò in figuris colligemus, non esse præceptum vtramque speciem simul capere, sicut ipsi colligunt nos ad vtramque teneri. Augustinus, Ambrosius, & alij, vbi comparant figuras illas cum carne & sanguine, ipsimet admonent expressis verbis, à nobis figuras illas adimpleri, non tantùm in sacramento, sed in spiritali manducatione, vt ita nos omnes cum illis eandem escam spiritalem sumamus. De sanguine Agni, quod citant ex Gregorio, aduersatur ipsis: siquidem sanguis Agni non potabatur, nec in Cœna Agni quicquam de potu à Mose præcipitur, nec Gregorius potu speciei illiniti postes animæ, sed haustu cordis scribit: ita vt de spiritali potione expressè tractet cum aliis.

Exod. 16. & in Num. 20. 21.

AN SIT NECESSARIA COMMVNIO SVB VTRAque specie: & de causis necessitatis, quas Aduersarij proponunt.

CAP. 5.

Brentius in Apolog. Confes. Virtemberg. De necessitate triplici.

NECESSITAS ambigua vox est, & inter nos & Aduersarios controuersa. Nam hi necessitatem triplicem constituunt, Absolutam & simplicem: quo in sensu cōcedunt vtramque speciem minimè necessariam esse ad salutem: quandoquidem infantes in Christum baptisati, consequuntur salutem, etiamsi morte non modò sine vtriusque, sed etiam vllius speciei vsu extinguantur. Adultis etiam non est fraudi, si decedunt de vita, priusquàm hoc sacramento vesci detur. Deinde necessitatis pōdus tribuunt grauibus causis, quibus non sit in homine situm remedium afferre: vt si abstemius vini gustum, aut ægrotus panis esum non perferat, si in regione desit omnis vini copia, aut comparari non possit. In his etiam numerāt eos, qui inter Catholicos coguntur Eucharistiam sumere, cùm aliundè petere tutò non liceat. Tales excusant à necessitate vtriusque speciei, sicut à circūcisione in desertò excusauit Israëlitas loci incommoditas, & Dauidi penuria panē illicitū indulsit. Nos vltra progredimur. Nam etiam extra rationes, quæ pondus necessitatis habēt, legimus Romæ continētes propter datam operam liberis ab ingressu Ecclesiarū domi, aut nauigaturos, aut in solitudine degentes, accepisse alteram partem tantùm sacramenti sine causa, quæ

Etiam sine vlla necessitate licet vnā speciem capere.

pondus

pondus iustæ necessitatis meritò sibi vendicet. Extra illas causas, quas eximunt Aduersarij, necessitatem iuris diuini & pręcepti statuunt, quo vtramque speciem adeò necessariò exigunt, vt magis ex eorum opinione Christianus saluti suę consular, si nullam quàm si alteram rantùm partem sumpserit. Cùm eò necessitatis non nos adigat ipsa institutio, & Christi in scripturis expressa præceptio, sicut probauimus, percontamur vnde oriatur tanta necessitas. Aut enim fit ex natura rei, quæ capi debet, quasi non vna parte aut specie contineatur, aut ex Eucharistię fine & fructu, aut ex perfectione & ratione sacramenti, quę partem vtramque ad sui complementum requirat. Tria ista simul vrgent Aduersarij: sed seorsum contemplemur. Nostri asserunt totum Christum Deum & hominem sub qualibet particula & Eucharistię specie haberi & percipi, ídque fieri per concomitantiam naturarum in Christo, neque sanguinem à carne ita distrahi, vt hæc in pane capiatur sola, ille verò solus in poculo. Manichæi, aut etiam longè antea Valentiniani, in ea fuerunt hęresi, vt caro exanguis proponeretur sub pane, & sanguis à venis, & à reliqua, quæ secundum hominem est substantia, seiunctus teneretur in poculo. Nestorius quoque eadem opinione laborauit. Alios quoque notat Petrus Comestor in Ecclesiastica sua historia, vbi ait intinctam iam non dari Eucharistiam pro hęresi tollenda, quę dogmatisabat totum Christum esse sub vtraque specie simul, & sub neutra rantùm forma. Ex Aduersariis plures hæresim illam tuentur, & concomitantiam subsannant, vt vtramque partem sacramenti quoquomodo persuadeant esse necessariam. At Catholici Patres primùm illam concomitantiam probauerunt ex figura Eucharistię in Manna, & Aqua de petra. Eadem ratio est in corpore Domini, ait Hilarius Papa, quę in Manna, quod in eius figura præcessit, de quo dicitur, Qui plus collegerat; non habuit amplius, neque qui minus parauerat, habuit minus. Non enim est quantitas visibilis in hoc ęstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritalis. Manna omnis cibi delectamentum afferebat, ne quid defuisse negemus. Et petra spiritalis, de qua bibebant, erat Christus, non sanguinis eius „ portiuncula. Propterea scribit Philo, Ipsum Manna Dauid quandoque petram „ vocat, vt in eodem cibum & potum accipiamus. Deinde Christus homo iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur: sanguis verò vehiculum virę atque animæ exhauriri à venis, & à reliqua corporis substantia separari nequit, quin mors consequatur. Adhæc multa sunt in ipsa Eucharistiæ institutione, quæ nos de concomitantia admoneant, *Hoc est corpus meum*, Hoc facite in meam commemorationem, Mortem Domini annuntiabitis, Hoc est corpus quod pro vobis datur, Hic est sanguis qui pro vobis funditur. Ex eo enim quod meum dixit, diiudicari debet esse corpus Domini, & vnio indiuisa agnosci & credi. Aliud etiam signatur, cùm dicitur, Hoc corpus pro vobis tradirur, Hic sanguis pro vobis funditur: & aliud, si profertur, Hoc corpus est iam mortuum, & sanguis effluxit. In priori enim significatur corpus adhuc viuum, sed moriturum, & sanguis adhuc intra venas inclusus: In posteriori autem monstratur corpus exangue, & cruor à viuente abstractus. Deinde in sumptione panis non tantùm nos oportet esse memores corporis Domini, sed mortis Domini. Est autem propriè præteritorum commemoratio, vt mortem quidem olim extitisse profiteamur, sed iam non mori corpus ex infirmitate, sed regnare ex gloria contestemur. Hoc est enim Annuntiare mortem Domini, donec veniat, & commemorare propriè. Ideò corpus, quod sumimus in pane, non significat corpus, quod modò fit mortuum, sed quod olim fuit, & quod reuixit in gloria: propterea nec exãgue est, nec morti obnoxium, quia filij resurrectionis vltrà mori non poterunt. Poculum item non significat

Brentius ibid.

Non esse necessitatem præcepti diuini de vtraque specie, nec ex natura rei.

Caro & sanguis Christi per concomitantiã sub qualibet specie et parte.

De his qui negarunt concomitantiam.

Petr. comestor in Histor. cap. 151.

Dist. 2. De consecrat. can. Vbi pars.

Paschas. ca. 17.

Concomitãtia ex verbis institutionis.

ſanguinem Chriſti modò mortui, ſed iam viuentis, cuius mortem præteritam annuntiamus. Igitur nec ſanguis ille extra venas, nec ſeorſum à corpore & anima conſiſtet. Sed nec hæc ſola ratio eſt credendi concomitantiam, ſed ſine illa mutaretur omninò effectus, & ſignificatio ſacramenti. Nam cùm ibi concomitanter ſit diuinitas, an non eſt alia ſignificatio ſacramenti, quod ſibi finxit Neſtorius, dum putat Chriſtum, qui ſuum corpus dedit cruci & manducationi, non Deum eſſe, ſed merum hominem? & alia ſignificatio ſacramenti, quod agnoſcunt Catholici, dum Chriſtum verum Deum & hominem confitentur? Sanè aliud ſignat meum corpus, dum Deus loquitur, aliud, dum merus homo: ſacramentum verò idem ſignat, quod ipſa verba ſacramentalia. Igitur diuinitas, quæ concomitanter eſt ſub ſpecie panis, mutat ſacramenti ſignificationem. Eadem ratio eſt de effectu. Caro enim non prodeſt quicquam, diuinitas eſt quæ viuificat. Vnde corpus Chriſti, quod Neſtorius imaginatur, & quod ſine concomitantia imaginantur Aduerſarij, non viuificat. Par ratio de ſanguine & anima locum habet: Nam & aliud corpus exangue, & aliud viuum indicat: eodémque pacto ſanguis in venis exiſtens, & alius effuſus extra ipſas. Qua de cauſa ſi ſacramentum corpus deſignaret ſine concomitantia corporis & animæ, aliud corpus deſignaret & offerret, quàm corpus Chriſti quod nunc viuit. Effectus quoque ſacramenti variaretur ſine illa animę & ſanguinis concomitantia. Nam etſi diuinitas etiam per mortuum corpus & exangue operata ſit ſuos effectus, & nunc operari poſſit. Attamen quando Chriſti corpus per mortem ſeparatum erat ab anima & ſanguine, non eodem modo concurrebat corporis Chriſti operatio ad obtinendum diuinitatis effectum, ſicuti dum Chriſtus vixit, ſiue ante paſſionem ſiue poſt reſurrectionem. Nam eſt quidem & mortuum, & viuum Chriſti corpus, diuinitatis inſtrumentum, nec in hoc eſt differentia: ſed tamen vltra rationem inſtrumenti, quam ſolam mortuum corpus habet, viuo corpori aliqua alia ratio cum diuinitate cooperandi eſt. Nam Chriſtus viuus etiam cooperatur diuinitati, interpellando pro his, qui corporis eius participes fiunt: & in hoc conſummat, ſiue ad effectum perducit ſacrificium crucis, dum ſcilicet ſua interpellatione impetrat, vt fructus ſuæ paſſionis per diuinitatem communicetur, atque applicetur iis, qui corpus eius aliáve ſacramenta percipiunt. Vnde Apoſtolus cùm doceat decimo capite ad Hebræos, Chriſtum ſacerdotio functum offerendo ſe in cruce, eiúſque oblationis virtute conſummari omnes electos, nihilominus etiam hoc docet eum ſempiternum habere ſacerdotium, eiúſque ratione in perpetuum ſaluare poſſe ſemper viuentem ad interpellandum pro nobis. Quia igitur diuinitatis operatio, (quam vtrique tam per mortuum Chriſti corpus, quàm per viuum operatur diuinitas) quæ eſt animę noſtræ refectio ſpiritualis, ab hominibus quæritur, ex Chriſti paſſione, tanquam merito, & per Chriſti ad patrem orationem & interpellationem, qua nunc pro nobis interpellat: interpellatio autem non eſt propriè, niſi viuentis anima rationali: ideò in acquirendo effectum Chriſti multum ad rem facit, an Chriſti tantùm pars ſumatur, nempè corpus ſine ſanguine, aut corpus & ſanguis ſine anima. Si enim noſtra oratio per Chriſtum oblata ad ſalutem noſtram multum momenti habet ad impetrandam Dei gratiam & miſericordiam, quanto magis ipſa oratio mediatoris. Vnde Paulus ad Romanos octauo, vt erigat ſpem noſtram in Deum, quòd per Chriſtum omnia obtinebimus, præter Chriſti mortem, allegat & Chriſti reſurrectionem, & ſeſſionem ad dexteram patris, & interpellationem pro nobis. Si igitur fideles non acciperent Chriſti corpus viuum, & totum Chriſtum, prout reſurrexit, ſedérque ad dexteram Dei interpellans

pro nobis, non acciperent Christum prout consummauit officium mediatoris: *Quare multũ*
sed tantùm prout morte sua illud inchoauit. Hæc igitur causa est, cur oporteat *intersit sub*
populum docere, quòd plenum effectum Eucharistiæ sub vna specie accipiunt: *qualibet specie*
quia totum Christũ accipiunt, prout quondam crucifixus est, & nunc sedet ad dex- *totum Christũ*
teram Dei, & interpellat pro nobis. Imò nisi hoc ipsum doceant, qui vtramque spe- *viuentem acci-*
ciem sumi exigunt, non docent populum participem fieri Christi, prout inchoauit *pere.*
& consummat salutem nostram. Nam prætermittunt Christum regnantem, & in
cœlo pro nobis sacerdotio fungẽtem. Propter has causas eam concomitantiam diui-
nitatis & totius humanitatis Christi sub alterutra specie Patres nobis secundum scri-
pturas tradiderunt. Petrus Galatinus citat Rabbi Cahana, qui vixit ante Christum *Lib.10.cap.6.*
natum, & scripsit in istam Prophetiam Iacob, Ligans ad vitem pullum suum, & ad *de arcanis Ca-*
palmitem asinum suum: Lauabit in vino vestem suam, & in sanguine vuæ pallium *tholicæ veri-*
„ suum: Rubriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte cãdidiores. Ad horum ex- *tatis.*
„ plicationem subiicit: In sacrificio quod fiet ex pane, non obstante quod album sit *Patres qui do-*
„ veluti lac, conuertetur substantia in substantiam corporis Messiæ eritque in ipso sa- *cuerunt de cõ-*
„ crificio substantia sanguinis Messiæ rubra & vinum. Erũt item in sacrificio vini san- *comitantia.*
„ guis & caro Messiæ, & eadem erunt in pane: quoniam corpus Messiæ non potest
diuidi. Idque ratio postulat. Nam si caro & sanguis diuisa essent, distinguerentur ab
inuicem. Corpus autem Messiæ non potest diuidi, sicut scriptum est Exod. 12. Et
substãtiam non confringetis in eo. Præterea caro sine sanguine, & è conuerso sunt
res mortuæ. Corpus verò Messiæ post resurrectionem, quia glorificatum erit, sem-
per viuet. Et hinc est dictum illud Dauid, Rex Israël in seculum viuit. Proculdubiò
inter Christianos Irenæus Valentinum mentientem ex sacramenti distinctis specie-
bus corpus Christi exangue, & sanguinem excorporeum per illam connexionem
debitam carnis & sanguinis in viuente ita refellit. Sin autem secundum hæc, nec Do-
minus sanguine suo redemit nos, nec calix Eucharistiæ, communicatio sanguinis e- *Iren.lib.5.*
ius est, neque panis quem frãgimus, communicatio corporis eius. Sanguis enim nõ
est, nisi ex venis & carnibus, & à reliqua quæ est secundum hominem substãtia, qua
verè factum verbum Dei sanguine suo redemit nos. Vides qualem sanguinem in-
terpretetur in Eucharistia, qui carnibus & venis, & totius corporis substantiæ inhę-
reat, & toti quod factum verbum Dei redemit nos. Propterea statim pòst non du-
bitat calicem corpus Christi, sicut & sanguinem vocare, cùm subiicit: Creaturã no-
bis præstat, solem suum oriri faciens, & pluens, quemadmodum vult, eúmque cali-
cem suum esse corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Ac ne hallucina-
tos putes librarios, quasi corpus vice sanguinis ascripserint, idem argumentum atq;
„ idem dicendi genus alij Patres contra eosdem hæreticos imitati sunt. Nam Tertullia- *Tertull. lib.4.*
„ nus contra Marcionem Valentini sodalem hęc loquitur: Illuminator antiquitatum *in Marcion.*
„ in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiã
„ corporis confirmauit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis. Nam &
„ si qua corporis qualitas opponetur nobis, certè sanguinem nisi carnea non habebit.
„ Ita consistit probatio corporis de testimonio sanguinis. Eodem sensu Cyprianus di- *Cypr.de Cœna.*
xit panem communem in carnem & sanguinem mutatum procurare vitam. Eodem
tempore Nouatus, cùm traderet tantum vinum speciem panis Christianis, ita iusiu-
„ randum poscebat: Iura mihi per corpus, & sanguinem Christi te ad Cornelium non
„ rediturum. Ex Ephesini Concilij decreto licet animaduertere, Patres habuisse animũ *Euseb.lib.5.*
damnandi Nestorium, tollentem concomitantiam in sacramento, & connexionem *cap.34.*
duarum naturarum in Christo, atque asserendi concomitantiam illam in eodem sa-
" cramento, quoad diuinitatem, & quoad rediuiuam humanitatem. Sic habet: Neces-

fariò & hoc adiicimus. Annuntiantes enim ſicut ſecundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id eſt, Ieſu Chriſti, & reſurrectionem eius, & in cœlis aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Eccleſiis ſacrificij ſeruitutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum redemptoris effecti, nõ vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem, ſed verè viuificatricẽ, & ipſius verbi propriam factam. Et ideò quamuis dicat ad nos, Amen, Amen dico vobis: Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus (quomodo enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe poterit caro hominis?) ſed vt verè propriã eius factam, qui propter nos filius hominis eſt factus & vocatus. Cum hic canõ editus fuerit contra Neſtorium, proculdubiò duos eius errores inter ſe cõnexos profligat. Ex eo enim, quòd ſeparatim dixiſſet Chriſtus carnem ſuam, Neſtorius colligebat accipiendam, tanquam purè humanam, ac diuinitate vacuã. Itidem ex eo, quòd extuliſſet carnem ſuam, & ſeparatim ſanguinem ſuum, pergendo in negatione concomitantiæ, dicebat ſeorſum carnem puram ſumi, & ſeorſum ſanguinem. Synodus à poſteriori errore, tanquam à notiori, damnationem orditur, negátque Chriſtum in ſacrificio altaris necari, aut eius mortem iterari, quod fieret ſeparando carnem à ſanguine, ſed myſteriũ celebrari olim mortui, ſed nunc viuentis ac regnãtis, ac propterea ad carnem & ſanguinem viuentis nos accedere: contrà verò ſecundum errorẽ ait carnem illam & ſanguinem coniuncta non diſtrahi à diuinitate, alioqui non viuificarent: atque ita Synodus Epheſina ſub alterutra partium ſacramenti cum carne & ſanguine definit duplicem concomitantiam diuinitatis, ac totius viuentis humanitatis Chriſti. Ideò à Neſtorio carnem Chriſti exanguem poſitam in ſacramento panis, & ſanguinem ſine carne ſub vino apparet, ac proinde eum neceſſariò vtramque ſpeciem exegiſſe, vt de toto homine Chriſto participes efficeremur. Propter iſtam Neſtorij opinionem Cyrillus eius oppugnator acerrimus, videtur adhortari populum ad vnam panis particulã & ſpeciem, cum iſta promulgat. Sicut parum (ait Paulus) fermenti totam maſſam fermentat, ſic paruula benedictio totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet: & hoc modo Chriſtus in nobis manet, & nos in Chriſto. Verè enim totum ſacramentum in totam maſſam pertranſit. De eadem cõcomitantia Auguſtinus hæc prædicat: Vnuſquiſque accipit partem ſuam, & manet integer totus, & ſinguli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus eſt totus, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe in ſingulis præbet. Eidem Paſchaſius & Algerus tribuunt iſta: Nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne iure communicatur. Quæ malè Aduerſarij detorquent in vſum neceſſarium vtriuſque ſpeciei, cùm nihil de ſpeciebus eloquantur, ſed de re. Itaque Conſtantienſis & Baſilienſis ſynodi meritò poſt Epheſinam deciderunt, totum Chriſtum ſub qualibet parte Euchariſtiæ contineri. Aſturiores aut acutiores Aduerſarij dant manus, & fatentur quidem ſub alterutra ſpecie totum Chriſtum verſari, ſed in poculo carnem, diuinitatem, & animum ſecundariò & ex conſequẽti, atque per accidens, vt ſanguinem ſub pane: ſed falluntur. Et ſi diuinitas cenſetur eſſe in panis ſpecie per concomitantiam, quia panis vi verborum ſacramentalium non vertitur in diuinitatem, ſed in Chriſti corpus: Attamen nunquid ob id eſt ibi ſecundariò & per accidens? Abſit. Perſona enim increata filij Dei corpus ſibi vniuit, non ſicut accidens, nec quaſi diuinitas vniatur corpori ſecundariò, ſed tam inſeparabiliter, vt ipſe increatus ſit eſſentialiter corporeus. Subſiſtentia enim, quæ naturam aliquam ſuſtentat, non habet eam accidentaliter,

Neſtorius videlicet vtramque ſpeciem neceſſariam ſtatuiſſe: cõtrà ab Epheſina ſynodo decreta fuit.

Cyrillus lib. 4. ca. 17. in Ioan.

Diſt. 2. de Conſecrat. can. Quis manducat.

An per concomitantiam ſit idem quod per accidens.

accidentaliter, nec natura assumpta subsistentiæ hæret accidentaliter, cùm ipsa persona siue subsistentia essentialiter nominetur ab omni natura quam sustentat. Essentialiter enim filius Dei est homo, est corporeus, est repletus sanguine, est animatus. Sed nec corpus humanum accidentaliter habet annexum sanguinem vel animã, sed capit ea, tanquam quæ secum concurrunt ad constituendam vnã substantiam. Anima enim rationis capax, coadunata sanguini & corpori, cõflat naturam humanam. Corpus verò & sanguis non permiscentur vt accidentia, sed tanquam conficientes vnum integrum, quomodo etiam pedes & tibiæ, non copulãtur accidentaliter, sed tanquam partes integrantes totum. Nec vnum alteri secundario adhibetur, sed quodlibet in suo genere est primarium. Ex disputatis etiam noscitur, ea quæ adsunt sacramenti partibus per concomitantiam, variare sacramenti significationẽ & effectum: ideóque non adueniunt secundariò, aut per accidens. At nõ fuisset (inquiũt) sanguis sub specie panis, si in triduo mortis Christi ipsum aliquis cõsecrasset. Quid tum postea? An omnia, quæ separari possunt, sunt accidentaliter coniuncta? Pes potest homini viuo salua vita præcindi: non tamen est accidentaliter in homine. Anima & corpus morte dirimuntur, & tamen non coniunguntur accidentaliter. Iam certè per gloriam resurrectionis corpus Christi, anima eius, & sanguis nequeunt ab inuicem diuelli. Propterea probabilitate caret, sanguinem Christi per accidens nunc corpori eius, vbicunque sit, consociari. Quo spiritu agantur, produnt Aduersarij. Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est. Fortassè & hanc sententiam libenter è scripturis tollerent & eraderent, vt olim fecisse conuicti sunt, qui diuinitatem à dispensatione hominis Christi sublatam desiderabant & defendebant. Illusores concomitantiæ videant, quodnam Christi corpus in ipso sacramento effingant, & quodnam sacramentum, cuiúsve effectus introducãt. Minus miramur Cinglianos & Caluinistas huic infestos esse, cùm ex ea posita facilè diluerentur eorum sophismata de natura corporum & locorum, cùm corpus filij Dei iam glorificatum aliis infinitis modis præcellat: sed illa sublata non aduertunt Luthetani se corpus Christi in ordinem & regulam aliorum purè carnalium redigere, omnémque illi præstantiam adimere, ac sacramentariis veritatem prodere. Libenter Cinglianos & Caluinistas rogarem, quodnam corpus in cœlo situm & sanguinem affirment se capere spiritaliter per fidem. An aliud constituant, quàm cuius fit mentio in oratione Christi de Cœna? An ipsum exangue, ac sine concomitantia diuinitatis, & animæ atque sanguinis desigunt in cœlo? Si ornatum suis omnibus perfectionibus agnoscunt, sinant nos pari iure corpus memoratum à Christo interpretari, eóque perfecto in sacramento panis perfrui: atque ipsum multis legibus adhuc terrestriũ aliorum corporum soluere & eximere.

Socrates lib. 7. cap. 32.

Ex Aduersariis Ioannes Hus, Ioannes de Rochezana, & Hussitæ Bohemi illorum sequaces, atque etiam Vvirtembergensis Confessio, & ex Lutheranis alij nonnulli admittunt totum Christum sub qualibet specie: negant tamen inde obsistendum verbo Dei, quod nõ frustrà duplicẽ speciẽ præscripsit, quàm sit nefas violare. Tres autem præscriptionis causas in genere non tantùm isti, sed etiam alij afferunt: Quòd mutiletur sacramentum Eucharistiæ vna parte, si prætermittitur poculum: Quòd fructus & effectus sacramenti imminuatur: Quòd defraudetur finis & ratio instituti sacramenti ad repræsentationem passionis Dominicæ, & celebrationem. Principiò respondemus integritatem huius sacramenti non in vsu materiæ totius consistere, sed in eius consecratione. Nihil autem interest sumentis, an totam materiam accipiat, modò nihil de re contenta depereat: neque si plus de materia retulerit, propterea plus de te reportabit: alioqui maiorem panis portionem

Aliæ rationes, quas afferunt Aduersarij pro necessitate vtriusque speciei.

In quo cõsistat integritas sacramenti Eucharistiæ.

capiens, amplius de re & de corpore Christi caperet. Deinde integritas sacramentorum dupliciter spectatur, aut quoad rem & efficaciam, aut quoad materiæ & signorum significationem. Prius non exigit vtramque speciem, vt statim probabitur. Posterius verò requirit, sed non necessariò & absolutè, sed tãtùm ad emphasim & ampliorem significationem. Quamobrem disputarunt Christiani patres, an vna species cõsecrari posset à sacerdote omissa altera, pluresque & antiquiores ac doctores in eam sententiam descendunt, vt possit, quia in vna parte materię res tota, eiusdémque efficacia cõtinetur, & significatio nõ prorsus omittitur: neque cõsecratio vnius partis pendet ab alterius sanctificatione, quandoquidem forma verborum absolutè enuntiat, *Hoc esse corpus*, sine dependentia à futuro. Potest etiam incidere tanta necessitas & raritas vini, vt in tota regione non inueniatur, quemadmodum narrãt de nouo orbe, vbi satius videtur potiri corporis & sanguinis oblatione & sacrificio, atque eius perceptione sub vna specie, quàm omninò priuari, ob alterius speciei defectionem. Ita censuit Albertus cognomento Magnus, qui ante annos trecentos suo de Missæ tractatu ait, quòd in terris, vbi nõ habetur vinũ, expediret dispensari, quòd corpus Christi sine calice conficere possent, cùm ipsum non sit sine sanguine, anima & Deitate. Propter has causas Innocentius tertius reiicit eos, qui irritam iudicant esse talem consecrationem, grauiter tamen peccare, quisquis illam temerè vsurpauerit. Raphaël Volaterranus scribit Innocẽtium quartum, Noruegis hoc petẽtibus, quia ob immensa frigora vinum nec apud se natum habẽt, nec foris allatum ab acedine custodire possunt, concessisse, vt memoriam Dominicæ mortis, solius panis cõsecratione, & Dominici corporis oblatione, absque vino sacrato agerẽt. Bernardus quæstionem ponit, atque ita decidit. Cùm prius de pane corpus, quàm de vino sanguis, more Ecclesiastico conficiatur, si per obliuionẽ tardius, quod posterius sacrandum est, apponatur, non video quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quod si Domino post factum de pane suũ corpus, vini cõsecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certè penitùs omittere: nihilominus corpus mansisset quod fecerat, nec factis facienda præscriberent. Nec nego panem & vinum aqua quidẽ mixtum simul debere apponi: quin potius assero haud aliter fieri debere: sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquã, est quod causamur, non bene quippiã fieri, & aliud quod mentimur, nec fieri. Neque id esse absurdum Adrianus sextus Papa & Alexander Halesius cõfirmant. Sic enim Adrianus docet: Dico quòd vbicunque verum scandalum imminet pusillorum, vtique licet in casu dicto nõ procedere ad sanguinis consecrationẽ, quia maius longè est præceptum euitandi scandalũ proximi, quàm integrè celebrãdi, vel sumendi corpus & sanguinẽ Domini, quod est merè positiui iuris humani. Imò voluit Alexander de Hales, quòd si aquam sumpserit sacerdos, priusquàm aduertat non esse vinũ consecratũ, debet pœnitere de negligentia cõmissa, sed non vinũ de nouo ponere, aut cõsecrare, quia ieiunus non est: vt scilicet præceptũ Ecclesię intelligatur cum superadditione ieiunij, & ita non ieiunus excusetur propter impotentiam, quam ignoranter incurrit. Maximè ergo in casu scandali licet vinum non consecrare. Hactenus Adrianus. Huic subscribunt recentiores doctissimi Tapper, & Ioannes Hessel, atque alij. Sunt qui refragentur, in quibus Caietanus sacrilegium vocat, consecrare panem, & non vinum. Sed fortasse Caietanus id quoque ex Lutheranis, sicut alia multa, imbiberat: nec si sacrilegium sit, proinde diuino mandato repugnat. Multa enim sacrilegia fiunt, quæ solùm sunt contra humana præcepta, non diuina: sicut sacrilegium est violare festa natiuitatis & resurrectionis Domini & Apostolorum, agrum illis diebus colendo: & tamen

Bonauen. lib. 4. Senten. dist. 2. quæst. 2.
An vna species possit consecrari sine altera.

...cent. 3. lib. ...

Bern. epi. ...

Adrian. in 4. ... quæst. ... rebus præ... impedimento ... commun. ...

Alexand. Ha. ...

... in Art. ...

tamen ius diuinum non præcepit, vt illis festis ab opere seruili abstineamus, sed Ecclesia. Verùm nec aduersarij meritò possent istud improbare, etiamsi vtriusque speciei consecrationem iuris esse diuini affirment. Nam si ex eorum opinione integritas sacramenti constituitur à Christo ex vtraque specie consecrata: igitur nec in extraordinaria, quam vocant communione ægroti, nec abstemij, nec persecutione, aut alia necessitate oppressi, cùm pascuntur vna specie, caperent à Christo constitutum sacramentum, nec potirentur re contenta, atque eius efficacia, imò sacrilegium incurrerēt. quòd si per ipsos, vt antea produxim⁹, necessitate excusantur, aut ex alia legitima causa ab vtraque specie sumenda, nec præuaricantur diuinum præceptum, nec fraudantur re & fructu veri & integri sacramenti: cur non in pari causa & necessitate sacerdos excusabitur ab vtraque specie consecranda, etiamsi diuino decreto aliàs ad vtramque teneretur? Cùm ergo integritas sacramenti Eucharistiæ de sua natura non exigat consecrationem vtriusque speciei, quanto minus flagitabit vtramq; ad sumptionis perfectionem. Quominus verò audeamus asserere necessariam consecrationem illam offerentibus, & sumptionem vtriusque singulis communicantibus, de iure diuino & præcepto impedimur moderatione Pauli, qua distinctè dixit, Quotiescunque bibetis, siue, Quotiescunque manducabitis, hoc facite, atque exēplis Christi & Apostolorum, quos consecrasse sub vna specie, sicuti communionem sub eadem tradidisse nihil vetat: impedimur etiam tot purioris Ecclesiæ exemplis, atque ipso publico vsu dandi atque suscipiendi communionem in vna specie. Nam si Christus ista tam districtè, quàm volūt Aduersarij, iussisset, nemo (ait Augustinus) eum morem variasset, nec Ecclesia eam variationem patienter tulisset. Atqui (aiunt Aduersarij) sumptio vtriusque speciei vocatur à Braccharensi synodo Completa cōmunio, & à Gelasio, Integrorum sacramentorum perceptio: & sanguinis dispēsatio appellatur à Iulio, siue potius Iuliano, Complementum communionis, & à D. Ambrosio, Sacramentorum consummatio. Ex quo concludunt integrum sacramētum non excipi sine calice. Sed ista nos nihil mouēt. Verum est complete sacramentum suscipi per calicem, sed materialiter tantùm; quia materia tota consummatur, & consumitur: attamē nihil plus rei aut vtilitatis affert, licet plus significationis habeat. Reperies apud Patres attendi aliquando integritatem sacramentorum, & complementorum penes materiam, aliquando penes rem & fructum, aliquando penes significationem. Sicut in baptismo trina mersio, completio erat olim baptismi, sed materialiter & ad complementum significationis de triduo mortis Christi: nihilominus baptismus intra vnam mersionem, aut aspersione tenus, integrum, perfectum, & cōsummatum est sacramentum quoad efficaciam, quæ curanda est potissimùm, non autem quantitas materiæ, aut plenitudo significationis, quæ sunt accessoria, & non de genuina substantia sacramenti. Ita in Eucharistia panis & calix integritatem & completionem afferunt sacramento, sed materialiter, & quoad plenitudinem significationis. Attamen panis sacer, aut poculum, imò eorū quotalibet minima pars reputatur integrum & perfectum ac completum sacramentum, quoad rem, & eius efficaciam: nimirùm quoad Christum totum, & nobis ab ipso collatam refectionem sub signo sensibili, quæ maximè de sacramento expeti debent: non autem copia, aut duplicitas materiæ, aut amplitudo significationis, quæ sunt accessoria & accidentia sacramentis, quia licet materia & significatio pertineant ad rationem & essentiam sacramentorum, non tamen materiæ quantitas, & significationis magnitudo. Quapropter sicut Ambrosius atque alij calicem dixerunt esse consummationem sacramenti, siue completionem communionis, ita cōtrà Cyrillus minimam portiunculam panis vocat totum sacramentum, quod paulò ante citabamus post Synodum

Distin. 2. De consecr.

Ambros. lib. 1. Offic. cap. 41. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17.

Ephesinam: sed Ambrosius ad materiam spectauit, Cyrillus autem ad rem & efficaciam. Animaduertendum est etiam à Gelasio & Braccharēsi synodo percelli hæreticos, quasi mutila fide sua mutilarent ipsa sacramenta: quoniam non completè credebanr quod de ipsis credēdum erat, ideóque ex infidelitate sua ab eorum parte abstinebanr. Proinde, nihil proderat, quod de ipsis sumebant, nec complementum sacramenrorum assequebantur quoad rem siue efficaciam, nec quoad materiam. Nā cui multa connexa ad credendum proponuntur, si ab vno aberrat, nihil credere iudicatur: si autem in nullo deficit, complementum obtinere censetur. Sic Ambrosius scripsit: In Trinitate si vnum neges, totum subrues: si nec vnum abeneges, plenum est fidei sacramentum: si autem vnius minuas potestatem, vacuum est omne mysterium: Sic Gelasius & Braccharenses, negant completè capi Eucharistiam à Manichęis & Priscillianistis, quoniam fide deficerent erga eius aliquam partem, & vna eius parte vtentes, erga alteram malè afficiebantur. Ideóque debere addunt de inregris sacramenris, & vtraque parte eorum rectè sentire, & ad vtramlibet cum sana fide accedere, aut ab vtraque propter infidelitatem erga vnam arceri. Et ista est emphasis verborum, quam vrget Gelasius, & Braccharensis synodus. Ad

Argumenta Aduersariorū de necessitate vtriusque speciei ex fructu.

vtriusque speciei necessitatem exrorquendam Aduersarij ex vtilitate & fructu ratiocinantur, quàm nequaquam parem atque æqualem sub vna atque sub vtraque his ferè rarionibus conātur ostendere. Aliud efficit cibus, aliud potus, hic sitim, ille verò famem sedat. Deinde Eucharistia sub alterutra specie verè sacramentum est, nec minus efficax est Christus in sanguine suo sub vini forma, quàm in corpore suo sub panis effigie. Adhæc sacramenta omnia iuxta communem regulam ex opere operato gratiam conferunr. Cùm igitur Calix, sacramenri nomē mereatur, obtinebit effectum spiritalem, & augebit aur confirmabit gratiam acceptam in communione corporis. Ac quamuis sub vtraque specie totus sit Christus, operatur tamen secundum earum significationem, & vtitur sub vna corpore, ranquam instrumento, atq; sub altera sanguine. Præterea cùm sacramenta conferant gratiam, quam significant, quando completior & perfectior est significatio, pleniorem esse oportet effectum. Insuper teritur in Theologorum scholis axioma, Sacramenta nouę legis nullius causam existere, nisi cuius imaginem gerant. Cùm igitur manducatio corporis in panis specie nullam imaginem & similitudinem prę se ferat potus spiritalis de sanguine Christi, neque sanè gratiam hanc spiritalis potionis ex vi quidem sacra conferet. Plus igitur gratiæ spiritalis erogabit digna manducatio, & potio sacramentalis, quia plus

Heßel fol. 170. 180. De communione sub altera specie.

ex similitudine repræsentat atque significat. Postremò concludūt nec frustrà nec inutiliter sanguinis potum sacramentalē à Christo institutum, si dignè & legitimè sumatur. Istud est maximarum rationum compendiū, quibus nos aggrediunrur Aduersarij: sed veritate & scripturis munimur. Patres imprimis ex Manna non solùm tā-

Tātùm fructus esse sub vna specie, atque sub altera.

tum rei & cibi sub minima elementorum particula percipi docuerunt, sed etiam tātum refectionis & vtilitatis referri, quoniam scribatur, Qui multum non abūdauit, & qui modicum non minorauit. Et panem dedisti eis omne delectamentum in se habenrem. Cypriano proponebatur quæstio, an tantumdem gratiæ reciperent, qui

Exod 16. Sapient. 16. Cypr. lib. 4. epist. 7.

perfundebantur duntaxat aqua, an qui toti abluebantur, aut ter immergebātur. Respondet, Æstimamus in nullo mutilari & debilitari posse beneficia diuina: nec minus aliquid illic posse contingere, vbi plena & tota fide dantis & sumentis accipitur, quod de diuinis beneficiis sumitur. Cuius æqualitatis sacramētum vidimus in Exodo esse celebratum, cùm de cœlo Manna deflueret, & futurorum pręfiguratione alimentum panis cœlestis, & cibum Christi venientis ostenderet. Emissenus quoque

Emissenus. ho. 5. De Paschate.

ex Manna probat, quòd Eucharistiæ sacra perceptio, non in quantitate, sed in virtute con-

te consistat: quia tantum sit rei & virtutis in exiguo, quantum constat esse in toto. Deinde scriptura tantum rei & vtilitatis tribuit vni parti, quantum vtrique. De re superiùs disseruimus. Si fructum ex Ioannis capite sexto colligimus, sicut dicitur, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ita subiungitur, Qui manducat hunc panem: &, Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: &, Qui manducat me, & ipse viuet propter me, vt ne plus duabus partibus quàm vni, aut ipsimet Christo sub vna existenti ascribas. Remissio peccatorum æqualiter panis formæ, sicut calici aut sanguini imputatur. Eundem enim finem significat, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, quem designat, *Hic est sanguis noui Testamenti*, qui pro vobis in remissionem peccatorum funditur. Quinetiam memoria & repræsentatio passionis ac mortis Dominicæ vtrique speciei ex æquo per eundem repetitum sermonem attribuitur. Pani siquidem subditur, Hoc facite in meam commemorationem: quemadmodum vulitas postrema patit coadunationem omnium nostrum cum Christo: atque hanc Apostolus pani soli defert, tãquam sufficienti, cùm ait, Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus omnes qui de vno pane participamus, ita Græcè legitur omnium exemplarium consensu, vt Erasmus annotat, & innuit Beza. Contrà vicissim vni potioni consociationem illam refert acceptam, quando inquit: Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptisati sumus, siue Iudæi, siue Græci, & omnes nos vnum spiritum potauimus: vbi vtitur eleganti anallage & commutatione, vt baptismo non coadunationem spiritus, quæ ipsi debetur, sed corporis, quæ propriè ex Eucharistia proficiscitur, reddat: & contrà ad potionem Eucharistiæ spiritalē nexum referat, cùm realis ac corporalis propriè ex ipsa acquiratur. Ac certè si in priori membro scripsisset Apostolus, vt habent codices Latini, qui de vno pane & de vno calice participamus, itidem fecisset in secundo loco, & meminisset manducationis, sicuti & potionis in eodem spiritu. At non voluisse addere, qui de vno calice inde constat, quòd, sicut dixit, Omnes vnum corpus & vnus panis sumus, qui de vno pane participamus: ita debuisset dicere, Omnes vnus sanguis & vnum poculum sumus, qui de vno calice participamus. Igitur finem omnem & effectum, qui ex communione speratur & quæritur, tam assequimur ex vna quàm ex vtraque specie, siue consideres memoriam & apprehensionem passionis & mortis Dominicæ, cuius merito omnis alius finis & fructus nobis obuenit, vt peccatorum remissio, vita æterna, coadunatio cum Deo & Christo, siue omnium membrorum inter se. Sed quò veritas perspicaciùs cernatur, pensitemus tria ordine: Rem, vnde spiritalis fructus prouenit: Rem, cuius merito fructus efficitur: & Rem quæ cum suo fructu commemoratur & repræsentatur in communione. Prima est totus Christus, Deus & homo, qui æquè inest cuique speciei, atque ambabus simul: & æquè ex vnaquaque sumitur, atque ex ambabus, sicut paulò antè euicimus. Et quod sub specie panis vi sacramenti, ac verborum sacramentalium, solum corpus esse dicitur, & non sanguis nec anima, ac diuinitas Christi, nisi tantùm concomitanter, vt nec sub specie vini corpus & anima, eadémque diuinitas, diuersitatem quidem ostendit inter transsubstantiationem panis, & transsubstantiationem vini, quæ conuertũtur vi verborum in id quod ipsis exprimitur: sed non ostendit diuersitatem in re, quæ per communionem sumitur, siue sub vtraque specie, siue sub vna: De modo quo insit, nihil refert, si verè ac realiter adsit: nec interest, si medicamentum idem sumas edendo & bibendo simul, siue edendo duntaxat, modò hic atque illic æquè insit, atque æquè percipias. Res autem illa contenta tam sub vna, quàm sub vtraque sacramẽti parte, operatur

1 Cor. 12.

omnem spiritalem fructum sacramenti. diuinitas enim est potissimùm agens. Eius instrumentum est Christi corpus diuinitati vnitum, etiam mortuum, sed multo ma-
Cyrill.lib.4. in Ioan.ca.14. gis viuum, sicut antea quoque docuimus. Non enim Christus (ait Cyrillus) solo verbo mortuos excitauit, & mortuos curauit, sed carnis suæ viuificæ contractu. Sunt etiam remotiora instrumenta, vt species ipsæ Eucharistiæ, atque sacraméta, aliáque quæ appellamus actionum media & organa: non tamen ad pluralitatem instrumẽrorum sequitur effectuũ multitudo, aut diuersitas, quoniam non ab instrumentorũ naturali virtute, sed à potissimo agente ac mouente prodeunt. Res, cuius merito effectus nobis procurantur, est corpus Christi mortuum, & sanguis eius effusus, siue mors corporis, & effusio sanguinis. Ea de causa omnia, quæ de sanguine Christi nobis emanarunt, imò omnia quæ de corpore & sanguine prouenerunt, eadẽ soli corpori mortuo Christi, siue morti corporis assignantur. Christus peccata nostra tulit
1.Petr.2. Esa.53. Ioan.3.& 12. 1.Corint.15. super lignum in corpore suo, liuore corporis eius sanati sumus. Corpus Christi à terra sublatũ omnia ad se traxit, & aspectu in ipsũ omnibus credẽtibus vitã cõtulir, vt æneus serpẽs omnibus ipsũ intuẽtibus sanitatẽ. In corpore vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. In corpore traditus est propter nostra delicta, resurrexit propter iustificationẽ nostrã. Innumerę sunt aliæ scripturę, quæ totũ effectũ spiritalẽ attributum sanguini fuso, & corpori simul, etiam corpori Christi, vel Christo secundũ carnẽ attribuũt. Nec interest, quoad hoc, mortuumnẽ corpus Christi, an viuũ consideres, quoniã sicut nec sanguini, ita nec ipsi vnquã di-
in Psal. 40. uinitas defuit. Propterea scripsit Ambrosius, ex illo defuncto corpore vitã manasse, eúmq; vitã produxisse è lateris vulnere. Res verò, cuius cũ suis effectibus fit cõmemoratio in cõmunione, est Christus Deus & homo, mortuus & rediuiuus ad remissionẽ peccatorũ, vitæ æternæ collationẽ, vnionem omniũ nostrũ cum Deo & Christo, atque inter nos mutuam. Constat autem ex allatis scripturis, vtramuis speciem tam perfectè nobis ista omnia afferre & exhibere, quàm vtramque. Proinde non est, quòd ex fructu importuniùs rixemur de communione vtriusque speciei. Quòd si insistimus in modo sumendi diuerso, & modo significandi, qui variat ex duplici forma, panis, & vini, esus, atque potus, est quidem aliqua diuersitas inter esum solum, & esum atque potum simul: sed non tanta, vt ponat differentiam in re sumpta, eo quòd per esum simul & potum non adducitur plus spiritalis alimenti, quàm per alterum. Similiter in significatione & repræsentatione specierum est aliqua diuersitas, sed nec tanta, vt rei significatæ discrimen vllum appareat. Tria quidem
Species tria repræsentant. species ipsæ repræsentant. Nam species panis signat corpus Christi pro nobis mortuum esse, species verò vini sanguinem Christi pro nobis effusum. Sed siue dicatur homo se tradidisse in mortem ab aliis illatam, siue sanguinem aliorum violentia fudisse, siue vtrumque coniungas, eodem redit significatio. Deinde species panis denotat Christi carnem esse spiritalem alimoniam, & species vi-
August.tract. 99 in Ioann. ni, Christi sanguinem fieri spiritalem potionem. Sed in spiritalibus non differunt cibus & potus, odoratus, visus, tactus, sed vnum & idem ista omnia significant, & diuersitas ista nominum & significationum ex analogia rerum corporalium diuersarũ ducta, nõ facit in re spiritali diuersitatẽ. Ita Christus describit multis parabolis incremẽtum Ecclesiæ, & per granum synapis, & per fermentum mulieris, & tamen non est res diuersa. Apostolus Paulus suam prædicationem nunc cibum,
Eccles.15. nũc potum, nunc odorẽ, nunc fulgorẽ vocat, eandẽ vtique rẽ indicãs. Et sapiens sapientiã nũc aquæ comparat, nunc pani. Cibauit (inquit) illum pane intellectus, & a-«
Matt.5. Ioann.6. quæ sapientiæ salutaris potabit eum. Apud Matthæum & Ioannem Christus iusti-«
tiam nominat cibum & potum. Tertiò species ipsa panis designat mysticũ Christi

corpus

corpus ex multis conflari vnum, ſicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ſpecies vini myſticum Chriſti corpus vnum euadere, ſicut ex multis racemis vinũ cõfluit. Sed ſiue dicas Eccleſiam congregari in vnum, inſtar granorum & racemorum, ſiue alteram tantùm ſimilitudinem addas, eandem vtique rem enuntias. Itaque non ſolùm maior vtilitas fructus aut effectus non donatur ex duplici ſpecie potius quàm ex vnica, ſed ne quidem ſignificatur & repræſentatur. Nihilominus, quamuis idem ſit & repręſentetur effectus vtriuſque ſpeciei, & vnius, pleniùs tamen & luculentiùs exprimitur & figuratur ſub duplici ſpecie, quàm ſub vna: quoniam ſub vnaquaque duarum ſpecierum iteratur & conduplicatur à diuerſis rebus corporalibus ſumpta repręſentatio eiuſdem effectus, & ſub vna ſpecie tantum ſemel fit illius eiuſdem effectus delineatio. Nihil ergo diſcriminis inter communionem vnius & vtriuſque ſpeciei in Euchariſtia cõſtitui poteſt, quàm plenior & perfectior repræſentatio eiuſdem rei & effectus, tametſi non ſit maior & amplior illius donatio aut perceptio. At (inquiunt plerique) expreſſiora ſigna longè magis exuſcitant animum atque fidem: ideò ſacramenta viuidiùs, ampliùs, atque clariùs ſignificantia, fructus plus afferunt. Propterea Cyprianus muniendos martyres ait calice ſanguinis Domini, quo animẽtur ad intrepidam ſanguinis ſui effuſionem. Nihil ſanè incommodi fuerit, concedere vini ſpeciem efficaciorem eſſe & vtiliorem in ſignando & repræſentando Chriſti ſanguinem, & ad excitandam ac mouendam fidem, ad prodigendum ſanguinem pro Chriſto. Hoc enim non eſt proprium opus, aut effectus ſacramenti, ſiue non pertinet ad opus operatum ſacramenti, ſicut loquimur, ſed ad opus operantis: quod etiam ſine ſpecie vini, in ſpecie panis adimpleri poteſt, vel etiam ſine vlla ſpecie ſacramenti, per alia verborum ſigna, ſiue per preces, ſiue per alias pias meditationes. Quamuis igitur ad ſignificandum ſit luculentior vini ſpecies, non tamen eſt perfectior, quantum ad rem ſumptam, & operantem ſpiritalem effectum: nec expreſſiori ſignificationi maior fructus promittitur, quemadmodum non plus fructus habet, qui ter baptiſatur, ſeu in flumine mergitur, quàm qui aqua ſemel aſpergitur. Ex his Aduerſariorum propoſita argumenta facilè diluuntur. Nam ex ratione cibi & potus nulla oritur diuerſitas rei, quoniam in ſpiritualibus idem eſt cibus & potus, ſitis & fames, ſed in ſignis manet quædam ſignificandi eandem rem differentia, à variis ſimilitudinibus tracta. De vnitate & integritate ſacramenti Euchariſtiæ Aduerſarij pugnantia loquuntur. Nam quando exprobrant nobis, quòd mutilamus vna ex parte Euchariſtiam, quando abſtinemus à calice, de vtraque ſpecie vnum ſacramentum conflant: modò vrgent vtramlibet ſpeciem eſſe ſignum efficax, & ex opere operato peculiarem conferre gratiam, atque ita duo ſacramenta ex duplici elemento componunt. Fatemur quidem à veteribus ſæpè nuncupati ſacramenta & myſteria pluraliter, propter diuerſa ſigna exteriora, ſed re vera vnicum tantùm ab ipſis & à nobis traditur eſſe ſacramentum, quia ſub illis variis ſignis vnicam tantùm & eandẽ refectionem ſpiritalem ſignat & facit, ſicuti ipſa Euchariſtia vnum eſt ſacrificium: quia vtraque ſpecie vnum Chriſtum in cruce oblatum refert, & Chriſtus tanquam vnum contentum ſub ambabus ſpeciebus offertur: nihilominus ſub illis in ratione ſacramenti & ſacrificij longè vberioris & perfectioris eſt ſignificationis, quàm ſub vna parte, ſed non plus rei aut fructus aut gratiæ efficit, quemadmodum iterum repeto in baptiſmi trina merſione conſtituitur vnicum ſacramentum, quod idem vnica quoque cõpletur, ſed non adeò ſignificanter, quamuis quoad rem & effectũ ęqualiter. Sed notandum venit, quòd Chriſtus Lazarum excitauit ſuo verbo, & duodecim annorum puellã verbo & tactu: & quamuis non plus vitę puellę per plura ſigna & inſtrumenta intulerit, quàm per vnicum Lazaro: attamen eundem effectũ

Auguſt. tract. 25 in Ioann.

Cypr. lib. 1, epiſt. 2.

Reſponſio ad argumenta Aduerſariorũ.

non est priùs operatus in puella, quàm illa varia signa adhibuerit, quoniam ita decreuerat. Ita in baptismo non plus rei & effectus agit, qui trina mersione vtitur, quàm qui vnica: nihilominus nō prius eundē effectū imprimit, quā trinā mersionē absoluerit: quoniā pluribus signis ad eundē finē vti placuit. Quòd si prima mersione perficeret baptismū & effectū, in secūda rebaptisatet. Sic pari modo, in Eucharistię sumptione aut administratione, per vtrâque speciē nihil amplius rei & fructus quis peragit, vel acquirit, quàm per vnicam, nimirùm totū Christū, & eandē refectionē spiritalem: non tamen prius illud conuiuiū spiritale, & refectionē illā assequitur, quàm vtramque speciem acceperit, quoniam tot signis & instrumētis ad eundem finē vti voluit. Ex quo soluitur ratio, qua premunt bis sumi Christum sub vtraque specie: igitur plus fructus ex vtraque quàm ex vnica promanare. Nam vtrobique sumitur Christus: tanquam vnica refectio spiritualis, quæ non nisi duplici specie consummatur, quoties pluribus signis & instrumentis celebratur. Inde etiam satisfit argumento, quo tanto pleniorem effectum sequi aiunt ex sacramentis, quanto illustrior fuerit significatio, quoniam illa dicantur tantum gratiæ elargiri, quantum significant. Hanc enim rationem non valere monstratur ex æquali effectu baptismi per vnicam aspersionem, cum eo qui trina mersione administratur. Nam gratia Dei non pendet propriè à significatione sacramenti, sed à Christi institutione & promissione: alioqui omnia signa eandem conferrent gratiam, quàm sacramenta. Quia igitur sacramenta instituens, & gratiam sumenti promittens, non plus promisit ei qui sacramentum significantius sumit, quàm qui minus significans capit: ideò non est maior fructus, vbi est expressior significatio. Quemadmodum si Princeps promulgauerit, vt quisquis nummum insignitum sua effigie exhibuerit, accipiat eleemosynam, non minus recipit, qui nummum minus ad viuum signatum attulerit, quàm qui expressissimum. Porrò admittimus Theologorum axioma de similitudine & imagine rei, quæ per sacramenta nobis donatur. Nam etsi res illa in Eucharistia duobus modis signetur, eadem tamen est ad sensum, & eius imaginem vnica species gerit, sicut & altera: & proinde nihil obest, quominus illam ex vi sacramenti conferat. Non desunt docti homines, qui cumulari fructum ex duplici specie, atque id à scholasticis, tanquam problema indecisum relinqui asserant: nec absurdum esse, si idem Christus diuerso modo exhibeatur in diuersis speciebus, cùm in diuersis sacramentis baptismi & Eucharistiæ eodem Christo perfectè, quamuis vario modo, potiamur. De his quæ ante Conciliorum generalium definitionem opinati sunt, aut disputarunt plerique, iudicet qui volet pro suo arbitrio: sed post decreta duarum aut trium generalium synodorum iterum dubitare iam non est integrum. Atque vt in baptismo atque Eucharistia non eodem fructu & mensura habetur Christus, sic si probaretur non possideri eodem modo sub vtraque specie, quæstio poneretur consideratione digna. In baptismo vnimur Christo, & toto eo fruimur, sed non ad propriam eius personam, sed ad certum effectum obtinendum, nempè regenerationem. Ideò postea vtiliter adimus Eucharistiā, vt ei corporaliter in propria persona iungamur, & vnionē cū eo in baptismo inchoatā perficiamus, & acceptā vitā sustentemus. At singularis effectus vllus spiritualis ex vtraq; specie designari & probari nō potest, quin totus ex vnica reportetur. quid ergo? inutiliréme ac frustrà Christus vtrâque speciē instituit? Nequaquam. Nā nō est inutile perfectius oculis subiicere, & designare fructū Eucharistię, sicut non est inutile nec superuacaneum, si aliquis trina mersione baptiset, quamuis vnica aspersione eundem effectum regenerationis acquirat. Dicimus autem iudicari perfectius, comparando inter se ipsa signa indicantia, in quibus fortius

An Christus frustra instituerit vtrâque speciem.

&

& expressius significant duo cæteris paribus, quàm vnum: nec inutile significantius eandem rem demonstrare, aut per plura etiam non necessaria: alioqui Deus inutiliter & inaniter tot sacrificia, tot signa in lege & Prophetis instituisset, quæ vnum Christum aut aliquod eius mysterium multifariam, multísque modis prænuntiarent, cùm tamen per fidem vnum & eundem effectum eius & fructum præstarent, nec ad consequendum talem effectum homo singulis sacrificiis & omnibus signis indigebat, modò aliquo defungeretur pro sui status, legis, & temporis opportunitate. Plura verò instituit, vt redderetur populus inexcusabilis, si tot modis edoctus & admonitus, rem non apprehenderet: & si vnum deficeret, ad aliud confugeret. Præterea vtraque species ponit ob oculos passionis Dominicæ historiam & memoriam longè explicatius quàm vnica, eáque de causa nō superfluè duplicem speciem Christus instituit. Quandiu enim versatur ob oculos symbolū corporis à sanguinis forma separatum, quasi res ipsa geratur, mors Domini spectatur & annuntiatur. Propterea tertio loco expostulant nobiscum Aduersarii, quasi sublato calice rem institutæ Eucharistiæ obliteremus. Nam Apostolus ad Dominicæ mortis annuntiationem requirit edere corpus, & bibere sanguinē, quando inquit, Quotienscunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Nos contrà tria in Aduersariis reprehendimus: Quòd doceant in communione vnius speciei, gratiam quidem & sanctificationem impetrari per Christum, omnium bonorum fontem, sed non celebrari passionis Dominicæ memoriam: Quòd potiorem eiusdem mortis annuntiationem in communione collocent, & non in oblatione ac sacrificio: Quòd non existiment repræsentari mortem illam, nisi in sumptione vtriusque speciei. Nos autem credimus memoriam illam coli propriè & maximè per oblationem, nec nisi ex oblationis participatione sumptioni competere, in istáque fructum passionis potius quàm ipsam passionē cōmemorari, nec tali commemoratione carere perceptionem vnius speciei, quamuis non adeò sit celebris & dilucida. Exponamus ista. Christus sanè Eucharistiam, tanquam aliquod monimentum suorum beneficiorum fixit, & erexit coram Deo primùm, deinde coram hominibus. Nam si solos homines de suis beneficiis voluisset commonefacere, commodiùs per verba eorum mentem excitasset ad recensenda & cōsideranda sua dona: quia fides est ex auditu, & auditus per verbum Dei, sed allusit ad veteris legis ceremonias, in quibus bonorum à Deo collatorum commemoratio, & gratitudo, siue gratiarum actio, duobus modis instituitur. Ritu quodā & sacrificio oblato Deo, quo profiteamur nos aliquid accepisse ab ipso, & postea aliis actionibus & verbis, quibus nos memores & gratos testemur. Prior modus vocatur monimentum, seu memoria, & in sacrificio atque oblatione consistebat. Sic Pascha cum omnibus suis ceremoniis præcipitur fieri in monimētum seu memoriam liberationis de Ægypto. Sic primitiarum oblatione & esu, atque verbis in gratiarum actionē conceptis iubentur Israëlitæ eandē liberationē memoria repetere & celebrare. Sic igitur & nunc instituit Christus grata memoria Deo recolere, pro nobis vnigenitū ipsius in mortem traditū esse, nec solū recordari verbis, sed & munerū oblatione, monimentū ac cōmemorationem eius celebrare. Primitias igitur omniū frugū nos offerre iussit, id est, semetipsum vnigenitū Dei filiū, qui nobis datus est, & à nobis habetur sub specie panis & vini: Et per eū oblatū annūtiamus Deo Patri, siue commemoramus ipso opere oblationis mortē eius, & quasi mortis eius tropheum quoddā ac monimentū, coram Deo locamus, ac statuimus in gratiarū actionē. Sed quia verè pro inchoato beneficio gratias non agit, qui eius perfectione egestatē suā suppleri nō satagit: ideò in ipsa oblatione sacerdotes Israëlitæ pro se & pro populo

Quomodo celebretur in Eucharistia passionis memoria.

iubebātur precari, nec sufficiebat precatio, nisi de oblatis epularentur. Quoniam ergo scimus necdum nos plenè participes & cōsortes mortis Christi esse, in oblatione orat sacerdos patrem per filium, vt passionis consortium inueniant omnes Christiani: quod vt fiat, & ipsos oportet nō tantùm participium passionis orare, sed etiā sumere, & epulari de sacrificio in illius monimentum oblato. Propriè ergo memoria recolitur, & monimētum excitatur, facto, & non verbis: ipsa inquam oblatione, & sacrificio passionis Dominicæ: quod fieri debet Deo patri in gratiarum actionē. Deinde per eandē memoriā facto celebratā, ac per sacrificiū petitur participatio passionis. Tertiò editur de illo memoriali sacrificio. Itaque memoria & repræsentatio passionis non primariò, nec propriè, in manducatione exercetur, sed tantùm ex consequenti, sicut per effectū ostenditur causa. Nā quoad memoriā illā oblatio & oblati manducatio, contrario modo se habent: quandoquidem oblatio est ipsamet realis memoria, & repræsentatio mortis, quæ sistitur coram Deo in gratiarum actionem: deinde quærit applicari fructum illius passionis fidelibus: contrà digna manducatio ipso opere non statim recordationem passionis curat, sed fructum sibi applicat: & quia id assequitur mediante perceptione oblationis, siue memoriæ realis, tum ab effectu, & tanquàm secūdariò infertur & celebratur realis memoria passionis, tanquam illius fructus, & applicationis causa, túmque cogitatio & fides amplectitur, & ad gratiarum actionem, passionísque æmulationem accenditur: atque ita recordatio fit in communione, vt in oblatione dupliciter, ipso facto atque esu ipso, sed non propriè, nec nisi ex consequenti, deinde verbis, seu cogitatione fidei. Præclarè hoc animaduerterunt primi Christiani, qui memoriam ipsius passionis, quæ fit per Eucharistiam, prius peragi in sacrificio docent, quàm in ipsa communione: quos habes citatos libro primo De sacrificio, capite *Hoc facite*. Augustini plana est sententia, Christianos peracti sacrificij, quod in cruce obtulit Christus, memoriam celebrare sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi. Porrò Ephesina synodus videtur ipsamet quæstionem decidere, cùm initiò ait. Annuntiantes mortem vnigeniti filij Dei, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij seruitutem, & sic ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes effecti pretiosi corporis & sanguinis Christi. Videas autem omissa oblatione Patres, quoties commendant in communione memoriam prius fructum & effectum sacramenti laudare, qui ad salutarem passionis illius recordationem sit referendus, vt Augustinum, Gregorium, atque alios. Hinc duo errores Aduersariorū refelluntur, quibus non nisi administratione vtriusque speciei, viuam Passionis Dominicæ memoriam peragi arbitrantur, & in communione sub vnica tantùm gratiā & sanctificationem reportari, quasi in sola vtriusque speciei sumptione annuntietur mors Domini, & non multo magis per oblationem figuretur eius viua imago, quæ non tantùm mortem repræsentet, sed oblationem ipsam crucis in morte consummatam, & oblationis modum per sanguinis à carne effusionē, aut quasi aliqua perceptio Eucharistię detur, quæ gratiam afferat, quin mortem Domini annuntiet, aut de sacrificio ac reali memoria mortis illius prius oblata non pendeat. Hinc etiam elicimus non opus esse vtraque specie ad refricandam talem memoriam in sumptione. Nam cùm annūtietur mors Domini ex eo, quod edatur memoriale sacrificium Domini, istud edere dicitur, qui de ipso aliquam particulam aut bibit, & totius sacrificij particeps esse, siue de carnibus edatur, siue de libamentis bibatur. Sic Apostolus scripsit: Videte Israël secundum carnem. Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Nemo autem erat, qui totas hostias in veteri lege ederet: sed ob portiūculam esam censebantur hostias comedere, vel quia plures vnà cogregati edebant

August. li. 20. in Faust. ca. 18.

August. li. 3. de doctri. cap. 16. Greg. lib. 4. Dialog.

Totius sacrificij est particeps qui partē de eo capit.

hostias,eo pacto Apostolus loquitur. Sicut igitur in veteri lege,totius altaris siue sacrificij participes erant edentes hostiarum partem, ita in noua lege,totius sacrificij, quod de corpore Domini & sanguine offertur, socij & participes sunt, qui vnam speciem capiunt. Si totius sacrificij participes sunt, igitur rectè Christi commemorationem faciũt. Hoc idem ex sacrificiis idolorum aperit Apostolus: Nolo (inquit) vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. An non sentit Apostolus, quòd solo vsu idolothyti in honorem idoli, quis fiat totius sacrificij idoli particeps, & perfectus idoli cultor, & similiter solo calice sumpto. Certè hoc ipsi Gentiles benè intellexerunt. Nã ex Cypriano atque ex aliis noscitur, quòd quando Tyranni vi adigebãt Christianos ad idolorum cultum, non cogebant eos totum idolothytum absumere, & vinum libaminum exhaurire. Satis erat eis, si vel offulam aliquam, aut particulam paruam de sacrificiis idolorum gustarent, aut modicum quid idolo offerrent, scientes eandam esse vim in exigua particula ad honorẽ idoli sumpta, quæ & in integro sacrificio votato. Ita quoque se res habet in isto sacrificio. Aequè particeps fit totius, qui vnã speciem, atque qui vtrãque sumit. Aequè ergo Christi memoria celebratur vnius speciei sumptione, atque vtriusque. Propterea tam pani quàm poculo subiecit, *Hoc facite* in meam commemorationem. Quinetiam per Dominicum corpus videntur melius reuocari in memoriam, quæ omnibus cognitu sunt necessaria, quàm per calicem: ob ídque melius & perfectius per speciem panis recolitur mors Domini, quàm per calicem. Antea disseruimus Annuntiare mortem Domini, non contineri sola memoria historiæ de passione, sed profiteri oportet, & contestari Deum & hominem pro nobis mortẽ functũ esse, neque solũ istud, sed tanquã Dominũ deuicisse mortẽ, rediisse in vitã, ascẽdisse, atque in dextera patris regnare, vt pro nobis interpellet. Hoc enim est meditari & annuntiare, non cuiuslibet, sed Domini, ac Dei mortẽ. Hæc omnia ad salutem omnibus cognitu necessaria Apostolus Corinthiis pronũtiat. Hæc eadem omnia, proposito Christi corpore in sacramento, facilè menti nostræ & fidei occurrũt, cũ vix meminisse corporis Domini possimus, quin illa omnia ipsi euenisse ex Symbolo Apostolico, & ex Catechismo meminerimus. At non ilicò talia ad sanguinis effusi & à corpore separati nomen sese cogitationi & memoriæ offerunt, nec nisi ex consequenti apprehenduntur. Ad sanguinis effusi vocem duplici imaginatione & cogitatione affici possumus. Aut enim propria locutione effusum concipimus, vt in his, quib⁹ caput amputatur: aut figuratè pro quocunq; modo extingui & necari. Si in sacramento enuntiatur in prima significatione, & designatur propriè sanguis è toto corpore Christi profusus, sed maximè è latere cum aqua, ideóque calix miscetur aqua, tum recordari totius profusionis de corpore Christi, aut eius quæ de latere manauit, non simpliciter est de cognitu necessariis ad salutem, vt nec singula quæ Christus pertulit, inter illa reponi debent, nec illa alia summa redemptionis nostræ mysteria, ex illa profusione veniũt prima facie cogitanda. Quòd si secundo modo effusum sanguinem interpretamur pro violenta morte, vt scriptura intelligit, quoties nos sanguine Christi redemptos prædicat: tunc ad sanguinis effusi mentionem mors Domini omnibus creditu necessaria obuersabitur memoriæ, sed vnã non statim aut ascensio ex sanguinis effusione venit in mentem. Cùm igitur nihil per sanguinem ex necessariis ad salutem memoriæ suggeratur, quin idem & per corpus suppeditetur, multa verò necessaria ex corpore Domini cogitato vnà cogitentur, & animo concipiantur, quæ non ex sanguine: colligitur vnam speciem satis supérque esse ad annuntiandam mortem Domini, ac præstandã eius memoriã,

Quid sit annũtiare mortem Domini.

Quæ sunt cognoscenda ad salutẽ de Passione Christi.

ad eúmque finem commodiorem esse panis quàm calicis speciem. Quòd si Apostolus dixit, Quotienscunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:non ideò sic loquitur, quasi vtriusque speciei sumptionem ad expressionem mortis Dominicæ necessariam esse doceat:sed breuitatis causa copulat propositiones, quibus per repetitionem accommodari debet annuntiatio Domini, atque ita efferri: Quotienscunque manducabitis, mortem Domini annuntiabitis: & Quotienscunque bibetis, mortem Domini itidem annuntiabitis. Hunc enim sensum requirunt verba Domini ab Apostolo præmissa, quibus distinctè ait post panem, Hoc facite in meam commemorationem: & post calicem idem mandatum repetit. Nec si Apostolus vtrique speciei coniunctæ tribueret cõmemorationem, refragaremur, cùm fateamur vtraque specie perfectius & significantius passionis Dominicæ memoriam peragi: sed negamus illam vtramque necessariò requiri ad excitandam, quatenus oportet, in communione passionis recordationem. Ex ritibus communionis multas allusiones ad Christi passionem pii Patres meditati sunt, quas non improbamus: sed negamus institutas à Christo, aut esse necessarias: sicut aiunt ex panis fractione figurari carnis Dominicæ per clauos & flagella concisionem, ex calicis immissione in os facta sanguinis defluuium, atque alia pietatis exercitamenta. Postremò etiamsi vnica species sufficiat ad recolendam in communione mortis Dominicæ memoriam, non tamen fortasse suffecerit ad memoriale sacrificium illud passionis explẽdum, quoniam consistat in repræsentatione & oblatione, non tantùm corporis, & sanguinis Domini, sed mortis eius, quæ accidit in separatione sanguinis à corpore, atque ita sit figuranda: & quoniam in sacrificiis gratiarum actionis libamenta cum alia substantia carnis aut frugum adhibebantur, de quibus ex officio oportebat sacerdotes degustare, quoniam participatio de toto sacrificio erat de perfectione & complemento sacrificij, ac proinde illis iniuncta, non autem populo, cui satis erat aliquid edere de sacrificio, & arcebatur à toto. Quamuis autem in Euangelio permittatur à Christo calix & libamentum populo, nequaquam tamen præcipitur, nec vlla ratio conuincere potest necessarium, ac ne quidem vberius emolumentum ex eo consequi. Propterea libenter concedemus vtramque speciem necessariam esse ad perfectionem sacrificij, sed non ad perfectam communionem. Sunt etiam, & nonnullos antea produximus, qui probabiliter opinantur, Christum non præcepisse, vt etiam ipsum sacrificium semper sub vtraque specie offeratur. Si quidem cogitant hanc oblationem imitari sacrificium crucis, in quo Christus copiosam redemptionem exhibuit, etiam suprà quàm erat necesse. Vnde & aliqua passus est iam mortuus redemptione peracta, sicut vulnus lateris. Quid igitur si eodem modo instituit aliqua in sacrificio memoriali ad plenæ redemptionis ostensionem, quæ tamen non præcepit? Certè, Hoc facite in meam commemorationem, de sacrificio priusquàm de communione intelligi debet: & cùm vtrique speciei diuisim annectatur, proculdubiò ex vnaquaque specie memoriale illud sacrificiũ coalescere posse innuitur, tametsi quoad significationẽ & repræsentationẽ ac rationẽ absoluti atque cõsummati sacrificij esset imperfectius. Qua de causa sic necessitati vtriusque speciei ad cõplendum sacrificiũ subscribimus, vt sufficientiam vnius & permissionem damnare omninò non audeamus, maximè si ex necessaria causa detur, sicut antea factum ab Innocentio quarto recitauimus. In summa fatemur, perfectiùs significari Christi passionem, vtriusque speciei oblatione, quàm alterius tantùm, Fatemur denique spiritalem refectionem, quam præstat Christus, perfectius significari vtriusque speciei sumptione, quàm vnius

vnius.Sicut enim eadem res pluribus verbis expressa solet perfectiùs signari,quàm si vno tantùm verbo efferatur,ita in sacramentis vsu venit.Perfectiùs enim signat trina immersio baptismi,quàm vna tinctio. Sed hæc omnia nobis non aduersantur, qui studentes plus rei quàm signo percipiendo, dicimus Christum neque præcepisse in sacramentis obseruare ea quæ expressiùs signant, nec maiorem efficaciam expressiori significationi promisisse.

AN FVERIT ECCLESIAE IVSTA ET SVFFICIENS ratio,& potestas prohibendi calicis communionem populo.

CAPVT 4.

EVICIMVS,vt opinor,vtriusque speciei vsum, nec à Christo, nec ab Apostolis præcipi, ac proinde in libertate ac potestate Ecclesiæ relinqui,vt de vtriusque aut vnius sumptione statuat, quod sibi ac Spiritui sancto visum fuerit commodius. Nunc demus quod postulant Aduersarij,vtramque partem non solùm à Christo institutam fuisse,sed præscriptam atque imperatam.Nihilominus hoc concesso,authoritatem habet Ecclesia ex iustis & legitimis causis, præceptum Domini interpretari,atque ita moderari,vt maneat salua instituentis intentio,& factum etiamsi sit sacramentum, in externis ritibus quadamtenus immutetur. Id nobiscum fatetur Bucerus,& scribit,Ecclesiam in quibuslibet rebus & speciebus externis, etiam ab ipso Deo ordinatis & præceptis,pro occurrente necessitate & cōditione, dispensandi habere potestatem & authoritatem.Cùm enim eiusmodi in hominum salutē & vtilitatem institutæ sint,Ecclesiam quoque Bucerus agnoscit in illis posse moderari, ac dispensare, prout incidens necessitas vel conditio poscere videbitur. Inter mandata legis ad externam obseruātiam pertinentia, nullum seueriùs sanciebatur, quàm sabbathum: ita vt ne quidem liceret in ipso Manna ad vitæ necessitatem colligere:neque colebatur solùm tanquam præceptum, sed vt mysterium & significans sacramentum,sicut ex lege patet. Attamen docuit nos Christus,ne nimis superstitiosè literam & externum sabbathi cultum & ferias,sed ipsum potius scopum & finem, propter quem diuinitùs institutum est Sabbathum,accuratè inspiciamus, nimirùm salutem hominis in sabbatho quæsitam:quoniam(inquit)Sabbathum, propter hominem factum est,& nō homo propter sabbathum,&, Misericordiam volo potius quàm sacrificium.Hic igitur finis cùm attingitur & obtinetur,etiamsi videatur nōnihil contra literam fieri, præceptū tamen custodiendi sabbathi coram Deo impletur.Itaque licet discipuli Domini contra legis literam cernerētur agere, cùm sabbatho transirent per sata,& esurientes vellerent spicas,ac manducarent:tamen Christus eos innocentes,& præuaricationis minimè reos fuisse affirmauit.Itidem licet Paralyticus ille apud Ioannē sabbatho iussus tollere grabatū suū,atque id iubens Christus videretur infringere legem,secundum externā legis apparentiam, quoniam nefas esset sabbathis ferre onera:nihilominus factum defendit Christus grauissimè,nec se, nec Paralyticum contra legem peccasse ostendit: quoniam ipse sabbatho miserrimi hominis salutem procurasset,quem finem intēdebat sabbathum, & quoniam Paralyticus & Apostoli necessitati inseruirent,nec quicquā propria libidine,vel per contemptū agerent.Cæterùm non propterea omnimodam,sicut loquimur, præcipitē, ac temerariam potestatem sibi arrogauit Ecclesia ad inuertenda Domini præcepta & sacramenta,sed duo in summa semper spectauit,antequàm auderet quicquā mutare.Circumspexit quatenus de re proposita sibi potestatē fecisset Deus,&quàm iu-

Quando Ecclesia possit aliquid quod videtur esse contra præceptum Domini.

Bucer. in Cōsu. Antididag. Colon.

Bernard.lib de dispens. & præcept.

Exod.16.21. Leuit.19.23.26. Hier.26. Ezech.20. Deut.5.

Quid spectarit Ecclesia, antequam ageret contra Domini praeceptum. stam causam habetet potestatem illam exercendi. De priore videamus. Quoties Ecclesia animaduertit finem praecepti & sacramenti saluum manere, immutatione facta, de qua cōsulebatur: quoties comperit idem, quod ab ipsa petebatur, à Christo, vel Apostolis, vel Apostolicis viris scriptum aut gestum, vel experiri potuit miraculo, vel diuina reuelatione fide digna nō displicere Deo id de quo ambigebatur, proculdubiò intrepidè pronunciauit, sibi fas & in potestate situm id agere, vel praecipere, quamuis institutioni & scripturis de illo à Christo conspiceretur repugnare. An talem habetet potestatem Ecclesia, tempore Cypriani fuit in quaestione & controuersia positum. Tum aliqui decumbentes in lecto, baptismum acceperant, non immersione corporis in aquam, sed aquae sola aspersione, vel infusione. Dubitabatur an talis ritus pro Christi baptismo reputari posset. Negabant ferè omnes, quòd Baptisare non significaret aspergere, sed immergere, vel intingere, & quòd hoc sacramentum totius immergendi corporis, atque ex aqua rursus emergendi modum necessariò flagitaret: quia Christus certa cum conditione dixerit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: & quia eius ritus mysticā explicationem afferret Apostolus, quam esset nefas violare, cùm inquit, Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: & si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Imò Apostoli ipsi, ac primae Ecclesiae Patres, tam praeceptam in baptismo trinam mersionem, ac tam necessariam videntur iudicasse, quàm trium personarum prolationem distinctam. Sic enim Apostoli in quodam Canone decernunt: Si quis Episcopus aut Presbyter in vna initiatione non tres immersiones, sed vnam duntaxat, quae in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptisate: sed profecti docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti. Ad huius Canonis allusionem Tertullianus scribit: Christus nouissimè mandauit discipulis, vt tingerent in Patrem, & filium, & Spiritum sanctum, non in vnum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur. Praeceptū quoque esse Euāgelicum Pelagius Papa affirmat his verbis: Multi sunt, qui in nomine solummodò Christi, vna etiam mersione se asserunt baptisare. Euangelicum verò praeceptum, ipso Deo & Domino saluatore nostro Iesu Christo dicente & tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere, dicente Domino: Ite, baptisate omnes gētes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. His nō obstantibus, Cyprianus baptismum aspersione collatū, tam Christianum, sufficientem, & efficacem esse contendit, quàm illum, qui totius corporis immersione fit, quamuis ille videatur quoad vsum & administrationem externam elemetorum mancus esse & mutilus: atque in potestate Ecclesiae commonstrat tali vti, ex tribúsq; regulis quas perstrinximus, probationem suā adornat. Docet igitur multis scripturis purificationem & expiationem integrā non minus aspersioni, vel perfusioni, quàm immersioni competere, atque hunc vtrumque baptisandi modum, quoad vim & efficaciam, in idem recidere. Docet Apostolos in Actis vtroque modo perfunctos, & baptismum administrasse. Docet Deo miraculis & diuinis effectis baptismum aspersionis ratum esse apud Deum & gratum, ac parem gratiam cōsequi, cum eo quem Christus per immersionem constituit: idque certa experientia comprobari, quòd aspersione tincti aequaliter, impugnatione, vexatione, & incursu dęmonis liberarentur, atque alij immersi. Nec tātùm Ecclesię potestas circa materię varium vsum in sacramentis, sed etiam vsque ad formae & verborum mutationem protenditur, quibus sacramenta consecrantur, modo diuersa forma verborum in eandem fidem & sententiam conspiret. Iussit Christus baptisare in nomine Patris, & Filij,

An Baptismus sola aspersione conferri possit, & non trina mersione.

Canon. 50. Apost.

Tertull. in Praxeam & De corona milit.

De consecra. distin. 4.

Cypr. lib. 4. epist. 7.

Quatenus Ecclesia possit mutare formā sacramentorū.

Filij,& Spiritus sancti sed quoniam Apostoli fortasse rudioribus hominibus ex Iudæis,ac gẽtibus venientibus ad baptismum,mysterium Trinitatis expressum statim initio veriti proponere, ne in suspicionem plurium Deorum incurrerẽt, & vt ipsũ Christum altiùs animis imprimerent,ac celebriorẽ redderenr, ministrabant baptismum in nomine Iesu Christi,sine personarum enumeratione:quoniam rectè intelligenti vnius Christi nomen tantum valeret,quantum personarum distinctio:quãdoquidem Christi vocabulum,filium vnctum, Patrem vngentem, & Spiritus vnctionem comprehendit.Scio Melanthonem atque alios inficiari,collatum fuisse baptisma ab Apostolis sub forma,in nomine Christi,sed hac locutione intelligi fidem ac religionem Christi. Verùm pari ratione negari posset, à Christo baptismum institutum sub fotmula,In nomine Patris,& filij,& Spiritus sancti,& exponi,In nomine,pro virtute & fide,quibuscunque verbis enuntiaretur.At si cum in baptismo legitur,In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, pro formula baptismi accipitur, cùm in Actis Apostolicis nõ semel inueniatur baptismus irrogari in nomine Christi,cur nõ pro formula baptismi istud quoque capietur?Sed nec ad extremum Melantho diffitetur Apostolos in Christi nomine quãdoque baptisasse.Plures quoque ex antiquioribus ac Doctioribus Patribus sentiunt, & asseuerant ea formula Apostolos baptisasse,vt Cyprianus,Athanasius,Hilarius,Ambrosius,quod Nicolaus Papa non improbat,nec negari oportere Hilarius ait, propter quorundam peruersam intelligentiam.Si verum est (inquit) quod hæretici asserunt, Homoousion idcircò improbari oportere,quia vitiosè intelligi soleat,pereãt quoque omnia diuina illa & sancta Euangelia salutis humanæ,ne postremò Apostoli reperiãtur in crimine, qui baptisare in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti iussi, tãtùm in Iesu nomine baptisauerũt.Tot Patres igitur cõrestantur licere ab externis ritibus & verbis sacramẽtorũ à Christo ipso traditis & pręceptis recedere, modò de re ac fide nihil decedat, maximè si tribus rationibus,quas attigi,adiuuetur, & confirmetur mutandi authoritas.Nunc de posteriore inquiramus,& de causis, quæ iustæ ac legitimæ cẽseri debenr, vt varietur quod Deus & Christus statuerunt & imperarunt. In his,sicuti omnibus in rebus,habet magnã vim necessitas,cui cedunt diuina omnia atque humana iura.Propter hanc Christus sabbathum non dubitat violandum: Panes propositionis à Dauide iure manducatos air,alioqui extra necessitatem interdictos.Propter eãdem aspersionis & infusionis baptismum,introductum fatetur Cyprianus,vt necessitate vrgente (inquit)in ægritudine baptisati,gratiam cõsecuti, carerent immũdo spiritu,quo antea mouebantur.Alia sunt ferè innumerabilia, quibus aditum fecit in Ecclesiam, cõtra Christi & Apostolorum morem ac statuta necessitas.Nec reticeri debet hoc loco,quòd quamuis naturale sit ad ius pristinũ redire, sublata necessiratis causa,propter quam ab ipso discessum fuerat, attamen reperiuntur aliqua, quæ necessitas inuexit contra Christi verbum & factum expressum, & quæ illa remota remanserunt in vsu,quem ptætergredi non liceat, & ad morem ac institutum Christi reuerti sine offensione & reprehensione. Talis est modus baptisandi, quo nũc omnes vtimur per infusionem, vel aspersionem,& iam nemo per immersionẽ, quam sola necessitas sustulit, & alium modum induxit, qui contra Christi præscriptũ de immersione obtinuit. Altera sufficiens immutationis causa est hæresis. Nam quia ob exretna quædam etiam diuinitùs iussa,hæreses & scisinata oriuntur, ita vt hæretici externa illa in suæ hæresis confirmationẽ & propagationẽ contra Ecclesiã exaggerent:ptopterea immutantur multa,deseruntur alia,& quædã innouantur,ne vlla sit cõuentio Christi ad Belial,aut vlla societas lucis cũ tenebris:& quoniã duritia hæreticorum(ait Irenæus)frangenda est non suadenda. Frangas enim citiùs quã

An licerit Apostolis baptisare in nomine solius Christi.

Domin. à Soto in 4. Sent. dist. 3. art. 6.
Cyprian epist. ad Quirinum.
Athan. de Tri. & Spiritus.
Hilar. de syno.
Ambro. lib. 1. De Spiritu. cap. 3.
De consec. dist. 4. can. Quodã.

Necessitas, iusta causa recedẽdi à formula præcepti diuini.

Etiam cessante necessitate, retinenda ea quæ propter ipsam sunt introducta.
Propter hæresim à præceptorũ formula receditur, & rebus licitis atque assuetis.

corrigas, quæ in prauum indurauerunt. Ob id Ecclesia, quãtum potuit, salua veritate & fine institutionis, potius à Christi mandatis & constitutionibus abstinuit, quàm cum hæreticis aut scismaticis in ceremoniis externis conuenire voluit, quoniam fides & religio docetur, defenditur, & asseritur, tam facto quàm verbis: nec sufficit Ecclesiæ, vel Christiano, segregari ab hæreticis fide interna, verbo aut loco, sed opus est facto. Ita nos gerere edocemur à Christo, qui neglexit manuum ante prandium lotionem, nec contrà aspernabatur peccatorum congressum & colloquium, vt haberet occasionem verbis explicandi veritatem, & facto ipso refutaret duplicem Pharisæorum errorem, qui se sordidari putabant peccatorum consortio, & sanctificari atque expiari frequenti lotione. Paulus redarguit Petrum, quòd se segregaret à sodalitio & cibo Gentilium eo tempore, quo Pseudoapostoli vrgebant legem Mosis, & circuncisionem adhuc esse necessariam: nec voluit Titum Gentilem circumcidere, propter astantes falsos fratres & hæreticos, qui insidiabantur libertati Christianæ, ac studebant in seruitutem circumcisionis redigere, cùm alioqui Timotheo circumcisionem suasisset. Propter eos qui pertinaciùs baptismum insectabantur, Ecclesia penitùs repudiauit illum, qui per immersionem fiebat. Quandiu Praxeani aut Sabelliani grassati sunt, tandiu baptismum trinæ immersionis Ecclesia retinuit, atque ex Christi verbis præscripsit. At postquam Arriani irrepserunt, & contraria hæresi diuinitatem, sicuti personas diuiserunt, Ecclesia trinam immersionem dissuasit & aboleuit, quam antea tam seuerè indixerat. Sic Toletani Patres decernunt: Propter vitandum scismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismatis mersionem. Eandem causam Gregorius declarat apertiùs his verbis: Dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere, quãdo & in tribus mersionibus personarum trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed quia nũc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud nos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant, dúmque quod faciebant, faciunt, se morem nostrũ vicisse glorientur. Quoniam Tatiani, Manichæi, Priscilliani, atque alij ad cõmendationem sui erroris, omninò à carnibus abstinebant, ieiunio vacabant diebus dominicis, & in festo Natiuitatis Domini: ideo cautum fuit ab Ecclesia, ne quis quacunque ex causa in totum à carnibus degustandis abhorreret, aut illis diebus ieiunaret, aut carnium esum declinaret, etiamsi in diem Veneris, seu passionis, natiuitatis Dominicæ festum incideret: cùm prius plerique Christiani continerent tota vita à carnibus, & quocunque die liberè ieiunarent, ac die veneris ex præcepto ieiuniis & carnium abstinentiæ darent operam. Nunc (inquit Augustinus) postquàm hæretici, maximè impiissimi Manichæi, ieiunia diei Dominici non aliqua necessitate occurrentia peragere, sed quasi sacra solemnitate statuta dogmatisare cœperunt, & innotuerunt populis Christianis, profectò nec tali necessitate, qualem Apostolus habuit, existimo faciendum esse, quod fecit (ieiunandum scilicet die Dominico ob prædicationem verbi) ne maius malũ incurratur in scandalo, quàm bonũ percipiatur ex verbo. Tertia causa intermittendi, aut etiam inhibẽdi res licitas, pericula sunt, & scandala, quæ de illis emergunt. Propter hanc à Christo iubemur, ne demus sanctum canibus, & mittamus margaritas ante porcos. Propter eandem Apostoli baptismum in nomine Trinitatis expressæ ad tempus suspenderunt, & in nomine Christi tinxerũt, necnon à sanguine & suffocato, atque ab idolothyto interdixerũt. Moyses libellum repudij contra naturam, & institutionem sacramenti matrimonij dari permisit: Ezechias serpentem æneum iussu Dei conflatum comminuit. Paulus

August. serm. 30. De verbis Domini.

Ad Gal. 2.

Qua de causa trina mersio sublata, vel vnica prohibita.

Tolet. 4. can. 5.

Gregor. lib. 1. epist. 41. ad Leandrum.

August. epist. 86 ad Casulanum.

Quare non ieiunetur in die Natiuitatis Domini, & die Dominico. Propter scandala & pericula res licita mutantur.

iuniores

iuniores viduas nubere vult: & quamuis sciat satius esse mulierem non tangere, propter infirmitatem tamen cuique adhuc libero nuptias indulget. atque alia infinita reperies, quę pacis ac trāquillitatis gratia, & vt peccādi pręcinderentur occasiones, Ecclesia piè disposuit. His delibatis ad rem propius accedamus. Ecclesia nō temerè nec inconsideratè potestatem suam in tollendo calice exeruit: sed ex scripturis prius didicit, tantumdem rei & commodi ex vna specie reportari, quàm ex duplici. Ideo, finem sacramenti sartum tectum cōseruauit. Quæ sibi pręlucerent, habuit facta Christi, Apostolorum, atque Apostolicorum virorum, qui vtroque modo sub vno, aut sub duplici elemento Eucharistiā prębuerunt. Experimento miraculorum certior facta est, tam acceptam Deo cōmunionem sub vna specie, quàm sub vtraque: quoniam Deus illam plerunque cœlesti ac supernaturali aliquo effectu comprobauit in Serapione, Satyro Ambrosij fratre, puella, atque aliis ex Cypriano productis, &c. Quamobrem de potestate statuendi vnam speciem, & relinquendi, vel etiam vetādi vtramque dubitare non potuit: sed causarum momenta expēdi debent, an iusta sint & æqua. Melantho & Bucerus assentiuntur facilè Ecclesiam posse moderari cōmunionem, vt vtraque species habeatur libera, & nō necessaria: sed admirantur, quomodo prohibitio vtriusque speciei defendi queat, aut integrum sacramētum de medio tolli, quod tamen neque Angelos, neque hominē facere æquum sit, cùm verbo Dei præcipiatur, & institutioni aduersetur. Quibus respondemus, nec præceptū Domini aboleri, nec violari, nec vtramque speciem ab Ecclesia tolli, nec omnibus interdici, cùm sacrificantibus non tantùm permittatur, sed imperetur, & alibi relinquatur, vbi sine iustis causis impedientibus retineri potuit: nec integritatem sacramenti esse metiendam ex vtraque specie quoad rem & fructū, quem inuiolatum semper in sacramentis seruat & spectat Ecclesia, sed externa signa pro ratione temporum, locorū & personarum temperat. Idcircò authoritate sua potuit, saluo fine sacramenti, in communione subtrahere ac prohibere vnam speciem de duplici ex rationabili causa. Ita enim aliquam partem signorum in baptismo prohibuerunt Patres, & formā verborum mutauerunt, aliáque multa circa instituta diuina ac libertatem Christianam per Christum acquisitam innouarunt vel damnauerunt, quorum sententiam Deus ipse signis & portentis confirmauit, vt etiam declarauit se ratum habere interdictum, vel denegationem vtriusque speciei, sicut antea ex Halesio citabamus, si quando ex mala causa petitur. Quapropter non adeò æquum est attendi, quid de signis externis sacramētorum statuat aut veter Ecclesia, modò, inquam, nihil de re sacramenti depereat, quàm sunt rationes ad incudem iustitiæ & ęquitatis reuocandæ, quibus ipsa ducitur & mouetur. Primùm igitur necessitati patuit Ecclesia, vt Eucharistiam confici & administrari sub vna specie iuberet, vel permitteret, sicut in solitudinibus & regionibus, in quibus vini copia haberi nequit, & sicut in persecutionibus, ægrotis, & pueris factum & decretum antea disseruimus. Atqui hanc causam ab Aduersariis admitti prius monuimus. Melantho it inficias, materiam vel formam sacramentorum mutationi subiacere per Ecclesiam: postea tamen ait, sibi non displicere, Ruthenos, apud quos non vinum quia ibi non nascitur, sed Hydromeli, quod Medonem vocant, consecratur, eámque propter casum necessitatis dispensationem recipit. Sed præstaret vnam speciem etiam consecrationi adimere, quàm poculum non à Christo institutum, nec cum re significata conueniens supponere: quod Ecclesia de aqua sub Cypriano ab initio condemnauit, sed sub vna specie consecrari indulsit, quandocunque premeret necessitas. Deinde propter hæreses multa quoque circa species & ritus externos Eucharistię Ecclesia constituit vel abrogauit. Ad imitationem Christi inter communes epulas primi Christiani

Cur licuerit Ecclesia calicis communionem tollere populo.

Melantho De vsu integri sacramenti.

Circa Eucharistiam Ecclesia plura

mutauit contra Christi factum.

ſumebãt Euchariſtiam. Propter enatam inde hæreſim, quaſi nihil talis cibus ab alio diſcreparet, iubet Paulus extra, atque ante omnes alias epulas Euchariſtię cibum percipi cum probatione & exploratione fidei, ſiue de tali cibo atque pręparatione animi. Oportet (inquit) hęreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant: vt oſtendat ex qua cauſa aliquid de more ſumendę Euchariſtię immutet, ſalua ſemper rei ſubſtãtia. Inter Cœnę Dominicæ celebrandæ ſigna externa, non expreſſiùs per, Hoc facite, aut Bibite omnes, vtraq; ſpecies iniungitur, quàm lotio pedũ tanquam pręparatio Chriſtianis commendatur, & iubetur per iſta: Si ego laui pedes veſtros Domin⁹ & magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Beati eritis, ſi feceritis ea. Imò ſalutem denegat, niſi fecerimus ea quę ipſe tum egit, ſine quibus ait Petro, Niſi lauero te, non habebis partem mecum. Quamuis igitur ſerium ſit & graue Domini mandatum de proluendis pedibus ante Euchariſtię communionem, attamen propter ſuſpicionem anabaptiſmi, aut quaſi cuiuſdam baptiſmi, quem ex hac Chriſti ceremonia nonnulli ſtabiliebant ante Euchariſtiam requiri, ad abolendam talem opinionem, initio ritum hunc amouerunt à toto Paſchatis tempore, quo baptiſmus publicè miniſtrabatur in Eccleſia: poſteà penitus deletus fuit: & hanc rationem affert Auguſtinus: Ne ad ipſum (inquit) ſacramentum baptiſmi pertinere videretur, multi hoc in conſuetudinem recipere noluerunt: nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitarunt. Eccleſia igitur, quod externum erat, pro legitima cauſa remiſit, ſed finem & rem huius ſigni non neglexit, quæ ſine ipſo obtineri poterat, nimirum probatio ipſa, & præparatio interna, de qua ſine ſigno verbis his admonemur: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Ac ne quis extenuet ritum illum, tanquam purum ſignum, non ea dignitate pręditum, qua ſunt ſacramenta, certè Cyprianus, Bernardus, Optatus atque Ambroſius ipſum numerant inter non ſolius humilitatis, ſed etiam ſanctificationis ſigna & ſacramenta. Audi (ait Ambroſius) quia myſterium ſanctificatio eſt, Niſi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Eo loco habuerunt Patres, quaſi ad ſacramentum pœnitentiæ, confeſſionis atque abſolutionis aliquid pertineret, & inter alia valeret, quibus quotidiana nobis condonantur delicta. Attamen ſalua re ſignificata ſignum exterius propter abuſum & hæreſim obliterauit Eccleſia. Ebionitarum hæreſis pertinaciter ad normam legis Moſaïcæ Euangelij obſeruationem poſtulabat, & Euchariſtiam non niſi ex azymo conficiendam dicebat: quia omnem oblationem Domino offerendam fermẽto carere oporteret. Ad eam hæreſim extirpandam Leo Papa, teſte Richardo Victorino decreuit deinceps, ne ex azymo, ſed ex pane fermentato corpus Domini conſecrari. Contrà Græci Latinam Eccleſiam conuitiis laceſſiuerunt, quaſi fermentato pane prorſus Euchariſtia indigeret, & per contumeliam Azymitas Latinos vocabant. Peruincendæ ac proterendæ huius peruicaciæ cauſa deciſum fuit ex ſolo azymo conſecrare. Quoniam Valentiniani & Manichęi neſcio quem minimè verũ ſanguinem in calice fingebant, ab eodémque abſtinebant malirioſè, ad eos detegendos & reuincendos, vbi degerent, vtraque ſpecies diſtrictius ſolito indicta fuit, & pręcepta. Contrà quia Neſtoriani ad dictionis rigorem in calice purum ſanguinem, & non carnem contineri mentiebantur, & omnem concomitantiam atque connexionem naturarum à Chriſto & ſacramentis excludebant, ideò prẹter modum curioſiùs vtramque ſpeciem, quaſi ad integrum Chriſtũ hominem ſuſcipiendum, flagitabant. Ad eam hæreſim facto refellendam, quemadmodũ verbo fecerunt, credibile eſt Epheſinos Patres ſibi non defuiſſe, atque vnicam panis ſpeciem, quaſi totius Chriſti capacem, ſolito vehementiùs commendaſſe & propoſuiſſe,

Quare lotio pedum ſublata ante Euchariſtiam.

Auguſt. epiſt. 119.

Cypr. De lotione pedum. Ambroſ. lib. 3. De ſacram. cap. 1. Bernard. ſerm. De Cæna.

Cur Azymus, aut panis fermentatus in Euchariſtia.

Cur aliquãdo præcepta vtraque ſpecies aliquando vnica.

fuisse, ac fortassè præcepisse. Porrò cùm in omnibus sacramentis, tùm potissimùm in Eucharistia, cautionem reuerentiæ & scandali, necnon periculi, haberi Christus „hoc textu iussit, Nolite dare sanctum canibus, nec proiiciatis margaritas vestras „ante porcos. Quapropter Apostolus totus incumbit, ne indignè attrectetur vel suscipiatur Eucharistiæ sacramentum, trésque rationes profert, quia sit corpus & sanguis Domini, ad cuius præsentiam obstupescit omnis creatura, & curuatur omne genu, & cui pro dignitate impar est cuiuscunque honoris, vel laudis, vel reuerentiæ sollicitudo & exhibitio: grauitatem criminis interserit, quod committitur in indigna cõtrectatione, vel sumptione corporis & sanguinis Domini, ipsúmque comparat cum grauissimo Iudæorum parricidio & sacrilegio. Tertiò, ex magnitudine supplicij, crimen pollutionis & irreuerentiæ metitur quod in hoc seculo accersit omnia genera calamitatum, nec inultum patienter sustineri & perferri potest à Deo, & quod in futuro certam damnationem & iudicium meretur. Qua de causa Apostolus ipse atque Ecclesia omnem curam & diligentiam adhibuerunt, vt quanta fieri posset religione ac pietate, veniretur ad Eucharistiam, & omnis profanationis occasio vitaretur: quin satius esse semper duxerunt omninò non accedere, quàm indignis modis sacramentum hoc contingere. Augustinus agnoscit eò Apostolum & Ecclesiam retulisse omnes suas constitutiones de Eucharistiæ „digna celebratione & perceptione, atque inquit: Liquidò apparet, quando primùm „acceperũt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Num„quid propterea calumniandũ est vniuersę Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? „Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christia„ni priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per vniuersum „orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea „pransi aut cœnati fratres ad illud sacramẽtum conuenire debent, aut sicut faciebãt, „quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis miscere. Saluator non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, hunc locum seruaret. Ex eadem reuerentiæ causa statuerunt, non nisi probatos & confessos ad communionem venire: cauerunt ne quid de sacramento in terram decideret: cui periculo & similibus cùm aliter planè prouideri non posset, cessatum ab exportanda, domi retinenda, vel tradenda in manum communicantium Eucharistia, quod fecerat Christus: & fuit tempus, quo Christiani ad terrendas conscientias, Eucharistiam ipsam nemini porrigebant, sed exponebant cuique volẽti propria manu accipere. Cessatum est quoque à cõmunione infantium, propter indispositionem naturalem, & periculum irreuerentiæ, quæ circa sacramentum accidebat. Desierũt etiam à communicãdis ægrotis omninò, aut sub vtraque specie, in maxima virium imbecillitate. Ex eadem causa à mensa Domini publicos peccatores & pœnitentes excluserunt. De quibus omnibus Cyprianus rogatus de Histrione, respondet: Pu„to ego nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ doctrinæ congruere, vt pudor & ho„nor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Postremò non tam lege aut „interdicto, quàm sua sponte & profanationis ac sacrilegij horrore, quod frequen„tius in haustu calicis conspiciebatur, desierunt populi vtramque speciem ambire & accipere. Libentiùs verò in eo cõsenserunt, quo importuniùs Berengariani & Vvicleuistæ eos exagitarunt de suis hæresibus: quibus vt obsisteret Concilium Constãtiẽse, definiuit consuetudinẽ cõmunicandi sub vnica specie panis à populo retinẽdam esse, tum propter illas hæreses, quæ assererẽt vtramque speciẽ necessariam esse ex Christi præcepto, & ex natura rei, quasi nec totus Christus, nec totus sacramenti fructus sub vnica consisteret vel perciperetur, tum propter scandala &

In Eucharistia maximè scandala & pericula vitanda.

Aug. epi. 118.

Propter periculũ irreuerẽtiæ multa mutata circa Eucharistiam.

Clem. Alexãd. lib. 1. Strom.

Cypria. lib. 1. epist. 10.

Cõcil. Cõstant. Session. 13.

sacrilegia, quę in dies magis ac magis augerentur ex calicis populari sumptione, & quòd ista cõsuetudo cõmunicandi populũ sub vnica panis forma, sit rationabiliter introducta, & pro lege habẽda, à qua nemini liceat propria authoritate recedere: atque ita concludit Synodus: Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem obseruare sit sacrilegium & illicitum, cẽseri debet erroneum: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi. Aduersarij calumniantur hanc Synodũ, & proscindunt miris conuitiis, quasi minime generalem, & quasi per imperitiam lapsa sit à præcepto Domini, ipsúmque irritum fecerit propter cõsuetudinem per obreptionem introductam: & quasi per temeritatem & arrogantiam, ac propter traditionem suam à veteri & anteriori Ecclesia defecerit, in qua viguit sub vtraque specie Eucharistiæ administratio, tametsi eadẽ scandala & pericula imminerent: quasi denique per imprudentiã, sine rationabili causa remedium iniquum obortis scãdalis adhibuerit, cùm alia adessent æquiora, & iam per Ecclesiam comprobata, nimirùm vt cõseruato calice prouideretur de vasis idoneis, fistulis, atque aliis modis, quibus populus sine effusione & irreuerentia communicare possit, cùm etiam nostro tempore Græci omnes & Aethiopes Christiani viam illam nobis cõmonstrent. Hæreticis innatum, nullam Synodum amplecti, nisi per eam quo iure quáve iniuria obtineant quod cupiunt. Ab Arrianis numquam Nicena, nec à Nestorianis Ephesina, nec ab Eutychianis Chalcedonensis Synodus, pro generali & legitima habita fuit vel credita, sed eas à quibus damnantur, solent imperitiæ accusare. Certè si quæ Constantiæ conuenit multitudo Prælatorum, non miretur nomen vniuersalis Ecclesiæ, vel Synodi, quia Græci non interfuerunt, nec Nicenũ Conciliũ iure diceretur generale quia non legatur quisquam ibi ex Gallia aut Germania adfuisse. Si autem, vt veritas habet, hoc nomen meritò sibi vendicat multitudo pastorum à primo pastore Ecclesiæ conuocata, reliquis animo & consensu præsentibus, qui ob ratiocinabilem causam absunt corpore, æquè Constantiensis Synodus generalis fuit, vt Nicena. Sic Paulus corpore aberat, sed spiritu præsens in Ecclesia Corinthiorum agebat, quando incestuosus ille Satanæ tradebatur. Sic Augustinus dicit plenario concilio obtinuisse Catholicam sententiam, contrariam errori Cypriani: vbi plenarium Concilium nõ est necesse intelligere, omnium totius orbis Episcoporum in vnum locum conuentum, sed consensum omnium Patrum totius orbis, qui etiam ipso silentio in aliorum sententiam pedibus transierunt, aut scriptis suum suffragium sunt contestati: quemadmodum Eusebius ait ex prouincialibus Synodis de Paschate Patres inter se contulisse per Epistolas, atque ex Actis generalium Synodorum ita fieri solitum constat. Quòd si qui scismatici vel hæretici Episcopi abfuerunt corpore & animo, non imminuit authoritatem Concilij plenarij: quoniam tales iam ad Ecclesiam Christianã nõ pertinent, sicut scriptura pronuntiat, cunctas vndecim tribus, imò omnes filios Israël, concurrisse contra Beniamin ad vltionem impuri flagitij, & tamen inuenti fuerunt habitatores Iabes Galaad ibi non fuisse. Hi enim quia se à facto totius populi diuidebant, à populo Israël reputantur extranei, ideóque ab aliis omnes internecioni traduntur. Græci certè quamuis iam essent scissi & diuisi à Latinis tempore Constantiensis Synodi, tamen numquam tum, nec postea, quando ad vnionem redierunt, statuto vnius speciei reclamauerunt: imò huic cum aliis Latinæ Ecclesię dogmatibus consenserunt, & subscripserunt Florentinæ Synodo, quæ Constantiæ primum conuentum habuit. Quòd si Prælatorũ multitudo, si in Scripturis & libris Patrum exercitatio: si zelus ac studiũ instaurandæ doctrinæ & disciplinæ Christianæ collapsæ: si prudentia & experiẽtia, quibus

Quæ aduersarij cõtra Constans. Conciliũ obiiciant.

Quando Concilium dici debeat generale.

August. lib. 2. De baptismo cap. 4.

Euseb. lib. 5. cap. 23. 25.

Commendatio Concilij Constantiensis.

quibus pollebant plerique ibi præsentes, attenderetur, opinor Concilium istud cum omnibus, quæ vnquam de toto Christiano orbe coacta fuerunt, comparari, ac fortaßè anteferri posse. Interfuerunt enim quinque Patriarchæ, triginta tres Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, ducenti viginti octo Episcopi, ducenti septemdecim sacræ Theologiæ, & trecenti triginta vnus Iuris vtriusq; doctores, cum multis aliis ex Oriẽte & Græcia præclaris viris, vt Acta & historiæ ea de re conscriptę restantur. Inter hos quasi lumina emicabant insignes viri Petrus de Alliaco, Episcopus Cameracensis, qui Synodo librum suum De emendatione Ecclesiæ obtulit: Ioannes Gerson, quem propter eruditionem, & animi candorem ac feruorem erga puritatem Ecclesiæ, nemo non laudat Aduersariorum: Nicolaus de Clamangis, Archidiaconus Baiocensis, vir emunctæ naris in notãdis erroribus & abusibus, qui tum etiam librũ suum de corrupto Ecclesiæ statu edidit: Vincentius Ferrariẽsis, inter Sanctos postea relatus: atque eius generis complures alij viri, qui tum tẽporis nec Pontifici, nec Clero, nec Principibus, nec populo, in his quæ ad fidẽ, bonos mores, Ecclesięque reparationẽ pertinebant, nihil sunt adulati, vt Acta eiusdem Synodi ostendunt. Non credis hosce viros, atque eorum similes, potiùs passuros se fuisse mẽbratim discerpi, quã vel vni decreto assentiri, cui qui subscriberet, sacrilegiũ committeret, & verũ Christi mẽbrum esse desineret. Cur verò Canon De communione vnius speciei præfatur, matura plurium Doctorũ tam diuini quàm humani iuris deliberatione pręhabita, nisi vt intelligas nihil ibi pręcipitanter, aut temerè, aut inconsultò prolatũ, discussum & decisum, vbi tot excellentes viri ac pij diù multùmque priùs rationum momenta apud se expenderunt, & inter se contulerunt, ac cõtinuis precibus ac votis cum vitæ sanctitate coniunctis veritatem à spiritu sancto comprecari solebant? Si post cibum capere Eucharistiam Christus pręcepisset, nemo (ait Augustinus) eum morẽ mutasser, quia Christus suis nitentibus obstitisset, & à via veritatis & præcepti aberrare nõ siuisset: quãto minus, vbi nõ fuerunt duo soli, aut tres in eius nomine cõgregati, sed omnes vniuersi orbis Christiani aquilæ, & cœlestes magis quàm humani viri. Hoc est blasphemare Christum, qui orauit, vt Petri & cathedrę eius fides ne deficeret. Hoc est blasphemare Spiritum sanctum, quasi malè functus officio, non arguerit mundum de peccato, si Christi pręceptum violauit, & sacrilegio se contaminauit. Nemo Concilio restitit nec tum, nec postea ex Ecclesiis, vel viris Catholicis: tantùm inuenti sunt qui refragarentur, infecti aliis hęresibus & sordibus in Bohemia & Morauia. Propterea in Aduersarios valere debet Martiani Imperatoris post definitionem Chalcedonensis synodi responsum hoc: Verè impius & sacrilegus est, qui post Ecclesiæ & tot sacerdotum sententiam, opinioni suę aliquid tractãdum relinquit. Porrò Christianis satis est argumenti, Christum non tulisse legem, vel præceptum de communione sub vtraque specie tanquam necessaria, quòd Ecclesia cõgregata, post multam & maturam deliberationẽ tot doctorum hominũ censuit cõmunionem sub vna specie populo sufficere, quoniam eam nõ permisissent Christus & spiritus eius id decernere, si de vtraque contrariũ promulgassent pręceptũ. Sed neç Christus, nec Spiritus eius irrepere siuissent prauam consuetudinem, seu potius corruptelam pręcepti diuini ex tali communione: sed statim obrepẽti restitissent, & inualescẽti opposuissent veritatis repagulũ, nec vltrà progredi & obtinere fuissẽt passi. At ex eo quòd ei nascẽti pessimi quique repugnarũt, & optimi quique cõsenserunt, & proborũ fulta suffragio contra improbos & hæreticos emersit, atque in vniuersali Concilio à tota Ecclesia suscepta est & confirmata, indicium est maximum ductu Spiritus sancti cœpisse illam: & contrà consuetudo directione Spiritus sancti inchoata, & à sanctis Patribus diutissimè obseruata, attestatur Concilij constitutionẽ

Deo & Spiritui sancto gratam ac ratam esse. Non enim Spiritus sanctus Ecclesiam rātùm regit ac moderatur per constitutiones & canones, sed etiam per pias consuetudines, & earum introductionem: quemadmodum contra Cyprianum, & ab eo coactam Carthaginensem Synodum prouincialem, consuetudini scripturas & præceptum Domini obiicientem, Stephanus Romanus Pontifex & Catholici defendebāt, de nō rebaptisandis qui ab hæreticis tingebātur: quod tādem per Nicenam Synodū, & Augustini acumen vetissimum esse cōpeterunt, & euicerunt. Non igitur Synodus Constantiensis per consuetudinem & cōstitutionem suam irritū fecit mandatū Dei de vtraque specie, quod nullū esse sciuit, sed gratiæ spiritus sancti sacrilegia & hæreses de sacramento Eucharistiæ repugnanti nō restitit, sed obediuit: nec à veteri Ecclesia desciuit, aut ei quicquam contrarium cōstituit, quia vetus Ecclesia nusquam credidit indici populo communionem vtriusque speciei à Christo, imò multis suis exēplis docuit sub vnica arbitrariam esse & liberā, & ex vtraque hanc vel illam alteri præferendā ex rationabili causa. Nec si vetus Ecclesia duplicis elemēti cōmunionem singulis imposuisset, atq; alterius tantū prohibuisset: ideò nupera nostra Ecclesia aduersatetur illi, si cōmunionem sub altera tantū præferret, quoniā secundū varietatē tēporum & causarum statuta variantur humana, nec ob id sibi mutuò repugnant, quoniā eidem prudētiæ & æquitatis regulæ innituntur. Demus etiam Aduersariis, quod nūquam docebunt, & quod numquam fieri potuit, veterem Ecclesiā ita alienā fuisse ab vsu vnius speciei, quod eam non existimarit licitam: nō tamen statim consequetur, vel illā vel nostrā sacrilegij crimine teneri, si discrepauerimus opinione, aut actione, quoniā innumerabilia sunt: quę postquàm animaduerterūt Patres, & in lucem protulerūt, absq; sacrilegio fieri nequeūt, quæ tamē ante patefactionē & animaduersionē innocenter sine vllo sacrilegio fiebant. Non enim sic in principio aperit Spiritus sanctus omnia, quin experientiæ & prudentię hominū multa animaduertēda, & constituēda relinquat, & suæ directioni plurima particulariùs explicāda reseruet: quod & in veteri lege, & noua vsuuenit, & quantum ad dogmata quibusdā antea obscuriora, & quantū ad ea quę agere cōducit & expedit. Quodam tēpore non cōstabat quasdam scripturas esse canonicas: nō tamen indè rectè infertetur, anteriores Ecclesiæ, qui illas non receperunt, fuisse sacrilegos. Sic olim in primiriua Ecclesia quibusdam Christianis obscurum erat, & hoc citra graue crimen, an baptismus ab hæreticis collatus, habēdus & agnoscendus esser verus baptismus, & an saltè in Paschate celebrādo licerer obseruate legē Mosis. De quibus postea Spiritus sancti instinctu omnibus innotuit, quid Ecclesiæ diuinitùs traditū esset. Nec ob id tamē, qui prius in Ecclesia cōstituti & permanētes aliter senserūt, pro sacrilegis sunt habiti. Ita in his, quæ non tā doctrinam, quàm agendi modum concernunt, Spiritus sanctus multa suggerit Ecclesiæ, vtens experientia, & humani ingenij viribus ac suo afflatu: Circa sacramentū, de quo agimus, primùm pauca sancita sunt, & celebrarur etiam in profanis mensis à nō ieiunis, atque in locis nō sacratis. At Apostolus postquā in sacrilegiū id abire sensit, liberā hanc sacramenri sumendi rationē Corinthiis lege lata compescuit, & profanas mensas à conuentu Ecclesiæ, in quo sacramentum celebrabatur, sustulit, & alia deinceps constituenda monet, cùm ait, Cætera, cùm venero, disponam. Fuerunt qui infantulis hoc sacramenrum non tantùm dederunt, sed contenderūt esse necessarium, in quibus Cyprianus & Augustinus numerātur: sed benè perspectis scripturis & rationibus, tandem Ecclesia infantes tanti sacramēti incapaces iudicauit. Numquid igitur priores illos Sanctos sacrilegij accusabat, qui quadam innocenti simplicitate, omnibus non satis circumspectis, paruulis Eucharistiam porrexerunt? Sic in præsenti quæstione de communione calicis, non satis cōsideraris periculis, potuerūt

Etiamsi olim communio sub vna specie non fuisset probata, non sequitur tamen modò nō esse probandam.

veteres diù innocenter calicem administrare. At postquàm experientia rerum magistra omnia patefecit, & vniuersa Ecclesia statuit ad euitanda pericula illa consuetudinem communicandi Laicos, sub panis duntaxat specie, pro lege esse habendam, sacrilegij reatum incurrit, quisquis huius sanctæ consuetudinis abolitionem vrget, & ad eam imperitos atque imprudentes incitat & inflammat. Postea Aduersarij Constantiensi Synodo impingũt, quòd non ex causis necessariis vtramque speciem amouerit, quoniam hæresibus verbo & ratione mederi oporteat, & quòd vetus Ecclesia scandalis iri obuiam ostenderit, non ablatione calicis, sed per honestam & aptam dispositionem canalium, vasorum & fistularum, ac populi regimine, qui tam copiosè ad calicem confluebat, quàm nunc possit confluere. Ad prius iam satisfecimus ex parte, nonnulla proximo capite addituri. Non sufficit fidem profiteri verbo, sed facto opus est, sicut factis sæpè negatur Christus, & ea sunt immutanda, quæ patrocinantur hæreticis, & quibus ipsi ad errorem tuendum abutuntur. Nec viua vox, aut ratio, tam confundit & pudefacit hęreticos, quàm actio opinioni contraria. Vnius panis administratione citra calicem facto commonstratur totum Christum vni speciei subesse, & vtrãque speciẽ non desiderari ad sacramẽti veritatẽ & vtilitatẽ. In hoc æmulantur Constantienses veterũ Christianorũ diligentiã ac prudentiã, de quibus antea abundè. Quoad posterius, in legibus condendis, & consuetudinibus rationabiliter introducẽdis non debet spectari, quid absolutè possibile sit, siue quid homines otiosi apud se speculẽtur, sed quid per se vtili⁹ sit, aut quid hominũ multitudini magis expediat, aut quid plerũque soleat euenire: & cui vitio vt plurimũ cõmunitas, siue plerique de communitate subiaceant. Nec adeò cogitandũ quid antea gestum sit, quàm quid experientia planũ fecerit, & quid populus & tempus, quo viuimus, ferre possit. Constantienses ergo cùm scirẽt neque Christũ præcepisse, vt populus sumeret vtrãque speciem, neque maiorem fructũ esse ex vtraque, quàm ex altera, viderẽntque per longam experientiã rerũ taliũ, plurimũ periculi imminere toti Ecclesiæ ex populari calicis cõmunione, rationẽ inierunt, qua periculũ euitaretur sine vlla rei vel vtilitatis iactura, panísque vnica specie contentum populum esse voluerunt. Principiò pręstituerunt sibi finẽ debitũ sacramẽti, quod in cõmemoratione ac celebratione, honore & reuerẽtia corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi consistit, & in digna eius sumptione ad salutẽ, totiúsque Ecclesiæ ædificationem. Rectoribus Ecclesiæ incumbit, iuxta præcepta primæ Tabulæ, videre ne nomẽ Dei sumatur in vanũ à populo, & diuino nomini vlla infligatur iniuria, irreuerentia, blasphemia, vel contumelia: quanto magis corporis Domini, & memoriali ipsius sacramento. Eisdem quoque incumbit consulere populorum & totius Ecclesiæ saluti, necnon eorum periculis cauere ac prospicere. Debuerunt ergo non permittere saltem, imò prohibere, vnde diuinus cultus quouis modo conspurcatur atque vilescit, & quòd vt plurimùm Deo irreuerentiam per hominũ negligẽtiam atque infirmitatem, vel malitiam affert, & quod redundat in damnũ & periculũ populi, ac totius Ecclesiæ. At cõmunio notanter popularis sub vtraque specie habet annexã profanationẽ corporis Dominici, vnde periculũ sacrilegij, & in communicantes ac totã Ecclesiã Dei vltio certissimè ex Apostolo cõsequitur. Satius itaq; fuerit, eã communionẽ popularem omittere, quàm his malis populum & Ecclesiam exponere. Quamuis autem communio vtriusque speciei ex se non habeat adiuncta tot pericula, cùm si priuatim fiat & circumspectè, illis occurri possit & prouideri: nihilominus popularis & promiscua totius populi communio sub vtraque specie, irreuerentiam illam ac profanationem secũ trahit, interdũ minus, interdũ verò amplius. Principiò si populorum greges in eandẽ Ecclesiã ad cõmunionem conuenientes perpendas,

An periculis irreuerentia alius modis mederi possimus, quam ablatione calicis.

Quid spectandum in statutis condendis.

Videndum ne qua fiat irreuerentia Deo & Christo.

quanta vini copia opus fuerit, quanta capacitate vasorum vel multitudine, quanta deportatione vel transfusione: quæ geri omnia quomodo potetũt, quin multa fiant, quæ cauponam magis decerent quàm Ecclesiam, & lixiuiũ quàm sanguinem Domini, & quin plurima accidat potius quàm nulla effusio. Deinde in ipsa sumptione calicis populari, quot incommoda ac pericula circumuallant? In populo numeroso & frequenti sunt anus delirę, hebetes vel petulantes puellæ ac mulierculæ, senes tremuli, stulti & improuidi adolescentuli. Dum huc & illuc impellitur vnda populi, dũ quisque studet alterum anteuertere, & calicis haustum præripere, etiam per canales & fistulas: quàm facilè est per imprudentiam, vel imprudentem præcipitantiam, totum poculum, aut saltem guttulas sanguinis Dominici, vel in sinum, vel in barbam, vel in maxillas, vel in terram effundi: quàm facile plerosq; barbatos proluere barbã, & imbuere sanguine illo: quàm item facile alios auidiùs vel incommodiùs haurientes vel sugentes, per tussim aliquid excutere & respuere. Tertiò ex Eucharistiæ custodia pro infirmis, & eiusdem deportatione, quot incidere possunt anxietates & infortunia? Pauxillum vini repositum citò acescit, hyeme congelatur, æstate fugit, & fit vappa, vel putrescit. Quoties verò deportatur, quot occurrunt offendicula in via in ægrotorum ædibus & cubiculis, in morbis ipsis & ægrotis? Rident ista, qui nõ credunt ex vino Christi sanguinem fieri, aut non magnum esse piaculum, si calix effluat nulla fraude vel temeritate. At nos tam verè sanguinem Christi in calice consistere persuademur, quàm fuit in sinu matris. Proinde tam nefas credimus, guttam Dominici sanguinis effundere, quàm si Christum puerum in vlnis portantes, in terram sineremus corruere: & scimus Deum offendi, non sola fraude, dolo, & temeritate, sed etiam negligentia cautionis, qua eius irreuerentiam impedire possumus, ac Deum grauiter vlturũ, si statuto, vel lege, vel alia ratione irreuerentiã in Dominicũ sanguinẽ præcauere possumus, & nõ facimus. Postremò & irreuerentiæ genus orietur ex calice, diuisio nempè, ac dissimilitudo regnorum & populorum, diuitum & pauperũ, sanorum & morbo laborantium, circa sacramentum vnitatis, & redibit indignatio Apostoli, quòd alius sitiat, & alius ebrius sit. Regna enim & populi, apud quos non nascitur vinum, aut non nisi difficulter, grandíque pretio coëmi potest, vt sunt Noruegi, Dani, aliíque populi Septentrionales, & insulares, ad meridiem & occidentem, aut non habebunt pro totius populi communione vinum, aut non nisi magna difficultate, cùm interea nostri orbis regiones abundẽt diuersi generis vino: Nónne igitur hîc statim apparet diuersitas quædam Christianorũ circa sacramentum vnitatis & pacis? Concedatur ergo (inquiunt) vsus calicis his in regionibus, vbi vinum superfluit. Quasi non maximam curam gesserit Paulus, vt in sacramento vnitatis omnes concordes redderet, & non improbarit alios siccos Eucharistiã sumere, & alios vino madere. Sed nec facilè conueniet inter eos, quibus affatim vinũ suppetit. Causabuntur enim ditiores ac nobiliores se assuetos esse meliori vino, quàm bibat vulgus, nec eodem vase cum populo vti posse, quin nauseet stomachus & abhorreat: ideóque perurgebunt sibi ac suis consecrari lautius vinũ in mundiori vel pretiosiori vasculo. Plebeiis interea de viliori poculo dabitur communio. Atque ita renascetur despectus Ecclesiæ, & contristatio pauperum in ipso sacramento pacis: id quod Apostolus vehemẽter redarguit. Quis negabit Regi, Principi, ac Duci, aut viro nobili, consecrare vinum, cui eorum stomachus assueuit, & in vase quod circumferunt peculiare, ad tollendam suspicionem veneni? Nec solùm erit diuisio nobilium & diuitum à fæce vulgi & pauperibus, sed & ipsum vulgus causabitur se non libenter bibere ex scypho vel calice, ex quo alij grauioris anhelitus, aut alio morbo infecti hauserunt. Idcircò quisque studebit propriuꝫ domo afferre, nec hîc deerit ostentatio diuitia-

Causæ, propter quas in communione populari de calice, irreuerẽtia & scandalũ vix caueri possit.

Apud multos communio de calice obseruari nequit, ob vini defectum.

diuitiarum,& contemptus ac querimonia pauperum. At (inquiunt) vetus Ecclesia non tanti ista duxit,vel fecit, vt propterea priuaret populum & omnes laicos calice Domini: sed aliud est remediū euitandi ista pericula & scādala per varios calices & canales,ac fistulas. Multa ad hoc respondemus. Imprimis de multitudine & varietate vasorum nobis non liquere, cùm non deceat simul diuersos calices consecrare,& transfuśare sanguinem Domini,vt antè disseruimus. Allegantur quædam fistulæ argenteæ,quibus in nōnullis Ecclesiis & Monasteriis clerici & Monachi antiquo more suxisse dicuntur aliquid de sanguine Domini. Demus in Monasteriis & Ecclesiis nonnullis sicse nouisse,vt libenter quisque fistulam ori admoueret, quam alius in ore habuisset: numquid inde docetur,aut plebem Christianam talibus fistulis vti solitam,aut vnamquamque familiam propriam fistulam domo nō attulisse,aut populum tam benè animatum nunc esse,aut olim semper extitisse,vt libēter fistulam exciperet,quæ ab ore morbidorum, aut malè valentium prodiret. Præterea deferbuit ardor populi ac pietas,refrixitque charitas,disciplina Ecclesię collapsa,nec propter malitiam populi restitui potest adinstar veteris Ecclesiæ. Qua de causa charitas sufferendi inuicem,modestia,humilitas,reuerentia, ac terror ille antiquus indignè & irreuerenter sumendi Eucharistiam,reparari nequit & instaurari,vt æquè vitentur à nobis scandala & pericula,sicut à primis Christianis fiebat: nec quibuscunque modis & fistulis penitus auferētur scandala ab effrenato populo & corrupto. Propterea vetus Ecclesia non tantam frequentiam scandalorum experiebatur, quantam posterior ætas tulit: posterior verò experta est nec veterem Ecclesiam assecutam quod cupiebat, cùm in historiis legat scandalorum infinitam copiam, quæ de vsu calicis proficiscebantur. Constantienses insuper fuerunt edocti per experiētiam Ecclesiarum,quæ calicis popularem communionem retinebant: in quibus non obstantibus fistulis & aliis remediis,longè magis in dies inualescebant & augebantur sacrilegia & profanationes sacrosanctæ Eucharistiæ. Sic enim Vmbertus scribit de Græcis, „de quorum Ecclesia producunt exemplum Aduersarij. De ritu (inquit) vestræ Mis„sæ discere non curamus,quia minimam cautelam & maximam negligentiā ei inesse „cognoscimus,dum sanctum panem frangentes,& sumentes, hinc indè decidentes „micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palma„rum,aut setis porcorum, fricatis inhonestè. Nonnulli quoque vestrum tam irreue„renter corpus Christi reponunt,vt pixides indè cumulent,aut ne decidat, vel super„fluat, manu inculcāt. Reliquias quoque oblationis,velut communes panes,nonnū„quam vsque ad fastidium summum etsi sumere non sufficiunt,subterrāt, aut in pu„teum proiiciūt. Eisdem Leo nonus exprobrat: Subterrare,vel infodere sanctam Eu„charistiam in terra, sicut quidā dicuntur agere, aut in lagenam mittere,aut effunde„re illam, negligentia magna est, & nullus timor Dei. A Bohemis autem Calixtinis tot perpetrata sacrilegia narrant Aeneas Syluius, & acta rerum inter legatos concilij Basiliensis & Bohemos gestarum, vt aures piæ Christianorum non patiantur eorum cōmemorationem,sed ibi legere cuique liberum est. Denique vetus Ecclesia sufferebat scandalorum euentum,quia nondum expenderat,aut contulerat,vtrū esset minus perniciosum & sacrilegum, aut vtrum esset vtilius calicē tollere, atque vnà sacrilegia infinita impedire, quàm calice relicto, scandala & sacrilegia plurima perpeti. Cùm autem prius longè magis conducere post varias ac diuturnas disputationes recentiori Ecclesiæ reuelatum fuerit, & compertum, non tantùm potuit calicem populo auferre,sed debuit,quia omni ratione licita,ac sibi cognita,tenetur prohibere,ne inferatur Deo,nomini eius,ac Christo,irreuerentia & iniuria,& saluti populi ac totius Ecclesiæ consulere,quę periclitatur ex scandalis & sacrilegiis, quę à

communione populari de calice nulla ratione possũt adimi, nisi ablatione talis cõmunionis, quæ nihil offendit Deum, nec vllo fructu priuat populum. quamobrẽ rationabilẽ causã suæ constitutionis habuit Ecclesia, quæ propter hæreses cuicunque laïco interdixit de calice cõmunionem, & reliquit panis speciẽ ab eiusmodi hæresibus securã, nec sacrilegiis & profanationibus tam obnoxiã, quàm est illa quæ de calice sumitur. Nec iustior causa haberi potest omittendi etiã quod sanctũ & vtile est, quàm scandala & pericula, potissimum irreuerentiæ & sacrilegij contra Deum & Christum. Nam ad declinandũ scandalũ, faciendũ & omittendũ est quicquid fieri vel omitti potest, salua veritate vitæ, inquit Hieronymus. Cùm igitur probatũ fuerit, omissionẽ calicis nõ aduersari Euangelio Christi, aut saluti populi, omitti meritò potest ad fugienda scandala, sine quibus vix aut numquam administrari potest. Quãuis autem fortassẽ singularis atque solus laicus communicans de calice, cauere possit à scandalis & periculis, non tamen quod ratio suadet, & experientia perpetuò monstrauit, multus populus & promiscua turba. Quapropter rationabilis causa ex sacrilegiis & periculis spectat maximè & intuetur cõmunionem illam popularem & publicam: non tamẽ priuata cuiusque laici, sicuti nec presbyteri, periculis illis omnino vacat, sed presbytero nõ fuit ablata propter rarius illud periculũ, & quia ad eam ratione sacrificij atque officij magis quàm laïcus obligatur.

DIVERSITAS ADVERSARIORVM CIRCA VTRAMque speciem. CAP. 5.

Aen. Syluius in hist. Bohem.

CVM Aduersarij Ecclesiarum, ac Martyrum suorum successionem ad Vvicleuum & Ioannem Hus referant, saltem deberent sibi ab his hæresibus temperare, à quibus illos abstinuisse constat. Inquisitum fuit diligentius in eorum errores per constantiensem Synodũ, nec de cõmunione vtriusque speciei redarguuntur quicquam contra Ecclesiam Catholicam sensisse: quod etiam Æneas Siluius memoriæ mãdauit. Ex eorum sectariis Ioannes Przybram amplexus est cum aliis Calixtinorum errorem de calicis necessitate: his tamen verbis vsus est: Verumtamen hic Deum timens, & mores impios aliorum præcauens, fateor quòd quaslibet personas de Ecclesia communioni fidelium sub vtraque specie repugnantes damnare, aut hæreticare non intendo. Atqui si præceptum est Dei, vt sub vtraque specie sumatur Eucharistia, quid est quod ipse Dei timore se prohiberi dicat, quo minus mores aliorum impios imitatus eos damnet, qui huic communioni repugnant? quandoquidem qui contra Dei præceptum venerit, meritò damnari debeat. Quandiu sani animi fuit Lutherus, fatetur vtramque speciem non præceptam à Christo, nec suasit cuiquam audere aliquid contra communionem vnius partis, tametsi iam religioni & Ecclesiæ Romanæ bellum indixisset, donec aliorum stimulis in furorem actus, effutiuit ea quæ insani Orestis diceres esse somnia & deliramenta. Initiò disertè hæc verba scripsit: Quamuis pulchrum quidem esset vtraque specie Eucharistię vti, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium pręcepit, pręstaret pacem & vnitatem, quam vtique Christus pręcepit sectari, quàm de speciebus sacramenti contendere. Tum etiam alium libellum edidit, quem vocauit Eucharistię declarationem, in quo verbis istis vtitur: Non dixi, neque consului, neque est intentio mea, vt vnus, vel aliqui Episcopi, propria authoritate alicui incipiant vtramque speciem porrigere, nisi ita cõstitueretur & mandaretur in Concilio generali. Postea eadem de re tam variè scripsit, vt ciuis quidam Halensis,

De Vvicleuo et Ioanne Hus. Przybram De profess. fidei Cathol. ca. 19.

Hæc ex D. Cardin. Osio, libr. De Commun.

De Luthero.

Halensis, homo laicus, Gaspar Querhäner collegerit triginta sex loca inter se pugnãtia super vno duntaxat hoc articulo, qui est de cõmunione Eucharistiæ sub vna aut sub vtraque specie. Neque verò propterea diuersum scripsit, quòd secus postea sentiret quàm initio senserat, sed vt odium suum & furorem expleret. Nam cùm frater quidam hac de re sententiam eius oppugnasset, ait se prouocatum, ac per vim raptũ, in arenam descendere, vt ostendat omnes esse impios, qui vtriusque speciei cõmunionem laïcis denegant. Eò tandem illius furor progressus est, vt qui prius in Concilio statui cupiebat, vt sub vtraque specie sacramentum Eucharistiæ sumere liceret, postea auderet in hæc verba prorumpere: Si quo casu Concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque specie potiri: imò tunc primùm in despectum Concilij vellemus, aut vna, aut neutra, & nequaquã vtraque potiri, & eos planè anathema habere, quicunque talis Concilij authoritate potirentur vtraque. Non igitur alia de causa Lutherus oppugnare cœpit communionem sub vna specie, quàm vt aduersaretur Ecclesiæ, & legitimis eius Conciliis, sereréτque discordias, & abduceret discipulos post se. Germaniæ cothurnus Melantho consarcinauit librum De vsu integri sacramẽti contra communionem Catholicam: nihilominus hypotyposes à se recognitas emisit in lucem, quibus sicut edere suillã, aut abstinere à suilla, sic alterutra parte vti medium esse scribit. Quinetiam dicitur in priuatis colloquiis & consiliis nõ ratò coram suis discipulis confessus esse, quòd sit indifferens. Cúmque nonnulli ex eo quæsissent, num salua fide, religionéque sua, altera tantùm sacramenti specie vti possent, citra dubitationem vllam posse respondit. Bucero cùm sæpè aliàs, tum maximè in confutatione Antididagmatis Coloniensis, communionem vtriusque speciei insectari placuit: attamen in Colloquio illo Ratisponensi, cuius Acta edidit, inter alios articulos hunc assensu suo comprobauit. Ad controuersiam, quæ est de vna aut vtraque specie tollendam, cumprimis conductum, vt sancta Ecclesia liberam faceret potestatem sacramentum hoc in vna, vel in vtraque specie sumendi: Ea tamẽ lege, vt nulli per hoc detur occasio, quem vsum tanto tempore retinuit Ecclesia, temerę condemnandi, aut inuicem iudicandi. Certè qui liberum esse vult sub vna, aut sub vtraque specie sacramentum percipere, nõ obscurè videtur indicare, nihil ea de re tanquam necessarium à Christo præceptum esse. Melantho quoque & Bucerus cùm oppugnant vnius speciei communionem, eam Ecclesiæ concedunt potestatẽ dispensandi contra vtramque speciem, vt apertè significent non absolutè nec necessariò à Christo omnibus Christianis iniungi, cùm acriter passim tueãtur nihil Ecclesiã nec homines ipsos posse supra, aut contra necessaria Dei pręcepta. Hæc repeti debẽt ex libri huius capite De potestate Ecclesię in Christi sacramẽta. Brentius nulla in parte doctrinæ de Cœna Domini sibi constans ista profert: Hîc non quæritur, num permanẽte institutione Christi inuiolata, liceat aliquoties ex personali necessitate in Cœna, vel pane tantùm, vel vino tantùm vti. In hoc enim genere necessitas, vt dici solet, magistra est, & valet illud dictum, Ne Deus quidem cum necessitate pugnat. Sed quæritur, si quis excitatus ordinatione Christi, & cõsolationis indigentia suscepetit cœnam Domini sumendam, & reliqua omnia salua fuerint, nũ debeat integrũ sacramentum Cœnę iuxta institutionem Christi, an alteram tãtùm partem iuxta decreta Pontificum sumere. Ac de iis quidem, qui hactenus communi errore abrepti sunt, & tamen retinuerunt fundamentum pietatis, quod est Christus, supradictum est: & Deus tempore huius ignorantiæ dissimulauit. Si quis autem his temporibus, quibus Euangelium Christi diuino beneficio illustratũ est, & verus vsus cœnæ Dominicæ patefactus, alteram tantùm partem cœnæ Dominicæ ab Asoticis sacrificulis sciens ac volens sumpserit, eum ego iudico non simpliciter peccare, sed Euangelium

Luth. de captiuit. Babylon.

De Melanthone.

De Bucero.

De Brentio.

Brent. in Apolog. Confess. Virtemb. part. 2. Pericopes.

Christi abnegate, & se ipsum reum constituere, non tantùm eius iusti sanguinis, quē nostra memoria Pontifices & Sarrapæ eius propter vsum vtriusque sacramenti effuderunt, verumetiā quia effusus est iam indè à sanguine Abel iusti, vsque ad tempora nostrorum maiorum. Quare in hoc rerum statu tanta est necessitas sumendi vtramque partem Cœnæ, vt si quis integrū sacramentum nō porest contingere, saluti cōscientiæ suæ magis consulat, si nullam quàm si alteram tātùm partem sumpserit. Vides hîc Brentium præ impotenti iracundia multa impia & pugnantia proloqui. Idololatras atque omnes impios, qui ante sua tempora errauerunt à veritate, per ignorātiā coram Deo absoluit, Catholicam contrà omnem Ecclesiam prę se gloriosus ministet contemnit, & quia sibi reluctetur, æternis suppliciis addicit. Ait post Lutherū tanta necessitate omnes ad vtramque speciem obligati, vt potius saluti suæ consulat, qui nullam attigerit, quàm qui alteram tantùm. Ergo & in necessitate personali homo suę saluti & conscientię magis cauebit, si nullam potius acceperit, quàm si alterā: cuius oppositum initiò proposuit, & in eodem loco abstemios & ęgrotos ab vtraq; specie excusat, atque vna contētos esse iubet, potiusquàm nulla frui. Quòd si tātùm necessitatem includeret præceptum Christi, vt carere omninò satius esset toto sacramenro, quàm sola eius parte gaudere, certè quocunque casu magis expediret saluti in totum abstinere, quàm vnica specie muniri. Iacobus Andreas Smidelinus Brentij Magistri inuentis addit, atque ait: Nihil minus fieri, quàm veri corporis dispensationem, quando altera tantùm specie institutio Christi violatur & laceratur. Proinde nequidem necessitati parcit. Alij, vt Andreas Friccius, & Martinus Cemnicius, pręcepti Christi, tanquam omninò necessarij, importunissimi sunt assertores: suum tamen dispensationi ac priuatæ cōmunioni de vna specie relinquunt locum, eisdémq; præpediuntur absurditatibus, quibus alij. Caluinus cōtendit passim sub præceptum cadere, Bibite, & alia verba eodem halitu à Christo prolata in adiaphoris & indifferētibus ponit, vt est Accipite, quemadmodum antea notauimus. Obseruemus autem nihil aliud Aduersarios in hoc articulo, quàm pomum discordiæ inter Christianos immittere, ab eisdem ritibus abducere, & calumniandi ac secedēdi occasionem dare. Hoc fassi sunt Bohemi, primi motores hui⁹ tragœdiæ. Propterea enim Iacobello Misniensi scribuntur gratulabundi adhæsisse, quia reperisset scripturam & articulū, quo turpiter errasse Ecclesiam Romanam commonstraretur. Lutherus etiam profitetur amplexum se opinionem hanc de vtraque specie, vt à sede Romana & Cōciliis dissideret. Idcircò videas alios huius erroris defensores nō solere vehementius exaggerare vtramque speciem, nisi quoties in sacerdotes, aut sedem Romanam suos calamos stringunt: cùm verò animum referunt ad ipsas scripturas de re ipsa expendendas, & perplexitates hominum considerandas, ac veteris Ecclesiæ morem, animaduertas eos stilum moderari, multum remittere de pristina vehementia, & nonnihil æquitatis ad mitigandum Christi præceptum admittere.

AN ECCLESIA HABEAT IVSTAS RATIONES RE-stituendi calicem, an potius seueriùs prohibendi. CAPVT 6.

NON pauci sunt, qui rationabili de causa intermissam & interdictam fuisse à Constantiensi Synodo vtriusque speciei communionem facilè assentiuntur, & profitentur: sed maiori ratione reuocandam ac restituendam, quàm sit erepta, contendunt: tùm quia necessitas cogat, cùm aliter tot horrenda fidei & religionis scismata atque dissidia nequeant componi, aut ad aliquam moderationem reduci: tùm quia à multis principibus

cipibus & nationibus, piis viris & eruditis, tãtopere flagitetur, nec spes vlla affulgeat retinendi in pace & cõcordia populi Christiani, nisi relaxatio iuris fiat, & libera calicis perceptio concedatur. Quin certè liceat, non pugnamus, cùm Constantienses ac Basilieſes Patres in suorum decretorum fine consulant faciendum, modò tria habeantur comperta: Cessare offendicula hæreseõ, & profanationes, atque abusiones sacraméti, quarũ causa vtriusq; speciei cõmunio fuit ablata: modò rationi cõsentaneę, ac maximi mométi causę vrgeát, vt recedatur ab eo more, & iure Ecclesię, quod diu æquũ visum fuit, & generalis synodi constitutione confirmatũ: Et modò totius Ecclesiæ cõsensione, concessione atque authoritate fiat, quoniã ad eundé pertineat legé destruere, cuius fuit illã cõdere. De tribus his inquiramus ordine. Vtinã Christianus orbis verè dici posset repurgatus illis hæresibus & scãdalis, quæ calicé populo sustulerũt! Equidem non dubito, quin illæ causæ, quibus calicé repeti proposui, iudicarẽtur idoneę & iustæ, & quin vltrò Ecclesia ambabus, vt dicitur, manibus calicé cuique volenti accipere offerret: sed in eas temporũ miserias recidimus, vt nulla sit secta, quin eosdem illos errores amplectatur, ac longè plures & grauiores, & quin non contenta irreuerenter se gerere erga sacramentũ, hæreses addat, quibus ipsum pessundet ac cõculcet: ita vt vnicũ sinceri ac puriputi Catholici internoscendi signũ certum restet, à quibuscunque sectis, quæ nostra ętate sunt innumerabiles, si rectè sentiat, & communicet de sola panis specie, quemadmodum mihi respondit Serenissimi ac Christianissimi Imperatoris Ferdinandi consiliarius quidam valde pius & eruditus, quem rogabam & interpellabam coram Deo, ne grauaretur mihi dicere sententiam suam, an crederet in conscientia expedire Germaniarum populo calicem permitti. Non expedire dixit, vel propter eam, quam proximè recitaui causam. Cui cùm ego subiecissem, Quid ergo tantoperè instát sacratissimi Imperatoris Legati, vt à Tridentina Synodo remitiatur calix populo? Persuadetur (inquit) Imperatoriæ Maiestati, Bohemos, & ex Lutheranis nonnullos duces ac Principes mitigari posse, & viam ad concordiam iniri: sed hoc mihi non persuadeo. Tum eram Oeniponte in comitatu illustrissimi Cardinalis Lotharingi, qui ex Tridentino Concilio Imperatorem adierat, ad captanda auspicia nuptiarum, quæ postea inter Christianissimum Regem nostrum Carolum nonum, & piissimam Principem Helisabetam Austriacam Maximiliani Imperatoris filiam ratæ ac celebratæ fuerunt. Proculdubiò sectæ dissectæ conspirant in eo, quòd concomitantiam naturarum Christi sub vna specie irrideát, ac quãuis ei aduersentur ex diuersa causa, & nõnullæ obscuriùs, aliæ verò manifestius, omnes tamen ipsam repudiant & damnant, nec vllã potes excipere præter Vvirtembergensium & Brentianorũ confessioné, qui totũ Christũ cuique speciei inesse agnoscunt, propter vbiquitaté, quam vtriusque naturæ in Christo statuunt, errorémque errore pellunt. Hi atque alij cuiuscũque opinionis Ecclesiæ desertores, multò obstinatius inficiantur perfici sacramentũ ex vna specie, aut omné sacramenti fructum referri: sed asserunt vtramque partem à Christo præceptam, atque esse inuiolabilem & necessariam ad sacramenti cõfectionem, perceptionem, ad agendámque passionis Dominicæ memoriam. Nec verò solum sacramétum ipsum indignè tractant & profanant, sed insuper sacrilegia sua & profanationes nouis hæresibus cumulant & defendunt. Itaque quoniam non tantùm adhuc vigent, & grassantur hæreses & scandala, sed etiam ingrauescunt & conduplicantur, quæ causam edicto de cõmunione vnius speciei dederunt, tantũ abest vt abrogari debeat & expediat, quòd si iam latũ non extaret, ferri & à Catholicis accuratiùs obseruari oporteret: nec vllo pacto potest Ecclesia petentibus hæreticis, aut in gratiam eorũ cuiuscũque postulationi annuere, de abrogatione talis cõmunionis, quoniã ipsi nõ licet.

Antequàm cõcedi possit cõmunio vtriusque speciei, quæ requirantur.

Hæreses impediunt, ne concedatur calix.

Anno 1561.

Satius pati scandala & scismata, quàm malæ opinioni quicquam permittere.

Quinetiã inutiliter, imò cum maiori detrimento fidei & veritatis indulgeret, quàm tolerando scisma, & quorumcunque ab Ecclesia defectionem ac separationẽ: quãdoquidem ferendo iniuriã & malũ, cui non potest mederi, non peccat, nec cõmunicat peccatis alienis. At indulgendo vtramque speciem stantibus hæresibus, facto hæreses illas confirmat & propagat, atque alia damna fidei infert. Dicamus initio de his, qui hæreses illas tuentur, in ipsisque persistunt obfirmati & tamen petunt calicem: postea dicturi de his qui pollicentur resipiscentiã & reditũ ad Ecclesiam, si communio vtriusque speciei concedatur. Primis petentibus non potest Ecclesia talem communionem liberam facere, tanquam licitam, aut cum tali communione ipsos recipere, tanquam fideles & Christianos. Quòd non possit ipsis rogantibus vtramque speciem dare, constat, quia nihil esset aliud, quam hæresin quasi sanctam ad altare introducere, ac opere ipso eam in altari profiteri & fouere. Sicut enim obedire imperanti aliquid, quod fortè aliquo casu licitum est, sed dum hoc imperatur, imperatur tanquam opus infidelitatis, tum eius protestatio est verè fidem abnegare: Ita quando aliquid petitur, quod tanquam licitum ex aliqua iusta causa concedi posset, si conceditur, dum ex infidelitate petitur, & vt qui petit, per hoc suam hæresin opere ostendat, est hæresin in subdito approbare. Maccabæi Martyres, fame cogente, poterãt suillam licitè edere: abnegassent tamen fidẽ & legem, si paruissent Antiocho iuberi ad infidelitatis professionem, eandem manducare. Sic multis concedi potest ob infirmitatem, tanquam rem licitam ex iusta causa, vt totam Quadragesimam non ieiunent: nulla tamen relaxatio permitti debet iis, qui hanc extorquent per hæresin, quasi ieiuniũ non sit maioris meriti, quàm honesta refectio. Ac licet fortassè non illegitimè, si causa vrgeat, permittantur cõiugati fieri sacerdotes, dum tamen hoc petitur ex hæresi, quasi lex continentiæ credatur impossibilis, aut quasi continentia non sit gratior Deo, quàm matrimonium, nulla ratione cõcedi decet. Præcedẽti enim capite probauimus, exẽplo Christi & sanctorũ Patrũ, fidẽ tũm maximè facto protestandam esse, quando ab Aduersariis oppugnatur, nec ad horam quidẽ hæreticis cedendũ esse. Quòd autem vtẽtes cõmunione vtriusque speciei cum aliqua hæresi de Eucharistia, nec haberi, nec suscipi queãt inter fideles & Christianos, vel indè patet, quòd maneãt hæretici in errore fidei pertinaces, ob idque à gratia, & numero fidelium alieni, inter Ethnicos & publicanos numerandi, saltem hoc nomine, quòd Ecclesiam nõ audiant, quòd iudicant totam Ecclesiam Catholicam à tẽpore Concilij Constantiẽsis errasse in fide, atque hominibus pręcepisse errorẽ de cõmunione vnius speciei contrariũ diuinę scripturæ, sicque Spiritũ sanctũ exulasse à mundo: eòque grauius peccant, quòd in hæresi maneãt fixi & obstinati post veritatẽ demonstratã, quæ nõ solũ aperitur scripturis & authoritatibus sanctorũ, sed etiã totius Ecclesię definitione, approbatione, atq; consensu.

Aug. lib. 3. De baptism. ca. 4. lib. 1. cap. 8.

Augus. lib. 5. De baptis. ca. 5. lib 1. De pecca. meritis ca. 34.

Sic sanè Augustinus respõdet Cyprianũ inter hæreticos de rebaptismo non esse habendũ, quia necdũ fuerat vniuersalis Ecclesiæ & plenarij Cõcilij assensu dogma rebaptisationis confutatũ: sed Donatistas cõtrà inter hæreticos annumerat, quia consensui Ecclesiæ post eius definitionẽ se opposuerũt. Nec certè vnquam admissus est rediẽs ad Ecclesiã, nisi anathematisato & eiurato errore, qui definitioni Ecclesiæ repugnaret. Augustino nõ placet recipi eos, qui aliquid de Donatistarũ anabaptismo adhuc saperẽt, vel de Pelagianorũ pedobaptismo. Cyprian' confessionẽ & eiurationẽ omniũ vsque ad minimã suspicionẽ plerũque exigit, & à Theodoreto Synodus Chalcedonẽsis nõ est cõtenta semel anathema singulorũ errorũ requirere antequã ipsum restituat. Propterea rectè concludit Synodus Cõstantiensis, tanquã hęreticũ arcendum & puniendũ, non autẽ suscipiendũ, qui pertinaciter asserit consuetudinẽ

An hæreticis petentibus sit dada communio vtriusque speciei.

Alioqui licita ex causa fiunt illicita.

com-

communicandi ſub vna ſpecie non eſſe laudabilem. At (inquiunt nonnulli) cur non concordiæ cauſa tolerabitur hic error in Eccleſia, cùm Apoſtoli grauiores errores in imbecillioribus ſuſtinuerint, & tanta æquitate fuerint, vt non ſolùm non præceperint illis contrarium, verumetiam propriam ſententiam apud illos diſſimularint, & in ſimilibus caſibus diſſimulandum eſſe docuerint. Si ſcādaliſauero fratrem (Apoſtolus inquit) non manducabo carnem in æternum: vbi tantoperè ferri vult fratrem errantem in ciborum delectu, vt potius abdicemus nos re licita ac libertate, quàm talem offendamus. Adeò fraternitatis & vnitatis conſeruandę erant ſolliciti Apoſtoli, vt omnia omnibus fierent ad omnes lucrifaciēdos, & ſe aliorum errori potiùs accommodarent: nec modò permittebant Iudęis legem Moſis, vel vt ipſam putarēt non antiquari aduentu Chriſti, ſed etiā circuncidebant cōuerſos, vt Timotheū. Irenæus etiā rogat Victorem, Romanum Pontificem, ne ab vnitate Eccleſię abſcindat Aſianos, quos in celebratione Paſchæ à Romana Eccleſia pertinaciter diſcrepare videbat. Haud dubiè Apoſtolus aliter ſe geſſit cum infirmis & ignorātibus Iudęis & Gētilibus, aliter cum peruicacibus & ſcienter errantibus: aliter ante Hieroſolymitani Cōcilij de legalibus Moſis definitionem, aliter poſt. Cum primis pacē coluit & amicitiam: quia imperiti legis Euangelicæ legem obſeruandam iudicabant, & Gentiles aliquid de ſua priſtina conuerſatione retinebant: ac ne huiuſmodi irritaret & exaſperaret, etiam ſe ac ſuos libertate Euangelica ad tempus priuauit, atque ad aliorum captum & morem ſe temperauit, quatenus licuit, donec pleniùs edocerentur de Euangelica perfectione. Nec interea fallebat, quia ante ſufficientem Euangelij promulgationem, nec Iudæis conuerſis, nec aliis Chriſtianis erat mortifera & damnata Moſaicę legis, vel aliarum multarum rerū obſeruatio. At Iudæos gnaros Euangelicę libertatis, & nihilominus cogentes Iudaïſare conuerſos ex Gentibus, aut pertinaciter legē Moſis tanquam neceſſariam exigētes, non patienter tulit, nec illis ceſſit, aut ſe accommodauit, ſed acriter redarguit: ac poſt deciſionem Concilij, quod habuerūt Hieroſolymis Apoſtoli, non leguntur in Eccleſiam admiſiſſe vllos, qui dicerent Gentibus imponendam eſſe legem Moſis. Poſtea Paulus paſſim mandabat Eccleſiis, vt cuſtodirent illius Synodi decreta, & Galatis pronuntiabat: Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Quamobrem exemplo Apoſtolicæ diſciplinę licebat quidem perferre & tolerare tanquam infirmos ante definitionem Synodi Conſtantienſis, & approbationem totius Eccleſiæ, opinantes communionem vtriuſque ſpeciei eſſe ex pręcepto Chriſti ad ſalutem neceſſariam: ſed poſtquàm in controuerſiam venit, eámque excuſſerunt tot viri docti, & vniuerſalis Eccleſiæ cœtus tulit ſententiam, qui perſtant in priori opinione, pro infirmis reputari nequeunt, quibus ſit compatiendum, ſed pro iuratis & deploratis hæreticis ſunt iudicandi, quibuſcum nullum Chriſtiano interuenire debet colloquium, vel commercium. Aſiani quidem illi Epiſcopi, non ſolùm volebant decima quarta luna celebrare Paſcha, ſed etiā ſic neceſſariò celebrandū affirmabant pari peruicacia, qua non ſolùm Aduerſarij ſentiunt vtramque ſpeciem ſumendam, ſed de ſumenda factū eſſe à Chriſto præceptum, & neceſſitatem incumbere. Sciens igitur Victor Papa perniciosum eſſe poſt diuulgarum per totum orbem Euāgelium, legem Moſis vel in parte ſeruare, atque hoc ipſum pertinere ad Hebionis & Nazareorum hęreſin, Aſianos renitentes iuſtè ab Eccleſia abſcidit, eiúſque iudicium tota Eccleſia ſecuta eſt, quę Quattodecimanos inter hęreticos receſuit, qui relicta & eiurata hęreſi in Nicena Synodo ad Eccleſiam redierunt. Irenęus itaque quadam ſimplicitate Victorem redarguit, nec aduertit, quòd malè ſentirent, vel quòd pridem fuiſſent damnati. Quartodecimani. Ita enim de his ſcribit, quaſi adhuc eſſet integrum hoc modo vel illo

Hæreticus equi imbrob. conſuetudinem communicandi ſub altera ſpecie.

Euſeb. lib. 5. cap. 24.

Quatenus liceat errantibus indulgeri.

An meritò Victor Papa fuit reprehenſus ab Irenæo.

Pascha agere. Quòd si consideraßet factum hoc iam transiße in rem iudicatam, nequaquam pius ille Martyr consuluißet illos esse tolerandos. Nec mirum videatur nos ea de Irenæo loqui, cùm ex simplicitate in alios errores Iudaïsantium inciderit, vt eo loco, quo de sex millibus annorum disserit quibus stabit mundus. Quartodecimani autem illi & alij Iudaïsantes, eisdem rationibus nitebantur, quibus nostri Calixtini. Sicut illi admodum probabiliter obiiciebant scripturas, exemplum Apostolorum, & Ioannis Euangelistæ potissimùm, ac longam maiorum obseruationẽ: sic nostri scripturis videntur abundare, Apostolorum, & maximè Pauli exẽplis, atque perpetua Ecclesiæ traditione: sed omnia tantùm ex parte allegant, nec factorum causas & rationes ac tempora satis perpendunt aut examinant. Distinguimus tempora Ecclesiæ primitiuæ ab his temporibus, quibus per longam experiẽtiam, & Spiritus sancti aßistentiam, multa circa agenda non præcepta à Christo innotuerũt, quæ prius latebant. Iudaïsantes Christiani docebant iustitiam esse ex lege, quasi Christus non sufficeret, aut indigeret lege ad iustificandos fideles: ita Calixtini asseuerant communionem sub vnica specie, aut non sufficere communicantibus, aut Christum ipsum sub vna specie sumptum minus præstare, quàm si sub duabus sumatur: quæ quàm falsa sint, ex disputatis apparet. Porrò de illis agendum, qui profitentur se hactenus errasse, sed pollicentur omnia se recepturos, quę Ecclesia Catholica præcipit credenda, etiam illud quod tradit vtramque speciem non esse omnibus ex Christi institutione necessariam, modò per indulgentiam permittatur vtriusque speciei fruitio & vsus. Profectò Ecclesia nusquam facilè fidem habuit redeũti hæretico, & quòd demißius atque humilius loquitur, magis diffidit, quia monetur ne credat omni spiritui, nisi priùs probauerit an ex Deo sit, quia nobis scriptura maiorẽ suspicionem iniicit de inimico reconciliato, & emolienti sermones suos. Labiis suis intelligitur (ait) inimicus, cùm in corde tractauerit dolos. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitię sunt in corde illius: scimus doctrinis variis & peregrinis, atque à Diabolo eorum animos versari atque agitari, à quo ducuntur captiui ad ipsius voluntatem. Quin etiam per experientiam Ecclesia didicit promißis hæreticorum etiam certißimis ac centies iteratis minimè fidendum. Lepida est historia Valentis & Vrsacij apud Hieronymum, qui fidenti animo pernegabant se Arrianos esse, & omnibus modis, quibus Catholici potuerunt formulas abiurationis cõcipere, hæresin illã damnarunt: nihilominus oculatißimos effascinarunt, & luminibus Ecclesiæ simul congregatis ex obscura subtilitate imposuerunt. Nã anathematisando filiũ similem esse aliis creaturis, dixerũt se non propterea anathematisare filiũ esse creaturam: quam rimam elabendi salua sua hęresi non animaduerterũt tot acutißimi ac vigilantißimi Patres. Pelagiani toties interrogati, fatebantur paruulos in remißionem peccatorum baptisari: anathematisabant eos, qui dicerent gratiam Dei secundũ merita nostra dari, & tamen hæresin suam fouebant, & clãculùm suas argutias insusurrabant. Ad tegendam altißimã dißimulationẽ Priscillianistæ iactabant, Iura, periura, secretum prodere noli. Quod ad rem nostram facit, narrat Æneas Syluius, ex Calixtinis Bohemis quasi præsulem Rochezanã cum quatuor aliis presbyteris, nomine toti' cleri sibi adhęrentis, Imperatore Sigismundo pro tribunali sedẽte, omniũ procerum circũstante corona, obedientiã Romanæ Ecclesię se præstare professum: nihilomin' sequẽti die, re diuina peracta, contra promissum ac iusiurãdum calicem laïco dedisse. At ita sit, subiiciet quispiam, vt nõ nisi ægrè credatur hęreticorum polliciris, nullane ratione deprehendi poßunt, verè an falsò dent fidem, & an ex animo resipiscant, ac sanctè polliceantur quod loquuntur. Vnica sanè ratio præ aliis potest fidem facere, si verbo simul & opere hæresin suam ac pristinum errorem detestentur,

De aliis qui pollicẽtur reditum ad Ecclesiam, si concedatur calix.

Non facilè fidendum hæretico redeunti.

Prouerb. 6. Ad Timoth. 2. & ad Heb. 13.

Hieron. in Luciferanos.

Augu lib. De mend. ci?. Aen. Syluius in Bohem. hist. cap. 35.

Quomodo deprehendatur hæreticus verè pœnitens, vel non.

&

& facto ipso verè se esse Catholicos probent. Præceptum est Apostoli, vt omnes qui volunt esse serui, non peccati, sed iustitiæ, sic exhibeant membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem, sicut antea exhibuerunt ea seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. Hæretici igitur, qui antè verbis, scriptis, receptatione concionatorum, ac rituum hæreticorum obseruatione, suum errorē protestati sunt, & magno zelo eum propagarunt, non si solis verbis resipiscentiam profitētur, pro Catholicis sunt continuò suscipiēdi, nisi ipso opere pro fidei Catholicæ protestatione, defensione, dilatatione egerint, quæ antea contra eandem egerunt. Proinde cum talibus est agendū, quemadmodū cum hominibus concubinariis. Numquid enim isti, qui multis annis apud se detinuerunt concubinas, quas nō à se expulerunt, licet spōdeant se expulsuros, quandiu non fecerint, pro verè pœnitentibus absolui debēt, antequàm promissum demādarint executioni? Minimè verò. Sic igitur de hæreticorum pœnitentia, & hæresis damnatione, non priùs Ecclesia certa redditur, quàm cùm non tantùm verbis aut pollicitis illam fuerint detestati, sed opere. An maiorē cautionē adhibere oportet in absolutione concubinarij, vel pœnitentiæ eius receptione, quā debetur in absolutione hæreticorū, vel pœnitētiæ approbatione? Postquàm verò de talium conuersione ita constiterit, quomodo cum illis agendum sit, si postulant communionem sub vtraque specie, persequemur, quando ad postulata Catholicorum fiet responsio: quandoquidē iam eos in numerum Catholicorū reponimus. Cur autem numquam expediat hæreticos manētes in hæresi damnata recipere, vel tolerare, vel ipsis quicquam condonare, rationes sunt: Quòd nihil soleāt petere ab Ecclesia, nisi quod hæresi patrocinetur: Quòd fiunt omnes deteriores licentia: Quòd eorum conuersio præpeditur, & in errore cōfirmantur: Quod authoritas Ecclesiæ & veritas debilitatur: Quòd hæreticorū audacia incitatur: quòd vigor disciplinæ, & populi feruor atque obedientia eneruatur: Quòd denique pessùm eant omnia. Cur enim cōmunionem vtriusque speciei postulant relaxari, nisi vt se rectè sensisse ostendant? Cur coniugium sacerdotibus volunt concedi, nisi vt doceāt perpetuam continentiam esse impossibilem, aut indifferentē: nec voto castitatis homines obligari, & cœlibatus sacerdotalis legem esse impiam? Cur aboleri procurāt ieiuniorum & ciborum delectum, nisi vt persuadeāt Deum superstitiosè coli abstinentia, & leges Ecclesiæ illaqueare conscientias? Cur Missam, cur imagines, cur sanctorum inuocationem è medio Christianorum tollere student, nisi vt probent Ecclesiam idololatria laborare? Cur vtramque speciem flagitant, nisi vt ostendant diu inter Catholicos viguisse abusum in vnius panis traditione? Quæ verò vtilitas ex talium concessione ad ipsos redibit, quàm in errore obfirmatio, & resipiscētiæ retardatio? Tantùm verò abest, vt tum de emenda cogitent, quod cristas erigunt, & contra Ecclesiam insolescunt, quasi veritatem superarint, eorúmque opinioni tanquam certiori omnes acquieuerint. Postea efferuntur audacia, ac se deprehēdisse in erroris adulterio Ecclesiam prædicant: omnes rectores ac Doctores in ea hallucinatos fuisse, & scripturas deprauasse, & ab vno articulo ferendum iudicium de tota doctrina Ecclesiæ. Nec verò intra concessionis limites consistunt, sed indè gradum faciunt ad conuellenda grauiora mysteria & dogmata eodem argumento, quo sibi aditum contra Ecclesiæ authoritatem fecerunt. Sic Bohemi Iacobello Misnensi de vtraque specie concionanti, non modica gestiebant lætitia, quòd articulum inuenissent in Euangelica lege fundatum, per quem vel Romanæ sedis ignorantia, vel nequitia argui posset. Tum populum conantur post se abducere, quasi rectiùs Catholicis de religione sentiant, quia vicerint aliqua in re, atque obtinuerint. Ex hoc simplicioribus ac minus intelligentibus de Ecclesiæ statutis

Quare cū hæreticis nulli sint recipiendi.

Aen. Syluius cap. 5. Bohem. hist.

dubitandi datur occasio, idémque sibi concedi desiderant, quod hæreticis fuerit indultũ. Experientia enim noscitur, quàm sit populus nouitatis ac libertatis amans. Petrus reprehensibilis erat, eò quòd dum nimiùm vellet condescendere Iudæis errantibus, scandalizabat Gentiles rectè sentientes, eòs compellens suo exemplo Iudaisare. An non idem nobis ab Apostolo dici potest? Vos dum vultis hæreticos imprudenter sanare, catholicos errare cogitis, & perditis. Atque ita omnis veritas, omnis authoritas, omnis disciplina Ecclesiæ ex vna ad hæreticos conniuentia funditus euellitur per Augustini regulam: Si semel mendaciũ aut error ad scripturas, vel ad Ecclesiam admittitur, omnis fides adimitur. Ista omnia consequi, si quid indulgetur hæreticis, Augustinus paucis his verbis explicat: Laquei hæreticorũ (inquit) & scismaticorum propterea carnalibus nimiùm perniciosi sunt, quia ipse profectus eorũ intercluditur, confirmata sentẽtia vanitatis aduersus Catholicã veritatem, & cõfirmata animositate dissensionis aduersus Catholicã pacem. Quapropter Gregorius & Toletani Patres ne quidem volunt ritum baptismi in meliorẽ & significantiorẽ, atque antiquiorẽ permutari, quẽ sequebantur hæretici: Ne (inquit) se morẽ nostrũ vicisse glorientur. Ea de causa Germanus Constantinopolitanus Catholicum cõtra Iconoclastas monet: Ante omnia prouidendum est, ne à sententia permuteris, ne ex hoc inimici nostri, & hostes crucis Christi superciliũ eleuent contra fidem nostram, dicántque, Hucusque Christiani errarunt. Nisi enim institutũ suum idololatriã cognouissent, non sanè nunc manifesta abiicerent. Quod ipsum quantũ contumeliæ subuersionísque in Christũ conciliat, quiuis agnoscere potest. Nam qui semel errarint, eos in viam reducere difficile est, vt qui à veritate alienantur. Quoniam Tridẽtina Synodus remittit inquisitionẽ causarũ, ex quibus requiritur à plerisque communio sub vtraque specie ad Romanũ Pontificẽ, vt videat an sint legitimę, & è re ac salute Ecclesiæ, necnon postulantium: iam triumphat Matthias Illyricus, quasi tota Ecclesia conuicta per Lutheranos, coacta fuerit errorem suum recognoscere, ac fateri, & medicinã alteri committere. Ita enim scribit: Patres Tridentini concilij euidentissimo verbo Dei à nostris conuicti & expugnati, cõmunionem sub vtraque specie cõcesserunt. Ex lectione Synodi satis coarguitur putidissimũ mendaciũ: cernitur tamen, quas glorias efflarent superbissimi Gigantes ex quacunque concessione, si vlla fieret ab Ecclesia his turbulentissimis temporibus. Non igitur licet, vel expedit hæreticis requirẽtibus, vel praue de vtraque specie opinantibus, talem cõmunionem permittere. Nũc de Catholicis sermonẽ habeamus. Aut hi in Principũ, vel nationũ, vel particulariũ hæreticorum, vel suspectorũ fauorẽ & gratiam, calicẽ concedi rogant, aut pro se ipsis, vel aliis orthodoxis. Si pro illis aut spem recõciliationis allegant, quia facta calicis libertate credibile sit multos ex ipsis saniores conquieturos, & ad Ecclesiam redituros, interim dum paulatim illa ad formam vetustatis instaurabitur: ac ne infirmis in vtramque partem nutantibus, ab Ecclesiæ societate discedendi, atque obtrectandi occasio præbeatur, sed retineantur in ouili, & ne longa consuetudine abstinendi à calice in errorem abducãtur populi, vt putent de calice Domini laïcos bibere, per se esse nefarium, aut simplicioribus persuadeant hæretici Ecclesiam docere, nefas esse & impium calicem Domini delibare: Proculdubiò insolentissimæ esse insaniæ Augustinus tradit disputare, An quod per totum orbem obseruatur à Catholica Ecclesia, ita faciendum sit. Attamen insolentissima hæc insania à quibusdam, qui se Catholicos videri volunt, sapientia & prudentia putatur, per quam hæreticis condescendi volunt, & indulgeri, seducti eorum mendaci promissione, qua se fore Catholicos illi pollicentur, & obedientes Ecclesiæ filios, si hæresis eorum approbetur. Elegans habetur historia in libris

August. lib. 3. De baptis. cap. 15.

Greg. lib. 1. Registri, epist. 41.

Toletan. 4. Can. 5.

In Act. 4. Nicen. 2. Synodi.

Matth. Illyr. in Confess. Antuerp.

An Catholicis petentibus calicẽ, Ecclesia debeat concedere.

„Regum de responso Solomonis ad petitionem Bersabeæ matris pro Adonia. Solo- 3.Reg.3.
„mon (ait scriptura) sedit super thronum Dauid patris sui, & firmatum regnum eius
„nimis. Et ingressus est Adonias ad Bersabeam matrem Solomonis, quæ dixit ei,
„Pacificúsne est ingressus tuus? Qui respondit, Pacificus: addidítque, Sermo mi-
„hi est ad te. Cui ait, Loquere. Et ille ait, Tu nosti quod meum erat regnum, &c.
„Precor vt dicas Solomoni Regi (neque enim negare tibi quicquam potest) vt det
„mihi Abisag Sunamitidem vxorem. Et ait Bersabee, Benè ego loquar pro te Re-
„gi. Venit ergo Bersabee ad Regem Solomonem, vt loqueretur ei pro Adonia. Et
„surrexit Rex in occursum eius, adorauítque eam, & sedit super thronum suum.
„Positúsque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius, dixítque ei:
„Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et
„dixit ei Rex, Pete, mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam. Quæ
„ait, Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor. Respondítque Rex Solo-
„mon, & dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? Postu-
„la ei & regnum. Ipse enim est frater meus maior me, & habet Abiathar sacerdo-
„tem, & Ioab filium Saruiæ. Iurauit itaque Rex Solomon per Dominum, dicens:
„Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Ado-
„nias verbum hoc. Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me
„super solium Dauid patris mei, quia hodiè occidetur Adonias. In hac historia Adonias refert hæreticos, vt Bersabee Catholicos, qui fraudes hæreticorum non animaduertunt: & ipse Solomon Christum & perspicaces in Ecclesia repræsentat. Hæretici qui populos seduxerunt, cùm vident seditionem suam detegi, atque errorem omnibus paulatim innotescere, ineunt, more Adoniæ, callidius consilium, vt seditiosum suum regnum firment, errorem propagent, & verum Regem ex throno deturbent, Ecclesiæ suā authoritatē eripiant, & homines ab ea alienent. Primū quidē iactant, in quanto honore fuerint apud suos, quódque honorentur tanquam veri doctores & pastores, & spes sit plures ex Catholicis sibi suæque societati esse aggregandos. His tamen non obstantibus, se libenter Ecclesiæ, & eius A ntistiti Romano Pontifici obedituros promittunt, cui omnem obedientiam præstā.. m se fateri dicunt: re vna duntaxat tantum bonum differri, nempè si vnum exiguum, in quo nullū sit seditionis, vel hæresis periculum concedatur: quo concesso, per omnia sint obedituri, & omnes errores ac seditiones reiecturi. Nec petūt vxorem Dauidis, sed Abisag Sunamitim, quę non fuit eius vxor, sed aliquid simile vxori habuit, quia in eodem lecto cum Dauide iacuit. Non enim quærunt aliquid sibi donari, vt veræ vxori Christi, id est, Catholicæ Ecclesiæ adhæreant, sed sufficit vt obtineant eam, quæ vxoris similitudinem habet. Cupiunt siquidem nomen tātum vnitatis Catholicę, non ipsam vnitatem. Hanc suam petitionem cupiunt proponi Ecclesię, vel eius Antistiti, non per viros doctos, & in fraudibus hęreticorum deprehendendis exercitatos, sed per mulieres, vel rerum diuinarum imperitos, tales tamen, quibus putāt nihil non debere, vel non posse negare Ecclesiam, vtpotè per Imperatores, Reges, ac Principes pios & Catholicos. Adonias verò, siue hęretici, non quiduis petunt, sed Abisag nuptiis Dauidis, atque filij eius dignam, id est, ipsam communionem sub vtraque specie, quam illi qui tātùm literam & corticem Euangelij spectant, petentibus indulgendam existimant, quam aiunt Christum tradidisse suo exemplo, ac pręcepisse, quámque primitiua Ecclesia frequentauit, & quā multi docti ac pij desiderāt: cui qui resistūt, Sophistę sunt & turbatores, cùm per eam salus & reditus multorū populorū ad Ecclesiam promoueretur, & hęreses omnes extinguerentur. Vnde primores illi Catholici, sed nimiū creduli, nihil fraudis suspicātes, preces Ecclesię

& Pontifici,& rem esse paruã dicunt,quæ petitur, vt meritò sit relaxãda At Salomõ spiritu diuinæ sapientiæ plenus,intelligens Adoniã esse mendacẽ,ac nihil aliud moliri, quàm vt torum populũ ad se tanquã verũ Regem trahat,cùm vxore Regis iam potiri vellet,cuius allequutione sibi aditũ faciat ad regnũ, & Salomonem tanquam regni occupatorẽ throno deiiciat,nõ acquieuit petitioni matris, sed quãto maiores insidias sibi strui ab Adonia sensit, tantò celerius de ipso necando consilium cepit. Ita Ecclesia cùm videat hæreticos fallaciis nihil aliud conari, quàm vt eius dignitatẽ & authoritatem imminuant, omni cura & diligentia prouidere debet, ne quid per pios & Catholicos assequantur,sed vt eo vehementiùs illorũ hæreses opprimantur, eísque resistatur,cùm pax & cõcordia Ecclesiæ cum hæreticis nõ magis coire possit, quã inter Christũ & Belial,lucẽ & tenebras. Debet insuper admonere Catholicos de sua imprudentia,atque ipsis proponere imitãdos Apostolos,atq; alios sanctos Patres, qui ne quidẽ in syllaba, aut vllo ritu,ex quo vel in speciẽ hæretici apud imperitos gloriari possent,tanquã eorũ mala doctrina approbaretur,sese hæreticis accõmodarunt,sed factis & verbis,quasi manibus pedibúsque reluctati sunt,& se ab illis dissentire protestati sunt. Vnde nec ad horam ipsis cedere voluerũt. Nec decet nos ratione hæreticorũ,& à fide deficientiũ moueri,vt ad eos retinendos,eorum foueamus errores, maximè cùm in plenario Concilio, totius orbis consensu, veritas de vtraque specie patefacta sit,quã dubiis in fide explicari ad eorũ captum par est. Eam si noluerint audire & admittere,dicamus cum Christo, Numquid & vos vultis abire: Nec certè ex causa negati calicis possunt discedere,nisi quia iudicãt Ecclesiam in fide errare. Error enim in his, quæ facti sunt vel prudẽtiæ, nõ solet homines alioqui fideles,& Ecclesiasticæ societatis amantes,ab Ecclesia abigere:& qui tales sunt,vt id perãt in ritu vsurpare,quòd neque necessarium,neque magis fructuosum est, quàm alius ritus,& non obstante quòd indè hæretici obfirmabũtur, aut plures seducẽtur: aut ita suo inhærẽt iudicio,vt ab Ecclesia deficere malint, quàm saniori Ecclesiæ iudicio se subiicere:nõ iam inter defecturos,sed inter eos qui iam ante defecerũt,sunt numerãdi. quòd si cõminatione vel metu fugitiuorũ veritas Ecclesię deseritur,actũ est de Christianismo,cui omnes cõminationibus insidiãtur. grauiter Cyprianus respondet:Si ita res est,Frater charissime, vt nequissimorũ timeatur audacia, & quòd mali iure atq; æquitate nõ possunt, temeritate ac desperatione perficiãt,actũ est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandę sublimi ac diuina potestate, nec Christiani vltrà aut durare, aut esse iam possumus,si ad hoc ventũ est, vt perditorũ minas atque insidias pertimescamus. Nã & Gẽtiles & Iudęi minãtur, & hęretici, atque omnes,quorũ pectora & mẽtes Diabolus obsedit, venenatã rabiẽ suã quotidiè furiosa voce testãtur: nõ tamẽ idcircò cedendũ est,quia minãtur. Manere apud nos debet,frater charissimę,fidei robur immobile,& stabilis atq; incõcussa virtus cõtra omnes incursus atque impetus oblatrantiũ fluctuũ,velut petrę obiacẽtis fortitudine & mole,debet obsistere. Nec interest vnde Episcopo aut terror,aut periculũ veniat,qui terroribus & periculis viuit obnoxius: & tamẽ fit de ipsis terroribus ac periculis gloriosus. Porrò demus grassati errorẽ in populo, quasi laïco per se sit nefas de calice Domini bibere,pręposteri tamẽ essent medici,morbi pręsẽtis & capitalioris remedium tollere, vt leuiori & aliter curabili medearis. At cùm nondum extent in populo vlla illius erroris semina,sed tantùm ita fieri possit, quid aliud esset calicẽ dare ad futuri morbi curationem, quàm grauiter laborantem hominem crapula & ebrietate,iterùm multo cibo ac potu refarcire, quia postea inedia laborare possit. Iã videam* an expediat audire preces Catholicorũ petentiũ pro se ac suis calicẽ. De his verò hic agimus,quos numquã hęresis infecit, vel saltem ei se planè renũtiasse facto docuerunt,

Responsio facienda Catholicis petentibus calicem.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.

docuerunt,ac rectè de ipsa communione etiam vnius speciei credunt. Fatentur plerique in hac causa non pertinacium & pacis hostium hæreticorum, quibus numquã vlla ratio satisfit, sed piorum ac pacis amantium, qui vbique sunt, rationem habendam, qui non insano hæreticæ prauitatis oestro, sed pio Apostolicę consuetudinis studio incitati, sacramento Dominici calicis, in quo plenum expressumque redemptionis, ac mysticæ cum Christo vnionis mysterium continetur, potiti desiderant: quo impetrato Dominum collaudabunt, neque odiosis & otiosis iam quęstionibus Ecclesiam perturbabũt. Vtinam verò nemo fictis verbis de sacrosanctis mysteriis negotiaretur? Sed bene habet, quòd Deo ita prouidẽte, vix quicquam animo celari potest, quin erumpat, & in apertum prodeat. Pręfati sumus communionem vnius speciei esse petram offensionis & scandali, ac tanquam Lydium lapidem, ad cuius incudem, tanquam aurum putiputũ examinentur & agnoscantur veri Catholici. Nemo enim vtramque speciem potest importuniùs flagitare, quin ignorantia multa laboret, aut aliquem errorem in sinu ac recessu animi foueat. Propterea petentes sub Catholicorum nomine, de tribus admonere & instituere oportet: De re ipsa, ac veritate communionis: de eius praxi & vsu eius in Ecclesia: & de incommodis ac periculis, quibus Ecclesiam & se inuoluit, si morem Ecclesiæ violet & immutet. Quod si nihilominus pergat molestus esse & litigare, scito subuersum esse, nec amplius Catholici nomine dignum. Interrogentur ergo an credant vtrãque minimè à Christo præcipi, neque maioris esse fructus vtriusque speciei communionem, atque iustis & rationabilibus de causis consuetudinem sub vna specie communicandi introductam, & à generali Cõcilio ac tota Ecclesia approbatã, atq; pro lege susceptã, neq; cõmunicandi rationẽ illã veteri Ecclesiæ fuisse ignotã. Doceantur easdem rationes, ob quas illã cõmunicandi consuetudinẽ Ecclesia confirmauit, adhuc locũ habere. Moueantur non licere Catholico hæresis protestationem facto probare & amplecti, vel omittere eãdem professionem fidei Catholicę eo tempore, quo hęretici eam maximè oppugnant, vt nunc faciunt communionem sub vnica specie: nec magis licere in communione cum hæreticis conuenire, quàm in opinione, propter quã ab Ecclesię communione desciuerunt. Recenseantur incommoda, quę ex ipsis, facta potestate vtriusque speciei sequentur. Primùm enim cùm se velint haberi pro Catholicis & hæreticorum hostibus, ita tamen desinerent fidem suam de facto protestari, qua credũt vtramque speciem non omnibus esse necessariam, nec maioris fructus, quàm sit communio sub vna. Quàm magnum autem malum sit & peccatum fidem non confiteri, dum quis de ea interrogatur, satis patet. Est enim Dei præceptum, vt quis interrogatus de fide sua, eam confiteatur. Interrogamur autem nõ solùm verbis, sed etiam aliis modis. Nam hæretici, & dubij in fide ac mutantes, etiam facta hominum diligentius attendunt, atque ex his, quid animi & fidei habeant, coniiciunt. Sic Pseudoapostoli explorabant libertatem Pauli, obseruantes Hierosololymis an fortè Titum Gentilem circumcideret. Moueantur insuper alterum malum euenturum ex tali concessione, vtpotè hæreticorũ in errore obdurationem, & simpliciorum deceptionem. Iactabunt enim maleuoli hac licentia data, Ecclesiam tacitè errorem fateri, & deinceps alios errores magis ac magis agnituram. Quamuis autem hęretici, tanquam cęci, & duces cæcorum sint negligendi, non tamen parui facienda est salus eorum, quos ex hac concessione decipient. Orietur & tertium malum: quoniam incipient Catholici, qui antè vnica specie contenti erant, & in institutione Ecclesię Catholicę, atque Conciliorum decretis aquiescebant, imaginari, & secum cogitare, an èxpediat idem sibi quoque concedi etiamsi institutio quam didicerant, vera sit. Indè lites & contentiones in Ecclesia. Alij enim volent pristinum morem te-

An Catholicis concedi debeat calix.

Ex petitione communionis ferè detegitur quisque qualis sit.

Quæ sint proponẽda conditiones petenti calicẽ, vt qualis sit, detegatur.

nere, alij nouum: alij iudicabunt eos melius facere, qui vna specie communicant, alij verò illos qui vtraque. Et quod maximum est, alij clamabunt hæresin per vtriusque speciei communionem confirmari, ac sacræ rei protestationem relinqui. Aliud sanè est ex libertate ante vllam legem conditam alios sic communicare, alios aliter: aliud legem à generali Concilio rationabiliter constitutam, & à tota Ecclesia receptam, hæreticis eam contra Christi præceptum esse docentibus, immutare. Quartò incipient & illi, quibus calix permittetur, eadémque libertate alij Catholici de aliis ritibus, & tota Ecclesiæ Catholicæ doctrina hæsitabunt, an ita credi & obseruari debeat, sicut per totum orbem tradit Ecclesia. Atque vt sunt homines variorum ingeniorum & sensuum, inuenientur qui multa mutare volent, atque in suam sententiam conabuntur simpliciores abducere. Quę res ad Ecclesiæ decrementũ, & hæreseos promotionem mirũ in modũ proficiet, atque ita in re maximi momẽti, ac tota religione experiemur, magno nostro malo, quid incommodi afferat huiusmodi mutatio. Moneri etiam debent, non plus pretij obuenturum ex vtraque, quàm ex vna specie, & minus periculi hîc quàm illic inesse, cùm sacrilegio irreuerentiæ panis minus sit obnoxius quàm calix, nec carere præmio obedientiam delatam statutis Ecclesiæ, charitatísque esse sufferre omnia: non quærere quæ sibi placeant, sed quæ alteri, etiam sanctos in cœlo à sua perfectione retardari, ipsísque patientiam imperari propter aliorum periculum Sicut ipsis expostulantibus cum Deo, Quousque non vindicas sanguinem nostrum, qui effusus est de terra, responderetur, Expectate donec impleatur numerus fratrum vestrorum: Idem Catholici sibi dictum putent, quoties importunius calicem efflagitant, tantóque vtiliorem sibi fore communionem vnius speciei iudicent, quanto melior est obedientia quàm victimæ, & quantò dãnabilius est scisma, & à tota Ecclesia discrepantia, quàm priuatio calicis, nihilo plus fructus allaturi, quàm solius panis communio. Sin deuotionem particularem pergunt obtendere, & Apostolicum morem capiendi calicem: post adhibitam commonitionem & institutionem non carent erroris suspicione, quòd zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam, aut quòd opinionem cõceptam animo premant, quasi communio sub vnico signo ab Apostolico more dissideat, & quasi posterior Ecclesia errauerit, ac declinauerit à prima & Apostolica. Demus hunc communicandi ritum antiquitùs non fuisse vsitarum: adhuc sufficere debet fidelibus, quòd nunc saltem à pluribus annis per totam Ecclesiam Catholicam exercetur, atq; à Conciliis & Petri cathedra sancitur: id quod habet satis argumenti, doctrinæ & institutioni Christi non repugnare. Numquam enim Christus sponsam suam Ecclesiam, pro qua mortuus est, & cum qua vsque ad seculi cõsummationem se fore promisit, ita deserit, vt sponsi sui institutionem euertat, & contra eam leges ferat. Neque est adeò in ritibus religionis quęrenda temporum antiquitas, quàm quòd à tota Ecclesia suscipiuntur. Ex eo enim, qua præsens Ecclesia hunc ritum colit, consequitur quòd verus Ecclesia eum ritum vel in praxi, vel saltem in fide sua, tanquam licitum duxerit. Idem enim Spiritus regit hanc Ecclesiam & veterem, imò eandem esse facit, quemadmodum Epiphanius contra Anomeos ostendit. Experiundum etiam, an tangantur tanto desiderio perfectionis Apostolicæ, quanto se incitari dicunt. Nam si tantoperè cupiunt obseruantiam Apostolicæ consuetudinis, cur tam negligentes sunt in petendo confirmationis sacramento, quod Apostoli tã sollicitè tradiderunt? Cur non ieiunia multa assumunt, Apostolorum more? Cur quando ieiunant, non differunt refectionem vsque ad vesperam? Cur non vrgent vt reuocetur mos Ecclesiæ vetustioris, quo pœnitentes diu & longa afflictione luebant peccata sua, antequã absoluerentur? Cur per vnam Sabbathi, hoc est die Dominico, non reponũt quod dent

Cur Catholici nec calicem debeant petere, nec oporteat ipsis cõcedere.

In ritibus quærenda potius Ecclesiæ præsens obseruatio, quàm antiquitas.

Quomodo detegatur falsus zelus.

dent pauperibus? Cur his atque aliis pluribus omissis, hac vna in re tam rigidi sunt exactores Apostolicæ consuetudinis? Ex aliis neglectis facilè coniicitur alio amore capi, quàm Apostolicæ Ecclesiæ, qui petēdæ communioni sub vna specie tam acriter insistunt. Itaque sicut nunc sunt hominum mores, & temporum hæreses, non arbitror cuiquam regno, aut Principi, aut homini Catholico, licere aut expedire, vt calicem reposcat, & statutum Synodi Constantiensis immutetur: nec credo quenquam vehementiùs de hoc litigaturum, quin de se grauem suspicionem concitet, quod sit rerum diuinarum atque Ecclesiasticarum imperitior, aut quod nō integrè atque ex animo sit Catholicus. Quòd si aliis temporibus, post sopitas vel extinctas hæreses, & instauratam Ecclesiæ disciplinam, venerit in disquisitionem & consultationem eadem quæstio, circumspiciatur diligentius, an aliquid per communionis mutationē infidelitatis oriri queat, vel foueri, an fidei necessaria protestatio pereat: an scandalum immineat, vel si non tantum boni sequatur, quòd eius causa oporteat omnia mala indè euentura contemnere: tum constabit ne quidem lege naturæ mutationem talem permitti. Sin contrario modo ista omnia se habuerint, eadem lege mutatio comprobabitur. Quæstionis igitur diiudicatio à prudentia & experientia pendet.

FINIS.

ELENCHVS VERBORVM ET RERVM, QVÆ IN HOC TOTO OPERE continentur: A. primæ paginæ est index : B. verò secundæ.

A.

B.

C.

creatu-

F.

I

Marcio-

N.

Patres

Q.

R.

S.

Species

T.

quàm

Z.